


SACRÆ ROMANÆ ROTÆ

DECISIONVM RECENTIORVM

A PROSPERO FARINACCIO I. C. ROMANO SELECTARVM,

NEC VNQVAM ALIAS IMPRESSARVM,

PARTIS SECVNDÆ

Tomus primus, & Secundus.

Cum Summarijs, & Indice ab eodem Auctore Illustratus.



VENETIIS, Sumptibus Bertanorum. M.DC.LXXVII.

SVPERIORVM PERMISSV, ET PRIVILEGIIS.



INDEX CAVSARVM

IN QVIBVS FACTAE SVNT DECISIONES ROTAE ROMANAE

In hac Secunda Parte

A PROSPERO FARINACCIO I. C. ROMANO COLLECTÆ.

ALPHABETICO ORDINE DIGESTVS.

Car-

Index Causarum.

Index Causarum.

C

Car-

D

E

F

Mace-

N

O

P

R

Index Causarum.

Romana

S

T

Tarusi-

V

Viter-

FINIS INDICIS CAVSARVM.



DECI-



DECISIONES ROTÆ.

ILLVSTRISS. ET REVERENDISS.

D. CARD. LACELLOTTO.

Romana Viginti millium. Veneris 11. & Lunæ 14. Maij 1582.

ARGVMENTVM.

Pactum quando dicatur resolutiuum, quando etiam resoluat ipso iure, & resoluto contractu, quando etiam fructus percepti ex re restituenda restitui debent.

SVMMARIVM.

Reuertatur verbum est resolutiuum, nec aliquod requirit extrinsecum factum. nu.2.

Conditio donationis, si non fuerit obseruata, an & quomodo donationem resoluat. nu.2.

Reuertatur verbum est commune, obliquum scilicet, & directum. nu.3. Declara, vt ibidem.

Verbum commune ratione adiuncti potest effici directum.n.3.

Verbum directum appositum,ne dum in pacto Legis Commissoriæ, & adiectionis in diem, & de retrouendendo, sed etiam in omnibus similibus alijs pactis resoluit ipso iure absque alia traditione. num.4. & 5.

Pactum resolutiuum in contractibus an, & quando resoluat ipso iure. nu.5.

Oratio vna determinans plura determinabilia illa æque omnia determinat. num. 6.

Qualitas adiecta verbo posito in fine orationis refertur ad aliud præcedens. num.6.

Et copula est repetitiua in vtraque parte orationis earumdem qualitatum. nu.6.

Resolutio contractus quando fit ipso iure, res restitui debet vna cum fructibus perceptis. nu.8.& 9.

Pactum resolutiuum vbi fit sub conditione,deficiente conditione restituendi sunt fructus percepti. nu.9.

Conditione non adimpleta actus habetur pro non facto. num. 9. in fine.

Testis vbi deducitur ad non titulum fructus sunt restituendi. nu.10.

Pronomen ipsum, demonstrat, & repetit id, quod ante fuit expressum. nu.11.

Pertinentiarum appellatione veniunt etiam fructus. nu.12.

Contrahentium verisimilis mens semper attendi debet. num. 12. & 13.

Æqualitas inter contrahentes semper seruanda est. num.14.

DECISIO I.



1 ORdinauerunt Domini in causa Romana Viginti millium inter Christianissimam Reginam, & Sereness. Madamam Austrię,& creditores die 14. Maij 1582. pro faciliori exitu Cōcordię, quam de consensu partium tractant, vt disputaretur infrascriptum dubium,videlicet stante concordia inita de anno 1560. an in casu succumbentiæ debeat reuerti ad Reginam Castrum S.Angeli,cum fructibus preteritis à die dictæ concordię,quod dubium cum fuisset pluries intimatum Agentib.pro Madama,nec curauerint super eo informare, fuit tandem Informante tamen parte Reginę bis propositum, nempe die Veneris die 11.& die Lunę 14.Maij 1582.& pro resolutione fuit distincta materia in tres difficultates. Prima est,an versemur in pacto resolutiuo.Secunda,dato quod sic,an resolutio fiat ipso iure. Tertia & vltimo, an facta resolutione debet reuerti Castrum vna cum fructibus perceptis à die Concordię vsq; ad diē succumbentiæ.

2 Quo ad primam dixerunt nos versari in pacto resolutiuo ponderando verbum Reuertatur. Nam si partes voluerunt Castrum debere reuerti in euentum succumbentiæ id non potest esse,nisi per resolutionē, quia alioquin necessarium fuisset aliquod factum Madamæ,puta illius retrocessio,vel aliquis alius titulus, qui cum non fuerit expressus,oritur resolutio,vt probatur. *in l.1.§.item cum ipse iuncto §.fin. de donat.* vbi si quis donat rem ea mente, vt statim fiat accipientis,si tamen velit illam ad se reuerti sub conditione si quid factum fuerit, vel ne, dicitur ibi, quod illa est regulatiua conditio donationis.

3 Quo vero ad secundam tenuerant affirmatiuam opinionem,quia licet verbum Reuertatur sit commune, s.obliquum,& indirectum,vt no. *Doct. in l. centurio.de vulgari,& pup.substit.& præsertim ibi Ias n.72. Rip. n.194. cum alijs,de quibus latè per Tiraq.in l.si vnquam.in ver.Reuertatur.num.6.cum seq.C.de reuocan.donat.tamen* verbum Commune ratione adiuncti potest effici directum, veluti si addantur verba pleno iure, vt not. *Bart. in Authent. hæc vsus præstatio. C.de sacros.eccles.Abb.in cap. conquestus.nu.4.vbi Felin.n.1. cum seq.de for.compet.Rip.in d.l.centurio.n.182.Galian.518. Tiraquell.in d.ver.Reuertatur nu.138. vers.41.*

4 At verbū directum appositum, ne dum pacto Legis Cōmissoriæ,& adiectionis in diē,& de retrouēdendo sed etiam in omnibus alijs similib.pactis resoluit ipso iure absque aliqua traditione secundum veriorem,& magis receptā opinionem, licet multi,& magnæ authoritatis *Doct. contrarium tenuerint, vt per Couar. var.* resol.

resol.lib.3.c.8.n.2.vers.verù.& in hac specie Tiraq.conuent. §.1.*Glos.7.num.14.& 15.nouissime Io.Lup.in l.2.num.8.C. de pactis inter emptor.& venditorem.*

5 Et in terminis pacti de quo agitur Scil.de retrouẽd. facti cum verbis directis videlicet pleno iure, quod resoluat ipso iure est *glo.in d.l.1.vers.mortis.in fi.de donat.* vbi notat *Bar. Ang. Castr. & alij, Ias.in d.l.ab emptione.n. 7.de pact.Tiraq.in d.gl.7.nu.17.& in d.verb.Reuertatur.nu.* 138. & est communis opinio de qua per *Couarru. in d. c.8.nu.1.vers.2.* eadem conclusio.

6 Nec dicendum est huiusmodi verba pleno iure fuisse adiecta verbo spectet, non autem verbo Reuertatur, quantum cum dictum vtrumque verbum sit positum in vna,& eadem oratione, ac sub vnico verborum contextu,& determinatur ab illo verbo castrum, quemadmodum pleno iure dicta verba determinant verbum spectent, ita etiam debent determinare verbum Reuertatur, argumento l. iam hoc iure. de vulgari,& pupillari substitutione. pro quo facit regula text.in l.dolo.in prin. de seruo corrupto, vbi qualitas adiecta verbo posito in posteriori parte orationis, refertur etiam ad aliud præcedens eiusdem orationis, & ibi notat *Bart. inferens ad statuta, de quo per Dec.consi.92. nu.2.*

7 Comprobatur hæc interpretatio ex dictione,& ibi, & ad eos pleno iure, quæ copula censetur repetere in vtraque parte orationis, modos, & qualitates, siue à parte post, siuè ante, vt per *Fastol.in dub.46. n.8.præterea* quemadmodum in assignatione Castri illa verba pleno iure respiciunt vtrumque verbum scil. remaneat,& spectet ita etiam debent respicere in reuersione eiusdem Castri.

8 In tertia,& vltima difficultate fuit conclusum, quod reuersio Castri fieri debet vna cũ fructibus perceptis à die Concordiæ, vsque ad diem succũbentiæ. Ratio est, quia quando resolutio fit ipso iure debet res simul cum fructibus perceptis restitui, vt ex pluribus traditis *Tiraq.in d. verb.Reuertatur.nu.282.& de retract.consuet.§.5.gl.2.n.2.Couar.de var.resol.c.9.vol.3.n.1.vers.tandem his distinctionibus.Bero.consi.165. n.22.vol.1.& in d.c. ad nostram.n.42.de empt.& vend. Coras.in Miscellaneis,lib. 3.c.9.n.4.Pinell.in l.2.p.3. n.63.C.de rescind.vend.Imol.in c. illo vos. num.14. de pignor.*

9 Præsertim quando pactum fit sub conditione, prout est istud, de quo agitur, nam deficiente conditione fructus percepti sunt restituendi, *l.necessario.§.quod si pendente.de peric.& commod. rei vendit. Rauer.sing.229. Rom.sing.544.Socin.cons.170. col.4.vers.Ad tertium.vol.2. Couar.in d.c.9.col.3 eod.vers.Tiraq.in d.vers.Reuertatur.n. 277.& ratio est secũdum Socin. in d.cons.post Bart. in l.si is,qui pro emptore.in §.q.princ de vsufruct.* quia conditio trahitur retro ad tempus contractus,& habetur, ac si actus nunquam fuisset celebratus, & nunquam fuisset dominium sublatum.

10 Accedit quia hic titulus reducitur ad non titulum in euentum succumbentię ideo fructus sunt restituẽdi secundũ *Rom.cons.454.nu.27. quem sequitur Felyn.in c. cũ causa.col.8.n.30.vers.& vide.de re iud.Tiraq.in suprad. vers.Reuertatur.n.278.Natt. consi.535.nu.12.vol.3.*

11 Confirmatur hæc opinio ex illo Pronomine ipsũ, quodam demonstrat, & repetit id, quod ante fuit expressum, quasi quod castrum cum omni sua vtilitate, commodo, & fructibus perceptis reuertatur,& quod Regina tantum habeat, quantum si Castrum non permansisset apud Madamam.

12 Non displicebat etiam Dominis considerando facta de verbo pertinentij, quarum appellatione veniũt etiam fructus iuxta ea, quæ tradit *Dec.consi.516.nu.25.* Hæc autem interpretatio congruit verisimili menti paciscentium, nam Reginæ loco Castri datur proprietas montis recuperandi vna cum fructibus decurrendis a die Concordiæ. Madamæ vero datur Castrum, si igitur Mons non recuperatur, & Regina non habeat, nec fructus, nec proprietates dicti montis, conueniens est, quod castrum sibi restitui debeat cum fructibus tanquam cessante causa dationis castri, iux. *tex.in l.qui se debere.§.fi.de condict.ob caus.c.de fruct. lib.4.cap.10.*

13 Videntur etiam contrahentes voluisse omnia subiicere futuro euentui litis, nam si succumberet, nihil lucrari debuisset Madama, sed castrum ipsum cum Pertinentiis ipsis, & accessoriis castri deberet reuerti ad Reginam. In hac autem materia plurimum inspicienda est etiam mens paciscentium, vt per *Tiraq. in d.verb.Reuertatur.nu.63. vers.11.fallit.*

14 In hanc sententiam fuerunt Domini moti etiam propter æqualitatem seruandam iuxta Auth. de non eligen.secund.nuben.§.fi. cum vulgari, nam quemadmodum in permansione castri facta in fauorem Madamæ, fructus d.castri spectant ad ipsam si non est locus succumbentiæ. ita pariter in euentum succumbentiæ debet reuerti cum fructibus. Tum etiam quia hæc interpretatio fauet æquitati, cum alias dicta Cõcordia tendisset in maximum detrimentum Reginæ, ad quam hoc castrum spectabat ex hæreditate suæ Auiæ S Alphonsinæ, & ita Domini resoluerunt informante tantum parte Reinæ.

R. P. D. GIPSIO.

Gerunden. Anniuersariorum, Lunæ 9. Decemb.1585.

ARGVMENTVM.

Statutum factum ad tollendum dissensiones dicitur factum in vim transactionis, & ideo reuocari non potest à statuentibus.

SVMMARIVM.

Statutum in vim transactionis factum reuocari nõ potest.n.1.
Verba dubia interpretari debent contra proferentem. nu.1.
Producens scripturam, omnia contenta in ea fateri censetur. num.1.
Administratio debet esse communis eorum omnium, ad quos spectat vtilitas rei administratæ.nu.2.
Statutum præsumitur emanatum ex causa, quæ in eo exprimitur. nu.3.

DECISIO II.

1 FVerat alias decisum coram R. P. D. meo Seraphino, statutum Bertrandi nequaquam per Episcopum,& Capitulum reuocari potuisse, quam vim trãsactionis habere videbatur, cum ad materiam dissensionis tollendam, factum fuisset ad tradita, in *cap.fi.de pac.in 6.Abb.in c.etsi clerici.§.de adult. nu.10.dc iudic.cum alijs in dic.decis. deductis:* Qua propter coram me dubitari contingit, an sententia postmodum lata ex hoc duntaxat capita confirmanda. Et Domini dicta die confirmari posse tenuerunt, si quidem ex verbis dicti statuti deprehenditur, conditum fuisse ad materiam dissensionis tollendam, vt dictum est, quæ verba, cum sint ipsorum Statuentium, & consentientiũ contra eosdem, probari debent, *l.optimam. C.de contrahend.& commit.stipul.Aym.de antiq.temp.p.1. num.63.vers. adde,* maxime quia Capitulum dictum statutum in iudicio producit. Vnde omnia in eo contenta, fateri non dubitatur, *Aym. consi.175.nu.1.Gabr.de confess.concl.4. num.14.*

2 Secundo, quia ex alijs decisionibus in hac causa factis constat, administrationem huiusmodi anniuersariorum vsq; ad annum. 1368. fuisse clauigerum, qui erat beneficiatus, & forsan ipsorum caput,& ab inde citra vsque ad tempus conditi Statuti apud Episcopum,& Capitulum extitisse. Qua propter poterat dubitari, quod beneficiati eorum pristinã possessionem vel-

vellent, iuxta *decis. Afflic.* 327. Præsertim cum vtilitas dictorum anniuersariorum sit tam Beneficiatis, quã Canonicis, Vnde administratio etiam communis esse deberet; *Paris consi.* 90. *n.* 12. *lib.* 4. & ad effectum, vt locus sit transactioni, sufficit timor futuræ litis. *l.* 2. *& ibi Ias. post alios. in* 1. *not. C. de transactionibus. Alex. cons.* 42. *num.* 26. *vers. non obstat lib.* 1. *Cephal. consil.* 772. *nu.* 2. *lib.* 2.

3 Quæ vero dicuntur, quod lis poterat oriri inter Canonicos, non autem inter ipsos, & Beneficiatos, non placuerunt Dominis, quia de tali lite, & dissensione nullibi apparet. Præsumendum igitur erit, statutum, propter causam in eo enunciatam, & de qua satis constat, emanasse, *Aym. consi.* 106. *nu.* 10.

R. P. D. BVBALO.

Cæsaraugustana Statutus de Morata. Lunæ 26. Octobris 1587.

ARGVMENTVM.

De Teste excommunicato, quod nullam faciat fidem etiam, quod à sententia excommunicationis fuerit appellatum, aut iudex recusatus suspectus, & de Clerico militante in bello siue iusto, siue iniusto, quando irregularitatem incurrat.

SVMMARIVM.

Testi excommunicato non creditur vbi etiam, quod excommunicatio probatur per assertionem testis. nu. 1.

Appellatio ab excommunicatione non suspendit effectum excommunicationis, sed requiritur absolutio. num. 1.

Appellatio a sententia declaratoria incursus excommunicationis operatur effectum suspensiuum. nu. 1.

Excommunicationis effectus non suspenditur per recusationem iudicis. nu. 3.

Testis mortuus, qui post examen superuixit, & non fuit repetitus nihil probat. nu. 4.

Clericus militans in bello iusto, siue iniusto incurrit irregularitatem quando in bello aliqui sunt interfecti aliter secus. num. 5.

Clericus militando in bello iusto, & hortando alios ad victoriam generaliter, & percutiendo non efficitur irregularis nisi occidat, vel deformet. nu. 5.

DECISIO III.

1 DOmini perstiterunt in resolutis quo ad 17. & 18. testes, nempe quod 17. sit repellendus in totum nec sit ei adhibenda fides, quia fatetur se fuisse excommunicatum à Iudice piarum causarum, nec constat quod ante examen fuerit absolutus, & testi excommunicato non creditur. *cap. veniens* 2. *vbi Doctor. de test. cap. decernimus. de sentent. excommunic. in* 6. & cum hoc sit qualitas, quæ repellit ipsum testem, sufficit quod ipse testes eam fateatur. *Bartol. in l. decem. num.* 6. *vers. vnde cum testis dicat. ff. de verbor. obligat. Salic. in Authen. si dicatur. numer.* 1. *C. de test. Boss. in tit. de oppo. contra testes. nume.* 82. *in fin.* & quamuis testis dicat suum procuratorem appellasse, tamen ex hoc non suspenditur effectus excommunicationis, sed requiritur absolutio. *c. pastoralis.* §. *verum. vbi glos. in ver. executionem. & ibi Doct. de appel. Ioannes Andr. in cap. is cui. numer.* 4. *de sent. excommunic. in* 6. *cum alijs alleg.* nec dicatur verba testis esse, & posse intelligi de sententia declaratoria incursus excommunicationis, à qua si appellatur suspenditur effectus excommunicationis, vt per *Felyn. in c. Rodolphus. numer.* 43. *de rescriptis*, quia testis clare, & aperte loquitur, quod fuit citatus, & quia non comparuit fuit excommunicatus, vnde intelligi debet de excommunicatione prolata propter suam contumaciam, non declaratoria incursus excommunicationis à lege, vel ab homine comminatæ.

2 Nec potest saluari iste testis ex processu vlt. loco producto factus coram dic. Iudice dictarum causarũ, tum quia non est in forma probanti, tum etiam quia propter eius breuitatem iuxt. stylum illarum partiũ non potest ex eo concludenter probari hec negatiua, quod in illo processu non constat de excommunicatione, quinimo potius verũ constare de contrario ex actu facto die 8. Aug. vbi dicitur breuia hoc est, quod iudex concessit literas ad effectum publicandæ excommunic. dic. testis, quæ interpretatio verum satis probabilis, vt concordet cum dicto testis. Nam aut dicit verum, quod fuit excommunic. & ei tanquam excommunic. non creditur, aut dicit falsum, & quia est periurus non est ei credendum. Ita arguit *Maria. in c. inquisitionis.* §. *tertiæ dubitationis. nu.* 22. *&* 23. *de accusationibus.*

3 Nec obstat quod in d. processu appareat d. Iudicem fuisse recusatum, & deuentum ad electionem arbitrorum, quia hoc fuit factum post excommunic. & quemadmodum app. non suspendit excommunic. ita nec etiam recusatio Iudicis, quæ ad instar app. procedit, vt per *Bar. & Doc. in l. quia poterat ad Treb.*

4 Nec obstat quod testis sit mortuus quia non ex hoc est fides adhibenda, cum post examen per multum tempus superuixerit, in quo potuit de nouo repeti, & examinari ad trad. *per Præp. in l. admonendi. prope finem vers. istam limitat. de Iureiur. Fely. in c. quem. frequenter, col.* 5. *vers. ad etiam alium speciale. vt lit. non contest.*

5 Circa 18. testem domini dixerunt illi esse fidem adhiben. vt fuit vlt. loco resolutum non obstan. hic, quę de nouo deducuntur, quamuis. n. ipsę dicat militasse in Italia per 10. annos, non tamen sequitur, quod esset effectus irregularis, quia tunc demum clericus militans in bello iusto siue iniusto incurrit irregularitatem, quando in bello aliqui sunt interfecti per *Plot. de irregular. n.* 20. *Abb. in c. petitio. n.* 3. *de homicid. Specul. in tit. de dispensat.* §. *iuxt. n.* 51. quinimo si clericus exerceat militiam in bello iusto etiam adhortando ad victoriam generaliter, & percutiendo non efficitur irregularis nisi ipse occidat, vel deformet, vt per *Abb. in d. c. petitio. n.* 3. *Naua. in suo Manual. c.* 27. *n.* 215. Cum igitur non probet contestem in tali bello interuenisse, non potest dici incurrisse irregular. quę tantum in casib. à iure expressis incurritur. *c. is qui. de sent. excomm. in* 6. Cetera quæ contra 18. testem opponuntur bene fuerunt sublata in decis. vlt. loco in hac causa facta.

R. P. D. BVBALO.

Lucana Canonicatus Lunæ 14. Maij 1590.

ARGVMENTVM.

Ius patronatus concessum ex augumento dotis si sit concessum quadraginta annis ante Concil. Trid. non subiacet ipsius Concil. dispositioni. Item ius patronatus, quod reuideri debet ab ordinario secundum formam eiusdem Concil. donec reuideatur, validum est.

SVMMARIVM.

Ius patronatus acquiritur etiam ex augumento dotis. num. 1.

Resignatio beneficij iuris patronatus absque consensu patroni nulla est, nec ius abdicatur à resignante. nu. 2.

Reg. Adriani reuocatoria iurium patronatus comprehendit etiam ius patronatus concessum ex augumento dotis. nu. 3.

Reualidatio reducit rem ad pristinum statum. nu. 3.

Ius patronatus concessum, à 40. annis citra Concil. Trid. debet reuideri ab ordinario, secus in eo, quod fuit concessum quadraginta annis ante Concil. Trid. nu. 4.

Ius patronatus, quod vigore Concilij Trid. reuideri debet, donec reuideatur, si patroni sint in quasi possessione præsentandi reputatur validum. nu.5.

Ius patronatus laicorum non potest dici mixtum. nu.6.

Iuris patronatus concesso cum clausula, quod non possit derogari, &c. non censetur derogatum per simplicem derogationem ex defectu intentionis concedentis. nu.7.

DECISIO IV.

1 MAtthæus Dinellus obtinens Canonicatum in Collegiata ecclesia Sancti Michaelis in foro Lucano, illam resignauit in manibus Papæ ad fauorem Alex. Marcutii quod de eo fuit prouisus à Sede Apostolicæ postea vero illinc ad paucos dies post tamen viginti decessit dic. Matthæus. Domini autem de Gilijs pretendentes habere ius patronatus ad omnes Canonicatus, & prebendas in dic. Ecclesia Collegiata, ac etiam dict. Canonicatum vacasse per obitum Matthei presentarunt Sigismundum Puccinum, qui postea obtinuit institutionem, ac etiam immissus fuit in possessionem dicti Canonicatus; Orta deinde Controuersia inter Sigismundum, & Marcutium, nec non Dominos de Giliis pro eorum interesse Iuris patronatus, & causa commissa in Rota; Dubitaui particulariter. An constaret de Iure patronatus Dominorum de Giliis ad effectum, vt præsentatio, & institutio Sigismundi sit valida, & ad effectum, vt gratia Marcutii corruat, & Domini concluserunt constare de iure patronatus ad predictos effectus nō quidem ex donatione, & fundatione, nec ex mero priuilegio, sed ex augumento dotis assignatæ pro dic. Dominos de Giliis, vt apparet ex Bulla Leonis X. de anno 1518. in qua Papa in erectione dic. Collegiatæ reseruauit ius patron. Ioan. Paulo, & Matthæo de Gilijs, suisque hæredibus & successoribus in perpetuū ad Decanatum, nec non Canonicatus prædict. ex eo, quia ex augumento dotis postea assignarunt scuta 2000. vltra redditus ecclesiarum vnitarum dict. Collegiatæ nec non declarauit huiusmodi ius patronatus eē laicorum, & quod illi non censeatur derogatum, nisi solum, & duntaxat casu, quo etiam si laicorum principium tamen ex fundatione, & dotatione fuisset comiter derogatum aut derogari consueuerit.

2 Cum igitur constet de iure patronatus laicorum, resignatio facta in fauorem Marcutii non potest sustineri, & consequenter ius remansit penes resignantem, & intrat presentatio facta vti de Canonicatu vacante per obiectum illius.

3 Nec obstat, quod regula Adriani reuocatoria Iuris patronatus comprehendat etiam ius patronatus de quo agitur ex augumento dotis concessum, quia in hac causa producta fuit gratia Pauli III. in qua hoc ius patronatus reualidatur, non obstante derogatione dic. regulæ Adriani, quæ reualidatio reducit rem ad pristinum statum.

4 Nec dici potest huiusmodi ius patronatus subiacere subrogationi *Concilij Tridentini sess.25. cap.9.* quia, vt Sacra Congregatio declarauit in dicto cap.2. subiiciuntur examini, & reuisioni ordinarii patronatus concessi, à 40. annis citra, illi vero qui ante 40. annos concessi fuerunt, ex eo Concilii decreto reuideri ab ordinario non possint; Vnde cum huiusmodi ius patronatus fuerit reseruatum de anno 1518. & sic ante 40. annos à die publicationis Concilii non intrat decretum Concilii, nec attendi debet tempus reualidationis Pauli III. quia, vt dictum est per reualidationem res fuit reducta ad pristinum statum, perinde, ac si regula Adriani non emanasset.

5 Præterea vtcumque sit dato etiam, quod reuideri possit, tamen Domini non admittebant stantibus supradictis, quam diu tamen non reuidetur, & iudicatum fuerit ecclesię damnosum, hoc ius patronatus est in statu validitatis, præsertim cum patroni sint in quasi possessione presentandi ad dictos Canonicatus, & in specie ad Canonicatum, de quo agitur, presentauerint præfactum Matthæum, per cuius obitum nūc vacat ad *tradit. in c. consultationibus de iure patr.*

6 Quod vero attinet ad prouisionem Marcutij ex causa resignationis dixerunt Domini in illa non adesse sufficientem derogationem illius Iuris patronatus, & consequenter non esse admittendam, quoniam, & si derogetur iuris patronatus mixto, non tamen hoc ius patronatus mixtum censeri debet, sed Laicorum tantum, siquidem in reseruatione facta per Leonem declaratur hoc ius patronatus esse Laicorum; Vnde mixtum dici non potest ad *tradit. per Lambert. de iure patron. lib.1. p.1. art.5.*

7 Præterea licet fuerit dotata dicta Ecclesia partim ex redditibus Ecclesiasticis, partim ex augumento dotis assignatæ per Gilios, nihilominus cum Papa decreuerit non ideo censeri derogatum huic iuris patronatus laicorum Principum ex dotatione, & fundatione, vtique in hac simplici derogatione non includitur huiusmodi ius patronatus reseruatum in fauorem laicorum cum hac qualitate ex defectu intentionis Concedentis, vt bene per *Put. decis.308. lib.3.* & ex his Domini Concluserunt Constare de sufficienti Iure patronatus ad prædictos effectus.

ILLVSTRISS. ET REVERENDISS. DOM. CARDIN. PLATTO.

Elusina Pensionis. Lunæ 18. Iunij 1590.

ARGVMENTVM.

Absolutio à iuramento, vt suffragetur, quæ requirantur, & simulationis exceptio opponi non potest aduersus instrumentum iuratum non petita absolutione, præsertim vbi simulationis causa non adest.

SVMMARIVM.

Iuramento contra venire volens agere non potest petita absolutione. nu.1.

Peritus à limine iudicij repellendus est. nu.1.

Absolutio à iuramento obtento ab eo, qui absolutionem non petere iurauerat, & obtenta non vti non suffragatur, nisi hæc exprimantur. nu.2.

Absolutio a iuramento non prodest post periurium incursum. num.2.

Prælatus potest disponere moderate de fructib. beneficij. n.3.

Simulatio non præsumitur, vbi non adest causa simulationis. nu.4.

Simulationis exceptio non potest opponi aduersus instrumentum iuratum non habita absolutione a iuramento. num.4.

DECISIO V.

1 REsoluerunt Domini obstare D. Abbati agenti ad nullitatem pensionis exceptionem periurii, cum impugnet pensionem, quam se iurauit soluturum. d. n. contrauenire iuramento ob cuius reuerentiam prius quam ageret, debuit absolutionem petere *Socin. cons.38. nu.1. vol.3. Paris. cons.42. nu.14. lib.1.* quapropter *repellendus est ab hoc Iudicio. Specul. in tit. de act. quæ.1. vers. item quod est periurus. Alex. cons.61. n.19. li.5. Dec. in c. intelleximus. n.18. de iud. Rol. cons.16. n.28. lib.8. Clar. in §. periurium vers. preterea periurus.*

2 Nec refragatur Abbati absolutio obtenta à Vicario Vrbis, tum quia iurauerat eam non petere absolutionem, & obtenta non vti, quod erat exprimendum in absolutione *Felin. c. constitutus, n.14. de rescript. Rol. cons. 34. n.6. lib.1.* tum etiam quia eam obtinuit *post incursum. periurium, & propterea illi nō prodest. Felin. in c.1. n.18. de Iureiur. Gozad. cons.59. n.21. Rol. d. ict. cons.34. nu.2. lib.1.*

3 Nec iuuatur ex eo quod dicat se agere nomine suæ Eccle-

Ecclesiæ, vt eam liberet ab hoc onere pensionis, tum quia ex actis apparet ipsum non tam nomine suæ ecclesiæ, quæ proprio egisse tum etiam cum hoc iuramentum de soluendo pensionem possit seruari sine dispendio salutis æternæ, debet Abbas quam diu vixerit, illud inuiolabiliter obseruare *Mohed. decis. 2. & decis. 250.* non potest enim ipse venire contra factũ suum iuratum, maxime cum in hac vita ipsius Abbatis Iurantis vertatur interesse ipsis Abbatis non ecclesiæ: concessum enim est Prælato de fructibus sui beneficij moderate disponere, capite relatum, capite adhæc de testamento, quod facilius in casu admittendum est, cum hæc pensio fuerit præceptori reseruata ex causa renumerationis ad trad. per *Bero cons. 61. nu. 23. libr. 1.*

4 Non etiam suffragatur Abbati, quod dicit obligationem soluendo pensionem fuisse simulatam, tum quia nulla ad fertur probabilis causa simulationis, sine qua cessat simulatio, *Rota decis. 7. de donat. in nou.* tum quia cum nec ex Iuris præsumptione, nec ex lectura Instrumenti constaret de huiusmodi simulatione debuit prius de eo opponere, & petere absolutionem *Soc. cons. 5. num. 3. lib. 1. Curt. cons. 108. num. 13. & ad tradita per Galles. in sua prax. obligat. cameral. in 2, q. ad 4. par. nu. 3. & 4.*

5 Postremo non excusatur à periurio ex eo, quod prætendit super probasse pactũ de nõ petẽdo pensionem à Ciuitella Portionario, quia vltra quod spontaneæ solutiones Abbatiæ, quarum vigore datum est Ciuitellæ mandatum de manutenendo plurium videntur obstare huic probati. cum alijs deductis per Informantes, satis est quod Abbas antequam induceret testes ad hoc probandum inciderat in periurum ob id, quod pensionem impugnauerat, & nullam atque inualidam dixerat, ideoq; a dict. Iudicio isto exclusus remanet ex supradictis,

mo
REVEREND. D. PEGNA DECANO.

Calaguritana prætensæ Confidentiæ Veneris 5. Iunij 1592.

ARGVMENTVM.

De iurisdictione Iudicis Confidentiarum.

SVMMARIVM.

Iudex Confidentiarum licet habeat facultatem cognoscendi de Confidentijs beneficialibus Simoniacis, non tamen potest cognoscere de Simonia, nu. 1.
Simonia latius patet, quam Confidentia, nu. 1.
Confidentia beneficialis illicita, & Simoniaca, & licet sit Simonia non tamen omnis Simonia est Confidentia, nu. 1.
Confidentia beneficialis Simoniaca est prohibita per Constitutiones Pij Quarti, & Pij Quinti, nu. 2.

DECISIO VI.

1 DVbitaui in ista causa, quam proposui extra Rotam, & quæ cum voto Rote debet cognosci, an sententia per Iudicem confidentiarum lata contra Iustinum Sanitorum, & Didacum Ximenezo Canonicos Calaguritanos esset nulla, vel iniusta, & Domini omisso capite iniustitiæ super quo particulariter videre voluerunt, conformiter censuerunt fuisse nullã, & reuocandam ex manifesto defectu iurisdictionis prædicti Iudicis, qui licet habeat facultatem cognoscendi de confidentijs beneficialibus Simoniacis, non tamen de Simonia, quæ latius pateat, quam ista confidentia, quamuis enim omnis confidentia beneficialis illicita Simoniaca sit Simonia, non tamen reciprocatur, vt omnis Simonia sit confidentia.

2 In hoc autem casu dicebant Domini, quod tamet si aliqua posset prætendi Simonia, de qua erat viden. nulla tamen aderat confidentia beneficialis illicita, & Simoniaca, quam prohibent apostolice constitutiones Pij Quarti, & Pij Quinti, super quibus iste Auditor confidentiarum vigore particularis indulti fuit constitutus Iudex ad trad. per Ven. Virum *Nauar. in Manua. confessar. c. 23. nu. 104. vers. ad duodecimum.*

mo
ILLVSTRISS. D. CARD. MANTICA.

Burgen. Congruæ de Cudeyo. Veneris 26. Nouembr. 1593.

ARGVMENTVM.

Congrua quibus debeatur.

SVMMARIVM.

Congrua debetur Rectoribus Parochialium siue Vicarijs perpetuis, qui personaliter resident, & curam exercent animarum, nu. 1. secus alijs, nu. 2.
Amplia etiam si beneficia habeant tenues redditus, quia sibi imputent, qui illa acceptauerunt, num. 3.
Cura animarum non censetur annexa beneficia, quod non requirit personalem residentiam, nu. 1.
Beneficia ex eo, quod sunt patrimonialia non infertur, quod Curam habeant animarum, nu. 2.

DECISIO VII.

1 ALtero, qui tamen fuit sæpius citatus, non informante fuit resolutũ beneficiatis Oppidi de Cudeyo non deberi Congruam portionem, quia illa sane debetur Rectoribus Ecclesiarum Parochialium, siue Vicarijs perpetuis, qui personaliter resident, & curam exercent animarum, capite nulli Episcoporũ, ibi, primum tamen sibi, & suæ Ecclesiæ deseruientibus, 12. *q. 1. c. 2. de supple. negl. prælat. & c. extirpandæ. §. qui vero, de præbend.* Hi autem beneficiati non tenentur personaliter residere, sed possunt per alios deseruire, vt ex depositionibus testium apparet ex quo datur intelligi huiusmodi beneficijs non esse annexam curam animarum.

2 Vnde cum in eis deficiat seruitium necessarium, & onus curæ, quod est fundamentum assignandæ cõgruæ portionis, consequens est dicere, vt eis cõgrua non debeatur *dict. c. extirpandæ. §. qui vero, & ibi Abb. nu... de præben. & ita sentit Rebuff. in tract. congruæ portionis q. 68.* & sæpissime fuit decisum in Rota, & præcipue coram Oradino in Calaguritana Congruarum die 16. Nouembris 1571. quæ decisio loquitur etiam de beneficijs patrimonialibus, qualia sunt ea, de quibus agitur quia ex eo, quod sint patrimonialia, necessario non infertur, quod curam habeant animarum, & quo ad ea obtinentes huiusmodi curam exerceant, idem quoq; fuit resolutum coram Sanctissimo tunc Rote Auditore in Toletana Conguarũ 13. Febr. 1576. & rursus in Legionen. Congruæ coram Lauretano die ij. Octob. 1577. & coram Cæs. de Grass. in Burgen. fructuum die 21. Maij, quæ est decisio quarta de præben. & coram Reuerendiss. Perusino Pamphilonen. Congruarum 7. Iunij 1593.

3 Neq; ad rẽ pertinet, quod hæc beneficia habeant tenues reditus, quia fuit responsum, eis imputãdũ esse, quod talia beneficia susceperint. *arg. l. Imperator. in fi. ff. de l. 1. gl. in c. 2. in verb. necessitatem 21. q. 1.* quod dictũ etiã in d. Toletana Congruarũ coram Sanctiss. die 13. Febr. 1526. Quare cum isti beneficiati non sint ad stricti ad personalem residentiam, neque ad Curã Animarum, cõclusum fuit, Congruã eis minime deberi.

R. P. D. LITTA.

Romana fideicom. de Veccijs, Lunæ 29. Maij 1595.

ARGVMENTVM.

Aperitio oris operatur, vt possit gratia impugnari, nec gratiam reducit ad ius commune, & alia adducuntur, de quibus in Summario.

SVMMARIVM.

Aperitio oris tollit solum effectum clausulæ sublato non autem substantiam gratiæ. nu. 1.
Regul. de iure quæsit. non tollen. præseruat non solum ius quæsitum de iure Communi, sed etiam de iure speciali ex aliqua gratia, vel priuilegio. nu. 2.
Iustitia non patitur aliquid detrahi de iure alterius. nu. 3.
Clausula iustitiam faciat non refertur ad ea, quæ sunt expressa in gratia. nu. 3.
Consequens qui vult, censetur velle omne necessarium antecedens. nu. 3.
Subreptio debet probari per allegatam, nu. 4.

DECISIO VIII.

1 FVit resolutum aperitionem oris sufficere Monialibus ad effectum allegandi subreptionem, vel defectum intentionis aduersus motum proprium Iulij III. non autem vt ille intelligatur redactus ad terminos Iuris, & sic, vt moniales possint procedere aduersus possessores bonorum alias fideicommisso subiectorum, non secus, ac si fideicommisso derogatum non fuisset, & ratio est quia per simplicem aperitionem oris tollitur obstaculum Clausulæ sublata, per quod etiam impediebantur Moniales audiri super subreptione, & defectu intentionis concedentis, Cotta decis. 18. & decis. 105. sed non tollitur derogatio ipsius fideicommissi, & sic substantia, & effectus motus proprij, vt alias dictum fuit in illa Cæsaraugustana exemptionis 9. Martij 1594. coram R. P. D. Orano, & 13. Iunij de eodem Anno in eadem Causa coram R. P. D. Decano.

2 Quod comprobatur ex eo quod non fuit derogatum regulæ de Iure quæsito non tollendo, & tamen si Papæ Intentio fuisset per huiusmodi Commissionem cum aperitione oris tollere, cum dicti motus proprij, vtique d. regulæ in specie derogasset, Cum alias censeatur præseruatum non tantum Ius quæsitum alicui de Iure Communi, verum etiam de Iure speciali ex aliqua gratia, vel Priuilegio, prout hoc in casu sequitur, cum creditoribus ipsis vigore dicti tus proprij fuerint data in solutum dicta bona, & eorum possessio translata. *Gozad. consil. 41. num. 17. vers.* Tertio respondeo, *Sarnen in d. regul. de Iur. quæsit. quæst. 15. in fine Mohed. decis. 82. Put. decis. 1. in regul. de Iur. quæsit. non tollend. Cæs. de Graff. 193. alias 1. de verb. signifi.*

3 Nec obstare dixerunt Domini considerationem per Informantes pro Monialibus factam super illis verbis in fine dd. literarum Iulij III. appositis ibi, & Iustitiam faciat, quasi quod non possit dici ex dictis Literis fuisse derogatum fideicommisso, Cum Iustitia non patiatur aliquid detrahi de Iure alterius *leg. 2. ff. de his, qui sunt sui, vel alien.* Iuris, quia fuit dictum, quod illa verba Iustitiam faciat sint referenda ad assignationem faciendam Creditoribus ipsis Æqua lance, hoc est omnibus . . . non autem ad ea, quæ expressa sunt in dictis litteris, *ad Bart. in leg. cum propter. ff. de legat. præstand. Oldrad. consil. 330. ad fine. Sarnen. in regula de non tollend. q. 1. nu. 141. Crescen. decis. 206. in manuscriptis.* dum enim Papa vult bona ipsa fideicommisso subiecta non obstante dicto fideicommisso assignari, & dari in solutum Creditoribus, necessario ipsi fideicommisso per Papam derogatum fuisse dicendum est, Cum qui vult consequens, omne necessarium antecedens ad illud, & velle dicatur *l. illud. ff. de acquir. hæred. l. ad rem, & l. ad legatum. ff. de procurat. Doct. passim in c. cum M. de Constit. & in c. ex parte. de sponsal. Abb. cons. 76. nu. 3. par. 2.*

4 Ad illud autem quod litteræ Iulij III. sint subreptitiæ: fuit responsum de subreptione adhuc non constare, & allegantibus incumbere onus probandi eam *l. si quis obrepserit. ff. de fals. Aym. consi. 68. nu. 9. Cum alijs per Caputaq. decis. 220. num. 2. p. 3.*

R. P. D. LITTA.

Meleuitana prætensarum pensionum Lunæ 19. Februarij 1596.

ARGVMENTVM.

Spolij actio datur hæredi spoliato, & quando impediatur, quando excipitur de non iure in petitorio.

SVMMARIVM.

Remedium recuperandæ competit hæredi spoliato à possessione, quam defunctus habebat. nu. 1.
Præsumitur in futurum possidere, qui de præterito possedit. num. 2.
Præscriptio censetur interrupta per executionem monitorij. num. 3.
Spolij actio cessat, quando constat de non iure in petitorio, nu. 4. Declara, vt nu. 5.

DECISIO IX.

1 DOmini tenuerunt hæredes per viam spolij posse recuperare à moderno Archidiacono terminos pensionis alias reseruatę ad fauorem Hilarij super dicto Archidiaconatu à die prouisionis ipsius moderni Archidiaconi citra vsque ad tēpus translationis dictę pensionis moti ex ratione, quia non dubitatur, quin Hilarius antequam modernus Archidiaconus prouideretur de ipso Archidiaconatu, esset in possessione exigendi dictam pensionem per triginta annos, & vltra, vnde cum de anno 1579. fuerit ei denegata solutio per Modernum Archidiaconum, & sic per consequens fuerit ea spoliatus, *Put. decis. 419. nu. 1. lib. 2.* Ideo iure merito quemadmodum posset Hilarius si viueret intentare remedium recuperandi *Bald. in l. 2. nu. 44. C. de seruit. Afflict. decis. 395. Rot. diuers. decis. 99. par. 1.* ita etiam hodie possent eius hæredes. *Put. decis. 293. de rest. spol. in manuscript. & in impress. decis. 189. lib. 1. & 176. nu. 1. & 2. lib. 2. & Mohed. decis. 40.*

2 Nec illud intrare posse ad fauorem Archidiaconi, dixerunt Domini, quod licet dicta possessio videatur amissa per negligentiam tanti temporis, & sic per cōsequens nullum possit considerari spolium, tum quia ex actis constat, Hilarium realiter fuisse in possessione exigendi dictam pensionem ab anno 1541. vsque ad annum 1571. & à dicto tempore vsque ad annum 1378. quo fuit prouisus modernus Archidiaconus præsumptione Iuris. *tex. in l. 3. §. in admittenda, & §. seq. ff. de acq. poss. & in l. non ignorabit. C. ad exhib. cum vulgar.*

3 Vltra quod stante monitorio exequuto nomine Hilarij contra modernum Archidiaconum occasione dictæ pensionis, & actis reproducto de anno 1579. fuit interruptus cursus temporis si quis aderat habilis ad præscribendum, & de medio eo ipso fuit sublata Hilarij negligentia, si quæ considerari poterat ad effe-

effectum prædictum, ita *Bart. in l. ex hoc edicto nu. 5. Castren. num. 4. Alex. num. 11. ff. de eo per quem factum erat*, & passim notant *Scribentes in l. cum notissimi C. de præscript. triginta annor.* tum etiam quia actio spolij secundum opinionem Rotæ potest intentari post mille annos *Cassad. dec. 6. de rest. spol. Put. dec. 115. lib. 1.*

4 Ad illud autem quod cessat actio spolij, quando constat de non Iure in negotio principali ex confessione partis fuit responsum, non applicari, cum confessio Hilarij, qua nituntur Informantes pro Archidiacono resultans ex eius prouisione admodum turbida reddatur, tum ex confessione prædicti Archidiaconi postmodum facta, de qua in eius prouisione, qua satis comprobata videtur solutio dictæ pensionis per tantum tempus *ad text. in l. cum de indebito, ff. de probat. cum vulgar.* Tum quia in prouisione *Hilarij adest clausula augendi, ad dec. Caputaq. 186. lib. 1.*

5 Tum denique quia requiritur quod non Ius sit ita notorium, vt contrarium in petitorio per agentem spolio probari non possit. *Gabr. cons. 51. num. 17. lib. 1.* vnde cum possit probari error dictæ prætensæ confessionis Hilarij, pro quo datur sufficiens fumus ex supradictis, merito, vt dictum est, non applicatur dicta conclusio, vt bene facit ad hoc *decis. Palest. 1610. incipien. probandum erat spolium part. tertia. diuers. 3. in impressis.*

6 Quo vero ad alia deducta pro Archidiacono placuerunt Dominis responsiones hic datæ pro Informante pro hæredibus, quas non refero breuitatis gratia, &c.

R. P. D. LITTA.

Firmana Altaris Lunæ 9. Decembris. 1596.

ARGVMENTVM.

Agitur de iustificatione narratorum in gratia si neutri.

SVMMARIVM.

Narrata probantur per confessionem partis. nu. 1.
Beneficia simplicia de consuetudine residentiam non requirunt nu. 2.
Narratiua qualitatum expressarum in gratia probatur per Testes de publica voce, & fama. nu. 3.
Valor obtentorum sufficit quod semiplene probatur etiam per dictum vnius testis. nu. 4.
Gratia si neutri vbi est iustificata habet locum eo ipso, quod non constat de iure collitigantis. nu. 5.
Patronus non potest post quatuor menses præsentare. num. 6. vbi quod dictum tempus currit à die scientiæ.
Vicinus præsumitur scire ea, quæ in loco vicino contigerunt. num. 6.

DECISIO X.

Dubitaui, an gratia si neutri Riccardo concessa, sit iustificata, & ei suffragetur, & Domini ipso Riccardo tantum Informante affirmatiuam tenuerunt. Nam de existentia beneficij ad altare Sancti Matthæi in Ecclesia Sancti Iacobi terræ Montis Granarij constat in contractibus, de quibus in Summario. nu. 1.

1 Quod vacauerit de mense Octob. 1591. extra Romanam Curiam per obitium Lepidi Cari Constat tã ex confessione Iosephi, de qua in illius prouisione ad *dec. Aegid. 268.* quam ex testibus, de quibus in Summario. num. 3. Quod de dicto altari sic vacante fuerit prouisum Riccardo Apostolica auctoritate, Iosepho vero ordinaria auctoritate ad præsentationem patronorum constat ex lectura vtriusque prouisionis, de quibus in actis.

2 Quod non requirat personalem residentiam satis iustificatur ex eo, quod est simplex beneficium, vt bene concludunt testes, cum ex generali consuetudine simplicia residentiam non requirant, vt sæpius fuit resolutum, vltra quod dantur testes in Summario. nu. 2. qui bene id probant. Quod fructus dicti Altaris nõ excedant ducatos 24. probat secundus testis iuxta decimum septimum, ibi, non passa 24. ducati, come ho detto di sopra, & tertius iuxta decimum sextum, ibi, e di poca valuta, & non passa 24. ducati.

3 Quod Riccardus sit oriundus ex Terra Montis Granarij, sit Presbyter, & Doctor, probatur ex testibus, de quibus in Summario num. 5. maxime in probandis huiusmodi qualitatibus expressis in gratia ad effectum iustificationis sufficiat depositio de publica voce, & fama, *Bald. in l. prouidendum. C. de postul. Alex. in addit. ad Bart. in l. de minore. §. plurium. colum. fin. in verb. vana vox. ff. de quæst. Caputaq. dec. 277. part. 1.* & fuit dictum in illa Toletana Parochialis de Alcaudate 10. Maij præsentis anni, coram Illustrissimo Arigonio.

4 Quod altare Sancti Ioannis, quod Riccardus obtinet, sit beneficium simplex, & non requirat personalem residentiam, & non excedat valorem 34. ducatorum, probat primus super 11. & 12. & secundus super 12. maxime quia in probando valore obtentorum per iustificationem gratiæ sufficit qualis probatio, & etiam dictum vnius testis *Aegid. dec. 364. Caputaq. decis. 272. nu. 7. lib. 1.* fuit dictum in illa Chisanen. Beneficiorum 6. Nouembris 1592. coram Reuerendo Patre Domino Orano, & in pluribus alijs, quas non refero breuitatis causa. Et quod Altare Sancti Ludouici, ad quod prætendit ius Riccardus sit beneficium simplex, & sit valoris, quadraginta ducatorum, probant primus, & secundus testes iuxta 16.

5 Hac stante iustificatione, sequitur gratiam ipsam, si neutri suffragari debere Riccardo, cum eo ipso quod ex reuolutione processus non constat de bono iure Iosephi collitigantis intret ius Riccardi ex dicta gratia, si neutri resultans, vt fuit dictum in illa Iuuanacen. beneficij 27. Ianuarij 1593. coram Illustrissimo Mantica, & in illa Tuden. beneficij de Resal. 8. Nouembris 1593. coram Reuerendo Patre Dom. Pegna.

6 At de bono iure Iosephi non constat, immo de malo, resultante ex præsentatione facta per heredes quõdam Plebani post lapsum quadrimestre datum patronis laicis ad præsenrandum *cap. 1. de iure patronatus in 6. Rebuff. in praxi benef. titul. de deuolutione num. 3. Rot. dec. 3. versic. at hic. in quæst. nostra de iur. patron. in nouis.* quod tempus licet currat à die scientiæ vacationis, satis tamen constat hoc in casu de scientia illarum mulierum hæredum Plebani, quæ præsentare habebant, vt ex testibus, de quibus in Summario. numer. maxime stante vicinitate loci, in quo mortuus est Lepidus ad Terram Montis Granarij, in qua prædictæ mulieres morabantur *ad text. in leg. si vicinis. Cod. de nuptys. & in cap. 4. de præscript. cum alijs per Corn. cons. 85. num. 12. lib. 3. ideo. &c.*

ILLVSTRISS. D. CARDINALI MANTICA.

Nonantulana, seu Nullius Bonorum. 18. & 22. Martij 1597.

ARGVMENTVM.

Prælatus finita emphyteusi, quando teneatur illam renouare aliis descendentibus, an vero eam pro sua Ecclesia retinere. Plura de vi, & effectu præscriptionis, seu consuetudinis immemorabilis.

SVMMARIVM.

Emphyteusis Ecclesiastica finita quando ex immemorabili consuetudine solita est renouari in descendentes alios tenetur Ecclesia illam renouare, nec potest pro se retinere. nu. 1. & seq.
Præscriptio immemorabilis habet vim priuilegij, & per eam acquiruntur etiam quæ Principi sunt reseruata nu. 2.
Præscriptio immemorabilis sufficit, quod allegetur, & probetur etiam quod non probetur titulus. nu. 2.
Præscriptio immemorabilis habet vim priuilegij, expressi, & concessi ex certa scientia, & proinde habetur, ac si ab eo, qui hanc habet auctoritatem fuisset concessum. nu. 3.
Præscriptionem immemorabilem habens potest allegare quemcunque titulum voluerit. nu. 4.
Emphyteusim accipiens, emphyteoticosque fundos steriles, & paludosos sua cultura fertiles reddens, an expelli possit, & an pensio sibi augeri etiam possit. nu. 5.
Emphyteusi Ecclesiastica finita regulariter Prælatus non tenetur illam renouare, sed potest eam pro Ecclesia retinere, num. 6.
Ecclesiasticæ rei alienatio in perpetuum prohibita est, nisi ex priuilegio Pontificis alienetur. nu. 7.
Papa in rebus Ecclesiæ habet liberam potestatem. nu. 7.
Consuetudo onerosa Ecclesiæ inualida est. Declara, vt nu. 8.
Præscribi non possunt, quæ sunt facultatis. Declara, vt n. 9.
Consuetudo est fortior, quam pactum, & valet in casu, in quo pactum valere non potest. nu. 9.

DECISIO XI.

1 PRæsupposita immemorabili consuetudine renouandi emphyteusim descendentibus post tertiam generationem apud me extra Rotam quæsitum fuit, An Illustrissimus, & Reuerendissimus Dominus Cardinalis Commendatarius emphyteusim post tertiam generationem finitam teneatur ipsis descendentibus renouare, vel bona possit pro Ecclesia retinere, & à Dominis semel atque iterum causa proposita contra Informantes, fuit conclusum, eum non posse bona pro Ecclesia retinere, sed teneri ad renouan. emphyteusim ipsis descendentibus, sicut ab immemorabili consuetudine necessitas renouandi inducitur. *Bald. in auth. si quas ruinas. num. 4. ibi,* secundo quia oritur necessitas. *C. de sacrosanct. Eccl. Ias. in l. vltim. num. 33. vers. 2. modo. C. de iur. emphyt.*

2 Nam præscriptio temporis, cuius initij memoria non extat, habet vim priuilegij, ac iusti tituli, ita vt per eam acquirantur etiam ea, quæ Principi sunt reseruata tametsi obstet præsumptio iuris communis contra præscribentem, *cap. super quibusdam. de verb. sign. cap. 1. de præscript. in 6. l. hoc iure. §. ductus aquæ. ff. de aq. quot. & æst. Aretin. cons. 30. num. 4. & seq. Dec. cons. 85. vers. his non obstan. & cons. 231. num. 2. in fin. & 3.* vnde sufficit allegare hoc priuilegium, etsi titulus non probetur. *Bellon. cons. 1. nu. 5.* quinimo sufficit allegare tempus sine titulo. *Rota dec. 20. num. 2. de reb. Eccles. non alien. in antiq. Paul. de Castr. cons. 423. num. 2. vers. in contrarium. lib. 2. Alex. cons. 6. num. 1. & 2. lib. 1. Felin. in cap. accedentes. num. 6. vers. sed diceres, & in cap. eum officij. nu. 14. de præscript.*

3 Hæc enim præscriptio habet vim priuilegij expressi, & concessi ex certa scientia, quia proinde habetur, ac si ab eo, qui hanc habeat auctoritatem, fuisset concessum, *Corn. consil. 384. num. 1. & 3. lib. 4.* & ideo licentia etiam Papæ, & Principis consensus præsumitur. *Aretin. consil. 56. in princip. & num. 1. & seq. Couar. in capit. cum in officiis. num. 9. vers. nam, & illa bona. de testam. & in cap. possessor. 2. par. §. 7. & 10. num. 2. vers. firmet tamen. de reg. iur. lib. 6.*

4 Proinde qui habet immemorabilem potest allegare quecumque titulum voluerit, vt est tritum, & promulgatum, & in Rota receptissimum, igitur potest allegare etiam priuilegium renouandi à Romano Pontifice ex certa scientia confirmatum, quo casu in dubium non venit, quia emphyteusis deberet renouari. *l. ne cui. C. locat vbi Bald.* qui de simplici etiam pacto renouandi in locatione apposito loquitur, & dicit illam legem esse notabilem pro contractibus emphyteoticis, in quibus permittitur renouatio, & subdit hoc esse verum, & quotidianum, & concedi etiam Sequitur *Ruin. cons. 168. num. 27. vers. nec est etiam. nu. 24. lib. 1.*

5 Item potest allegare eum, qui in emphyteusim accipit fundos stariles, & paludosos sua cultura fertiles reddidisse, & consequenter non posse expelli, nec sibi pensiones augeri, *l. quicunque. la seconda, & ibi not. Bart. num. 4. & Ang. C. de omn. agr. deser. lib. 11. & l. cognouimus. §. primo, & ibi Bart. num. 2. C. de mancip. & colo. pater. eod. lib. Paul. de Castro. cons. 385. num. 1. lib. 2. & Curt. sen. consil. 43. num. 7. & 8.* quod locum habet etiam in prædijs Ecclesiarum quamuis sine iusta causa, & solennitate non possint alienari *cap. ad aures. cum gloss. de reb. Eccles. non alien. Ruin. cons. 127. num. 6. circa med. lib. 1. Berous consil. 83. num. 13. & seq. & num. 15. & cons. 89. num. 14. & 15. lib. 1. & in consulendo, & iudicando ab hac opinione non esse recedendum scribit idem Bero. cons. 98. num. 13. & seq. lib. 1.*

6 Non obstat communis Doct. sententia, quod Prælatus ad renouandam emphyteusim Eccles. non possit compelli, quando vult pro se retinere *Caput. dec. 303. & seq. part. 1.* quod nouissime coram me fuit etiam decisum in Rauennaten. Bonorum die 20. Nouembr. 1587. cuius copia exhibetur, quia fuit responsum, quod ibi non præsupponitur consuetudo immemorabilis renouandi. In proposito autem illa expresse præsupponitur quæ omnem tollit antiquitatem, vt ex prædictis apparet.

7 Neque obstat quod alienatio rei Ecclesiæ & consequenter emphyteusis perpetua sit prohibita, *cap. nulli. de reb. Eccles. non alien. §. nos igitur coniuncto, §. emphyteusim. in auth. de non alien. cum concord.* quia cum possit allegari priuilegium Romani Pontificis, huiusmodi alienatio sine dubio valet. Nam summus Pontifex in rebus Ecclesiarum liberam habet potestatem. *capit. cuncta per mundum. q. 9. prima. clem. pastoralis. in fin. de re iudic. Rom. cons. 298. nu. 2. Paul. de Castr. cons. 414. post princ. & consil. 436. num. 14. & 15. lib. 1. Socin. sen. cons. 164. nu. 14. lib. 2. & cons. 128. num. 2. lib. 7. Felin. in cap. quæ in Ecclesiarum, num. 6. de constit.*

8 Neque obstat quod consuetudo onerosa Ecclesiæ nullius sit momenti cap. 1. de his, quæ fiunt a maior. par. Cap. quia si est immemorabilis, vt præsupponit Priuilegium Apostolicum, & quilibet alius titulus potest allegari, vt dictum est.

9 Neque etiam refragatur aduersus ea, quæ sunt facultatis nunquam posse præscribi, *l. viam & ibi Bar. & alij. ff. de via publ.* quia illud procedit in his, quæ sunt meræ facultatis, & in solo principali consistunt, vt est super viam publicam, vt illa iura, & *Bar. loquitur,* quod autem quis teneatur ad renouandum ex solo principali non consistit, sed plerumq; ex pacto oritur, quod quidem parit actionem. *Ang. cons. 184. nu. 2. & 3.* & consuetudo est quoddam præceptum *Bal. cons. 118. num. 1. vers. & 1. ex regula lib.* Immo est fortior quam sit pactũ quia valet consuetudo in casu, in quo pactum valere non potest. *Dec. cons. 225. nu. 2. Crauet. cons. 4. nu. 13.* & ideo non est mirum si huiusmodi consuetudo renouandi emphyteusim possit præscribi, & facultati quæ competit per modum iuris potest etiam præscribi, vt explicat *Socin. iun. cons. 145. nu. 33. & seq. & nu. 40. & seq. lib. 1.* & cum tale pactum renouandi, & quodcunq; etiam priuilegium ex immemorabili consuetudine allegari possit, tollitur omnis dubitatio.

R.P.D.

R. P D. PEGNA.

Gerunden. Vini, Mercurij. 5. Maij 1599.

ARGVMENTVM.

Dominium an, & quando censeatur probatum ex præsumptionibus, & coniecturis, & de pluribus Dominij præsumptionibus non est spernenda decisio.

SVMMARIVM.

Dominium antiquissimum probatur indicijs, & coniecturis numero 2.

Dominium probatur exactu recognitioris in Dominum inter recognoscentem, & recognitum, nu.3.

Dominium probatur ex eo quod quis disponit de rebus, de quarum Dominio agitur, nu.4. & nu.6.

Custodes potius, seu administratores, quam domini præsumuntur illi, qui ad tempus deputati sunt. nu.5.

Dominium censetur probatum ex concessione facta ab aliquo Reo de quo agitur, num. 6. & num. 7. vbi declaratur hæc conclusio, & num.8.

Dominium probatur coniecturis, & præsumptionibus quando non agitur ad rei vendicationem, sed ad alium effectum, nu.6.

Dominium non dicitur habere is, qui sine alterius consensu disponere non potest de re, de cuius dominio agitur.

Papa non præsumitur conferendo aliquod beneficium voluisse præiudicare illi, ad quem de iure spectat collatio. numer.9.

Domininm non probatur per instrumenta donationis. Declara, vt num.10.

Identitas rerum quomodo probetur in antiquissimis, numero 11.

Clausula saluo iure directi dominij, quid importet, numero 12.

DECISIO XII.

1 CApitulum, & Canonici Ecclesiæ Gerunden. cum interuentu Episcopi, tanquam vnius de Capitulo, die 14. Aprilis 1586. præsupponentes Dominiũ bonorum, (quæ administrabantur à præpositis eiusdem Ecclesiæ, & de quorum fructibus, Prepositi quilibet in suo mense solent necessaria Canonicis, & Capitularibus, pro sua sustentatione ministrare) ad se pertinere, & instituerunt, quod Præpositi in futurum traderent vinum in specie, iuxta quandam mensuram antiquam, quæ hactenus conseruatur in dicta Ecclesia Gerunden. quemadmodum ijdem Præpositi tradebant antequam ad eodem Capitulo emanasset quædam alia ordinario, seu statutum, quo cauebatur, vt ijdem Prepositi de cetero traderent certam pecuniarum quantitatem, loco predicti vini, & quoniam predicti Præpositi huiusmodi statutum, anno 1586. factum impugnabant, negante Capitulo competere facultatem statuendi, super dictis fructibus dictorum bonorum, & causa introducta in Rota, & dubio generali proposito die prima Februarij, an Præpositi tenerentur tradere Episcopo, & Capitularibus, & alijs ministris Portiones Canonicales recipere solitas, & in specie vinorum iuxta ordinationẽ vltimo loco factam, & visum tunc fuit Dominis, dubium generale restringere ad aliud magis particulare, an constaret de Dominio Ecclesiæ Gerunden. respectu bonorum, de quibus agitur, & hac propositione, vtraq; parte informante, Rota censuit de Dominio Ecclesiæ constare ex his, quæ proponebantur per informantes pro Ecclesia Gerunden.

2 Primum consideratum fuit in haa facti specie, difficultatem versari circa dominium antiquissim um vltra 200. fere annos, ideoque ad illud probandum sufficere indicia, & coniecturas, *Bald. in l. indicia numer. 50. C. de rei vendic. Soc. consil. 205. num. 3. lib. 2. Dec consil. 146. num. 12. Paris consil. 104. num. 102. libr. primo, Rimin. iun. consil. 23. num. 279. lib. 1. Cassad. decision. 2. numer. 2. & 3. de probat. Verall. decision. 238. & decision. 275. libr. 2. in manuscript.*

3 In casu autem proposito, plura concurrere videbantur ad dicti Dominij ad probationem. Primum quia ex vetusto qnodam statuto ab Episcopo, & Canonicis edito, Anno 1302. de cuius fide Rota non dubitabat, constabat, Præpositos, iam tunc iuxta consuetudinem antiquam, & approbatam, solitos fuisse recipere administrationem temporalem à Capitulo, fideiussores de fideliter administrando dedisse, & promisisse, præstare onera imposita, & imponenda, plurimaque alia, quæ etiam tempore presenti facere, & præstare reperiebantur, ex quibus apparebat, Præpositos Capitulum tanquam Dominum recognouisse; ex actu enim recognitionis probatur dominium inter recognoscentem, & illum, cui sit recognitio, *Paulus de Castr. in l. si aliquam rem, vbi Rip num. 38. ff. de acqu. poss. Anchar. consil. 310. num. 2. Guido Pap. dec. 272. num. 2. Crau. consil. 22. n. 11.* & fuit in similibus causis decisum in causa Cæsaraugustana alimentorum, 5. Februarij 1573. coram R. P. D. meo Decano, & in causa Vicen. augmenti 14. Decembris 1587. coram Illustrissimo Card. Blanchetto tunc Rotæ Auditore.

4 Constabat præterea, Capitulum antiquissimis tẽporibus libere, & sine aliqua contradictione, solitum fuisse disponere de bonis, & fructibus Præpositurarũ dismembrando ab vna, & alteri applicando, augẽdo, etiam, & minuendo onera, prout temporis qualitas, & Canonicorum necessitas exigebat, ex quibus actibus augebatur etiam dominium, *gl. in l. quidam in suo verbo amoueri. vers. item nota argument. ff. de condit. iustitut. Bal. cons. 486. num. 4. & 5. libr. 1. Aret. consil. 15. num. 3. Crauet. consil. 293. nu. 1.*

5 Tertio Dominium Ecclesie magis confirmabat exclusio Dominorum Præpositorum, ex eo potissimum deducta, quod cum antiquitus Præpositi essent ministri temporales, ex quo deputabantur, ad certum tẽpus à ratione alienum, videbatur penes illos extitisse Dominium, cum ex temporali deputatione custodes potius, & administratores, quam Prælati, & Domini constituti censerentur, *Rom. cons. 310. num. 1. Alex. cons. 96. nu. 2. lib. 2.*

6 Præterea in hanc sententiam eo facilius venerunt DD. quia olim istæ Præpositurræ in Ecclesia Gerunden. non erant Tituli beneficiales, & Collatiui, sed simplices administrationes, quæ ad Episcopi, & Capituli arbitrium libere concedebantur, ex quo etiam arguebatur concedentium Dominium, *lege in re mãdata C. mandati lege* & præsertim in hac facti specie, in qua non agebatur de probatione Dominij, ad rei vendicationem, sed ad alium effectum, & consequenter probationes leuiores ex coniecturis, & presumptionibus collectæ sufficiebant, *Paul. de Castr. cons. 4. incipit in causa mota. nu. 1. vers. tamen quia domintum, lib. 2. Boer. dec. 42. nu. 8. Socin. cons. 112. nu. 23. libr. 3. Veral. dec. 280. nu. 4. par. 1.*

7 Neque predictis obstabant deducta per Informantes pro Præposito, & primo quod dispositiones per Capitulum facte de dictis præposituris, non processerunt indistincte, sed Præposituris tantum vacantibus, consequitur ex hoc, non posse argui ailquod Ecclesiæ Dominium. Quia respondebatur primo dictæ diminutiones, & detractiones, ideo vacantibus Preposituris, fuisse factas, quia durante tempore locationis propter correspectiuitatem, inter fructus, & teras assignatas, & onera Canonicis persoluenda, & alias conuentiones initas inter Canonicos concedentes

Præ-

Præposituras,& Præpositos easdem Præposituras accipientes in administrationem, tales mutationes, & innouationes fieri non poterant.

8 Secundo respondetur, Vacantibus Præposituris, fuisse factas à Capitulo prædictas diminutiones, & mutationes libere, nulloque constituto, à Præpositis defensore, aut exacta eorum consensu, quod fieri non potuisset, si Præpositi fuissent Domini, *cap. 1. cum ibi notat. ne sede vacante. cap. 1. vbi gl. & Canonistæ de reb. Eccl. non alienand. lib. 6.*

9 Præterea non obstabat, quod Præposituræ deinde fuissent factæ collatiuæ, & nunc in statu collationis reperirentur, quia respondebatur, quod licet titulus fuisset mutatus, non tamen censebatur mutatum Dominium bonorum, & in Præpositos translatum, cum non præsumatur, Papam, propter suas collationes, Dominio Capituli præiudicare voluisse, & collationes fuisse admissas cum suis honoribus, & oneribus, vt alias Rota responderat in causa Vien. augmenti. 14. Decembris 1587. coram Illustr. Cardinali Blanchetto, licet enim tituli transferrentur de vno, ad alium, Dominium tamen bonorum, quod nunquam vacauit, non fuit cum titulis in Præpositos translatum, *Corn. cons. 225. nu. 1. & seq. lib. 1.*

10 Rursus non obstabat, quod per Instrumenta donationis non probetur Dominium, nisi doceatur donatum fuisse Dominium, *Affl. dec. 40. n. 1.* Quia respondetur, id procedere in rei vendicatione non autem quando agitur de dominio ad alium effectum, prout in casu proposito, in quo non agebatur de auferendis bonis à Præpositis, sed de sustinendis oneribus eis impositis, vel imponendis iuxta antiquam consuetudinem, quo casu ad probandum Dominium leuiores probationes sufficiunt, *Afflict. dec. 23. nu. 4. & 5.* cum alijs supra allegatis.

11 Non obstat præterea, quod non probaretur identitas bonorum donatorum Ecclesiæ, cum bonis possessis à Præpositis. Quia respondebatur in istis antiquissimis, satis videri probatam identitatem, tum ex supradictis, tum ex eo quod adhuc Præposituræ retinent nomen illorum bonorum Ecclesiæ donatorum tum denique, quia non docebatur, alia bona ab illis diuersa à Præpositis possidere.

12 Similiter non obstabat, quod in quibusdam locationibus à Præpositis factis, diceretur, saluo Iure directi Dominij Præpositurarum. Quia respondetur primo, id non potuisse nocere absenti, & ignoranti. Secundo respondetur, similes assecurationes intelligendas de dominio directo Prepositurarum à Capitulo, olim institutarum, penes, quod erat, atque est directū dominium bonorum. Præpositi enim illa locarunt nō tamquam Domini, sed tamquam Prepositi, & administratores. Atque ex his fuit conclusum, constare de Dominio Ecclesiæ Gerunden.

13 An autem Capitulum potuerit reuocare statutum factum anno 1303. ex eo quod pretenderetur, factū in vim contractus, & stante consensu Prepositorum, Domini particulariter videre voluerunt.

R. P. D. LITTA.

Conchen. Archipresbyteratus 1. Maij 1599.

ARGVMENTVM.

Quando debet in causa restitutionis pronunciari vel potius moderari inhibitio.

SVMMARIVM.

In causa restitutionis in integrum de stylo Rotæ non pronunciatur, sed vel proceditur in negotio principali, vbi restitutioni locus sit, vel moderatur inhibitio emanata vigore d. restitutionis, vbi ei locus non sit. nu. 1.

Restitutio in integrum in beneficialibus semel denegata amplius non conceditur. nu. 1.

Defectus eius quod non erat faciendum attendi non debet. num. 2.

Inhibitionis moderatio in causa restitutionis in integrum habet vim definitiuæ & in eius probatione censentur reuocatæ omnes dilationes. nu. 2.

Restitutio in integrum debet terminari intra quadriennium. num. 2.

Sententia lata in vna parte reseruatis alijs in eodem iudicio partitis valida est. nu. 3.

DECISIO XIII.

1 VNanimiter resolutum fuit D. Amoragham vlterius audiri non debere, preterquam respectu Capitis Simonię, alias reseruati & circa illud remissoria eidem concessa fuit ea moti ratione, quia de stylo huius tribunalis est, vt in causa restitutionis in integrum, non pronuncietur, sed vel procedatur in negotio principali vbi restitutioni locus sit, vel moderetur inhibitio emanata vigore Commissionis dictę restitutionis, vbi ei locus non sit prout in casu factū fuisse constat reseruato *capite Simoniæ ad not. per addentes ad dec. Rot. 7. num. 4. de restit. in integr. in nou.* & semel denegata restitutio in beneficialibus amplius non conceditur etiam ex Instrumento de nouo reperto *Put. dec. 279. lib. 3.* qui proprie loquitur in terminis denegatę restitutionis in integrum mediante moderatione inhibitionis. *Peregr. dec. 37. libr. 2. Achil. dec. 8. de restit. in integrum.*

2 Nec subsistit nullitas apposita dictę moderationi defectu intimationis, quę videbatur necessaria secundum formam vltimi Decreti. Quia respondetur quod cum prius seruatis seruandis ipsi Amoraghę fuisset prefixus terminus ad docendum de causis restitutionis in integrum alias, & eo durante nihil deduxisset, propter quod venit restituendus, non debuit propterea eidem alius terminus præfigi, & ita per consequens defectus intimationis dicti secundi termini obesse non debet parti, tum quia non quod factum, sed quod fieri debuit attendi debet *l. sed licet. ff. de offic. Præsidis, & l. ius pluribus. ff. de iustit. & iure. cum alijs per Decian. consil. 62. num. 27. lib. 2.* tum etiam quia moderatio dictę inhibitionis vim diffinitiuę habet, in cuius prolatione ex stylo Rotę censentur reuocatę omnes dilationes, vltra quod, vt benę hic deducitur per Informantes pro Vadello elapsum est quadriennium, quod datur ad diffiniendam causam restitutionis in integrum. *Clem. vnic. de restit. in integr. Put. dec. 63. lib. 1. & 380. lib. 2.* & bonum ius Domini Amoreghę ex eo tantum pretenditur, quod de tempore prouisionis ordinarij non esset extincta lis inter Osorium, & Palumbares, quę prætensio cum falsissima conuincatur ex decisione in hac causa facta coram Illustrissimo Platto, cuius copia data fuit, ideo, &c.

Nec dictæ decisioni repugnat per me extensa sub die 19. Ianuarij anni preteriti, qua nituntur Informantes pro Amoragha, siquidem quia ista non loquitur de tempore prouisionis ordinarij, sed de tempore, quo Palumbares viuebat, vt bene ex lectura eiusdem colligitur, nec ad effectum, vt mortuo Palumbaro Ordinarius esset impeditus conferre prout vere impeditus non fuit ex deductis in dicta decisione Illustrissimi Platti, in qua etiam particulariter respondetur illi obiecto, quod cessio Alphonsi non valuerit, cum nō fuerit reciproca, quam responsio per maxime placuit Dominis.

3 Et ad illud, quod moderatio Inhibitionis non potuerit fieri, reseruato capite Simonię, cum vnicum sit iudicium, fuit responsum contrarium verius esse, sūt enim diuersę, & separatę gratię Amoraghę in actis

pro

productæ, vnde sicut potuit pronunciari super vna, & alia reseruari ista qualitas ita potuit moderari inhibitio respectu vnius, *Felin. post Cardin. in c. cum inter num.15. vers. & ad hanc fallentiam de re iudic.* qui dicit quod licet petatur vna, & eadem summa, si pro parte fuit pronunciatum, non obstar in alia exceptip rei iudicate, & quod pluribus deductis prætensionibus in vno iudicio possit prnnunciari super vna alijs reseruatis probat. *text. in d.l. de rebus. ff. de recept. arbitr. in l. si mater. §. si quis autem, ff. de except.* & vsu etiam comprobatur, ideo &c.

R. P. D. LITTA.

Romana Census de Aptis. Lunæ 17. Maij. 1599.

ARGVMENTVM.

Excussio, quando non sit necessaria contra principalem vt possit agi contra fideiussorem, & ex quibus dicatur excussio sufficienter facta.

SVMMARIVM.

Fideiussor non tenetur, nisi prius sit facta debita diligentia contra principalem debitorem. nu. 1.

Fallit, quando principalis debitor est absens a loco iudicij, & constat notorie eum non esse soluendo. num. 1. & num. 2. vbi quod non requiritur sententia declaratoria, quod principalis debitor non sit soluendo, vbi id est notorium.

Decoctus notorius dicitur notorie non soluendo nu. 2. Sententia declaratoria iudicis non requiritur in notorio quod committitur actu permanente, nu. 2.

Excussio sufficienter facta dicitur, vbi nuncius ad exequendum deputatus retulit se facta diligeutia in bonis debitoris nihil inuenisse, numer. 2. vbi quod ita seruatur de stylo coram A. C. in censuris, quæ dantur tantum in subsidium.

Excussio, quando esset difficilis, vel frustratoria extra territorium ius dicentis, debet fieri in loco contractus tantum, nu. 3.

DECISIO XIV.

1 Domini resoluerunt Dominum Alexandrum non teneri facere alias diligentias contra Venturinos quia licet Dominus Maluicinus iuxta tenorem suæ obligationis non teneatur, nisi facta prius debita diligentia contra Lenturinos principales creditores iuxta dispositionem Authenticæ præsente, Codice de fideiussor. attamen excussio principalis de iure non est tunc facienda, quando debitor est absens à loco iudicij, & constet notorie, eum non esse soluendo *gloss. in l. decem. ff. de verb. oblig. Capic. decis. 54. Veral. decisio. 233. num. 10. par. 2. de Commun. Corn. cons. 152. lib. 4. late Andr. Gail. practic. obseruat, libr. 2. obseruat. 27. Mynsing. obseruat. decimoquinto, contur. 2. & Gabriel. de fideiussor. concl. 1. num. 53.*

2 Nec hoc in casu videtur necessaria sententia Iudicis declarantis prius dictos Venturinos non esse soluendo ad effectum, vt contra Maluicinum agi possit ad tract. per *Gabr. vbi supra num. 50.* Qui stante publica cessatione rationis Bancharię in Vrbe, & quod se absentarunt, satis notoria dicitur eorum decoctio, & per cōsequens notorium etiam videtur eos non esse soluendo. *Aym. consil. 201. num. 45.* & in notorio, quod committitur actu permanente Iudicis, sententia, declaratoria non est necessaria. *Grammatic. decision. 105. numer. 16.*

Vltra quod de sufficienti excussione, tunc etiam constare videretur, vbi Nuncius ad exequendum deputatus per iudicem detulisset in acti, quod facta diligentia pro facienda dicta exequutione in bonis territorium, nihil inuenit, vt notat *Butrid. in authent. hoc ita si debitor, Cod. de pignor. Angel. Aret. in §. item si quis in fraudem. num. 13. & Iason. numer. 86. Institut. de action.* qui modus seruatur coram Auditore Cameræ in censuris, quæ non dantur, nisi in subsidium, vt in omnibus notum est.

3 Et ad illud, quod Venturini principales debitores possideant bona Pisis, cum quibus possit satisfieri Domino Alexandro fuit responsum hoc non probari pro parte Maluicini, prout probari deberet, cum sit fundamentum suæ intentionis, immo de contrario constare ex attestationibus datis pro parte Domini Alexandri, vltra quod cum contractus, cui accessit Maluicinus, & cuius vigore agitur, sit factus in Vrbe, & non Pisis ipsius contractus ad effectum, de quo agitur, spectari debet, & non alius, maxime quando difficilis redditur, vel alias frustratoria excussio ipsa extra territorium ius dicentis aliqua de causa, vel ratione, vt notat. *Bald. in l. sciendum, §. 1. ff. qui satisdare cogant. Cappel. Tholos. decis. 197. num. 3. Neguss. de pignor. 1. membr. 8. part. num. 4. & Gabr. vbi supra. num. 61.* prout in hoc casu sequi videtur, tum quia in Ciuitate Pisarum talis excussio fieri non solet, nisi prius obtento exequatur, vt in omnibus notum est, tum etiam quia pro parte Domini Alexandri tot exhibentur credita liquida hoc suo anteriora, pro quibus etiam contra prædictos relaxata fuerunt mandata exequutiua, quę ars orbent bona relictorum, etiam quod illa longę plura essent, quam prætendunt per ipsum Dominum Maluicinum, quo fit, vt non tantum difficilis, sed omnino frustratoria videatur, & consequenter non necessaria ex prædictis, & alijs hic latius per Informantes deductis, &c.

R. P. D. LITTA.

Burgen. de Velorado. Mercurij 9. Iunij 1599.

ARGVMENTVM.

Præsentatus si ex tenore fundationis debeat esse certæ ætatis, dicta ætas debet probari pro validitate illius. Item statutum Episcopi præter ius est validum, & statutum insertum in volumine statutorum præsumitur vsu receptum.

SVMMARIVM.

Præsentatus debet habere qualitatem requisitam ex tenore fundationis, num. 1.

Episcopus potest statuere præter ius, nu. 2.

Ætas probatur ex fide Baptismatis, nu. 2.

Qualitas requisita a statuto quæ de iure communi non est necessaria censetur requisita pro forma, nu. 3.

Actus non seruata forma factus nulius est, n um. 3.

Statutum insertum in volumine statutorum præsumitur vsu receptum, nu. 4.

DECISIO XV.

1 Domini tenuerunt sententiam Rotalem esse confirmandam ea ratione, quia Antonius de tempore, quo præsentatus, & admissus fuit ad dimidiam portionem, de qua agitur non erat ætatis requisitæ à statuto dictæ Ecclesiæ, prout erat *Orthega, ad notat. per Cassad. in consil. 69. per Bellon. consil. 56. num. 4. per Barbat. in consil. 33. num. 8. libr. 2.* notant quod si inspecto tenore fundationis iuris patronatus sit præsentandus sacerdos, non valeat præsentatio de illo facta non habente dictam qualitatem, quod etiam tenuit Rota in Valentina Iuris patronatus, 20. Martij 1586. coram Reuerendo Patre Domino meo

meo Iusto, & in alijs pluribus causis.

2 Nec in hoc casu dubitari potest de validitate dicti statuti, cum non disponat quid contra ius, sed præter ius, & Episcopus possit huiusmodi statuta facere *cap. fin. vbi gl. & DD. hoc notant, de constitut. Bald. in cap. cum dilectus, nu. 13. de consuetudin. Caldar cons. 5. nu. 2. de constitution.* sicut etiam dubitari non potest ex defectu ætatis ipsius Antonij cum de eo constet ex fide Baptismi, per quam probatur ætas, *Caputaq. dec. 314. par. 1. Mandos. ad regulam Cancellariæ.* 18. *q.* 10.

3 Nec refert, quod statutum loquatur per verba affirmatiua, nec procedat vlterius annullando, quia cum dictam qualitatem inter alias desideret statutum, quæ inter alios de iure communi necessaria non est pro acquirenda dimidia portione, vtique eam pro forma requirere videtur *Anchar. cons. 36. num. 1. Aymon. cons. 182. num. 10. Socin. iun. cons. 37. num. 6. lib. 2.* cum alijs hic allegatis per Informantes. Vnde merito illa non concurrente de tempore actus præsentationis, & admissionis Antonij, actus ipse defectu formæ sustineri non potest. *vulg. l. cum hi. §. præter. ff. de transact. cum alijs per Alex. cons. 137. num. 15. lib. 2.* Nec subsistit, quod deducitur pro parte Antonij circa non vsum dicti statuti, quia cum illud sit insertum in Volumine Statutorum dictæ Ecclesię, præsumitur vsu receptum *Gozzad. cons. 16. num. 16. Dec. cons. 534. num. 9. Crescen. dec. 39. Tan. dec. 25.* & tenuit Rota in Narnien. legati 16. Ianuarij 1572. coram Reuerendo Patre Domino meo Seraphino, & in Amerina successionis 24. Maij 1593. coram Reuerendo Patre Domino meo Pegna, & in pluribus alijs causis, quas non refero breuitatis causa. Quod tanto magis tenendum videtur, in hoc casu, cum in diuiduo constet hoc statutum per Rotam in alijs causis fuisse canonizatum, vt hic bene deducitur per Informantes pro Orchega, qui etiam omnibus alijs in contrarium deductis bene respondet. Ideo, &c.

R. P. D. L I T T A.

Perusina Fideicommissi de Fumaiolis. Lunæ 14. Iunij 1599.

A R G V M E N T V M.

Conditionalis dispositio ante conditionis euentum nō habetur in consideratione, nec potest adimpleri per æquipollens.

S V M M A R I V M.

Dispositio conditionalis non purificata conditione nihil ponit inesse. nu. 1.
Dispositio conditionalis non potest adimpleri per æquipollens num. 2.
Verba & non altrimente important formam præcisam. nu. 2.
Clausulæ non ampliant dispositionem principalem. nu. 3.
Accessorium non immutat naturam sui principalis. nu. 3.

D E C I S I O XVI.

1 Domini resoluerunt non constare de tali implemento Cæsaris, & Hieronymi, quod eis suffragetur, ea moti ratione, quia fideicommissum per Æmilium factum ad fauorem proximiorum cum conditione, quod tamen quod idem proximior faciat, & non aliter, est vniuersale, vt iam resolutum fuit, quo fit, vt pro implemento dictæ dispositionis conditionalis, quæ non purificata conditione nihil ponit in esse, *leg. eius qui in prouincia ff. si cert. petat. & leg. cedere diem. ff. de verb. signif.* requiratur simile fideicommissum vniuersale ad fauorem Ioan. Pauli, & non particularium bonorum, prout per prædictos factum fuit vt videre est ex declaratione, quæ datur in Summario Cæsaris. nu. 8.

2 Nec obstat, quod per relatio nem ad testamentum Æmilij, & per clausulas dictæ declarationis hic ponderatæ per Informantes pro Cæsare videatur satisfactum voluntati dicti Testatoris, quia dato quod dicta dispositio Testatoris possit adimpleri per æquipollens, quod admittendum non videtur, cum sit conditionalis. *Caputaq. dec. 150. num. 3. part. 1.* Maxime stantibus illis verbis subsequentibus, & non altrimente, quæ præcisam formam importare videntur. *leg. de his. vbi Bart. nu. 3. & hoc not. ff. de transact. l. cum hi. in princip. ff. eodem. cum alijs per Illustrissimum Manticam de coniect. vltim. volunt. lib. 11 tit. 8. num. 12.* ad medium dicti numeri, non tamen fuit hoc in casu aliquo pacto satisfactum voluntati Testatoris, cum suppositia omni parte dicte declarationis sit restricta ad bona particularia, vt ex ea videre, & non sit vniuersalis omnium bonorum, & iurium, prout fieri voluit Testator per ipsos proximiores cupientes Ioanni Paulo filio suo succedere per fideicommissum in casum, in quem decederet infra 25. annum sine filijs.

3 Nec clausulæ in dicta declaratione Cæsaris appositæ ampliare possunt dictam suppositionem, quæ est particularium bonorum, & facere, vt illa vniuersalis iudicetur ad *not. per Card. in Clem. 1. §. ad hoc. nu. 2. de Præben. per Dec. cons. 304. num. 7. & Ferrei. cons. 363. num. 13. lib. 2.* sed ita intelligendæ sunt, vt dicta suppositio bonorum particularium, in reliquis censeatur facta modo & forma præscripta ab Æmilio per regulam, quod accessorium non habet immutare naturam sui principalis, sed eam sequi, vltra quod per huiusmodi suppositionem non etiam fuit satisfactum voluntati Æmilij Testatoris in eo, quod non fuit facta mediante conuentione cum ipso Ioanne Paulo, prout Testator apertis verbis mandauit fieri, & forte non absq; maxima ratione, tum ne in ipsa suppositione aliqualiter deciperetur, tum etiam, vt ea mediante certus ex tunc effectus hæres suus de ipsa reciproca successione magis consuleret vitæ suę, & in summa fugiendo quæ alias incautæ iuuentuti intempestiuam mortem afferre solent. Nec obstant dum pro parte Cæsaris dicitur, quod Testator non potuit intelligere de fideicommisso vniuersali faciendo mediante conuentione cum ipso Ioanne Paulo, quia huic motiuo bene respondent Informantes pro Domina Francisca Sallutia, quas responsiones approbarunt Domini detestando nimiam Domini Cesaris astutiam, qui ab initio sciens tenorem testamenti Æmilij, & se teneri facere reciprocum fideicommissum ad fauorem Ioannis Pauli, vt eidem in casum expressum per Testatorem succedere intendebant, tacuit per decennium, & illud non fecit, sed tandem oblata sibi occasione, quod Ioannes Paulus profectus est ad bellum illico post discessum per quatuor, vel quinque dies fecit declarationem, de qua agitur, sine intimatione aliqua, & scientia dicti Ioannis Pauli, & ita calumniose, vt etiã sibi liceret eam quandocumque impugnare non succedente morte eiusdem, quam tamen ad bellum prese ferebat.

R. P. D. L I T T A.

Assisien. Canonicatus Veneris 25. Iunij. 1599.

A R G V M E N T V M.

Agitur de iustificatione narratorum in gratia, & an collatio facta ab Episcopo suspenso propter collationem beneficij in suis manibus resignati consanguineo factam sit valida, & quid stante ignorantia superioris vbi concurrit prouisus Apostolicus.

SVM-

SVMMARIVM.

Obitus de certo tempore probatur per testes qui funeri interfuerunt, num.1.
Clericatus probatur per literas Ordinarij nu.1.
Valor obtentatorum probatur per testes de publica voce, & fama, numer.1.
Instrumentum facit probationem probatam, num.2.
Consanguinitas probatur per testes de publica voce, & fama, numer.2.
Episcopus suspenditur eo ipso quod beneficium antea in suis manibus resignatum consanguineo suo confert, nu.3.
Collatio beneficij facta à suspenso est ipso iure nulla, numero 4.
Actor vbi suam fundauit intentionem debet & reus iustificare suam exceptionem, num.5.
Collatio beneficij facta ab Episcopo suspenso non sustinetur ratione communis erroris & ignorantiæ suspensionis stante concursu prouisi Apostolici.

DECISIO XVII.

1 REuerendo Patre Domino Gipsio bon. mem. proponente fuit resolutum gratiam esse iustificatam, eo quia obitus Francisci Cantuccij in Mense Septembris 1557. probatur ex confessione partis super articulo, & ex testibus de visu, qui funeri interfuerunt. *Cassad. decis.3. de probat.* Clericatus Fabij probatur manifeste instrumento publico Cancellarij ipsius Ordinarij, *ad text. in cap. cum olim. de verb. signific. & leg. fin. vbi gloss. 1. Cod. de rebus creditis*. Valor Canonicatus, & Præbendæ, nec non aliorum Beneficiorum scilicet Sancti Ioannis Petri Pelosi, & Sancti Matthiç de Camazo, quod non excedat summam ducatorum 24. sufficienter probatur ex testibus in Summario. nu.1. deponentibus de publica voce, & fama per verbum fuit, & est Ægid. decision.674. & fuit pluries tentum.

2 Quod Episcopus amiserit resignationem cuiusdam Beneficij factam in manibus suis à Modesto Aloysio, & illud statim contulerit Francisco Aloysio iustificatur mediante instrumento publico per eundem Episcopum subscripto, de quo in Regestro fol. 79. quod probationem probatam, & euidẽtem facit, vt inquit *Decian. consil.66. num.58. & seq. libr.3.* & de recognitione dicti instrumenti constat in Regestro fol.103. quod autem Modestus, & Franciscus essent, & sint fratres Germani, testificatur ex depositione testium, de quibus in Summario, numer.3. dum dicunt esse meram veritatem, subdentes hanc rationem, quia continuo habitarum Domum Paternam simul, nominabantur, & tractabantur vti tales à parentibus suis, & ab alijs, & pro talibus ab omnibus eranti, & reputat i, quodque de prædictis fuit, erat, & est vox publica, & fama *Dec. cons.595. nu.6. Natta. cons.473. nu.29.* cum alijs hic allegatis per Informantes.

3 Quod autem Episcopus sit suspensus, iustificatur ex Constitutione Pij V. 58. producta in actis, & registrata fol.53. dum in ea disponitur Episcopum esse suspensum eo ipso, quod admittit registrationem alicuius beneficij, & ex post illud confert cõsanguineis resignantis prout ex supra deductis hunc Episcopum fecisse constat.

4 Nec obstare dixerunt Domini, quod Episcopus nunquam fuerit declaratus suspensus per sententiam quia respectu nullitatis collationis Beneficiorum expressis verbis declaratur suspensus in dicta Constitutione ibi in vers. qui vero contrafecerint, &c. & collatio facta à suspenso, est ipso iure nulla, vt concludit *Vital. in Clem.1. §. si quis, nu.10. de statut. Monachorum*.

5 Et ad illud, quod suspensio non probatur saltem concludenter de tempore collationis, cum potuerit Episcopus medio tempore absolui, fuit responsum hanc prætensam absolutionem, super qua exceptio Franceschini fundatur, vt in facto consistentem non presumi, & propterea ab eo probandam esse per regulam, quod vbi actor, quæ suæ intentionis sunt probauit, tunc reus ipse habet necesse iustificare exceptiones, quibus contendit repellere actorem, de qua per *Ægid. dec.617. & per Put. dec.406. lib.2.*

6 Ad illud quod deductum est de l. Barbarius, fuit responsum, non posse locum sibi vendicare stante cõcursu Prouisi Apostolici, vt in terminis post *Lampium in alleg. 89. colum.6. tenent Ferret. cons. 9. num.1 part. prima, & Boer. decision. 150. numer.13.* ex quibus, & alijs latius per Informantes deductis, fuit, vt supra, resolutum.

R. P. D. LITTA.

Burben. Quindenniorum. Lunæ 28. Iunij. 1599.

ARGVMENTVM.

Scriptura informis ex obseruantia, & adminiculis de quibus in Summario plene probat.

SVMMARIVM.

Obseruantia dat robur scripturæ etiam informi, nu.1.
Insertum probat concurrentibus adminiculis, nu.1.
Scriptura subscripta à Notario cum ipsius signo, & extracta vigore com pulsorialinm parte citata plenam fidem facit, nu.2.
Scriptura extracta ex Registro Rotali alterius causæ legitime facto plene probat vigore Innocentianæ. nu.2.
Adminiculum pro fide Scripturæ potest desumi etiam ex scripturis minus legaliter extractis, nu.3.
Adminicula non sunt probationes de per se sed auxilia probationum, nu.3.
Adminiculum pro fide scripturæ præstant testes etiam nulliter examinati, nu.3.

DECISIO XVIII.

1 DOmini resoluerunt iura, super quibus fundata est decisio in hac causa facta sub die 8. Martij præsentis anni, esse in forma probanti, nam quo ad priuilegium Innocentij Octaui, seu Alexandri VI. super quo stat principale fundamentum decisionis, cessat omne dubium stante obseruantia centum annorum, & vltra, & de qua nunquam dubitauit Rota, quæ obseruantia etiam informi scripturæ dat robur, *Bald. consil.400. num.5. libr.4. Aymon. consil.104. & consil. 101. num.4. consil.158. numer.1. & consil.274. num.7. Felin. in capit. ad audientiam, numer.16. de præscript.* Et tenuit Rota in Caurien. Iurisdictionis 4. Nouembris 1593. coram Illustrissimo Blanchetto in Bracharen. de Iuncas 15. Iunij 1598. coram Reuerendo Patre Domino Lancellotto, & in alijs pluribus causis vltra quod insertum probat concurrentibus adminiculis, vt de inserto in processu fulminato fuit in specie dictum in causa Romana Cappellaniæ 12. Iunij 1589. coram Reuerendo Patre Domino meo Pamphilio. Adminicula autem plura non desunt hoc in casu, quæ in ipsa decisione reperiuntur. Ideo, &c.

2 Quantum vero ad sententiam latam de anno 1488. de eius fide dubitari non potest, cum appareat subscripta à Iudice, habeat signũ, & subscriptionem Notarij sit munita testibus, & fuerit extracta vigore compulsorialium parte citata, *ad decis. Mobed. 8. de fid. instr.* Respectu autem sententiæ Rotalis latæ de anno 1539. & & priuilegij pij V. & Gregorij XIII. cessare videtur omnis difficultas, ex eo quod extracta fuerũt ex regi-

stro alterius causæ Rotalis, seruatis seruandis facto quo casu vigore Innocentianę plene probat. *Caputaq. dec. 351. nu. 5. part. 2.* vt fuit tentum in causa Valentina Decimarum 27. Nouembris 1596. coram Reuerendo Patre Domino meo Pamphilio. Vltra quod fides dictorum Priuilegiorum iuuatur per maxime ex obseruantia eorum Dominis plus quam manifesta.

3 Et ad deducta contra Instrumenta arrendamentorum venditionum, & diuisionum ponderata in dicta decisione fuit responsum, prædicta omnia deducta fuisse pro adminiculo, quod etiam ex scripturis minus legaliter extractis desumi potest, vt fuit consideratum in vna Regien. Prioratus 16. Nouembr. 1594. coram R.P.D. meo Mellino, & facit, quia adminicula non sunt probationes de per se, sed auxilia probationum, vt inquit *Bal. in cap. cum causam. num. 10. de probat.* Vnde si testes nulliter examinati adminiculũ faciunt *Caputaq. dec. 206. nu. 6. & seq. par. 2.* à fortiori pro adminiculo bene deseruire possunt tot instrumenta, quantnmuis minus solenniter extracta, authenticato magis *C. de sacrosf. Eccl.* maxime tot concurrentibns, videlicet antiquitas temporis, magnus numerus eorum, subscriptio aliquorum cum appositione testium, quod reperiuntur descripta in libris Capituli, & Archiuo eiusdem conseruata, vltra quod de multũ verisimilia redduntur ex dictis priuilegiis, sententiis, & aliis in dicta decisione deductis, &c.

R. P. D. LITTA.

Pampilonen. Parochialis de Validano. Veneris 29. Octobris. 1599.

ARGVMENTVM.

Dominium domus iuxta casum decis. ex quibus probetur & plura alia explicantur de quibus in Summario.

SVMMARIVM.

Dominium probatur ex pacifica possessione iuncto instrumento acquisitionis. nu. 1.
Dominium vbi de eo incidenter agitur leuioribus probationibus probatur. nu. 1.
Venditio in qua pretium non est certum nulla est. nu. 2.
Negatiua debet probari per eum cuius fundamentum in negatiua consistit, siue agendo, siue excipiendo allegetur. nu. secundo.
Tertij ius allegari non potest, nisi ipso tertio volente nisi tamen sit exclusiuum iuris agentis ipso iure. nu. 2.

DECISIO XIX.

1 DVbitaui, an Ioannes Diaz Sanctius Gartia de S. Martino, & Martinus Gartia minor habebant qualitates requisitas in casum, & ad effectum, de quo agitur, & Domini quo ad primo loco nominatos non fuerunt concordes, quo vero ad Martinum Gartiam minorem tenuerunt, eum habere qualitates requisitas à Constitutione Synodali, nam quod sit Parochianus, non controuertitur, & minus quod domus, quam inhabitat, habeat qualitates requisitas, quæ sunt, quod sit habitabilis, habeat ignem, & ianuã ad viam, sed hoc vnum in dubium reuocatur. An scilicet domus prædicta sit ipsius Martini, & pro affirmatiua fuit conclusum, nam possessio pacifica ipsius Martini iuncto instrumento acquisitionis domus facta per eundem à Petro Galdiano cum clausula constituti &c. instrumento acquisitionis per prius facta per Dominum Galdianum à quodam Petro Martino de quibus in Summario. num. 3. & 4. & operatur: vt Dominus dictæ domus iudicari omnino debeat, maxime cum hic cadat hæc quæstio Dominij incidenter & ad alium finem, & effectum. *Paris. cons. 104. num. 84. & seq. lib. 1. & consil. 57. num. 44. lib. 4. Bene Bald. consil. 486. num. 5. lib. 1.*

2 Nec obstat prætensa nullitas dictæ venditionis ex eo, quod non fuerit declarata pretij quantitas, quæ ab arbitrio collata fuit ad *text. in l. fin. C. de contrahend. empt.* tum quia hæc negatiua, quæ est fundamentum intentionis Ioannis de Celaia non probatur prout probari deberet, & quidem concludenter, siue deducatur agendo, siue excipiendo, vt partim tenent *Doct. in l. in illa stipulatione. vbi Bart. num. 5. Iason. num. 14. & 15. Alex. num. 14. qui de communi testatur, & alij omnes. ff. de verb. oblig. Aym. cons. 117. num. 6. Beltran. cons. 116. num. 4. lib. 6.* tum etiam quia de contrario constare videtur ex depositione testium in Summario *Michaelis. num. 3.* quod est dare de iure Tertij, de quo non licet opponere, nisi Tertio ipso volente, cum non sit exclusiuũ ipso iure *Put. dec. 3. de except.* Ad illud autem, quod Petrus Martino primus venditor dederit votum in hac præsentatione, vti Dominus alterius domus. Vnde contra Ioannem de Celaia viget illud dictum non probat hoc esse, quod potest non esse.

R. P. D. LITTA.

Tiburtina Castri Sancti Poli 26. Nouembr. 1599.

ARGVMENTVM.

Testes de valore deponentes debent scire qualitates, onera, ac seruitutes rei tam in toto, quam in parte.

SVMMARIVM.

Testis deponens quod res ita communiter æstimabatur dicitur deponere de communi valore. nu. 1.
Valoris scientia maxime arguitur ex scientia qualitatum rei. num. 1.
Testis deponens de communi valore dicitur reddere sufficientem causam scientiæ, si dicat quia practicus. nu. 1.
Valor non probatur per testes qui nesciunt onera seruitutis ac qualitatis, quibus res est obnoxia. nu. 2.
Testis non informatus non probat valorem. nu. 3.
Testis non potest deponere de valore pretij rei, nisi sciat omnes qualitates totius rei. nu. 4.
Læsio vt probetur testes debent deponere habito respectu ad totam rem venditam, non autem ad partem tantum. nu. 5.

DECISIO XX.

1 DOmini pro maiori parte tenuerunt Lucam Mancinum non probare valorem cuiuslibet rubri tenutæ Macellinæ in casu, de quo agitur, nam licet super 15. deponat de valore scutor. 40. cuiuslibet rubri dictæ tenutæ exceptis Monteratijs, quos æstimat ad rationem scutorum sex, & subdatur, quod ita communiter vendita, & appretiata fuisset ab hominibus scientibus qualitatem dictæ tenutæ, & ita concludere videatur de communi valore, *iuxt. not. per Bart. in l. fin. in fin. C. de præd. nauicul. lib. 11. & in l. 2. nu. 12. C. de rescind. vend. cum per Gabr. de empt. & vend. concl. 1. num. 47.* Item narret qualitates aliquas dictę Tenutæ, videlicet quod sit fertilis, dotata aquis, lignis, arboribus fructiferis, & aliis, quæ plurimum conferre solent ad scientiam valoris ipsius rei immobilis *l. si quis. ibi rei qualitas & fructuum quantitas. C. de rescind. vend. l. si fundum. ff. de l. 1. cum alijs per Pinel. in d. l. 2. p. 3. c. 4. n. 28.* & tandem subdat, quia practicus dicta tenuta, quod sufficienter dicitur pro ratione testis deponentis de communi

ni valore, vt fuit dictum in vna Bononien. de Pipinis 8. Nouembris 1587. coram R. P. Dom. meo Seraphino.

2 Attamen quia iste testis iuxta additionale dicit, *Che gli huomini di Santo Plo hanno ragione di pascere certi numeri di porci, ma che non sia per questo numero di porci, ne per quanti denari per ogni porco*, & iuxta 27. dicit, *Che non sa che gli huomini di Santo Polo habbiano priuilegio, che le Terre di quella Tenuta non se diano à lauorare ad altri, che a loro*, & iuxta 34. dicit, *che non sa niente delli statuti Santo Polo, ne d'altra seruitù, ragione, ò Priuilegio*, quod etiam profitetur iuxta secundum dum ibi loquendo de hominibus dicti Castri, & de hac Tenuta dicit, *ma se habbiano ragione di far legna per vso loro, & per edificij lo sa esso testimonio, &c.* ex quibus, & alijs hic latius ponderatis per Informantes pro Excellent. Duce Aquæ Spartæ, cum clare colligatur ipse vere informat, tum non fuisse de omnibus oneribus, & seruitutibus, quibus grauata est hæc Tenuta. Ideo Domini resoluerūt vt supra hoc est, ipsum testem vere non probare prędictum valorem, & optima quidem ratione, quia scilicet iudicium hominis ad ignorata applicari non potest, & res immobilis tanti valoris ex abrupto ab homine æstimari non debet, sed considerata prius bona & mala qualitate illius, & an sit libera, vel obnoxia seruitutibus, & quibus ex prædictis augeatur, & minuatur valor dictæ rei. *Bart. in l. pretia rerum, §. 1. num. 2. ff. ad l. leg. Falcid. Couar. variar. resol. lib. 3. cap. 9. num. 5. Rip. in l. 1. §. si hæres, nu. 25. ff. ad Trebell. Cagnol. in dict. leg. num. 243.*

3 Nec dubitari potest, hoc in casu de existentia onerum, & seruitutum, quæ valorem dictæ Tenutæ minuere habent, & quas ipse testis ignorare fassus est, stantibus conclusionibus in hac causa coram bon. me. Bubalo firmatis, quod homines Sancti Poli habent ius ligandi in hac Tenuta tam pro eorum, vsu, quam pro fabricis, & aratricis, ius pascendi 250. Porcos, facultatem asportandi glandes, & arbores quassandi, &c. Præterea cum testis iuxta 21. interrogatorium, dicat, *non sapere la quantità delle rubia sterile della Marcellina, ne delle fertile, ne meno la quantita delle rubia della pedicata delli Montarozzi, ne sa quante rubia di terra importano li fossi della Tenuta della Marcellina, ne tampoco se ricorda, che da doi fossi impoi, ci siano altri fossi in tutta detta Tenuta, & che potria esser di si, & di nò, che ci fussero altri fossi &c.* Quæ omnia operantur, vt omnibus notū est, quod tenuta vna, imo rubrum vnumquodq; terre eiusdem tenutæ plus, & minus valere, iudicare debet. Ideoq; iure merito huic testi tanquam minima informato de prædictis, & præsertim tam animose deponenti de certo valore cuiuslibet Terræ dictæ Tenutæ, credi non debet. *Alex. cons. 54. nu 4. & 5. libr. 6. cum alijs per Crauett. consil. 430. num. 5.* & fuit tentum in illa Anconitana Terrarum 17. Martij 1579. coram nunc Illustrissimo Cardinali Platto in Romana Casalis Iuliani 19. Iunij 1595. coram me, & in alijs pluribus causis.

4 Nec placuit Dominis responsio huic motiuo data per Informantes pro Excellentiss. D. Duce Brachiani quod scilicet procedat, quando agitur de probando valore alicuius tenutę in genere, & sic ad corpus, secus vbi agitur de probatione valoris cuiuslibet rubij tenutæ prędictę Terræ, prout hoc in casu &c. tum quia eadem ratio viget respectu partis, quæ viget respectu totius, tum ex partib. conficiatur totum ipsum integrale, nec possit testis scire verum valorem cuiuslibet rubij terræ vnius Tenutæ, nisi sciat an Tenuta ipsa sit vniformis, vel non, & quæ, & quanta pars illius sit montuosa, minus fructifera, vel sterilis, & quæ & quanta pars eiusdem sit fructifera plana, & non sterilis, quibusue onerib. & seruitutibus sit grauata, ac plus, & minus fructifera, vel sterilis, & quæ, & quanta pars eiusdem Tenutæ, & sic vnum quodq; rubrum dictæ Terræ attenti sq; æque influunt in omni parte dictę Tenutæ æstimari debeat, & non aliter possit, vt dictum fuit in dictis causis, & tradit *Abb. in c. ad nostram, col. fin. de empt. & vendit. & in c. aliquib. in 2. notab. de decim.*

5 Tum etiam quia non Terræ fructiferæ, tantum dictæ Tenutæ sunt comprehensæ in venditione, circa quam prætenditur læsio, sed omnes simul, hoc est steriles, & fertiles cum Montanea, Castro Territorio, suisque oneribus, & seruitutibus vnico dumtaxat pretio venditæ fuerunt, quo fit, vt testes inducti ad probandā lesionē dicti contractus cōcludere debeātur de cōmuni valore respectu totius omnibus simul consideratis, prout venditio facta fuit, & nō respectu vnius duntaxat particulæ forte magis fructiferæ, imo nō habita aliqua ratione predictorū onerū seruitutū & patris frictiferę, ac sterilis dictę tenutæ, que omnia valorē etiam cuiuslibet rubri ipsiusmet tenute, & sic cuiusq; partis illius diminuere habēt, vt omnib. notū est, & probānt trad. per *Cagn. in d. l. 2. quæst. 40. num. 199.*

6 Imo cū testis ignoret etiam fines ipsius Tenutę, vt patet dū iux. octauū dicit se nescire vsq; ad quam partem Montis Ianuarij prætendatur Tenuta, & iuxta 66. dicat se nescire An locus de Valci monte *verso le Valli di San. Nicolo sia della tenuta della Marcellina, ò della Montagna della sponga, cioè come acqua pende, perche non sà, se la Tenuta della Marcellina da quella banda si stenda più di sopra, ò più in giù*, & possibile sit, quando infra fines ipsius Tenutæ pars aliqua ita sterilis, & infructuosa comprehendatur, que longe diminuat valorem cuiuslibet rubri, sed dictæ Tenutę ideo non mirum si Domini tenuerunt dicto illius standum nō esse circa valorem prædictum ex supradictis, & *arg. l. non hoc. C. unde cognat. & in c. in præsentia. de probat.* maxime cum sit vasallus ipsius Excellentiss. D. Virginij sit pauper conuincatur in multis de mendacio, videlicet in eo, quod dicit super 15. *Che le Terre di particolari in quel tempo furono uendute 24. 28. & 30. scudi come hà detto di sopra hauere inteso dire perche detti Terreni di particolari non erano in quel tempo cosi liberi, & franchi, come li Terreni del S.* Cum tamen verum non sit, Terras Domini liberas esse, vt supra dictum fuit firmatum fuisse coram Bubalo Item in verisimilia deponat, dum iuxta 58. inquit, quod redditus huius Tenutæ est 18. 15. vel 12. ad minus pro quolibet rubro, vel super 15. quid Tenuta prędicta per decem annos ante venditionem, & per 10. post, valor augeri soleat, & valde bona sint predia illa, que ad minos reddere solent 12. pro quolibet rubro, qualia tamen non esse bona saltem omnia huius Tenutæ iudicarunt Domini, tamen ex supradictis tum denique ex ipsamet visione loci, quæ omnia simul iuncta operari debent, vt dicto huius testis aliqua fides adhiberi non debeat.

R. P. D. LITTA.

Hispalen. Cantoriæ de Ossuna Ven. 3. Decemb. 1599.

ARGVMENTVM.

Statutum Ecclesiæ Ispalensis quod descendentes à pęnitentiatis non admitantur ad beneficia d. Ecclesiæ est nullum, tanquam conditum absque authoritate Capituli nec illi suffragatur confirmatio Apostolica & in omnem casum non comprehendit descendentes à penitentiatis per lineam maternam.

SVMMARIVM.

Capitulum non potest statuere in respicientibus statum Ecclesiæ absque authoritate Episcopi. nu. 1.

Statutum prohibens admitti descendentes à pænitentiatis ad beneficia intelligendum est de descendentibus per lineam masculinam, nu. 2.

Statutum debet intelligi vt minus corrigat ius commune, quam sit possibile. nu. 2.
Descendens à pænitentiato qui humiliter pænitentiam egit, non repellitur à dignitate Ecclesiastica. num. 2. vbi maxime si sit descendens per lineam maternam vltra primum gradum. ibid.
Pænitentiatus si perecta pæniteatia fuerit restitutus ad famam pro non pænitentiato haberi debet. nu. 2.
Confirmatio generalis statutorum non refertur ad statuta iniusta & illicita. nu. 3. vbi maxime si adsit clausula dummodo statuta sint licita, & honesta.

DECISIO XXI.

1 VAcauit in Ecclesia Collegiata de Offuna per obitum Doctoris del Toso Coadiutoria, ad quam Dux de Offuna Patronus præsentauit D. Ioannem de Luna Abbati, & Capitulo dictæ Ecclesiæ, ad quod institutio pertinet, recusauit Capitulum instituere D. Ioannem sub prætextu, quod descendat à Francisco Simenez de Pronilla, eius Auo materno pœnitentiato per Sanctum Officium Inquisitionis propter quandã blasphemiam, & quod in dicta Ecclesia extat statutum, quo cauetur, quod qui sit admittendus ad Beneficia dictæ Ecclesiæ non sit pœnitentiatus per Sanctum Officium Inquisitionis, nec minus descendens ex pœnitentiatis, & prout latius cauetur in dicto statuto, ad quod &c. & vlterius declarauit ipsum non esse instituendum à quadam declaratione appellauit Ioannes, & causam appellationis obtinuit committi in Rota. Vnde cum tota difficultas pendeat à dicto statuto, bonum esse censui dubitare, An statutum Ecclesiæ de Offuna obstet D. Ioanni in casu, & ad effectum, de quo agitur, quod in Rota propositum Domini resoluerunt ad fauorem informantis, scilicet statutum prædictum D. Ioanni non obstare, tum quia dictum statutum est nullum defectu potestatis eorum, qui illud fecerunt. Nam cum respiciat statum Eccesiæ, non potuit fieri, prout factum fuit à Capitularibus sine interuentu, & auctoritate Archiepiscopi *iuxt. gl. communiter recept. in verb. in cap. 2. de verb. signif. in 6. Innoc. in cap. cum omnes, num. 1. vbi Abb. cum. 4. Ant. de Butr. nu. 45. Felin. nu. 9. Berou. num. 36. & 46. de constit. Abb. in cap. cum consuetudinis. nu. 4. de consuetud. Calder. cons. 2. de constit. Oldrad. cons. 131. Ferret. cons. 186. de commun. Capi. concl. 1.* quam opinionem sequuta est Rota in illa Illerden. statuti 3. Decembris 1593. coram Reuerendo Patre Domino meo Corduba, & in alijs pluribus causis.

2 Tum etiam quia etiam data validitate dicti statuti est intelligendum de descendentibus per lineam masculinam, & non descendentibus per linea femininã prout hoc in casu ad *text. in cap. vbicunque. Vbi Glos. in verbo masculinum de pœn. in 6.* cum alijs hic deductis per Informantes, vt sic minus corrigat dispositionem Iuris communis, quam sit possibile. ad *tex. in l. si serui vestri. C. de noxal. & in l. quæ contra. ff. de legibus. ita Glos. in cap. cum dilectus. de consuetud. late Andr. Gaii pract. obseruat. lib. 2. obseruat. 33. in 6. vers. sicut alias regulariter &c.* De iure enim communi descendentes à Pœnitentiato, qui humiliter pœnitentiam egit, non repelluntur à Dignitatibus Ecclesiæ *cap. eam te. vbi Doct.* hoc passim notant. de rescript. maxime descendentes per lineam maternam vltra primum gradum existentes. *cap. statutum il secundo. de Hæret. in 6.* Imo cum Franciscus. Siminel auus maternus Ioannis fuerit per acta penitentiæ restitutus ad famam, vt deponunt Testes in Summario dato, pro non pœnitentiato haberi debet quo ad omnis iuris effectum *l. 1. in fin. vbi Doct. passim hoc notant. C. de sent. pass.*

3 Nec sustineri potest prædictum statutum, ex prætextu, quod omnia statuta dictæ Ecclesiæ sint auctoritate Apostolica confirmata, quia confirmatio non est specialis huius statuti, sed generalis omnium statutorum, quo fit, vt dicta confirmatio etiam si facta esset ex certa scientia non sit referẽda ad statuta iniusta, & illicita. *Alex. cons. 59. num. 14. & seq. lib. 1. Roland. cons. 29. num. 32. lib. 1.* maxime cum in dicta confirmatione adsit clausula illa, dummodo statuta licita, & honesta sint, nec sacris Canonibus contraria, qua stante nihil prorsus operari potest prædicta confirmatio statuti, de quo agitur, quod dictum est in multis dispositionibus sacrorum Canonum, & iuris ciuilis aduersatur. Ita *Dec. consil. 451. num. 22. in fin. versic. postremo. & num. sequent. Alex. cons. 1. num. 3. vers. præterea confirmatio, lib. 5,* cum alijs hic per Informantes allegatis.

R. P. D. LITTA.

Vlisbonen. Iuris conferendi. Veneris 14. Ianuar. 1600.

ARGVMENTVM.

Citatio ad videndum auscultari, & collationari requiritur in compulsatione iurium quando procurator est præsens in loco vbi fit compulsatio, alias sufficit citatio per contradictas.

SVMMARIVM.

Compulsatio iurium vt sit valida requiritur citatio ad videndum auscultari, & collationari iura, quæ compulsantur, dummodo in loco compulsationis adsit procurator partis. nu. 1.
Fallit vbi mandatum procuratoris est insufficiens, quia tunc sufficit citatio per contradictas. nu. 3.
Appellationi renunciasse censetur, qui post appellationem coram eodem iudice comparuit. nu. 2.
Notarij assertioni extra ea, de quibus fuit rogatus, non est standum. nu. 3.

DECISIO XXII.

1 FVit resolutum pro nullitate processus compulsorialis, & inter plures nullitates, quæ afferebantur per Informantes pro Archiepiscopo, illa per maxime placuit Dominis, quod cum adessent Procuratores Archiepiscopi in loco, in quo fiebat compulsatio, debebat citari ad videndum auscultari, collationari iura, quæ compulsabantur cum originalibus. *Bart. in auth. si quis in aliquo nu. 10. C. de eden. Rimin. cons. 405. nu. 80. lib. 3.* & fuit pluries tentum in hoc Tribunali, & signanter in illa Vicentina feudi 24. Iunij 1574. coram Sanctissimo Domino Nostro, & in illa Burgen. de Caranza 27. Octobris 1589. coram bon. mem. Bubalo, & in Syracusana quartæ 29. Maij 1529. coram bo. mem. Gipsio, quod minime factum fuisse hoc in casu constat ex reuolutione processus.

2 Nec saluari potest dicta nullitas sub eo prætextu, quod dicti Procuratores appellauerunt à quodam decreto iudicis compulsoris, sicq; recesserãt à limine iudicij, quia cum post dictam appellationem corã eodẽ iudice comparuerint, censetur eo ipso renunciasse dictæ appellationi, quod etiam tacite facere potuerunt. *Gl. in cap. eum qui. ibi in verb. renunciet. de dol. & contum. lib. 6.* cum alijs hic per Informantes allegatis.

3 Minus eo prætextu saluari potest, quod mandatum prædictorum esset insufficiens, & quod propterea potuerat procedi per contradictas quia de citationibus factis pro prædictis auscultatione, & collatione per contradictas non constat aliter, quam ex simplici assertione Notarij, qui dictas scripturas compulsauit, cui standum non est, ad *tex. in §. nos autem. in auth. de Tabellion. Innoc. cap. 1. nu. 5. de fid. Instrum.* & tenuit Rota in illa Toletana Parochialis de Alchaudete 10. Maij. 1596 coram nunc Illustrissimo Arigonio.

R. P. D.

R. P. D. LITTA.

Abulen. Pensionis. Veneris 28. Ianuarij 1600.

ARGVMENTVM.

Literę reseruationis pensionis an sint iustificandę vbi agitur contra eum, qui reseruationi consensit, eiusque fideiussores. Item quando Titularis teneatur soluere pensionem, etiam post resignatum beneficium & an falsa demonstratio beneficij vitiet reseruationem, vbi alias de corpore, & veritate constat.

SVMMARIVM.

Pensionis reseruatio vbi est pura, si Titularis qui reseruationi consensit det de nullitate, illius onus probandi nullitatē incumbit Titulari, & non pensionario, num. 1.

Literę pensionis non sunt iustificandæ, quando agitur contra eum, qui reseruationi consensit illiusque fideiussores, numer. 1.

Pensio debet solui per Titularem, eiusque fideiussores etiam post beneficium resignationem quando in reseruatione cui ipse titulari consensit, adest clausula quod titularis non possit beneficia resignare, nisi prouisus similem obligationem fecerit alias &c. num. 2. & numer. 3. vbi quod in hoc casu non applicantur quæ dicuntur de clausula, vel non habita, ibidem.

Demonstratio falsa beneficij non vitiat reseruationem pensionis, vbi constat de veritate, & corpore num. 3.

DECISIO XXIII.

Domini tenuerunt pensionem, de qua agitur per Martinum, qui dictæ reseruationi consensit, & per illius fideiussores deberi. Nec hoc in casu teneri Pensionarium litteras suæ reseruationis, quæ conditionem aliquam non continent iustificare, stante quod agitur inter ipsum Pensionarium, & eum, qui dictæ reseruationi consensit, illiusque fideiussores, Guidob. decision. 245. & fuit alias tentum in Salamantina Pensionis 26. Martij 1593. coram bon. memor. Gipsio, & per prius in vna Valentina pensionis 17. Iunij 1585. coram bon. mem. Oriolen. in quibus decisionibus cauetur, quod vbi reseruatio pensionis est pura, & titularis, qui dictę reseruationi consensit, dat de nullitate predictę reseruationis, eidem incumbit onus probandi nullitatem, & inualiditatem dictę reseruationis, & non Pensionario, & iste est propriē casus, de quo agitur.

2 Nec obstare dixerunt Domini, quod Martinus Beneficia, super quibus reseruata fuit Pēsio, de qua agitur, reseruauerit ad fauorem Ludouici, qui hodie existit in possessione eorum, quia cum in gratia dictę reseruationis cui Martinus cōsensit adsit clausula, quod titularis ipse non possit cedere aut resignare dicta beneficia nisi prouisus similem obligationem fecerit, & dederit fideiussores, & alias &c. & ipse titularis, & fideiussores obligati remaneant, sequitur quod dicta resignatio per Martinum aliter facta, pro non facta haberi debeat ad fauorem ipsius Thomę Pensionarij, vt sic non minus possit pro consequenda dicta pensione dictum Martinum, & illius fideiussores conuenire, prout antea poterat.

3 Nec placuit Dominis, quod clausula predicta debeat intelligi, prout intelligitur clausula habita, vel non habita &c. cum eadem ratio non sit, sed prorsus diuersa, nam diligentię sufficerent in terminis clausula habita, vel non habita, &c, ad excludendum titularem, & illius fideiussores ab vlteriori solutione pēsionis, eo quia non est in potestate titularis consequi pensionem Beneficij, super quo reseruata fuit dicta pensio. In terminis autem istius clausulę non debent sufficere diligentię per resignantem, vel illius fideiussores factę contra resignatarium, vt Pensionarius dictam pensionem soluat, cum fuerit in illius libera facultate. Beneficia dicta pensione grauata, non resignare, nisi prius cautelato ipso Pensionario iuxta formam ei prescriptam, quam reseruare neglexerit, imputat idcirco sibi damnum inde prouenien s.

4 Ad illud autem quod constet de nullitate dictę reseruationis ex eo quod attento tenore supplicationis appareat reseruata super quatuor beneficijs, seu prestimonijs, & tria tamen sint, cum Sancti Leonardi, & Pancalliente non duo, sed vnum tantum sit Beneficium, seu prestimonium, fuit responsum per errorem fuisse omissum exprimi Beneficium de Necites, & loco illius fuisse dictum Pancalliente, quod patet, tum ex eo, quod in commissione causę coram Reuerendo Patre Domino Pamphilio quatuor exprimuntur, tū etiam quia eadem expressio fit in cedula Bancharia ad Instantiam Martini cōfecta, & per ipsummet Martinum acceptata, & pensionario in consignata, & tandem quia dicta quatuor beneficia, seu Præstimonia exprimuntur per eundem Martinum in actu resignationis, quam fecit ad fauorem Ludouici per Salamanca, vt in summario iurium, *sub num. 5. 6. & 7.* constat, quo fit, vt dicta falsa demūstratio, seu expressio illius verbi Pancalliente per errorem scriptoris supplicationis factæ constito de veritate, & corpore, quod alias exprimi per eum, vitiare minime debebat gratiam dictæ reseruationis *ad trad. per Abb. in c. significante, n. 5. de rescript. Rot. dec. 4. eodem tit. in antiq. Cassad. 11. nu. 3. de præben.* & potuit in simili fuit tentum in vna Oriolen. Beneficiorum 21. Maij 1593. coram Reuerendo Patre Domino meo Seraphino.

R. P. D. LITTA.

Meten. Monasterij, Lunæ 21. Februarij 1600.

ARGVMENTVM.

Narrata debent per impetrantem verificari maxime si ex his Papa facilius fuit motus ad concedendam gratiam. Et an narratiua per verba, vt accepimus, in gratia motu proprio sit narratiua Papæ, vel partis.

SVMMARIVM.

Narrata sunt semper per impetrantem iustificanda, n. 1.

Verba, vt accepimus apposita in gratia concessa motu proprio important narratiuam partis, non autem Papæ nu. 2.

Gratia non tenet non verificatis omnibus, ex quibus Papa potuit facilius moueri ad illam concedendam, nu. 3.

Reus non tenetur docere de suo titulo quousque potest excludere actorem per non ius suum, num. 4.

DECISIO XXIV.

1 Cum in hac causa fuisset resolutum naratiuam gratiæ Barbare non esse iustificatam, & signanter in eo, quod de tempore datæ Maria non attingeret vigesimum primum annnm, & solum fuisse reseruatum videre, an talis iustificatio necessaria foret. Hinc Domini, vtraque parte informante, super dicta reseruatione affirmatiuam sententiam amplexi sunt ea ratione, quia trita est regula, quod narrata semper sunt impetrantem iustificanda. *Ioann. Andr. in capite primo, numer. 3. versicul. in beneficialibus post medium, vbi Gemin. notab. 3. circa med. vers. in literis vero beneficialibus, & Franchus, num. 17. de lit. contestat. lib. 6. Innoc. in cap. super*

literis, num.19. versic. in beneficialibus, de rescript. Abb.in in cap. quia circa. num. 3. de consanguin. & affin. Ægid. decis.40. & 303. Paris.consil.49. numer. 30. & 31. libr. 4. & in terminis malæ expressionis ętatis, *Mohed. decision. fin. de rescript.* nec non & narratiuæ gratiæ concessæ certo modo, prout est ista, de qua agitur. *Put. decis. 300. libr.1.*

2 Nec Barbara releuatur à iustificatione dictæ narratiuæ sub prætextu, quod illa verba) sicut accepimus) operentur, vt narratiua prædicta, Papæ narratiua iudicari debeat, & non propria, quia quod partis & non Papę narratiuam importent dicta verba apposita in gratia motu proprio concessa, qualis non est gratia Barbaræ, & in his terminis procędunt, & loquuntur *decis. Put.101. lib.3. Achil. vinc.* de motu proprio, & aliorum hi callegatorum per Informantes pro Barbara. Nec pōderatius illius verbi, vt asseritur, quicquam facit, cum non referatur ad dictam narratiuam ætatis, sed ad prouisionem Mariæ, vt bene deducitur hic per Informantes pro Catharina.

3 Nec eandem Barbaram iuuat, quod gratia Mariæ etiam quod attingeret vigesimum primum annum sit nulla, quia negari non potest, quin Papa facilius fuerit motus ad concedendam hanc gratiā, sic certo modo impetrata per Barbaram propter expressionem per eam factam, quod Mariam non attingeret vigesimum primum annū, quam si idem fuisset expressum dictā ætatem attingere, stante quod hoc casu Maria, contra quam fiebat impetratio erat magis proximæ ætatis requisitæ. *Caputaq.dec.74.p.1.* & vbi Papa ex narratis facilius potuit moueri ad concedendum gratiā, non tenet concessio, nisi illis omnibus verificatis. *Faber.dec.17. Put.dec.353. lib.3.*

4 Vltra quod velle præsupponere, quod gratia Mariæ etiam quod attigerit vigesimum primum annum sit nulla, pro sustentatione gratiæ Barbaræ continentis dictam falsam expressionem est diuinare, cum possibile sit, quod ipsa habeat gratiam perinde valere per aliam, per quam de medio tollatur defectus ætatis prædictæ, quam gratiam ipsa Maria, seu Catharina habens causam ab ea, vt rea conuenta, & quę reperitur in possessione, exhibere non tenetur, donec potest obtinere per non ius Barbarę actricis, vt pluries fuit tentum.

R. P D. PEGNA.

Gerunden. Vini. Veneris 3. Martij 1600.

ARGVMENTVM.

Beneficium Ecclesiasticum quando dicatur perpetuum & de probatione dominij plura notanda, de quibus in Summario.

SVMMARIVM.

Dominium antiquum non tollitur ex collatione in titulum, numer.2.

Præsens, & tacens collationi beneficij censetur renunciare iuri, quod habet in dicto beneficio. Declara, vt nu. 3.

Beneficium ecclesiasticum perpetuum pręsumitur, si ex antiqua consuetudine ab immemorabili tempore vacare solet, & conferri, nu.4. declara, vt num.5.

Vacare verbum intelligitur secundum subiectam materiam, numero 5.

Beneficium Ecclesiasticum perpetuum non dicitur nisi constet, quod in perpetuum conferri debeat.

Clausula saluo iure dominij directi nihil tribuit, sed solum præseruat. nu.8. & seq.

DECISIO XXV.

1 PRætendebant Præpositi Ecclesiæ Gerunden. recedendum esse à decisione, contra ipsos facta, die 15. Maij 1599. in qua Rota consueuerat constare de Dominio Ecclesiæ respectu bonorum assignatorum Præposituris. Vnde causa proposita super ijdem, Domini vno consensu in decisis premanendum responderunt ex rationibus, quibus prædicta decisio nitebatur, & propterea in hac propositione potissima cura fuit satisfacere quibusdam magis præcipuis, quæ contra decisionem opponebantur.

2 Ad primum ergo argumentum desumptum ex pluribus prouisionibus istarum Præpositurarum factis in Titulum beneficij, quib. Informantes pro Prępositis inferre conabantur, Dominium Præpositurarum propter dictas prouisiones, & collationes fuisse in Præposituras, & Præpositos translatum respondebatur, ex collatione in titulum non tolli antiquū dominiū, *Corn.cons.225.n.2. circa fin. vers. non enim aufertur. libr. 1.* & tenuit Rota in simili causa Vicen. augumenti. 14. Decembr.1587. coram Illustrissimo Blanchetto tunc Rotæ Auditore, & consequenter collatio Capituli in titulum non mutauit antiquam obligationem.

3 Et propterea non obstat, *cons. Paris.76. num. 14. lib.4.* dicentis præsentem, & tacentem ex collatione videre renunciare iuri suo, quia Paris loquitur de iure respectu tituli, hic autem erat sermo de iure respectu bonorum, notum est autem inter vtrumq; ius latum esse discrimen, cum ius respectu tituli, non potuerit esse penes plures, Ius verò respectu bonorum, potuit esse penes Capitulum tamquam Dominum, & respectu tituli penes Præpositos.

4 Ad alteram oppositionem desumptam ex eo, quod ab immemorabili tempore, istæ propositiuæ erant beneficia Ecclesiastica perpetua, & non temporalia, quod persuaderi videbatur ex ipso antiquo statuto anni 1302. in quo continebatur ex antiqua consuetudine, ab immemorabili tempore, istas Pręposituras vacare, quod erat signum Ecclesiastici perpetui beneficij, ex doctrina Bonifacij de Vitalinis in Clement. *vnic. de suppl. neg. Prælatorum. nu.9. in 1. q.* quib. accedebat quod anno 1254. ab Episcopo fuerant relicta legata duabus Pręposituris, quę fieri sic non potuissent, nisi iam trini fuissent beneficia erecta.

5 Respondebatur inde non inferri dominium earum ab Ecclesia seu Capitulo, fuisse abdicatum, præsertim cum verbum vacare aptum sit comprehendere quamcunque vacationem, & secundum subiectam materiam intelligi debeat, nam, & administratio etiam finito tēpore administrationis, vel mortuo administratore, vacare dicitur in casu proposito, ex verbis eiusdem statuti constabat verbum vacandi accipiendum, iuxta materiam, de qua ibi agebatur, videlicet quod Episcopus, & Capitulum possent imponere, seu addere augmentum, seu aliquod onus conuertendum in augmentum Canonicę portionis, vel in vtilitatem Ecclesię subtrahendo, & diminuendo, de vna, & transferendo in aliam.

6 Præposituris tamen vacantib. ex quibus verbis non poterat inferi, Pręposituras fuisse beneficia Ecclesiastica, perpetua sed potius administrationes, aliter enim nō potuisset Episcopus, & Capitulū tam libere de illis disponere, cum de essentia Ecclesiastici beneficij sit, quod in perpetuum conferatur, *Abb.consil.47. vers. item quia perpetuum, lib.2. Bellam. in c. super n.17. vers. hoc enim est proprium de renunciat. Anchar. in c. beneficium. n.4. vers. item quia. de reg. iur. lib.6. Fel. in c. in nostra. n.9. ver. ite quod detur, de rescript. Sil. tract. de beneficijs par. 1. num. 5. versic. item quia.*

7 Quod vero ad imponendum ista onera, tempus vacationis expectaretur, id fiebat, vel propter conuenien-

uentiones initas cum Præpositis ab initio constitutis administratoribus, quibus durante administratione, non poterat nouum onus addi, vel propter alias causas Episcopo, & Capitulo Præpositurarum Dominis beneuisas.

8 Ad Tertiam oppositionem desumptam ex eo, quod Præpositi ex antiquissima possessione, 100. & 200. annorum, potuerunt præscribere quodcunque Dominium directum, vel ytile, ad quod probandum Informantes pro Propositis recensebant vltra 10. instrumenta, etiam de nouo producta, ex quibus apparebat, bona Præpositurarum fuisse in Emphyteusim concessa cum his enunciatiuis, videlicet, quod bona pertinebant ad illas, tam iure directi, quam vtilis dominij, ad quod concedebatur, saluo directo Dominio Præpositura, respondebatur primo, Clausulam (saluo iure, & Dominio directo Præpositura) nihil tribuere, sed potius præseruare, *Cassad.decis.2.num.2.de reseru.* vbi id generaliter tradit de clausulis præseruatiuis, & rusus dicebatur, præfata verba adiecta potius fuisse causa declarationis, ad ostendendum, quod illa bona in diuisione fuerant assignata Præpositura. Dominium autem semper remanebat penes Ecclesiam.

9 Postremo animaduertebatur, difficultatem cessare potuisse ex antiqua Præpositurarum aliquarum Ecclesiarum, coronæ Aragonum, cui ista similis videbatur institutione, & ordinatione, olim enim Episcopus, & Capitulum, vt liberius Diuino cultui vacarent, omnia Ecclesiæ bona in duodecim administrationes diuiserant, & singulæ administrationes fuerant singulis administratoribus concessæ, vt quilibet Administrator in suo mense de redditibus suæ administrationis necessaria Episcopo, & ceteris personis Ecclesiæ seruientibus administraret, has administrationes decursu temporis Præposituras, & Administratores Præpositos appellarunt, cuilibet vero Administratori, seu Præpositura particularia bona fuerunt assignata, videlicet prædia Domus census, & similia, Vnde scilicet quilibet administrator, seu Præpositus ad præfatum effectum alendi personas Ecclesiæ in suo mense, redditus esset exacturus. Vnde in concessionibus emphyteuticis, quæ fiebant de bonis cuiuslibet Præpositura, vere dicebantur bona quo ad vtrumque Dominium ad Præposituras pertinere, & de directo dominio earum fuisse, inde tamen non inferebatur, dominium fuisse ab Ecclesia, cuius erant bona Præposituris assignata abdicatum, cum semper penes eandem Ecclesiam integrum permansisset, & permaneat.

10 Ad quartam oppositionem directam contra decisionem, in qua fuerat dictum, quod istæ præpositure à Capitulo fuerant date in administrationem temporalem, & fideiussores, de fideliter administrando, fuisse receptos ex prædicto statuto facto anno. 1302. cuius contrarium Informantes pro Præpositis ostendere nitebantur, ex eo quod in prædicto statuto, nihil tale continebatur. Quinimo ex supradictis obiectionibus apparebat, concessiones Præpositurarum fuisse perpetuas: respondebatur, quod licet verbis expressis id non diceretur in statuto, re tamen ipsa dicebatur, cum ex pluribus actibus constaret, Præpositos non fuisse Dominos, nec probaretur, eos perpetuo solitos fuisse recipere administrationes. Quinimmo contrarium videbatur veritas ex eo, quod Præpositi vigore statuti, quilibet primo die Mensis post festa Paschalia tenebantur suam Præposituram firmare, & nullus poterat ad firmandam suam Præposituram admitti, nisi suo seruitio satisfecisset. Item ordinabatur, quod si quisquam Præpositus vellet suam Præposituram firmare, illam vacare censeretur, ex quibus omnibus temporalis potius, quam perpetua administratio arguebatur.

11 Ad quintam oppositionem directam etiam contra aterum decisionis fundamentum, quo fuerat dictum, alapitulum antiquissimis temporibus libere, & sine conditione disposuisse de bonis Præpositurarum, cuius contrarium ostendere nitebantur Informantes pro Præpositis, ex multis statutis in facto relatis, factis anno 1371. Vbi fuit reuocatum statutum factum ab Episcopo, & Capitulo super pane, de fluxello, pistocibus dando. Iterum anno 1359. fuit reuocatum aliud statutum factum contra Prepositum 1. Nouembris super additamento illi facto. Item anno 1313. statutum factum super traditione pecuniarum loco Vini, anno 1317. ad quinquennium, contradicentibus Præpositis, Episcopus, & Capitulum mutauerunt, vt esset perpetuum de consensu Præpositorum. Item Episcopus, & Capitulum acceptarunt gratiam illis factam specialiter à Præposito de pane de topar, quatenus certis diebus interessent horis canonicis, ex quibus omnibus Informantes pro Præpositis conabantur inferre, Dominium Præpositurarum fuisse penes Præpositos, quia si fuisset penes Capitulum, & habuisset liberam administrationem, nec statuta reuocata, nec gratiæ acceptatæ fuissent. Respondebatur primo ex predictis non constare de tali contradictione, quæ excluderet Dominium Capituli, licet enim ex prædictis actibus colligeretur, fuisse aliquo modo conditum respectu eorum, quæ spectabant ad statutum Præpositorum, & Præpositurarum, & illarum administrationem. Inde tamen non excludebatur Ecclesiæ dominium. Quinnimo ex eisdem actibus concludebatur, Præpositos habuisse, vel habere talem statum per quem excluderetur administratio bonorum ad Ecclesiam spectantium, quæ multis sæculis ostendebatur ab Episcopo, & Capitulo regulata. Vnde cum deducta pro Canonicis contra Præpositos multis modis præponderare viderentur argumentis Præpositorum, Rota in decisis permanendum censuit.

R. P. D. LITTA.

Oriolen. Præcedentiæ Veneris 10. Martij. 1600.

ARGVMENTVM.

Præcedentia debetur ordini prius instituto, ac approbato etiam si regula sit aliquantulum immutata, dummodo non sit mutata in substantialibus.

SVMMARIVM.

Ordo Carmelitarum debet præcedere ordinem fratrum de mercede, cum fuerit prius institutus, ac prius approbatus. num.1.

Ordo ille debet præcedere, qui fuit prius institutus, ac approbatus. num. 1.

Mutatio non præsumitur. num.2.

Forma mutata non dicitur vbi mutatio non est circa substantialia. num.2.

DECISIO XXVI.

1 Domini resoluerunt, Carmelitas Monasterij Oriolen. præcedere debere fratres de mercede in eadem Ciuitate existentes eo moti fundamento, quia constat, quod Ordo Carmelitarum fuit institutus ante Concilium generale, vt legitur in *cap.fin.§.sane ad Prædicatorum. de relig. domibus. in 6.* & probatur ex pluribus auctoribus hic relatis per Informantes, & quia fuit approbatus per Honorium Tertium ann. Sal. 1225. vt constat ex Bulla eiusdem Honorij, quæ præsupponitur pro nunc in forma approbanti, de qua in Summario iurium, numer. 1. in con

festo

festo autem est, ordinem Beatæ Mariæ de Mercede fuisse institutum per dictum Concilium generale, & fuisse approbatum per Gregorium Nonum anno octauo sui Pontificatus, qui Gregorius Nonus fuit Pontifex creatus post d. Honorium, quo fit siue spectetur initium ordinis, siue approbatio illius vti prior tempore Carmelitarum ordo præcedere omnino debeat, ad not. per *Doct. in l. honores. ff. de decurio. in l. fin. vbi Bart. C. de Tyronib. lib. 12. cum alijs, de quibus Chassan. in Catalogo glor. mund. par. 4. considerat. 52. vers. 5. ergo modo, & per Tob. Non. cons. 71. num. 35. per Nauar. cons. 5. de stat. monach.*

3 Et ad illud deductum per Informantes contra Carmelitanos, quod scilicet regula prædictorum non sit eadem, quæ fuit instituta ab Alberto Patriarcha in Terra Sancta Apostolicæ sedis Legato de anno 1280. vel circiter & postmodum approbata per Honorium Tertium, fuit responsum non probari mutationem huiusmodi, & in dubio eam non debere præsumi. *Alciat. de præsumpt. reg. 2. præsumpt. 1. & 2.* & licet in aliquibus reg. prædicta fuerit tam per Honorium Tertium, quam per Innocentium Quartum reformata, ac moderata, non tamen apparet alterata circa substantialia ipsius regulæ, nec Priores, & originales constitutiones illius fuerunt relictæ, quo casu posset dici mutata forma illius ad text. in c. recolentes de Stat. Monach. & ita ex his, & alijs hic latius deductis per Informantes, fuit resolutum, vt supra, &c.

R. P. D. LITTA.

Syracusana Quartæ, Mercurij, 24. Maij. 1600.

ARGVMENTVM.

Archiuista potest extrahere scripturas Archiui absque aliqua solennitate, & ipsius attestationi creditur ad probandum, quod sit Archiuista. Item scriptura sumit robur ab Archiuo vbi fuit reperta, quando ambæ partes archiuo subditæ sunt.

SVMMARIVM.

Scripturæ extractæ seruata forma cap. fin. de fid. instr. plene probant. num. 1.
Archiuistæ potest exemplare scripturas existentes in archiuo absque aliqua solennitate. nu. 1.
Attestationi Archiuistæ, vel successoris in officio creditur ad probandum quem esse Archiuistam, seu successorem. num. 1.
Recognitio non est necessaria in scripturis antiquis. nu. 2.
Scriptura sumit robur ab Archiuo, quando ambæ partes illi subsunt. num. 2.

DECISIO XXVII.

1 PRetendebat Episcopus Syracusanus habere quartam de omnibus, & quibuscunque legatis factis, & faciendis Ecclesiæ, & locis Pijs suæ Diœcesis, Diœcesani autem, inter quos est Ciuitas Noti, dicebant huiusmodi prætensionem Episcopi esse regulandam secundum Ius commune, quod dat quartam de aliquibus Legatis Episcopo, & de aliquibus non, & cum ad fauorem Diœcesanorum fuissent factæ plures decisiones, & vlterius lata sententia coram nunc Reuerendissimo Perusino. Hinc Episcopus cœpit confugere ad consuetudinem, qua mediante prætendit habere fundatam intentionem suam, & ad eam probandam de anno 1594. examinauit plures testes, verum quia huiusmodi consuetudo probanda est per 40. annos ante motam litem fuit pro parte Diœcesanorum, & sic Ciuitatis Noti oppositum de litis pendentia ante annum 1532. fuitque pro Iustificatione pro oppositione in actis producta quædam concordia alias de dicto anno 1532. facta inter dictas partes, in qua legitur huius articuli decisionem fuisse in specie reseruatam fel. rec. Clementi Septimo. Pro parte autem Episcopi fuit replicatum, dictam concordiam, & alia iura producta pro Ciuitate Noti pro Iustificatione dictæ oppositionis non esse in forma probanti. Vnde Ciuitas Noti ad tollendum omne dubium accepit compulsoriales, quibus mediantibus extraxit plura Iura ex Archiuo Arhiepiscopatus Montis Regalis, & ex Archiuo Regio Ciuitatis Panormi. Vnde literis reportatis cum iuribus compulsatis fuit per me dubitatum, An Iura prædicta sint in forma probanti in casu, & ad effectū, de quo agitur, & Domini excepta sententia extracta ex Archiuo Regio Ciuitatis Panormi tenuerunt pro affirmatiua, quia constat illa fuisse extracta cum compulsorialibus Rotæ parte citata, & in summa seruata forma cap. fin. de fide instrum. vltra quod etiam sine processu compulsoriali possunt dici in forma probāti, stante quod sunt legata subscripta, & authenticata per Archiuistam, seu Secretarium in specie deputatum ad custodiendum, & exemplandum acta Curiæ Metropolicæ Montis Regalis. *Bar. in l. si quis ex argentarij. §. 1. nu. 3. ff. de eden. Alex. in auth. si quis in aliquo. num. 5. in fi. C. eod. vbi etiam Ias. nu. 5. vers. 19. Falit. Felin. in c. fin. nu. 7. de fide instrum.* & fuit sæpe tentum, & de tali deputatione constat ex literis legalitatis, & propria attestatione cui de stylo Rotæ creditur. *Verald. decis. 225. incip. de stylo lib. 1. in manuscript. & decis. 245. p. 2. in impress.* Et dum pro parte Episcopi dicitur, quod aliqua ex iuribus extractis non merentur aliquam fidem, stante, quod ex ipsamet extractione constat esse exempla exemplorum, fuit responsum, quod siue scripturæ illæ existentes in dicto Archiuo Montis Regalis sint originales, siue non, vnum est, quod tunc temporis fuerunt productæ coram Metropolitano ipso, & processus illi, ex quibus modo fuerunt desumptæ dictæ scripturæ fuerunt tunc temporis factæ inter Episcopum ipsum ex vna, & Diœcesanos ex altera, quod sufficit ad effectum, de quo agitur, hoc est ad ostendendum, quod re vera vsque de eo tempore hęc prætensio Episcopi fuit in lite.

2 Nec obstat, quod dicti processus non fuerunt recogniti, quia cum sint antiqui probant absque recognitione. *Peregrin. decis. 282. Incip. in Maioricen. lib. 2. Put. decis. 151. lib. 1.* Vltra quod non parum robur recipiunt ex Archiuo, in quo custodiunt, & cui partes ipsæ subsunt. authentica adhæc. *ibi cartha. C. de fid. instrumen. cum alijs, de quibus Gabr. de probat. conclus. 5.*

3 Minus obstat, quod iura extracta ex dictis Processibus non probant, nisi ipsi integri processus exhibeantur, quia non exhibentur huiusmodi iura ad effectū probandi, quod Diœcesani bonum ius fouerent in dicta lite, sed duntaxat ad ostendendum, quod tunc temporis pendebat lis etiam super hac eadem re inter ipsas partes, quod optime probatur ex actis productis illius Iudicij, ad *tex. in l. gesta. C. de re iudic. cum alijs hic allieg.* per Informantes pro Vniuersitate Ciuitatis Noti.

R. P. D. LITTA.

Romana Census. Lunæ 5. Iunij 1600.

ARGVMENTVM.

Via exequutiua obligationis Cameralis, an censeatur vulnerata per sententiam latam contra instrumentum, cui adhæret obligatio, quando antea fuerant latæ aliæ sententiæ pro dicto instrumento.

SVM-

S V M M A R I V M.

Exequutiue procedi non potest vigore obligationis Cameralis, vbi illa fuit vulnerata per sententiam. nu.1.

Obligatio Cameralis non dicitur vulnerata, vbi pro validitate contractus, cui adhæret obligatio, plures sunt latæ sententiæ, & tandem vna lata fuit, qua omnes dictæ sententiæ reuocantur, & contractus ipse nullus declaratur, sed solum vbi per primam contractus declaratur nullus. num.2.

Contrarium vero. nu.2. vbi assertur ratio.

Causa effecta semel appellabilis, semper durat appellabilis. num.2.

Clausula quatenus de iure restringit præcedentia ad terminos iuris. num.3.

Legitimatio personarum est necessaria etiam vbi agitur exequutiuè. num.4.

Cessionarius non prohibetur vti exceptionibus cedenti competentibus. num.5.

Procurator conditionem Domini meliorem, non autem peiorem facere potest. nu.6.

Renunciatio requirit speciale mandatum cum expressione iuris, cui renunciatur. nu.6.

Renunciatio requirit speciale mandatum cum expressione iuris, cui renunciatur. nu.6.

DECISIO XXVIII.

1 Domini steterunt in resolutis sub die 28. Iunij anni præteriti eo præcipue fundamento, quod non potuerit exequutiuè procedi, stante quod obligatio Cameralis fuit vulnerata per sententiam Bracelli, vt latius dicitur in dicta decisione.

2 Nec Dominis placuerunt deducta per Informantes pro Rentijs, quod videlicet obligatio Cameralis non dicitur vulnerata vbi pro validitate contractus, cui cohæret obligatio ipsa, plures sententiæ latæ sint, & tandem vna feratur, qua dictæ sententiæ reuocentur, & contractus ipse nullus declaretur, sed solum vbi per primam sententiam contractus, cui cohæret obligatio Cameralis, declaratur nullus, siquidem quia hæc distinctio iure non probatur, negari cum veritate non potest, dictum vulnus, quia aut ista sententia Bracelli reuocatoria præcedentium, & quæ censum ipsum nullum, & in exigibilem declarat, facit transitum in iudicatum, & hoc casu vulnus lethale remanet, cum talis sententia posterior censum perimit, & sententias canonizatorias illius proprius latas, faciatque, vt dici solet, de nigro album, aut fuit suspensa per appellationem, prout vere suspensa fuit, & vulnus remanet, sed in pendenti donec tollatur per contrariam sententiam, vel lethale efficiatur confirmatione posterioris sententiæ. Vnde interim non potuit executiuè procedi, cum causa semel effecta appellabilis duret appellabilis, & appellatione pendente, nihil sit innouandum iuribus vulgatis.

3 Nec clausula illa, de qua in commissione dictæ appellationis, quod procederet ad exequutionem obligationis Cameralis pro fructibus census decursis, & non solutis quicquam facit, &c. stantibus illis verbis subsequentibus quatenus de iure exequendi &c. quæ illam restringunt ad terminos iuris secundum quos exequi non debet ex supradictis. Placuit Dominis aliud fundamentum decisionis deductum ex non legitimatione personæ Lapani, & ex defectu citationis Iuliæ Capocephalæ, quia cum Lapanus se faceret hæredem Isabellæ, & hæc peteret exequi mandatum alias relaxatum ad fauorem dictæ Isabellæ, & Iulia vera hæres illius vigore secundi testamenti, & admissa in dicto iudicio se opposuerit negando illum talem esse, qualem se faciebat, & protestando tenebatur Lapanus in primis, & ante omnia iustificare dictam qulitatem hæredis, nec ad vlteriora procedere poterat, maxime non citata ipsa Iulia ex deductis in dicta decisione.

4 Quibus non obstat, quod exequutiue procederetur, quia, vt dictum est, non poterat procedere exequutiue vltra quod etiam in executiuis necessaria est legitimatio personarum, & partis citatio, vt respectu dictæ literæ legitimationis post alios de communi testando tenet *Dec. in l. fi. n.47. C. de edict. Diu. Adr. tollen.* & respectu dictæ citationis probat text. in l. 1. ibi si ceperit ex sententia conueniri. *C. de Iuris, & facti ignorantia*, & ex quibus tenet *Asin. in sua prax. p.1.§.31. c.4.*

5 Nec obstat, quod Eques Perbenedictus fuerit in quolibet actu dicti Iudicij citatus, quia cum hodie Perbenedicti non tantum veniant vti hæredes illius Equitis, sed etiam vti cessionarij dictæ Iuliæ non prohibentur vti vtriusque, & sic etiam exceptione, qua ipsamet Iulia vti posset. *Aym. consi.166. in fin. consi. 298. nu.8. Dec. consi.247. in fin. & Paris. cons.21. nu.22. lib.4.*

6 Et ad deducta circa cautionem petitam per Procuratorem Equitis Perbenedicti fuit responsum ex ea non posse inferri ad renunciationem nullitatis subhastationis, de qua agitur, & quæ ipsam petitionem longe præcesserat cum defectus potestatis ipsius Procuratoris, qui facto suo conditionem Domini meliorem, sed non deteriorem facere potest, *leg. si quis mihi bona. § sed si mandauit. ff. de acquir. hæred. cum alijs Cresc. decis. 8. & 9. de renunc. in impress.* tum quia ad renunciandum requiritur speciale mandatum cum expressione Iuris renunciandi *Rolan. cons.11. nu.18. lib.1. Put. decis.100. nu.1. lib.2.* tum etiam quia deducta circa huiusmodi cautionem non applicantur respectu Iuliæ, quæ illam non petijt, nec ei aliquo modo consensit, vnde cum hodie Domini de Perbenedictis non tantum veniant vti hæredes dicti Equitis, sed etiam vti cessionarij dictæ Iuliæ, Iure merito non prohibentur dare de nullitate dictæ subhastationis, & aliorum, quæ subsequuta sunt ex supradictis, & alijs hic latius deductis per Informantes.

DECISIO XXIX.

Taruisina Parochialis. Veneris 16. Iunij 1600.

Impressa Apud Ludouisio.

DECISIO 2.

DECISIO XXX.

Abulen. Iuris visitandi Mercurij 28. Iunij 1600.

Impressa Apud Ludouisio.

DECISIO 4.

DECISIO XXXI.

Fanen. Lucri Dotis. Lunæ 3. Iulij 1600.

Impressa Apud Ludouisio.

DECISIO 5.

DECISIO XXXII.

Romana Census de Carducij, Veneris 27. Octob. 1600.

Impressa Apud Ludouisio.

DECISIO 7.

DECISIO XXXIII.

Abulen. Iuris Visitandi, Veneris 10. Nouemb. 1600.

Impressa Apud Ludouisio.

DECISIO 8.

R. P. D. PEGNA.

Gerunden. Vini. Veneri 24. Nouembris 1600.

ARGVMENTVM.

Statutum quod transit in vim contractus reuocari non potest, & quando dicatur transire in vim contractus, & alia ad materiam reuocationis statuti, de quibus in Summario.

SVMMARIVM.

Statuta concedere possunt Domini earum rerum, super quibus statuta disponunt. num. 1.
Statuta tollere, & reuocare possunt qui illa concedere valent. num. 1.
Statuta condita cum consensu aliquorum transeunt in contractum, nec propterea possunt reuocari sine voluntate eorum, qui consenserunt, num. 2. Declara, vt numero 3. & 4.
Statutum an, & quando dicatur transire in contractum, num. 4.
Statuta perpetua quando sint reuocabilia. nu. 5.
Lex etsi de sui natura sit perpetua, reuocari tamen potest ab habente potestatem illam reuocandi. nu. 5. in fine.
Obseruantia non operatur in Administratore qui nullo proprio iure possidet. nu. 6.
Dominus promittens mercedem factori suo, potest eam reuocare post annum, nisi certum tempus assignatum sit. num. 7.
Promittens soluere certum quod, non potest soluere minus eo, quod promissum est. nu. 8.

DECISIO XXXIV.

1 Episcopus, & Capitulum Gerunden. tanquam Domini bonorum, super quibus fuerant institutae Praepositurae in Ecclesia Gerunden. anno 1312. constituerunt, vt Praepositi tenerentur, ad annos quinque proxime futuros, loco certae quantitatis vini, quae vnicuique Praebendato dari solebat, dare certam quantitatem pecuniarum, pro pretio praedicti vini. Idem statutum anno mox sequenti 1313. Episcopus, & Capitulum perpetuum effecerunt constituentes, vt quinquennalis illa ordinatio perpetuo seruari deberet. Cum vero successa temporis pretia rerum creuisset, & praedicta pecuniarum quantitas, olim pro emendo vino taxata, vix sufficeret ad emendam aquam. Episcopus, & Capitulum indemnitati praebendatorum consulere volentes, reuocato antiquo statuto condito anno 1313. constituerunt, vt in futurum Praepositi, loco dictarum pecuniarum, traderent illam vini quantitatem, quae anno. 1313. tempore conditi statuti perpetui tradi consueuerant. Et quoniam Praepositi reclamauerant, causa commissa in Rota, super validitate huius vltimae Ordinationis, Domini primum videre voluerunt, an dominium bonorum Praepositurarum, esset penes Capitulum. Quod penes Capitulum esse, fuerat bis decisum. Demum pro maiori causae elucidatione, dubitaui, an Capitulum, non vocatis Praepositis, nec ipsis inuitis, potuerit reuocare praedictum antiquum statutum, & Rota vtraque parte informante, reuocare potuisse censuit, cum enim non solum in hac causa, sed in pluribus etiam alijs saepe fuerit in hoc Tribunali decisum, dominium bonorum Praepositurarum esse penes Episcopum, & Capitulum, consequenter ad eos spectabat super his statuere, & ordinare, *gloss. comuniter recepta in capit. constitutionem. §. ceterum. in verbo statutum. versiculo si vero, de verbor. significat. lib. 6. vbi Gemin. nu. 4. versicul. glossa in verbo statutum. Franc. numer. 1. in princip. Anchar. in repet. cap. 1. nu. 99. versic. alij dicunt. de constit. Doctor. communiter. in cap. cum omnes, de constitut. vbi Anton. de Butr. numer. 25. versic. dic in concernentibus Abb. num. 4. in princip. Ioan. de Imol. num. 13. versic. si vero Capitulum. Felin num. 9. vers. vbi autem Canonici*, & eodem modo poterant iam statuta, & ordinata tollere, & reuocare. *Bartol. in l. omnes populi. quaest. 3. principali. nu. 33. versicul. iuxta praedicta quaero, an in reuocando. ff. de iustit. & iur. Paul. de Castro. in l. priuilegia. num. 3. versic. sed minor. C. de sacrosanct. Eccles. Abbas. consi. 25. num. 5. versic. & distinguit. lib. 2. Alexand. consi. 47. num. 1. in princip. lib. 7. Dec. in c. nouit. num. 88. versi. cum de sua natura, de iudic.* Talia enim statuta, quae de sui natura sunt reuocabila, fieri possunt, vt alimenta debita in speciebus mutentur in pecuniam, & in conuerso. *l. cum hi. §. penult. de transact.*

2 Neque obstat, quod potissimum opponebatur de statuto antiquo. 1313. in quo cum Praepositi tunc cōsenserint transiuisse in contractum, vt praeterea sine consensu simili reuocari non potuerit. *Bart. in l. omnes populi. num. 29. versic. distingue. ff. de iustitia, & iure. Alex. cons. 101. num. 1. uersic. & idem tenet. lib. 1. Barb. consil. 2. nu. 12. uersic. ergo sequitur. lib. 4. Rom. 116. in princip. uersi. 1. quia. Cardinalis. consi. 85. num. 4. uersic. illud statutum. Felin. in c. 1. num. 19. uersic. alius casus, de constit. Informantes. n. pro Episcopo, & Capitulo, uarias conabantur assignare responsione.* Quidam negabant, non consensisse omnes Praepositos, rursus aiebant, eum consensum fuisse adhibitum non de necessitate, sed bene esse per doctrinam *Bald. in c. cum omnes. nu. 3. uersic. aut consensum. de constit.* vt tandem inferrent Episcopum, & Capitulum potuisse id statutum reuocare.

3 Sed Domini difficultatem agnoscentes, profundius rem considerantes, magis apposite responderunt ex eo facto, nullam respectu Episcopi, & Capituli inductam fuisse obligationem, ad recipiendum perpetuo pecuniam, licet ad soluendam pecuniam Praepositi se obligauerint, nam licet per statutum obligatio soluendi in specialibus fuerit nouata, non tamen fuit nouata respectu Episcopi, & Capituli, cum id non fuerit expressum. *ad text. in l. si conuenerit. ff. de pacti. ibi not. Bartol. uersicul. aut hoc non expresse, Paul. de Castr. nu. 4 uersic. aut non fuit actum expresse. Bald. num. 1. uersic. nota.* quod licet qui addit, id habere locum etiam in correlatiuis, quando non fuit actum per modum recedendi a priori iure, vt in casu proposito. Nam Episcopus, & Capitulum non ita egerunt, vt a iuribus suis recederent; ideoque pactum adiectum solutioni non efficit, vt statutum transiuerit in contractum, quamuis Praepositi consensum suum adhibuerint, ille enim consensus Praepositorum, simplicis potius acceptationis, quam contractus irreuocabilis naturam inducit, non secus ac quando Princeps fecit legem, & Populus illam acceptat. Lex enim non sumit robur

robur ab illo populi consensu, nec consensus operatur, vt princes non possit legem, ex noua causa superueniente sine consensu populi mutare, aut reuocare.

4 Rursus in casu proposito consensus ille Præpositorum, non fuerat necessarius ad validitatem statuti, &c. Postremo addebatur tunc statutum dici transire in contractum, quando statuentes aliquid concedunt & ex aduerso statuentibus, aliquid datus, seu ad aliquid fit obligatio, ita vt ab vtraque parte aliquid sit adimplendum, & quando statutum concedit immunitatem Forensibus euntibus ad habitandum in aliquo loco, *Bartol. in l. quod semel, numero 1. uersic.* ex quo habes. ff. de decretis ab ordin. facien. In casu autem proposito statuentes nihil concesserunt, sed solum mutauerunt onus iunctum, & mutationi consenserunt Præpositi, quamuis non esset necessarius eorum consensus.

5 Præterea non obstabat obiecto de perpetuitate statuti, quasi propterea mutari non debuerit, vel potuerit, quia respondebatur, statuta perpetua, non quia necessario sint perpetua duratura, sed quia non sunt ad præfinitum, & limitatum tempus. Tunc enim licet sint irreuocabilia, ad beneplacitum tamen reuocabilia dicuntur, *l. Iurisperitos in principio, ff. de excus. tut. ubi Bartol. in principio. Dec. cons. 204. nume. 5. uersic. sicut dicitur de eo.* Præterea licet de natura legis existat, vt sit perpetua. *l. hac edictali. C. de secundis nuptijs. l. generaliter. C. de insti. & subst.* nihilominus à potestatem habente potest reuocari.

6 Ad ea, quæ dicebantur de obseruantia tanti temporis inducentis statum, & presumptionem respectu solutionis certæ quantitatis, respondebatur, non habere locum in administratore, qui nullo iure proprio possidet. *Crauet. consil. 27. num. 5. uersi. ubi possidens,* tales erant Prępositi in hac facti specie, cum haberent administrationem bonorum ad Ecclesiam spectantem, ratione Dominij.

7 Ad cap. primum de feud. guardię, quo cauetur, Dominum promittentem mercedem factori suo posse reuocare post annum, nisi certum tempus sit assignatum, licet vix potuisset intelligi, quid inde posset inferri contra Episcopum, & Capitulum, ad effectum, vt non possent statutum conditum reuocare, dicebatur tamen, quod si Dominus ibi promiserat pro certo tempore id, quod promisit, seruare debuit, cum promissio ipsum respiceret, & pretor dicat, pacta seruabo, *leg. 1. ff. de pact.* In casu autem proposito, tempus perpetuum potius respiciebat Prępositos, cum non caueretur, quod Episcopus, & Capitulum prędictum Statutum perpetuo seruare tenerentur.

8 Postremo non obstabat *glos. in cap. quanto. uerb. indulgemus. de censibus.* quæ vult, quod si aliquid certum est constitutum soluendum, non recipit mutationem, quia procedit retento illo themate, in quo procuratio fuerat promissa fratribus ex liberalitate, ibi liberaliter exhiberet, tunc enim si fuit promissa in quantitate, ideo non potest augegeri, quia donans non tenetur de euictione. *l. ad re donatas. ff. de ædilit edict.* sed in hac facti specie, procura non proueniebat ex liberalitate, & arbitrio Præpositurarum; sed ex necessitate, quia Episcopus, & Capitulum sic constituerunt super bonis suis, & Præpositi soluunt non de re propria, sed aliena, cum Dominium non sit ipsorum, sed Ecclesiæ.

DECISIO XXXV.

Salutiarum Ecclesiæ Sancti Ioannis. Lunæ 27. Nouembris 1600.

Impressa Apud Ludouisio.

DECISIO 9.

DECISIO XXXVI.

Nullius Parochialis, seu Concursus, Lunæ 4. Decembris 1600.

Impressa Apud Ludouisio.

DECISIO 11.

DECISIO XXXVII.

Clodien. Beneficij. Veneris 12. Ianuarij 1601.

Impressa Apud Ludouisio.

DECISIO 13.

DECISIO XXXVIII.

Romana Spolij Domorum. Lunæ 29. Ianuar. 1601.

Impressa Apud Ludouisio.

DECISIO 15.

DECISIO XXXIX.

Bergomen. liberationis à subiectione. Lunæ 19. Februarij 1601.

Impressa Apud Ludouisio.

DECISIO 17.

DECISIO XXXX.

Mantuana Euictionis Bonorum. Veneris 4. Maij 1601.

Impressa Apud Ludouisio.

DECISIO 25.

DECISIO XXXXI.

Romana fideicommissi de Celsis. Lunæ 7. Maij 1601.

Impressa Apud Ludouisio.

DECISIO 26.

DECISIO XXXXII.

Gerunden Canonicatus. Lunæ 14. Maij 1601.

Impressa Apud Ludouisio.

DECISIO 27.

DECISIO XXXXIII.

Gerunden.Vini.Veneris 18. Maij 1601.

Impressa Apud Ludouisio.

DECISIO 29.

R. P. D. CORDVBA.

Curzolen.Canonicatus. Veneris. 25.Maij 1601.

ARGVMENTVM.

De irregularitate, an & quando incurratur per Clericum, qui in rixa vulnerauit illum, qui ex alijs vulneribus moriturus erat. Et quid si non appareat, ex cuius vulnere quis mortuus fuerit, & quid etiam de astante in homicidio armato, & non vulnerante.

SVMMARIVM.

Sententia nulla confirmari potest parte non opponente. nu.1.
Clericus irregularitatem incurrit vulnerans illum, qui ex alio illato uulnere moriturus erat. num. 2. ubi hoc ampliatur, etiam quod homicidium fuerit iustum, & meritorium contra publicos Latrones.
Clericus vulnerans illum, qui postea mortuus est pluribus in rixa interuenientibus, & vulnerantibus, irregularitatem incurrit, etiam quod non appareat, ex quo vulnere occisus obierit, nu.3. Vbi propterea quod omnes sunt irregulares.
Clericus astans armatus in homicidio irregularitatem incurrit, etiam quod non vulnerauit. nu.3.
Laicus in homicidio interueniens efficitur irregularis, & inhabilis ad beneficia. nu.4.
Irregularis beneficium impetrare non potest, num.5. vbi ampliatur etiam, quod in gratia adsit clausula, & cum absolutione ad effectum præsentium duntaxat.
Absolutus à Censuris non censetur dispensatus ab irregularitate, quia irregularitas non est censura. num.5.

DECISIO XLIV.

1 Contra sententias Ordinarij Faren. & A.C. opponebatur de nullitate, & iniustitia, nullitas Vicarij deducebatur, quia fuit allegatus suspectus, & tamen processit in causa, respectu vero A.C. quia confirmauit sententiam nullam per illum latam, sed hæc nullitas non placuit Dominis, quia cum de ea non fuerit oppositum coram A.C. non potest post confirmationem amplius opponi, *Rota decis.7. de re iudicat. in antiq. Felin. in c. ea quæ. nu.1. vers. prodest autem. eodem tit.*

2 Quo vero ad iniustitiam illam pendebat a iustificatione gratiæ, in qua multa narrabantur, quæ non apparebant verificata, quibus omissis quo ad principalem narratiuam, quod scilicet Raphael homicidijs interuenerit, & ideo sua prouisio fuerit nulla, satis fuit Dominis visum iustificatum ex testibus, maxime. 5. 6.& 10. deponentibus, quod ipse interfuerit in occisione Euscocorum & quod vnum ex eis vulnerauerit inferens autem vulnus ei qui propemodum erat moriturus nihilominus fit irregularis. *c. significasti. il 2. de homicidio. Tabiena in Summa, verbo. irregularitas. 3. numer.6. Maiol. lib.5. irregularitat. cap. 48. §. 4. numero. 6. & Vgolin. tract. de irregularitate. cap. cum fassol. dub.34.* quod procedit, etsi homicidium fuerit iustum, & meritorium contra latrones publicos. *Corn. consil.57. num.10. lib.4. Nauar. consi.11. num.2. & consil.25. nnmer.1. & 2. de homic. part.2.*

3 Quinimo quamuis non appareat, an ex illa percussione fuerit mortuus, an vero ex percussione aliorum sociorum, nihilominus omnes sunt irregulares. *c. fin. 23. q.8. dicit communem Couar. in clem. si furiosus. par.2. §.2. numer.5.* & eadem irregularitas intraret etiamsi non vulnerasset, sed eo solum quod armatus sponte exiuit ad occidendum, Euscocos cum alijs militibus, & fuerunt occisi, etiamsi ipse nihil commisisset. *c. sicut dignum. §. fin. de homicid. Specul. lib.1. tit. de dispensatione. §.4. numer. 5. 6. Candelabrum aureum de irregularitate, num.273.*

4 Nec obstabat quod illo tempore Raphael erat laicus, quia nihilominus fuit irregularis, & effectus inhabilis ad beneficia. *c. sicut. §. fin. iunct. glos. verb. consi. de homicidio. Cardinalis in Clem. 1. eod. tit. Rota diuers. in manuscript. decis. 188.*

5 Ex quibus dixerunt Domini, gratiam fuisse iustificatam quo ad vacationem, quia irregularis non potest impetrare beneficinm, quamuis.n. in impetrationibus gratiarum sit solita apponi clausula, & cum absolutione ad effectum præsentium duntaxat &c. de qua per Rebuff. super concordatis in forma mandati Apostolici. in verbo, harum serie absoluentes, irregularis tamen non potest gaudere hac clausula, quia irregularitas non est censura *c. quærenti. de verb. signif.* & propterea quando absoluitur a censuris non censetur dispensatum cum irregulari *Nauar. in manuali. c.14. §.1. num.26.*

R. P. D. DAMASCENO.

Gerunden. augumenti. Lunæ 18. Iunij. 1601.

ARGVMENTVM.

Remissoria non conceditur, quando articuli sunt irreleuantes, & de calumnia suspecti, & quando articuli sic irreleuantes, & suspecti dicantur.

SVMMARIVM.

Remissoria denegatur propter irreleuantiam articulorum, & propter suspicionem calumniæ orientem ex eo, quod remissoria fuit petita in vltimis audientijs. nu.1.
Remissoria non datur ad probandum id, quod per scripturas probari potest. nu.2.
Antiqua melius probantur per scripturas, quam per Testes num.2.
Expensas faciens in re, in qua quis non habet dominium perpetuum, repetere potest. num.3.
Augumentum superueniens in re, cuius dominium spectat ad Capitulum ex quauis industria distribui proportionabiliter debet inter omnes Canonicos. nu.3.

DECISIO XLV.

1 Denegata fuit Remissoria propter irreleuantiam articulorum, ec not. in *l. ad probationem, in fin. C. de probat. Cassad. decis.2. de dilat. Verall.66. p. 3.* propter magnam calumniæ suspicionem, *Felin. in c. de cetero. num.12. de sen. & re iud. Cassad. decis.3. num.1. de dilat.* Et calumnia deducebatur tum ex dicta irreleuantia, *Mohed.5. num.4. de probat.* tum ex eo, quod fuit dilata petitio ad vltimas accidentias, ad differendam causæ expeditionem. *leg. non ignorat. vbi Bald. in principio not. C. de fruct. & litium expens. Ægid. decis.427.*

2 Irre-

Irreleuantia autem sic probata fuit primus, & secundus articulus continet, quod immemorabili tempore fuerunt erectę istę Prępositurę in titulum cum assignatione dotium, verum in contrarium sunt Authenticę scripturę, de quibus in decisionibus in hac causa factis, ex quibus apparet, Dominium Prępositurarum fuisse penes Capitulum. Prępositos autem simplices, & temporales custodes. Vnde ex hac materia contrarij, remanet exclusa immemorabilis. *Put. dec.436. lib.2.* & cum hac materia antiquissima melius probetur per scripturas, *gl. in verb. in script. cap. 1. §. postquam, de const. lib.6.* frustra petitur remissoria ad examinandos testes. *Rota dec.10. de offic. de leg. in nou. & 49. de testibus, in antiq.*

3 Tertius articulus in eo, quod continet bona Prępositurarum, fuisse ex industria, ac etiam ex proprijs pecunij Præpositorum augmentata, non dedit intentionem Capituli fundatam super dominio, sed qui pretendit, probatis probandis, agat ad refectionem, *iuxta l. domus. de legat. primo.* cum alijs ad hanc rem cumulatis per *Decium cons.512. num. 2. & 3.* & eodem fundamento tollitur releuantia aliorum articulorum cōtinentium, & vtilitatem pretij obsoniorum in Ciuitate Gerunden. Item quòd Canonici vltra victualia solita prestari à Prępositis, habent alios annuos redditus. Item quod ex dictis redditibus commode, & decenter viuere possunt cum similibus, quia Canonici non pretendunt augmentum ex causa necessitatis, sed ratione dominij, cuius vigore pretendunt de dictis redditibus ad libitum disponere, *iuxta l. in re mandata. C. mandati*, & illorum augmentum ex quauis industria prouenerit, inter omnes Canonicos proportionabiliter distribuere, *iuxta not. in cap. cum M. Ferrar. vbi Felin. num. 22. de constit.*

4 Neque illa qualitas, quod istę Prępositurę sint effectę collatiuę, tollit iura Capituli, vt in hac causa fuit decisum coram R. P. D. meo Ludouisio, ex *Doctr. Cornel. consil. 255. num. 2. libr. primo.* cum alijs ibi allegatis. Ex eisdem etiam corrunt, quę vltimo loco articulata fuerunt circa excessiuam diminutionem portionis, quę remansura est Prępositо, quia sibi imputandum est, si officium contingentię huiusmodi onerum subiectum acceptauit, vt in simili tradit *gloss. in verb. statutum. cap. 1. 21. q. 1. bene facit. l. Imperator. §. 1. in fin. ff. de leg. 2.*

R. P. D. CORDVBA.

Paduana Iuris patronatus. Veneris 1. Iulij. 1601.

ARGVMENTVM.

Episcopus an possit conferre beneficium cuius ius patronatus fuit reseruatum postquam fuerint aucti fructus in tertia parte si vacet, antequam per patronos fuerit factum augumentum, & aliqua requisita ad probandam effectuationem huiusmodi iuris patronatus.

SVMMARIVM.

Ius patronatus concessum post augumentum fructuum in tertia parte vt dicatur effectuatum debet probari quantitas fructuum de tempore concessionis. nu. 1.

Narratiua Papæ per verba, vt accepimus, non probat, sed debet iustificari per partem. nu. 2.

Dictio postquam inducit conditionem. nu. 2.

Collatio dicitur fructus quasi possessionis conferendi. nu. 2.

Ius patronatus si sit concessum postquam fuerint aucti fructus in tertia parte, donec fiat augumentum non dicitur spectare ad patronum, sed illius collatio spectat ad Episcopum. num. 2.

Patronus si sit negligens in effectuatione iuris patronatus, sibi reseruati, postquam fructus in tertia parte auxerit, non potest amplius illum effectuare. nu. 3.

Ius patronatus prouenians ex augumento dotis censetur reuocatum per Concil. Trid. nu. 3.

Gratia non potest dici sortita effectum, quando illius implementum fuit factum tempore inhabili. nu. 3.

DECISIO XLVI.

1 FVit resolutum, vna parte informante, non constare de effectuatione iuris patronatus Dominorū de Borromeis. Nam cum illud fuerit concessum à Pio IV. post augumentum fructuum in tertia parte valoris Beneficij, necessarium erat probare illos de tempore reseruationis, alias enim non potest haberi certitudo, an augumentum fuerit factum in d. tertia parte, vt in simili fuit consideratum in causa Paduana iuris patronatus, vltima Maij 1591. coram R.P.D. meo Decano.

2 Neque his obstat, quod in concessione sit expressa certa annua summa reddituum, nempe Ducatorum 130. quia Papa illam expressit cum clausula, vt accepimus, & adest in expressione, & forsan vltra. Quod sine difficultate procedebat in prouiso ab ordinario, tum quia post eius prouisionem pretendebat, ad impletam fuisse gratiam concessionis iuris patronatus, quod non existebat ante illius implementum, cum in ea sit dictio, postquam, quę inducit conditionem. *Bartol. in leg. quibus. §. Termilius. num. quinto. ff. de condit. & demonstr. leg. si ita. ff. fin. & ibi gloss. de lagat. 2. leg. ab hostibus. in fin. ff. ex quib. cau. mai.* tum quia Episcopus interim non debebat carere fuctibus collationis cum sit in quasi possessione conferendi. *cap. querelam de electio. Put. dec. 206. lib. 1.*

3 Placuit etiam Dominis fundamentum deductum ex negligentia patronorum, cum effectuatio iuris patronatus nimis negligenter fuerit delata. *arg. capit. si clericus. de præben. in 6. & cap. tibi. §. in prædictis. de rescript. eod. lib. 6. Maxime cum superuenerit Concilium Tridentium sess. 9. cap. 24.* quod reuocauit similes gratias, & ita non potest dici hunc, de quo agitur, sortium effectum, cum adimplementum sit factum tempore inhabili.

DECISIO XLVII.

Romana societatis Officiorum. Lunæ 12. Nouembris. 1601.

Impressa Apud Ludouisio.

DECISIO 31.

ILLVSTRISSIMO D. CARD. MELLINO.

Romana Census Scutorum 18000. Lunæ 26. Nouembris 1601.

ARGVMENTVM.

Debitor alicuius, qui debitas pecunias soluere obligatus est creditoribus, an soluendo posterioribus possit amplius molestari ab anterioribus creditoribus.

SVMMARIVM.

Debitor alicuius, qui debitas pecunias soluere obligatus est creditoribus debitoris numquid soluendo posterioribus creditoriaus possit amplius molestari ab anterioribus, nu. 2. & per totam decisionem.

Debitor, qui debitas pecunias soluere promisit quibusdam certis creditoribus in lista sibi assignatis, non prohibetur soluere alij creditoribus anterioribus non designatis in lista, num. 3. 4.

Potest verbum ratione subiectæ materiæ importat necessitatem, & obligationem, num. 6.

Debitor debitas pecunias non potest soluere posterioribus creditorib. sui creditoris, quando habet scientiam adesse alios anteriores, nu. 7. & 8.

DECISIO XLVIII.

1 IN prima propositione causæ fuerat firmatũ, quod obligatio Excellentissimi Domini Marchionis, cuius vigore agitur, erat restricta ad pretium Scutorum 76. millium, & non extendebatur vltra istud pretiũ, & ex hoc inferebatur per informãtes quod cũ istud pretiũ fuerit solutũ creditoribus anterioribus, non competebat amplius actio Illustrissimo D. Lothario, & quod erat locus regulę. §. *dolo facit leg. in in condemnatione. ff. de regul. iur. & leg. vendicantem. ff. de euict.* verum quia pro eius parte replicabatur, quod ex aduerso D. Marchio debebat soluere illis creditoribus descriptis in lista, ad quorum fauorem ipse erat obligatus, & quod si soluisset istis creditoribus, si superuenissent creditores anteriores non potuisset ab eis molestari, propter motum proprium Serenissimi. D. N. & petebat super hoc particulariter audiri, Placuit Dominis ei satisfacere. Et ideo dubitaui, An si Excellentissimus Dom. Marchio soluisset illis creditoribus descriptis in lista, contenta in instrumento venditionis castri Nomenti, ad quorum fauorem Illustrissimus D. Lotharius est obligatus stante dict. motu proprio potuisset molestari à creditoribus anterioribus dictorum de Vrsinis, quibus dicitur fuisse solutum, & fuit per Dominos resolutum pro affirmatiua, nempe quod Excellentissimus D. Marchio potuisset molestari à creditoribus anterioribus, si soluisset posterioribus.

2 Fundamentum resolutionis fuit, quia ante motum proprium non potest dubitari de hypotheca creditorum DD. de Vrsinis vsque ad summam Scutorum. 116. milliũ. Cum bona vsque ad hanc summam esset separata per sententiam D. Seraphini ab alijs bonis fideicommisso subiectis ex causa æris alieni Camilli legitimæ Ioan. & Pauli, & melioramentorum Latini. & sic ista hypotheca fuit sublata solum respectu Castri ad effectum vt emptor esset securus, & translata in pretium Scutorum 76. milliũ, & ideo si istud pretium fuisset solutum posterioribus creditoribus, D. Marchio potuisset molestari à creditoribus, qui super eo habebant hypothecam anteriorem, & hoc maxime dicendum est, quia ante istam obligationem ad fauorem D. Lotharij fuerat commissa ad instantiã D. Marchionis in causa graduationis Creditorum; & data cedula in actis pro satisfactione creditorum anteriorum, & ideo stante scientia D. Marchionis causa graduationis creditorum, & data cedula in actis pro satisfactione Creditorum anteriorum, & ideo stãte scientia D. Marchionis, quod ad essent alij creditores anteriores, non liberatur si soluisset posterioribus, *Paul. de Castro in l. vlt. §. & si præfatam, numer. 4. C. de iur. deliberan.* & tanto magis cum isti creditores instarent pro cõsequutione sui crediti. Quod autem hypotheca non sit sublata respectu istius pretij dicebant DD. constare tam ex verbis, quam ex mente contrahentium, & confirmatione S. D. N.

3 Quantum ad instrumentum venditionis Castri ex eo apparet, quod istud pretium Scutorum 76. milliũ, fuit destinatum in satisfactionem creditorũ, & quamuis D. Marchio promiserit soluere istud pretium creditoribus descriptis in lista, tamen ista destinatio non fuit facta taxatiue, & restrictiue in præiudicium creditorum anteriorum, quibus contrahentes non poterant præiudicare, & ideo eorum voluntatem debemus metiri ex potestate, sed ista destinatio solutionis pretij creditoribus descriptis in lista fuit facta demõstratiue, tanquam si isti soli essent creditores & non adessent alij, quia existimabatur non adesse alios creditores præter descriptos in lista, & quod Domini de Vrsinis sub fide magna tum, & cum iuramento asserebant quod non aderant alij creditores, vt in terminis bene deducit *Ruin. in cons. 97. num. 4. lib. 2.* & consequenter cum verba stent demonstratiue, non fuit intellectum velle tollere hypothecam creditoribus anterioribus, si adesset.

4 Neque applicatur replicatio, quod Vrsini non asseruerunt simpliciter, & absolute, quod non aderant alij creditores, sed dixerunt quod non aderant alia debita, quæ huic instrumento obstare possent, quia ista expressio virtualiter importat, quod non aderant alij creditores anteriores, data enim anterioritate aliorum remanebant debita, quæ poterant obstare instrumento, & ideo hoc potius comprobat contrarium quod D. Marchio nolebat esse tutus, & soluere Creditoribus anterioribus, & quod propter istam assertionem Domini de Vrsinis, quod non remanebant creditores anteriores, à quibus posset pati molestiam, promisit soluere descriptis in lista. Et quod ista fuerit vera intentio contrahentium, vt non excluderentur creditores anteriores, si superuenissent, comprobatur secũdum Dominos, quia non potest assignari aliqua rtio ob quam fuerit intellectum velle potius soluere istud pretium posteriorib. descriptis, à quibus D. Marchio propter anteriorem hypothecam poterat molestari, & ideo multum verisimile est, quod enunciatiue, & demonstratiue fuit facta prouisio creditorib. descriptis in lista, & quia de illis solum habebatur notitia, & quod multo magis fuissent descripti creditores anteriores, si de eo tempore fuissent detecti.

5 Mouit etiam maxima Dominos difficultas tributa D. Marchioni in instrumento, quod si apparuerint creditores anteriores possit eis satisfacere omissis creditoribus descriptis in lista obtinendo ab eis cessionẽ iurium, cum quibus posset excludere posteriores creditores, ex eo enim apparet sensisse cõtrahentes, quod solummodo satisfiat descriptis in lista, si non apparerent alij creditores anteriores, & si apparerent, quod solum fieret anterioribus, vt emptor esset securus, & ad istum effectum fuit expresse cõuentum quod creditores cederent iura D. Marchioni, quæ cessio erat inutilis, si fuisset sublata hypotheca anteriorib. quia in hoc casu emptor non potuisset molestari.

6 Nec placuit Dominis, quod esset in potestate Marchionis soluere, vel non soluere creditoribus anterioribus, cum iuxta naturam verbi pomt, solutio esset facultatiua vere, quia in hoc casu ratione subiectæ materiæ, quæ habet præaxistentem necessitatem propter anteriorem hypothecam creditorum, quibus contrahentes non poterant præiudicare, non importat liberam voluntatem, sed necessitatem, & obligationem soluendi anterioribus. *Aret. in l. Gallus, sub nu. 3. ff. de lib. & posthum. & post Corset. in sing. in verbo possit.* & tanto magis concurrente verisimili mente contrahentium, quę ex omnibus partibus instrumenti tollitur, vt supra dictum fuit. *l. fidaicommissa. §. hæc verba. & ibi Gl. in verbo continere. ff. de leg. 3.*

7 Præterea etiamsi solum fuisset facultatiua respectu D. Marchionis ista facultas ante eius obligationem ad

ad fauorem D. Lotharij erat redacta ad necessitatem, quia erat commissa causa graduationis, & data cedula pro satisfactione creditorum anteriorum iuxta graduationem faciendam ab A. C. & ideo etiam quod ista commissio graduationis expirasset per lapsum trium mensium sola scientia Marchionis, quod adessent alij creditores anteriores, qui instabant, operabantur istum effectum, vt non posset soluere posterioribus creditoribus in præiudicium anteriorum, vt per *Paul. de Castro, in d. §. etsi præfatam, num. 4.* & quando (si soluisset posteriorib. creditoribus) potuisset molestari ab anterioribus.

8 Nec in hoc casu ei potuisset suffragari dispositio, *l. nomen. C. quæ res pign. oblig. poss.* quia non est quæstio de deb. soluen. creditori, cuius nomen erat alteri obligatum, sed agitur de debitore sciente adesse creditores anteriores, quod etiam instabant & soluen. posterioribus. Nec obstat, quod in cedula reseruatur facultas D. Marchioni auollandi census, quia reseruatio fuit facta solum ad effectum vt si dictus Marchio vellet sibi auollare tot census, non cogeretur soluere totam Summam, & non ad effectum auollandi census posteriores in præiudicium anteriorum, & ideo debet intelligi de censibus anterioribus, prout etiam fuit declaratum in protestatione à Procuratore D. Marchionis.

DECISIO XLIX.

Tarusina Parochialis Sancti Theonisti. Veneris 11. Ianuarij 1602.

Impressa Apud Ludouisio.

DECISIO 37.

DECISIO L.

Dertusen. Parochialis de Sorito. Veneris 11. Ianuarij 1602.

Impressa Apud Ludouisio.

DECISIO 38.

REVERENDISSIMO P. D.

COCCINO DECANO.

Romana Sancti Thomæ Die 14. Ianuarij 1602.

ARGVMENTVM.

Colligitur ex Summario Argumentum.

SVMMARIVM.

Termini substantiales seruati cum procuratore non habente legitimum mandatum sanantur per reiterationem factam citato legitimo procuratore vigore Innocentianæ, numero 1.

Mandatum potest post sententiam produci, vbi in actis non fuit oppositum, neminem audiri, nisi docto de mandato, numer. 2.

Protestatio debet repeti in quolibet actu, alias censetur ab ea recessum, num. 2.

DECISIO LI.

1 QVamuis termini substantiales fuerint seruati cum procuratore non habente legitimum mandatum, nihilominus cum postea fuerint reiterati citato procuratore legitimo, hoc sufficit ad validandum omnia acta vigore Innocentianæ, *Cassad. decision. 8. in fin. de rescript. Veral. decision. 149. numer. 7. part. 3. Vestr. in prax. capit. decimotertio, num. primo, de reiterat. termin. libr. 5.*

2 Quantum ad aliam nullitatem prætensam, ex quo fuit per fratres protestatum neminem audiri, nisi docto de legitimo mandato, *Rot. decis. 1. de procurat. in antiq. Guidobon. dec. 208. Achil. dec. 6. de procur. Aym. cons.* 108. Hoc non verificabatur in facto, ideo etiam post sententiam, & quodcunque mandatum produci potest. *Rota dec. 19. de procurat. in antiq. Put. dec. 383. num. 8. lib. 2. Aym. d. cons.* 108. & si aliquando fuit protestatum, tamen illa protestatio non fuit repetita in alijs actibus, & proinde ab illa censetur recessum. *Mobed. dec. 2. de iudic.* & fuit pluries resolutum, vnde nihil obstat, quin posset quandocunq; mandatum produci Rota, & Put. allegati. Ex quib. conclusum sententiam Rotalem esse validam.

ILLVSTRISSIMO D. LANCELLOTTO

Tirasonen. Eleemosynariæ Lunæ 28. Ianuarij 1602.

ARGVMENTVM.

Executor non potest sententiare absque verificatione in gratia contentorum, & plura deducuntur ex quibus exequutor dicitur mixtus, & tenetur assumere partes iudicis.

SVMMARIVM.

Sententia exequutoris lata absque verificatione in gratia contentorum nulla est, numer. 1. vbi maxime parte opponente.

Exequutor procedens vigore gratiæ in forma dignum non dicitur merus, sed mixtus, nu. 2.

Clausula amoto facit exequutorem mixtum, nu. 2.

Exequutor cui est commissa causæ cognitio dicitur mixtus, numer. 2.

Clausula dummodo non sit alteri ius quæsitum, præseruat etiã ius quæsitum ex præsentatione, nu. 3.

DECISIO LII.

1 DOmini dixerunt sententiam Ordinarij esse reuocandam tanquam latam absque verificatione omnium in gratia narratorum, vt fuit dictum in vna Calaguritana Prioratus 26. Maij 1578. coram Illustrissimo Domino Cardinali Blanchetto, & in vna Oueten. Beneficij de Ables 8. Aprilis 1598. coram me. Maxime cum Petrus comparuerit, dederit de subreptione, & obreptione literarum Apostolicarum, & petierit admitti articulos ad id iustificandum, vt fuit resolutum in causa Salamautina pensionis, die 8. Aprilis 1578. coram bon. memor. Cardinali Lancellotto.

2 Neq; obstare, quod Ordinarius esset merus exequutor, quia cum processisset vigore gratiæ in forma dignum, non erat merus, sed mixtus exequutor stante præsertim clausula amoto illicito, detetore, & quod ei demandabatur cognitio super iure patronatus, super deuolutione, & super iure alteri quæsito, & ideo tenebatur assumere partes iudicis, & procedere cũ causæ cognitione citato Petro, c. lic. Episcop. vbi gl. in ver. vocato.

vocato. de præben. lib. 6. Felin. in cap. fin. num. 25. de præsumpt. Ferret. conf. 4. num. 4. & conf. decimo, numero decimo, volumine primo, & fuit pluries dictum, & resolutum.

3 Neque etiam obstare, quod possessio esset vacua, nec ostenderetur titulus Apostolicus, quia cum in gratia adesset clausula, dummodo alteri non sit ius quæsitum, sufficit, quod Petrus ostenderet se præsentatum, vt diceretur legitimus contradictor, cum Papa non præsumatur voluisse præiudicare, & derogare præsentationi, *ad decis. Rotæ 17. de præbendis in nouis*.

DECISIO LIII.

Carpen. seu Nullius Bonorum. Lunæ 11. Februarij, 1602.

Impressa Apud Ludouisio.

DECISIO 43.

DECISIO LIV.

Foroliuien. Census. Lunæ 11. Februarij. 1602.

Impressa Apud Ludouisio.

DECISIO 42.

DECISIO LV.

Bononien. Pecuniaria. Veneris 2. Martij. 1602.

Impressa Apud Ludouisio.

DECISIO 44.

DECISIO LVI.

Dertusen. Parochialis de Sorita. Lunæ 11. Martij. 1602.

Impressa Apud Ludouisio.

DECISIO 46.

REVERENDISS. P. D. PEGNA DECANO.

Lucerina Pensionis Veneris 22. Martij 1602.

ARGVMENTVM.

Literæ reseruatoriæ pensionis vt executioni demandentur requiritur alterum de duobus, videlicet vel literarum iustificatio, vel quasi possessio exigendi.

SVMMARIVM.

Literæ reseruatoriæ pensionis vt executioni demandentur requiritur illarum iustificatio, vel quod constet de possessione exigendi pensionem. num. 1. & nu. 5. ac per tot. vbi declaratur decisio contraria.

Literarum Apostolicarum executio ob reuerentiam non solet retardari, nu. 2.

Consensus reseruationi pensionis præstitus per resignantem suffragatur contra resignatarium, nu. 3.

Resignatario non licet quod resignanti non licet. nu. 3.

Pensionarius ad instantiam successoris tenetur probare vel possessionem, vel bonum ius illius, qui pensioni consensit. num. 4.

DECISIO LVII.

1 AVctoritate Apostolica ad fauorem Hieronymi de Torres reseruata fuerat annua pensio Ducatorum 100. super fructibus Archidiaconatus Ecclesiæ Nucerinæ, & Hieronymus literas Apostolicas expediuit, & Auditor Cameræ tanquam illarum Executor tulit sententiam contra successorem in Archidiaconatu pro exequutione literarum, & Hieronymus etiam quod debito tempore non appellasset nihilominus obtinuit causam in Rota cum clausula sine retardatione solutionis pensionis, & sine præiudicio legitimæ exequutionis arbitrio Rotæ, die 6. Ianuarij proposito dubio, an esset locus arbitrio illius resolutio fuit delata, quia vnus ex Dominis allegauerat quandam decisionem in causa Cremonen. pensionis coram Groperio die 16. Iunij 1556. quæ vltra literas reseruationis pensionis videbatur requirere quasi possessionem percipiendi pensionem, si non appareat quod ille, qui consensit pensioni, haberet ius in beneficio. In casu autem proposito Hieronimus non docebat se esse in quasi possessione exigendi pensionem, neque ab anteriore, neque à successore in Beneficio. Vnde causa iterum proposita Hieronymo tantum informante Rota censuit non fuisse locum arbitrio ad effectum retardandi exequutionem, ratio fuit quia ad effectum, quod literæ Apostolicæ suam exequutionem sortiantur, sufficit alterum de duobus verificare, vel quod literæ reseruationis sint expeditæ, & nullam conditionem contineant, & sint iustificatæ, vel quod constet de possessione exigendi pensionem, vt sepe fuit resolutum, & signanter in causa Burgen. pensionis die 24. Nouembris 1595. coram Blanchetto, & in Brixien. pensionis die 15. Martij 1599. & in causa Luculen. pensionis die 29. Martij eiusdem anni coram me.

2 In casu proposito cum literæ essent expedite, & nullam conditionem continerent, & narrata essent iustificata exequutionem merebantur, & maxime inspecta natura literarum Apostolicarum, quarum exequutio ob reuerentiam non solet retardari *Sarn. in compendio Signaturæ, nu. 86.*

3 Non obstat memorata decisio Groperii, quia fuit multis modis responsum, primum cum ageretur contra resignatarium illius, qui consensit reseruationi pensionis, perinde erat, ac si contra resignantem ipsum ageretur, cum resignatarius beneficium recipiendo consensisse videatur. Ideoq. non poterat exequutionem impedire, cum nō liceat resignatario, quod resignanti non liceret. *Veral. dec. 89. nu. 4. par. 3.*

4 Secundo dicebatur, quod cum resignatarius non posset improbare ius, quod erat in possidente. sufficiebat probare, vel possessionem, vel bonum ius possidendi. *Achil. decis. 421.* alias de pension. incipiente pensionarium ad instantiam, & sic veniebat intelligenda decisio Groperii, in qua allegabatur prædictus Achil.

5 Ter-

5 Tertio vnius ex Dominis dicebat in alijs causis fuisse allegatam memoratam Groperij decisionem, nec tamen fuisse illius habitam rationem. Denique supradicta conclusio quod sufficit alterum de duobus tanquam certa, & indubitata asserebatur in dicta causa Burgen. pensionis coram Blanchetto tunc Rotæ Auditore, vbi dicebatur quod Rota in similibus casibus, & rescriptis semper solum requirit literarum expeditionem absque possessione, vel quasi possessione cum supplicatione, etiam si nullitas videretur patens *Ioan. Paul. dcc. 6.*

DECISIO LVIII.

Aquinaten. Beneficij. Lunæ, 29. Aprilis 1602.

Impressa Apud Ludouisio.

DECISIO 51.

DECISIO LIX.

Ciuitatis Castelli fideicommissi, veneris 24. Maij 1602.

Impressa Apud Ludouisio.

DECISIO 56.

DECISIO LX.

Romana Dotis, Veneris 21. Iunij 1601.

Impressa Apud Ludouisio.

DECISIO 63.

DECISIO LXI.

Rauennaten. Saluiani. Interdicti. Veneris 28. Iunij 1602.

Impressa Apud Ludouisio.

DECISIO 67.

DECISIO LXII.

Romana Cappellaniarum. Veneris 28. Iunij 1602.

Impressa Apud Ludouisio.

DECISIO 66.

DECISIO LXIII.

Romana Casalis. Lunæ 1. Iulij 1602.

Impressa Apud Ludouisio.

DECISIO 68.

DECISIO LXIV.

Eluen. Beneficij Sancti Saluatoris. Mercurij 30. Octobris 1602.

Impressa Apud Ludouisio.

DECISIO 70.

DECISIO LXV.

BONONIEN. Apothecarum. Veneris 1. Februarij 1602.

Impressa Apud Ludouisio.

DECISIO 41.

DECISIO LXVI.

Mediolanen. Liquidationis fructuum. Veneris 2. Nouembris 1602.

Impressa Apud Ludouisio.

DECISIO 74.

DECISIO LXVII.

Hortana fideicommissi. Veneris 8. Nouemb. 1602.

Impressa Apud Ludouisio.

DECISIO 73.

DECISIO LXVIII.

Romana Pecuniaria Mercurij 13. Nouemb. 1602.

Impressa Apud Ludouisio.

DECISIO 75.

DECISIO LXIX.

Romana Affictus. veneris 16. Nouemb. 1602.

Impressa Apud Ludouisio.

DECISIO 76.

REVERENDISSIMO P. D.

COCCINO DECANO.

Romana Fideiussionis. Mercurij 20. Nouemuembris 1602.

ARGVMENTVM.

Fideiussor promittens soluere in euentum succumbentiæ, principalis conditione purificata tenetur.

SVMMARIVM.

Fideiubens sub conditione ea purificata tenetur nu. 1.
Fideiubens non tenetur, quoties mutatur iudex, res, vel actio, num. 2.
Fideiubens pro decreto faciendo à primo iudice, non tenetur pro decreto faciendo a iudice appellationis. nu. 2.
Actus præsumitur factus eo modo, quo fieri debebat. nu. 3.
Causa originalis attendi debet. nu. 3.
Decretum non dicitur alteratum, quando est secundum formam decreti iudicis à quo. nu. 4.
Solutionis verbum pertinet ad quamcunque liberationem num. 5.
Confessio de re quæ non est in potestate confitentis non præiudicat. nu. 6.
Impensa facit præsumere gratiam fuisse impetratam ad instantiam impendentis. nu. 6.
Gratia cum quis semel est vsus, non potest amplius contra eam venire. nu. 6.
Fideiussores non liberantur quando res non mutatur. nu. 7.
Mutata dicitur res, quando de vna re acturus stipulatus est de alia. nu. 7.
Fideiussor non tenetur quando res est mutata, quia eius obligatio alteratur. nu. 7.
Fideiussor adhuc est obligatus etiam si soluatur species pro pecunia, & è conuerso, quando hoc fieri non est prohibitum. nu. 7.
Contrahentes quod non dixerunt, nec nos dicere debemus. num. 8.
Fideiussor quando promittit pro decreto faciendo à iudice primæ instantiæ, non tenetur pro decreto faciendo a iudice appellationis, procedit in fideiubēte corā certo iudice. n. 9.
Sententia lata contra principalem in fideiussoribus iudicij nocet ipsis fideiussoribus etiam non citatis. nu. 10.
Fideiussor iudicis fingitur condemnatus vna cum principali. num. 10.
Citatus ad recipiendam rem cum protestatione, quod res stabit suo periculo, dicitur in se accepisse omne periculum. nu. 11.

DECISIO LXX.

1 FVerat relaxatum mandatum per R.P.D.Littam cōtra Bartholomæum de Grassis pro summa Scutorum millium ad fauorē Georgij de Ferrarijs data cautione per Georgiū de restituendo d. summam in euētum succumbentiæ ad omne mandatum Domini, caueratq; pro eo Garimboldus, & Guilelminus. sed quia Reuerendissimus Alexandrinus, coram quo causa appellationis à d. relaxatione mandati fuerat introducta quod Bartholomæus solueret in tot libris iuxt. commissionem fel. rec. Sixti V. ante dictam relaxationem per Bartholomeūm obtentam. Ideo post succumbentiam Georgij dubitaui an fideiussores tenerentur, & Domini vtraq; parte audita affirmatiue resoluerunt, quia cum Georgius succubuerit obligatio fideiussorū est purificata. *l. cedere diem. ff. de verb. sig. l. Thais ancilla. ff. de fideic. liber. l. legatum. C. de cond. inser.*

2 Non obstat quod mandatum fuit relaxatum in pecunia, & Reuerendiss. Alexan. illud reformauit, quod solueretur in libris, & quod fideiuss. non teneantur quotiescunq; mutatur Iudex, res, vel actio. *l. nona Iudice. §. 1. vbi gl. & Doct. de Iudic. Rom. cons. 210. Rolan. cons. 58. num. 20. vol.* 1. & in specie, quod quotiescunque fideiussio datur pro decreto faciendo à primo Iudice fideiussores non tenentur pro decreto faciendo à Iudice appellat. *l. cum apud. vbi Bart. nu. 11. ff. Iudic. solu. Gabr. conclus. vltim. de fideiuss. in primo, cum alijs per Thessaur. dec. 202. nu.* 1.

3 Nam ad primum rendetur, quod in hoc casu nec Iudex, res, nec minus actio fuit mutata. Nam quantum ad actionem hoc controuerti non potest, quantum ad Iudicem infra rendebitur, quantum ad rem non adest difficultas, quia quicquid dicendum sit de mandato, nec decretum nec fideiussio restringitur ad pecuniam imo cum adesset commissio prædicta, quod solueretur in libris ita deberet intelligi decretum, quia actus præsumitur factus eo modo, quo fieri debebat. *l. miles. §. decem. ff. de re iud. Aym. cons. 91. nu. 8. Surd. cons. 198. nu. 15. & seq.* & à primordio tituli posterior formatur euentus *l. 1. circa fin. C. de impon. lucrat. descript. lib. 10. l. filiasfamil. la 2. in princ. C. ad Maced. l. tutor datus. ff. de fideiuss. Aym. cons. 144. num.* 2. vbi quod originalis causa attendi debet, & *d. cons. 91. num.* 9. præcedentia declarant ea, quæ sequuntur. *l. si seruus plurium. §. fin. l. qui filiabus. in princip. de leg. 1. Paris. cons. 3. num. 37. & cons. 43. num. 51. & seq. lib.* 3.

4 Nec facit, quod Reuerendiss. Alex. declarauit solutionem esse faciendam. in tot libris, quod cum esset iux. formam decreti R.P.D. Littæ, nihil fuit alteratum, *l. 3. de l. 1. l. iam dubitari. l. Cornelius. ff. de hæred. instituend.*

5 Nec releuat quod primo loco Bartholomeus susceperit terminum ad soluendum in tot libris, & denuo susceperit terminum de soluendo simpliciter, absque alia mentione librorum, quia per hanc secundam susceptionem non declarauit se velle soluere in pecunia verbum enim solutionis pertinet ad omnem liberationem. *l. solutionis verbum. vbi Bart. num. 1. vers. quandoq. ff. de solutionibus.*

6 Minus etiam releuat, quod Bart. fassus fuerit in commissionibus mandatum fuisse relaxatum in pecunia, quia commissiones nihil dicunt de decreto, sed solum de relaxatione mandati, quæ dedit causam declarationi factæ pro Reuerendiss. Alexand. & non decretum. Vltra quid ex hac confessione non potest probari concludenter, d. l. relax. mand. in pecunia, quia hæc confessio non fuit Bartholomæi principalis, sed Procuratoris, quæ non potuit præiudicare Domino, quia non est de re quæ sit in potestate confitentis. *Achil. dec. 4. de confess.* & quamuis impensa faciat præsumere gratiam impetratam ad instrumentum principalis, qui cum fuerit ea vsus non potest contra ipsam venire, tamen dict. confessio, & acceptatio non facit, quod omnes clausulæ appositæ in gratia sint tales, quales procurator expressit, præsertim quando qualitas expressa habet dubium iuris prout euenit in præsenti casu ex supradictis, & ita fuit resolutum in causa Conchen. Archidresbyteratus 28. Iunij 1594. coram Pegna.

7 Sed & si d. decretum expresse loqueretur de pecunia adhuc fideiuss. non possent iuuari ex eo, quod solutio fuisset facta in libris, quia nec res in hoc casu esset mutata *iux. tex. in d. l. non a Iudice. ff. de iudic.* nam vt bene declarat. *gl. in ver. si quis alio iud.* tunc res mutatur, quando de vna re acturus stipulatus est iudicatum solui, & postea egit de alia, & tunc fideiussor non tenetur, quia eius obligatio alteratur. At in casu isto non alteratur obligatio fideiussorum, quæ est de restituendo in euentum succumbentiæ, nam quamuis Bartholomæus soluerit in tot libris hoc nihil ad fideiussores, sed solum ad Georgium, cuius respectu id fuit, quod Barthol. soluerit in specie, vel in pecunia, quando species dari potuit pro pecunia, vel pecunia pro specie. *d. l. miles. §. decem. de verb. obligat.* & hoc alias videtur sensisse Rota, vt per *Cæs. de Graff. dec. 3. 8. & 10. de fideiussor.*

8 Nec facit, quod fideiussores aliter non se obligassent nisi solutio esset facienda in pecunia, quia cum dicat fideiussio nec nos dicesse debemus vt in his terminis dicit Rota apud *Cæs. de Gras. loco præcitato, ante n.* 7.

9 Ad secundum, quod dicebatur, quod fideiussores, qui dantur pro decreto faciendo à Iudice primæ

primæ instantiæ non tenentur pro decreto faciendo à Iudice appellationis. *l. cum apud. ff. iud. sol.* omisso, quod conclusio ista non ita distincte procedit, vt *Caput. dec. 64. alias. 67. Incip. Angelus Episcopus lib. 2. manuscript. Cæs. de Graff. dec. 2. num. 7. de locat. Thesaur. Decis. 202. Respondetur, quod tex. in d. l. cum apud vt bene aduertio Thessaur. d. loco num. 5. loquitur*, quando fideiussio datur coram certo iudice, coram quo causa est terminanda, hic autem causa erat iam finita per Decretum, & appellatum & in executionem decreti datæ fideiussio pro parte Georgij actoris, ita vt succumbentia expectetur coram alio Iudice, & vltra rationem, quæ hoc accidenter suadet, cum non fuerit expressum nomen proprium iudicis, hoc videtur concludere *Egid. Decis. 353.*

10 Non obstat, quod isti fideiussores non fuerint citati, quia cum simus in fideiussoribus iudicio sententia lata contra principalem nocet fideiussoribus etiam non citato. Fingitur enim vna cum principali condemnatus *Bald. in l. duob. §. igitur si quis. ff. de iureiur. Alex. in l. sæpe sub num. 7. ff. de re iudic. Surd. cons. 271. num. 3. & seqq.*

11 Tandem non obstat, quod libri fuerint depositati in Monte Pietatis, & ibi ab inundatione aquarum deuastati, quia hoc prouenit ex mora Georgij, qui fuit citatas ad recipiendum cum protestatione, quod starent suo periculo, ideo dicitur in se omne periculum suscepisse. *Bart. in l. si is, qui ff. de acquir. rerum dominio. quod.*

DECISIO LXXI.

Tarusina Parochialis. Mercurij 27. Nouembr. 1602.

Impressa Apud Ludouisio.

DECISIO 77.

DECISIO LXXII.

Romana fructuum. Mercurij 11. Nouemb. 1602.

Impressa Apud Ludouisio.

DECISIO 80.

DECISIO LXXIII.

Romana Locationis Vineæ. Veneris 20. Decembris 1602.

Impressa Apud Ludouisio.

DECISIO 128.

DECISIO LXXIV.

Bononien. Apothecarum. Lunæ 13. Ianuarij 1603.

Impressa Apud Ludouisio.

DECISIO 82.

DECISIO LXXV.

Ferrarien. Bonorum. Veneris 24. Ianuarij. 1603.

Impressa Apud Ludouisio.

DECISIO 85.

DECISIO LXXVI.

Interamnen. Bonorum. Lunæ 27. Ianuarij. 1603.

Impressa Apud Ludouisio.

DECISIO 87.

DECISIO LXXVII.

Romana Euictionis. Lunæ 17. Februarij. 1603.

Impressa Apud Ludouisio.

DECISIO 88.

DECISIO LXXVIII.

Romana Casalis. Veneris 21. Februarij 1603.

Impressa apud Ludouisio.

DECISIO 90.

DECISIO LXXIX.

Cremonen. Iuris patronatus. Mercurij 26. Februarij 1603.

Impressa apud Ludouisio.

DECISIO 91.

DECISIO LXXX.

Rauennaten. Fructuum Dotis. Veneris 28. Februarij. 1603.

Impressa apud Ludouisio.

DECISIO 93.

DECISIO LXXXI.

Bracharen. Beneficij. Lunæ 3. Martij. 1603.

Impressa Apud Ludouisio.

DECISIO 94.

DECISIO LXXXII.

Romana Pratensæ hæreditatis, de Cecchis. Lunæ 10. Martij. 1603.

Impressa Apud Ludouisio.

DECISIO 98.

DECISIO LXXXIII.

Spoletana Hæreditatis. Veneris 11. Aprilis. 1603.

Impressa Apud Ludouisio.

DECISIO 100.

DECISIO LXXXIV.

Viterbien. Decursus Aquarum. Lunæ 17. Martij. 1603.

Impressa Apud Ludouisio.

DECISIO 102.

DECISIO LXXXV.

Bonon. Pecuniaria. Lunæ 14. Aprilis. 1603.

Impressa Apud Ludouisio.

DECISIO 104.

DECISIO LXXXVI.

Aquinaten. Beneficij. Veneris 2. Maij. 1603.

Impressa Apud Ludouisio.

DECISIO 108.

DECISIO LXXXVII.

Interamnen. Bonorum. Lunæ 5. Maij 1603.

Impressa Apud Ludouisio.

DECISIO 109.

DECISIO LXXXVIII.

Anconitana Assecurationis Nauis. Lunæ 5. Maij 1603.

Impressa Apud Ludouisio.

DECISIO 126.

DECISIO LXXXIX.

Valentina pensionis. Veneris 9. Maij 1603.

Impressa Apud Ludouisio.

DECISIO 111.

DECISIO XC.

Romana Societatis Magazini. Veneris 23. Maij 1603.

Impressa Apud Ludouisio.

DECISIO 115.

DECISIO XCI.

Romana Donationis. Lunæ 26. Maij 1603.

Impressa Apud Ludouisio.

DECISIO 117.

DECISIO XCII.

Pampilonen. Abbatiæ de Acagra. Veneris 20. Iunij 1603.

Impressa Apud Ludouisio.

DECISIO 125.

DECISIO XCIII.

Bracharen. Beneficij. Mercurij 29. Octob. 1603.

Impressa Apud Ludouisio.

DECISIO 127.

DECISIO XCIV.

Romana de Aquilanis. Veneris 14. Nouemb. 1603.

Impressa Apud Ludouisio.

DECISIO 132.

DECISIO XCV.

Interamnen. Bonorum. Veneris 14. Nouemb. 1603.

Impressa Apud Ludouisio.

DECISIO 131.

DECISIO XCVI.

Lucana Terrarum. Veneris 16. Nouemb. 1603.

Impressa Apud Ludouisio.

DECISIO 113.

DECISIO XCVII.

Viterbien. Cursus Aquarum. Lunæ 17. Nouemb. 1603.

Impressa Apud Ludouisio.

DECISIO 133.

DECISIO XCVIII.

Bononien. Apothecarum. Lunæ 24. Nouemb. 1603.

Impressa Apud Ludouisio.

DECISIO 135.

DECISIO XCIX.

Bracharen. Beneficij. Veneris 28. Nouemb. 1603.

Impressa Apud Ludouisio.

DECISIO 137.

DECISIO C.

Toletana Decimarum de Lucillis. Veneris 5. Decembris 1603.

Impressa Apud Ludouisio.

DECISIO 140.

DECISIO CI.

Taruisina Parochialis. Mercurij 10. Decemb. 1603.

Impressa Apud Ludouisio.

DECISIO 142.

DECISIO CII.

Farfen. pecuniaria. Veneris 19. Decemb. 1602.

Impressa Apud Ludouisio.

DECISIO 146.

REVER. P. D. PAMPHILIO.

Reatina fructuum Luna 12. Ianuarij 1604.

ARGVMENTVM.

Cardinalis qui percepit fructus præbendę vltra suam facultatem, tanquam intrusus debet illos restituere.

SVMMARIVM.

Conditio inuenta à lege, seu statuto si non impletur, ille qui non implet nec debet gaudere beneficium introductum ab eodem statuto. num. 1.

Disposita quæ non sunt in vno capite statuti, satis est quod sint disposita in alio. nu. 2.

Connexa inuicem inducuntur. num. 3.

Obseruatio de præterito admonet quid sit faciendum in præsenti. num. 3.

Beneficium de iure communi sibi ipsi nemo conferre potest. num. 4.

Clausula quorum tenores, in prouisione facta Cardinali intelligitur ad effectum validitatis collationis. num. 5.

Derogatio quantumuis generalis non ampliat dispositionem, sed intelligitur pro illius validitate quo ad ea quæ impediunt illius effectum. num. 5.

Decretum Papæ in literis appositum quod quis non teneatur ad solutionem prædictorum restringitur ad narrata in literis. num. 6.

Intrusus debet restituere fructus beneficij male perceptos. numero 6.

DECISIO CIII.

1 FVit resolutum bon. memor. Cardinalem Alexandrinum non potuisse acceptare, & retinere Commendam de qua agitur pro sua quinta Camera, quia ista facultas datur Prioribus per stabilimenta Religionis, & non ostenditur Cardinalem de tempore acceptationis habuisse qualitates ab eisdem stabilimentis requisitas, quod scilicet Priores quolibet quinquennio visitauerint bona, & commendas sui Prioratus, & de tempore quo petierint Commendam in conuentu pro sua quinta Camera. *l. 1. §. quod autem ait Prætor. vbi Bart. ff. ne quid in flum. publico.*

2 Neque obstant quod in stabilimentis loquentibus de quinta Camera, non fiat mentio Visitationis & petitionis in Conuentu, quia sufficit quod in alijs stabilimentis hoc caueatur ad effectum, vt Priores gaudeant suis præeminentijs Prioralibus, & satis videtur repetitum in facultate eiusdem data retinen. quintam Cameram. *Cart. in l. prætor. §. eritque hæc differentia. nu. 2. ff. de vi bonor. raptor.*

3 Neque obstat, quod stabilimenta loquantur tantum de iurisdictione & præeminentia Priorali. Non autem de fructibus, & emolumentis Prioratus, quia ista facultas accipiendi Commendam pro quinta Camera datur Prioribus ratione Præeminentiæ Prioralis vt fatetur *Cardinalis in sua Commissione & costigitur etiam stabilimentis in titolo de comend. nu. 29. & 33.* & hoc etiam declarauit obseruatantia quia ob non factas Visitationes fuit denegata Prioribus facultas accipiendi quintam cameram, vt patet ex sententia lata de anno 1540. in conuentu contra Priorem Castillæ, quæ postmodum fuit in Concilio completo confirmata, ad *l. si interpretatione. ff. de legibus.*

4 Non obstat quod ista retentio pro quinta camera non dicatur noua acquisitio, de qua stabilimenta loquuntur, quia in eis dicitur quod possint acceptare, & retinere commendam pro quinta camera, & sic habent locum etiam in ista retentione, quæ fit post nouam acquisitionem, vt patet ex lectura stabilimentorum,

torum, quæ etiam ita obseruata fuerunt à Prioribus qui petierunt quintam cameram in conuentu, & alias Priori Tholosæ de anno 1575. fuit iudicatus inhabilis ad retinen. commendam pro quinta camera, quia illam non petierat in conuentu, quod etiam videtur conforme dispositioni iuris communis vt nemo sibi ipsi Beneficium conferre, vel prouidere valeat. c. cum ad nostram. Vbi *Abb. num. 4. de Instit. c. peruenit. de Iur. patronatus*.

5 Non obstat, quod stabilimentis religionis fuit derogatum ad fauorem Cardinalis cum verbis amplissimis, etiam cum clausula, Quorum tenores, &c. quia quantum ad derogationem Pij V. in prouisione facta Cardinali, illa intelligitur ad effectum validitatis collationis Prioratus, cuius per stabilimenta erat incapax Cardinalis Alexandrinus, qui erat alterius religionis, & non eximit Cardinalem ab obseruantia aliorum stabilimentorum, quæ prouisioni non repugnabant, ita vt in posterum non teneretur seruare, ea ad quæ tenentur alij Priores. Derogatio enim, quantumuis generalis, non ampliat dispositionem, sed intelligitur pro illius validitate quo ad ea quæ impediunt illius effectum. *Bal. in l. vnica. §. fin. in fin. C. latin. libert. tollen. Felyn. in c. nonnulli num. 22. 16. conclus. de rescript. Roman. cons. 57. num. 1. Alex. consil. 7. num. 7. lib. 7.* cum alleg. coram bon. mem. Orano. sub die 9. Iunij 1587. in causa Oriolen. Decimarum.

6 Alia derogatio Sixti Quinti, quæ emanauit longe postquam Cardinalis de anno 1572. Intruserat se in hac commenda continet confirmationem literarum Pij Quinti, & fuit concessa solum ad effectum eximendi, & liberandi Cardinalem à solutione onerum, & impositionum debitarum religioni, vt colligitur ex eius lectura, Neque suffragatur quo minus teneatur adimplere ea ad quæ alij Priores tenentur, & sic ad visitationem Prioratus, & petitionem commendę pro quinta camera in conuentu iuxta formam stabilimentorum ex allegatis, & ita non obstat decretum in literis Sixti V. appositum quod Cardinalis non teneatur ad solutionem seu restitutionem supradictorum, quia intelligitur de censibus, impositionibus annalibus, & alijs oneribus pecuniarijs, de quib. supra loquutus fuerat, & non comprehendit fructus huius commende de qua non fuit facta mentio, qui tanquā male percepti a Cardinale intruso in hac Commenda ab eius heredibus sunt Religioni restituendi *glos. in c. dudum il 2. in verbo furtum. Vbi Abbas nu. 19. de elect. Cassad. decis. 6. sub nu. 1. de præben.* Et Ita conclusō.

DECISIO CIV.

Camerinen. Transactionis. Veneris 16. Ianuarij. 1604.

Impressa Apud Ludouisio.

DECISIO 149.

DECISIO CV.

Bracharen. Beneficij. Veneris 19. Ianuarij. 1604.

Impressa Apud Ludouisio.

DECISIO 150.

DECISIO CVI.

Romana Census. Lunæ 23. Ianuarij. 1604.

Impressa Apud Ludouisio.

DECISIO 157.

DECISIO CVII.

Gerunden. Distributionum. Lunæ 16. Februarij. 1604.

Impressa Apud Ludouisio.

DECISIO 154.

DECISIO CVIII.

Bononien. Pecuniaria. Veneris. 20. Februarij. 1604.

Impressa Apud Ludouisio.

DECISIO 155.

R. P. D. LITTA.

Romana Fideicommissi de Veccijs. Die 20. Februarij. 1604.

ARGVMENTVM.

Monialis translata ad aliud monasterium pœnitentiæ causa, non desinit esse filia dicti Monasterij, ita vt quicquid acquirat primo monasterio acquirat, secus si translatio fuerit facta ad effectum, vt fiat filia secundi monasterij, & ex quibus dicatur translationem fuisse factam ad vnum, vel ad alium effectum.

SVMMARIVM.

Monasterium post emissam Monachi professionem habet fundatam intentionem in omnibus, quæ ad Monachum deferuntur. num. 1.

Actor tenetur probare concludenter fundamentum suæ intentionis. num. 1.

Monachus tunc dicitur eiectus, vt desinat acquirere Monasterio, quando exutus habitu monachali a corpore ordinis dimittitur. num. 2.

Monachus, seu monialis non dicitur eiecta, a monasterio, si fuerit traducta ad aliud Monasterium cum habitu religionis, eique a priori Monasterio præstita fuerint alimenta. num. 2.

Monialis translatio ad aliud Monasterium duobus modis fieri potest, vel vt Monialis, quæ traducitur fiat filia secundi Monasterij, & liberetur a consortio, & filiatione primi, vel vt remaneat monialis primi, in secundo tamen moretur causa pœnitentiæ, vel simili. Et primo casu acquisita per eam post translationem Monasterio acquiruntur, secundo autem casu acquiruntur primo. nu. 3.

Monialis translata, vt dicatur effecta monialis secundi monasterij requiritur, quod emiserit in eo professionem. numero 4.

Monia-

Monialis professa in vno monasterio, vt possit profiteri in alio monasterio, requiritur licentia superioris primi monasterij. num.4.
Testis contra inducentem fortius probat. num.5.
Monialis translata ad aliud monasterium pænitentiæ causa, debet aliper monasterium, a quo transfertur. num.6.

DECISIO CIX.

1 VNanimi Dominorum voto conclusum fuit, non constare de eiectione sororis Catherinæ de Veccijs de Monasterio S. Ceciliæ, videlicet eius translatione ad Monasterium S. Ambrosij, in casu, & ad effectum de quo agitur, quia cum in confesso sit apud partes eam emisisse professionem in monasterio Sanctæ Ceciliæ, & sic ex tunc illius monialem fuisse effectam, ideo quo ad hæreditatem delatam, vt prætenditur, vigore fideicommissi quondam P. Pauli de Veccijs negari non potest, quin intentio dicti monasterij S. Ceciliæ sit fundata ad *text. in leg. Deo nobis. §. hoc autem. C. de Epis. & Clericor. & auth. Ingressi. C. de Sacros. Eccl. & in c. in præsentia. de probation. cum vulg.* vnde qui prætendit tam desijsse expresse monialem dicti monasterij S Ceciliæ, quia fuit eiecta, videlicet ad aliud Monasterium translata, & sic secundi monasterij monialis effecta, & quidem antequam deferretur hæreditas, hæc omnia concernentia fundamentum suæ intentionis probare tenetur, & quidem concludenter, vulg. *l. ei qui. ff. de probat.* tantum autem abest, vt de tali eiectione, aut translatione ad effectum præfatum constet, quod imo de contrario non obscure apparere videatur, ex infra dicendis.

2 Nam quo ad eiectionem tunc dicitur monialis eiecta, ad effectum, vt sit locus disputationi, an desinat acquirere monasterio, cuius erat monialis, quando exuitur habitu monachali, & a corpore ordinis dimittitur. *l. quod ait Prætor. §. ignominiæ causa. vers. sed si ita. ff. de his qui not. infam. Federic. de Sen. consil.38. quidam professus. in princ. Abb. consil.96. nu.1. & 2. late Modern. in suis iustit. moral. lib.12. c.16. maxime. colu.3. litera C. ibi*, nam religione, habitu, & alimentis debitis spoliantur, sed votis non soluuntur. Hic autem testes concludunt, sororem Catherinam fuisse traductam ad Monasterium S. Ambrosij cum habitu S. Ceciliæ, & non eo priuatam, & illi præstita fuerunt alimenta, quod preclare ostenditur non fuisse habitam pro derelicta à dicto Monasterio S. Ceciliæ, ad *taxt. in l. fin. §. sed scimus C. de Lat. lib. tollend. & in c. vnico.* cum sua materia, de infant. & languid. exposit.

3 Quo vero ad translationem, & duobus modis fieri potest, vel vt monialis quæ traducitur, fiat filia secundi monasterij, & liberetur a consortio, & filiatione primi, vel vt remaneat Monialis primi, in secundo tamen moretur, & maneat causa pænitentiæ, aut alia simili, & primo casu acquisita per eam secundo monasterio acquiruntur, secundo autem casu acquiruntur primo, vt post *Anchar. consil.424.* & alios tradit *Nauar. de reg. Comonor.4. num.4. vers.5.* quod transitus, not. *Abb. in c. veniens num.4. de simon. & probat. text. iuncta glos. fi. in c. de lapsis. 16. q.6. vbi Ægid. num.2. Archid. num.1. &* alij passim hos notant.

4 Hic autem non docetur pro parte monasterii S. Ambrosii de solenni susceptione habitus ipsius monasterii, nec de professione aliqua in ipso monasterio emissa, quæ omnino necessaria sunt ad effectum, vt dicta soror Catherina esset effecta monialis secundi monasterii, & in illo acquireret, & non primo, secundum *Ioan. Andr. in d. c. vnico de Infant. & languid. expositis. Ant. de Butrio ibidem num.5. ad fin. & Card. quæst. pen. Abb. in c. quod a te. nu.7. de Cler. coniug. Anchar. consi.332. in princ. & ibi Ant. de Butr. in subscription. Nauar. consi.60. 61. in tit. de reg.* Et minus constat de licentia Abbatissę S. Ceciliæ, quæ omnino necessaria erat, vt in alio monasterio profiteri posset. *c. statutum. 19. q.3. c. monachum. 20. q.4. cap. licet. de regul. & ibi Ioan. Ande. super 5. quia sicut Hostiens. super verbo postulandi. Card. in 6. not. & q.6. Ant. de Butr. in 3. not. Abb. consi.95. & 96. vol.1. Menoch. qui citatur, de arbitrar. Iud. lib.2. cas.421. num.14.*

5 Quinimo quod fuerit traducta occasione cuiusdam rixæ, & sic potius penitentiæ gratia probatur, tum depositione 3. Testis super 22. ibi, & *per quanto hò inteso dire fù transferita per hauer date delle pianellate all' Abbadessa*, & 4. Testis ibi, & *hò inteso dire, che l'haueua hauuta con l'Abbadessa di detto Monasterio di S. Cecilia*, & 5. Testis ibi. *Per quanto me diceua essa Suor Catherina, & d. D. Angela, che era stata cauata dal monasterio di S. Cecilia per disparere, che essa Suor Catherina haueua hauuto con l'Abbadessa, & altre Monache di S. Cecilia.* Tum etiam quia in d. Monasterio S. Ambrosij deferebat habitum S. Ceciliæ, de quo bene deponunt Testes in summario. *num.3.* & in specie vsque ad Annum 1575. deponitur de Constantia de Comitibus, quæ vsque ad illud tempus permansit in d. monasterio causa æducationis, & vti inducta pro parte dicti monasterii S. Ambrosii, tanto fortius probat contra illud iuxta not. per *Socin. iun. cons.69. num.11. lib.1. & per Gabriel. concl.1. n.14. de testib.* Tum denique quia non ostenditur quod ista soror Catherina spacio tanti temporis interuenerit in aliquo actu capitulari vti monialis S. Ambrosij, sed potius ex testibus monasterii S. Cecilię, de quibus in Summario num.2. probatur, quod ipsa separatim viuebat a dictis monialibus, nec erat astricta Choro, sed in d. monasterio stabat, & viuebat, vt monialis Sanctæ Ceciliæ. Accedit etiam quod monasterium S. Ceciliæ vsque ad obitum præstitit eidem alimenta, & Abbatissæ S. Ambrosii soluta pro dictis alimentis recipiendis in omnibus fere quietantiis falsa est eam monialem S. Ceciliæ esse ad *Text. in l. cum te C. de probation.*

6 Nec prætendi potest quod dicta alimenta fuerint præstita occasione dotis quæ penes monasterium S. Ceciliæ remansit, quia cum dos consisteret in Annuo censu Scutorum decem auri, non est verisimile tot pręstita fuisse nomine alimentorum singulo in anno, occasione dictæ dotis, videlicet Scutorum 36. *arg. leg. cum de indebito. ff. de probation.* sed potius ratione filiationis, qua pater alere tenetur, & ne illius transportatio correctionis, & pęnitentiæ causa facta esset onerosa monasterio S. Ambrosij secundum *Card. cons.27. n.5. & in c. Quod à te. col.4. vers. si necessariæ. & ibi Abb. sub nu.6. vers. si vero professio. tenuit Io. de Imol. sub n.10. vers. si recedit necessariæ, de Cler. coniug. Host. in sum. eod. tit. sub num.2. vers. si cum licentia, vel inuitus ex causa Lap. alleg. 61. sub num.6. Couar. in c.1. de testam. num.2.* Quibus consonat quod moniales S. Ceciliæ lauabant vestes sororis Catherinæ, & transmiserunt Chirurgum monasterii, qui curaret illam in sua infirmitate, de qua decessit, & cera pro illa sepelienda, quæ denotant obsequium patris erga filiam, nec talia fecissent, si habuissent illam pro eiecta, & derelicta vel pro moniali alterius monasterii. Ex quibus, & alijs quam plurimis hic deductis per Informantes, pro monasterio. S. Cecilię conclusum fuit, vt supra.

DECISIO CX.

Tholentinaten. Legati. Lunæ 8. Martij. 1604.

Impressa Apud Ludouisio.

DECISIO 158.

DE-

DECISIO CXI.

Monasterien. Cappellæ Mercurij 10. Martij, 1604.

Impressa Apud Ludouisio.

DECISIO 159.

DECISIO CXII.

Viterbien. Decursus Aquarij Lunæ 15. Martij, 1604.

Impressa Apud Ludouisio.

DECISIO 162.

DECISIO CXIII.

Eluen. Beneficij Sancti Saluatoris. Lunæ 22. Martij, 1604.

Impressa apud Ludouisio.

DECISIO 163.

DECISIO CXIV.

Romana Nulitatis Contractus Veneris 26. Martij, 1604.

Impressa apud Ludouisio.

DECISIO 164.

R. P. D. LITTA.

Romana Fideicommissi de Veccijs. Lunæ 29. Martij. 1604.

ARGVMENTVM.

Monialis, quando dicatur eiecta, a Monasterio ad effectum, vt desinat esse filia Monasterii, & quando translatio monialis dicatur facta ad effectum, vt remaneat filia primi, vel efficiatur filia secundi Monasterii.

SVMMARIVM.

Monialis non dicitur eiecta a monasterio, quando semper fuit alita per monasterium. num.1.

Alendi onus ad patrem non autem ad extraneum spectat. num.1.

Dos debet esse penes eum, qui sustinet onera matrimonij. n.2. vbi de matrimonio spirituali.

Dos data moniali vnius monasterij, quæ postea effecta fuit monialis alterius debet per primum monasterium restitui secundo. num.2.

Argumentum à matrimonio carnali ad matrimonium spirituale validissimum est in iure. nu.2.

Narratiua gratiæ debet ponderari integre non autem minutatim. num.3.

Monialis translatio ad aliud monasterium duobus modis fit, vel vt monialis, quæ transfertur, liberetur, a consortio, & filiatione primi, & efficiatur monialis secundi, & tunc acquisita per eam secundo monasterio debentur, vel vt non liberetur à consortio, & potestate primi, sed transferatur aliqua de causa, & tunc acquisita per eam, æquiruntur primo monasterio, cuius monialis est. num.3.

Monialis translata ad aliud monasterium, quod non desinat esse filia primi monasterij ex pluribus probatur. numero. 4. 5. & 6.

Gratia Papæ debet interpretari, vt non sit frustratoria. n.6.

Gratia Papæ interpretari debet, vt minus noceat tertio, quam sit possibile. num.6.

Monialis vnius monasterij vbi ad aliud transfertur, si non emittit professionem in secundo monasterio non fit monialis illius. num.7.

Sufficit tamen professio emissa in primo monasterio, quando fit translatio de vno monasterio ad aliud eiusdem regulæ, vel vbi translatio fit auctoritate Papæ. nu.8.

DECISIO CXV.

1 DOmini steterunt in decisis sub die 20. Februarij proxime præteriti, rationibus in ea deductis, quibus minime obstare dixerunt literas in forma Breuis de nouo producta pro parte monialium S. Ambrosii, siquidem ex lectura earum melius iustificantur tunc deducta, scilicet quod D. soror Catherina emisit professionem in monasterio S. Ceciliæ, fuit de dicto monasterio ad monasterium S. Ambrosij occasione cuiusdam rixæ ortæ inter eam, & Abbatissam ac alias moniales, traducta, & ibi semper alimentata sumptibus & expensis S. Ceciliæ, quæ omnia ostendunt eam minime fuisse eiectam, nec desiisse esse monialem dicti monasterii, cum patris officium sit alere filiam, & non extranei *l. parentum*, vbi Scribentes communiter hoc notant. *C. de alen. lib.*

2 Nec dici potest quod dicta alimenta fuerint ei præstita ratione dotis alias datæ ipsi monasterio Sanctæ Ceciliæ, quia vt alias dictum fuit non correspondent doti, vltra quod si vere desiisset esse monialis Sanctæ Ceciliæ & effecta fuisset Monialis Sancti Ambrosii, vtique eidem tradita fuisset dos, & non per tantum tempus præstita fuissent alimenta tam excessiua, ad *text. in l. cum de indebito. ff. de probat. cum vulgar.* Nec Papa, qui fons Iustitiæ est, & omnia iura in scrinio pectoris habet, id passus fuisset, sed potius mandasset dotem ipsam tradi monasterio Sancti Ambrosii, quod sustinere habebat onera, & incommoda ipsius matrimonii spirituaris. ad *tex. in l. si is. §. ibi. ff. de iur. dot.* Et *in l. si filia. §. hoc amplius. vbi Bartol. & Alex. hoc not. ff. famil. ercisc.* Et in terminis dotis monialis vnius Monasterii, quæ postea effecta fuit monialis alterius, tenent *Capic, cons. 96. nu. 9. Abb. in c.* quod à te. per illum *tex. in vlt not. Et sub nu. 4. de cleric. coniug. vbi Anchar. nu. 9.* ibi aut exiuit post annum. *Ant. de Butr. nu. 9. vers.* si post annum cum aliis allegatis per Informantes, & facit, quia validissimum argumentum est, quod ducitur à matrimonio spirituali ad temporale, & conuerso, vt per *Euerard. in sua centuria, in loco 76. & 77.*

3 Et dum primo pro monialibus S. Ambros. ponderabantur illa verba literarum, cum sicut accepimus alias quod Petr. Paul. Veccius Rom. genitor dilectæ in Christo filiæ Catherinæ Vecciæ monialis alias in monasterio S. Ceciliæ, nunc S. Ambrosii, &c. inde inferendo probari ex dicta Papæ narratiua ipsam sororem Catherinam alias fuisse monialem S. Ceciliæ, at tunc temporis esse S. Ambrosii fuit responsum, id minime probari ex dicta narratiua, si modo illa integre ponderetur, vt fieri debet, & non diminutiue, incipit enim alias in monasterio Sanctæ Ceciliæ, nunc Sancti Ambrosii de maxima ordinis Sancti Benedicti degentis, & sic narratur degentia ipsius monialis

nialis alias in monasterio Sanctæ Ceciliæ, & tunc in monasterio Sancti Ambrosij, & non dicit, quod soror Catherina Veccia adfuerit monialis S. Ceciliæ, & nunc sit Sancti Ambrosij.

4 Et dum secundo loco ponderabantur depositiones testium dicentium fù transferita, nec non illa verba literarum ibi, sed quia ipsa Catherina professionem emisit in dicto monasterio S. Ceciliæ de Vrbe, & demum ob discordias inter ipsam Catherinam, & tunc existentem Abbatissam, & conuentum monasterij prædicti S.Ceciliæ ortas, ad monasterium Sancti Ambrosij prædictum de superiorum, ac Abbatissæ, & Cōuentus huiusmodi consensu translata fuit, &c. inde inferendo tam depositiones testium, quam dicta verba Breuis intelligi debere de translatione, per quam monialis primi efficitur monialis secundi, ad quod transfertur, fuit responsum, quod cum translatio fiat duobus modis, velut monialis quæ transfertur, liberetur à consortio, & filiatione primi, & efficiatur monialis secundi, quo casu acquisita per eam secundo monasterio debentur iuxte *glos. fin. in c. vnico, 18. q. 1.* in quibus terminis loquitur *Cephal. consi. 212. lib. 2.* & alij allegati per Informantes pro monasterio S. Ambrosij, & pro possessoribus bonorum, vel vt non liberetur à consortio, & potestate primi, sed facto ipso transferatur ad aliud monasterium gratia penitentiæ, vel ad euitandas rixas, & scandala, seu propter aliam similem causam quæ contingere potest, quo casu acquisita per eam acquiruntur primo monasterio, cuius monialis est, *glo. in c. delapsis 16. q. 6.* cum alijs deductis in alia decisione, in qua pariter ex pluribus ostensum fuit, nos vere versari in hoc secundo casu, & ideo standum esse ibi tunc firmatis.

4 Quibus addi potest, quod inulta videlicet per Satellites fuit transportata ad dictum monasterium cū habitu S. Ceciliæ, quem per multum tempus ibi gestauit, & donec vestes ipsæ consumptæ fuerunt seorsum a monialibus dicti monasterii, & non cum eis in refectorio viuebat, nec in choro officium cum eis decantabat, nec in aliquo actu Capitulari, in quibus omnes moniales dicti monasterij enunciari solent, reperitur descripta, quæ omnia ostendunt nunquam fuisse intentionem monialium Sanctæ Ceciliæ, nec monialium Sancti Ambrosij, nec ipsiusmet sororis Catherinæ, vt ipsa per dictam translationem, ac inde sequuta defineret esse monialis Sanctæ Ceciliæ, & efficeretur monialis Sancti Ambrosij.

5 Et quod nec Papa vtendo dicto verbo translata ad Monasterium Sancti Ambrosii senserit de tali transflatione, per quam soror Catherina professa in monasterio Sanctæ Ceciliæ fuerit liberata ab obedientia illius & effecta monialis S. Ambrosij indicant non obscure verba illa subsequentia, ibi, in quo tempore per decennium, & vltra permansit, de præsenti permanet sumptibus, & expensis Sanctæ Ceciliæ viuendo, &c. Tum quia hic translata ad effectum prædictum non egebant, quod in eo permansisset per decennium, & vltra. Tum etiam quia post dictam translationem nō debuisset ali sumptibus & expensis prioris monasterij. Tum denique quia si de tali translatione sensisset Papa, frustra narrasset, quod dicta soror Catherina non intendebat amplius redire ad monasterium Sanctæ Ceciliæ, sed in monasterio Sancti Ambrosij dies suos finire &c. Cum effecta monialis Sancti Ambrosij non penderet à voluntate illius redire ad monasterium Sanctæ Ceciliæ.

6 Accedit, quod si vere monialis Sancti Ambrosii effecta fuisset, antequam fideicommissum, de quo agitur, purificaretur, vt prætēdunt Informantes pro monasterio S. Ambrosii, non erat locus dubitationi in prædictis literis narratæ, scilicet, quod ipsa soror Catherina, seu pro ea monasterium sancti Ambrosii impediretur a monasterio S. Cecilię quo minus vsufructu ipsorum bonorum, & hæreditatis gaudere posset, saltem vita ipsius sororis Catherinę durante, cum omnia de iure nedum respectu ipsius vsusfructus, sed etiam proprietatis ad monasterium S. Ambrosii spectassent, nec Papa, qui iura minime ignorat dispositiuam suam ad dictum vsumfructum duntaxat restrinxisset declarando omnia, & singula bona ad hæreditatem D. Petri Pauli genitoris eiusdem Catherinæ ad ipsam iure testamenti, & fideicommissi prædictorum spectare, & pertinere ipsi Catherinæ, & monasterio, & Abbatissæ, aut conuentui Sancti Ambrosii huiusmodi acquisita esse, & eis illa acquiri debere iuxta eiusdem Catherinę, &c. & reseruando post obitum illius iura quæcunque prædicto monasterio S. Ceciliæ competentia, cum stante prætensa translatione plus quam certus fuisset Papa nullum ius competere in dictis bonis, & hęreditate prædicto monasterio Sanctæ Ceciliæ, quod egeret reseruatione, sed omnia absolute pertinere ad monasterium S. Ceciliæ vti acquisita per monialem suam *auth. ingressi. C. de Sacros. Eccles.* Vnde ne frustratoria reddatur gratia, de qua in dictis literis, & simul reseruatio ipsa, necesse est fateri Papam non sensisse de translatione huiusmodi, sed de meno corporale, vt dictum est facta occasione rixæ ad euitanda maiora scandala, ad *text. in l. si quando. ff. de leg. 1. cum vulg.* quod maxime dicendum videtur, quia gratia Papæ ita interpretari debet, vt minus noceat tertio, quam fit possibile.

7 Non obstat, quod soror Catherina obierit in dicto monasterio S. Ambrosii, & quod propterea videatur saltem tacite effecta monialis illius, quia cum non dubitetur de professione illius in monasterio S. Cecilię, & de alia expresse emissa in monasterio S. Ambrosii non doceatur, quæ ad effectum prædictum videtur omnino necessaria, *Anchar. conf. 352. Nauar. consil. 60. de regul. Abb. consil. 96. col. penult. vers.* sed quando quis transit, parte prima. *Dec. in c. præterea. nu. 6. de probat.* cum aliis allegatis per Informantes pro monasterio Sanctæ Ceciliæ, ideo &c.

8 Nec obstare videntur *Federicus de Sen. conf. 5.* & alij in contrarium citati nolentes sufficere professionem in primo monasterio emissam, quia vel intelligi debent, vbi fit transitus de vno monasterio ad aliud eiusdem tamen ordinis, & regulæ, vt declarat *Rebuf. de translat. monach. in princ.* vel vbi fit authoritate Papę, & hoc propter clausulam, quæ in tali translatione apponi solet, *vt per Rebuf. vbi supra*, quæ applicari minime possunt huic casui, tum ex supradictis, tum denique, quia nullibi constat de voluntate Papæ, quod scilicet voluerit mediante dicta translatione dictam sororem Catherinam effici monialem Sancti Ambrosij, & illud regulare est ad perfectionem actus duo copulatiue requiri, voluntatem scilicet, & potestatem, nec alterum eorum sufficere, ex quibus resolutum fuit, vt supra.

DECISIO CXVI.

Hispalen Beneficij de Gibraleon Veneris 7. Maij 1604.

Impressa Apud Ludouisio.

DECISIO 166.

DECISIO CXVII.

Romana Societatum Officij. Lunæ 10. Maij 1604.

Impressa Apud Ludouisio.

DECISIO 167.

DECISIO CXVIII.

Romana Inuentarij de Massainis. Veneris 14. Maij 1604.

Impressa Apud Ludouisio.

DECISIO 169.

DECISIO CXIX.

Romana Deuolutionis Vinearum. Lunæ 24. Maij 1604.

Impressa Apud Ludouisio.

DECISIO 172.

ILLVSTRISSIMO D. CARD. MELLINO.

Tirasonen. Iurisdictionis. Veneris 21. Maij 1604.

ARGVMENTVM.

Obseruantia an inducatur ex actibus æquiuocis, & an in casu huius decisionis actus dicantur æquiuoci.

SVMMARIVM.

Scientia probatur ex actuum multiplicitate cum lapsu temporis. nu. 1.
Obseruantia non probatur ex actibus æquiuocis. nu. 2.
Possessionis causa potest cumulari per superuenientiam noui Tituli absque aliqua declaratione. nu. 2.
Possidere quis præsumitur ex causa magis proficua. numero 3.

DECISIO CXX.

1 IN alia propositione huius dubij, sub die 7. Aprilis, Domini sine difficultate erant concordes, quod ex actibus, qui dantur, probatur obseruantia sententiæ, quod in hoc casu non erat necesaria scientia, & patientia Episcopi propter titulum sententiæ præcedentem, & quod si erat necessaria illa, satis probatur ex ipsa possessione Decani ante sententiam, & ex multiplicitate actuum cum lapsu temporis. *Innoc. in c. bonæ. eius initij. 2. de postulat. prælat. Abb. in c. cum Ecclesia Sutrina. num. 25. de caus. possess. & propr.* & fuit resolutum in causa Hostien. littoris maris, coram bon. mem. Rubeo, præsertim cum concurrant dico actus de anno 1346. & 1365. qui secundum aliquos ex Dominis multum faciunt pro probatione scientiæ, & patientiæ Episcopi.

2 Maior difficultas fuit inter Dominos an isti actus suffragentur Decano, quia cum concurrat eius quasi possessio ante sententiam, tenebant aliqui, quod isti actus posteriores redduntur æquiuoci, cum possit esse, quod fuerint facti non in vim sententiæ, sed in vim quasi possessionis præcedentis illam continuando, & propterea ex illis non probatur obseruantia sententiæ. *Abb. in cap. 2. in fin. de cens. Ruin. consi. 104. sub n. 15. lib. 5.* & fuit resolutum alias in hac causa, & causa super hac difficultate hac die proposita Domini censuerunt ex istis actibus probari obseruantiam sententiæ. Fundamentum resolutionis fuit, quia licet Decanus esset in possessione ante sententiam, tamen cessat Æquiuocatio, quia iuxta illam opinionem, quam Rota sequitur per superuenientiam huius noui tituli sine alia declaratione censetur accumulata ista noua causa possessioni præcedenti, ita vt isti actus posteriores dicantur facti etiam in vim sententiæ. *Put. decis. 466. lib. 1. Achill. decis. 4. de caus. possess. & propr. Crescen. decis. 5. de restit. spoliat. Peregr. decis. 256. lib. 2. Caputa. decis. 74. lib. 2.*

3 Et hoc eo magis dicendum est, quia cum ista secunda causa veniat in corroborationem, & augumentum primæ, & esset magis proficuum Decano possidere ex vtraque causa, cum per sententiam canonizetur immemorabilis, vt per *Crescen. descis. 54.*

DECISIO CXXI.

Fauentina Bonorum Lunæ 24. Maij 1604.

Impressa Apud Ludouisio.

DECISIO 173.

R. P. D. PAMPHILIO.

Romana Hæreditatis. Lunæ 24. Maij. 1604.

ARGVMENTVM.

Testamentum in quo quis fuit hæres institutus in vsufructu, & nullus alius fuit factus hæres sustinetur, quia perinde habetur, ac si pure esset factus hæres.

SVMMARIVM.

Institutus solum in vsufructu nullo dato cohærede intelligitur institutus in totum. nu. 1.
Verba testatoris debent attendi ad inuestigandam eius mentem. num. 2.
Testamenti vna pars aliam declarat. nu. 2.
Institutus sub conditione erit hæres conditione purificata. num. 3.
Conditio nihil ponit in esse. num. 3.
Cautio Mutiana quando debeat præstari. nu. 3.
Cohæredem non fuisse datum ab initio, & datum non posse succedere æquiparantur. num. 3.

DECISIO CXXII.

1 PRo Iulia informante, quia Petrus eius maritus illam instituit hæredem vsufructuariam omnium bonorum, nullo sibi dato cohærede in proprietate, quo casu succedit communis conclusio, quod detracta mentione vsusfructus intelligitur hæres ex vniuerso. *leg. 1. §. si ex fundo, & l. si ita quis hæres. ff. de hæred. instit. Bald. in l. id quod pauperibus. quæst. 14. num. 27. C. de Episcop. & cler. Salicet. in l. extraneum. in fin. & ibi Alexand. num. 8. & Ias. sub. num. 6. in 3. limitat. C. de*

C. de hæred.instit.Alex.cons.111.num.1.& cons.162.num.2.lib.2.Ruin.cons.54.num.1.& 7.lib.2.Bero.cons.41.nu.36.lib.1.Cephal.cons.59.nu.15.cum seq.lib.1.Rolan.cons.29.nu.26.lib.4.Pet.Pecch.de testam.coniug.lib.5.cap.4.& seq.Mantica de coniect.vlt.volunt.tit.5.art.1.Menoch.cons.273.nu.5.& de præsumpt.lib.5.præsumpt.141.nu.3.& 26.

2 Et maxime procedit in hoc casu, vbi ex verbis testamenti apparet testatorem ita sensisse priuando ipsam, ne dum vsufructu, sed etiam proprietate in euentum, quod non seruet conditiones sibi impositas, *ad l.decem.ff. de verb.oblig.Cephal.cons.52.num.25.*& in simili casu ponderauit Rota coram Domino meo Sacrato in causa Bononien. de Pannolinis. sub die 8. Martij 1602. præsertim, quod ipsemet testator dicit, quod ne testamentũ in casu contrauentionis remaneat sine hærede, tunc reliquit hæredem vniuersalem Augustinũ quod ostendit habuisse Iuliam pro hærede vniuersali in casu quo conditiones obseruet, & notissimum est ex vna parte testamenti alium declarari. *l. qui filiabus, & l. si seruus plurium. §. fin. de legat. 1.*

3 Non obstat ista vniuersalis institutio Augustini, quia est in diuerso gradu, & non impedit quo minus Iulia instituta in vsufructu dicatur hæres etiam in proprietate in suo gradu.*l.cohæredi.§.fin.ff.de vulg.Angel.in l.quoties.num.2.Alex.sub num. 5. vers. si autem esset, & Ias. num.1.in 2.notabil.C de hæred.instit.*vltra quod institutio Augustini est restricta ad casum contrauentionis, qui non euenit, cum Iulia ad secunda vota non transiuerit, nec quartam petierit, immo præstando cautionem Mutianam, adimpleuerit voluntatem testatoris.*l.Mutianæ.ff.de condit.& demonstrat.*ita non potest esse locus institutioni, seu substitutioni Augustini. *l.cum in testamento.ff.de hæred.instit. l. 3. & l. quamdiu institutus. ff. de acquir. hær.* & paria sunt ab initio non fuisse datum cohæredem, vel datum non posse succedere.*Imol.in l.1.§.si ex fundo.sub num.9.& in l.ex facto.sub num.8. in 2. casu.ff.de hæred.instit.Alex.qui testatur de magis communi.in d.l.quoties.sub num.5.versic. aut cohæres. C. eodem tit. cum alijs per Graff. de success.§. hæreditas. quest. 3. num. 3.*

DECISIO CXXIII.

Tudertina Dominis dati Lunæ 31. Maij 1604.

Impressa Apud Ludouisio.

DECISIO 176.

ILLVSTRISS. ET REVERENDISS. D. CARD. BONONIEN.

Romana Dotis, seu pecuniaria, Lunæ 10. Iunij 1604.

ARGVMENTVM.

Confessio dotis receptæ facta per maritum constante matrimonio probat, & præiudicat tertio, vbi concurrunt coniecturæ, quarum plures in decisione enumerantur.

SVMMARIVM.

Confessio receptionis dotis facta à marito constante matrimonio tertio non præiudicat, nisi pro confessione concurrant coniecturæ, & adminicula. nu. 1.

Confessio inter personas prohibitas probat concurrentib. coniecturis. nu. 1.

Matrimonia regulariter sine dote non contrahuntur. numer. secundo.

Confessio receptionis dotis facta à marito præiudicat tertio, si præcedat dotis promissio. nu. 3.

Confessio receptionis dotis facta a marito præsumitur vera, & tertio præiudicat, vbi probatur solutio aliquarum partitarum in confessione enunciatarum. nu. 4.

Scriptura in parte vera, præsumitur in totum vera. numer. quarto.

Solutio præsumitur facta in causam debiti præcedentis, vbi de alia non apparet. nu. 5.

DECISIO CXXIV.

1 Conclusum fuit receptiones receptarum pecuniarum in causa dotis factas ab Alexandro Pagnotto probare veram numerationem ad fauorem Prudentiæ Vxoris, non solum contra ipsum Alexandrum sed etiam contra tertios, quia licet alias confessio mariti constante matrimonio tertio non præiudicet, *gl. in l.assiduis.C.qui pot.in pign.hab.* hoc tamen non procedit, quando pro ea concurrunt coniecturæ, & adminicula *Bald. in leg. prima, sub num. 4. versicul. vnde quæritur. C. de priuil. dot. Socin. consil. 122. post num. 10. Purpur. consil. 461. num. 11. Curt. sen. consil. 70. num. 4. Aymon. consil. 40. numer. 4. Bero. consil. 60. num. 43. libr. secundo, Mohed. dec. 2. num. 2. de confess.* & est generale, quod confessio inter personas prohibitas probet, concurrentibus coniecturis, vt late per *Alex. cons. 18. nu. 2. 3. & 4. lib. 3.*

2 Hic autem plures concurrunt coniecturæ, & verisimilitudines, vltra enim illam generalem præsumptionem, quæ ex eo oritur, quod realiter matrimonia sine dote non contrahuntur. *Purpur.d.cons.461.sub nu.10.Socin.iun.cons.8.num.12.lib.2.Aym.dict.cons.40.num.1.in fin.& num.seq.* quam non neglexit Rota in vna Vrbeuetana legati coram Cantuccio 13. Octobris 1581. & vltra etiam exhibitionem alimentorum, quæ pro coniectura huiusmodi confessionis adduci solet. *Bald. in d.l.1.sub num.4.Aret.in 4.fuerat.sub num.5. Instit. de act. Socin.cons.82.nu.3.lib.3.Purpur.d.cons.461.num.11. Dec. in alleg. cons. 563. post nu. 10.* & fuit habita consideratione à Rota in dicta Vrbeuetana.

3 Concurrit etiam potissimum adminiculum in hac materia videlicet promissio dotis præcedens, *l.in contractibus.§.sed quoniam.vbi Cyn.in 2.quæst. & alij C. de non numer.pecun.Io.Andr.in addit. ad Specul. in rubr. de donat. inter vir.& vxor.circa fin. vers.hoc verum. Paul.de Castr. in l.1.sub num.8.vers.quartus est.ff.solut.matr.Aret. in dicto §.fuerat.sub num.36.vers. nec etiam obstat opinio communis Rom.cons.445.sub num.15.vers.vnde si confitetur.Ruin.cons. 183.num.4.lib.1.Guid.Papæ cons.204.nu.1.Rub. cons.78.sub nu.10.vers.3.respondeo.Afflict.dec.402.sub num.9.vers.sed in contrarium. Aym. d. cons. 40. post nu. 1. Alciat. consilio 332. num. 1.*

4 Accedit etiam alia vrgens coniectura, quia probatur solutio aliquarum partitarum in confessionibus enunciatarum. *Dec. dicto consil. 163. num. 10. Socin. dicto consil. 82. num. 2. in fin. Aymon. consil. 158. num. 6. in fin. Natt. consil. 547. nom. 26.* quando enim scriptura in parte probatur vera, in totum vera præsumitur. *Paul. de Castr. consil. 301. sub num. 4. part. 1. Paris. cons. 90. nu. 4. & 5. lib. 1.*

5 Nec releuat, quod aliquæ solutiones exprimant, causam dotis, quia sufficit, quod aliam nõ exprimant, ad hoc vt censeantur factæ in causam dotis debitæ. *l. si cum dotem. §. si pater. ff. solut. matrim. Brun. de stat. femin. exclus. articul. 6. numer. 243.* præsertim cum de alia causa non apparet. *Aym. cons. 188. num. 13.* Non obstat, quod dos fuerit promissa solui in tot societatibus, quia vltra quod non apparet, quod aliquæ societa-

cietates eo tempore factæ reperiretur, hoc non tollit, quod de cōsensu partiū non potuerit solutio fieri, prout facta fuit in pecunia. Coniecturæ, quæ pro suspicione fraudis ex aduerso adducuntur, possent haberi in consideratione, quando essemus in nuda dotis confessione, nō autem in confessione, ita admi niculata, & verificata, præsumptiones enim, quę sunt pro veritate ipsius confessionis absorbet, & elidunt eas, quæ pro suspicione possent considerari,

DECISIO CXXV.

Romana Nullitatis Obligationis, de Vrsinis. Lunæ 21. Iunij 1604.

Impressā Apud Ludouisio.

DECISIO 181.

DECISIO CXXVI.

Gerunden. Anniuersariorum. Veneris 25. Iunij 1604.

Im pressā Apud Ludouisio.

DECISIO 184.

REVERENDISSIMO P. D. MANZANEDO.

Vratislauien. Bonorum. Lunæ 27. Iunij 1605.

ARGVMENTVM.

Acta qui dicit non fuisse integre transportata, debet probare, cum hoc non præsumatur.

SVMMARIVM.

Acta præsumuntur integre transportata, quamdiu non probetur contrarium. nn. 1.

Negatiua debet probari ab eo, qui illam proponit tam agendo, quam excipiendo. nu. 1.

Negatiua potest probari ex inspectione processus, & actorum. num. 1.

Declaratio, quod quis sit iudex competens, potest fieri tacite per processum ad vlteriora. nu. 3.

DECISIO CXXVII.

1 FVit resolutum constare de integra transportatione actorum, quia acta præsumuntur integre trāsportata, quamdiu non constat contrarium, & producenti sufficit negare esse alia acta, quam ab eo transportata, vt notat *Aym. Crauet. de antiq. temp. p. 2. nu. 55.* adducens pro hac sententia. *gl. in l. cum de leg. ff. de probat.* quam dicit communiter approbatam. *Curt. in consi. 150.* faciunt adducta à *Paul. de Castr. consil. 212. nu. 2. lib. 1. per tex. in l. fi. §. licentia danda. C. de iure deliberandi,* quæ fortius procedunt, cum negatiua sit probanda ab eo qui illam proponit tam agendo quam excipiendo, ex notatis ab eodem *Crauet. cons. 112. n. 6. & ab Alex. cons. 91. n. 9. lib. 7. & à Put. decis. 390. num. 2. lib. 2.* potissime cum ex inspectione processus, & actorum talis negatiua possit probari ex notatis à *Natt. cons. 45. num. 2. & 3. lib. 1. Cassad. decis. 8. nu. 2. super reg. & Achil. decis. 9. super regul. de triennal. nu. fin. Verall. decis. 192. nu. 3. par. 3.*

2 Non obstat, quod ex actis appareat fuisse pro parte monasterij factam protestationem contra D. Catharinam, & litis consortes de incursu pœnarum latarum a legibus Regni Poloniæ, & de illa protestatione in actis transportatis non constet, quia respondetur ex eisdem actis constare dictam protestationem oretenus fuisse factam, vnde non potuit in scriptis transportari.

3 Minus obstat non constare in actis de decreto Auditoris Nuncii quo se iudicem competentem declarauit cum huiusmodi declaratio potuerit fieri tacite per processum ad vlteriora. ad *tex. in c. significasti.* cum ibi notatis de appellat. vnde in actis expresse de illa nimirum, si non constat, &c.

R. P. D. LITTA.

Romana Fideicommissi de Veccijs. die 28. Iunij 1604.

ARGVMENTVM.

Gratia quantumuis generalis, & clausulis amplissimis concepta non præiudicat loco pio, maxime absque derogatione reg. de iur. quæsit. non tollend. quæ habet locum etiam in iure successionis conditionali post mortem testatoris, nec quo ad hoc suffragantur clausulæ derogatoriæ generales, nisi de dicto præiudicio fuerit facta mentio.

SVMMARIVM.

Papa nunquam censetur per generalem dispositionem clausulis amplissimis conceptam voluisse præiudicare loco pio. num. 1.

Ius fideicommissi, seu alterius successionis conditionali mortuo testatore reputatur ius considerabile, & radicatum ad effectum vt ei in dubio non censeatur derogatum. num. 2.

Successio, quæ acquiritur monasterio ex persona Monachi acquiritur immediate non autem mediate, nec requiritur aliquod factum monachi. num. 3.

Clausulæ derogatoriæ amplissimæ nihil operantur contra personas priuilegiatas, vbi in Papa non datur scientia præiudicij. num. 4.

Clausula quorum tenores non operatur circa non expressa, & nec circa ea de quibus Papa non habuit notitiam, num. 5.

Gratiæ substantia non potest alterari in illius expeditione, num. 5.

Clausula ex certa scientia non operatur nisi circa ea, quæ Princeps præsumitur scire prout ea, quæ iuris sunt, secus circa ea, quæ in facto consistunt, nu. 6.

Disputatio quælibet semper fit præsuppositis terminis habilibus. num. 7.

DECISIO CXXVIII.

1 DVbitatum fuit, an constaret de subretione, obreptione, vel defectu intentionis derogationis fideicommissi in casu, & ad effectum de quo agitur qui erat, an sub tali derogatione comprehenderetur Monasterium S. Ceciliæ, & per Dominos fuit conclusum sub tali derogatione fideicommissi, non cōprehendi Monasterium S. Ceciliæ. Potissimum Dominorum fundamentum fuit, quia per generalem dispositionem clausulis etiam amplissimis conceptam non intelligitur Papam voluisse pręiudicare loco pio, Iux. *consi. Dec. 165. num. 5. Ruin. consil. 226. num. 7. lib. 1. Cyn. in l. vnic. num. 3. C. quand. Imp. inter pupill. & vid. Rom. consil. 436. post num. 11. vers. quinta principalis, & cons. 498. nu. 17. vers. vnde succedit,* cum alijs late per Informantes adductis.

2 Non obstat, quod fideicommissum de tempore deroga-

rogationis nondum esset purificatum ad fauorem monasterij, & ideo ius illius non fuisse considerabile, cum non esset principale, sed secundarium, viuentibus adhuc filijs masculis testatoris de tempore derogationis. Quia fuit responsum, contrarium esse verius cum ius fideicommissi seu alterius successionis conditionalis mortuo testatore reputetur ius considerabile, & radicatum, ad effectum, vt in dubio ei non censeatur derogatum, & de illo sit facienda mentio, *iuxt. doct. Bart. in l. fin. num. 8. C. de pac. & l. is potest. num. 12. ff. de acq. hær. quem sequuntur Alex. cons. 67. nu. 5. vers. Nec obstabat, & cons. 94. num. 6. vers. pro qua apparet. vol. 1. Sarnen. super reg. de iur. quem sit. non tollen. q. 4. nu. 14. vers. secundus casus*, & alij cumulati per D. Benassaium.

3 Minus placuit Dominis, quod ius fideicommissi non esset immediate quæsitum Monasterio, sed mediate ex persona Monialis. Quia immediate acquiri colligitur ex trad. per *Innocent. in capit. in præsentia. ante numerum septimum. de probat. & ibi Ioann. Andr. num. 21. vers. illud autem certum est. Butr. num. 28. Abb. num. 76. Bero. n. 555. & pluribus seqq.* ex cuius dictis constat, omnia bona ingressi, tam de tempore ingressus quam quæ postea obueniunt, iure quodam vniuersali, & non hereditario, quam Monasterio, atque ita, & taliter, vt non amplius præscribatur iuri adeundi spacio 30. annorum, sicut fuisset prescriptum contra ingressum, si remansisset in sæculo, sed spacio 40. annorum æque ac si monasterium fuisset instructum. Et hanc esse communem Canonistarum opinionem testatur *Ripa in l. 1. nu. 150. ff. de vulgar. & pupill.* dum secundum hanc opinionem tenet hereditatem immediate deferri monasterio, nec requiri factum Monialis.

4 Non obstat prægnantia clausularum late ponderata per Informantes pro possessoribus iuncta clausula non obstan. Nam fuit dictum ex illarum appositione non inferri ad scientiam Papæ, quod per talem derogationem præiudicaretur loco pio, vnde non data scientia clausulæ nihil operantur contra personas priuilegiatas, nec illas comprehendunt, sed illas tantum de quibus est facta mentio sufficiens, nec ampliant dispositionem, vt sunt iura, & auctoritates notissimæ, & sigillatim respondent Informantes pro Monialibus, quæ in summa fundatur in præsumpta voluntate Principis, quod per illas non intendat tollere, quod pio loco datum, & concessum fuit, vt bene in terminis loquendo de clausula non obstan, quorum tenores pro expressis &c. tradit *Gabr. de offic. & potest. l. delat. lib. 8. tit. de potest leg. & stat. condit. num. 43. & 52. Ad cons. Paris. 46. lib. 3.* allegatum pro possessoribus, fuit responsum non applicari, & præsupponere scientiam Papæ, & de illius potestate tractare, de qua hic non dubitatur, sed de voluntate, quam non ad fuisse dicitur ob non habitam scientiam, quod præiudicabatur loco pio cuius contrarium erat in casu Paris. vbi Papa sciebat, quod primum testamentum continebat legatum ad pias causas.

5 Dum vero dicebatur Papam habuisse scietiam preiudicij, quod inferebatur monasterio per illam derogationem, ex quo poterat in derogatione fideicommissi extendi renunciatio facta à filiabus fideicommittentis in ingressu Religionis, & hoc virtute Clausulæ Quorum Tenores, &c. Domini non habebant tale fundamentum pro tuto, tum quia non dum erat firmatum, an Monasterio obstaret renunciatio immo ordinarunt de eo esse particulariter videndum, tum quia cum clausula Quorum Tenores, &c. non operetur circa non expressa, nec circa ea de quibus Papa non habuit notitiam. *Verall. dec. 121. part. 1.* & fuit late firmatum in Toletana Annotator. 23. Ianuarij 1589. coram bo. me. Orano, & in Valentina Decimarum 28. Nouembris 1602. coram D. meo, Lancellotto. Ideo non videbatur posse fieri talem insertionem renunciationis in ipsa derogatione fideicommissi, & hoc si permitteretur, fieret alteratio gratiæ exprimendo illud de quo Papa nunquam cogitauit, & gratia comprehenderet locum pium contra mentem Papæ, cui non facta de eo mentione nunquam censetur voluisse præiudicare ex supradictis. Notissimum autem est, in expeditione non posse alterari, aut immutari, substantiam gratiæ. *Ægid. decis. 46. in fin.* & fuit dictum in causa Meleuitana Pensionis 27. Iunij 1597. coram me. & in Rom. Clericatus S. Petri 21. Maij 1603. coram Illustriss. D. Card. Pamphilio.

6 Non obstat, quod cum clausula quorum tenores, &c. iuncta sit clausulæ ex certa scientia, quia clausula ex certa scientia, non operatur nisi circa ea, quæ Princeps præsumitur scire, prout sunt illa quę in iure cōsistunt, secus circa ea quæ in facta, quę ignorare præsumitur. *Bald. in l. fin. nu. 6. de vers. dicas etiam C. sentent. rescind. non posse. Dec. cons. 142. num. 7. Paris. cons. 1. nu. 81. & seqq. vol. 1.* cum alijs pluribus cumulatis per *Gabr. de claus. concl. 1. nu. 46. & seqq.* in facto autem consistebat, quod filia femina testatoris effecta erat Monialis in Monasterio S. Ceciliæ, & ibi professionem emiserat, propter quam erat ius quæsitum Monasterio, hinc in fortioribus terminis in vna Mediolanen. fructuum 24. Aprilis 1592. coram Illustr. D. Cardinali Blanchetto. Rota voluit talem clausulam quorum tenores &c. iuncta cum clausula ex certa scientia, & de plenitudine potestatis non supplere defectum intentionis, & nihil operari in his, quę consistunt in facto, & de quibus verisimiliter Princeps notitiam non habuit.

7 Quæ dicebantur de vocatione, vel non vocatione istarum feminarum, præterquam, quod Domini non dubitabant de vocatione, non videbantur facere dubium, cum quælibet disputatio semper fiat, presuppositis terminis habilibus. *l. qui testamento. ff. de testam. cum vulgar.* & ita conclusum.

R. P. D. MANZANEDO.

Seguntina Præsidentiæ, Veneris. 1. Iulij 1605.

ARGVMENTVM.

Agitur de pluribus reddentibus sententiam nullam, & an debeat citari, qui appellando videtur protestatus se nolle amplius citari, & an in possessorio plenario debeant seruari ea, quę in alijs iudiciis ordinariis seruantur.

SVMMARIVM.

Sententia lata absque citatione nulla est. nu. 1.
Conclusio in causa habet vim citationis ad sententiam. nu. 1. vbi de stylo Hispaniarum.
Citari amplius non debet qui appellando videtur protestari se nolle comparere. nu. 2.
Declara id habere locum in appellatione friuola, secus in iusta, & legitima appellatione. nu. 2. & nu. 4.
Declara secundo non procedere, quoties Apostoli fuerunt petiti, sed denegati, vel iudex malitiose, aut negligenter illos omisit concedere. num. 5. vbi quod si iudex vlterius tunc procedat, processus est inualidus.
Sententia debet esse conformis libello. nu. 6.
Sententia potest ferri super eo quod accessorie venit ad expressa in libello. nu. 7.
Interdictum retinendæ est de directo contrarium interdicto redintegrandæ. nu. 7.
Sententia, confirmans sententiam nullam si de nullitate fuerit oppositum nulla est. nu. 8. vbi quod sufficit generaliter de nullitate dictum.

DECISIO CXXIX.

1 DOmini dixerunt, duas sententias in hac causa in partibus latas esse nullas, prima namque Reuerendissimi Episcopi patitur defectum citationis ad sententiam, ex quo ipsius notoria nullitas resultat, ad *text. in l. de vnoquoque. ff. de re iudicata. tex. in capitulo 1. de caus. possess. & propr. clementina pastoralis, de re iudicata, Abbas in cap. venerabilem, num. 5. de elect. Bartol. in extrauaganti, ad reprimendum. verb. & figura numer. 120. & verb. super dicto crimine, numero 2. Cassad. decisione octaua. de rescript. Vant. in tract. de nulit. tit. de nullit. sentent. ex defect. citat. numero 10. Grammat. consil. 124. numer. 5. inter ciuilia. per tex. in leg. 3. §. Stichum. vbi Bartol. ff. de stat. liber.* Nec dictam sententiam conclusio præcessit, quæ vim citationis habet iuxta stylum Hispaniæ à Rota receptum, & notat idem *Vant. vbi supra, titulo quibus. mod. sent. nullit. repar. poss. num. 109. Afflict. decis. 203. num. 6. Marant. de ord. iudic. parte 6. §. de conclusione in causa, numero 1. Grammat. vbi supra. num. 7.*

2 Quæ nullitas non eliditur ex eo, quod prius Episcopus tulisset interloquutoriam a qua Decanus, & Capitulum appellarunt, & ex eo visi fuerunt protestari se nolle coram Domino Episcopo de cetero litigare. Vnde amplius non debuerunt citari, ad text. in capitulo secundo. de dol. & contumac. libro sexto. clementina vnica eodem titul. quia ille textus intelligitur de appellatione friuola, secus vero de iusta, & legitima appellatione, vt ibi notat. *gloss. in verb. appellans. Vanquell. in dicta clementina 1. 2. & 3. conclus. & Vant. tit. quibus mod. senten. null. repar. poss. num. 112.*

3 Sed sic est, quod dicta appellatio non fuit friuola, quin potius ex iuxta causa, & expressa in dicta appellatione. Nam cum ageretur de possessorio redintegrandæ, & sic plenario, & maximi præiudicij, in quo restitutus obtinebit possessionem donec altera pars egerit, & obtinuerit in petitorio, ad *leg. exitus. ff. de acquir. possess.* & in quo plenario possessorio ordo iuris est seruandus, & libellus exigitur, nec non litis contestatio, plenaque probatio, & admittuntur exceptiones requirentes altiorem indaginem, quin & reprobationes testium ex traditis à *Bartol. in extrauaganti, ad reprimendum. in verb. summarie. numer. 1. & à numer. 11. & numero 18. & à Menoch. de recuperat. posses. in prælud. a numer. 24. & numero 34. & à Mandos. de inhibit. quæ. 118. & late Cagnol. in l. in pari causa. à numero 1. vsque ad numer. 7. ff. de regul. iur.* & dato legitimo contradictore prout in isto casu aderat, res agitur in figura Iudicij, ex *text. in. leg. final. versic. sin autem aliquis contradictor. Cod. de edict. Diui Adriani tollen.* & tunc causa plene debet discuti, & iura partium perfecte inquiri, & defensiones in termino competenti fieri, ad *Bartol. vbi supra. versic. & figura. numero 12.* & vbicunque sententia tribuit ius finale tunc requiritur regulariter plenaria causæ cognitio, ad *text. in l. iudicec. C. de iudic. notat. Bartol. vbi supra. dict. versic. summari num. 18. Cagnol. dicto numero 7.* sed sic est, quod in hoc possessorio recuperandæ sententia pro restituto tribuit illi, quo ad possessionem ius finale, & irreparabile nisi egerit, & obtinuerit in petitorio. Ergo debuit in ea plena causę cognitio adhiberi, ex supradictis.

3 Sed sic est, quod cum Episcopus interloquutorie dixisset informationem de nouo recipi, quia iam recepta claudicabat ex defectu citationis, & ad nouam recipiendam terminum octo dierum assignasset, in quo si Decanus, & capitulum voluissent, potuissent probare contrarium, quę informatio fuit summaria, & ille terminus procedendi summarius breuis, & longe distans à qualitate causæ in qua plenarie, & ordine iuris seruato, ex supradictis procedendum erat, vnde dicta causa in appellatione capituli expressa fuit iusta ad appellandum. Tum etiam, quia in eadem interloquutoria Episcopus mandauit, quod dignitates, & Canonici intra tres dies in simul darent mandatum pro illorum particulari interesse alicui procuratori cum quo causa prosequeretur, alias assignauit strata suæ audientiæ, vbi illis intimarentur acta istius causæ.

4 Vnde cum capitulum constitueretur à prædictis Decano, Dignitatibus, & Canonicis tanquam à maiori parte, & capitulum citari mandatum fuisset ex decreto Episcopi in principio, & in dicta interloquutoria ad videndum recipi dictam informationem, sequitur Episcopum iniuste mandasse, quod dignitates, & Canonici pro suo particulari interesse in simul darent dictum mandatum. Quod clarius patet ex post facto actitatis, cum causa fuerit agitata cum Decano, & Capitulo prout ex actis, & ex sententijs Domini Episcopi, & Nuncii Apostolici constat, quib. asseritur litem verti inter Decanum, & capitulum ex vna &c. ex quo etiam sequitur iustificatam dictam causam appellationis capituli ab eo in sua appellatione expressam, & ex vtroque capite ex supradictis dictam appellationem non fuisse friuolam, quin iustam, & legitimam, & per consequens dispositionem *text. in dicto cap. 2. de dol. & contum.* non procedere in isto casu, & illius dispositioni non obstante Decanum, & Capitulum citandos fuisse ad audiendam sententiam, & illam ex defectu dictæ citationis nullam extitisse.

5 Vlterius dispositio textus in dicto cap. 2. de dol. & contum. non procedit, quoties Apostoli fuerunt petiti, sed denegati, vel iudex malitiose aut negligenter illos prætermisit concedere, notat *Franc. in dicto cap. 2. num. 3. vers. & idem si iudex. & Benedictus Capra. in clementina 1. nume. 1. de dol. & contum.* & hoc casu dolus, & negligentia æquiparantur, *ex gl. finali in cap. ab eo. de appellat. in 6.* quin & tali casu si iudex vlterius procedat in causa processus erit inualidus *ex tex. in cap. super eo. & cap. ab eo. secundo responso, de appellat. in 6. & glos. in verb. exhiberi in clementina, quamuis. eodem tit. 1. responso*, sed sic est, quod capitulum appellauit à dicta in terloquutoria, & simul petijt Apostolos, & licet Episcopus illos non denegauit, nihilominus procedendo ad vlteriora tacite, & negligenter illos denegare visus fuit quin potius postea nunquam illos concessit, vnde ex dicta negatione cessat in hoc casu dispositio. *tex. in dict. cap. 2.*

6 Secunda nullitas contra dictam sententiam dicti Episcopi deprehenditur ex eo, quod cum Portionarij in suo libello intentassent spolium, & interdictum redintegrandæ, Episcopus in dicta sententia pronunciauit super interdicto redintegrandæ, & super interdicto retinendæ, illos redintegrando, & manutenendo, quæ inter se adeo sunt contraria. Vnde sententia non fuit conformis libello, nec controuersiæ, & in ea Iudex extra interrogata respondit, & sic dicta sententia fuit nulla ad *text. in l. final. C. de fideicommissar. libert. cap. licet Heli. de Simonia. clementina sæpe. versic. verum quia. de verb. signific. faciunt adducta à Bald. in dict. leg. fin. numer. 1.* vbi concludit talem sententiam esse nullam. Et idem affirmat *Vant. in tit. de nullit. senten. ex defect. process. numer. 97. incip.* Idcirco. & facit bonus *text. in leg. vt fundus, & ibi Bartol. ff. commun. diuidun.* ex quo *Vant. vbi supra*, infert, quod iudex super non deductis coram eo potestatem non recipit vnde intrat in hoc casu defectus iurisdictionis.

7 Cui nullitati non obest, quod portionarij patierint restitui in eorum possessione, imponendo graues pœnas, & censuras aduersus eos, qui in ea illos pertur-

turbarent vbi videtur petere redintegrari, & post redintegrationem manuteneri, & quod idem voluerit Episcopus in sua sententia, quia respondetur, quod licet libellus Portionariorum ita valeat intelligi. Nihilominus sententia Episcopi nullatenus dictam interpretationem admittit, cum simul iubeat redintegratri, restitui, defendi, & manuteneri portionarios, & non solum dicat in possessione in qua extiterunt quin etiam in qua existunt supponendo esse in dicta possessione, in qua manutentio in dicta sententia fundatur contra libellum Portionariorum, quo sæpius fatentur in illa possessione extitisse, sed ab aduersarijs violenter illa spoliatos fuisse. Vnde licet alias possit ferri sententiam super eo, quod accessorie, aut virtualiter ex natura actionis libello, & petitioni subest, licet in libello expressum non fuerit, prout not. *Bald. in dict. l. fin. Cod. de fideicommissar. libertat. num. 8. & Ias. in §. curare, numer. 32. institut. de action. Vant. vbi supra num. 97. versic. erit tamen aduertendum.* Nihilominus interdictum retinendæ, & possessio, quam ex sui natura exposcit, nec accessorie, nec virtualiter includitur in actione interdicti redintegrandæ, & in qua actor fatetur se spoliatum possessione, & penes aduersarium existere. Vnde cum Portinarij illam non haberent quin potius Capitulum nullatenus potuit Episcopus in sua sententia asserere Portionarios esse in dicta possessione & in ea illos manutenere & per consequens, dicta sententia fuit nulla ex supra dictis.

8 Secunda vero sententiam Nuncij Apostolici primę confirmatoria patitur nullitatem ex eo, quod opposito coram dicto Nuncio defectu nullitatis, primæ sententię, & petito quod ante omnia super dicta nullitate pronunciasset, non potuit procedere ad sententiam confirmatoriam prout processit antequam super nullitatibus primæ pronunciasset, alias ipsius sententia fuit nulla. *Bart. in l. si vt proponis, la 1. in fin. Cod. quomodo, & quand. iudic. Franc. in cap. dilecto. numer. 25. versic. vlterius, aduerte. de appellat. Aymon. consil. 270. num. 7. in fin. Cæs. de Grass. decision. 11. de senten. & re iud. num. 3. Veral. in manuscript. decis. 266. libr. 1.* cui nullitati non obstat, quod capitulum non opposuerit specifice de nullitatibus ex defectu citationis ad sententiam sed de alijs nullitatib. expressit tum quia sufficit generaliter de nullitate dicere, & petere super articulo nullitatis ante omnia debite pronunciari prout in sui libelli conclusione capitulum concludit ad hoc, vt iudex debeat pronunciare, super nullitatibus quæ ex actis, & processu constant prouts defectus dictæ citationis constabat. Tum etiam, quia in eodem libello fuit specificata supradicta nullitas procedens ex eo, quod sententia non fuisset conformis libello quin extra in illo petita, & tandem nullatenus super dictis nullitatibus Nuncius Apostolicus pronunciare curauit, & si ab eo petitum fuit quin ad dictam sententiam confirmatoriam processit, qua propter illa fuit nulla ex supra deductis.

Ex quibus patet responsio ad obiectionem de tribus nullitatibus contentis in commissione, quia ex supranotatis constat duas ex dictis tribus nullitatibus adesse, nempe defectum citationis ad sententiam, & iurisdictionis.

REVERENDISSIMO P. D.

DAMASCENO.

Romana Affictus Casalis. Sabbati. 5. Nouembris 1605.

ARGVMENTVM.

Subrogatus quando succedat in locum eius, cui subrogatur stante diuersitate rationis.

SVMMARIVM.

Subrogatur non intrat intrat in locum eius subrogatur, vbi adest diuersitas rationis, nu. 1. & nu. 2.

Fallit in subrogatione ab homine, qui sciens voluit ad omnia, ad quæ tenebatur is cui fit subrogatio, obligari, numer. 7.

Impossibile nemo tenetur adimplere, nu. 2.

Locator illegans factum illud probare tenetur, nu. 2.

Clausula omnia, & singula habet vim indiuiduæ expressionis, nu. 3.

Subrogatus licet non succedat in locum eius cui subrogatur in accidentali non per hoc dicitur non succedere quo ad substantiale, nu. 4.

Pecunia redacta ex fundo dotali quo ad restitutionem succedit in locum fundi dotalis licet non succedat quo ad tempus restitutionis, nu. 4.

Negatiua debet probari per eum, cuius fundamentum in negatiua consistit. nu. 5.

Obligatio alternatiua non vitiatur vbi vna pars est impossibilis. num. 6.

Pacta in contractibus præualent legibus, num. 7.

Subrogatio operatur etiam in materia exorbitanti, nu. 7.

DECISIO CXXX.

1 Franciscus de Caluis, qui pro quinque annis deficientibus adimplendo nouem annos, pro quibus fuerat facta locatio Trincio subiutrauerat locum dicti Trincij, recusabat in fine locationis extirpare quoddam pantantum, & relinquere quingentos arbores nouem annorum in Casali conducto, & hoc non obstante, quod idem Caluus asserendo se habere notitiam Instrumenti locationis factæ Trincio cum omnibus in illo contentis subintrasset locum Trincij & omnia, & singula in illo Instrumento expressa, & narrata obseruare, ac omnino, adimplere promisisset fundamenta eius erant, quod Trincius promisserat, facere extirpationem intra duos primos annos, Caluus autem conducebat pro vltimis quinque annis, & sic cum esset diuersum tempus, in quo cadebat obligatio extirpandi à tempore ipso quo fiebat conductio, non fuit locus subrogationi, *Gabr. de regul. iur. concl. 2. nu. 66.*

2 Quo vero ad aliud pactum de relinquendis 500. arboribus, quæ essent saltem nouem annorum dicebat Caluus, ad hoc non extendi suam obligationem, quia hoc esset obligare illum ad impossibile, nempe quod in quinque annis relinqueret arbores grandes nouem annorum, vnde succedebat regula lege impossibilium, *ff. de reg. iur.* & quatenus fuisset replicatum ad fuisse arbores iam natas, quæ potuissent relinqui, duplicabatur hoc factum esse per locatorem probandum. *Bartol. in leg. non solum, §. morte, num. 48. ff. de oper. nou. nunciat.* allegabatur etiam quod Trincius, qui conduxerat pro nouem annis debuit in plus obligari quam Caluus, qui conduxit pro quinque annis tantum, & ex hoc diuersa ratione non esset locus subrogationis. *Soc. reg. 383. in 2. fallen.*

3 His non obstantibus Domini fuerunt in contraria sententia, quia verba obligationis Calui, de quibus supra visa fuerunt admodum clara, ponderando maxime illam clausulam, quæ omnia, & singula, quæ habet vim indiuiduæ expressionis omnium obligationem Trincij. *Paris. consil. primo, numer. 105. volum. 3.*

4 Ad primum argumentum fuit responsum negando diuersitatem, quia licet Trincius teneretur extirpare pantanum intra duos annos, non propterea excludit quo minus si intra illos duos annos id faciebat non teneretur etiam ex post, & ideo licet Caluus nõ successerit in illo accidentali de facien. in illis primis annis

annis, bene successit in illo substantiali de pantano etiam post duos annos extirpando. *Soc. reg. 383. in 1. fallen. & facit. l. cum in fundo. §. si fundus. ff. de iur. dot.* vbi pecunia quo ad restitutionem ipsam succedit in loco fundi dotalis licet non succedat quo ad tempus restitutionis, & in terminis similis pacti fuit tentum in vna Romana coram Bubalo relata inter diuers. impress. decis. 322. par. 2.

4 Ad secundum de impossibilitate relinquendi arbores 9. annorum intra spacium quinque annorum fuit responsum dupliciter, primo negando impossibilitatem, quia obligatio Trincij non consistebat in plantando arbores, sed in abstinendo ab illarum incisione, ita vt in fine locationis remanerent 500. arbores, quæ per nouem annos non fuissent truncatæ, quod bene patet ponderando verba locationis, ibi saltem nouem annorum, per quæ apparet, quod aderant arbores etiam antiquiores nouem annis, quæ poterant relinqui, & sic quod obligatio consistebat in relinquendis iam natis, non autem in plantandis nouis arboribus.

5 Nec est verum, quod locatori incumbat onus probandi, quod ad fuissent arbores relinquibiles ex *Bart. in d. §. morte, nu. 28* supra in contrarium allegato, quia locator non se fundat in aliquo facto extrinseco, ex quo resultet obligatio conductoris, in quibus terminis loquitur Bart. sed se fundat in obligatione conductoris, & ideo si conductor excipit de impossibilitate ex eo, quod non adessent arbores relinquibiles, debet istam negatiuam tanquam fundamentum suæ intentionis probare, Innoc. in c. super his. de accus. cum alijs per *Gabr. de probat. concl. 6.*

6 Secundo principaliter huic obiecto fuit responsum, quod obligatio de relinquendis arboribus non fuit præcisa, sed alternatiua, vel de soluendis Iulijs 12. pro singulis arboribus non relictis. Vnde etiam si quo ad relinquendas arbores obligatio propter impossibilitatem euanuisset, non vitiabatur obligatio, quo ad obligationem soluen. Iulios 12. *Ioan. Andr. in reg. in alternatiuis. num. 8. de reg. iur. in 6.*

7 Ad tertium de diuersa ratione fuit responsum, quodam quicquid dicendum foret de subrogatione facta a longe per *d. leg.* cum in fundo, quam ad hoc allegat *Soc. d. reg.* 384. conclusio non procedit in subrogatione facta ab homine, qui sciens, & prudens voluit obligari ad omnia, & singula, ad quæ tenebatur Trincius, istæ enim pactiones preualent legibus in contractibus. *l. legem vbi Bal. & alij. C. de pact.* & subrogatio operatur etiam in materia exorbitanti. *Aretin. in l. 1. n. 3. ff. de vulg. & pup.* Ad alia, quæ fuerunt adducta ad docendum implementum, non fuit per DD. aliquid dictum, quia videbantur extra dubium, in quo tantum quærebatur, An Caluus teneretur, quod affirmatiue fuit resolutum ex prædictis.

DECISIO CXXXI.

Montisfalcisci fideicommissi. Mercurij 24. Nouembris 1604.

Impressa Apud Ludouisio.

DECISIO 194.

REVERENDISSIMO P. DOM. COCCINO DECANO.

Viterbien. Fideicommissi Mercurij. 19. Ianuarij. 1605.

ARGVMENTVM.

Minori quando concedatur restitutio in integrum aduersus aditam hæreditatem, quando sic concessa prosit etiam minori.

SVMMARIVM.

Minoribus conceditur restitutio in integrum aduersus aditionem hæreditatis. nu. 1. Vbi tamen declaratur hoc procedere probata minoritate, & læsione.
Minor ætas non censetur probata per Dationem curatoris in præiudicium tertij. nu. 2.
Liber Baptismi, & fides inde sumpta probat descendentiam, ætatem, & similia concurrentibus adminiculis. nu. 2.
Notarius successor in officio potest extrahere, & publicare etiam lite pendente sui antecessoris instrumenta. num. 3.
Restitutio in integrum minori concessa an, & quando prosit maiori. num. 4.
Aditionis hæreditatis materia dicitur diuidua. num. 4. & 5. declarant num. 6.
Testatus quis pro parte, & pro parte intestatus decedere non potest. num. 5.
Inuentarij confectionis materia est indiuidua. nu. 6.
Restitutio in integrum non conceditur minori effecta maiori post quadriennium.

DECISIO CXXXII.

1 Dubitaui, an minoribus fratribus de Diribia esset concedenda restitutio in integrum aduersus aditionem hæreditatis, quæ prodesset & maioribus. Et quantum attinet ad primam partem dubij non cōtrouertebatur, minoribus competere restitutionem in integrum. *§. pupillis, & ibi glos. in Auth. de hæred. & Falc. Bart. in l. ait Prætor. in princ. ff. de minor. Bald. consil. 71. num. 2. lib. 4. late Roland. de inuent. p. 2. q. 5. Phanuc. de Inuent. p. 2. num. 24. quæ. 4. cum alijs late congestis per Moder. Perus. de restitut. in integr. quæst. 89. art. 7. numer. 51.* sed ad hunc effectum duo copulatiue debent probari, scil. ipsum assumptum, nempe minor ætas. *Bar. in l. de ætate. in tertia q. num. 12. ff. de minor. Abb. in cap. in præsentia. num. 32. de prob. & læsio, sine qua nulla datur restitutio l. nam & postea. §. si minor. ff. de iure iur. Bart. in l. denique. §. 1. ff. de minor. cum alijs.*

2 Quantum attinet ad primum requisitum, minor ætas non videbatur probata in persona Marci, quia datur solum deputatio curatoris, quę non probat minorem ætatem in præiudicium tertij *Alex. consi. 21. col. 1. lib. 1.* & aliud instrumentum quod fuit productum à Dominico per compulsum, & ideo non præiudicat producenti, sed solum probata videbatur in persona Octauij, pro quo datur fides baptismi, quæ concurrentibus adminiculis probat descendentiam, ætatē, & similia, vt fuit resolutum in causa Regien. Prioratus 29. Aprilis 1592. coram R.P.D. Mellino, & in causa Aretina Cappellaniæ. 10. Maii 1591. coram Reuerend. D. Episcopo Perusino, hic autem adest deputatio curatoris, quæ licet non probet, negari tamen non potest, quin faciat adminiculum.

3 Nec facit, quod ista fides baptismi sit extracta lite pendente, quia satis est, quod fuerint data a successore in officio, vt de Notario subrogato dicit *Dec. in Auth. si quis in aliquo. num. 26. C. de eden. Verall. dec. 351. part. 2.* & in terminis similis fidei fuit dictum coram me in causa montis Regalis iurisdictionis 9. Decembris 1602. Quantum attinet ad secundum requisitum, nempe læsionem, Domini non fuerunt concordes, sed dixerunt quod in hoc coadiuuaretur probatio.

4 Circa secundam partem dubii, An restitutio in integrum concessa minoribus prosit & maioribus, placuit

cuius distinctio facta per D. Cobellutium, An scilicet materia sit diuidua, vel indiuidua, quia si materia est indiuidua, restitutio prodest & maioribus, secus si diuidua, *gl. in l. vn. in verb. patrocinari vbi Doctor. C. si in vna eademq. causa*, *Bald. in d. leg. denique §. sed vtrum, num. 5. ff. de min. Afflict. decision. 203. late Modern. Perus. in d. tractatu quæst. 46. articul. quarto numer. decimo.* Sed in casu de quo agitur ex quo restitutio petitur à minore post aditam hæreditatem, materia est diuidua, vt est *textus apertus in leg. si minor ff. de acqu. hæred.* vbi portio minoris restituti aduersus aditionem hæreditatis non accrescit maioribus inuitis *Roman. in leg. cum hæreditate sub numer. 5. versic. & hanc legem, vbi Imol. sub numer. 3. versic. 5. vero. ff. eodem titul. de acquir. hæredit.*

5 Non obstat, quod hoc modo quis decederet pro parte testatus, & pro parte intestatus contra dispositionem iuris, *l. qui duabus, §. qui semel. ff. eodem tit.* quia cum agatur de restitutione obtenta post aditam hæreditatem iste est casus specialis, & bene respondet *Bald. in d. l. cum hæreditate.*

6 Nec obstat quod *Paris. cons. 65. num. 59. libr. 3.* teneat, quod in his terminis materia sit indiuidua quem sequitur *Moder. Perus. de rest. in integr. par. 1. quæst. 46. art. 5. num. 21. quia Paris.* loquitur in casu minus dubitabili, nempe confectionis inuentarij, cuius materia est indiuidua, vt per *Phanuc. qui Paris. reprehendit de inuent. part. 2. numer. 31.* præsupponit enim id de quo quæritur, nempe materiam esse indiuiduam, & ideo dicit, quod maior consequitur ex persona minoris, quod ex propria persona consequi non potest, quæ regula non procedit quando materia est diuidua vt per *Rom. cons. 195. nu. 5.*

7 Non obstat quod de anno 1594. fuerit petita à maioribus tunc minoribus restitutio in integrum, quia quicquid dicendum esset, an illa petitio suffragetur, & an de illo tempore maiores essent minores, tamen sufficit ad hoc, vt non competat, quod non fuerit prosecuta, postquam fuerunt effecti maiores intra quadriennium *l. fin. C. de tempor. in integr. restit. c. 1. de restit. in integr. in 6.*

ILLVSTRISSIM. D. CARDINALI MELLINO.

Colimbrien. Pensionis. Veneris 28. Ianuarij. 1605.

ARGVMENTVM.

Pensio imposita super Canonicatu debet solui per Capitulum quando Canonicus fuit suspensus & illius portio percipitur per Capitulum per ius accrescendi secus vero si per ius non decrescedi. Item pensio imposita super distributionibus quotidianis debet solui etiam de distributionibus quas Canonicus residendo acquisiuisset & plura alia ad hanc materiam.

SVMMARIVM.

Pensio imposita super Canonicatu dum Canonicus fuit suspensus debet solui per Capitulum vbicumque portio Canonici suspensi spectat ad Capitulum per ius accrescendi secus vero si portio spectet ad Capitulum per ius non decrescendi. nu. 1.

Distributiones quotidianæ non acquiruntur à titulari ante præstitum seruitium, nu. 2.

Pensio imposita super distributionibus quotidianis debet solui non solum de distributionibus quotidianis quæ percipiuntur à Canonico post præstitum seruitium sed etiam de ijs qua Canonicus residendo & inseruiendo acquisiuisset, numer. 2.

Pensionarius quando pensio est imposita super distributionibus quotidianis Canonicus fuit suspensus duplicem habet viam vel dirigendo actiones contra Canonicum suspensum, vel contra Capitulum quod distributiones percipia. num. 3.

DECISIO CXXXIII.

1 PRoposui dubium in Rota de ordine Sanctissimi D. N. an pensio reseruata super fructibus Canonicatus, & Scholastriæ ad fauorem Francisci Pinsi sit soluenda per capitulum Colimbrien. pro tempore quo Ioannes fuit suspensus pro cuius dubij resolutione informantes pro vtraque parte non erant discordes in conclusionibus iuris in materia iuris accrescendi vel non decrescendi, quod quando portio spectat ad capitulum per eius accrescendi transit cum suo onere si vero spectat ad capitulum per ius non decrescendi remanet libera sine aliquo onere penes capitulum quia illa portio nunquam fuit titularis, & ideo non decrescit à capitulo sed remoto obstaculo illam percipit iure proprio tanquam propriam ipsius capituli sed erant discordes in facto circa replicationem. An versemur in iure accrescendi & in hoc non potuit statui aliquid certi quia non adsunt acta in Curia Ideo non potest videri quomodo sint instituta istæ distributiones.

2 Et præterea omisso hoc fundamento domini firmarunt quod quamuis pensio imponatur super distributionib. Scholastriæ vel alterius dignitatis quæ non acquiruntur à titulari ante præstitum seruitium tamen intentio Papę est grauare ab initio, in fauorem pensionarij non solum illas distributiones quę acquiruntur titulari post seruitium. sed etiam eas quæ sunt destinatæ Canonicatui & Scholastrię quas titularis residendo, & inseruiendo acquisiuisset & mouebantur primo quia in literis reseruationum exprimitur valor distributionum quæ sunt debitæ titulari si inseruiat & non illarum quę actu acquiruntur & propterea necessario dicendum est quo Papa voluit afficere distributiones onere pensionis ante præstitum seruitium, & acquisitionem titularis. Secūdo mouebantur quia pensio imponitur in fauorem pensionarij qui sine aliquo seruitio est debita imponitur in fauorem pensionarij Papa intelligit grauare distributiones ab initio non habito respectu ad seruitium & acquisitionem titularis tertio mouebantur quia si non admitteretur iste intellectus perceptio pensionis redderetur euentualis, & penderet ex seruitio titularis eo enim suspēso vel aliter absente pensionario nō competeret actio pro consecutione suæ pensionis saltem cōtra capitulum, & similiter ei non deberetur pensio tempore vacationis dignitatis super qua est imposita, & hoc est multum absurdum & contra verisimilem mētem Papæ & Stylū hactenus seruatum secundum quem pensio omni tempore debet solui pensionarijs absq. aliqua subductione ratæ tempore vacationis. Quarto, & vltimo mouebantur quia succedendum simili causa inter capitulum Ecclesię Vlixbonen. & Alphonsum Colorna patebatur pensio imposita super distributionibus Canonicatus à Capitulo pro rata temporis vacationis, & absentię titularis, & Capitulum se defendebat quod non tenebatur quia distributiones perceperat iure proprio ex iure non decrescendi, & Sanctissimus D. N. per sua breuia declarauit quod tenebantur ad solutionem quia pensio erat imposita super distributionibus & ipsę distributiones hoc onere realiter erant grauatę & pro solutione pensionis obligatę & hypothecatę & ideo hoc opus pertinebat ad Capitulū à quo distributiones erant peregre, & ista breuia multum mouerunt Dominos, quia ex his dicitur clara mens Papę quod intelligit ab initio grauare in abstracto illas distributiones quas titularis lucratus fuis-

fuisset in seruitio, cum in huiusmodi contineatur declaratio clara quod distributiones sunt grauate, & pensio debetur à Capitulo pro tempore quo titularis non inseruiuit vt ex hac conclusione domini inferebant, quod cum Papa imponendo pensionem affecerit ab initio distributiones secundum earum naturā siue sit assignata siue non sit assignata massa particularis Canonicis, & dignitatibus, Capitulum nō potest amplius illas percipere in præiudicium pensionarij iuri proprio per ius non decrescendi, quia cum Papa separauerit, & abstraxerit ab initio illam ratam quæ debetur pensionario illam portionem separatam Capitulum non potest percipere iure proprio propter istud obstaculum separationis. *Bald. conf. 542. vers. & vbi, lib. 1. Paul. de Castr. consil. 262. vers. dicit autem Bart. lib. 2.* & propterea necessario est quod veniat ex iure accrescendi, quod transit ad Capitulum cum onere pensionis vt per *doct. in D. re coniunct. ff. de l. 3.* & ista opinio eo magis placuit Dominis, quia habemus declarationem in alio casu Sanctissimi D.N. à cuius mente pendet tota ista materia & Rota alias eandem opinionem complexa fuit quæ est etiam multum æqua, & ex ea euitantur multa absurda.

3 Non obstat quod Ioannes ex sua culpa propter suspensionem non perceperit distributiones, quia pēsionarius habet duplicem viam, potest enim dirigere actiones suas contra excommunicatum, vel suspēsum quia ex sua culpa non potuit inseruire, & lucrari distributiones, vt per *Gig. de pension. q. 64.* & similiter non habeat obligatas, & hypothecatas distributiones quotidianas, potest agere contra capitulum à quo sunt perceptæ pro solutione pensionis.

R. P. D. MANZANEDO.

Forolivien. Beneficij. Veneris 22. Aprilis 1605.

ARGVMENTVM.

Plures adducuntur casus, quibus remissoria debet concedi.

SVMMARIVM.

Remissoria conceditur in prima instantia facta obligatione de stando vnicæ, nu. 1.
Verisimilitudo præsumpta à iure sufficit pro fumo ad obtinendam remissoriam, num. 1.
Nemo præsumitur iactare suum, nu. 1.
Remissoria datur vbi articuli sunt releuantes, nu. 2.
Remissoria datur cessante calumnia, nu. 2.
Remissoriæ concessio in ciuilibus plurimum pendet ab arbitrio iudicis, nu. 2.

DECISIO CXXXIV.

1 Domini censuere Remissoriam concedendam esse Domino Stephano, licet simus in prima instantia, Cum ipse se obligauerit de stando vnicæ sententiæ, ex *Verall. decis. 57. par. 3.* Tum quia quamuis de fumo non constet ex Depositione Testium saltem nulliter examinatorum, satis de illo constare dicitur ex verisimilitudine præsumpta à iure, vt fuit dictum in vna Calaguritana de Nagera 7. Maij 1590. coram Orano, quæ verisimilitudo in hoc casu resultat ex permutatione à Dom. Stephano facta de alio Beneficio Sancti Petri Aquilanæ Diœcesis pro isto Beneficio Sancti Francisci consequendo, quod non est credendum fuisse, nisi istud Beneficium esset valoris in permutatione expressi, cum nemo præsumatur iactare suum, *ad l. cum de indebito. ff. de probation. Bald. in l. fin. C. de dot. promiss. cum similib.*

2 Tum quia articuli circa d. valorem sunt releuantes, ex quo intrat Remissoria ex *Verall. decisio. 66. & 68. par. 3. Cæss. de Graff. dec. 1. num. 5. & decis. 2. de dilation. eodem tit. dec. 647. num. 3. par. 3. diuers. Mohed. decis. 5. de probat. num. fin. facit l. ad probationem seruitutis cum ibi notatis C. de probat.* tum quia ex supradictis cessat calumniæ præsumptio, Vnde remissoria venit concedenda, *Cassad. dec. 3. de dilat.* potissime cum in remissoria concedenda in ciuilibus plurimum arbitrio iudicis committi assueuerit ad *Clem. vnic. de offic. deleg. l. 2. §. fi. C. vt int. cert. temp. crim. q. term.* ibi iudicium debet esse diligentia.

R. P. D. MANZANEDO.

Taurinen. Decimarum. Veneris 22. Aprilis 1605.

ARGVMENTVM.

Parochus habet assistentiam iuris communis pro percipiendis decimis ex prædijs existentibus intra suam parochiam, & contrarium asserenti incumbit onus probandi.

SVMMARIVM.

Habes in Argumento.

DECISIO CXXXV.

In hoc dubio tantum respicienti ius Parochi ad Decimas de prædijs in sua parochia existentibus, Domini dixerunt parocho ius commune assistere ad dictas decimas percipidas, ex capite cum contingat, *c. cum in tua de decim. c. fin. de paroch. cap. ad decimas, de restit. spoliat. in 6. & vtrobique Doctores, tenet Ioan. Andr. in dict. cap. tum in tua, num. 3. & ibi Butr. num. 3. qui etiam idem affirmat in d. cap. cum contingat, num. 2. & 8. Abb. in in c. conquerente, num. 2. vers. 12. & num. 6. vers. in gloss. in verbo quartam, de offic. ordin. Rebuff. in tract. de decim. q. 7. num. 4.* ex quo sequitur parochum non teneri aliter probare decimas sibi cōpetere quin onus huius probationis incumbere contrarium asserenti & ius commune cōtra se habenti *ex d. c. ad decimas, & c. 1. de præscript. in 6. idem Rebuff. in suo tractat. de congr. port. nu. 107. cum sequentib.* quod si pars aduersa nempe eleemosynarius prætendit prædictas decimas aliquo iure sibi competere, illo exhibito Domini videbunt.

REVERENDISSIMO P. D.

LVGDVNEN.

Zamoren. Beneficij. Mercurij 27. Aprilis 1605.

ARGVMENTVM.

Sequestrum in causa beneficiali semel appositum durat vsque ad finem litis nec potest per iudicem reuocari etiam ad instantiam eius, qui sequestrum apponi obtinuit, quando tertius post sequestrum venit ad causam & alij adducuntur casus in quibus est locus sequestro.

SVMMARIVM.

Præsentatio facta lite pendente est attentata, nu. 1.
Sequestrum in causa beneficiali postquam est appositum durat vsque ad finem litis etiamsi possessor obtineat vnam sententiam, num. 1.
Sequestrum debet renouari vbi lite pendente fuit violatum numer. 2.
Sequestrum non potest per iudicem reuocari etiam ad instantiam

tiam illius, qui sequestrum apponi obtinuit quando post sequestrum tertius venit ad causam,num.3.
Sequestro est locus, vbi recuperatio fructuum esset difficilior. num. 3.
Sequestrum in beneficio vacante facilius apponitur, ex quo nemini fit præiudicium,nu.4.

DECISIO CXXXVI.

INtroducta lite coram ordinario super beneficio de iure patronatus vacante in parochiali Ecclesia de Morales Zamoren. Diœc. inter Antoniũ de Ocampo, Isidorum de las Cucuas, & Hieronymum de los Rios à diuersis prætensis patronis præsentatos, Obijt Antonius, & in eius locum presentatus à Ludouico vnus ex prætensis patronis Martinus de Viuar fuit immissus in possessionem dicti Beneficij ab ordinario. Quamobrem pro parte dictorum Isidori, & Hieronymi fuit appellatum, & causa commissa in Rota, à qua resolutum fuit, presentationem fuisse attentatam, & possessionem sequestrandam coram bon. mem. R. P. D. Orano. Qui propterea sequestrũ apposuit, Martinus appellauit, & Causa commissa Illustrissimo D. Cardinali Seraphino nulla facta mentione de Hieronymo, fuit lata sententia in fauorẽ Isidori cui Martinus post appellationem interpositam cessit omne ius suum, & concordia inter eos inita, & Isidorus cœpit possessionem beneficij. Rebus sic stãtibus Hieronymus cessit iuri sibi competenti in fauorem Petri Lasanti qui venit ad causam, & pendente lite coram Illustrissimo D. Cardinali Pamphilio obijt Isidorus, & in eius locum à D. Ludouico præsentatus Philippus de Ocampo fuit immissus ab Ordinario dicti beneficij possessionem non obstante appellatione dicti Petri, & causa commissa eidem Illustrissimo Pamphilio, in cuius locum suffectus sum. Obijt Philippus, Vnde instante Petro pro appositione sequestri, fuit dubitatum, An sit reuocandum sequestrum, seu de nouo opponendum in casu, & ad effectum de quo agitur.

1 Et Domini vno consensu resoluerunt affirmatiue, Primo, quia sequestrum à principio fuit rectè appositum, cum presentatio facta de persona Martini lite pendente esset attentata. *Sarnen. in reg. de subrog. q.* 13. Et est decisio. in hac causa coram bon. mem. R. P. D. Orano, Veneris 30. Maij 1586. Et in causa beneficiali, postquam sequestrum fuit appositum durat vsque ad finem litis. *Clement.* 1. *de seque. poss. & fruct.* Ita vt quamuis possessor obtineat pro se vnam sententiam, nihilominus firmum est remanendum sequestrum. *Put.dec.* 133. *nu.*1. *& dec.*305. *nu.*2. *lib.*1.

2 Secundo quia licet duo ex litigantibus concordauerint, tamen cum adesset Hieronymus tertius colligans, & sic lite pendente violatio illa sequestri fuit attentata, & ideo intrat renouatio illius *Caputaqu. decision.*151. *&* 157. *par.*3. *Mohed. decision.*1. *numer.* 3. *de sequestr. post Cassad. decision.*3. *num.*7. *vt lit. pend.* & maxime in specie in his terminis allegabatur *decision. Guidob.* 120. *vt lit. pend.* incipit voluerunt in vna Baronen.

3 Tertio quia, si hoc casu iudex non potuisset relaxare sequestrum appositum etiam de consensu illius ad cuius instantiam fuerat appositum, *Caputaq. decis.* 101. *&* 160. *part.* 3. multo minus partes authoritate propria id potuerunt, *leg. qui iurisdictioni.ff. de iurisd. omn. iudic. leg.*1. *Cod. ne quis in sua causa*. Accedat, quia si secus fieret recuperatio fructuum esset difficilis, quo casu intrat appositio sequestri. *Put.decision.* 150. *nu.*3. *lib.*1. *& decis.*246. *num.*3. *part.*3. *Rot.decis.*13. *num.*3. *part.*2. *diuers.*

4 Postremo etiam de nouo videbatur DD. sequestrum apponendum ex quo possessio beneficij est vacans, & Petrus iuste timet de aliqua presentatione lite pendente, & intrusione vt factum fuit à Martino, & Philippo, nam vacante beneficio, facilius apponitur sequestrum, quia nemini fit preiudicium, *cap. cum vos, de offic. ordin.* & cum sequestratio de partium voluntate semper sit licita *Bart. in l. interesse. num.*2. *ff. de acquir. possess. Bald. in l. vnic. post num.*3. *C. de prohib. seq. pec. Card, in Clem.*1. *nu.*17. *q. de seq. poss.* & non adsit alia pars, nec alius de presenti qui pretendebat interesse. Res omni dubio visa est carere.

REVERENDISSIMO P. DOM. LVGDVNEN.

Mediolanen. de Brioschis, Veneris 22. *Aprilis*, 1605.

ARGVMENTVM.

Emptor sequuta venditione agit ad rem venditam, & vbi venditor non vult recipere pretium potest illud deponere. Et plura de interpretatione sententiæ.

SVMMARIVM.

*Contractu de conuentione legem accipiunt,num.*1.
*Emptor sequuta venditione ad rem venditam agere potest, numer.*1.
*Depositio est locus vbi creditor solutionem recipere recusat. numer.*1.
*Sententia recipit interpretationem prout iuris est, & ne partibus præiudicet,nu.*2.
*Sententia debet intelligi secundum naturam contractus cuius occasione fuit probata, nu.*2.
*Melioramenta vbi non sunt liquida sufficit cautio de illis reficiendis vsque ad quamcumque summam, nu.*3.

DECISIO CXXXVII.

1 PRæpositus, & fratres Sanctæ Mariæ de Biarda Ciuitatis Mediolanen. Ordinis Humiliatorum de anno 1515. inuestiuerunt Iacobum Brioschum, & Christoforum Scazosium de bonis de quibus agitur titulo locationis, & fictus liuellarij ad annos nouem, & deinceps ad partium libitum, cum pactis quod conductores tenerentur intra quatuor menses emere nouem ex decem partibus directi dominij illorum bonorum, eoque nomine Præposito, & fratribus soluere libras 4667. quas nouẽ partes dictis Præposito, & fratribus redimere eodem librarum 4667. pretio liceret intra nouennium, vel deinceps, & elapso nouennio bonis non retro emptis ijsdem cõditionibus reconductæ censerentur quousque locatores ea redemissent. Additum fuit quod si locatoribus bona redimere volentibus, cõductores predictam summam recipere recusarent, eo casu facto illius deposito retrouenditio haberetur pro facta absque aliquo iudicis decreto ac si fieret per publicum Instrumentũ. Item vt locatores redimere volentes dictis libris 4667. alias libras 423. addere, tenerentur pro melioramentis quæ iam eo tempore, quo contractus hic celebrabatur, conductores fecerant in hæc bona, & præterea præstarent omnia alia melioramenta, quæ deinceps fieri contingeret, sic tamen vt aliarum 200. librarum summam non excederent, & in fine instrumenti apposite fuerunt clausulæ de intrando in bona, & capienda eorum possessione propria authoritate, & aliæ similes. Ijs pactis cõuentis emptio sequuta est, & solutio librarum 4667. fuit facta à conductoribus, cessitque in commodum locatorum, qui nec elapso nouennio, neque deinceps bona redimerent

quin

quin mutatis sæpius Præpositis, tandem suppresso penitus ordine Humiliatorum hæc Sanctæ Mariæ præpositura bon. mem. Cardinalis Sancti Sixti fuit commendata, qui anno 1579. coram Vicario Mediolani in vim dicti pacti de retrouendendo introduxit iudicium recuperationis dictorum bonorum, & citatis Brioschis eiusque recusantibus recipere, deposuit prædictas libras 4667. vt Brioschis consignarentur facta per eos relaxatione possessionis dictorum bonorum, & quia Brioschi pactum de redimendo præscriptum esse dicebant, post longam causæ discussionem, tandem circa finem anni 1583. Vicarius Mediolanen. sua sententia aduersus eam præscriptionem Cardinalem restituit, factoque decreto, vt depositæ pecuniæ Brioschis consignarentur, relaxauit mandatum de illis expellendis à possessione dictorum bonorum, ita tamen vt amoueri non possent nisi prius per Cardinalem solutis omnibus melioramentis in exequutione liquidandis, à quo Decreto cum Brioschi non appellassent, & sæpius fuissent citati ad docendum de melioramentis, & ad alia quædam in exequutione decreti. Interim per obitum dictæ bon. mem. Cardinalis Sancti Sixti, Illustrissimus Cardinalis Montaltus de dicta præpositura prouisus fuit, eiusque nomine inherendo deposito antea facto, denuo fuit petitum, vt ad exequutionem dicti decreti deueniretur quod vt facilius procederet pro parte dicti Illustriss. Cardinalis oblatę fuerunt librę 423. in Instrumento enunciatę, & propterea alię 200. quam ad summam & non vltra conductoribus melioramenta facere erat concessum, & nihilominus ad maiorem, & supra abundantem cautelam pro melioramentis maior summa oblata est, si debita probaretur inde causa, Notario oblatas summas recipere recusante illarum depositum Cardinalis nomine factum est penes argentarium quendam Mediolani commorantem, qui etiam fideiussionem prestitit de maiore summa soluenda, quatenus opus esset, tandemque multis terminis Brioschis prefixis, cumque illi sępius auditi, sępius causę expeditionem differri obtinuissent, neque tamen interim aliquid probassent, iudex parte citata, de voto congregationis stante fideiussione prestita pro parte Illustrissimi Commendatarij, & alijs de quibus supra relaxauit mandatum de immittendo Cardinalem & expellendo Brioschos, à quo Decreto, cum Brioschi appellassent, & iudex appellationem reiecisset quo ad effectum suspensiuum, pro parte Cardinalis capta fuit possessio, interim Brioschi causam appellationis in Rota committi procurarunt, quam tamen subito desertam, cum prosequi negligerent, ipse Cardinalis eam denuo committi obtinuit cum clausula sine preiudicio legitime exequutionis, & Brioschis per contradictas citatis, & non comparentibus illo tantum Commendatario Informante, Rota possessionem bonorum nomine dicti Illustrissimi D. Cardinalis Commendatarij captam attentatam fuisse censuit, quare cum illa abdicata Idem Illustrissimus D. Commendatarius peteret in legitimam & iustam possessionem immitti, dubio dato, an sit confirmandum mandatum de associando Illustrissimo D. Commendatario, vel saltem de nouo concordandum in casu de quo agitur Domini dilata inspectione super eo, an hoc casu via exequutiua competat, vel tantum via actionis ordinaria, interim hodie statuerunt Cardinalem Commendatarium adimpleuisse pro parte sua, & posse redimere. Nam cum ex conuentione legem contractus accipiant *l. 1. §. si conuenerit. ff. depositi.* & hoc casu conuenta sit retrouenditio emptores ad eam tenentur, & venditor ad rem venditam siue reuenditum agere potest *l. Iulianus. §. offerri. de act. empt. Anchar. consil. 331. & alii per Tiraquel. de retract. lignag. gloss. 17. numer. tertio*, & ex deducta facti serie Cardinalem impleuisse constat cum aduersarijs recusantibus summas oblatas recipere eas deposuerit ex pacto conuencto, Neque etiam iure communi ad amplius teneretur *l. acceptam C. de vsur.* Ideoque associatio denegari non potuit. *Bal. in l. vnic. nu. 5. & ibi Salicet. C. ne in vna eadem caus. lic. per. prouoc.*

2 Neque obstat quod iudex mandauerit per Cardinalem refici omnia melioramenta, antequam Brioschi expellerentur, quia id videtur intelligendum de melioramentis ad quorum refectionem Ecclesia tenebatur. Sententia enim interpretationem debet recipere prout iuris est, & ita ne partibus preiudicet. *Aym. cons. 188. num. 8.* & secundum naturam contractus cuius occasione fuit prolata *Bald. & alij relati per Aymon. d. cons. sub num. 2.* ex pacto autem non tenebatur Ecclesia vltra libras 200. quę apud argentarium fuerunt depositatę.

3 Et quamuis etiam intelligenda sententia esset de melioramentis vltra prędictam summam, tamen ex quo non sunt liquida, sufficit cautio per Cardinalem prestita de illis reficiendis vsque ad quemcumque debitam summam *not. in l. 4. §. ait Prætor. ff. de re iud. & est decisio Put. expressa 471. num. 5. lib. 2.* Maxime cum Brioschis ad probanda huiusmodi melioramenta plures termini frustra prefixi fuerint. An autem obstet Cardinali prescriptio, Domini reseruarunt separatim videndum.

R. P. D. MANZANEDO,

Burgen. Præeminentiarum. Veneris 3. Iunij. 1605.

ARGVMENTVM.

Negligentia procuratoris in non appellando an sit iusta causa restitutionis in integrum, & an pendente causa restitutionis in integrum debeat fieri exequutio, & quando exequutio dicatur cępta.

SVMMARIVM.

Negligentia procuratoris in non appellando non facit quo minus sententia transeat in iudicatum, num. primo, vbi quod talis negligentia nec etiam iustam causam restitutionis præbet.

Sententia non debet exequi pendente causa restitutionis in integrum. nu. 2.

Fallit quando restitutio in integrum fuit commissa prout de iure, & ante commissionem iam erat cæpta exequutio, numer. secundo.

Exequutio dicitur cepta, quando fuerunt decretæ literæ exequutoriales. nu. 2.

Restitutio in integrum non retardat exequutionem iam cæptam. nu. 2.

Sententiæ approbatio resultat ex acceptatione, & paritione exequutorialium. nu. 3.

Exequutio sententiæ latæ super incorporalibus fit per solam præstationem patientiæ. nu. 3.

DECISIO CXXXVIII.

1 Legitimo procuratore citato, & non appellante à sententia lata illa transit in rem iudicatam absque eo quod procuratoris negligentia, dolo tamen excluso aliquomodo obstare possit, nec restitutionis causam iustam talis negligentia prębet. Imputet namque sibi, qui negligentem procuratorem constituit *ex Rota 27. de appellat. in nou. Cassad. dec. 5. de appellat. dec. 459. par. 5. lib. 3. diuers. nu. 2.* Vnde ex hoc capite Domini portionarij iuuari non valent.

2 Minus illis suffragatur causam restitutionis in integrum esse commissam qua pendente non debeat ad exequutionem dictę sententię procedi. siquidem dicta

cta commissa fuit cum clausula prout de iure. Vnde cum antequam dicta commissio restitutionis concederetur literæ exequutoriales prædictæ sententiæ, & rei iudicatæ fuerint decretæ ex quo illarum exequutio censetur cœpta vt tenet Rota, & fuit dictum in vna Carthaginen. Decanatus 16. Decembris 1587. coram bon. mem. Bubalo, quin & prædictæ literæ exequutoriales fuerunt in partibus intimatæ dictis portionarijs, personaliter, antequam causa restitutionis committeretur, ex quo cum prædicta commissio inuenerit dictam exequutionem iam cœptam non potest illam retardare ex notatis *à Rip. in l. 4. §. condemnatum, num. 50. vers. aliquando petitur restitutio, ff. de re iudicat tenet Alex. cons. 225. num. 6. lib. 6. Paul. de Castr. licet loquatur de unllitate, in authentica quæ supplicatio. num. 3. vers. vel dic melius, Cod. de præcibus impetrat. offeren. Put. decis. 285. lib. 2. & de restit. in integr. decis. 10. Cæss. de Grass. decis. 1. num. 14. de restitut. in integr. Faciunt notata a Bart. Socin. cons. 78. n. 4. in fin. vol. 3. & à Lancellot. de attentat. secunda, parte capit. 18. de attentat. restitut. in integr. pend. numer. 131.*

3 Quæ fortius procedunt in casu nostro, quo non solum literæ exequutoriales fuerunt intimatæ dimidijs portionarijs personaliter, & insimul cõgregatis, quin ipsi dictis literis se paratos obedire obtulerunt, posteaque retento termino ad respondendum dixerunt quod parebant, & acceptabant sententiam dictasque literas exequutoriales, erantque parati omnia in eis contenta adimplere, ex quibus resultat prædicta sententia expressa approbatio ad notat. per *Corn. cons. 256. num. 6. vol. 1. & Gozadin. cons. 98. numer. 19.* quin vt per Informantes notatur, non solum cœpta, quin & finita fuerat dicta exequutio ex eo, quod simul in iuribus incorporalibus, & portionarij se obtulerunt paratos adimplere omnia contenta in sententia ex quo patientiã probauerunt Capitulo quo ad præeminentias controuersas, & in sententia contentas, ad notata per *Abbat. num. 7. & Butr. num. 12. in c. fin. de iudic. & per Innocent. in c. cum nostris, num. 5. de concess. præben. & per Bart. in l. si prius. ff. de oper. nou. nunciat. & in l. à quo. ff. de damn. infect. & per Cassad. dec. 7. numer. 2. vers. 4. facit de caus. & possess. & propriet.* quæ magis indubitanter procedunt ex resolutione Rotæ hac eadem die facta coram D. Coccino in causa prædictæ restitutionis, in qua Domini dixerunt obstare transactionem ad effectum restitutionis.

R. P. D. MANZANEDO.

Tudertina Dotium. Lunæ 6. Iunij 1605.

ARGVMENTVM.

Liber rationum alicuius priuati non probat ad fauorem scribentis, etiam si fuerit scriptus à suo officiali.

SVMMARIVM.

Scriptura priuata, & domestica non probat. num. 1.
Scripturam priuatam admittere in fauorem scribentis esses calumniosum, nu. 2.
Relatum ad id quod non apparet nullius est momenti, num. 3.
Referentis nulla est virtus nisi appareat quanta, & qualis sit virtus termini ad quem fit relatio, num. 3.
Instrumentum faciens mentionem de alio non probat, nisi relato exhibito, num. 3.
Actum faciens per alium, videtur facere per se ipsum. num. 4.
Notario scribenti vt priuatæ personæ non creditur, nu. 5.
Scriptura priuata probat ad fauorem scribentis si aliquibus admiculis iuuetur, nu. 6.

DECISIO CXXXIX.

1 Stante nota siue memoria scripta in quodam libro D. Alexandri notata à quodam ipsius factore qua asseritur soluta fuisse Scuta 550. monetæ. D. Attilio de ordine & mandato d. D. Alexandri in banco Vbertinorum, in qua adictis Vbertinis dicta Scuta in pecunia numerata dictus Attilius habuit ad computum debiti quo tenetur D. Panthasileæ vxoris dicti Attilij virtute laudi facti ab Illustriss. Cardinalibus Sfortia, & Cesis, prout apparet in dicto banco lib. 2. signato I. facie 175. fuit dubitatum an ex prædicta nota aut memoria constet de solutione dictæ partitæ Scutorum 550. & Domini dixerunt non constare cum predicta nota sit quædam domestica, & priuata scriptura ipsius Alexandri, quæ iuxta iuris regulas nihil probat, *ex l. instrumenta l. rationes l. exemplo, C. de probat. l. inter Chartulas, Cod. de conuent. fisci debit. libr. 10. leg. nuda. ff. de donat. & vtrobique Scribentes, & Bald. in rubr. C. de fid. instrum. numer. 69. Aymon. de antiq. part. 1. §. viso de verbis num. 6.*

2 Et licet intelligamus iura in dicta lege instrumenta, *& d. l. exemplo prout illa intelligunt Paul. Bald. & Salicet. in d. l. instrumenta. num. 1.* nempe quod d. lex instrumenta loquatur in scriptura priuata debitoris contra quẽ agitur tex. vero in d. l. exemplo procedat in scriptura priuata creditoris, vt non faciat fidem pro se, vtcumque sit omnia hæc iura, velut scripturam priuatam non probare ad fauorem scribentis, vt colligitur ex d. l. exemplo, & d. l. inter chartulas, vbi dicitur perniciosum esse iniquum, & vanum, quin & calumniæ aditus pateret si tali priuatæ scripturæ in fauorem scribentis fides adhiberetur.

3 Quæ confirmantur ex eo quod in dicta nota fit relatio ad dictum bancum, ibi *come appare in ditto banco,* sed sic est quod perquisitis dictis partitis in bancho à Notario, & prout ipse affirmat summa cum diligentia non fuerunt repertæ, vnde cum non constet in bancho relato de dictis partitis sequitur nullatenus esse standum dictæ notæ referenti, cum relatum ad id quod non apparet nullius sit momenti, *ad glos. in verbis græcis c. vt veterum distinctione 9. glossa penultima, in c. si Romanorum 19. distinctione.* nulla namque virtus est referentis, nisi appareat quanta, & qualis sit virtus termini ad quem fit relatio, *leg. in testamento, ff. de condit. & demonstr. notat. Roland. à Vall. consil. 8. num. 20. & 21. vol. 3. faciunt notata à Dec. in authent. si quis, in aliquo. C. de edend.* circa instrumentum faciens mentionem de alio quod non probet relato non exhibito tum quia in dicta nota asseritur dictam partitam esse solutam in dicto bancho de ordine, & mandato D. Alexandri, & cum de d. ordine seu mandato non constet non creditur de illo asserenti ex notatis, *à Put. decision. 289. libr. 1. & à Verall. decision. 157. numer. 5. part. 3. & à Decian. vbi supra, dicto, numer. 51. & consil. 457. num. 2.*

4 Quibus non obstat huiusmodi scripturã non fuisse confectam à Domino Alexandro, sed ab ipsius factore, cum idem sit prout notat *gl. 1. in d. l. instrumenta.* ex ponens instrumenta domestica id est priuata non à tabellione facta sed à confitente siue ab alio, & cum fit scripta à factore pro eo habetur ac si scripta esset & ab ipso Domino. *Crauet. cons. 815. nu. 14.*

5 Non obstat dictum factorem esse Notarium cum hanc memoriam siue notam non tanquam Notarius scripserit, quo casu scriptura est priuata licet à Notario fuerit scripta, not. *Bald. in l. scripturas, nu. 7. C. qui potior. in pig. habeantur, & in c. 2. n. 5. vers. sed pone quod vnus de fide instru. & in c. cum à nobis n. fin. de testib. Fel. d. c. 2. nu. 4. vers. 4. declaratio. faciunt notat. à Purpurat. cons. 462. nu. 2.*

6 Et licet alias iuxta aliquorum opinionem per text. in d. l. instrumenta scriptura faciat fidem ad fauorem

E scri-

scribentis si alijs adminiculis adiuuetur, cum talia adminicula non adsint in nostro casu ideo non est in hoc vlterius insistendum. Minus agendum videtur in præsenti de vltimo motiuo Domini Panthasileæ nempe solutionem contentam in d. nota non fuisse factam ipsi creditrici, nec alicui de eius ordine seu mandato cum restet resolutum ex supradictis de prædicta solutione ex dicta nota non constare,

R. P. D. MANZANEDO,

Ianuen. Census. Veneris 17. Iunij. 1605.

ARGVMENTVM.

Constitutus in quasi possessione exigendi fructus census debet manuteneri, non obstante exceptione simulationis contractus, quæ non impedit lite pendente.

SVMMARIVM.

Possessionem exigendi habens ante motam litem debet in ea manuteneri. nu. 1.
Probatio fidem per confessionem partis superat omne genus probationis. nu. 1.
Exceptio simulationis contractus non impedit manutentionem durante lite. nu. 2.
Solutione vna denegata si prima fuerit facta debet concedi manutentio, quia in incorporalibus non obstante vnica denegatione solutionis, retinetur ciuilis possessio nu. 3.
Sententiæ, à qua appellatur, effectus est suspensus. nu. 4.

DECISIO CXL.

1 DOmini censuere Dominum Antonium esse manutenendum in quasi possessione exigendi pensiones census de quo agitur, cum de dicta illius quasi possessione ante motam litem constet, *ad textum in §. sed hodie instit. de interdict. leg. prima, §. huius interdicti. ff. vti possidet. Bartol. in leg. ait Prætor, §. quod ait. num. 2. & num. 14. ff. eodem Couar. pract. cap. 17. numer. 3. Veral. dec. 200. par. secunda,* sed sic est quod de dicta quasi possessione Domini Antonij constat ex confessione Hieronymi partis aduersæ, qui in iudicio petijt ex eo quod hic census fuerat declaratus fictus, & simulatus Dominum Antonium cogi ad sibi restituenda Scuta sexaginta auri, quæ ab ipso indebite habuit vigore huius census vt ex scriptura publica, quam exhibuit, constare dixit, & probatio per confessionem partis omne genus probationis superat ad *text. in l. final. C. de non numer. pecun. l. cum te. C. de transaction. leg. debitores. ff. de iudic. Veral. dec. 107. nu. 2. par. 3. Crauet. cons. 217. nu. 9.*

2 Non obstat exceptio simulationis contractus quæ respicit defectum tituli & non impedit manutentionem durante lite ex *Ferret. cons. 7. num. 3. & 4.* & fuit dictum in vna Romana census coram Robusterio 8. Februarij 1577. vbi plures, pro hac sententia adducit, quæ est qq. par. 1. diuers.

3 Minus obstat quod Antonio solutio pensionum fuerit denegata, quia cum semel fuerit in possessione etiam si dicta solutio illi denegetur, potest possessor in istis incorporalibus retinere ciuilem possessionem & petere manutentionem durante lite, ex *Fabr. in §. retinendæ. nu. 22. instit. de interdict. & Salic. in l. 1. nu. 7. C. vti possidet. & Marant. de ordine iudic. part. 4. distinct. 7. num. 20.* & pluribus citatis fuit dictum in supradicta decisione coram Robusterio.

4 Vltimo non obstat sententia, qua hic contractus declaratur simulatus cum ab ipsa fuerit appellatum, ex quo istius effectus fuit suspensus, & per rescriptum Sanctissimi qui commisit causam in Rota sine præiudicio solutionis census, & facit decisio Ispalen. pensionis 6. Aprilis 1576. coram bon. mem. Grassis & illa Venetiarum Census 22. Martij 1596. coram Illustrissimo Arrigonionio,

REVERENDISSIMO P. D. LVGDVNEN.

Vigleuanen. Iuris patronatus. Veneris 17. Iunij. 1605.

ARGVMENTVM.

Recusationi iudicij renunciatum censetur per reditum ad eundem iudicem. Item sententia lata in petitorio post suspensionem illius est nulla.

SVMMARIVM.

Sententia lata post inhibitionem alterius iudicis est nulla & attentate. nu. 1.
Recusans iudicem potest coram eo redire, si nondum causa fuit coram alio iudice introducta. nu. 1.
Recusationi iudicis renunciasse censetur qui redijt ad forum recusatum. nu. 2.
Sententia lata in petitorio illo suspenso est nulla ex defectu iurisdictionis. nu. 2. vbi etiamsi sit lata in possessorio, & in petitorio.
Citatio ad sententiam debet esse specialis. nu. 3.
Sententia confirmans sententiam nullam, nulla est. nu. 4.

DECISIO CXLI.

1 ROuescala tulit sententiam suam post inhibitionem emanatam à Vicario Papiens. & ab Auditore Cameræ, ideoque attentata fuit & nulla, *cap. non solum. de appellat. in 6. Rot. decisione 20. de appellat. in nou. cum vulgar.* Neque obstat quod Vicarius Papien. fuerat recusatus, & per eius recusationem causa commissa Rouescala, Nam illius Vicarij recusati persona fuerat mutata, & sic cessante causa suspicionis Balista, qui Rouescala causam obtinuerat committi adiuit nouum Vicarium, & coram eo introduxit causam antequam Rouescala præsentasset rescriptum, quod facere potuit, *Hostien. in c. ex conquestione. col. 2. in prin. vers. Tu vero dicas, & ibi Abb. nu. 10. de restit. spol. Fel. in rubr. de rescript. nu. 3.*

2 Itaque per non vsum rescripti, & per reditum ad forum recusatum post recusationem Balista censetur renunciasse recusationi, & rescripto occasione eius obtento, & per consequens Rouescala vigore dicti rescripti procedere non potuit, maxime post emanatam ab illo nouo Vicario Inhibitionem, & etiam ab A. C. coram quo causa fuerat per appellationem introducta fuit etiam nulla prædicta sententia, quia lata in petitorio pro parte suspenso, & sic sine iurisdictione. *Rot. dec. vlt. de testibus in nouis Put. dec. 171. nu. 1. lib. 1. & licet lata sit super possessorio & petitorio, tamen in totum nulla est Caputaq. dec. 143. par. 3.*

3 Proponebatur etiam per Informantes tertia nullitas ex defectu citationis ad sententiam, quia licet citatio præcesserat, tamen non fuerat dictum ad sententiam, ex *gl. in cap. cum contumacia in verbo respondeat de hæret. in 6.*

4 Sententia autem Vicarij Casalensis fuit etiam nulla, vt pote lata super petitorio durante adhuc petitorij suspensione, preter quod cum esset confirmatoria illius Rouescalæ quæ nulla erat & attentata, deficiebat illius fundamentum *l. egi tecum 26. de except. Rota decis. 10. de præben. in antiq.* Itaque fuit conclusum vna tantum parte Informante sententias esse Informandas ex Capite nullitatis, ex quo si non sufficit In-

formantibus sententiæ reuocatio, Domini dixerunt videndum fore particulariter de iniustitia.

R. P. D. MANZANEDO.

Hipporregien. Canonicatus, & Præbendæ, Lunæ 17. Iunij 1605.

ARGVMENTVM.

Ex Summarijs sume argumentum.

SVMMARIVM.

Clausula, Parito literis in forma Breuis, apposita in commissione operatur, vt iudici non censeatur data iurisdictio nisi prius de dicta paritione constiterit, nu. 1.
Adimplere quis dicitur adimplenda, quando per ipsum non stetit quin adimpleretur, nu. 2.
Optandi pinguiores præbendas consuetudo non habet locum in reseruatis, num. 3. & 4.
Decretum irritans in reseruationibus appositum inficit titulum, & possessionem, nu. 4.
Papa reuocando ea quæ sunt iuris positiui, dicitur illa reuocare, vt ex tunc, nu. 4. in fine.

DECISIO CXLII.

1 CVm hæc causa fuerit commissa cum clausula, Parito literis in forma Breuis, antequam ad causæ merita deueniatur, necesse est de paritione literarum constare, alias non adesset iurisdictio, quæ videtur concessa sub conditione, si prius de dicta paritione constiterit, & non alias ex notatis *à Paris. consil. 45. num. 5. & 6. libr. 4. & à Puteo decision. 429. libr. 1.* & fuit dictum in vna Compostellana Parochialis 16. Decembris 1596. coram bon. memor. Orano. Vnde de adductis à Capitulo, respicientibus merita causę principalis, non est, vt quid modo agatur, quin tantum de dicta paritione, de qua non sufficienter constare Domini censuere, cum Dominus Iulius Cæsar fuerit prouisus à Sanctissimo de Canonicatu, & præbenda omnium Sanctorum. Et licet de Canonicatu ei fuerit tradita Possessio, nihilominus de dicta Præbenda Capitulum semper recusauit illi possessionem dare. Vnde cum talis Possessio à Capitulo sit præstanda, *ex Cassador. decisio. 8. de causa Possessionis, & proprietatis, & notatis ub Innocentio, Ioannæ Andrea, & Butrio in capit. in literis, de restitut. Spoliator.* Sequitur euidenter Capitulum dictis literis, quo ad traditionem possessionis dictæ Prębendæ nullatenus paruisse etiamsi Ioannes Gromis, quii llam antea optauerat in Capitulo illam dimiserit, & declarauerit intendere existere in possessione suæ antiquæ præbendæ d. Rotundę, ex quo magis deprehenditur inobedientia, & contumacia Capituli in non parendo dictis literis.

2 Secundo constat Capitulum recusare admittere d. Iulium Cæsarem ad librum datæ, & participationem Distributionum, & sic de dicti Capituli euidenti non paritione. Quibus non obstat dictum Iulium Cesarem ex forma statutorum dictæ Ecclesiæ non fecisse septimanam probationis, cum ex actis constet Iulium Cæsarem, non semel Capitulum interpellasse pro dicta hebdomada sibi assignanda, seque paratum obtulisset implemento dictorum statutorum quod per Capitulum recusatum fuit. Vnde cum per ipsum Iulium Cesarem non steterit illi imputari non debet, quin habendus est in præiudicium Capituli ac si dicta statuta impleuisset, ad regulam vulgarem in cap. cum non stat per eum, *de reg. iur. in 6. cap. iure ciuili, de condit. & demonstrat.*

3 Et licet ex prædictis non esset in præsenti curandum de adductis à Capitulo circa consuetudinem optandi pinguiores præbendas in dicta Ecclesia, & quod tempore gratiæ Apostolicæ etiam dicta præbenda omnium Sanctorum erat optata, cum hæc omnia, non ad articulum præsentem solam paritionem literarum Apostolicarum respicientem, sed ad merita causæ principalis concernant: Nihilominus ad maiorem abundantiam dicimus, quod stante vacatione huius Canonicatus & præbendę Mense Ianuarij Sanctissimo per regulam octauam reseruati cessat talis optio, quæ in reseruatis non habet locum, *ex text. in capit. final. §. in præbendis, de consuetud. in sexto, vbi Franch. num. 6. & Ancharan numer. 1. Gemin. consil. 30. a nu. 5. vsq; ad 9. Cassad. dec. 4. de concess. præb. nu. 1. Simonet. tract. de reseruat. quæst. 45.*

4 Potissime cum eadem regula octaua expresse excludat dictam consuetudinem optandi pinguiores præbendas in vers. ac consuetudines etiam immemorabiles optandi &c. cum decreto irritanti, quod in reseruationibus oppositum inficit titulum, & possessionem, *ex Cassad. decis. 1. de caus. & possess. & propriet. Rota in nou. decis. 3. de restitut. spoliat. num. 1. Simonet. vbi supra quæstione 40. in princip. per text. in cap. vt nostram, de appellat. c. si eo tempore de appellat. in 6.* quia & tale decretum irritans habet oculos retro ita, vt operetur nullitatem ab ipso initio. *Cassad. super regul. decis. 12. nu. 4. & 5. Sarnen. in regula de Annal. quæst. 5. num. fin. & fuit dictum in vna Aquilana Prioratus. Secunda Iunij 1581. coram bon. mem. Cautuccio, quæ est 149. num. 2. par. 2. diuersor.* Vbi redditur ratio, quia Papa reuocando ea quę iuris positiui sunt, reuocat illa, vt ex tunc gloss. communiter approbata in Clementina prima in verbo pro infectis de immunitat. Ecclesiarum. Vnde excluditur fundamentum capituli quod tempore dicta gratiæ iam optio processerat.

REVERENDISSIMO P. D.

MANZANEDO.

Carthaginen. Translationis. Pensionis Die 19. Iunij 1606.

ARGVMENTVM.

Pensio vt possit transferri requiritur specialis facultas, & debet dicta facultas executori præsentari, & probandam præsentationem non statur dicto executoris nisi actus præsentationis sit extensus, nec attestationi Notarij, nisi in Instrumento translationis inseratur ipsa facultas.

SVMMARIVM.

Pensio vacat per promotionem ad Episcopatum, num. 1.
Pensio non potest transferri absq; speciali facultate transferendi etiam si in reseruatione fuerit concessa retentio etiam in casu promotionis ad Episcopatum, nu. 1.
Facultas transferendi pensiones vti odiosa est digna speciali nota, nu. 1.
Omissum habetur pro omisso in odiosis. nu. 1.
Iurisdictionis exercitium non acquiritur ante præsentationem rescripti. numer. 2. vbi etiam si iudex sciat se delegatum.
Rescripti sui literarum præsentatio non probatur per assertionem executoris seu iudicis, nisi actus præsentationis sit extense scriptus, & nisi rescriptum seu literæ sint originaliter in actis registratæ, nu. 2.
Vbi quod non sufficit quod Notarius attestetur facultatem transferendi pensionem sibi fuisse exhibitam ac illam vidisse, & legisse, nisi quod cum in instrumento translationis registratur.
Instrumentum non recognitum est sicut scriptura priuata, numer. 3.

Recognitionis defectus potest opponi in curia, etiamsi in partibus non sit oppositus. nu. 3.

DECISIO CXLIII.

1 DOmini dixerunt translationem pensionis esse inualidam, tum quia Cardinalis Pacecho postquam sibi huiusmodi pensio fuit reseruata, fuit promotus ad Ecclesiam Burgen. ex quo pensio vacauit *cap. cum in cunctis, §. cum vero. & ibi Abb. de elect. Gig. in tract. de pension. quæst. 56. circa fin. Rota diuers. decis. 233. nu. 1. par. 1.* quod procedit, & si in dicta reseruatione fuerit ei concessa retentio pensionis, & in casu promotionis ad Episcopatum, quia opus fuit retentionem fuisse concessam cum ista qualitate, nempe cum facultate transferendi, alioquin & si ex dicta facultate retinendi posset Cardinalis post promotionem ad Episcopatum gaudere dicta pensione, non tamen potuit illam transferre, vt in terminis tradit *Verall. decis. 315. & 322. par. 2. in impress. & in dec. 320. incipienti dispensatio lib. 1. in manuscript.* Facultas namque transferendi cum sit odiosa, digna est speciali nota, & in odiosis quicquid est omissum habetur pro omisso *l. commodissime. ff. de liber. & posthum. cap. odia. de reg. iur. in 6.*

2 Tum quia Canonicus Calderon. dictæ translationis executor, carebat Iurisdictione, cum illi literæ facultatis transferendi non fuerint præsentatæ, prout requiritur ad exercitium Iurisdictionis assequendũ *per textum in cap. super eo il secundo, vers. fin. de appellat. gl. in verb. receptis. in clementina 1. de procurator. Crescen. dec. 13. de concessione præbend.* qui aliquos pro ista sententia allegat, & vltra ab eo ibi adductos eandem sententiam tenet *Archidiaconus in cap. si is cui, de offic. delegat. in 6. & Feder. de Senis. cons. 23. & Baldus in l. falsus, nu. 19. C. de furtis per tex. quem allegat in cap. ex conquestione. de restit. spoliat.* vbi dicit Bald. quod nisi ante omnia fiat præsentatio rescripti processus est nullus, etiam si iudex sciat se delegatum, ita quod istud non est ratione ignorantiæ, sed quia eius Iurisdictio pendet ex productione rescripti quod Bald. ibi dicit notandum. idem tradit *Rota in nou. decis. 21. num. 5. cum seq. de concess. præben. & Ægid. dec. 110. num. 13. Ferret. cons. 85. nu. 4. dec. 69. part. 1. diuersor.* nec statur super præsentatione literarum assertioni executoris, nisi actus præsentationis sit extense scriptus, vt dicit Rota in vna Tuden. beneficij del Rosol. 12. Decembris 1594. coram R.P.D. meo Decano, & nisi literę sint originaliter registratæ in actis, vt in eadem causa fuit dictum coram Reuerendissimo Pacen. 9. Ianuarij, 1595. & vt Ferretus vbi supra, nu. 3. dicit nec standum erit attestationi Notarij asserentis in instrumento translationis vidisse, & legisse facultatem transferendi sibi exhibitam, quamuis attestetur de Anno, Mense, & die concessionis illius facultatis nisi sit per eum in instrumento registrata, argumento authenticæ si quis in aliquo, C. de eden. & hanc ibidem dicit communem idem Ferret.

3 Vlterius quia instrumentum translationis non habet recognitionem, qua deficiente remanet sicut scriptura priuata, quæ non facit fidem *capit. 2. de fide instrum. l. instrumenta. C. de probat. tradit Oldrad. cons. 1. n. 3.* & fuit dictum in vna Iacen. Portionis de Anzi 12. Ianuarij 1604. coram Reuerendissimo Rhodien. vbi dicitur hoc procedere, & si in partibus non fuerit oppositum, cum etiam isto casu defectus recognitionis iurium potest opponi in Curia, vt fuit dictum coram Paleotto in causa Cremonen. Prioratus 30. Octobris 1601. Nec Ioanni translatario suffragatur instrumentum Clericatus exhibitum, cum non sit recognitum, & testes super eo sint examinati sine citatione partis. Reliqua euacuantur in decisione coram Illustr. Pamphilio tunc Rotę Auditore in huiusmodi causa facta.

REVERENDISS. P. D. MANZANEDO.

Salamantina Beneficij de Almennara. Lunæ 20. Iunij 1605.

ARGVMENTVM.

Alternatiua si sit concessa in medio Mensis Apostolici an illius vsus incipiat currere à die datæ, vel potius incipiat ab initio alterius Mensis habilis.

SVMMARIVM.

Mensis qui ab initio vigore regulæ octauæ est Apostolicus, si in medio Mensis acceptetur alternatiua non efficitur quo ad residuum ordinary, quia alternatiua loquitur de Mense integrali, non de singulis illius diebus. nu. 1. & num. 4. nu. 5. & nu. 6.

Regula octaua reseruans octo Menses dispositioni Apostolicæ illos nomine proprio designat. nu. 2.

Mensis quando est proprio nomine vocatus computatur à media nocte vltima Mensis præcedentis vsque ad mediam noctem vltimam Mensis, de quo agitur. numero secundo.

Secus in Mense appellatiuo nomine Mensis vocató, quia tunc fit computatio a die termini ita vt si terminus vnius Mensis incipiat die 20. Aprilis finietur 20. May. nu. 2.

Domus dicitur totum integrale constans ex fundamentis, parietibus, & tectis. nu. 3.

Mensis proprio nomine designatus dicitur quoddam totum integrale ex suis partibus, nempe diebus constans. num. tertio.

Totum illud dicitur, quod vnum & continuum est, & prout est vnum integrale, & ex partibus integralibus consistens. num. 3.

Dispositio facta de vno toto integrali intelligitur facta de toto, non autem de partibus illius. num. 3. Vbi etiam de possessione, & nu. 5.

Mensis qui in sui initio fuit Papæ reseruatus, semper remanet reseruatus. nu. 6.

Beneficium semel affectum semper remanet affectum. numer. sexto.

Affectio difficilius remouetur quam reseruatio. nu. 6.

Dictio tunc denotat temporis extremitatem. nu. 7.

Aliquando tamen diuersimode in iure accipitur. nu. 8.

Dictio tunc aliquando refertur ad casum. nu. 9. vbi maxime si addita est dictio demum.

Extremitas temporis vt cognoscatur recurrendum est ad præcedentia. nu. 9.

Mensis Apostolicus desinit esse Apostolicus, & efficitur ordinarius, si Papa moriatur in medio Mensis. num. 10. Vbi adducitur ratio.

Alternatiua concessa & recognita in medio Mensis Apostolici ille Mensis in reliquo ipsius desinit esse Apostolicus & efficitur ordinarius, nu. 10. Vbi id non firmatur, & nu. 11. & 12. affertur responsio.

Reseruationes inductæ per regulas Cancellariæ cessant per mortem Pontificis, & collatio beneficiorum spectat ad ordinarium. nu. 10.

Alternatiua remouet obstaculum inductum per reseruationem octo Mensium. nu. 10.

Alternatiua non tollit reseruationes ac affectiones quibus beneficia antea reseruata, vel affecta erant. nu. 11.

Alternatiuæ vsus incipit ab initio Mensis habilis. numero decimo secundo.

DECISIO CXLIV.

ACceptata alternatiua Salamanticæ à Domino Episcopo sexto Iulij 1605. quo ad diæcesim, non vero

vero quo ad Ecclesiam, & recepta, recognitaque in Dataria dicta acceptatione 18. Augusti eiusdem anni, euenit obitus quondam Didaci die 19. eiusdem Mensis Augusti, per quam vacauit beneficium de quo agitur, & de illo Dominus Rodericus à Papa septimo Octobris, & Dominus Franciscus ab Episcopo 29. Septembris illiusmet anni fuerunt prouisi, vnde ortum fuit dubium, An collatio huius beneficij spectauerit ad Papam, vel ad Episcopum.

1 Et Domini censuere ad Papam prædictam collationem spectasse moti illo potissimo fundamento, quod dictus Mensis Augusti in sui principio, per regulam octauam, fuerit Apostolicus, & reseruatus, & ita debuerit reputari vsque ad illius finem, & gratiam alternatiuæ loquutam de mense integrali, non vero de singulis illius diebus, vt tenuit Rota in vna Fauentina Canonicatus 16. Decembris 1585. coram Illustrissimo Blanchetto, argumento *tex. in l. eum qui ædes. ff. de vsucapionibus*.

2 Tum etiam quia dicta regula octaua reseruans octo Menses dispositioni Apostolicæ, illos nomine proprio designat, quo casu quilibet eorum debet computari à media nocte vltima Mensis proxime præcedentis, vsque ad mediam noctem vltimam mensis de quo agitur. *ad text. in l. more Romano. ff. de feryt notat Bal. in l. eos. §. sin autem. num. septimo versic. dixi superius. ff. de appellat. & melius Rebuff. de coltation. §. præfatique ordinary. verb. subsequentibus Mensibus, & in tract. de nomination. quæstion. ibi. numero secundo*, quod secus esset in Mensibus hoc enim appellatiuo (Mensis) nominatis, quo casu à die termini fieret computatio, ita vt si terminus vnius Mensis inciperet die vigesimo Aprilis finiretur 20. Maij, *ad glos. notab. in cap. quam sit. de electio. in sexto, & notat Bald. vbi supra*, vt late *Cardinal. in cap. licet de supplen. negligen. Prælat. de Rebuff. vbi supra de collation. d. verb. sequentibus Mensibus, & in tit. de form. mandati Apostol. verb. post mensem. versic. quomodo computetur hic Mensis. vbi plures Doctores allegat. Tradit Guilel. Mandagot in tractat. de electio. cap. quinto, per totum*, & ibi in addition. latissime Boer. recitans quam plures huius sententiæ Doctores, & de hac materia differentes. Vnde cum dicta regula Octaua disponat de Mensibus proprio nomine designatis, necessario computandi erunt ab initio vniuscuiusque Mensis vsq; ad illius finem.

3 Vlterius quia prout domus dicitur totum integrale constans ex fundamentis, parietibus, & tectis, ad notata per *Bart. in l. qui vsumfructum. numer. tertio. ff. de verborum obligation.* ita hic Mensis proprio nomine designatus dicitur quoddam totum integrale ex suis partibus, nempe diebus constans, Potissime cum ex Canono commentarior. *iur. ciuil. libr. octauo. capit. quarto, numero primo, versic. totum autem.* illud dicitur totum quod vnum, & continuam est, & vt notat Chassanæus in consuetud. *Burgund. §. 1. versic. aduerte totum dicitur*, prout est vnum integrale, & ex partibus integralibus consistens, *& Rebuff. in l. nominis, 6. de verborum significatione, versic. totum autem illud dicitur* totum integrum quod vnam respicit rem ita hic Mensis Augusti dicit vnum tantum mensem, & continuum, & sic vnum totum integrum ex suis integralibus partibus, nempe diebus consistens, sed sic est, quod qui loquitur de domo, aut de insula, sic de vno toto integrali, loquutus intelligitur de toto, non vero de partibus illius, vt notat Alciatus, *in leg. appellatione rei. versiculo, quare si quis de domo loquatur. ff. de verborum significatione, & facit textus in dicta leg. cum qui ædes. ff. de vsucapion. & in leg. qui vniuersas. 50. ff. de acquirenda possessione*, quibus disponitur, quod qui corpus integrale possidet, veluti domum, non dicitur possidere partes singulas filius corporis, & ibidem redditur ratio, quia si separatim quis illas partes possideret, iam totum non esset quod intelligitur de possessione particulari singularum partium domus vel cuiusuis totius, cuius singulas partes non dicitur singulariter possidere, sed in concreto, qui totum integrale possidet, ad notata per *Angel. & Scribentes in dict. leg. qui vniuersas*.

4 Ex quibus sequitur, quod dicta regula octaua quæ loquuta est de Mense Augusti, & sic de toto integrali quidquid disposuit circa reseruationem beneficiorum vacantium in illo Mense concernit, & respicit totum illum Mensem integralem cum suis partibus in concreto, non autem concernit illius partes nempe singulos dies, & separatim ab illo toto, alias hoc totum nempe dictus Mensis cessaret quo ad dispositionem de dicto Mense loquutam, & intraret dispositio de singulis diebus, quod nec iura ex supradictis admittunt, nec dicta regula octaua quicquam tale dictat, quin totum contrarium.

5 Facit pro hac resolutione singulare responsum *Vlpiani in l. 4. ff. de verborum significatione*, vbi si in itinere faciendo si viginti millia passuum in singulos dies sint peragenda, ita debent accipi ac si passus non attingant dictum numerum viginti millium nihilominus diem integrum occupent, quod si dicti passus dictum numerum viginti millium vtcunque excedant licet in vno tantum milliari, nihilominus integrum biduum tali itineri attribuetur. Vnde licet Vlpianus videret tam milliaria passuum, quam horas diei posse diuidi, & respectu horarum, & milliarium passuum posset respectiue computatio fieri quod magis æquũ videbatur, nihilominus prout ibidem notat Rebuffus, quia in dicta computatione interdum daretur plus interdum minus, & multæ controuersiæ nascerentur, ad illas vitandas Vlpianus non admisit diuisionem diei per horas, quin voluit, quod etiamsi vnum tantum milliare passuum superesset, illud occuparet integrum diem. Et licet hæc ratio decidendi adducta à Rebuffo satis conueniat responso Vlpiani quin & nostræ resolutioni Nihilominus *Vlpianus in dicta leg. quarta altius cogitauit*, considerauit namque initium diei quod si dies cœpit occupari in itinere etiam vnico passuum milliari, ex solo illo initio diei sic occupato, voluit totum diem integrum in eodem itinere occupatum censeri, & sic non considerauit Vlpianus partes diei, nempe horas proportionales ad partes itineris per milliaria passuum diuisibiles, quin considerauit initium diei, ex quo integrum, diem vocauit, & attribuit tali itineri faciendo, ita in nostra regula octaua ad instar Vlpiani Papa non considerauit partes Mensis nempe dies, sed initium Mensis, ita vt, si in sui initio esset Apostolicus, & reseruatus, ita integer vsque ad finem permaneret, vt etiam hac via discordiæ, & differentiæ quæ alias in computatione dierum possent oriri cessarent.

6 Item cum in initio dicti Mensis Augusti ius Papæ esset acquisitum, semper ille Mensis remanet reseruatus, prout fuit dictum in dicta decisione Fauentina, sicuti beneficium semel affectum, semper remanet affectum ex Rota in nou. de præben. decisione decima & in extrauaganti Pauli secundi incipienti ad Romani. de prebend. tradit *Simonett. de reseruat. quæstione 64. numero septimo, & octauo, & Mandos. regula prima, quæstione quinta, num. nono*. Quin, & si reseruatio cesset, remanet tamen affectio, quæ difficilius remouetur ex authoritatibus supradictis. Ex quibus infertur quod cum dictus Mensis in sui initio fuerit dispositioni Apostolicæ reseruatus, erunt, & reseruata, & affecta beneficia in eodem Mense vacatura, ita vt licet gratia alternatiuæ fuerit acceptata ab Episcopo, quin & recognita in Dataria Decimo octauo Augusti Nihilominus beneficia post dictam recognitionem in eodem Mense vacantia, sunt & remanent Papæ reserua-

seruata, & affecta, & non comprehenduntur sub dicta gratia alternatiuæ ex supradictis, & ex verbis eiusdem gratiæ, ibi dummodo alias dispositioni Apostolicæ reseruata, vel affecta non fuerunt, vbi expresse Pontifex declarauit suam mentem nullatenus esse, concedere Episcopis sub dicta gratia alternatiuæ beneficia semel Apostolicæ dispositioni reseruata, aut affecta.

7 Non obstant verba eiusdem regulæ octaue, ibi quibus receptis, & recognitis, tunc demum, & non antea vti incipiant gratia supradicta quasi illis detur intelligi à die recognitionis factæ in Dataria, incipere Episcopum gaudere dicta gratia ex vi dictionis tunc denotantis temporis extremitatem ad textum *in l. 4. §. fin. ff. de condition. & demonstration.*

8 Quia respondetur dictionem tunc, non semper extremitatem temporis significare, quin diuersimode in iure accipi, vt notat *Cassadorus decis. 1. num. 3. de testament. & late Rebuff. in l. mulieris appellatione, §. desinere, à versic. tunc id est eo, casu, cum sequentibus, ff. de verborum significatione, & Mandel. consil. 51. nu. 19. cum seq.* & cum ex tot iuribus, & rationibus supra relatis & ex grauissima Rotæ authoritate, quin & ex mente Pontificis cognita ex verbis eiusdem regulæ Octaue, constet in ea de mensibus integralibus, non vero de singulis illorum diebus dispositum fuisse, non est rationi consonum, vt ex vnica hac dictione tunc, quæ ita varie assumi potest, prædictum verum huius regulæ, intellectum destruere velimus potissime cum dictio tunc, significet temporis extremitatem, solummodo quando ad tempus refertur prout *in l. 4. §. finali, ff. de condict. & demonstr.* vbi cum ad extremum quinquennij referatur, significat extremitatem dicti quinquennij, vt tenet *Rebuff. vbi supra versic. aliquando refertur, vers. sequenti.*

9 Tum etiam quia dictio tunc, in regula 8. non ad tempus, sed ad casum refertur, nempe ad casum, quo recognitio in Dataria fuerit facta, quod etiam est de illius dictionis natura, vt docet Rebuffus ibidem versic. tunc id est eo casu, quæ comprobantur ex eo quod regula non simpliciter vtitur hac dictione tunc, quin dicit, tunc demum, quæ dictiones simul iunctæ referuntur ad casum quasi dictum sit, tunc demum id est, hoc facto, per *text. in leg. licet. ff. depositi.* ibi, nam tunc demum sequester possidet, notat *Rebuff. vbi supra versic. tunc demum*, & sic sensus huius dictionis in hac regula talis est tunc demum, & non antea, id est facta dicta recognitione in Dataria, incipiat Episcopus vti alternatiua, non vero antea, ita vt respiciat omnimodam exclusionem vsus alternatiuæ ante dictam recognitionem, illa vero facta non negamus aliquam extremitatem temporis esse dandam à qua incipiat vsus alternatiuæ, quæ incipiet ab initio primi mensis, ad Episcopum ex dicta gratia competentis qualis in hoc casu esset mensis Octobris, in cuius initio & non antea potest reperiri tempus habile in Episcopo ad vsum alternatiuæ, cum regula non de diebus, sed de mensibus integralibus loquuta fuerit ex supra adductis, quia ad cognoscendam extremitatem temporis per dictam dictionem tunc denotata recurrendum est ad præcedentia, & ad subiectam materiam, ex *Cassador. d. decision. 1. num. 7. de testament. & Mandel. vbi supra, num. 20.*

10 Minus obstat dicere, quod si Papa obierit in medio Mensis Apostolici ille mensis in reliqua sui parte desinet esse Apostolicus, & efficitur ordinarius. Vnde eodem modo per alternatiuam concessam, & recognitam in medio Mensis Apostolici, ille Mensis in reliquo ipsius desinet esse Apostolicus, & spectabit ad Episcopum. Cui obiectioni si respondeatur morte Pontificis ex eo Mensem incoeptum desinere esse Apostolicum, quia cessant reseruationes regularum Cancellariæ, & intrat dispositio iuris communis, qua collatio beneficiorum ad ordinarium spectat, tunc etiam instat fundamentum contrarium, quia sicut mors Pontificis aufert ordinario obstaculum reseruationum regularum Cancellariæ, quæ Iuris communis cursum, & Ordinarij prouisionem impediebant ita etiam cum gratia alternatiuæ sit remotio obstaculi causati per reseruationem octo Mensium, ex *Put. decis. 488. num. 5. & decision. 492. num. 2. libr. 2. & decis. 93. num. 2. libr. 3. Cassador. decis. 4. numer. 2. de priuileg. Crescent. eodem tit. dec. 11. Mandos. regul. 11. quæst. 11. num. 3.* videtur quod talis remotio obstaculi sicq; gratia alternatiuæ incipiat à die ipsius acceptationis, & recognitionis in Dataria.

11 Sed respondetur morte Pontificis reseruationes, regularum Cancellariæ cessare, sed concessione alternatiuæ non cessare, reseruationes, vel affectiones quibus beneficia antea reseruata, vel affecta erant, ex verbis dictæ regulæ octaue supra relatis ibi, dummodo alias dispositioni Apostolicæ reseruata, vel affecta non fuerint. Vnde cum ex supradictis Mensis Augusti qui semel cepit esse Apostolicus, & reseruatus semper vsque in sui finem remaneat reseruatus, & per consequens omnia beneficia vsque in finem illius mensis vacatura sint reseruata, sequitur quod ad illa non extenditur dicta gratia alternatiuæ.

12 Secundo eidem obiectioni respondetur, quod cum vt supra probauimus vsus gratiæ alternatiuæ incipiat ab initio Mensis habilis, prout in nostro casu esset Octobris amotio obstaculi causata per alternatiuam etiam incipiet ab initio dicti Mensis Octobris, & ex tunc verum erit dicere dictam gratiam remouere obstaculum reseruationis octo Mensium, antea vero nullatenus.

REVERENDISSIMO P. D.

LVGDVNEN.

Perusina Bonorum. Mercurij 22. Iunij 1605.

ARGVMENTVM.

Recognitio manus Notarij semper est necessaria. Item Archiuista potest extrahere scripturas Archiuij absq; solennitate, dummodo probetur esse Archiuistam. Item an defectus transportationis actorum inducat defectum iurisdictionis.

SVMMARIVM.

Recognitio manus Notarij necessaria est pro fide scripturæ. numer. 1.

Legalitas Notarij obtenta lite pendente, & parte non citata nulla est, nu. 1.

Archiuista vti successor in officio potest extrahere scripturas Notariorum absque solennitate. nu. 2.

Archiuista seu Notarius quis probatur ex illius assertione, numer. 3.

Acta non dicuntur non integre transportata ex verbis omissis alijs &c. quia illa apponuntur de Stylo Notariorum ad subintelligendas clausulas ordinarias, num. 4.

Iurisdictionis defectus non inducitur ex non integra actorum transportatione, num. 4.

Iudicium contra minorem valet si citetur solus curator absq; eo quod citetur minor. nu. 5.

DECISIO CXLV.

1 QVo ad instrumenta leuata per proprios Notarios de illis rogatos non erat dubium, quod id etiam

parte

parte non citata, & quandocumque fieri posset, vt tenuit Rota in causa Dertusen. coram Illustrissimo Pamphilio, & sæpe alias, Sed cum recognitio manus siue scripturæ Notarij necessaria sit, *Put.decis.336.lib.2.* & in instrumentis in hac causa productis per ecclesiam pro ea recognitione apposita sit legalitas, lite iam in Rota pendente, & parte non citata Domini censuerunt huiusmodi recognitionem non esse bonam, & legalitatem non esse sufficientem, vt olim fuit dictum in causa Beneuentana Ischiæ de anno 1563.coram Oradino, & nuper de anno proxime preterito in causa Literen. Beneficij, coram Domino meo Sacrato.

2 Idem etiam tenuerunt Domini, quo ad instrumenta extracta per Archiuistam, licet enim iste videretur posse extrahere in publicam formam absque solenni tate vti successor in officio, & habens facultatem extrahendi vigore constitutionis Sixti V. super iure bannimentorum super eius obseruantia editorum, *Caput.decis.351.par.2.* Tamen cum non constet huiusmodi extractionem ab ipso factam fuisse ex quo eius manus non est legitime recognita, non potest in ea fieri aliquod fundamentum, ideoque non obstant allegata bannimenta, & constitutio, in quibus archiuista habet eandem facultatem quam Notarius rogatus cui æquiparatur. quia quidquid sit de eo, an id vsu receptum sit, & an procedat eo casu quo lis sit in curia introducta, certe cum etiam ex prædicta constitutione Archiuistæ nihil amplius liceat quam actuario recognitio, & legalitas apposita instrumentis in hac causa per Archiuistam extractis, perinde est insufficiens ac illa Notariorum actuariorum de qua supradictum est.

3 Neque obstat quod non videatur necessaria ista legalitas, cum extrahenti qui dicit se Archiuistam in hoc credatur. *Verall. decis.245.par.2.* Respondetur enim non propterea credi, quod ea scriptura sit de eius manu, & ad id probandam necessariam esse sufficientem recognitionem, atque ex his Domini dixerunt iura non esse in forma probanti.

4 Sed quo ad alteram Dubij partem tenuerunt, testes fuisse valide examinatos si modo tempore examinis Hector erat curator, Nam quod apponitur remissoriam sine iurisdictione fuisse relaxatam, quia acta non erant integre transportata, id non subsistit in facto, cum illa verba omissis alijs, & prout latius apponi solita sint ex stylo Notariorum ad subintelligendas clausulas ordinarias, nec ex illis actorum non integra transportatio argui potest. Deinde non inducitur defectus iurisdictionis ex non integra transportatione actorum, vt nuper dicebatur in Vlisbonen. Præeminentiarum coram R.P.D. meo Iusto, & sæpe fuit alias dictum in Rota reiecta contraria Decisione, quæ allegatur coram Illustrissimo Blanchetto.

5 Alia nullitas quæ examini impingitur, quod ad videndum iurare testes non minor, sed solus Curator fuerit citatus, quasi iudicium non subsistat cum solo curatore absque interuentu minoris, vltra quod nec ea in facto verificatur, est etiam expresse contra *text. in l.1.§.in causis autem.de admin.tut.* vbi dicitur licitum esse Agentibus, vel ipsum adultum vocare, vt consensu Curatoris conueniatur, vel contra curatorem agere vt ipse litem suscipiat, *vt l. neque tutores. C. de procurator.* ex aduerso adducta potius firmant hanc sententiam, quia si ibi curator potest effici Dominus litis, ergo potest solus in iudicio stare, & facit æquiparatio curatoris, & Procuratoris, quam ibi ex illo *text.not.Bart.& Bald.* *Non obstat etiam l.2.qui leg.pers.hab.* Dum enim dicit, posse adultum curatore consentiente agere, & excipere non negat curatorem solum posse nomine adulti conuenire, & conueniri.

REVERENDISSIMO P. D. LVGDVNEN.

Zamoren. de Morales. Lunæ 27. Iunij. 1605.

ARGVMENTVM.

Iuris patronatus pertinentia & existentia quam probationem requirat, & ex quibus probetur. Item an ius patronatus possit in alium transferri absque consensu ordinarij titulo singulari, & an in cessione iuris patronatus Ecclesiæ competentis sit necessaria confirmatio Apostolica.

SVMMARIVM.

Iuris patronatus pertinentia leuiores probationes admittit. num.1. vbi maxime in antiquis. nu.1.

Iuris patronatus existentia probatur ex antiquis enunciatiuis, & visitationibus ordinariorum, ac antiquissimis præsentationibus effectuatis. nu.1.

Iuris patronatus pertinentia probatur ex probatione descendentiæ ab eo qui præsentauit. nu.2.

Ius patronatus diuiditur in plures voces, vbi deuenit ad plures filios patroni. num.3.

Præsentatus à maiori parte patronorum dicitur qui plures habet voces. num.4.

Ius patronatus sine consensu ordinarij titulo singulari non transfertur. num.5.

Legatum non agnitum, nec acceptatum, non suffragatur. num.5.

Ius patronatus inter compatronos præscribitur spacio 40. annorum. num.5.

Ius patronatus Ecclesiæ competens non potest in alium transferri absque beneplacito Papæ. num.6.

DECISIO CXLVI.

1 PRo informante nempe beneficium Sanctæ Mariæ de Morales esse adiudicandum Petro de Lasarte, vti cessionario Hieronymi de los Rios, cum enim agatur de pertinentia Iuris patronatus non autem de libertate beneficij, sufficerent leuiores probationes, maxime ex quo sumus in antiq. *Put. decis.140.lib.1. Achil. decis.7. num.4. de Iure patr.* & hoc casu vltra confessionem partium concurrunt antiquissimæ enunciatiuæ cum sententiis, & visitationibus ordinariorum, & antiquissimis præsentationibus effectuatis, ex quibus satis superque probatur patronatus existentia. *Put. d. decis.140. lib.1. Cassad. decis. 2. num.4. de probat. Gabr. consi.190.lib.2.*

2 Est autem in confessio, istud ius patronatus stetisse in capite Petri Guiral senioris, eumque non solum præsentasse, sed etiam eius præsentationes effectum fuisse sortitas. Vnde sufficit à dicto Petro sumere descendentiam, vt fuit dictum in causa Regien. Prioratus 29. Aprilis 1592.coram Reuer. Rodien. Et in Firmana Iuris patronatus 20.Maij 1591. coram bo.mem. Orano.

3 Est æque in confesso, quod dictus Petrus iunior obiit relictis sex filiis scilicet Ferdinando, Petro, Alphonso, Beatrice, Isabella, & Agnete, atque ex illis Petrum secundo loco nominatum intestatum, & sine filiis decessisse, ita vt patronatus voces in alios quinque diuisæ remanserint, *ad glos. in c.1. de iur.patr.* communiter approbatam, vt per *Abb.ibi. num.7.* Decessit postea Ferdinandus scripto testamento, in quo ius quod sibi in dicto Patronatu competebat legauit Alphonso patri suo, hæredes autem suas vniuersales scripsit Leonoram & Isabellam filiam Agnetis, & neptes tam suas, quam Alphonsi ex sorore. Obiit deinde

inde Agnes, cui hæredes extiterunt prædictæ filiæ Leonora, & Isabella, quarum prior decessit. Isabella scripta hærede Leonora, quæ demum decedens hæredem instituit Antonium de Copeda, & supradictis omnibus casibus hæreditas adita est.

4 Beaticis vox transiit in Aluarum Temiro filium Fräcisci, & Nepotem Beatricis. Descendentiæ, seu successiones probantur ex præsentationibus, & ex depositionibus testium. Ab istis Francisco Copeda, & Aluero Temiro, fuit præsentatus Hieronymus de los Rios. Itaq ex prædictis quinque vocibus, tres habuit illas nempe Ferdinandi, Beatricis, & Agnetis, & per consequens fuit præsentatus à maiore patronorum parte. *Abb. in c. quoniam. nu. 13. de iure patr. Lambert. de iure patr. lib. 1. p. 2. q. 1. art. 27. Roch. Curt. eod. tract. vers. ipse, vel is. num. 6.* Ideoque Isidoro præferendus. Iux. *Text. in dict. c. quoniam.*

5 Non obstat, quod Ferdinandus legauit istud ius patronatus Alphonso, vnde non videatur transisse ad hæredes vniuersales. Nam respondetur, quod in isto legato non adfuit consensus ordinarij, & regula est, quod ius patronatus sine consensu ordinarii titulo singulari non transfertur. *Roc. Curt. de iure patr. in d. ver. ipse, vel is. q. 7. num. 15. & Lambert. eo tract. 2. p. lib. 1. art. 2. q. 6.* vbi vterque attestatur de communi, & quatenus in hoc esset difficultas, quia sumus in compatronis, *ad decis. 10. Achil. de iure patr.* Fuit dictum quod satis esset, quod hic non constet de acceptatione, & agnitione legati, *ad l. si legata. C. de leg.* & similes. immo ex obseruantia subsequuta apparet, quod legatum non habuerit effectum, cum vsque ab anno 1523. filiæ Agnetis tanquam hæredes Ferdinandi deuenerint ad diuersas præsentationes, quæ effectum habuerunt, ad *cons. Calder. 12. de iur. patr. cum vulg.* Vnde possent dici etiam præscripsisse dictam vocem, cum inter compatronos sufficiat quadragenaria, vt tenuit Rota in quadam Florentina iuris patronatus. 27. Februarii 1575. coram Fel. rec. Clem. VIII. tunc Rotæ Auditore, Neque requirebatur scientia Alphonsi, & eius hæredum, ex quo ipsi nunquam fuerant in possessione dictæ vocis vt dicitur in præallegata decisione.

6 Addebant Scribentes pro Informante vocem Isabellæ filiæ Petri senioris, qua vtebatur Isidorus tanquã præsentatus à Ferdinando Romero non esse considerandum, quia Ferdinandus eam habebat vti cessionarius Monasterii Sanctę Claræ, in quo supradicta Isabella fuerat professa. Dicebant enim Monasterium hanc Cessionem facere non potuisse, non solum sine consensu ordinarii qui non interuenerat, sed etiam sine beneplacito Sedis Apostolicæ Romane alienationis, quæ fiebat illius iuris monasterio competentis, *argumento c. nulli. de reb. Eccles. non alien. & cap. sine exceptione. 12. q. 2. Lambert. de iur. patron. lib. 1. p. 2. q. 1. art. 10. in fin.* Itaque Isidoro siue ex iure suo, siue ex cessione Martini vnam tantum vocem suffragari illam nempe Alphonsi, quæ transiuerat, siue in Ludouicum de Ocampo filium Leonoræ filiæ Alphonsi, siue in supradictum Ferdinandum Romero, vti cessionarium etiam prædicti Alphonsi. Nam de hoc ab initio fuerat lis inter Martinum, & Isidorum, cui in fauorem Isidori postea Martinus cesserat. Sed huiusmodi Inspectiones videbantur superfluæ, cum ex supradictis tribus vocibus satis assertum sit ius Hieronymi, cuius Petrus de Laserte est cessionarius. Neque Petro obstat fel. rec. Gregorii XIII. Constitutio super publicandis resignationibus, & iurium cessionibus, quasi non intra tempus in ea præfixum suam cessionem cũ literis desuper confectis publicauerit. Fuit enim in actis producta publicandæ resignationis prorogatio, ex qua patet publicationem in tempore constitutionis factam fuisse. Et in reliquis Petrum suam gratiam iustificasse constat ex decisione coram Reuerendissimo Pacen. 20. Iunij 1594. Atque ex his DD. Concluserunt, Petrum fore adiudicandum beneficium, eoque magis quod præsentati ab aliis compatronis obierunt, & nullus alius ab ipsis modo reperiatur præsentatus, nec collitigans, quin huic beneficio apponi sequestrum fuit per Rotam resolutum coram me.

REVERENDISSIMO P. DOM. MANZANEDO.

Aquilana Beneficiorum. Lunæ 26. Iunij 1606.

ARGVMENTVM.

Plura deducuntur circa manutentionem, & an sententia lata in contumaciam præsumatur lata ob contumaciam, vel ob delictum.

SVMMARIVM.

Probatio semiplena sufficit in interdicto retinendæ. nu. 1.
Mandatum de manutenendo datur existenti in possessione, vel quasi de tempore motæ litis. num. 1.
Possessio instrumentalis alio existenti in possessione non est manutenibilis. num. 2.
Possessio posterior in concursu anterioris præsumitur clandestina. num. 2.
Exequutor qui tenetur partes iudicis assumere debet possessorem citare. num. 3.
Clausula amoto &c. intelligitur iuris ordine seruato. num. 4.
Iudex non rite, nec recte procedens, non priuat possessione. num. 4.
Sententia lata ob contumaciam præsumitur potius lata ob contumaciam, quam ob delictum. num. 5.
Mandatum de manutenendo debet dari etiam possessori habenti contra se sententiam cuius appellatio pendet. num. 5.

DECISIO CXLVII.

1 Alphonso dandum esse mandatum de manutenendo Domini dixerunt, cum constet de ipsius possessione ex depositionibus duorum testium, & tamen sufficeret vnicus, cum semiplena sufficiat ad probationem possessionis in isto interdicto. *Menoch. de retin. remed. fin. num. 34.* & cum de tempore motæ Litis reperiatur Alphonsus in eadem possessione saltem ciuili, & habenti illam competat hoc interdictum, ad notat. per *Ias. in l. clam possidere. §. qui a nundinas. nu. 62. ff. de acquir. possess. & per Menoch. qui plures adducit, de retin. remed. 3. num. 22. Rot. decis. 19. num. 12. part. 2. diuers.*

2 Et non obstat possessio Fabricij, cum sit instrumentalis, & capta possidente Alphonso, & sic non manutenibilis. *Rot. decis. 324. num. 2. & 363. nu. 1. & 390. numer. 2. & 802. nu. 5. par. 1. diuers.* Vnde intrat doctrina *Bart. in l. si duo. num. 4. ff. vti possidet. & Bald. in l. arboribus. §. nam & si. ff. de vsufruct.* tenentium standum esse anteriori possessioni, Posterior namque præsumitur clandestina. ad *text. in c. licet causam. e probat.* & ibi Doctores *Menoch. de retin. remed. 3. nume. 725. Benintend. decis. 42. nu. 4. & decis. 93. num. 9. faciunt tradita decis. 19. num. 1. & 2. part. 2.* & in ceteris decisionibus supra allegatis per *tex. in l. 1. in fin. ff. vt possidet. vbi gl. & Doctores decis. 612. num. 4. eadem part. 1.*

3 Nec obstat Fabricium à iudice nempe ab executore missum fuisse in possessionem, cum tali executor teneretur partes Iudicis assumere, & citare Alphonsum possidentem per text. in c. licet Episcopus, & ibi *glos. verb. te non vocato. de præben. in 6. Cald. de dilation. consi. 4. Achil. super reg. de triennal. decis. 6. num. 4. Felin. in cap. fin. numer. 4. de præsumpt. Rot. in nou. decis. 30. de rescript.*

rescript. & in decis.202. in princ. parte prima. diuers.

4 Quod magis procedit, ex quo Bulla Fabricij habet clausulam à moto quolibet, &c. quæ etiam intelligitur iuris ordine seruato *Felin.in c.de cetero. n.9. de sent. & re iudic. notat Rebuff. in prax. tit. de form. nou. prouis. verb.amoto exinde, & Staphil. de liter.grat.in c.de clausula amoto.num.3. Achil. dicta decis.3.num.2.Mohed.decis.7.nu. 5. de restit. spolia.* vnde cum executor ex supradictis non processerit rite, & recte non potuit præiudicare Domino Alphonso in eius possessione, *Rota decis.802. num.7.part.1. diuers.*

5 Quibus non obstat, per sententiam ratione delicti latam priuatum fuisse istis beneficijs Dominum Alphonsum cum talis sententia lata fuerit in ipsius cōtumaciam, quo casu non ob delictum, sed potius ob contumaciam censetur lata, per *tex.in l.si ideo.ff.de euiction.& in leg. Papinianus.§.meminisse. vbi Barto.nu.3.ff.de inoffi.testam.facit tex.in c.ex literis. de constit.* vbi hoc notat *Abb.nu.11.circa fin. & Felin.num.20.idem Felin.in cap. cum Bertoldus.num.20. de sentent.& re iud. Tiraq.in tract. cessan.caus.num.64. Alciat.de præsumpt.regula 3.præsumpt. 22. num.1. Gabriel. de sentent. conclus.3. num.1.* vnde non obstante dicta sententia est manutenendus, cum etiam si non fuisset lata in contumaciam, stante appellatione ab ipsa interposita, illa pendente deberet manuteneri ex notatis à *Paris.cons.39.num.3.& 6.lib.1.Cæs. de Grass.in decis.4. de caus.possess.& propr.*

R. P. D. MANZANEDO.

Prænestina Molendini. Lunæ 27. Iunij 1605.

ARGVMENTVM.

Priuilegium non probatur ex confessionibus extraiudicialibus, sed vel per scripturam originalem ipsius priuilegii, vel per testes deponentes de vsu priuilegii.

SVMMARIVM.

Priuilegium quod petitur exhiberi, necesse est probare existere, alias non sufficit solum interesse. num.1.
Priuilegium vt probetur per testes, debent deponere de vsu illius, & non est satis deponere de confessionibus extraiudicialibus. nu.2.
Confessio extraiudicialis inducit semiplenam probationem. num.2.
Fallit quando testes deponentes de tali confessione extraiudiciali sunt subditi illius pro quo deponunt. num.2.
Confessio extraiudicialis vnius non potest nocere alijs non habentibus causam ab eo. num.3.
Abstinendi beneficium facit, vt non valeat consequentia, est filius, ergo hæres. num.3.
Testes deponentes de priuilegio debent deponere de confessione scripturæ ipsius priuilegij, alias non probant, eum possint scire aliunde. num.4.
Scriptura copiata ex Catasto enunciat tantum. num.4.

DECISIO CXLVIII.

1 Licet constet de interesse in hac causa Domini Marchionis, non sufficit cum opus sit, quod simul etiam de existentia priuilegij, quod petitur exhiberi, constet. *tex.in l.in hac actione. in prin. & in §. est autem personalis hæc actio. & in §.sciendum, versic.Iudex igitur.& §.fin.& l.Celsus scribit. in princip.& §. 1.l.thesaurus.ff.ad exhibend.tradit Ias.in §.præterea.num.44.& 47.instit. de action. & Ioannes Crispus de Montib.in tract.termin. action.num.144. post dictum volumen Ias. de action.*

2 Et testes examinati pro parte Domini Marchionis nullus ipsorum deponit de visu priuilegii, sed tantum de confessionibus extraiudicialibus Clementis, & Scipionis. Et licet aliqui possent dici contestari, quo ad dictam confessionem extraiudicialem, & ex eo induci probationem semiplenam, nihilominus quia omnes testes sunt subditi Domini Marchionis merentur, vt minor fides illis adhibeatur. *Alberic.in l. idonei.in princ.ff.de testibus. Ruin. cons.53. num.6. vers. & dato.lib.4. cum alijs per Gabr.de testibus conclu.10.num.27.* ex quo dicta extraiudicialis confessio non resultat legitime probata etiam per semiplenam.

3 Tum etiam quia etsi Clemens prædictam confessionem fecisset, ex ea non potuit nocere filijs, qui non probantur sui hæredes cum non valeat consequentia, est filius ergo hæres propter beneficium abstinendi. *tex.in §.sui.cum vers.sed his prætor.instit.de hæred. qual.& differ. glos.verb. teneantur. in l.necessarijs. ff.de acquir.hæred.Surd.decis.140. nume.15. & seq.* nec confessio Scipionis potuit nocere alijs fratribus. *l.Seia mancipia. in princip. ff. ad Velleian. l. duobus. §. 1.ff.de iureiur. Ruin. cons.147. nume.13. lib. 1. Roland.cons.58. numer.16. vol.2. Crauett.cons.966.num.18.Surd.decis.218.num.4. Rot.diuers. decis.802. num.10. part.1.*

4 Et quamuis prædicti testes deponant de confessione priuilegij, non tamen deponunt de confessione scripturæ priuilegij, & poterant scire se habere priuilegium aliunde, maxime ex copia Catasti, quod illud enunciat. Vnde ista probatio non concludit, ad *l.non hoc.C.vnde legit. & c.in præsentia. de probation.*

R. P. D. MANZANEDO.

Bononien. de Paleottis. Veneris 1. Iulij 1605.

ARGVMENTVM.

Solutio destinata tempore contractus in certa specie monetæ, quæ tempore solutionis non reperitur, debet fieri in moneta currenti, habito tamen respectu ad valorem pecuniæ tempore contractus.

SVMMARIVM.

Factum, super qua decisio fundata est, enarratur.
Monetæ species in contractu contenta, siue promissa, non solum est in solutione, sed etiam in obligatione. num.4.
Solutio debet fieri in eadem specie si reperiatur. num.4.
Soluens in eadem specie liberatur siue valor rei sit auctus, siue diminutus. num.4.
Monetæ qualitas promissa si non reperitur debet dari pecunia communis, habita tamen ratione ad valorem pecuniæ conuentæ. num.5.
Monetæ valor est qualitas extrinseca, in cuius variatione inquiritur tempus solutionis. num.6.
Solutio facta secundum monetam in contractu nominatam liberat soluentem etiam si fiat cum damno creditoris. nu.7.
Commodum eius est, cuius est & incommodum. num.7.
Solutio debet fieri in eadem bonitate, & qualitate rei datæ. num.8.
Moneta grossa aurea æstimatur per minutam. num.8.
Moneta debet restitui per monetam, ita vt æquiualeat antiquæ. num.9.
Solutio quæ debet fieri restricta ad certam qualitatem monetæ, fit secundum valorem monetæ tempore contractus. num.10.
Monetæ bonitas intrinseca si est mutata tempore solutionis, debet considerari valor illius tempore contractus, si vero est mutata qualitas extrinseca, nempe valor, consideratur valor tempore solutionis. num.11.

DECISIO CXLIX.

1 CVm anno 1527. Isabella fuisset nuptui tradita Ascanio de Leonibus cum dote Ducatorum bis mille auri largorum, qui tunc temporis fue-

fuerunt depositi apud banchum de Bonfilijs ad rationem trium librarum, & 15. solidorum monetæ Bononiensis pro quolibet eorum, qui tunc temporis erat valor communis vniuscuiusque dictorum Ducatorum.

2 Et vt ex depositionibus testium pro Paleottis deprehenditur, ducati auri largi appellabantur ad differentiam Ducatorum cusorum Romę vulgo dictorum della Nauicella, qui erant minoris ponderis, & valoris, ideoque stricti dicebantur, & ita non solum ducati Bononiæ cusi, quin & omnes alij ibi concurrentes eiusdem ponderis, bonitatis, & valoris, largi dicebantur ad differetiam ducatorum strictorum della Nauicella, licet alias dicti ducati largi, alijcusi essent Bononiæ, alij Florentiæ, alii in Hispania, & alibi, & speciali nomine quilibet eorum designaretur iuxta prouinciam qua cusi fuerant. Nihilominus omnes illi largi dicebantur ad predictam strictorum differentiam.

3 Et cum nunc temporis adueniente casu restitutionis dictæ dotis reperiantur dicti ducati largi, quamuis non in sufficienti quantitate ad hanc solutionem, & cum nunc valor extrinsecus dicti ducati largi attigerit sex libras, & duos Bononenos eiusdem monetę Bononiensis, dubitari contingit in qua moneta, seu quo valore dicta dos restituenda esset.

4 Et cum de iure species monetæ in contractu contenta siue promissa non solum sit in solutione, quin & in obligbtione, ex *Bart. in l. si quis stipulatus decem in melle. numer. 3. facit l. qui Romæ. ff. de solution. Bald. in cons. 213. nu. 2. volum. 5.* hinc est, quod in eadem specie, si reperiatur, solutio sit facienda, ex *Bar. in l. Paulus. la prima. ff. de solutionibus, & in l. 1. §. fin. num. 2. ff. de aur. & argent. legat. per tex. in l. 2. §. 1. ff. si cert. pet. Bal. d. in l. si quis argentum. C. de donat. num. 5. notat. Couar. de Collat. vet. numism. c. 7. §. vnic. num. 1.* & tunc non est opus considerare augmentum, vel diminutionem bonitatis extrinsecæ nempe valoris, cum qui promisit Florenos soluendo Florenos eiusdem bonitatis intrinsecæ liberabitur, vt notat *Bald. in leg. cum quid. nu. 7. vers. sed certe. ff. si cer. petat. & Boer. decis. 327. num. 4. versic. quia si dos in aureis. Gabr. 164. nu. 4. vers. sed si non sit bonitas in trinseca mutata. vol. 1.*

5 Sed si dicta species reperiatur tempore solutionis, licet non in quantitate sufficienti ad dictam solutionem, tunc debet fieri solutio ad æstimationem prædictæ monetæ iuxta valorem de tempore solutionis faciendæ ex communi Doctorum sententia, de qua testatur *Franc. Aret. consil. 11. num. 3. & Maria. Socin. consil. 101. num. 1. volum. 3. & nu. 12. Boer. dicta decis. 327. num. 4. vers. ista est communis, & Gabr. dicto consi. 164. num. 1. & 2. & melius declarat. num. 4. Couar. de collat. veter. numism. c. 7. §. vnic. conclus. 8. sub num. 5. quam opinionem tenet Bar. d. l. Paulus. in fin.* & illam sequuntur quam plurimi a præfatis Doctoribus relatis, & sæpius à Rota fuit approbata.

6 Et iuxta illam Domini in præsenti dubio censuere dotem esse restituendam in æstimatione ducatorum largorum valoris de tempore præsenti. Ratio autem est, quia in hoc casu bonitas intrinseca non mutatur, sed tantum bonitas extrinseca, nempe valor in cuius variatione inspicitur tempus solutionis ex regula tradita à *Franc. de Aret. dicto. consi. 11. nume. 3. quam refert, & sequitur Boer. vbi supra. num. 4. vers. & secundum eum. ad idem est consi. Bald. 268. circa fin. vol. 2. & Gemin. consi. 137. num. 1.*

7 Tum quia si valor monetæ antiquæ positæ in obligatione fuisset diminutus, satis esset soluere ipsam monetam antiquam, & si resultaret in præiudicium creditoris, vt omnes fatentur in dicta *l. cum quid.* & ibi *Socin. conclus. 3. & Gabr. dicto consi. 164. num. 4.* ita etiam sicut diminutio cedet ad incommodum creditoris, & augmentum credere debet ad ipsius commodum ex regula iuris, qui sentit onus, &c. & tradit *Boer. vbi supra. num. 3. versi. quia sicut diminutio. Et Franc. de Aret. consil. 84. in princip.* potissime stante regula, quam sequitur, & pluribus relatis dicit communem. *Couar. vbi supra, conclus. 4. sub num. 3.* nempe, quod quoties pecunia eodem pondere, & materia manentibus, vel augetur, vel minuitur extrinsecus, quo ad pretium talis mutatio nocet, & prodest creditori.

8 Tum etiam pro hac communi nostra resolutione adduco *tex. in d. l. cum quid in fine.* ibi, idem autem agi intelligitur, vt eiusdem generis, & eadem bonitate fiat, qua dictum fuit, oportet aucto valore monetæ antiquæ, illius tamen bonitate intrinseca permanente, quod aut eadem moneta antiqua soluatur, aut tantum ex moneta noua, quod æquiualeat æstimationi monetæ antiquæ, & creditor tantum habeat, quantum tempore solutionis valet antiqua, vt notat *Socin. vbi supra num. 3. & 8. & bene Gabr. dicto consi. 164. num. 4.* præcipue cum moneta grossa aurea æstimetur per minutam ex *Bart. d. l. Paulus. num. 8.* & sic si moneta aurea tempore contractus ęstimabatur ad 60. solidos, & hic erat verus illius valor, sed ex post facto hi solidi bonitate intrinseca fuerunt diminuti, licet eorum numerus fuerit auctus ad 70. solidos necesse est solui 70. solidi ad hoc, vt solutio fiat in eadem bonitate qua datum fuit, si quidem modo 70. solidi in bonitate intrinseca habent eandem æstimationem, quam habebant 60. solidi, tempore contractus, & modo creditor non inueniet dictam monetam auream antiquam, nisi pro 70. solidis, quod in terminis adducit, *Bart. Socin. in cons. 298. volum. 2. vers. vnde si hodie deteriorata esset, &c.* & pro hac parte ad ducit casum. *in l. res in dotem, & ibi Bartol. ff. de iur. dot.* quem refert, & sequitur *Maria. Socin. consil. 201. num. 12.*

9 Et prædictam communem in eadem materia, qua sumus de dote restituenda, tenet *Bald. in dict. consi. 213. vol. 5.* quem refert, & sequitur *Franc. de Aret. d. consil. 11. num. 3. versic. & hanc opinionem.* Vbi loquendo de dotis restitutione dicit hanc esse veram, & commune m. Idem *consil. Bald. refert etiam, & sequitur. Petr. de Ancharan. in clementina final. de decim.* Idem tradit *Boer. d. decis. 327. in casu dotis restituendæ, & potissime. nu. 4.*

10 Prædictis non obstat, quod mutato valore monetæ, & sic illius extrinseca bonitate solutio debeat fieri secundum valorem monetæ de tempore cōtractus, prout fuit plurium Doctorum opinio, quos refert, & sequitur Ioannes Regnandi in tract. de moneta, *nu. 1.* & in terminis de dote restituenda tradit eandem contrariam *Afflict. decis. 194. vbi num. 1.* dicit ita fuisse decisum per Collegium Neapolitanum, cum subscriptione Doctorum, quos ibi refert, qui omnes pro se adducunt *text. in c. olim causam, & ibi glos. finalem. & textum, &c. cum canonicis. de censibus*, & nituntur ea potissima ratione, quia sic creditur partes voluisse etiam si non expresserint.

11 Quia respondetur, quod si agimus de moneta, cuius bonitas intrinseca mutata debeatur ad solutionē considerari æstimatio, vt valor de tempore contractus, si vero non bonitas intrinseca, sed extrinseca fuerit mutata nempe valor, tunc considerari debet idem valor de tempore solutionis, & sic in eodem bonitate soluatur qua datum fuit, *iuxta tex. in d. l. cum quid. & tenet Gabr. vbi supra, num. 4. & Socin. dicto consi. 101. num. 8.* & sic dd. iura in contrarium adducta intelliguntur, & sententia Doctorum contrarium tenentium, vt expresse videtur innuere idem *Ioannes Regnandi vbi supra. num. 9.* vbi cum superius assensisset contrariæ opinioni, & attulisset iura prædicta, quin & Doctores illam tenentes, dicit, concludo igitur, quod solui debet dos in Florenis, qui currebant in Delphinatu tempore contractus, & prouisionis dotis, si reperiantur, vel si non currant, vel non reperiantur de-

bet

bet solui de pecunia minuta argentea, tunc currenti ad valorem dictorum Florenorum, alias si non reperiatur moneta alba, quæ illo tempore currebat soluetur hodie de currenti ad valorem tamen intrinsecæ bonitatis monetæ antiquæ, & ita illius æstimatio antiqua attendatur, ad hoc, vt possit inuestigari quantitas, quæ de moneta, & valore hodierno sit soluenda, si quidem hæc debet regulari iuxta æstimationem antiquam dictæ monetæ, quæ ad supradicta debet attendi, & hoc voluerunt Iura in d.c. olim causam, & c. cum Canonicis de Censibus. Vnde *Boer. vbi supra. numer. 8.* refert tenentes prædictam contrariam opinionem, sed *nu. 9.* dicit nostram resolutionem esse veriorem, & communiorem. &c.

REVERENDISSIMO P. DOM. MANZANEDO.

Romana Saluiani interdicti. Die Sabbathi 26. Nouembris 1605.

ARGVMENTVM.

Ægidianæ constitutioni locus est, quoties lata sententia in vim Saluiani non impugnatur dicendo de nullitate.

SVMMARIVM.

Appellatio ex sententia lata in vim Saluiani interdicti non admittitur. num. 2.

Saluianum est mere possessorium adipiscendæ. num. 2.

Appellatio de iure ciuili in mero possessorio non datur. num. 2.

L. vnica. C. si de mom. poss. procedit in quolibet interdicto etiam plenario adipiscendæ, siue recuperandæ. num. 3.

Ægidiana intrat in quolibet possessorio, & in Saluiano. num. 3.

Inuentarium legitimè probat. num. 4.

Ægidiana locum habet, quando contra sententiam in possessorio de nullitate non apponitur. num. 4.

DECISIO CL.

1 Bartholomæus Papius de anno 1580. super quibusdam bonis stabilibus imposuit censum Scutorum 3. millium, ad fauorem Laurentij Pancaldi cum obligatione omnium suorum bonorum in forma Camerali, qui Pancaldus ex post facto emit vineam a D. Catherina pro Scutis 3. millibus, pro quibus prædictum censum illi cessit, mediante pacto, quod eueniente euictione sortis principalis, Catherina haberet regressum ad vineam, illa vero euicta Pancaldus haberet recursum ad censum Bartholomæo Papio defuncto cum testamento, & instituto Gottardo eius filio, & legatis Scutis 25. millibus Venerabili collegio Asconæ, Æmilia eius vxor pro dote contra hereditatem Pampij sui mariti obtinuit immitti in possessionem bonorum prædicto censui suppositorum, collegium vero pro suo legato, fuit immissum in possessionem cuiusdam vineæ, testatoris, quam postea vendidit Domino Cosmo Sascetto, sed cum Æmilia pro dote habuisset bona prædicta censui supposita, dicta Catherina, quæ dictum censum pro dicta vinea a Pancaldo habuerat, habuit recursum ad vineã, illamque recuperauit iuxta pactum cum Pancaldo initum, Vnde hæres prædicti Pancaldi euicta vinea Catherina intentauit Saluianum in vinea, quæ fuerat Papij, & à collegio virtute sui legati possidebatur, quamque iam dicto Cosmo Saffetto vendiderat, in quo iudicio hæres Pancaldi obtinuit. Ex quo dictus Sanctus egit contra collegium pro restitutione pretij dictæ vineæ euictæ cum damnis, expensis, & interesse, sicque collegium fuit coactum soluere heredi Pancaldi, Scuta 2714. vt dictam vineam recuperaret, & ab ipso habuit iurium cessionem, cuius vigore Collegium, contra Cathalanos possessores Casalis Peronciæ olim hæreditatis dicti Papij egerunt coram A.C. & Domino Orphino, ab ipso deputato, & obtinuit in vim Saluiani interdicti. A qua sententia appellarunt Papii, non vero Cathalani, & causa appellationis mihi commissa, vt constito esse locum Ægidianæ exequar, sin minus causam appellationis cognoscam.

2 Dubitaui an esset locus Ægidianæ, & Domini affirmatiuè resoluendum dixere, quia cum sententia sit lata in Saluiano interdicto, non datur appellatio, vt notat *Bar. in l. 1. num. 4. ff. de Saluiano interdicto. & Negusant. de pignor. primo memb. 8. part. num. 2. & Contard. in l. vnica, limitat. 14. num. 9. & 10. C. si de momentan. poss.* quia Saluianum est mere possessorium adipiscendæ, ex *Bart. in d. l. 1.* & ceteris Doctoribus, supra adductis, & de communi testatur, *Rolan. consi. 14. numer. 10. lib. 1.* & tradit *Verall. in decis. 141. part. 3.* sed sic est, quod de iure ciuili in mero possessorio appellatio non admittitur, per *tex. in d. l. vnic. C. si de moment. poss.* iuxta illius communem intellectum, de quo testatur *Paris. consi. 108. num. 13. lib. 1. & Couar. practic. c. 27. num. 8. & Cagnol. in l. in pari causa, numer. 7. de reg. iur. & Ioseph. Ludouic. decis. Perusin. 20. num. 9. & 17.*

3 Et sicuti dispositio dictæ legis vnicę procedit in quolibet interdicto etiam plenario adipiscendæ siue recuperandæ, vt notat *Pari. in l. 2. num. 3. & 4. ff. de appellat. recipien.* & est communis ex Duenna, pluribus relatis in regula 44. in princip. Ita & eodem modo Ægidiana intrat in quolibet mero possessorio, sicque in Saluiano, vt notat *Paris. d. consil. 108. num. 15. & Negus. vbi supra. num. 3. & Benintend. deci. 17. in fine, & Ioseph. Ludouic. vbi supra in principio. & num. 20. & 21. & tenuit Rota. decis. 102. num. 4. p. 3. lib. 1. diuers. & decis. 662. nu. 3. ead. p. 3. lib. 3. Verall. dicta decis. 141. p. 3. Mohedan. decis. 3. de constitution.*

4 Quod maxime procedit in nostro casu quo de nullitate contra dictam sententiam nihil fuit oppositũ, & de illius iustitia apparet, cum per instrumentum dicti census impositi à Bartholomæo Papio super suis bonis constet de credito cum hypotheca. Item & per inuentarium, quod legitime probat, ad tradita per *Bartol. & Bald. & alios in l. cum tale. §. Titius, per illum textum. ff. de condit. & demonstration. & per Bald. in leg. fin. §. 1. C. de iur. deliberand. & Paris. consil. 45. num. 20. lib. 2. & Decian. consil. 76. num. 8. lib. 3.* Item & per confessionem Cathalanorum factam in responsionibus ad positiones constet huiusmodi casale fuisse possessum à dicto Bartholomæo Papio post dicti census constitutionem, quibus probatis intrat Saluianum, ex *Bartol. in l. rem alienam. num. 5. ff. de pignorat. actio. & Negusant. vbi supra. num. 6. & 8. & Roland. dicto consi. 14. nu. 13. & Alexandro, & alijs, quos refert, & sequitur Contar. vbi supra. nume. 11. Put. decis. 207. nume. 2. lib. 1.* constatque de cessione hæredis Pancaldi ad fauorem Collegij. Vnde de nullitate nihil opposito, & docto de iustitia sententiæ intrat ex supradictis resolutio Dominorum Ægidianæ locum esse.

R. P. D. MANZANEDO.

Terracinen. Domus. Lunæ 28. Nouemb. 1605.

ARGVMENTVM.

De exceptione melioramentorum, quando impediat rei restitutionem data præsertim cautione de reficienda illa.

SVM-

SVMMARIVM.

Simulatio de iure non præsumitur. Ideo probanda per allegantem clarè, & concludenter. nu. 1.
Melioramentorum exceptio operatur rei retentionem, nu. 2. & 3. vbi præsertim, quando sic conuentum fuit.
Conditio importatur per Ablatiuos absolutos. nu. 3.
Melioramentorum exceptio an retardet rei restitutionem, quando offertur cautio de soluendo illa. nu. 4. & 5.
Melioramentis non liquidatis præfigendus est terminus ad illa liquidandum. nu. 5.

DECISIO CLI.

1 CVm mandatum A. C. fuerit relaxatum vigore obligationis Cameralis, & pacti expressi de retrouendendo transactis duobus annis in instrumento venditionis appositi, Domini dixerunt, dictum mandatum validum, & iustum fuisse, nec obstare simulationem contra dictam venditionem oppositam, cum non probetur, & de iure non præsumatur, *per text. in leg. quamuis. vbi Bald. C. si quis alteri, vel sibi. Cuman. consil.* 41. *Dec. consil.* 491. *num.* 4. *Paris. consil.* 54. *numer.* 7. *lib.* 1. Præcipuè cum ad hunc effectum debeat probari clare, & concludenter, vt fuit dictum in vna Romana Census de Columna coram bon. mem. Lancellotto.

2 Sed quia in eodem instrumento conditioni prædictæ de redimendo, fuit alia adiecta de soluendis prius D. Martio omnibus expensis, & melioramentis, de quibus ex depositione testium constare videtur in genere. Hinc est, quod dicta melioramenta prius veniant reficienda, cum pro illis competat retentio rei per *text. in l. arca. ff. de condiction. indebit. l. Paulus. ff. de doli exceptio. l. qua ratione. §. habet. ff. de acquirend. rerum dominio. Notant Doctor. in l. si non sortem. §. si centum. ff. de condict. indebit. & ibi Gl. Put. dec.* 471. *num.* 4. *lib.* 2. *Gozadin. cons.* 100. *num.* 20. *Capic. dec. Neapolitana* 17. *nu.* 7. *Benintend. dec.* 77. *nu.* 10.

3 Quod magis procedit in hoc casu, cum in instrumento venditionis sint illa verba, solutis tamen prius D. Martio omnibus expensis, & melioramentis, quæ ex natura ablatiui absoluti important conditionem, *iuxta l. ab emptione. ff. de pact.* & debet impleri in specifica forma. *l. qui hæredi. in princip. & leg. Mæuius. ff. de condit. & demonstrat.* Vnde ad prædicta huius instrumenti verba, bene faciunt adducta à *Paul. de Castro, consf.* 270. *num.* 3. *lib.* 2. & à *Neguzant. de pignor.* 4. *membr.* 5. *partis. num.* 10. & à *Capic. vbi supra,* qui loquuntur de executione sententiæ, continentis eadem verba, quod prius melioramenta solueretur.

4 Et licet ibidem apud ipsos, & apud *Puteum, & Gozadin. & Benintend. vbi supra, & Menoch. de recuperand. remed.* 15. *a nu.* 568. *cum sequentibus. & Tiraquel. de retract. conuentional. §.* 7. *gl.* 1. *nu.* 13. discutiatur, An tali casu sit prius facienda realis satisfactio, An vero sufficiat fideiussio, & disputent de intellectu *textus in l. statuliberrationem. ff. de statuliberis. & l. cum seruus. ff. de conditio. & demonstrat. & text. in l.* 4. *§. ait prætor. ff. de re iud.* & distinguant inter conditionem sonantem in facto, & sonantem in dando, prout est conditio, de qua in præsenti nempe quod solutio prius de melioramentis facienda esset.

5 Nihilominus pro nunc hæc omittuntur. Cum modo de his non dubitetur, & quia melioramenta non sunt liquida, & Rota ex dicta decisione Putei, num. 7. & alias sæpe seruauerit præfigere terminum ad illa liquidanda. Ideo Domini huiusmodi terminum assignandum censuerunt, quo transacto ad reliqua videnda deuenient.

REVERENDISS. P. DOMINO DAMASCENO.

Imolen. Bonorum. Veneris 2. Decembris 1605.

ARGVMENTVM.

De vi clausulæ ad habendum, &c. & clausulæ, & quicquid placuerit, &c. appositis in inuestitura, Quod emphyteusis transitoria ad extraneos comprehendatur in fideicommisso, quando in emphyteusi locum habeat ius accrescendi, & quando à successore in emphyteusi sit petenda noua inuestitura, & soluendum laudemium.

SVMMARIVM.

Clausula ad habendum, & clausula quicquid placuerit, &c. æquiparatur clausulæ, & quibus dederit. nu. 1.
Emphyteusis, in cuius inuestitura adest clausula ad habendum est transitoria ad hæredes extraneos. nu. 1.
Emphyteotica bona transitoria ad extraneos hæredes comprehenduntur in fideicommisso. nu. 2.
Ius accrescendi non habet locum in emphyteusi concessa pluribus Personis, secus quando est concessa vni tantum pro se, & filijs. nu. 3.
Emphyteusis vbi transit iure hæreditario in comprehensos in inuestitura, tunc petenda non est noua inuestitura, nec laudemium soluendum. nu. 4.

DECISIO CLII.

1 TEnent Domini, portiones Ludouici, & Cornelij per eorum mortem non fuisse deuolutas ad Ecclesiam, & consequenter sententiam Auditoris Cameræ ad fauorem Domini Episcopi latam esse infirmandam. Fundamentum Dominorum est, quod bona, de quibus agitur, fuerunt concessa in emphyteusim quondam Ioanni Maluetio cum clausula ad habendum, &cet. & quicquid placuerit, &cet. quæ clausulæ æquiparantur clausulæ, & quibus dederit, & faciunt emphyteusim transire ad quoscunque hæredes, etiam extraneos, *Curt. iun. consil.* 40. *numer. primo, Clar. §. emphyteusis. quæst.* 28. *in fin.* & fuit in hac eadem causa decisum 8. Maij 1596. coram Illustrissimo Domino meo Cardinale Pamphilio, in qua fuit etiam allegata alia decisio in causa Romana Sancti Eustachij. de anno 1581. coram Illustrissimo Cardinale Lancellotto.

2 Et hoc stante, quod bona sint transitoria ad hæredes extraneos, sequitur, quod fuerint comprehensa in fideicommisso Domini Ioannis. *Alexand. consil.* 91. *numero decimo. libro primo. cum alijs per Modern. de fideicommissis. articulo sexto. numer.* 29. & sic mortuis DD. Ludouico, & Cornelio debuerint deuenire ad substitutos, non autem deuoluere ad ecclesiam, vt fuit sententiatum. Nec obstat, quod illa diuisio fuerit facta ad effectũ tantum dandi immissionem Lambertinis, quia Domini non considerant effectum illius diuisionis, sed rationes, quæ militant in casu, de quo agitur.

3 Placet etiam Dominis aliud fundamentum, quod cum ista emphyteusis fuerit ab initio concessa Ioanni Maluetio solo, & isti de Lambertinis veniant tanquam illius hæredes, non possit pars emphyteusis per mortem vnius deuolui ad Ecclesiam, sed per ius accrescendi, siue non decrescendi debeat peruenire ad alios, ex cumulatis per *Clar. in §. emphyteusis, quæst.* 39. *vers. scias tamen,* & fuit allegata decisio in causa Ciuitatis Castelli bonorum 23. Iunij 1586. coram Illustr. Cardinale Platto.

4 Non

4 Non obstat, quod isti Lambertini non petierint inuestituram, nec soluerint laudemium, quia cum veniant iure hæreditario, tanquam comprehensi in inuestitura Ioannis, quæ, vt dictum est, comprehendit hæredes, non tenentur petere nouam inuestituram. *Salicet. in l. final. nu. 11. vers. aut vltra. C. de iur. emphyteu. Socin. iunior cons. 70. num. 27. vers. neque iuris hæreditarij lib. 3.*

R. P. D. LITTA.

Vlixbonen. Iuris conferendi. 2. Decembris 1605.

ARGVMENTVM.

Concursus quando sit faciendus in parochialibus vnitis, vel de mensa monasterij, & quando Vicarius dicatur perpetuus, & ex quibus probetur ecclesiam esse de mensa monasterij.

SVMMARIVM.

Concursus non fit in parochialibus de mensa monasterij, sed monasterium nominat, Episcopus vero sine concursu approbat. nu. 1.

Vnio, siue quod Ecclesia sit de mensa, potest probari per signa, & alias quam per instrumentum vnionis, & annexionis. num. 1.

Ecclesia ædificata in territorio monasterij dicitur de mensa monasterij. nu. 2.

Ecclesia parochialis, cuius decimæ per monasterium percipiuntur, dicitur esse de mensa menasterij. nu. 2.

Cura Ecclesiæ parochialis iunctæ monasterio residet habitu penes monasterium, exercitium vero curæ penes Vicarium num. 2.

Ecclesia dicitur de mensa monasterij ex eo, quod monasterium soluit onera pro Ecclesia. nu. 3.

Cura Ecclesiæ parochialis vnitæ non residet penes Vicarium quando ipse est ad nutum amouibilis. nu. 4.

Curæ Ecclesiæ parochialis solum exercitium residet penes Vicarium. nu. 4.

Rector & Vicarius sunt synonyma, ita vt vnum pro alio sæpe vsurpetur, nu. 4.

Subiectio Ecclesiæ denotatur ex sustentatione onerum, perceptione decimarum, ac congruæ assignatione Vicario ipsius. num. 5.

Episcopo debetur quarta decimarum. nu. 6.

Ecclesia dicitur nata subiecta monasterio, quando fuit fundata in territorio monasterij, & alia concurrunt de quibus ibi. nu. 7.

Concursus debet fieri in Vicarijs perpetuis. nu. 8.

Declara, quod ad hunc effectum non inspicitur, an Vicarius sit perpetuus, vel ad nutum amouibilis, sed attenditur an Vicaria spectet ad monasterinm, & ei sit subiecta, vel annexa, ita vt cura penes ipsum resideat, quia tunc non est locus bonus sed sufficit approbatio ordinarij. nu. 8.

Vicarius non dicitur perpetuus, quando illi assignatur certa portio fructuum, & reliquum reseruatur commendatario, penes quem remanent onera. nu. 9.

Vicarij amouibiles debent per Episcopum iuxta Concil. Trid. fieri perpetui. nu. 10.

Ecclesia non desinit esse de mensa ex deputatione Vicarij perpetui. nu. 10.

DECISIO CLIII.

1 PLures sunt Ecclesiæ Parochiales in Territorio de Alcobatia, ad quarum curam exercendam Commendatarius prætendit Vicarios per eum nominandos ab Archiepiscopo absque consensu institui, cuius contrarium prætendit Archiepiscopus. Ideo hodie strictè dubitatum fuit, an constet Ecclesiam Beatæ Mariæ de Alcobatia spectare ad monasterium de Alcobatia, vt non sit locus concursui. Et Domini partem affirmatiuam amplexi sunt, quia quando Ecclesia Parochialis est subiecta monasterio, aut annexa, vel ad eius mensam, tunc non est locus decreto *Concilij Tridentini. sess. 24. cap. 18. de reformat.* sed monasterium nominat, Episcopus vero sine concursu approbat, *iuxta trad. in cap. 1. de cappel. Monach. in cap. de Monach. de præben.* & fuit resolutum in causa Tirasonen. Iuris præsentandi 23. Maij 1588. coram bon. mem. Bubalo, & 13. Octobris 1595. coram me. Ecclesiam autem esse subiectam monasterio, aut annexam, vel de mensa, non est necesse probare per instrumentum vnionis, vel annexionis, sed potest etiam probari per alia signa & argumenta, vt fuit decisum in causa Pampilon. de Stella. 14. Decembris 1598. coram Illustrissimo Cardinale Seraphino.

2 In casu proposito Domini inter alia primo considerant, quod monasterium ante ædificationem huius Ecclesiæ erat Dominus totius territorij de Alcobatia tit. donationis, factæ per Alphonsum Regem Portugalliæ Diuo Bernardo Abbati Clareuallen. & per Innocentium III. confirmatæ, vt in Summario. num. 1. cuius dominii ratione Ecclesiæ ibi ædificatæ dicuntur ad monasterium spectare. *glos. & Doct. in dicto cap. de Monach. in verb. prouentibus. versicul. si vero ex donatione. de præben.* ex qua donatione iuncta perceptione Decimarum, & fructuum totius dicti teritorii, & in specie decimarum spectantium ad Ecclesias existentes in dicto districtu, vt probatur in concordia inita inter Archiepiscopum, & Commendatarium de anno 1335. de qua in Summario. numero 7. in cap. 1. 4. & 5. & ex testibus in Summario. numero 8. Item ex sententia facta per Pium IV. in Summaio. num. 4. & ex erectione huius Ecclesiæ in Vicariam perpetuam in Summario. numero 9. denotatur manifeste dominium esse penes eum, qui decimas percipit, ita vt Ecclesia dicatur de mensa illius, & curam residere penes Abbatem, & monasterium habitu, exercitium vero curæ penes Vicarium *Cardinalis. in clement. 1. num. 10. quæst. 9. de offic. Vicar. glos. in clement. frequens. in verb. ad mensam, & ibi Vitalin. num. 88. & ceteri Doctores de exces. Prælat. Crescen. decis. 2. de decim. Mohed. decis. vltim. eodem titul. Veral. decis. 339. part. tertia. Cappell. Tholos. decisione 109. & ibi Abb.* & fuit dictum in præcit. Pampilonen. de Stella.

2 Tertio vltra donationem Territorii, & perceptionem fructuum, & decimarum fuit consideratum quod monasterium sustinet omnia onera Ecclesiarum in dicto Territorio existentium, tam quæ ratione visitationum, quam quæ pro reparatione, & fabrica earundem debentur, vt ex concordia anni 1294. in Summario. nu. 2. & ex alia anni 1335. in Summario. nu. 3. cap. 7. ex dictis testium in Summario. nu. 8. & ex visitationibus Archiepiscoporum iniunctis effectualibus solutionibus, de quibus in Summario. num. 10. & in specie respectu huius Ecclesiæ, in Summario. nu. 9. Ex solutione enim onerum per monasterium facta pro Ecclesiis, de quibus agitur, satis colligitur Ecclesias ad ipsum spectare. *clem. 1. d. iur. patr. & ibi Vitalin. nu. 8. vers. vbi ergo notum est. cap. 1. de Eccles. ædif. cap. fin. de testibus Cæs. de Gras. dec. 6. de præbend.*

4 Accedit, quod ante erectionem huius Ecclesiæ in Vicariam perpetuam in hac Ecclesia deputabatur Vicarius amouibilis, & probatur ex confessione ipsius ordinarii in instrumento erectionis, quod est signum, curam penes Vicarium non residere, sed solũ exercitium, ex alleg. in dicta Pampilonen. & quia ille, qui præsentatur, non est Rector, sed Vicarius, quod etiam denotat non curam, sed exercitium duntaxat esse penes ipsum, vt trad. *Vitalin. in dicta clement. 1. num. 7. de offic. Vicar.* Quamuis etiam si præsentationes loquerentur de Rectoribus stantibus præmissis, non eo minus diceretur ecclesiam spectare ad monasterium,

rium, cum ista sint synonyma, & sæpe vnum pro alio ponatur, *gl. in clem. 1. §. nonnulli quoque in verbo Rectoribus, & ibi Vitalin. num. 35. de exces. Prælator.* cum alijs in his terminis allegatis in causa Vigellien. Parochialis 13. Nouembris 1603. coram Illustrissimo Domino Cardinale Pamphilio.

5 Nam præsentationes possunt censeri factæ vigore Iuris patronatus ex fundatione competentis propter perceptionem decimarum, sustentationem onerum, & assignationem congrue Vicario præsentato, quæ subiectionem denotant. *dicto cap. de Monach. cap. auaritiæ. de præbend. Lambert. de iure patron. artic. 1. quæst. 10. principali. in 3. parte secundi libri. numer. 4. versic. quarto puncti modum, & numer. 7. & 8.* cum alijs citatis per Informantes.

6 Nec facit, quod Archiepiscopus habeat ius decimandi, quia in concordia solum dicitur, quod pretē debat Ius percipiendi decimas. Vltra quod tale ius posset verificari respectu quartæ debitæ Episcopo, & ratione Ecclesiarum ad monasteria spectantium iuxta dispositionem, *c. conquerente. de off. ordin.*

7 Non obstat, quod Ecclesia, de qua hodie agitur, fuit constructa post monasterium ex quo non apparet descripta inter Ecclesias, quæ de anno 1384 fuerunt expresse repertæ intra limites comitatus de Alcobatia, vt in Summario numero 4. quia fuit responsum descriptionem esse restrictam ad Ecclesias existentes in districtu, non autem in Oppido de Alcobatia, vbi Ecclesia Beatæ Mariæ, de qua agitur, sita est, vltra quod etiam si illud esset verum, non per hoc tolleretur, quod esset annexa, vel de mensa monasterij, cui incumbebat vigore concordiæ anni 1335. Ecclesias ædificare. Vnde existentia huius Ecclesiæ in Oppido de Alcobatia, quod cum eius territorio est de dominio monasterij iuncta perceptione decimarum, sustētatione onerum, assignatione congruæ, pro Vicario facit, quod Ecclesia ista in sui ortu vere nata sit subiecta, & nunquam fuerit in aliquo statu libertatis, sed originaliter annexa, & de mensa, iuxta trad. per *But. in cap. cum tu. num. 11. Abb. eodem num. versi. nota hanc gl. de ætat. & qualitate. Felin. in capit. ex parte il secundo, num. 1. & sequent. de rescript.* vbi etiam dicit, quod si Cappella ædificaretur, esset beneficium de per se stans, de necessitate præsentari deberet Rector proprius, quod hic non fiebat, sed deputabatur Vicarius amouibilis, vt supra dictum est ex confessione ordinarij, & alias frustratoria fuisset erectio in Vicariam perpetuam.

8 Non obstat, quod Vicarijs in perpetuis sit necessarius concursus, quia ad effectum, vt sit locus concursui, non inspicitur, an Vicarius sit perpetuus, vel ad nutum amouibilis, sed attēditur an Vicaria sit spectet ad monasterium, & ei sit subiecta, vel annexa, ita vt cura penes monasterium resideat, quo casu non est locus concursui, sed sufficit approbatio ordinarij, iuxta resolutionem Illustrissimorum Interpretum Concilij, super qua fundatur Breue obtentum per Commendatarium à fel. rec. Clem. IV. Declaratio vero eorundem Illustrissimorum data pro parte Archiepiscopi loquitur, quando cura transfertur in Vicariū & non solum exercitium, vt in casu nostro.

9 Non obstat, quod per erectionem in Vicariam perpetuam factam in Archiepiscopum potest dici translata cura in Vicarium perpetuum, quia lectura instrumenti erectionis in contrarium aperte denotatur dum ibi assignatur certa portio Vicario, & reliquum reseruatur Commendatario, penes quem remanent onera, iuxta not. per *Hostiens. & Ioann. Andr. in cap. exposuisti. de præben. & ibi Abb. in fin.* hoc bene declarat *Felin. in capit. postulasti. numer. 1. versic. aut perceptio fructuum de rescription. Rebuff. de Congrua, Portius, numero 108.*

10 Et in ista erectione vltra reseruationem fructuum & onerum, Vicarius non nominatur Rector, & reseruatur Commendatario ius præsentandi, quod stantibus præmissis, debet intelligi, sicuti prius competebat, scilicet cum approbatione Ordinarij, & non præuio cōcursu, Apparet enim in hac erectione Archiepiscopum noluisse alterare statum huius Ecclesiæ in alio, quam facere de amouibili perpetuum, prout ei ex debito sui Officij incumbit ex decreto Concilij, & *capit. 1. de Cappell. Monac. in 6.* maxime quod in dubio huiusmodi erectio ita facta, intelligi debet, vt minus præiudicet Commendatario, quam sit possibile, & propterea ex eo, quod dicat, erigere Ecclesiam in Vicariam perpetuam, & beneficium curatum, inferri non debet ad curæ translationem in Vicarium, cum ista verba optime verificari possint ratione exercitij, & oneris administrationis Sacramentorum Vicario perpetuo incumbenti, nec ex deputatione Vicarij, perpetui Ecclesia desit esse de mensa *Vitalin. in d. Clem. frequens, num. 35. & 84. de exces. Prælat.* & fuit dictum in præcitata Vigellien. Parochialis, coram Illustrissimo Pamphilio,

REVERENDISSIMO P. DOMINO MANZANEDO.

Aurien. Parochialis de Pao. Die Lunæ 5. Decembris 1605.

ARGVMENTVM.

Ius patronatus censetur probatus probata fama antiqua simul, cum longissima possessione, ex præsentationibus vltra centum annos effectuatis iunctis testibus de auditu, & visitationibus factis de Ecclesia tanquam de iure patronatus, nec isto casu præsumitur vsurpatio iuxta decretum S. Concilij Tridentini.

SVMMARIVM.

Immemorabilis præscriptio, vt censeatur probata, quæ requirantur. num. 1.

Ius patronatus probatur probata immemorabili cum requisitis circumstantijs, nu. 2.

Ius patronatus censetur probatum ex fama antiqua simul cum longissima possessione, ex præsentationibus de tempore vltra centum annos effectuatis, nu. 3. & 4.

Vbi etiam quando dictæ præsentationes effectuatæ præsumantur, & nu. 5.

Iuris patronatus quasi possessio per consensum à Patronis præstitum, in institutionibus per resignationem probat ius patronatus. nu. 4. & 5.

Iuris patronatus probatio coadiuuatur per testes deponentes de auditu, à suis maioribus, non per visitationes factas in Ecclesia, tanquam de iure patronatus, num. 6.

Ius patronatus probatur ex Immemorabili cum suis circumstantijs probatæ, nec isto casu intrat præsumptio vsurpationis, iuxta decretum S. Concilij Tridentini. nu. 7.

DECISIO CLIV.

1 Domini concluserunt, constare de iure patronatus illorum, qui nominarunt Franciscum, & Ludouicum ad Parochialem de Pao, & hoc ex titulo fundationis, & dotationis.

Primo ex Immemorabili, quam Domin in hoc casu censuerunt probatam cum circumstantijs. *Gl. communiter recepta in verbo Memoria c. 1. de præscript. in 6. & adductis à Specul. in tit. de probation. §. 1. vers. vlt. quæritur & vers. valeat etiam hic probatio. & à quam plurimis relatis à Gabriel. libro quinto, titulo de præsumption. conclus. 1. num.*

1. num.81. & à Couar. in regula possessor. par.2. prælectionis, §.3. num.7. & Rebuff. de decim. q.13. num.99, & illam Glossam seruat Rota, vt per Verall. decision.71. par.2. & decision. 290. part.3.

2 Et quod Immemorabili sic probata probetur etiam & ius patronatus cum qualitate, ex fundatione, & dotatione tradit *Ioan. Andr. in regula, quod alicui num. 8. de regul. iur. in 6. & Abb. in cap.1. num.4. de religios. domibus, & in cap. querelam, num.9. circa finem, de election. & in consil.76. in principio. lib.2. Felin. in cap. causam. de præscript. num.8. & Bald. in l. cum super. C. de rei vendication. num.3. & Federic. consf.234. de rescriptis, & Roch. in tract. de iure patronat. in verbo, iste, vel is, à quo. quæst.36. Cassador. decis.2. de probation. Put. decis.205. num.2. lib. primo Mohed. decis.3. de iure patronatus. Achill. decis.4. eodem tit. & est decis. 717. part. 3. libr. 3. diuers. & sæpius fuit decisum in Rota.*

3 Secundo resultat probatum hoc ius patronatus ex testibus deponentibus de fama antiqua, simul cum longissima possessione, & præsentationibus, de tempore vltra centum annos effectum sortitis. Deponūt namque testes, Aluarum Alphonsum de Anno 1471. fuisse institutum de hoc Beneficio ad præsentationem istorum Patronorum, & titulum viderunt testes. Postea vero ad eorundem præsentationem successit in hoc beneficio Blasius Alphonsus, qui illud resignauit in fauorem Sebastiani de Caldelas cum consensus dictorum Patronorum, & illud possedit, dum vixit, & similiter illud renunciauit in fauorem Aries de Ortega, cum eorundem Patronorum consensu, qui Aries, dum vixit illud obtinuit, & vltimo per illius obitum fuerunt ad illud præsentari, Franciscus, & Ludouicus, qui sunt in causa, quæ præsentationes, tam ex institutione, illarum vigore facta quam ex adeptione possessionis, censentur effectuatæ, vt per *Calderin. consil.12. de iure patron. Oldrad. consil.229. num. 2. & Verall. decis. 133. part. 2. & Crescent. decis.5. de iure patronat.*

4 Quin, & ex eo, quod ex persona vnius præsentati, & instituti, fuerit postea præsentatio, & institutio, alteri facta, resultat effectuata prima præsentata, ex *Oldrad. vbi supra, & Lambert. de iure patronatus, lib.2. par. 2. quæst.10. art.7. num.11. & dixit Rota decis. 147. num. 1. & decis.167. num. 1. & 545. num. 2. part. prima, diuersor.* Et probatis externis, præsumitur etiam media ex eadem *decis.545. & Tiraq. ibi adducto, & Alcia. de præsumpt. reg.2. præsumpt.36. & in dict. institutionibus.* per resignationem factis, sufficit interuenisse consensum patronorum ad probandam quasi possessionem iuris patronat. ex *Abbat. cons.54. nu.1. & 2. lib.1. Federic. d. cons. 234. Rod. vbi supra, verbo competens, quæst.15. nu. 39. dec. 792. num.8. part. 1. diuersor.* vbi allegat aliam decisionem Mohedani.

5 Et ex dicta resignatione in fauorem Aries de Ortega facta de consensu Patronorum resultat, & probatur vltimus status presentandi in fauorem horum patronorum, ad consilium Decij 126. Quibus præsentationibus à tempore adeo antiquo ab istis Patronis factis, & effectum sortitis, & fama antiqua per testes probata inducitur probatio iuris patronat. ex Cassadoro *d. dec.2. num.4.* sequendo opinionem *Bald. in leg. cum super num.3. Cod. de rei vendicat. & in authent. quas actiones circa finem, Cod. de sacrosanct. Eccles. & Innocent. in capit. veniens, de verborum signification.* eandem tenet *Put. decision.60. in fine, & in decision.140. in fine, versicul. quia illud, quod ius patronatus, libr.1. & Achil. decision.6. & 7. num.3. de iure patronat. Aymon. consil. 322. num. 2. Roch. vbi supra nu.82. dec.792. nu. 2. & 3. part.1. diuers.* vbi aliæ allegantur.

6 Prædictis accedunt in adminiculum testes deponentes de audi tu à suis maioribus, quendam Blancum de Puga fundasse istam Ecclesiam, & illam dotasse de bonis per testes expressis, & hodie ab Ecclesia possessis. Præcipue cum ex testibus saltem de auditu deprehendatur Patronos de familia de Noboa, & de familia de Sotellos descendere ab isto Blanco de Puga fundatore. Accedunt etiam in adminiculum plures visitationes à pluribus visitatoribus factæ, in quibus fuit compertum, istam Ecclesiam esse de iure patronatus dictorum quatuor Patronorum, de quibus visitationibus, licet non per instrumenta, sed per testes constet. Nihilominus multum adminiculantur, & ex illis colligitur tolerantia Episcoporum, quibus multum defertur in materia iuris patronatus, & ad illius probationem, ex *Purpurat, consil. 533. numer. 6. Lamberten. vbi supra, quæstione decima, articulo quarto, Rota in nou. decision. vndecima, de iure patronat.*

7 Non obstat, quod huiusmodi ius patronatus spectet ad Parochianos huius Ecclesiæ, quo casu præsumitur vsurpatio ex Concilio Tridentino. sessio. 25. de reformatione, *capit. 9. tradit Mohedan. decision.2. de iure patronat. & Crescent. decision.1. eodem tit. & Put. dec. 205. libr.1.* & in terminis de Parochianis est idem *Put. decis.57. eodem libro*, quia respondetur, quod cum habeamus dictam immemorabilem, cum suis circumstantijs probatam, quin & præsentationes continuatas, & effectuatas non per quinquaginta annorum spacium, prout Concilium voluit, quin & per longiora tempora, posset satis dici esse satisfactum dispositioni dicti Concilij. Sed vlterius Domini dixerunt cessare vsurpationis præsumptionem, cum Parochiani habeant tantum quartam partem iuris patronatus, aliæ vero tres partes sint penes tres patronos distinctos, qui pro ipsorum interesse non passi fuissent talem vsurpationem, præcipue, quia, & si Parochiani non præsentassent, nihilominus Ecclesia non remaneret libera. Vlterius quia cum in alijs tribus Patronis cesset dicta vsurpationis suspicio, & ex supradictis competat illis tribus patronis huiusmodi ius patronatus ex fundatione, sequitur quod illi tres sint præferendi, argumento *textus in leg. sancimus, §. sin autem amplioris, vbi gloss. C. de donationibus, Albericus in l. ad officium, C. commun. diuidun. Capic. dec.36. num.1. & 2.*

8 Nec in istis duabus familijs, quibus spectat huiusmodi ius patronatus vnicuique pro quarta parte, cadit vsurpationis suspicio, cum non sint Barones, nec Domini Temporales loci, vbi est ista huiusmodi Ecclesia, prout Rota tenuit in illa Burgen. Beneficij de Viceda 15. Februarij 1593. coram Domino Decano.

REVERENDISS. P. D.

COCCINO DECANO.

Fulginaten. Fideicommissi. Lunæ 5. Decembris 1605.

ARGVMENTVM.

Trebellianica numquid censeatur prohibita per prohibitionem alienationis, est magistralis decisio.

SVMMARIVM.

Trebellianica censetur prohibita per prohibitionem alienationis, etiam in minima parte bonorum, num.1. vbi idem in Falcidia.

Trebellianica, & Falcidia prohibita non censetur nisi expresse prohibita reperiatur, quod an verum sit, explicatur, numer.2.

Trebellianica potest prohiberi etiam filijs primi gradus, numer.3.

Trebellianica numquid censeatur prohibita per prohibitionem

tionem alienationis extra familiam. nu. 4.
Fideicommissum an censeatur inductum per prohibitionem alienationis extra familiam. nu. 4.

DECISIO CLV.

1 EX prohibitione alienationis, etiam in parte minima fuit resolutum, censeri quoque prohibitam detractionem Trebellianicæ, per *text. in Authent. sed & in ea. Cod. ad leg. Falcid. & in Authent. vt spons. largites. §. si quando. columna nona.* vnde sumitur, qui licet loquatur in Falcidia, habet etiam locum in Trebellianica ex identitate rationis, vt per *Bald. ibi, Aretin. consilio 37. num. 10. vers. ad secundum. Card. consil. 113. in principio. Roman. consilio 206. numero primo, & ibi Addent. Illustrissimus Mantic. de coniect. vltimar. voluntat. libro septimo. titul. 12. numero decimo nono. Late Gabriel. alios referens de Trebellian. conclusione nona*, & dictum est, rem esse extra difficultatem, cum prohibitio sit facta filijs, & descendentibus, vt sunt verba clara testamenti. *Socin. iunior. consilio 49. numero vigesimo primo. volumine tertio. Decian. respon. 120. numero vigesimo quarto, in fine. libro tertio. cum alijs, per Illustrissimum Mantic. vbi supra. numero vigesimo. in fine, & numero 21.*

2 Neque facit, quod ad effectum, quod censeatur prohibita Falcidia, & sic ex identitate rationis, etiam Trebellian. requiritur expressa prohibitio, & non ex prohibitione alienationis, per *textum. in §. si vero expressim. Authentic. de hæred. & Falcidia*, quia licet hæc fuerit opinio *Angeli. 161. numer. 40. versicul. contrarium mihi videtur*, & aliorum, quos allegat *Neuizan. consilio secundo. numero primo*, tamen contraria sententia, scilicet quod sufficiat prohibitio alienationis, est communis, & verior, vt dicit ibidem. *Neuiz. n. 33. & 34. & per tot.* qui bene etiã respondet argumentis contrariæ partis, & fundat hanc sententiam, *& in ea residet. nu. 49. vers. quid tenendum.*

3 Nec etiam facit, quod sumus in prohibitione alienationis facta filijs primi gradus, quia nihilominus ex ipsa resultat prohibitio Trebellianicæ, cum clarum sit, secundum opinionem quam Rota seruat, quod etiam filijs primi gradus Trebellianica potest prohiberi. *Cassand. decisio. 4. de testam. Sarn. decisio. 94. incipien. Trebellianica, Simon. decis. 89. incipien. In vna Romana. Cresc. dec. 2. de testament.* & fuit resolutum in causa Anconitana. fideicommissi, 18. Martij, & 27. Aprilis 1583. coram bonæ memor. Cardinale Lancellotto, & in causa Nucerina fideicommissi, 30. Octobris 1595. coram Illustrissimo Mant. quæ decisio loquitur in terminis prohibitionis alienationis factæ filijs, & hanc etiam opinionem dicit magis communem *Bertrand. cons. 130. num. 5. lib. 3. part. 2. & sequitur Molin. de primogen. Hispania. libr. 1. capitulo 17. num. 12. versicul. contrarium tamen.*

4 Neque etiam obstat, quod facta sit prohibitio alienationis extra familiam, vnde censeri debet permissa alienatio in familia, quia hæc verba prohibitionis debent operari circa fideicommissum, ex *allegat. per Illustrissimum Mantic. in dicto tractatu. lib. 6. tit. 14. num. vigesimo quarto. vsque ad fin. Peregrin. de fideicommiss. articulo 14. num. 7. vers. at secus est*, & cum ex illis verbis arguatur, quod factum fuerit fideicommissum fauore agnationis, ideo magis censeri debet prohibitam esse Trebellianicam etiam ipsis filijs, vt per *Decian. consil. 495. circa finem. Natt. consil. 321. num. 8. in fine. & num. 9. Simon. de Præt. de interpret. vltim. voluntatum. lib. 3. dubitat. 5. solut. 6. num. 33. fol. 367.* & in puncto, quod ex prohibitione alienationis extra familiam censeatur nihilominus etiam prohibita Trebellianica, consuluit. *Alben. consil. 147. num. 8.* cuius dictum corroborari potest ex prædictis, & ex conclusione, quod prohibita alienatione censetur prohibitum omne id, per quod peruenitur ad illam. *l. codicillis. §. matre. vbi Bartol. de leg. 2. Late Tiraquel. de retract. lignag. §. 1. gl. 14. num. 14.*

REVERENDISS. P. DOMINO LVGDVNEN.

Abulen. Cappellaniæ. Veneris 9. Decemb. 1605.

ARGVMENTVM.

Ex quibus sententia dicatur transire in iudicatum, & lis seu iudicium quando incipiat, & in quibus casibus satis sit, quod gratia iustificetur de facto, & an censeatur renunciatum rei iudicatæ, quando fuit actum pro illius confirmatione, & an commissio nullitatis non data nullitate impediat, quod sententia non transeat in iudicatum.

SVMMARIVM.

Sententia dicitur transisse in iudicatum, quando post terminum præfixum ad dicendum de appellationis prosequutione exequutioni mandata fuit. nu. 1.
Lis seu iudicium non incipit à commissione causæ, seu decreto citandi. sed à citatione. nu. 1.
Lis non inducitur per citationem ad videndum compulsari num. 1.
Tempus prosequendæ appellationis non currit impedito. numer. secundo, vbi quod non sufficit impedimentum in vna parte anni, quando in alia parte eiusdem anni non fuit facta diligentia.
Impedimentum debet probari ab allegante. nu. 2.
Appellatio vt non dicatur deserta ex non prosequutione causæ sufficit quælibet diligentia. nu. 3.
Sententia transit in iudicatum, quando fuerunt lapsa fatalia appellationis. nu. 4.
Fatalia currunt etiam pendente iudicio attentatorum, quando in illo appellans succubuit. nu. 4.
Appellatio admittitur à collatione Ordinarij. nu. 5.
Appellatio admittitur a denegata institutione. nu. 5.
Gratia sufficit, quod de facto iustificetur. nu. 6.
Dic verum, ad effectum euitandi obreptionem, quæ oritur ex narratis, secus quando subreptio consistit in eo, quod fuerat aliquod tacitum. nu. 6.
Narratiua litis non sufficit pro expressione rei iudicatæ. numer. sexto.
Rei iudicatæ renunciatum non censetur, quando fuit actum pro illius confirmatione. nu. 7. maximè si illa fuit per easdem, non autem per nouas probationes confirmata.
Rei iudicatæ renunciatum non censetur ex eo, quod quid quis dicit male appellatum.
Commissio nullitatis non impedit, quin sententia transeat in iudicatum, nec impedit quo minus appellatio per lapsum fatalium deseratur, quando re vera non adest nullitas. nu. 8.
Nullitatis actio durat vsque ad 30. annos. nu. 8.

DECISIO CLVI.

1 FVit dictum constare de re iudicata sententiæ latæ à Nuncio, quandoquidem ea mandata fuit exequutioni, postquam in termino præfixo, & prorogato, Franciscus non docuit de diligentijs factis in prosequenda appellatione. *Rot. decisione 13. & vigesimaquinta. de appellat. nou. Federic. de Sen. consil. 28. numer. secundo.* Et quamuis appellationis causa commissa forsitan fuisset: Tamen non fuit infra annum exequuta citatio aduersus Petrum, ad dicendum contra commissionem causæ. Cum enim iudicium incipiat non à commissione causæ, vel à decreto citandi, sed à citatione. *glossa in §. final. institut. de pœn. tem. lit.*

Et

Et in rubr. ff. de in ius vocand. ad constituendum iudicium appellationis non sufficiebat commissio. Achil. dec. 11. de appell. Verum etiam citatio ad causam erat necessaria. Bal. in l. final. §. illud. C. qui satisd. cogan. Castren. in rubr. de in ius vocand. Neque Franciscus iuuari potest citatione ad videndum compulsari, vt tenuit Rota in quadam Arboren. Canonicatus coram Accorambono, quæ est 106. par. 3. diuers.

2 Non obstat, quod stantibus impedimentis tempus non curreret Francisco ad decis. 25. in fine. versicul. quod intelligo. de appellat. in nou. & decis. Put. 151. numer. sexto, & sequent. libro secundo. Quia cum impedimenta deducuntur, ex quo citatio, & inhibitio, cum in Hispaniam mitterentur, ablatæ fuerunt à Piratis, esset necesse probare, quod Tabellarius qui de mense Februarij dicitur deperditus, prædictas citationem, & inhibitionem habuisset, vt in simili casu dictum in Collen. Pensionis 9. Iunij 1604. coram Reuerendissim. Patre Domino meo Coccino. Præterea probata etiam illa deperditione potuerat Franciscus, ex tunc alias expedire, & exequi facere, vsque ad mensem Iunij, quo tempore Nuncij sententia fuit demandata exequutioni. Vnde non sufficit probatio impedimenti in vna parte anni, quando in alia eiusdem anni parte non fuit facta diligentia. Put. dec. 154. num. 5. lib. secundo.

3 Non sufragatur decisio Illustrissimi Seraphini 17. Nouembris 1599. In qua fuit dictum Franciscum excusari à desertione causæ propter impedimenta allegata. Nam illa procedit, quatenus desertio fundaretur tantum in non prosecutione causæ intra tempus præfixum, quia ex casu quæuis diligentia sufficeret. Cassad. decis. 4. de appellat. num. primo, Vestr. in prax. lib. 7. cap. fin. Verum in hac causa desumitur res iudicata, præcipuè ex quo intra annum nulla fuit exequuta citatio.

4 Accedit, quod fatalia lapsa fuerunt, nec vnquam prorogata, auth. ei qui. & l. fin. C. de temp. appellat. eorumq; tempora concurrerunt etiam pendente Iudice attentatorum, quia in illis Franciscus succubuit. Rot. dec. 115. in fin. de appellat. in Nouis. cumulat. Modern. de priuileg. attent. nu. 49. & 93. Vbi Franciscus forsan excusaretur propter probabilem causam procedendi super attentatis. Tamen subducto etiam tempore, quo de illis fuit actum, adest lapsus fatalium, nempe à die sententiæ, & appellationis, quæ fuit de mense Octobris 1595. vsque ad productionem Processus. in Rota de mense Februarij 1598.

5 Non obstat, quod Nuncius de causa beneficiali cognoscere non possit. Patet enim contrarium ex facultatibus illi concessis, sicut quod dicitur illum non potuisse ad se causas auocare ab ordinarijs, obstante Concil. Trident. Tollitur ex facto, quia constat causam deuenisse ad Nuncium per viam appellationis interpositæ à collatione spreto patrono, facta ab Episcopo Abulen. Potest enim appellari à collatione ordinarij. Vestr. in prax. lib. 3. cap. 7. in princip. & à denegata Institutione. Lamberten. de iure patron. 2. part. lib. 2. quæst. 11. art. 5.

6 Subreptio gratiæ Francisci non potest euitari eo prætextu, quod lis de facto pendebat, & sufficit iustificatio gratiæ de facto. Ægid. dec. 116. in fin. Nam id verum est, ad effectum euitandi obreptionem, quæ oritur ex narratis, subreptio autem gratiæ Francisci consistit in eo, quod is non narrauit rem iudicatam, cum pro ea narratiua litis non sufficiat, vt fuit resolutum in causa Auximana Molendini 14. Nouembris 1578. coram Robusterio.

7 Non obstat, quod videatur renunciatum rei iudicatæ per prosequutionem causæ in Rota. Nam cum fuerit actum pro confirmatione sententiæ Nuncij, id absque renunciatione rei iudicatæ fieri potuit. Augustin. inter decis. impress. 1434. part. 3. diuers. Et ex eo quod quis dicit male appellatum non renunciat rei iudicatæ. Clement. si appellationem. de appellat. Accedit quod per easdem, non autem per nouas probationes sententia fuit confirmata, vt fuit consideratum in vna Valentina Mercedis, coram Reuerendo Padre Domino meo Ortimberg. 20. Decembris 1604.

8 Non obstat Commissio Nullitatis, quia quando re vera non adest nullitas, illa Commissio non impedit, quin sententia transeat in rem iudicatam, nec impedit etiam quo minus appellatio per lapsum fatalium. deseratur, quamuis ipsa nullitatis actio duret vsque ad 30. annos.

Non obstant, quæ dicuntur de iniustitia sententiæ Nuncij. Nam illa sententia fuit confirmata duabus sententijs Rotalibus, & coram Reuerendissimo Rodien. 20. Iunij 1603. fuit dictum, constare de tribus sententijs conformibus iustis, & validis, saltem quo ad non ius Francisci, & antea coram Illustrissimo Seraphino 17. Maij 1600. fuerat dictum, nec esse agendum de iure Petri, cum illi reo, & possessori, sufficeret obtinere ex non iure Francisci. Atque ex his fuit conclusum constare de re iudicata ad effectum de quo agitur, Idque eo magis, quia in hac causa coram Reuer. P. Domino meo Lancellotto causa ex alio capite fuit detecta nulla, & subreptitia gratia noua, qua nunc Franciscus experitur.

REV. P. D. COCCINO DECANO.

Oueten. Mercedis. Lunæ 12. Decembris 1605.

ARGVMENTVM.

Ante emissam professionem, iuxta formam Concilij Tridentini fructus, & distributiones non debentur Canonico. Salarium autem non conuentum debetur in Ciuitate, in qua quis est solitus locare operas suas.

SVMMARIVM.

Fructus, & distributiones non debentur antequam habens curam animarum, vel etiam Canonicus professionem faciat, iuxta formam decreti Concilij Tridentini, sess. 24. de reformatione. cap. 12. Rub. Prouisi etiam. nu. 1.

Salarium non conuentum debetur in ciuitate, in qua quis est solitus locare operas suas. nu. 2.

Salarij taxatio Procuratori debiti residet in iudicis arbitrio. nu. 2. in fine.

Interesse debetur propter moram tam in non faciendo quam in contrafaciendo. nu. 3.

DECISIO CLVII.

1 PEtebat D. Guignones pro tempore quo fuit absens fructus, & distributiones quotidianas suæ præbendę Canonicalis à Capitulo, nec non salarium, & expensas, & interusuria pro pecunijs captis ad cambium pro dictis fructibus, distributionibus, salario, & expensis. Et quantum attinet ad Fructus, & distributiones Domini dixerunt, illi non esse debitas, cum ista absentia fuerit, antequam faceret primam residentiam, & emitteret professionem fidei, quapropter non potuit haberi pro præsente, Concil. Tridentin. sess. 24. de Reform. capitulo decimo secundo. versicul. prouisi, aut de Canonicatibus, quod ita interpretata est sacra Congregatio, vt in declaratione, quæ datur. nu. 2. & tenet Nauar. cons. 4. de sum. Trinitate, & Fide Catholica. vbi supra, numer. tertio, quod

quod fidei professio proficit tantum in futurum, & sic quod fructus præteriti non debeantur. Vnde non quærendum, an haberet talem causam absentiæ, propter quam & absenti debitæ fuissent distributiones, cum non adimpleuerit præscriptum Concilij Triden. & ex prædictis sequitur, quod nullum interesse possit prætendere, neque ratione damni emergentis, neque lucri cessantis, respectu horum fructuum, & distributionum.

2 Quantum attinet ad salarium, & expensas Capitulum non renuebat soluere vtrumque, sed dicebat expensas debere iustificari, quod etiam Dominis placuit; Salarium vero quia fuit promissum tantummodo in futurum, dicebat deberi duntaxat à die constitutionis illius, vsque ad diem reuocationis ipsius procuratoris. Domini tamen circa hoc, dimisso, vt particulariter videatur, an salarium debeatur etiam post reuocationem, quod pendet ab eo, an fuerit valide, vel nulliter reuocatus, vt in causa Placen. nullitatum reuocationis procuratoris 23. Ianuarij 1598. coram Reueren. Patre Domino meo Litta. Dixerunt salarium deberi à die, quo fuit substitutus, & incepit seruire, quia licet regulariter salarium non conuentum non debeatur tamen regula non procedit in Ciuitate, in qua quis est solitus locare operas suas. *Cornel. consil. 116. num.2. in fine, & num.3. libr.4. Put.dec.44. num.2. libr.2.* Et fuit dictum in causa reductionis Laudens. de Buschettis 12. Februarij 1582. coram Illustrissimo Domino meo Card. Blanchetto, prout est notorium, quod facit pro Domino Quignones, qui multa sua cum laude, fidelitate, & diligentia, sub eius tutela plura habet negotia. Et cum Capitulum promiserit in futurum Ducat. 100. annuos, & non appareat quod post dictam constitutionem aucta fuerint negotia. Visum & fuit Dominis, hoc salarium conueniens esse etiam pro tempore præterito, cum hoc relinquatur arbitrio Iudicis *Bart. in l. Seio. in fine princip. ff. de annuis legat. Corn. d. cons. 116. num. 4. Capic. decis. 27. numer. 20.*

3 Circa interesse pro pecunijs captis ad cambium respectu salarij fuit dictum, non deberi, nisi probatis requisitis, pro *Castren. in l. 3. ff. de eo, quod certo loco.* Respectu vero expensarum visum est interesse deberi ratione damni emergentis, quia procurator gessit negotium vtile Capituli, quod satis fuit mora, propter quam debetur huiusmodi interesse, *gl. in cap. conquestus, de vsur.* cum tempore debito non subministrauerit pecunias procuratori, pro expensis, quia mora tam committitur in non faciendo id, quod quis facere tenetur quam in contrafaciendo, *l. qui non facit ff. de reg. iur. Aret. cons. 156. in fine.*

R. P. D. MANZANEDO.

Tudertina Dotium de Aptis Veneris 27. Ianuarij 1606.

ARGVMENTVM.

Obscuram responsionem factam positionibus potest quis declarare. Quod si responsio habet relationem ad aliud, non prodest, nisi illud, ad quod fit relatio, exhibeatur.

SVMMARIVM.

Confessus ante partis acceptationem potest suam confessionem declarare, nu. 2.

Errorem corrigens non dicitur quicquam de nouo facere, sed iam factam declarare, nu. 2.

Soluens non præsumitur non curasse ea, quæ alias curauit, numer. 3.

Articulus seu positio non dicitur confessata quando respondens, refert se ad instrumentum, & in instrumento non reperitur, num. 4.

Relatum magis inspicitur quam referens, num. 4.

Error illico dicitur probatus, quando apparet rem aliter se habere, nu. 4.

Confessionis fundamento sublato, tollitur, & confessio. numer. 4.

Confessio facta cum aliqua qualitate est, indiuidua, & non potest pro parte acceptari, nu. 5.

Periurus quis non censetur, nisi probetur, nu. 6.

Scriptura priuata fidem non facit, maxime quando non est recognita, nu. 7.

DECISIO CLVIII.

1 Relaxato mandato ab A. C. instante Domina Pantasilea contra Dominum Alexandrum pro Scutis 1700, & causa per appellationem introducta in Rota coram Reuerendissimo Domino Pacen. & coram illo 3. Iulij 1600. disputato dubio, scilicet, an aliquid esset exequendum, & resoluto ad fauorem Dominæ Pantasileæ, & postea coram me 6. Iunij præteriti disputato particulariter dubio, an constaret de solutione Scutorum 550, & resoluto non constare, & soluta dicta summa Scutorum 550. Dominæ Pantasileæ, & in executione dicti mandati, ipsa de nouo cœpit instare pro executione summæ residuæ Scutorum 1150. contra quam Dominus Alexander opposuit de solutione ex aliquibus partitis inter quas vna sonat, sub die sexta Iulij 1575. de Scutis 302. Dominæ Pantasileæ solutis, alia vero, sub die 7. Iunij 1575. de Scutis 700. solutis eidem Dominæ Pantasileæ, alia vero de Scutis mille receptis in vna partita à Domina Pantasilea, prout constat ex confessiones ipsius iurata in responsionibus ad positiones coram A. C. datas. Vnde principalis difficultas in his tribus partitis, cum illas distinctas dicat esse Dominus Alexander, & in illis contineri summam, & solutionem 2002. Scutorum, & ex aduerso Domina Pantasilea contendat, quod dicta Scuta mille positionibus confessa, sint eadem, quæ continentur in dictis duabus quietantijs, altera Scutorum 302. & altera Scutorum 700.

2 In quo Domini cum Domina Pantasilea censuerunt, sicque standum esse in decisis coram Reuerendissimo Pacen. Tum quia ante acceptionem Domini Alexandri dictæ confessionis Domina Pantasilea, ita dictam suam confessionem declarauit, prout de iure potuit ex adductis in dicta decisione, quin & prætextu erroris illam potuit reuocare, ex *text. in c. fin. de confess. & in l. error. C. de iur. & fact. ignoran. Vbi Bart. quem refert, & sequitur Ruin. consil. 10. numer. 19. libr. 3.* Præcipue cum qui corrigit errorem, nō dicatur quicquam de nouo facere, sed iam factum declarare, vt notat *Felin. in capit. qualiter, & quando el primo, numer. 27. versic. facit, quod notat Dominus Marianus, de accusation. per text. in l. hæredes, palam, ff. de testament. Idem Felinus, in capitulo 2. num. 16. vers. & pulchre inquit. de libell. oblatione,* quibus in locis refert Marianum in dicto cap. qualiter, & quando, tenentem, quod solennitas *text. in dict. cap. final. de confess.* in docendo de errore non est necessaria in declaratione confessionis obscuræ. Faciunt tradita à *Gabriel. de regul. iur. conclusion. 3. numer. 46. & 47.*

3 Vnde ex primis duabus quietantijs, quarum nulla continet summa confessatam dictorum Scutorum mille, apparet satis de errore dictæ confessionis præcipue cum non constet de vlla quietantia, quæ sola de per se capiat dictam summam Scutorum mille, nec præsumatur adesse quin contrarium cum si facta fuisset, illam haberet Dominus Alexander, & produxisset ad sui liberationem.

4 Vlterius quia quatenus in dicta confessione Domina Pantasilea dixit, fecisse de dictis mille Scutis quietantiam, visa fuit referri ad instrumentum dictæ quietantiæ relatæ, quo casu si in tali instrumento illud non contineatur, positio non habetur pro confessata, ex traditis à *Butrigar.in l.2.C.de error.Aduocator.* & melius ibidem à *Bald. num.4. & à Paul.de Castr.num.5.& à Ludoui.Rom.consil.294. num.1.& 2.& à Paris.cons.7.numer.4. lib.3.* Præcipue quia talis confessio, & responsio debet limitari, & regulari per instrumentum ad quod fit relatio, sicque magis inspicitur disputatio relata, quam referens, cum ista referens videatur esse facta errore, vt post *Alexandr. tradit idem Paris.vbi supra. num.5.* Vnde cum non adsit alia quietantia mille Scutorum, nisi illæ duæ primæ capientes dictam quantitatem, sequitur, quod ad illas est referenda dicta confessio, & iuxta illas debet regulari, cum non referens, sed relatum habeat considerari, maxime stante prædicta declaratione Dominæ Pantasileæ ante acceptionem Domini Alexandri facta, quin & stante dicto errore, qui dicitur probari illico, quando apparet rem aliter se habere, vt tradit *Bartol. in l. sed si me putem.in princip. ff.de condict. indebiti, & Alex. consil.102. lib.2.& Dec. consi.6. num.7.Sichard.in dicta l.2. in fine. C.de error. aduocat.* quod si velimus huiusmodi confessionem non referri ad ipsas duas quietantias, sed ad vnicam mille Scutorum, cum de illa non constet, ne presumatur, quin contrarium ex supradictis dicendum erit, necessario prædictam confessionem non subsistere quo ad confessionem, quia ad confessionis fundamentum fuerit instrumentum quietaniæ, ad quod confessio refertur sublato huiusmodi fundamento sublata censetur, & confessio, vt in eisdem terminis tradit *Roman.dicto consil.294. numer.5.per text.in cap.principatus, & in cap.cum Paulus.1.quæst.1.*

5 Tum quia, cum huiusmodi confessio non simpliter fuerit facta, sed cũ illa qualitate relatiua ad quietantiam, & vno eodemque capitulo contineatur, sequitur non posse Dominum Alexandrum dictam confessionem pro parte tantum acceptare, quin teneri illam in totum cum sua qualitate acceptare, ex dictis in *decis.Reuerendissimi Pacen. & ex traditis a Panormitano.in cap.bonæ memoriæ.el 2. num.29. de postulat.Prælat.vt notant Scribentes. in cap.1.de confess.in 6.& Bart.& ceteri in l.Aurelius.§.idem quæsiuit.ff.de liberat.legat.Idem Bart.in l. si quidem,C.de exception.tradit Marant.de ordine iudic. p.6. tit.de confession. num.27. versic. aut contra illam qualitatem.*

6 Et literam missiuam mariti Dominæ Pantasileæ pro Domino Alexandro exhibitam Domini censuerunt non probare, nec calculum ab ipso datum, qui non iustificatur. Nec visum fuit obstare, quod opponitur contra Dominam Pantasileam de periurio in respondendo positionibus, cum non iustificetur contrarium illius, quod ipsa deposuit, nec probetur illud dolose deposuisse, & cessante dolo, non censetur periuria. *Alexand. consi.92. num.13. lib.1.Bero.consi.189.num.1. lib.3. Gabr. cons.66. num.30.lib.2.Surd.consi.25. post. nu.24. lib.1.*

7 Et quo ad duas partitas, alteram Scutorum 460. alteram vera Scutorum 500. quæ dicuntur Dominæ Isabellæ solutas fuisse, Domini dixere illis fidem non adhibendam esse, cum de illis constet per apochas priuatas, quæ non faciunt fidem, per *textum. in c.2.& ibi glos. & Doctores verbo authentica. de fide instrumento. Alexand. consil. 188. in fine. lib.6.facit text.in l.scripturas. vbi Bart. & Doctores,C. qui potior. in pign.habean.* præcipue cum non appareant recognitæ.

8 Cetera quæ dicuntur pro Domino Alexandro, de quibusdam fidibus quietantiarum ad ipso productis, tanquam in facto non subsistentia fuerunt reiecta. Quod attinet ad duos scutos de differentia fuit in dict. decisio, coram Reuerendissimo Pacen. ex modicitate reiectum, & idem modo Domini sensere.

REVERENDISS. P. D. MANZANEDO.

Rauennaten. Iuris patronatus. Veneris 27. Ianuarij 1606.

ARGVMENTVM.

Plures referuntur causæ, ex quibus possessio dicatur attentata.

SVMMARIVM.

Possessio capta lite pendente dicitur attentata. num.1.
Possessio capta per vnum ex præsentatis lite inter ipsos præsentatos pendente est attentata. num.1.
Possessio capta lite pendente de manu vnius ex collitigantibus dicitur attentata. num.2.
Executor mixtus debet assumere partes iudicis alias nulliter procedit. num.3.
Clausula amoto, &c. facit executorem mixtum. nu.3.
Executor dicitur mixtus, vbi gratia fuit expedita in forma dignum. num.3.
Possessio capta post inhibitionem dicitur attentata. n.4.
Inhibitio Rotalis siue iusta, siue iniusta, est timenda. num.4.
Possessio transit in successorem cum suo vitio. num. 5.
Possessio capta intra tempus datum ad appellandum est attentata. num.5.
Possessio attentata iuxta stylum Rotæ debet sequestrari. num. 6.

DECISIO CLIX.

VAcante ista Cappellania morte Nicolai Bisinij fuit ad illam præsentatus coram Vicario Rauennaten. Dominus Ascanius per hospitale Sanctissimi Crucifixi ciuitatis Cesenæ, & Dominus Bartholomæus per Dominos de Guazzimanis, & à Dominis de Zibertis, præsentatus Dominus Benedictus, & inter ipsos introducta lite coram D. Vicario super præmissis præsentationibus dictus Bartholomæus Sexto Calendas Augusti de anno 1604. obtinuit gratiam huius Cappellaniæ in forma dignum à Sanctissimo non facta mentione de dicta lite, narrato tamen esse de Iure patronatus laicorum, & quod non excedebat valorem 24. Ducatorum, cum clausulis, verificato prius de Iure patronatus, & dummodo non sit alicui specialiter ius quæsitum, & cum clausula amoto, &c. quas literas Bartholomæus dicto Vicario præsentauit 3. Septembris. eiusdem anni, & nemine citato, nec gratia iustificata, & dicta lite pendente fuit sibi facta institutio à dicto Vicario, & die 4. proxime sequenti eiusdem mensis fuit immissus in illius possessionem. Die vero 11. eiusdem mensis Septembris, & sic infra decem dies hospitale, & Dominus Ascanius appellationem interposuerunt à prædicto Vicarij decreto, & causa fuit commissa in Rota, & pendet coram me. Vbi Bartholomæus sub die 22. Decembris eiusdem anni, & Benedictus, sub 29. Martij, anni sequentis 1605. fuerunt citati, & inhibiti, & post dictam inhibitionem Rotalem, Bartholomæus hanc cappellam resignauit in manibus Sanctissimi, ad fauorem Benedicti Collitigantis; illeque fuit de ea prouisus, cum reseruatione annua pensionis 20. Ducatorum ad fauorem Bartholomæi non facta mentione de dicta lite, literisque expedit is in forma dignum, sub datum 4. calendas Iunij 1605. cum clausula dummodo accedat consensus patronorum, & dummodo

non

non fuerit in eo alicui specialiter ius quæsitum, & clausula amato,&c.illarum vigore gratia non iustificata, nemine citato, lite pendente, & post inhibitionem Rotalem, Benedictus fuit immissus in possessionem dictæ Cappellaniæ, sub die 9.Iunij 1605.ex post facto vero, de mense Nouembris eiusdem anni ab humanis decessit dictus Bartholomæus.

1 Vnde dubitaui, An dicti Benedicti possessio fuerit attentata ita vt veniat sequestranda. Et Domini ex pluribus iuris regulis illam attentatam dixerunt. Primo quia fuit capta lite pendente, ad rubricam, vt lit. pendent.nihil innouetur, tam in iure Pontificio, quã Cæsareo, præcipue cum fuerit negatiue concepta, ex quo iuxt. *gl. in rubr. vt lit.pendent in decreta. lib. verf.& aduerte*, regulariter nihil debet innouari lite pendente. *Rota decis.10.eo. tit. in nou.* faciunt tradita à *Cassad. decis.6. num.2.supra regulis Cancellariæ*, & in terminis de institutione facta,& possessione tradita vni ex præsentatis lite pendente inter ipsum, & alium in simul præsentatum, & quod esset attentata,dixit *Rota coram Guidobo. decis.104. per text. in cap. 1. vt lite pendent. in 6.* qui textus procedit etiam in præsentatione secundum communem, de qua testatur *Sarnen. in regula. de subrogand. quæst.13. & Guidob. vbi supra. Lancellot.de attent.2.part. præfat.cap.4.de attent.lit.pendent.num.295. cum sequentibus*.

2 Præterea, quia Benedictus vigore resignationis Bartholomæi collitigantis, cepit huiusmodi possessionem de manu illius, quo casu dicitur etiam attentata ex *Rota Decisione 3. vt lite pendent. in nou.Facit text. in cap.cum M.in fin.de constit.Præposit. in cap.bonæ. nu.13. versic.vel aliter potest solui. de appellat.Facit text.in l.Chirographis. §.1. & ibi Bartol.ff. de administration.tutor.Lancellot.vbi supra, p.1. c.3. de attentat. a tertio,numer.17.cum sequentibus*.

3 Itidem eadem possessio fuit attentata, ex quo exequutor virtute clausulæ amoto, erat mixtus, & assumere debuit partes Iudicis alias ordine non seruato, processit nulliter, & sic attentate, ex Innocent. *Bald. Roma.& alijs quos refert, & sequitur Felin.in c.final. num. 23.& 24. de præsumpt.Rebuff.in praxi.titul.de format.nouæ prouision.verb.amoto exinde.Achill.decisione 6.a num.3.super regula de triennal. Mohedan. decis.7. num.5. de restitut. spoliat.Facit text.iunct a gl.in cap.exhibita,& ibi Felin.num. 4.de Iudic.Rota.in nou.decis.30.de rescript.* Et idem operatur dictam gratiam fuisse expeditam in forma dignum. ex *Felin. dicto.cap.final.num.17.& ibi Butr.& pluries tenuit Rota prout testatur.decisio 202.num.1.part.1. diuersorum*.

4 Tum etiam fuit attentata,tanquam post inhibitionem Rotalem capta, quæ siue iusta, siue iniusta, est timenda, ne aperiatur via inferioribus iudicandi de inhibitionibus Rotalibus, quia facile negligerentur, *Put.decis.395.lib.2.Verall. decis.93. p.2. Achill. decisio.29. qui testatur de stylo Rotæ de appellation.*

5 Vlterius quia possessio prius per Bartholomæum authorem Benedicti capta itidem,& fuit attentata,& sic transiuit in Benedictum cum suo vitio. *cap. quia V. de Iudic.cap.sæpe. de restitutio. spoliator.gloss.in verbo in eum statum.versic.vel quia.in cap.bonæ de appellat.præcipue cum tanquam collitigans successerit in dicta possessione vitiosa scienter, ex prædictis Iuribus*. Quod autem dicta possessio Bartholomæi fuerit attentata, probatur, tum ex eo, quod lite pendente fuit apprehensa,quin & ab executore mixto ex eisdem clausulis, de quibus supra,& Iuris ordine non seruato, iuxta superius adducta. Tum etiam quia in tempore dato ad appellandum Bartholomæus possessionem cepit. Vnde est attentata, *ex cap. non solum. de appellat. in 6. clem. 2. vt lit. penden.*

6 Ex quibus infertur, dictam possessionem esse sequestrandam iuxta stylum Rotæ relatum à Verall. *decis.156.p.3.* & fuit dictum in vna Aleuen. attentatorum. 20. Decembris 1593.coram Illustrissimo Cardinale Seraphino, tunc Rotæ Auditore.

REVERENDISSIMO P. D.

LVGDVNEN.

Calaguritana Beneficij de Ocon. Lunæ 30. Ianuarij 1606.

ARGVMENTVM.

Gratia conditionalis nihil ponit in esse ante conditionem. Item narrata debent verificari, maxime ad excludendam Ordinarij prouisionem Item renunciasse censetur quis primo beneficio per assequutionem alterius, etiam si primum esse litigiosum,& non possideretur.

SVMMARIVM.

Gratia habens clausulam & committatur Ordinario in forma dignum antequam exequutioni demandetur, nihil ponit in esse. num.1.

Narrata debent verificari. num.2.

Reseruatio ad excludendam ordinarij prouisionem debet plene, & concludenter probari. num.2.

Valor beneficij narratus debet verificari cum sit pars gratiæ. num.3.

Gratia non expressis fructibus beneficij ante perceptis sub reptitia est. num.3.

Beneficio dimidio renunciasse censetur quis per assecutionem integri. num.4.

Amplia etiam si dimidium esset in lite, quia facilius amittitur actio, quam res. num.4.

DECISIO CLX.

1 GRatia Petri Alonzo habet clausulam, & committatur ordinario in forma dignum,quæ cum exequutioni non sit demandata, nihil ponit in esse.*Clem. vnica,& ibi Card.num.7.& 8.Vital.num.15.de concess. præbend.Cassad.decis.1. num.6. vt lit.pend. Mandos. in reg. de ann. q.55. num.3.* Ideoque Petro non potest suffragari, maxime ad effectum vt illius occasione debeat reuocari sententia Rotalis, per quam fuit dictum beneficium de quo agitur pertinere ad Martinum.

2 Idque eo magis quod narrata in prædicta gratia circa vacationem in Mense Sedi Apostolicæ reseruato non fuerunt verificata. *c.1.Vbi Ioan.Andr.& Gemin. nu.8.Franc.nu.17. de lit. contest.lib.6.Put.decis.30.nu.5.lib. 1.Rebuff.in pract.tit.requisita ad validit. collat. num.48.* & tamen huiusmodi vacatio ad hunc reseruationis effectum,& ad excludendam Ordinarij prouisionem, plene, & concludenter debet probari. *Put.decis.266.lib.3.* Fuit dictum in causa Pampilonen. de Allo.Veneris 8. Martij 1577. coram Cantuccio. Vnde non obstat, quod in decisione in hac causa facta coram R. P. D. meo Ortemberg.Lunæ 17. Martij 1603. Fuit dictum, Vacationem huius beneficij contigisse de Mense Nouembris 1594. Tunc enim id fuit dictum obiter tantum, & ex abundanti, neque in huiusmodi assertione consistit ius, aut fundamentum decisionis.

3 Non fuerunt etiam verificata narrata circa valorem beneficij per non expressum 24.Ducatorum, qui valor est pars gratiæ, *Cassad.decis.20. numer.4. super reg.* Et non excessus, debet probari eo modo, quo narratus est, vt fuit dictum in causa Firmana Beneficij 1598.coram R.P.D.meo Decano, & alias sæpe. Accedit quod Petrus in sua gratia tacuit fructus ante perceptos, Ideoque gratia fuit subreptitia, *Sarnen.super reg.de triea.quæst.24. num.9. Put.decis.199. lib.3.Peregr. decis.41. lib.1.*

4 De-

4 Denique placebat Dominis, si verum est in facto, quod dicebant Informantes pro Martino, Petrum post istam gratiam fuisse assecutum in eadem Ecclesia integrum beneficium, quod cum sit incompatibile cum dimidio. *c. dudum. il 2. Vbi glos. in verbo intitulatum. de electionibus.* censetur Petrus per integri assecutionem dimidio renunciasse. *Clem. gratia. de rescript.* presertim cum hæc dimidia portio esset & sit sub lite, & facilius amittatur actio, quam ipsa res, vt per *Innoc. in c. in nostra. num. 2. de rescript.* fuit decisum in causa Salamantina, Dimidiæ portionis. 11 Decembris. 1585. Coram Orano. Itaque fuit conclusum, gratiam Petro non suffragari.

REVERENDISSIMO P. D. LVGDVNEN.

Mediolanen. de Brunellis. Lunæ 13. Februarij. 1606.

ARGVMENTVM.

Melioramenta vt refici debeant quæ probatio requiratur, & quando pro illis detur retentio. Item an sententia inter alios lata probet, vbi agitur de probando facto per sententiam terminato. Et an vtens scriptura debeat illam totam acceptare, vel in partibus. Et quando Rota soleat condemnare etiam in fructibus, qui percipi potuerunt.

SVMMARIVM.

Melioramenta, vt debeant refici, requiritur illorum probatio vel in specie, vel in genere. num. 1.

Pro melioramentis datur retentio in exequutione, quoties de eis constat. num. 1.

Confessio authoris nocet illius hæredibus. num. 2.

Sententia inter alios lata probat vbi agitur de probando facto per sententiam terminato. num. 3.

Identitas rei probatur ex identitate confinium. nu. 3.

Vtens aliqua scriptura debet illam acceptare cum omnibus suis qualitatibus. num. 4.

Fallit quando scriptura habet articulos separatos. num. 4.

Subrogatio aliorum bonorum in locum bonorum fideicommisso subiectorum ex quibus probetur. num. 5.

Condemnatio ad fructus qui percipi potuerunt de stylo Rotæ non admittitur, nisi contra violentos possessores. num. 6.

DECISIO CLXI.

Cum à sententia D. Vicarij Mediolanen. tam D. Bernardinus Brunellus Actor & reus conuentus, quam RR. PP. Præpositus, & Clerici Sancti Antonini Mediolanen. Rei, & reconuenientes, appellassent, quia vna positione iura vtriusque partis non poterant discuti, visum fuit cognoscere primum de iuribus Bernardini actoris. Ideo dubitaui, An sententia Vicarij in partibus Bernardino fauorabilibus esset confirmanda. Et quo ad primam partem, quæ continebat per mortem Alexandri, qui prædictos RR. PP. hæredes scripserat, fuisse purificatum fideicommissum ex testamento Laurentij Brunelli, ad fauorem Bernardini, res carebat difficoltate, & ipsi PP. dabant manus.

1 Agnoscebant etiam sententiæ partem, in qua ipsi condemnati fuerunt, restituere bona prædicto fideicommisso subiecta, sed dicebant addendam sententiæ conditionem refectis melioramentis. Verum fuit responsum, non constare in actis de aliquibus melioramentis nec in genere, nec in specie, prout ad hunc effectum requiritur. *Bero. consi. 33. num. 6. lib. 2. Roland. consi. 28. num. 31. lib. 1. Cæsar de Graff. decis. 136. num. 4. de reb. Eccles. non alien.* Deinde PP. satis esse consultum ex dispositione iuris mediante retentione in exequutione sententiæ faciende, quoties de melioramentis constabit. *Put. decis. 471. lib. 2.*

2 Circa identitatem, siue declarationem bonorum duo sedimina excipiebantur, vnum videlicet, cui ab vna parte cohæret hospitium, &c. Alterum cum Viridario, &c. quæ PP. negabant fuisse in bonis Laurentij fideicommittentis, quia non reperiuntur descripta in instrumento diuisionis antiquæ, nec adnotata in codicillis Alexandri, in quibus tamen scripturis enumerantur bona subiecta fideicommisso. Verum fuit responsum in codicillis adesse quædam bona, quę de istis duobus sediminibus cōmode accipi possunt. De quo quicquid fuit dictum ex illis scripturis, bene probare affirmatiuam, videlicet quod bona quæ ibi ponuntur vt fideicommissaria talia sint, non autem negatiuam, quod aliqua bona non sint omissa, quia hoc ibi non dicitur nec tollitur quod aliunde possint probari, prout probatur ex iudiciali cōfessione ipsius Alexandri, qui comparens coram Senatore Mediolani pro electione peritorum ad diuisionem faciendam cum fratribus, asseruit vltra duo sedimina primo loco descripta alia bona fuisse in bonis, & hæreditate Laurentij, & in specie in tertia, & quarta partita descripsit ista duo sedimina, de quibus agitur, quę confessio non est dubium, quin probet contra Clericos Alexandri hæredes, *Ruin. consi. 46. nu. 4. lib. 3. Natt. consi. 235. num. 13. Surd. consi. 315. num. 60.*

3 Idem probatur ex sententia Magistratus Mediolani lata occasione condemnationis Alexandri & illorum bonorum confiscationis, in qua eadem Sedimina dicuntur subiecta fideicommisso Laurentij, & relaxanda fideicommissarijs. Nec facit quod huiusmodi sententia vti res inter alios acta hoc casu non probet. Nam cum agatur solum de probanda identitate, & sic de facto, non autem vt sententia alios afficiat, tale factum satis per sententiam probatum videtur. *Dec. in l. 2. num. 51. C. de eden. Aym. cons. 65. nu. 5. Surd. cons. 429. num. 42.* & in omnem euentum controuerti non potest, quin illa sententia prædictę Alexandri confessioni magnum adminiculum præstet. Itaque cum in confessione, & in sententia Magistratus hæc sedimina ijsdem confinibus quibus in sententia Vicarij designentur, id sufficit ad illorum identitatem probandam. *leg. forma. ff. de censibus. Bart. in l. demonstratio. in 7. q. de condit. & demonstr.* & alij, quos cumulat *Peregr. de fideic. art. 44. num. 48.*

4 Dicebant etiam PP. se condemnari non potuisse ad restituenda bona subrogata fideicommisso loco crediti, Scutorum 5840. quod erat in hæreditate Laurentij, nisi solutis prius ipsis Clericis Scutis 2920. quæ mediam dicti crediti partem constituũt, & hoc ideo, quia cum Alexander in suis codicillis iubeat vt Clerici ipsius heredes restituant illa bona subrogata, soluta tamen per fideicommissarios dicta medietate, Bernardinus vtendo codicillis debet illos acceptare cum omnibus suis qualitatibus. *Bald. consi. 15. nu. 2. Tiraq. de retract. conuent. in fin. nu. 4. cum seq.* sed fuit responsum Bernardinum non egisse vigore codicillorum Alexandri, sed vigore Testamenti Laurentij. Codicillis autem fuisse vsum ad probandum subrogationem, ex quo non sequitur, quod acceptauerint dispositionem Alexandri de soluendo dicta Scuta 2920. quia cum sint articuli separati, possunt pro parte acceptari. *Boer. decis. 339. num. 3.* Quinimo, nec dictis codicillis indiget ad probandam subrogationem, cum ea satis probetur ex instrumento dationis in solutum, & subrogationis factæ cum magistratu in quo expresse cauetur, quod bona de quibus agitur fideicommisso subiaceant, & cum isto onere Alexander bona acceptauit, & vigore dictæ subrogationis istorum possessio-

sessionem adeptus fuit. *Barbat. consi. 14. num. 15. & 16. lib. 3.* Quod autem Senatus huiusmodi subrogationem facere potuerit in substitutorum fauorem, patet ex quo istud creditum Scutorum 5840. fuit in hæreditate Laurentij, vt constat non solum ex prædicta sententia, & ex codicillis ipsius Alexandri, verum etiam ex illius confessione in illa iudiciali petitione, de qua iam dictum est.

6 Vltimo dicebant PP. sententiam reformandam in ea parte, in qua ipsi fuerunt condemnati ad restituendos fructus, qui percipi potuerunt à die motę litis. Et quia ex stylo Rotæ talis condemnatio non admittitur nisi contra violentos possessores, Domini censuerunt PP. intentionem in hac parte admittendam. Itaque fuit conclusum vtraque parte informante, sententiam quo ad fructus, qui percipi potuerunt, esse reformandam ad fructus perceptos. In reliquis autem partibus D. Bernardino fauorabilibus esse confirmandam.

REVERENDISSIMO P. DOM.

LVGDVNEN.

Romana hæreditatis de Vanninis. Veneris 17. Februarij. 1606.

ARGVMENTVM.

Vxor relicta vsufructuaria censetur instituta hæres tantum in vsufructu, etiamsi fuerit relicta Domina, donna, & madonna, & an institutus in re certa non dato coherede dicatur hæres vniuersalis.

SVMMARIVM.

Vxor siue testator illi relinquat vsumfructum, siue illam in eo instituat, vtroque casu intelligitur instituta tantum in vsufructu, non autem in proprietate, & tanquam instituta in re certa habetur loco legatariæ, vel tertiam speciem facit. num. 1.

Verbum relinquo quando non adijcitur vniuersitati bonorum, vel quotæ, non importat institutionem, maxime quando res certa non relinquitur personæ necessario instituendæ. num. 2.

Dictiones donec, & quousque, operantur, vt dispositio vltra tempus expressum non extendatur. num. 3.

Vsusfructus appellatione quandoque continetur proprietas, vbi testator vsus est verbis, quæ proprietati magis, quam vsufructui conueniunt. num. 3.

Vxore relicta vsufructuaria si sit additum, quod finito vsufructu bona restituantur hæredi, non tantum admittitur ipse hæres si sit superstes, sed etiam hæres hæredis morientis ante vsufructuarium. num. 4.

Institutus in re certa non dato cohærede dicitur hæres vniuersalis. num. 5.

Institutus in re certa vt dicatur habere cohæredem vniuersalem, sufficit adesse spem, quod quis ex testamento hæreditatem vniuersam quandoque adire poterit. num. 5.

Vxor relicta donna, domina, & madonna, censetur scripta hæres vniuersalis. num. 6.

Declara id procedere, vbi subiecta materia est hæreditas vniuersa, secus si sit vsusfructus. nu. 6.

Vxori relictæ Dominæ, donnæ, & madonnæ, censetur solum relicta quædam præeminentia, quam habebat in domo testatoris. num. 6.

DECISIO CLXII.

Alexander de Vanninis in suo testamento reliquerat Dominam Paulam Mainardam eius vxorem in integro, & vniuerso vsufructu totius hæreditatis hæredem suam vsufructuariam, &, vt dicitur, donnam, dominam, & madonnam, & liberam administratricem absque aliqua superioritate. In omnibus autem suis bonis finito vsufructu prædicto instituerat suos vniuersales hæredes Horatium, & Andream de Vanninis eius germanos fratres. Superstite Paula obierunt Horatius, & Andreas relictis filijs, qui cum iactarent hæreditatem Alexandri ad ipsos mortua Paula peruenturam, ipsa causam aduersus eos in Rota commisit, & quoniam partes circa scripturam, & verba testamenti conueniunt, totaque difficultas in eo consistit, an prædicti fratres ad suos filios, & hæredes transmiserint istam Alexandri hæreditatem, id vero pendet ex eo, an dicta Paula quam diu in viduitate permanserit, sit hæres vniuersalis Alexandri, tam in vsufructu quam in proprietate, quo dubio vtraque parte informante proposito fuit conclusum, Paulam non fuisse hæredem vniuersalem.

1 In hoc enim articulo non parum inter Dominos controuerso placuit Dominis opinio *Bal. Imol. Ang. & aliorum*, quos refert, & sequitur *Paris. consi. 97. lib. 2. nu. 3.* quod siue maritus vxori relinquat vsumfructum, siue illam in eo instituat, vtroque casu intelligitur instituta tantum in vsufructu, non autem in proprietate, ideoque tanquam instituta in re certa habetur loco legatariæ, vel tertiam speciem facit, ad not. *in l. quoties. vbi Bart. de hæred. instit.* quam opinionem veriorem, & communiorem magisque menti testatoris inhærentem dicit *Bero. consi. 58. num. 6. lib. 2. Sequuntur Couar. var. resol. lib. 2. c. 2. & Gail. pract. obser. lib. 2. cap. 143.* Vnde sequitur fratres ab initio fuisse pure institutos, & testatorem tantum apposuisse dilationem quo ad rerum hæreditariarum vsumfructum, ne in illo vidua vsufructuaria molestias pateretur, vt bene declarat *Paris. supra alleg.*

2 Hæc autem mens testatoris volentis relinquere vxori tantum vsumfructum, fratres autem in propietate instituere, elicitur ex verbis, quibus vsus est prędictus testator, quippe de vsufructu disponens apposuit verbum reliquit, quod quando non adijcitur vniuersitati bonorum, vel quotæ, non importat institutionem, maxime, quando res certa non relinquitur personæ necessario instituendæ. *l. cogi. §. & generaliter. ff. ad Trebel. Bened. & Raynutius vers. in eodem testamento. l. 1. num. 57. ibique Imol. num. 8. Couar. ibidem §. 1. nume. 5.* E conuerso autem deueniens ad dispositionem fratribus fauorabilem vsus est directo verbo instituit, & est valde verisimile testatorem voluisse illos instituere in proprietate, etiam viuente vxore ne alias potius ipsius hæreditas deueniret ad extraneos hæredes, videlicet vxoris, quam ad filios fratrum ipsius testatoris.

3 Id ipsum elicitur ex quo semper facta est mentio tantum de vsufructu, & cum additione, donec, & quo vsque, quę efficit, vt vltra tempus à testatore prefixũ dispositio non possit extendi. *Paris. consi. 20. lib. 3. num. 7.* Accedit impositum viduæ onus Inuentarij conficiendi, ipseque tamen liberata à reddenda ratione administrationis Denique verbum reuertantur in euentum mortis, vel transitus ad secunda vota denotat quandam præexistentiam iuris apud alios, ex quibus omnibus excluditur interpretatio, quod Paula hæres vniuersalis relicta sit. Quamuis enim appellatione vsusfructus quandoque contineatur proprietas, tamen vt est *text. in l. Proculus. ff. de vsufructu.* id contigit quando testator vsus est verbis, quæ proprietati magis, quam vsufructui conueniant, hic autem apparet enixa voluntas testatoris, distinguere semper volentis vsumfructum à proprietate.

4 Facit etiam pro hæredibus doctrina *Bart. in l. Titia cum nuberet. num. 2. de leg. 2.* quod quando est relictus vsusfructus vxori, & additum, vt vsufructu finito bona restituantur hæredi, non tantum admittitur ipse

ipse hæres si sit superstes, sed etiam hæres ipsius hæredis morientis ante vsufructuariam, ea ratione quia testator videtur velle, quod non habeatur respectus ad personam, sed magis ad ius hæreditarium. ad *text. in l. si ita. de statu liberis. Atque Bart. sequuntur ibi Castr. num. 3. in l. si a me. C. ad leg. Falc. & in l. fin. C. de lega. Alex consi. 92. lib. 3. & consi. 173. lib. 5. Ruin. consil. 86. num. 5. lib. 2.*

5 Non obstat quod Paulę cohæres datus non fuerit, dum vsusfructus, durabat, ideoque tanquam instituta in re certa sine coherede dici debeat heres vniuersalis. ad *l. 1. §. si in fundo. & l. si ita quis hæres. ff. de hered. instit. l. coh eredi. §. fi. ff. de vulg.* Nam ad effectu vt quis dicatur habere cohæredem vniuersalem sufficit spem adesse, quod quis ex testamento hæreditatem vniuersam adire quandoque poterit, vt post *Alex. & alios not. Bero. d. consi. 58. num. 6.*

6 Minus obstat, quod Paula censeatur scripta hæres vniuersalis ex quo fuit relicta donna, domina, & madonna, ad *text. in l. his verbis. de hæred. instit. & §. pen. instit. de hæred. qualit.* & differ. nam in dictis iuribus non poterat admitti elia interpretatio, quandoquidem subiecta materia ita postulabat, dum dicebatur quod Titius dominus fuit hæreditatis. Sed hic cum subiecta materia sit non hæreditas vniuersalis, sed solummodo vsusfructus, debet vidua intelligi relicta tam tum domina vsusfructus, & prædicta verba nihil important, nisi quandam præeminentiam in domo, idq. ex communi vsu loquendi, ad quem ipse testator se retulit quando dixit, & vt dicitur, donnam, dominam, & madonnam. Declarauit enim velle vti dictis verbis non proprie, sed vt vulgo solet. Ita *Bart. in l. Titia cum testamento. §. fi. num. 4. de leg. 2. & consil. 19 per tot. lib. 1. Bald. in l. legem Iuliam. num. 5. C. de indicta viduitate tollen. Anchar. consil. 237. num. 3. Io. Orosius, qui alios cumulat, in l. cum hi. §. si in singulis. num. 4. de transact.* Non obstat decis. in causa Romana hæreditatis de Castagnola, quia ibi nullus fuerat datus cohæres vniuersalis, nisi in casum contrauentionis, & constabat de mente testatoris in vsufructu volentis relinquere vxorem non solum hæredem in vsufructu, sed etiam in proprietate, cum ipsemet testator diceret scriptum fuisse hæredem in casu contrauentionis ne eo casu ipse remaneret sine hærede. Non obstat etiam *decisio Perusin. coram bon. mem. Bracco,* quia in illa testator non solum reliquerat vxori vsumfructum omnium bonorum in vita, sed deinde eandem in omnibus suis bonis hæredem instituerat, illius vita durante, & post mortem vxoris fratres suos, qui casus quam sit diuersus ab illo, de quo agitur, facile est intelligere, quinimo illa decisio potius facit contra Paulam in versic. nec obstat. Itaque fuit conclusum, Paulam non esse hæredem vniuersalem & per consequens, non posse libere disponere de bonis hæreditarijs.

REVERENDISSIMO P. DOM.

COCCINO DECANO.

Maceraten. Legati. Lunæ 27. Februarij. 1606.

ARGVMENTVM.

Legatum purum transmittitur ad hæredem, & quando dicatur purum, vel conditionale.

SVMMARIVM.

Legatum purum transmittitur ad hæredem mortuo legatario ante ipsum hæredem. num. 1.

Legatum factum per verba legauit post mortem ipsius Testatoris, dicitur purum. num. 1.

Dispositio quæ de sui natura conditionalis non est, non efficitur conditionalis per verba cum conditione, & pacto, &c. num. 2.

Conditionalis numquid reddatur dispositio ex eo, quod in ea expresse appositum fuerit verbum conditio. num. 2.

Legatum, cui apposita est dies incerta, numquid dicatur conditionale. num. 3.

Legatum purum transfundi non potest in conditionale. num. 4.

DECISIO CLXIII.

1 FVit resolutum legatum deberi Collegio Maceraten. quia cum fuisset factum Manenti per verba legauit post mortem ipsius testatoris, &cet. Fuit purum, & potuit propterea transmitti per manentem in collegium, cum obierit ante hæredem. *l. vnica. §. cum igitur. & §. in nouissimo. C. de caduc. tollen. l. si post diem ff. quando dies legat. ced. Late. Couar. in c. Raynaldus. §. 1. n. 3. de testamentis.*

2 Neque obstant verba sequentia cum conditione, pacto, & prohibitione expressa, quod non possit molestare hæredem, neque in proprietate, neque in vsufructu, durante vita sua, quia hæc verba non inducunt conditionem, sed modum, cum dispositio de sui natura non sit conditionalis. *l. 2. in fin. ff. de donat. leg. Mæuia. ff. de manum. test. Bart. in l. quibus diebus. §. Termilius. num. 5. ff. de cond. & dem. & consi. 9. num. 1. & 2. lib. 1. Alex. consil. 102. num. 2. lib. 1. Anan. cons. 75. num. 1. circa princ. Castren. consi. 5. nu. 2. lib. 1. Cum. consi. 99. ante num. 3. vers. nec obstat. qui etiam modus non impedit transmissionem Gabr. consi. 4. num. 10. & 11. vol. 2. & cons. 5. nnm. 13. & 22. vol. 1. Anan. d. consil. 75. nu. 1.*

3 Nec dicta verba ex eo videntur inducere conditionem, cum dies incerta apposita vel legato, vel præstationi faciat conditionem, & non diem, vt in *l. huiusmodi. in fine. ff. quando dies leg. ced. & in l. hæres meus. in 2. dicto. ff. de condit. & demonstrat. & in l. quibus dieb. §. quidam Titio. ff. eod. titul.* Et secus sit quando dies commensuratur tempori, scilicet quando præfinitur dies post certum tempus, quæ tunc cum sit certa, non facit conditionem, sed diem, vt in *l. ex his. C. quan. dies leg. ced. l. Firmio Heliodoro. ff. eod. & bene distinguit Iac. de Aren. in tit. C. quan. dies leg. ced. Io. Fab. in d. leg. ex his. vbi etiam Cyn. & Bart. in d. §. quidam Titio.*

4 Nam responderunt Domini, quod hic dies incerta non fuit apposita substantiæ legati, prout loquitur *text. in d. l. huiusmodi. & in l. hæres meus,* vbi legatum relictum per hæc verba, hæres meus cum ipse morietur, centum Titio dato, dicitur relictum sub conditione. Et quamuis dies incerta in hoc casu videatur apposita præstationi, *vt in d. §. quidam Titio.* vbi legatum ab initio purum, redditur conditionale per verba sequentia, si mater mea morietur dato, tamen necesse est ad hunc effectum, quod dies incerta apponatur præstationi per viam conditionis, quod secus est in casu isto, cum præstatio mora non conditione suspendatur, ex quo non adsunt verba conditionem denotantia, & ideo legatum purum non potest transfundi in conditionale. vt bene declarat *Bald. in l. ambiguitate. num. 4. C. de vsufr.* qui ita intelligi. *tex. in d. §. quidam Titio.* & eius dictum literis aureis scribendum dicit *Crem. sing. 112. Rym. consi. 65. num. 14. vol. 2.*

REVERENDISSIMO P. D.

LVGDVNEN.

Mediolanen. de Brioschis. Veneris 3. Martij. 1606.

AR-

ARGVMENTVM.

Conductor seu Emphyteuta non præscribit, an præscribatur ius redimendi.

SVMMARIVM.

Emphyteuta seu conductor non præscribit, num. 1.
Ius redimendi præscribitur spacio 30. annorum. num. 2.
Fallit quando redimendi facultas data est ad certum aliquod tempus, quod extendi potest vltra terminos præscriptionis. num. 2.
Præscriptio de iure canonico non procedit cum mala fide, num. 3.
Malafides authoris nocet hæredibus. num. 3.
Præscribendi iusta causa non oritur ex contractu simulato & illicito. num. 4.
Restitutio in integrum datur, vbi adest ignorantia, numero 4.

DECISIO CLXIV.

1 PRoposito dubio, quod in alia decisione in hac causa facta fuerat reseruatum, An illustrissimo Cardinali Commendatario obstet præscriptio, Domini negatiue responderunt, ea potissimum ratione, quod concessio facta Brioschis fuit liuellaria, seu emphyteotica. Nam fuit expresse conuentum, quod transacto nouennio, & redemptione non facta, Brioschi remaneant, sint, & intelligantur reinuestiti liuellario nomine siue in emphyteusim ad tantum tempus quantum stabunt, seu remanebunt locatores ad redimendum, & liberandum dictum directum dominium ciuilem possessionem, & fictum liuellarium. Vnde cum Brioschi sint Ecclesię Emphyteutę nullam prędere possunt prescriptionem. l. male agitur, & *leg. cum notissimi. §. fin. C. de præscript. 30. vel 40. annor. Facit l. communi. §. neque colonis. C. com. de iud. Specul. de locat. §. nunc aliqua. q. 44. Late Ias. cons. 37. lib. 1.*

2 Neque obstat, quod ius quandocunque redimendi præscribatur spacio 30. Annorum. *Bald. consi. 303. lib. 1. num. 3. Ang. consi. 55. Anchar. consi. 331. & aly per Couar. variar. resol. lib. 1. c. 9. nu. 1. & per Menoch. cons. 201. nu. 85.* Illa enim conclusio procedit quando quis in vim pacti tenetur retrouendere, interim tamen possident pro suo. Vnde concurrente possessione nomine proprio cum lapsu temporis legitimi præscribere possunt, vt tangit præalleg. *Couar. num. 6.* Sed in hoc casu non redimente Monasterio intra nouem annos, Non propterea Brioschi incipiebant possidere pro suo, sed tantum liuellario nomine vt dictum est. Quin etiam fallit prædicta conclusio, quando redimendi facultas data est ad certum aliquod tempus, quod extendi posset vltra terminos præscriptionis *Tiraq. de retract. Conuent. §. 1. glos. 2. numer. 41.* sicuti hic ius redimendi fuit concessum donec durauerit locatio, quæ cum adhuc duret, excludit etiam præscriptionem.

3 Atque hæc coadiuuantur ex quo stante huiusmodi titulo liuellario obstat Brioschis mala fides, cum qua de iure canonico non procedit præscriptio *c. vigilanti. & c. final. de præscript. & mala fides actorum nocet etiam hæredibus. C. cum plures. ff. locat. Abb. in c. si diligenti. num. 30. & Felyn. num. 6. de præscript.*

4 Deducebant etiam Informantes pro Illustrissimo D. Cardinali multa, ex quibus eliciebatur contractum de quo agitur fuisse simulatum, & illicitum. Vnde cōcludebant ex illo tribui non potuisse iustam causam præscribendi. *l. fin. §. sin autem. C. com. de leg. Tiraq. de retract. conuent. §. 1. glos. 2. num. 35. Couar. var. resol. lib. 3. c. 8. numer. 5.* sed DD. istam inspectionem non assumpserunt, quia ex prædictis satis videbatur exclusa præscriptio. Maxime cum etiamsi Brioschi præscripsissent, Tamen non obstaret Illustrissimo Commendatario cum eius predecessor bon. mem. Cardinalis Sancti Sixti obtinuerit restitutionem, quæ transitum fecit in iudicatum, quæ restitutio illi debebatur ex iusta causa ignorantiæ, tam concessionis quam pacti in illa appositi. *glos. in l. si partem. §. 1. vers. non vtendo. quemadm. seru. amittatur, & in l. 1. vers. æstimabit. C. de patr. pot. Mohed. decis. 1. de restit. in integr.* Atque ex his fuit conclusum, non obstare præscriptionem. Ideoque Brioschos esse compellendos ad dominij vtilis restitutionem, quandoquidem quo ad exceptionem, quæ illis possit competere de non restituendo, nisi redimatur dominium directum iam ipsis cautum est, per depositum factum per Illustrissimum Commendatarium, ut fuit dictum in prima decisione.

DECISIO CLXV.

Perusina Ratificationis. Lunæ 6. Martij. 1606.

Impressa Apud Ludouisio.

DECISIO 241.

REVERENDISS. P. DOMINO LVGDVNEN.

Albiganen. Confidentiæ. Lunæ 6. Martij. 1606.

ARGVMENTVM.

Simonia, & confidentia non committitur absque pacto, & conuentione, & plura reijciuntur in præsenti casu decis. adducta ad confidentiam, seu Simoniam probandam.

SVMMARIVM.

Simonia latius patet, quam confidentia. num. 1.
Simonia saltem punibilis non committitur absque pacto, & conditione, num. 2.
Confientia est crimen Simoniæ conuentionalis, ideoque non committitur absque pacto, & conditione. num. 2.
Simonia punibilis non cadit in ignorantem. num. 2.
Constitutio Pij V. super confidentijs habet locum contra eos, qui negotium confidentiæ tractarunt, non autem contra tertium, qui illud crimen non commisit. num. 2.
Procuratori numquam censetur data facultas faciendi actum, per quem Dominus incidat in crimen, & pœnam. num. 3.
Confidentia non committitur ex eo, quod quis sibi, vel fratri, vel suo consanguineo, digno tamen, confidit beneficium, seu pensionem conferri debere. numer. 4. Vbi etiam stantibus construtionibus Pij IV. & Pij V.
Pensio potest per Episcopum ex iusta causa reseruari. num. 5. Vbi iusta causa est, si reseruatur consanguineo, & vt commodius literis incumbere possit. num. 5.
Constitutio Pij V. super confidentijs non habet locum, vbi pensio fuit reseruata ex iusta causa, & pro certa persona. num. 6.
Causa vbi expressa est, non est alia causa quærenda. numero 7.
Pensionum solutiones sæpius anticipate fiunt. num. 8.
Interpretatio semper facienda est pro excludendo delicto. n. 8.
Simonia etiam vbi ciuiliter agitur, concludentes requirit probationes. num. 8.
Simonia non probatur ex post gestis absque præcedente pactione. num. 9.

DE-

DECISIO CLXVI.

1 DOmini dixerunt, sententiam D. Auditoris causarum confidentialium, qua declarauit D. Ludouicum incidisse in pęnas Simoniacis, & confidentialibus attributas, fuisse nullam, & iniustam. Nullitas fuit deducta ex defectu iurisdictionis, quia cum in casu, de quo agitur, nulla contracta fuerit confidentia, cessabat iurisdictio dicti Auditoris, etiam dato quod simonia interuenisset, quia hæc latius patet, quam illa, vt fuit dictum in causa Calaguritana confidentiæ, Veneris. 5. Iunij 1592. coram R.P.D. meo Decano.

2 Iniustitia autem visa est manifesta, ex quo certi iuris est, quod Simonia saltem punibilis non committatur absque pacto, & conditione. *Nauar. in Manual. cap. 23. num.* 107. *&* 109. *Gabr. consi.* 177. *numer.* 4. Nec etiam confidentia, quę est crimen Simoniæ conuentionalis. *Caputaq. decis.* 201. *&* 202. *par.* 1. & circa vtramque attestatur de communi *Paris. de confid. q.*26. At vero inter presbyterum Augustinum, cui Parochialis fuit collata, & inter ipsum Albinganen. qui contulit, & Ludouicum ad eius fauorem, fuit reseruata pensio, tantum abest, quod pactio vlla tacita, vel expressa probetur intercessisse, quin immo quando vacauit, & collatum fuit beneficium, & reseruata pensio, Ludouicus erat minor annis 14. ignorans, & absens. Vnde sequitur alia conclusio, quod in ignorantem non cadit Simonia punibilis, *cap. nobis. de Simon. Sarnen. ad reg. de Immunit. quæst.* 12. *vers. & ista quæ dicta fuerunt. Nauar. cons.* 60. *num.* 2. *de Simon.* & de communi attestatur idem *Paris. q.* 24. *nu.* 44. Nec vis facienda est in Bulla Sanct. mem. Pij V. super confidentijs, quia illa locum habet contra eos, qui negotium confidentiæ tractarunt, non autem contra tertium, qui illud crimen non commisit, vt dixit Rota in causa Ciuitaten. Confidentiæ, Sabathi 23. Ianuarij 1593. Coram Illustrissimo Mantica.

3 Non obstat quod in actu collationis beneficij comparuerit quidam assertus Procurator Ludouici, qui petijt, & acceptauit nomine Ludouici reseruationem pensionis Scutorum 50. de qua agitur, Nam eodem modo fuit responsum non constare, quod ille Procurator vllam conuentionem fecerit, cum ipso collatore, aut cum Augustino prouiso & vbi doceretur illum Procuratorem aliquid prohibitum admisisse, non pręiudicaret Ludouico, cum de eius mandato non constet, & nunquam censetur data procuratori facultas faciendi actum, per quem Dominus incideret in crimen, & pęnam, *glos. in c. dilecto, ibique not. Imol. num.* 21. *de præbend. Bart. Ias. & alij communiter in l. si procurator de condict. indeb. & in l.* 3. §. *si filius. ff. quod quisque iur. Curt. iun. cons.* 49. *in fin.*

4 Non obstat, quod præcessissent Tractatus inter Episcopum Collatorem, & Ludouicum. Nam illi Tractatus nihil aliud continebant, nisi quod aliquando tam ipse Ludouicus, quam ipsius Pater petierant ab Episcopo, vt quando sese daret occasio, vellet Ludouico de aliqua pensione prouidere sub beneplacito Sedis Apostolicæ. Hoc enim semper continent respōsiones Ludouici, quę sunt in processu, quo is commodius literis operam dare, & Sacr. Theologiæ studia, ad quæ aspirabat, percurrere posset, Quando autem quis sibi, vel fratri, aut alicui consanguineo, dignis tamen, confidit beneficium, aut pensionem conferri debere legitima authoritate non committitur confidētia, nec aliud crimen. *cap. qui Episcopatum.* 18. *q.* 1. *Ibique glos. Præpos. & alij Docto.* atque ita esse dicendum etiam post Bullas Fel. record. Piorum IV. & V. Super confidentijs. Tradit *Nauar. in Manual. c.* 23. *num.* 109. *& Paris. de confid. q.* 1. *num.* 20.

5 Non obstat quod pensio fuerit reseruata per Ordinarium. Nam ex hoc sequeretur nullitas pensionis, non labes Simoniæ vltra quod potest Episcopus ex iusta causa reseruare pensionem ad fauorem alterius. *Abb. in c, conquerente. num.* 5. *de cleric. non residen. Felin. in cap. ad audientiam. num.* 4. *&* 5. *de rescript. Rebuff. de pacif. possess. num.* 23. & alij, qui habentur in decisione Meliten. Canonicatus. 6. Martij. 1595. coram Reuerendissimo Domino Rodien. vbi Rota hanc conclusionem firmauit, & controuerti non potest, quia iustę fuerint causæ illę, quas Episcopus Albinganen. in reseruatione huius pensionis expressit, videlicet amoris, quo Ludouicum vtpote suum ex fratre nepotem, prosequebatur, ad *tex. in c. dilecto. vbi Not. Abb. Imol. & alij, de præbend. & quo commodius Sacr. Theologiæ operam dare posset. vt per Rebuff. in loco præallegato.*

6 Neque confidentia induci potest ex prædicta Bulla Sanctæ mem. Pij V. quandoquidem illa loquitur de collatione facta cum conditione, quod contra iuris communis ordinationes prouisus soluat pensionem alicui personæ, quam postea Episcopus nominauerit. Ideo non potest haberi locum hoc casu, cum pensio fuerit reseruata, nedum ex iusta causa, sed etiam pro certa persona videlicet pro Ludouico, vt fuit resolutum in allegata causa Meliten. & antea in causa Brixien. confidentiæ. 5. Iunij 1591. coram R.P.D. meo Decano.

7 Accedit quod Episcopus supradictam pensionem reseruauit sub beneplacito Sedis Apostolicæ, & non alias aliter, nec alio modo, & Augustinus prouisus ab Episcopo de nouo beneficium impetrauit à Felic. record. Sixto V. cum eiusdem pensionis reseruatione ad eiusdem Ludouici fauorem. Vnde Ludouico crimini attribui non potest, quod illam pensionem exegerit, quia exactio fuit facta longe post obtentam à Sede Apostolica reseruationem, & in specie fuit petita solutio vigore literarum Apostolicarum. Vnde cū petitio expressam causam habuerit, non debet ad aliā trahi. Itaque non obstat, quod in solutione primi termini natiuitatis Sancti Ioannis Baptistæ Ludouicus se vocauerit solutum, & satisfactum de altera medietate dictæ pensionis decursæ in die Natiuitatis Domini proximæ præteritæ, quæ medietas non poterat esse debita vigore reseruationis Apostolicæ, quæ solummodo Kal. Ianuarij facta fuerit. Nam vltra quod etiam authoritate ordinaria pensio hoc casu potuit reseruari, vt dictum est, non constat de solutione illius termini actualiter. Immo ex verbis confessionis de recepto videtur potius fuisse simplex quietatio, quæ ad maiorem Augustini satisfactionem, & ad euitandam omnem litis occasionem facta fuerit.

8 Deinde cum sæpius pensionum solutiones anticipate fiant, vt per *Rebuff. de pacific. poss. num.* 128. potest illa quietatio sustineri attenta modicitate dierum qui effluxerat à die Natiuitatis Domini ad diem Kal. Ianuarij. argum. *tex. in l. Seia. de restit. in integr.* aut saltem intelligi pro rata temporis, a die dictarum Kalen. Ianuarij, & ita potius in dubio interpretatio facienda est, ad excludendum delictum. *l. merito. ff. pro Soc. put. decis.* 440. *lib.* 1. Neque ex tam debili argumento inducendum tale crimen, & ad effectum pœnæ imponendæ, cum etsi ciuiliter de eo ageretur, tamen requireretur plena probatio. *Abb. in c. veniens. l.* 1. *num.* 4. *de testib. post glos. ibi*, quam communiter esse approbatam testatur *Alciat. cons.* 2. *num.* 41. *tom.* 1.

9 Denique ex prædictis posset forsan dici indebite facta petitio, vel solutio, sed non sequitur, quod contracta fuerit confidentię aut Simoniæ labes, cum illa ex his quæ postea sequuntur absque præcedente pactione non probetur. *cap. Astaldus. ibi, antequam eligeretur* 8. *q.* 1. *glos. in cap. quam piæ. in ver. postmodum,* 1. *quæst.* 2. *glos. & Doct. in c. tua nos. de Simon.* fuit dictum in causa Calaguritana confidentiæ, Veneris. 25. Iunij. 1593. coram Illustrissimo Pamphilio. Itaque vna tan-

tantum parte informante fuit conclusum, sententiam esse reuocandam.

R. P. D. MANZANEDO.

Treueren. Loci Capitularis 10. Martij, 1606.

ARGVMENTVM.

Statutum Capituli Treuerensis quod Canonicus post primam residentiam debea facere studium biennale, an dicatur requirere dictum studium post primam residentiam pro forma, ita vt non sufficiat antea fieri, & ex quibus inducatur inducta forma, & quando debeat præcise, vel possit per æquipollens adimpleri.

SVMMARIVM.

Statutum posterius attenditur in concursu anterioris, num. 1.
Proœmium arguit causam finalem. num. 2.
Honestas, morum compositio, & personarum grauitas in studentibus necessaria est, nu. 2. & num. 3. Vbi quod prius requiritur morum compositio, quam literatura.
Honestas, & personarum grauitas, in Canonicis necessaria est, num. 2. Vbi prius, quam litteratura, & scientia.
Morum compositio acquiritur ex diuturna acquisitione scientiæ, num 4.
Dictio nullus, præposita verbo recipiatur, importat necessitatem, & aufert potestatem aliter recipiendi. nu. 5.
Forma censetur inducta ex dictione prohibitiua, & negatiua, num. 5.
Forma censetur inducta ex conditione, num. 6. Vbi de statuto conditionali.
Dictio post importat ordinem per prius, & posterius, nu. 6.
Dictio per prius, & posterius inducit conditionem. nu. 6.
Ordo per prius, & posterius censetur de forma, num. 6.
Dictio nisi iuncta actui in futurum perficiendo importat conditionem. num. 7.
Tempus vbi certum requiritur, si non obseruetur, nec forma seruari dicitur, num. 8.
Formam inducere dicuntur ea, quæ fuerunt posita per modum ordinis. num. 9.
Licentia vbi debet præcedere dicitur de forma, num. 9. Vbi quod requiritur, quod præcedat de necessitate, ita vt non sufficiat actus ratificatio.
Qualitatis expressæ in statuto censentur expressæ pro forma. num. 10.
Forma specifice debet adimpleri, nec sufficit per æquipollens. num. 10.
Doctorari nemo debet, non seruatis statutis, & ordinationibus, etiam si sit diligenter exercitatus, & de eius peritia, & diligentia constet. num. 11.
Forma inducta ad aliquem effectum sufficit, quod per æquipollens adimpleatur. num. 12.
Clausula nihil tamen noui compilantes apposita in proœmio statuti, intelligitur de alijs, præterquam in statuto expresse dispositis, & additis. num. 13.

DECISIO CLXVII.

Facta per Dominum Comitem Gerardum prima semestri residentia iuxta statuta Ecclesiæ Treueren. petijt admitti ad locum Capitularem, quod sibi à Præposito, Decano, & Capitulo fuit denegatum, sub prætextu, quod non fecisset post dictam primam residentiam, studium biennale iuxta statutum anni 1499. cui obiecti Comes Gerardus replicabat, in Vniuersitate Mosipontana studuisse per integrum biennium, sicque satisfecisse dispositioni dicti statuti, vnde à Nuncio Coloniensi anno 1601. sententiam fauorabilem reportau it, & appellatione ab illa interposita, & causa in Rota mihi commissa præsuppositis statutis eiusdem Ecclesiæ de anno 1428. & 1450. & 1499. & confirmatione Leonis X. de anno 1514. dubitaui, an studium biennale, de quo in dictis statutis, sit de illorum forma faciendum post primam residentiam Canonicalem, ita vt non sufficiat ante fieri, & Domini esse de forma dixerunt.

1 Primo ex eo, quod in isto casu habenda sit ratio tam tummodo de vltimo statuto de anno 1409. quo non solum dicta duo antiquiora statuta innouantur, & confirmantur, quin & eiusdem Ecclesiæ obseruationes, vt inferius demonstrabitur, ex tenore huius vltimi statuti constant, cui tanquam posteriori est standum. *c. 1. de const. in 6. l. pacta nouissima. C. de pact. & vtrobiq.* Doctores. Vlterius quia hoc statutum disponit, quod nullus Canonicus non capitularis recipiatur ad Capitulum, nisi post possessioné Canonicatus adeptam, & primam dimidij anni residentiam completam. Item statuit, quod & de post teneatur residere per integrum, & continuum biennium de licentia Capituli, aut Scholastici in studio Generali, ita vt biennio durante nullam penitus noctem possit pernoctare extra ciuitatem, aut locum studij, & studio vacet literarum quam diligentissime, adeo vt competéti stylo, latinum sermonem loqui valeat, de quo, & in qua facultate studuerit, vult statutum, quod postea queat informare Capitulum per patentes literas Vniuersitatis, vel Rectoris, item vult statutum, quod si ad examen Capituli minus competenter studuisse compertus fuerit ad arbitrium capituli possit remitti ad melius studio vacandum, antequam ad Capitulum se recidi petatur. Item statuit, quod non possit hoc biénium perficere in nulla Ciuitate, aut loco, vbi beneficium obtineat, nec biennio durante possit residentiam aliorum beneficiorum complere, de quo itidem capitulum fide data certificare teneatur.

2 Cuius statuti causa finalis, in proœmio illius satis aperta redditur ibi, vt fratrum vnio, morum compositio, conditionum honestas, & personarum ad Capitulum concipiendarum grauitas intercedant, & quia prædictarum qualitatum per pensio, & consideratio ad solum capitulum ab olim spectat, ad illas diligentias studiosorum indagandas, sic statuendum duxerunt, nec indigni, & moribus minus compti, dignis, & morigeratis præferantur &c. Hactenus verba proœmij, & ex proœmio causa finalis colligitur. *tex. in l. final. ff. de hæred. instit. l. 1. & vtrobique Bartol. ff. ad Senatusc. Macedon.* Et sic ex præmissis, satis clare elicitur statuentes respexisse morum compositionem, conditionum honestatem, & personarum grauitatem, quæ in studijs Generalibus comparantur, & in studentibus adeo sunt necessaria, ex traditis late per *Rebuff. in tract. de his, quæ sunt necessaria studentibus, præcipue requisito primo numer. 11. & 12.* quin & recipiendis in canonicos, ad tradita in toto titulo de vita, & honestate Cleric. & *Concil. Tridentino. c. 12. versic. vestitu insuper sess. 24. de Reform.*

3 Et quamuis in dispositione respexerint statuentes, literarum scientiam, ibi studioque literarum, quam diligentissime vacent, adeo vt competenti stylo latinum sermonem loqui valeat. Nihilominus primo loco morum compositionem desiderarunt, prout etiá desiderant sacri Canonis, & Cæsarum constitutiones, vt videre licet in *c. qui Episcopus. 23. distinctione.* vbi dicitur, quod qui Episcopus, ordinandus est, antea examinetur si sit prudens, docibilis, moribus temperatus, vita castus, sobrius, humilis, affabilis, misericors, literatus, vbi canon prius exposcit, quæ mores concernunt, & deinde quæ literaturam. Item sequutus fuit Imperator Iustinianus in *l. Magistros. C. de Professor. & Med. lib. 10.* ibi Magistros studiorum, Doctoresq; excellere oportet moribus primum, deinde facundia, & in *l. vnic. cap. C. de Professor.* qui in vrbe Constantinop. docen. ex *l. meruerunt comitiuam. lib. 12. & vtrobique Luc. de Pen.*

præci-

præcipue in d. leg. Magistros. verb. moribus. & ante omnes hoc docuit *Regius Propheta Psalm.118. vers. bonitatem,* & disciplinam, & scientiam doce me. Vbi prius petit bonitatem sibi doceri, vltimoque loco scientiã. Quod ex consulto considerari debuit in recipiendis ad capitulum Treuerense, cum de Canonicis illius veniat eligendus Archiepiscopus eiusdem Ecclesię, qui simul est vnus ex tribus Ecclesiasticis Electoribus Imperij, & illius magnus Archicancellarius, quem propterea magni refert eligi predictum virtutibus, & qualitatibus, de quibus in *d. c. qui Episcopus. 13. distinctione,* & in procemio huius statuit desideratis, præsertim his calamitosis temporibus, quibus in illis partibus hæreses adeo grassantur.

4 Vnde cum causa finalis præcipua huius statuti non fuerit, vt Canonicus sciat latino sermone vti, quod satis consequi poterat in quolibet studio priuato, & cõstare per examen, & sic adimpleri per equipollens, sed præcipua causa fuerit, & finalis, quę respicit mores, & deducitur ex dicto proemio. Ideo voluit statutum, residentiam biennalem integram, & continuam in studio Generali, & quodam nec per noctem recedat Canonicus à loco studij, quæ respiciunt educationem, & morum compositionis acquisitionem, que prouenire solent ex diuturna acquisitione scientiæ, vt notat *Rebuff. vbi supra requisito 11. vers. quæ prouenire. per tex. in c. nunqnam. de cons. distinct. 6. voluitq. statutum,* vt Canonicus ad dictum studium Generale se conferret, de licẽtia Capituli, aut Scholastici, quod respicit humilitatẽ, & obedientiam, & istud biennium sic constitutum cum omnibus prædictis circumstantijs, sapit quoddam tempus approbationis iuxta quam Capitulum ad necessariam recipiendorum, illorumque morum cognitionem, peruenire valeat, vt in eodem procemio dicitur, pręcipue cum huiusmodi cura, inuestigatio, & interpretatio, ad Capitulum tantum spectet, vt in principio eiusdem statuti designatur.

5 Vlterius dictum biennium continuum consumendum esse in studio generali à recipiendo in locum Capitularem ante ipsius receptionem, vt post illius primam residentiam est inductum ab hoc statuto pro forma, cum statuti dispositio sit concepta sub verbis prohibitiuis, & negatiuis, videlicet quod nullus Canonicus recipiatur &c. quæ dictio (nullus) præposita verbo, recipiatur, importat necessitatem, & aufert potestatem aliter recipiendi, iuxta *glos. communiter receptam, in cap. 1. de reg. iur. in 6. & 161. Franc. num. 7. & Bartol. in l. de his. ff. de transact. num. 4.* & in simili notat *Paris. consil. 58. numer. 34. & sequenti lib. 4.* sed sic est, quod si actus aliter non potest expediri, quam certo modo, ille modus dicitur datus pro forma. *Bart. in l. fin. in fin. C. de vendend. reb. Ciuitatis. num. 4. lib. 11. & in d. l. de his. per illum text. num. 3. versic. Præterea ista lex. Roman. consil. 402. Felin. in c. cum dilecta. num. 6. vers. 7. signum. de rescript.* & ex natura eiusdem dictionis prohibitiuæ, & negatiuæ forma censetur inducta à statuto, vt notant *Doctores in l. 1. & ibi Alex. nu. 8. & Ias. nu. 10. & 13. in fin. ff. de liber. & posth. Bart. d. l. de his ante nu. 4. & in l. non dubium. n. 2. C. de leg. tradit Brun. in tract. de form. artic. quãdo aliquid censeatur traditum pro form. conclus. 2.*

6 Tum etiam, quia statutum conditionaliter disponens inducere formam videtur, conditio namque formæ inductionem importat, ex *Bald. in authen. matri, & auiæ. num. 3. versic. quidam tamen dicunt. C. quan. mulie. tutor. off. fung. poss. & in auth. præterea. C. vnde vir & vxor per text. in l. prætor. in princ. ff. de collat. bonor. Alex. in l. 1. in fin. ff. de liber. & posth. Felin. vbi supra num. 6. versic 2. signum. & Brun. qui alios adducit vbi supra conclus. 11.* sed sic est, quod in hoc statuto dispositio est conditionalis. Primo quia est inducta per prius, & posterius, cum priusquam Canonicus non Capitularis ad Capitulum recipiatur debeat assecutum fuisse possessionem Canonicatus, & primam residentiam semestrem impleuisse, post vero de licentia Capituli ad studium Generale se conferre, & illa dictio (post) importat ordinem per prius & posterius, ex *Paris. consil. 19. num. 6. lib. 2.* quin & importat etiam conditionem ad *text. in l. inter illam. ff. de verb. oblig.* & talis ordo per prius & posterius inducit conditionem ex *Bart. in l. quib. diebus. §. Termilius. num. 6. & 7. ff. de condit. & demonstrat.* Vnde talis ordo per prius & posterius censetur datus de forma. *per tex. in c. quia propter. de elect. & in c. fin. de rest. spol. & cap. cum dilect. de rescript. trad. Bald. in l. 1. num. 12. C. ne liceat tert. prouoc. Fel. in d. c cum dilecto. numero 6. versic. 6. signum. Brun. vbi supra conclus. 15.*

7 Secundo huiusmodi dispositionem esse conditionalem, & per consequens inducere formam, desumitur ex dictione illa (nec) post adeptam possessionem, &c. quæ dictio, iuncta actui in futurum perficiendo importat conditionem. *Bar. in l. quibus diebus. §. quidam Titio. in fin. vbi Bald. num. 1. ff. de condit. & dem. Idem Bart. in l. 1. num. 10. ff. eod.*

8 Item quia in dicti statuti dispositione requiritur certum tempus denotatum per dictam dictionem (post) ad conferendum se Canonicum in studium Generale, nempe post tempus adeptæ possessionis, & completæ primæ residentiæ semestris, quo casu non obseruans tempus, dicitur nec formam seruare, ex *Bald. in auth. quæ supplicatio. num. 3. C. de precibus imper. offer. per text. in l. scire oportet. §. consequens. ff. de excusat. tutor. Felin. vbi supra. d. num. 6. vers. 8. signum Brun. itidem. vbi supra conclusione 16.* dicens temporis appositionem formas inducere.

9 Quæ roborantur ex eo, quod Canonicus recipiendus debet se conferre ad studium generale de licentia Capituli, vel Scholastici, quæ licentia debet præcedere, & est apposita à statuto per modum ordinis, & per consequens dicitur de forma, ita vt suo tempore necessario sit obseruanda. *Bart. in l. si quis mihi bona. ff. de acquir. hæred. Bald. in Rubr. C. de exercitor. act. nume. 6. Cardin. in clem. 1. §. volumus. numer. 2. de form. compet. & ibi Anchar. numer. 14. & Imol. numer. 40.* Vbi notant petitionem huius licentiæ esse de forma *Brun. in d. conclus. 15. ampliat. 3. vers. sic & licentia,* vbi tenet talem licentiam debere procedere de necessitate, per *text. in c. licet. de regular.* in tantum, quod non sufficit quod postea actus ratificetur ex *Bald. in l. fin. C. de Maced. & Card. d. §. volumus. d. num. 2.* & ratio est, vt superioritas ostendatur ex *Card. d. num. 2.* vel propter reuerentiam licentiam concessuro debitam, ex *Imol. d. num. 40. & Bonifac. ibidem. num. 8.*

10 Præterea quia cum huiusmodi prohibitio in hoc statuto fuerit facta cum supradictis qualitatibus, & circumstantijs, in statuto expressis, illæ censentur expressæ pro forma, ex *Anchar. consil. 24. in fin. Dec. consilio 632. num. 1 Alex. consil. 5. numer. 3. libr. 3.* Et ex omnibus prædictis ita in statuto expressis constare videtur de enixa statuentium voluntate, circa modum faciendi dictum studium biennale. Vnde pro forma inducta censentur, & in specifica forma adimplenda, taliter quod non possint per æquipollens adimpleri, sicque Comitem Gerardum non satisfecisse dicti statuti formæ, circa dictum biennale studium traditæ, per æquipollens, nempe per biennium prius in vniuersitate Monsipontana in studio consumptum, ex notatis à *Bald. &c. Doctoribus in l. 1. de liber. & posthum. & à Felin. vbi supra numer. 10. ampliatione 11. & à Dec. in consil. 77. tradit Cagnol. in l. si quis maior. nume. 217. versic. videtur. C. de transact. Tiraq. de retact. lig. §. 36. gl. 2. num. 26. & sequentibus.*

11 Facit pro hac parte resolutio Luce de Penna in *d. l. Magistros. versic. quid autem si aliquis.* vbi quærit, quid si aliquis diligenter exercitatus in pluribus, de cuius peritia & sufficientia liquet aperte, An dotorabitur non seruatis ordinationibus statutis, & quamuis in prin-

principio argumentetur pro affirmatiua, tamen in vers. sequenti adducit, & sequitur negatiuam ex eo, quia nihil est ex solennibus ommittendum, *per tex. in l. Diuus, ff. de in integr. rest.* & quia forma data est seruanda ex supradictis & ex notatis ab eodem *Luca de Penna in l. certa, in vers. forma. C. de iure Fisci, lib. 10.* Et quia etiam in persona exercitata, & probata non est prætermittendum, quod statutis generalibus continetur, vt probatur in *text. in c. miramur. vers. non, nu. 61. distinct.* notat. *Archid. in c. hoc ad nos, vbi glos. fin. 59. distinct.*

12 Ex quibus præcipuum fundamentum Comitis Gerardi eliditur, nempe huiusmodi formam studij biennalis esse inductam ad effectum, nempe vt Canonicus recipiendus, competenter Latine sciat loqui, quo casu talis forma debet impleri per æquipollens. Ita vt si talis Canonicus prius studuerit, & Latino sermone competenter vti sciat, sic consequutus effectus statuti, & forma illius ad dictum effectum inducta per æquipollens obseruata, quod sufficiat ex notatis a *Galliaul. per illum tex. in l. 1. §. si quis simpliciter, numero 13, in fin. ff. de verbor. obligat. & à Bald. in l. si duo. §. si quis iurauerit. ante num. 2. ff. de iureiur. Alex. & Ias. in l. 1. ff. de lib. & posth. Bart. & alij in l. Gallus, §. & quid si tantum, ff. eodem Cagnol. in l. si quis maior. num. 218. C. de transact. Rot. coram bon. mem. Cantuccio decis. 33. num. 4. & 5. parte 2. diuers.* quia respondetur, ex supradictis effectum literaturæ non esse præcipue causam finalem prædictæ dispositionis huius statuti, sed morum compositionem, conditionum honestatem, & personarum grauitatem, & modum, quo capitulum ad cognitionem dictarum qualitatum peruenire valeat. Vnde cum ex sola scientia lingua Latina non consequatur effectus principaliter à statuto desideratus, & præcipua causa finalis, illius dispositionis corruit fundamentum.

13 Minus obstat quod in proœmio statuti dicat Capitulum nolle aliquid noui compilare, Vnde cum in primis statutis de anno 1428. & de 1450. non consideretur nisi literatura, videbatur dicendum, quod nec statutum anni 1499. aliud præter literaturam considerauit, vel deposuerit de nouo, quia respondetur ex verbis eiusdem statuti quod illud non tantum prædicta duo priora statuta innouauit, & conformauit, quin & obseruationes antiquas, & consuetudines prædictæ Ecclesiæ sicuti ab olim obseruatas, ita de cetero obseruari voluit, pro quartum obseruatione illas in scriptis redigere in dicto statuto, sicque omnia supra dicta in hoc vltimo statuto expressa, sint eadem, cum statutis antiquioribus, & obseruationibus, & consuetudinibus dictæ Ecclesiæ vlterius respondetur, quod illa clausula proœmij nihil tamen noui compilantes, &c. intelligitur de alijs, quam in statuto expresse dispositis, & additis, ex *Curt. iun. consil. 48. num. 9. Dec. consil. 53. num. 2. versic. & quamuis Paulus Castren. consil. 73. num. 3. versic. neque obstat. lib. 1. Crescent. decis. 7. in fin. de iure patronatus.*

REVERENDISSIMO P. DOMINO MANZANEDO.

Maceraten. Interusuriorum. Veneris 10. Martij, 1606.

ARGVMENTVM.

Pignus datum marito ab vxore, quod habebat pro credito suæ dotis, facit vt fructus ipsius acquirantur marito, & in totum non debeat conuerti.

SVMMARIVM.

Mulier consignans secundo viro res quas habebat loco pignoris ab hæredibus primi mariti, transfert ipso iure in eum actiones personales contra hæredes primi mariti. num. 1.

Pignus consignatum marito in dotem ab eo retinetur donec ei dos restituatur. num. 2.

Actione personali in aliquem translata intelligitur ad illum translatum pignus generale, vel speciale. num. 2.

Vxor debet ali a marito in cuius seruitio, & opera est. numero 2.

Fructus pignoris consignari secundo viro, ei acquiruntur, & in totum non imputantur. num. 2.

Maritus qui sustinet onera matrimonij lucratur fructus dotis. num. 2.

DECISIO CLXVIII.

1 LVnæ 28. Nouembris anni præteriti 1605. dubitaui, an interusuria deberentur Dominæ Siluagiæ, & à quo tempore, & Domini tenuerunt de tempore separationis Thori alimenta debita fuisse à primo viro. De tempore autem viduitatis, quæ non durauit per annum non deberi, de tempore vero secundi matrimonij, tunc non fuit capta resolutio, sed hodie super hoc vltimo tempore causa proposita, Domini considerauerunt quod Siluagia ex vtili Sillaniano fuit missa in possessionem harum terrarum sui primi viri, illasque iure pignoris pro restitutione suæ dotis habebat, Vnde Polymnia Siluagię mater, easdem terras Francisco secundo Siluagiæ viro in dotem assignauit tanquam ab illa ex prædicta ratione possessas, & ex huiusmodi pignoris consignatione secundo viro facta ipso iure fuit in illum translata actio personalis contra hæredes primi mariti. *leg. 2. C. de action. & obligat. & notatur in l. 1. eodem tit.*

2 Et per consequens ad maritum transiuit pignus istud sibi in dotem consignatum, donec dos restituatur. *Ruin. consil. 53. num. 28. lib. 2.* quia vt idem ibidem tradit, translata actione personali ad aliquem, intelligitur etiam in illum translatum pignus generale, vel speciale, vt est casus in *l. si in solutum. C. de action. & obligat.* & isto casu quamuis vxori transeunti ad secundas nuptias non debeantur isti fructus, quia habet unde alatur, nempe à secundo uiro, in cuius seruitio, & opera est, ad *text. in l. de rebus. §. possunt. ff. commodati. l. si cum dotem. §. si autem in sæuissimo. ff. solut. matrim.* debentur tamen secundo eius uiro, apud quem huiusmodi pignus reperitur, & ex eo non tenetur perceptos in sortem computare, ut tradit idem *Ruin. vbi supra. numer. 29. Tum etiam quia textus in c. salubriter. de vsur.* voluit, quod maritus recipiens pignus pro dote non teneatur fructus computare, quia sustinet onera matrimonij, vt in eodem *text. dicitur. & notat Abb. ibidem. num. 1. & Doctores.* Eadem ratio militat in secundo viro, qui itidem & onera matrimonij sustinet. Vnde ex ratione dicti damni emergentis consequitur dictos fructus, & ex eo etiam, quia Domino Francisco secundo viro pro dote hoc pignus consignatum fuit, non tenetur ad computandos ex supradictis, & post Doctores in *d. c. salubriter. tradit.*

REVERENDISSIMO P. D. MANZANEDO.

Pampilonen. Præeminentiarum, Veneris 14. Aprilis. 1606.

AR-

ARGVMENTVM.

Vniuersitas, quæ non constituit corpus, seu collegum, quando possit congregari, & procuratorem constituere, & an mandatum probetur ex sola assertione procuratoris, concurrentibus adminiculis, & an citans aliquem vti talem possit amplius illius personam reprobare.

SVMMARIVM.

Vniuersitas quæ non constituit collegium, & corpus, non potest congregari, nec procuratorem constituere. num. 1.

Fallit stante consuetudine, se congregandi constituendique procuratores tanquam vnum corpus, & vnum collegium. num. 1.

Procuratoris assertioni circa suam constitutionem creditur, concurrentibus adminiculis. num. 2.

Vicario Episcopi attestanti de sua deputatione creditur. num. 2.

Citatio alicuius vti procuratoris operatur, vt non possit amplius illius mandatum impugnari. num. 3.

Mandatum ex coniecturis, & verisimilitudinibus probatur. num. 4.

Mandatum ex impensa facta in causa præsumitur. num. 4.

DECISIO CLXIX.

1 Dubitaui an sententia Rotalis esset nulla ex defectu mandati, & Domini negatiue resoluerunt, tum quia constat in actis de expresso mandato ad hãc causam concesso Domino Ioanni Martinez Imiruli per decem Rectores, vti deputatos à toto Clero Prouinciæ de Guiposcoa, qui Clerus licet non videatur constituere vnum Collegium, & vnum corpus, & ex eo non possit congregari, & constituere procuratores, ad *tex. in l. 1. §. 1. ff. quod cuiusq. vniuersitatis, & c. dilecta vbi gl. 1. de excessib. Prælat. & ibi Doctores.* Nihilominus quia consueuit iste clerus prout ex testibus constat congregari vnoquoque anno ad vocationem Secretarij ipsius Cleri, & ad constituendos decem procuratores decem districtuum totius Archipresbyteratus pro causis dicto Clero tangentibus. Ex tali longa quasi possessione videtur acquisitum à Clero ius se congregandi, dictosque procuratores constituendi, tanquam vnum collegium, vnumque corpus, vt notat *Innocent. in c. postulasti. num. 1. versic. si autem non apparet. de iure patron. Abb. in d. c. dilecta. num. 1.* Et vltra testes idem desumitur ex instrumento possessionis Archipresbyteratus captæ per Archipresbyterum congregato Clero, & ex intimatione Monitorij pro parte Archipresbyteri facta dictis procuratoribus congregatis, & repræsentantibus totum Clerum, prout in dicta intimatione legitur, quin & ex alijs actibus in dicta causa ab Archipresbytero nominatim contra Clerum factis, Item ex sententia in partibus lata pro Archipresbytero contra Clerum. Vlterius ex eisdem testibus probatur huiusmodi decem procuratores à Clero constitutos habere de more, se congregare ad tractanda negotia dicto Clero concernentia.

2 Et quamuis de expressã constitutione & deputatione dictum decem Rectorum, & procuratorum à Clero facta nõ constet, Domini illam admiserunt factam ex ipsorum assertione, cui debet fides adhiberi concurrentibus adminiculis, de quibus infra, prout creditur Vicario Episcopi asserenti de sua deputatione. *Rota decis. 1. de off. Vicar. in nou. & decis. 4. de offic. ord. in antiq. Fel. in c. sicut. n. 31. vers. hoc autem. de sent. & re iud.* Facit *adducta à Vant. de nullitat. c. fin. num. 47.*

3 Quæ adminiculantur, ex eo quod Archipresbyter, tam in partibus quam in Curia in pluribus actis approbauit dictum mandatum, citando procuratores in eo contentos. Vnde non potest amplius quempiã dictorum procuratorum impugnare, nec reprobare ex traditis à *Salyc. in l. licet. nu. 5. C. de procur. & à Ias. ibi. n. 8. & a Surd. decis. 104. num. 10. & 11.* vbi plurib. citatis tenent, quodam litigans cum aliquo tanquam tali censetur fateri, quod sit talis, & subdit, quod eodem modo qui litigat cum aliquo tanquam procuratore, non potest exinde eius personam impugnare, quin ex *Salyceto vbi supra, & alijs ibi a Surd. nu. 12. relatis*, si talis opponeret contra dictum procuratorem, teneretur probare, iuxta communem opinionem, de qua ibidem per *Surd. tradit. Natt. cons. 126. nu. final. vbi etiem de communi. Achil. decis. vnic. num. 3. de regular.*

4 Quæ magis procedunt cum mandatum ex coniecturis, & verisimilitudinibus præsumatur *Bald. in l. 1. num. 2. in fin. C. de reb. alien. non alien. Dec. consil. 36. nume. 9. Gozadin. cons. 11. num. 13. Rota decis. 32. num. 2. part. 2. diuersorum.* Verisimilitudo autem, & præsumptio prædictæ deputationis, & mandati satis desumitur ex prædictis. Quæ omnino iuuari videntur ex maximis expensis in hac causa per tot annos factis ab istis decem Rectoribus, & à procuratoribus ab illis constitutis, quas non fecissent nomine Cleri de Guipuzeoa, si ab illo deputati non fuissent, cum nemo præsumatur velle iactare suum, quod sufficit ad dictam deputationem inducendam, cum expensæ in dubio præsumantur factæ ab eo, cuius interest. *Bart. in l. cum seruus. de verb. oblig. Felin.* cum alijs adductis ab eo, *vbi supra num. 35. facit glos. in verb.* mandatum, in *c. ex parte Decani, de rescript. Cæs. de Grass. decis. 3. de procur.* vbi dicit Rotam habuisse pro ridiculo, quenquam expendisse tot aureos, processusque ad tot actus, & instantias frustra, & sine effectu, cum non esset procurator, quod & alias Rotam tenuisse refert. Facit quod notat. *Achil. decis. 3. num. 2. de in integr. restit. & decis. 18. de dol. & contum. Verall. decis. 100. num. 4. part. 1. Cassad. decis. 1. num. 1. vers. quod videtur declarari, & decis. 3. numer. 4. de procurat. Rota decis. 8. numer. 8. part. 2. diuers.* ex quibus resultat sufficiens mandatum & deputatio, saltem præsumptiue, quod sufficit ex supradictis, & notatis à *Put. decis. 358. lib. 1. & 214. lib. 2. Cæs. de Gras. decis. 6. num. 6. de probat. Rota decis. 2. de caus. possess. & propr. in antiq.* quam declarat *Cæs. de Grass. dicta decis. 6. numer. 6.* stantibus aliquibus adminiculis alias dicit, Rota illam non sequi, sed hic adsunt supradicta adminicula magnæ considerationis. *Vant. vbi supra. numer. 100. Menoch. qui plures adducit, de præsumption. lib. 2. præsumpt. 33. num. 7. Gabriel commun. opin. lib. 2. de procurator. conclus. 1. num. 12.*

REVERENDISSIMO P. D.

LVGDVNEN.

Ortonen. Locationis. Veneris 14. Aprilis 1606.

ARGVMENTVM.

Contractus præsumitur potius censualis, quam emphyteuticus, & plura deducuntur ad probandum, quod contractus, de quo in decis. sit censuarius.

SVMMARIVM.

Solutio in dubio præsumitur facta potius ex causa census, quam canonis. num. 1.

Emphyteusis Ecclesiastica non extenditur vltra tertiam generationem & ideo non solet de facili alteri Ecclesiæ concedi. num. 1.

Ecclesia nunquam moritur. num. 1.

Solutio præsumitur facta in causam locationis præcedentis. num. 2.

DECISIO CLXX.

1 FVit conclusum solutiones de quibus in dubio non censeri factas in Causam prætensæ locationis ad annos 80. quia locatione non constat per instrumenta, vel scripturas emphytauticas, & solutio in dubio potius intelligitur facta ex Causa Census, quam pro Canone. *Natt. Consil.3. num.3. libr.1. Bero.consil.113.nu. 8. lib.1. Menoch.qui de magis recepta, testatur, præsumpt.166. num.3. lib.3.* eamque opinionem amplexa est *Rota apud Crescen.dec.3.de præsumpt. & dec.1. de censib. Chirog.decis. 165.* Et fuit dictũ in causa Romana deuolutionis domus 14. Iunij 1575. Coram Illustrissimo Blanchetto, & in Romana Vineæ coram bon.mem. Brauo 22. Iunij 1592. Quæ regula eo magis hoc casũ videtur habere locum quia de re Ecclesiastica agitur, quæ non ita facile alteri Ecclesiæ in emphyteusim conceditur, cum Emphyteusis Ecclesiastica de sui natura finiatur in tertia generatione, vt notatur in §. emphyteusim authent. de non alienan. & tamen Ecclesia recipiens nunquam moriatur, vt per *Felin.in c.constitutos, num.9. de rescript.*

2 Non obstat, quod solutio presumitur facta in causam locationis præcedentis, *leg. qui in aliena.§.si is qui putabat. de acquir.hæred. Glos. fin. in l. quædam mulier. de rei vendic. Surd. decis.221. num.13. & decis.308. num. 19.* Et quod in hac causa locatio precedens probetur per supplicationem, desumptam ex Registro supplicationum fel. record. Iulij Papæ II. Fuit enim responsum, quod secundum tenorem illius supplicationis erat expediendum Breue, & alia facienda, de quibus cum non doceatur, non suffragatur supplicatio. *Sarnen. in regul.de non iudic.iux. form.supplic.q.1. nu.2.& 3.*

3 Deinde in illa supplicatione contineri narratiuam satis inuerisimilem, videlicet quod Capitulum Ortonen. voluerit recipere in emphyteusim ad annos 80. pro canone annuo, sex Ducatis aui de Camera Casalæ Calderiæ quod prius in concessionem perpetuam habebat pro responsione Ducatorum quatuor similium. Denique illam enunciatiuam nihil probare, cũ sit vnica, & intra centum annos, & versemur in materia deuolutionis odiosa. *Bald. in leg.2. C. de præscript. Ias. in l. ex his, num.15. Cod.de test. cons. 81. num.10.lib.1. Put.decis.209. in fin. lib.2. Caputaq.decis.240. lib.1.& decis. 91. lib.2. Socin. consil.89. num.7.lib.1. Pedemont.decision. 176. num. 8.*

4 Nec releuat subsequuta obseruãtia deducta ex solutionibus, quæ vt sine veri preiudicio præsupponitur, in hac disputatione conueniunt quantitati in dicta supplicatione enunciat, vt per *Aymon. de antiq. tempor.p.1.limit.4.n.14.& seq.Corn.cons.101. num.4.* Nam prædictæ solutiones sunt de recenti, & admodum remotæ à temporæ dictæ supplicationis. At vero vt obseruantia releuet requiritur, vt sit proxima rei obseruandę. *Bald. in proæmio digestorum, nu.2. Socin.cons.6.n. 2.& 3.lib.1.* Tenuit Rota in causa Tirasonen.iuris presentandi. 14. Octobris 1588. coram Bubalo, quin & probari deberet, quod in vim illius indiuiduæ supplicationis illæ solutiones factæ fuissent. Vnde nec obstant conuentiones, quod Affictuarij Capituli soluerent Abbati Carolenos 66. quia illæ sunt à paucis ad modum ab hinc annis, nec in illis exprimitur causa propter quam deberet fieri illa solutio.

5 In testium depositionibus vis fieri nõ potest, quia qui ex illis melius deponunt, non probant solutiones fuisse factas de tempore antiquo, cum deponant, per dictionem citra absque copula. *Bart in l.Celsus, nu.25. de vsucap.* Fuit dictum in causa Hispalen. Decimarũ 6. Iunij 1580. coram Illust.D. meo Cardin. Seraphino, & promiscue deponunt de Canone, Censu, seu responsione, quæ verba sunt Synonima, ita vt vnũ pro alio sæpe vsurpetur. *Abb. in c.constitutus, n. 20.de relig. dom, Clar. in §.emphyt.q.1.in fin. & dec. quæ relata est 700. inter diuers.par.1.* loquitur in casu, in qua iam constabat de locatione.

6 Eadem ratione non potest fieri vis in confessione Canonici Tini, quia cum dixit pro annuo Canone, siue redditu, non se restrinxit ad canonem, *Bart.in l. cũ quis decedens, §.fin.de leg.3.* Præterea illa confessio fuit reuocata, & non est dubium, quin reuocari potuerit etiam non docto de errore, cum fuerit tantum Procuratoris confessio. *Rot.dec.19.de procur.& 2. de confess. in nou.* Atq; in omnem euentum oblatio illius Canonici fuit pro Canone, ex causa perpetua, & vel reijci debet, vel in totum acceptari. *Alex.cons.80.nu.40.in fin. lib.7. Caputaq.dec.191. nu.2. par.1.*

7 Non vrget consideratio, quod ista sit modica solutio habito respectu ad totum Casale Caldariæ, vnde potius canon, quam census præsumi debeat. *Bart.in l.1.n.4.& Ias.n.35.C.de iur.emphyteot.* Nam istud procedere posset, si haberemus initium huius locationis, & valorem Casalis eo, tempore, cum ad valorem rei cognoscendæ inspiciendum sit tempus contractus, *l.si voluntate.in fin.C.de rescind.vend.l.2. Cod.de præd.& omnib.reb.nau.lib.11.late Dec. qui alios alleg.cons.3.num.19.* Vltra quod esse potest, quod solutio ordinata fuerit pro aliqua tantum Casalis parte.

8 Minus vrget, quod in re feudali præsumatur potius emphyteusis, quam Census *Affl.dec.129. num. 6. & 8.* Nam præter quod in controuerso est, an Caldaria, fuerit à Regib. Neapolitanis data in feudũ Abbati S. Ioanis in Venere, & in actis fuerint productæ plures inuestiture factę, quibusdã Dominis Ricardis de Ortona à quib. Capitulũ prætendit habere causam, illa decisio Afflicti nõ est sine difficultate, & contrarium tenuit idem Conc. Neap. vt per *Capic.dec.103.* cũ aliis allegatis per *Vrsel.ad d.dec. nu. 4.* & sufficit quod Rota semper tenuerit quod in dubio contractus censeatur censualis non emphyteuticus, vt iam dictum est.

9 Demum istę considerationes licet aliquas inducerent presumptiones, tamen non sufficerent ad casum de quo agitur, ex quo antiquis scripturis emphyteuticis non coadiuuantur, *Syluan. cons. 57. nu. 43. Bursat. cons. 26. nu.31. lib.1.* Et fuit dictum in supradicta Romana Vineæ 22. Iunii 1592. coram Orano.

10 Atque ex his Domini vtraq; parte informante dixerunt solutiones non censeri factas in causam prætensę locationis eoque magis quod R. Oratorii Congregatio est actrix, ita vt dubia cõtra ipsam interpretanda sint *c. cum sunt partium. de reg. iur. in 6. leg. fauorabi-*

rabiliores.ff.eod.cap.in præsentia.de probat.agit in causa deuolutionis, quæ concludentes requirit probationes. Nec facit quod nunc experiatur *remed. l. si quis conductionis. C. locat.* Nam & ad illum effectum debet de locatione plene, & concludenter probari, vt per *Menoc. de recuper an. remed. 1. nu. 38.*

R. P. D. MANZANEDO.

Lucana Optionis Domus, Lunæ 24. Aprilis 1606.

ARGVMENTVM.

Mandatum de manutenendo conceditur ei qui tempore motæ litis possidebat.

SVMMARIVM.

Possessio capta per instrumentum, quando vacat Ecclesia, est manutenibilis. nu. 1.

Possessio probatur per locationem domus, & pensionis receptionem. nu. 1.

Manutenetur ille, qui tempore motæ litis reperitur in possessione. nu. 1.

Ecclesia nunquam desinit possidere. nu. 2.

Possessione præbendæ adepta intelligitur adepta possessio connexorum Ecclesiæ. nu. 2.

Possessa à tertio non veniunt sub generali possessione præbendæ accepta. nu. 3.

DECISIO CLXXI.

1 PEr mortem Cæsaris Barsotti Dominus Alexander optauit de licentia Capituli domum, de qua agitur, illiusque possessionem accepit 7. Decembris 1604. & antequam Dominus Fridianus possessionem præbendæ Theologalis, cui prætendit istam domum esse annexam, habuisset, vnde licet dicta possessio dicti Alexandri sit instrumenta lis, quia fuit capta dum esset vacans, est manutenibilis, ex notatis à *Socin. consil. 205. num. 5. lib. 2. & Roland. cons. 46. num. 18. iuncto. num. 40. lib. 2. Verall. dec. 336. & 337. num. 1. part. 2. & Rota dec. 202. num. 3. part. 1. & dec. 62. num. 1. par. 2. diuers.* Accedit Dominum Alexandrinum domum locasse, illiusque pensionem recepisse, ex quibus possessio identidem probatur, *glos. in l. qui vniuersas. verb. colonum, & ibi Bart. in §. quod per colonum, & in l. quamuis. §. 1. ff. de acquir. hæredit. Alex. cons. 118. num. 19. lib. 2. Socin. vbi supra d. num. 5.* ex quibus Domini dixerunt Dominum Alexandrum esse manutenendum, cum tempore motæ litis, reperiretur in dicta possessione. *l. 1. §. interdum autem. ff. vti possidet. §. retinendæ. Instit. de interdict.*

2 Quibus non obstat, quod antecessores Fridiani, in præbenda, quin & vltimus illius possessor, possederint dictam domum, & quando Dominus Alexander cepit illius possessionem, illam inuenit penes suum titulum, nempe penes ipsam præbendam Theologalem, & sic possessio retinebatur per Ecclesiam quæ nunquam desinit possidere, vt notat *Abb. post Innocen. in cap. cum super. num. 18. de caus. poss. & propr. & Bart. in l. cum hæredes. de acquir. possess. & Paris. consil. 24. num. 6. & 7. lib. 1. Rot. in nou. dec. 1. de rest. spol. num. 1. dec. 19. num. 8. par. 2. diuers.* Vnde Domino Fridiano non fuit opus apprehendere realem possessionem dictæ domus, cum sufficeret illi tituli & præbendæ possessionem habuisse, vt ex eo censeretur etiam apprehensa omnium annexorum dictæ præbendæ, ad text. *in l. 3. ff. de acquir. possess. Innoc. in cap. in literis. num. 6. & 7. de restit. spoliat. Ancharan. in regula sine possessione. num. 12. vers. & quia hæc possessio. de reg. iur. in 6. Rebuff. in prax. tit. de missione in possessionem. num. 33. Rota in nouis dicta dec. 1. de restit. spoliat. Bisignet. eod. tit. dec. 8.* Fuit late dictum *in dicta dec. 19. part. 2. diuersor. præcipuè num. 11.* Vnde cum Dominus Fridianus acceperit possessionem præbendæ intelligitur ipso iure sine alia apprehensione transferri in ipsum, possessionem omnium bonorum pertinentium ad prebendam, cum licet morte Cesaris vacaret prebenda, non tamen possessio bonorum illius, quę ex supradictis ab Ecclesia possidebantur. Ex quibus infertur Dominum Alexandrum non inuenisse vacuam possessionem dictę domus cum illam apprehendit, & per consequens illius possessionem instrumentalem non esse manutenibilem.

3 Quia respondetur, quod quamuis prędicta de iure sint vera, & nouus prouisus de prebenda, capiens illius possessionem, censeatur & de iuribus & bonis illi annexis illam cepisse, hoc tamen intelligitur de bonis tunc temporis ab alijs non possessis, nam possessa à tertio, non veniunt sub illa prębendę possessione accepta tradit *Aret. in l. 3. num. 8. versic. hæc tamen dicta. de acquir. possess.* Faciunt tradita per ab *Abb. in c. 1. nu. 3. versic. secus autem de relig. dom. & cons. 71. num. 3. vers. nec alius erat in possessione. & per totum. lib. 2. & quæ notat Chassan. in consuetud. Burgund. rubrica 1. in pr ncip. num. 33. idem colligitur ex dicta dec. 1. de restit. spol. in nou. num. 1.* ibi cuius dictum intellige in casu, in quo alius non possideat, *& clarius in dicta dec. 21. eodem tit. in antiquit. vers. secus autem si alter possideret, & melius probatur in dicta decisione Bisignet. eodem tit. in fin. vers. sed quando alius, & est dec. Achil. 4. de præscript.* vbi prędictam doctrinam Ancharani, & aliorum, Domini intellexerunt, alio non ingrediente, aut occupante possessionem, alioquin, vt ibi dicitur, si semper penes Ecclesiam remaneret ciuilis, nunquam contra illam curreret prescriptio, quibus non citatis ita fuit decisum in vna Bergomen. Bonorum. 24. Ianuarij 1594. coram Illustrissimo Blanchetto. Et in alia Albanen. plebis de Diolano 17. Maij 1595. coram Illustrissimo Seraphino nunc Rotę Auditoribus, & in eadem Bergomen. refertur idem fuisse seruatum in vna Senen. Pontis Arigi, quę confirmantur ex adductis *ab Alex. consil. 68. num. 18. versic. aut illa quasi possessio non erat. lib. 2. Bald. de præscriptio. 2. par. princ. quæst. 2. num. 21. & a Gabr. commun. opin. lib. 5. de præscription. concl. 2. nu. 24. & 25. & à Molin. de primogen. lib. 2. cap. 6. nu. 18.*

REVERENDISS. P. D.

COCCINO DECANO.

Oueten. Mercedis. Veneris 5. Maij. 1606.

ARGVMENTVM.

Procurator post litem contestatam reuocari non potest sine iusta causa. Quę dicatur causa iusta reuocandi Prucuratorem, An in reuocatione requiratur causę cognitio, & an etiam procurator possit retinere scripturas, & instrumenta causę donec sibi satisfiat de expensis, & salario.

SVMMARIVM.

Procurator sine iusta causa reuocari non potest post litem contestatam. nu. 1. Vbi etiam quod iusta reuocandi Procuratorem causa est, quando Procurator incœpit litigare cum suo principali.

Salarium non debetur Procuratori reuocato culpa sua. nu. 1. in fine.

Procurator vt reuocari possit post litem contestatam, numquid causæ cognitio requiratur. nu. 2.

Procurator potest retinere scripturas, & instrumenta causæ, donec fuerit satisfactum de expensis factis in lite, secus pro salario. nu. 3. Declara, nisi Dominus principalis offerat se paratum soluere expensas. nu. 4.

DE-

DECISIO CLXXII.

1 DVbitaui an Iacobo post reuocationem deberetur salarium. Et Domini diuiserunt præsens dubium in duas difficultates. Prima fuit, an adesset iusta causa reuocandi, quia post litem contestatam procurator reuocari non potest, nisi adsit iusta causa *l. post litem ff. de procurat. capitulo 2. eodem titulo in sexto.* Et affirmatiue resoluerunt, quia Iacobus mouit litem Capitulo super salario, petendo maiorem summam quam promissum, super distributionibus quotidianis, nec non interesse pro pecuniis captis ad cambium pro dictis salario, & distributionibus, quæ Rota resoluit ei non esse debita. Et hæc visa fuit Dominis iusta, & rationabilis causa, quæ cum non possit sub certa regula tradi, relinquitur arbitrio iudicis. *Afflict. in capitul. 1. numer. 24. ex quibus caus. feud. amitt. Bald. in l. 1. num. 8. C. de aduoc. diuers. iudic. Ias. in l. properandum, §. sin autem alterutra, num. 8. Cod. de iudicijs.* Vnde sequitur, quod cum Iacobus fuerit iuste reuocatus, & culpa sua, ei non debeatur salarium, *gloss. in leg. si vno. in §. item cum quidam in verb. personis, ff. locati.*

2 Nec obstat, quod super reuocatione requirebatur cognitio Iudicis saltem summaria, *l. in causæ cognitione. vbi gloss. in verb. Prætoris, dict. leg. post litem, ibi, tamen prius causa cognita. ff. de procurat. & notat Rom. singulari* 371. quia hæc iura interpretantur per textus *in leg. quæ omnia. §. sed & si aduersarius, & ibi gloss. in verb. mentiri. ff. eodem titulo*, scilicet, quod requiratur tunc cognitio iudicis, quando procurator dicit, Dominum mentiri, & interim procurator suspenditur ab officio, exceptis tamen quibusdam casibus ibi per glossa enarratis, & bene declarat *Odoffred. in d. leg. post litem*, vbi etiam quomodo procurator debeat se oppenere, *sub numero primo, versicul. sed quid si dominus, & circa finem.* Vnde cum Iacobus non se opposuerit, merito non erat necessaria talis cognitio Iudicis.

3 Secunda difficultas fuit, quia Iacobus fuit protestatus non admitti reuocationem, nisi sibi fuerit satisfactum de expensis, & salario, quo casu lis ab eo non erat transferenda, etiam pendente iudicio super expensis, & salario, vt de oppositione expensarum est *textus in dict. leg. quæ omnia, in §. plane versic. item si retentione, & notat. ibidem gloss. in verb. item, & Baldus, d. vers. item quem legit. in l. mutari, & Fulgos. in dict. §. sed si si aduersarius quem ponit in lectura l. ante litem contestatam, num.* 14. vbi extendit, quod etiam pro salario procurator potest retinere litem. Huic difficultati Domini responderunt, non esse verum, quod procurator possit retinere litem pro salario, & sic instrumenta & processus, licet secus sit pro expensis, vt in iuribus allegatis. Ita dicit *Fulgos. sibi contrarius in leg. si non sortem, §. si centum, num. 6. ante finem, versic. quanquam. ff. de condict. indeb. & ibi etiam Ias. num. 10. Boer. decision. 15. numer. 3. Capic. decision. 11. numero primo, Grauatius ad Vestr. libro tertio, capitulo quarto numero octauo, in fine*, & in omnem euentum Iacobus facta protestatione non prosecutus fuit illud iudicium non reuocationis, ex quo sibi non fuerat satisfactum de salario, nec retinuit litem sed prosecutus fuit iudicium iam intentatum vigore monitorii super salario, distributionibus, & cambijs, & postmodum introducta causa coram me, cœpit prætendere salarium, etiam post reuocationem, vnde cum Capitulum habuerit iustam causam reuocandi, nec Iacobus retinuerit litem, donec sibi fuerit satisfactum de salario, & expensis, merito ei dictum salarium post reuocationem non est debitum.

4 Neque obstat, quod capitulum habebat iuris remedium offerendo se paratum soluere *l. nisi Dominus. ff. eod. titulo*, quia dicta lex procedit, si Iacobus voluisset retinere causam, quia tunc Capitulum ad se eximendum, & liberandum potuisset offerre, sed cum Iacobus non fuerit prosecutus iudicium retentionis causæ, sed aliud iudicium intentatum via monitorij, merito non erat necessaria prædicta oblatio. Deducta vero ex decisione in causa Placentina nullitatis reuocationis vigesimo tertio Ianuarij 1598. coram R. P. D. Litta, non fuerunt habita in consideratione, cum termini sint longe diuersi. Nam reuocatio ibi fuerat mere ad vindictam, absque legitima causa, & procurator, vt dicebant Domini, qui tunc temporis erant in Rota, fuerat, etiam transmissus de partibus ad curiam, quæ omnia cessant in præsenti casu.

REVERENDISS. P. D. PEGNA DECANO.

Firmana Altaris, Mercurij 10. Maij 1606.

ARGVMENTVM.

Tempus datum ad præsentandum currit à die scientiæ, & scientia debet plene probari, nec sufficiunt testes de auditu.

SVMMARIVM.

Tempus datum patronis ad præsentandum non currit, nisi à die scientiæ. numer. primo. Vbi quod probatio scientiæ debet esse vera, & concludens, ita vt præsumptiua non sufficiat.

Testes qui confessi fuerunt, se falsum deposuisse, & tanquam tales fuerunt condemnati, nihil probant. nu. 1.

Testis de auditu non probat. nu. 2.

Probatio, quæ necessario non concludit, non releuat. numer. tertio.

DECISIO CLXXIII.

1 VAcauerat hoc beneficium per obitum Lepidi Cari in Ciuitate noua defuncti die 20. Octobris 1591. & quia Hieronyma Martia, & Felix de Monte Granario, vigore iuris patronatus 24. Februarij 1592. videlicet tribus diebus post lapsum quadrimestre a die obitus Lepidi præsentauerunt Iosephum Sauinum ideo Doctor Riccardus Ricciottus illud à Sede Apostolica tanquam deuolutum impetrauerat, sed quoniam deuolutionem probare non poterat, tres sententias conformes Iosephus contra eum reportauit. Ceterum quoniam Ricciottus nondum iudicato acquiescebat, sed quosdam testes ad probandam scientiam prædictarum mulierum examinari curauerat, dubitaui, An ex nouiter deductis, & ex alijs, de quibus in actis, probaretur notitia obitus Lepidi, & coadiuuaretur probatio imperfecta, quam prius Doctor Ricciottus parauerat. Et Rota vtraque parte informante non probari scientiam censuit, quia cum ad præsentandum non decurrat tempus patroni, nisi à die scientiæ vacationis. cap. quia diuersitatem. de concess. præbend. & fuit late dictum in hac causa, die 1. Iulii 1598. coram Reuerendo Patre Domino Litta, & ad prædictum effectum requiratur probatio scientiæ vera, & concludens, & præsumptiua, & verisimilis non sufficiat, *Mobed. dec. 4. num. 1. & seq. de probat.* & consequenter inferebatur deducta per Ricciottum ei suffragari, quia non probabant veram scientiam, quia super testibus alias examinatis non poterat fieri fundamentum, cum fuerint confessi, se falso deposuisse, & tanquam tales fuerint condemnati.

2 Testes vero de nouo examinati non suffragabantur Ricciotto, tum quia cum deponerent de auditu, nihil pro-

probabant. *Verall. decision. 278. numer. 2. part. 3.* Tum quia plures patiebatur exceptiones, quæ Dominis placuerunt.

2 Neque obstabat depositio tertii testis super 18. affirmantis, se audiuisse, quod dictæ mulieres statim secuta morte Lepidi habuerunt scientiam ex nuncio transmisso ad quendam Antonium Aurispam. Quia fuit responsum primo esse testimonium de auditu, quod nihil probat in materia recenti, c. licet ex quadã de testib. Secundo fuit dictum, testem fundare se in falsa causa, videlicet in nuncio ad Antonium transmisso, quem Antonius se habuisse negauit.

3 Argumentum deductum per Dominum Ricciottum de vicinitate locorum per quinque milliaria inter Ciuitatem nouã, vbi mortuus fuerat Lepidus, & M. Granarium, vbi morabantur prædictæ mulieres, non probauit Rot. cum inde necessario non induceretur scientia presertim in rusticanis mulieribus, quę non solent ista perquirere. Vnde tamquam coniectura non concludens non suffragabatur Doctori Ricciotto, capite in præsentia, de probationibus.

REVERENDISS. P. DOMINO LVGDVNEN.

Ceneten. Iuris patronatus. Mercurij 10. Maij 1606.

ARGVMENTVM.

Quasi possessio præsentandi quo ad com patronum pluribus modis probatur de quibus in Summario.

SVMMARIVM.

Quasi possessio præsentandi ex vnica præsentatione acquiritur, num. 1.

Confessio vnius patroni in fauorem alterius confitenti nocet, num. 1.

Ius patronatus in præiudicium compatroni probatur ex eo, quod compatronus admisit alium patronum ad præsentandum, num. 1.

Consentire plures inuicem videntur, qui faciunt actum simul, nu. 1.

Quasi possessio præsentandi diuersimodè consideratur inter compatronos, & diuersimodè vbi agitur de præiudicio ordinarij, nu. 2.

Quasi possessio, vt acquiratur, requiritur scientia, & patientia aduersarij, nu. 2.

Præsentatio vt suffragetur, debet probari illius effectuatio, numer. 3.

Fallit vbi agitur inter compatronos, & vbi agitur de eorum præiudicio, num. 3. & 4.

Scientia, & patientia in incorporalibus æquipollent, nu. 4.

Actus consequutiuus non habetur in consideratione, numero 4.

Actus etiam inualidus ab agente non potest impugnari. numer. 5.

Consensus etiam ex actu nullo elicitur, nu. 5.

Sententia non suffragatur ei, qui ab illa appellauit. numero 5.

Sententia quæ fuit in gradu appellationis reuocata, non habetur in consideratione, nu. 5.

Sententia recipit declarationem à libello, & ab actis, numer. 6.

Sententia dicitur nulla ex defectu iurisdictionis, quando fuit lata inter eos, inter quos non pendebat lis, nu. 6.

Actus vnius alteri non præiudicat, non data illius scientia. num. 7.

Quasi possessio præseruatur per aliorum consensum, & nominationem, num. 7.

DECISIO CLXXIV.

RVsticellus Archidiaconus, & Canonicus Ceneten. scripsit testamentum anno 1445. In eoque reliquit quędam bona pro dote Altaris, seu Cappellę Sancti Antonii in Ecclesia Cathedrali Ceneten. Et patronos nominauit Grandenicum de Carrectis, & Nicolaum de Iudice. Verum quia legatum illud adimpletum non fuerat Catherina Rusticelli mater anno 1445. condito etiam testamento ratam habuit filii voluntatem, & prędictę doti superaddens quendam terrę mansum etiam patronis à filio nominatis. Tertium addidit Sigismundum de Leone Canonicum Ceneten. Itaque effectuatis dotationibus, in confesso est Petrum de Indice fuisse præsentatum de anno 1502. ad prędictam Cappellam iuxta formam testamenti Catherinæ, & illi fuisse motam litem ab Alexandro de Speciariis qui a Sede Apostolica impetrauerat Mãsum à Catharina relictum tanquam beneficium separatum atque iunctum fuisse Alexandrum tribus sententiis, è quibus vna fuit Rotalis. Est etiam in confesso vacante Cappella anno 1575. Iudices, & Leones præsentasse alterum Petrum de Iudice, Carrectos autem præsentasse Iulium Carrectum, & orta lite super illa discordi præsentatione Iudices, & Leones constituisse Procuratorem ad illam litem exercendam coram ordinario Ceneten. qui pronunciauit ius patronatus spectare ad solos Iudices, & Carrectos, Leonibus vero in illo nullum ius competere, atque Iulium esse instituendum. Ab illa sententia fuisse appellatum ad Nuncium Apostolicum Venetiarum, cuius Auditor male Iudicaaum ab Ordinario Ceneten. & bene appellatum à Iudicibus dixit. Tandem causam in Rota fuisse commissam, eaque ibi indecisa pendente Iulium in manibus Papę cessisse suo Iuri ad fauorem Petri, qui fuit in Cappellæ possessionem missus, in eaque perseuerauit, donec facta huius iuris patronatus expressa mentione, Cappellaniam permutauit cum quidam Simone ab Aquis. Per obitum Simonis vacante Cappella anno 1602. vice versa sibi Iudices presentarunt D. Nicolaum de Iudice. Leones autem, & Carrecti præsentarunt D. Sigismundum de Leone, quem vt à maiori patronorum parte præsentatum, Ordinarius instituendum esse declarauit super hoc lata sententia. A qua cum Iudices appellassent, causa in Rota introducta fuit dubitatum, An constaret de quasi possessione præsentandi DD. de Leonibus, & dubio tertium proposito, vtraque parte acerrime informante, fuit conclusum affirmatiue.

1 Patet enim ex prædictis, Leones semel præsentasse cum iudicibus, & certi iuris est, etiam vnico actu acquiri quasi possessionem. *cap. consultationibus. de iur. patron. cap. cum Ecclesia Sutrina.* Ibique communiter not. *Doct. de caus. possess. & propr. Feder. de Sen. cons. 634. Dec. consil. 129. nu. 2. Achil. dec. 5. de iur. patron.* Patet etiam illam præsentationem à Leonibus habuisse fomentum ex testamento Catherinæ, & ex tribus sententijs, & (quod magis ad rem facit) ex confessionibus iudicum non tantum expressis, quæ sine dubio inter compatronos præiudicant, vt tenuit *Rot. in causa Taurinen. Cappellaniæ 8. Martij 1584. coram bon. me. Orano.* Verum etiam tacitis, & consequentibus, ex quo ipsi Iudices admiserunt Leones ad præsentandum vna cum ipsis *Ruin. cons. 50. num. 19. in fin. lib. 5.* Sentit *Dec. cons. 121. num. 2.* Et facit quod, quando plures faciunt actum, censentur inuicem consentire. *l. Titius. ff. quib. mod. pign. vel hypothec. l. cum pater. §. libertis. de legat. 2. late Surd. cons. 15. nu. 20.*

2 Et vertitur hæc causa non inter Ordinarium, Patronos super Ecclesiæ statu, sed inter compatronos super pertinentia patronatus, qui casus, vt sunt diuersi, ita & diuersimode consideratur in illis quasi possessio

fessio. *Roc. Curt. de iur. patron. in vers. ipse, vel is. q. 36. num. 82. Roland. cons. 43. num. 33. lib. 1.* Nec omnes compatroni de iure Leonum controuertunt, sed soli iudices. Vnde cum de iudicum tantum agatur præiudicio, sufficit, quod ipsis duntaxat scientibus & patientibus acquisita fuerit quasi possessio. *Innoc. in cap. bonæ el 2. num. 1. vers. & plus dicimus. de postulat. ibique Cardin. q. 5. Anchar. q. 3. & alij communiter.* Itaque non obstat, quod Carrecti contradixerint prædictæ præsentationi, factæ de anno 1575. Nam illorum contradictio non impediebat quo minus possessio acquireretur contra Iudices scientes, & patientes, & Carrecti à contradictione, & impugnatione recesserunt, bonamque agnoscendo fidem admiserunt Leones, ad præsentandum secum, & hodie causam simul agunt contra Iudices,

3 Non obstat, quod dicitur non probari illam præsentationem habuisse effectum, ad *Calder. consil. 12. de iure patron. Caputaq. dec. 418. par. 2. & Sim.* Nam quando agitur inter compatronos, non requiritur probatio effectuationis, vt dicit in terminis. *Ripa. in d. capitulo cum Ecclesia. num. 93. de caus. possessor. & propr.* cuius doctrinam amplexa est Rota in causa Florentina Iuris patronatus de Ricasolis 11. Februarij 1604. coram Reuerend. Patre Domino meo Lancellotto.

4 Cum enim scientia, & patientia in incorporalibus æquipolleant. *l. 1. in fin. iuncta gl. penultim. de seruit. rust. præd. Bald. in l. 2. num. 18. vers. Nam cum præsentia. C. de seruit. & aqua.* & quo ad illos quibus præiudicatur sufficit actus præsentatis, & patientia illorum, quibus præiudicatur, nec requiritur effectuatio, vel institutio. *Innoc. in cap. 2. num. 4. Imol. num. 20. Ioan. Andr. num. 12. & 13. de restit. spoliat. Feder. de Sen. cons. 61. num. 3.* qui licet loquantur in electionibus. Tamen quas reddunt rationes, etiam in præsentatione locum sibi vendicant, neque impediuntur per obiectionem, quæ fit de præiudicio, quod paratur Ecclesiæ per multiplicationem patronorum. Nam in hac causa illa multiplicatio, tanquam actus consequutiuus, non debet haberi in consideratione. *ad l. 1. de auth. tuto. gl. final. in cap. quamuis. de pact. lib. 6. Abb. in cap. fin. de for. compet.* & iam dictum est de iure Leonum constare, non solum ex confessionibus, & admissione Iudicum, & Carrectorum, sed etiam ex testamento Catherine, & tribus sententijs conformibus, atque in omnem euentum integra Ecclesiæ remanent sua iura, cum hodie aduersus eam non agatur.

5 Stantibus prædictis non vrgent alia, quæ per Informantes pro iudicibus fuerunt deducta, quibus tamen ex abundanti fuit responsum, & Primo non obstat, quod præsentatio fuerit cassata per sententiam Ordinarij. Nam non propterea fuit cassatus consensus iudicum admittentium Leones, cum actus etiam inualidus ab agente non impugnetur. *leg. post mortem. de adopt.* & consensus etiam ex actu nullo eliciatur, vt dixit *Rota in causa Gadicem. Pensionis, quæ est decisione 713. inter impress. par. prima, numer. octauo.* Nec illa sententia Ordinarij prodesse potest iudicibus; quandoquidem ipsi ab illa appellarunt. *Innoc. in cap. 2. de rescript. Achil. dec. 34. de appellat.* Quin etiam fuit reuocata per Auditorem Nuncij Venetiarum, quod male pronunciatum ab Ordinario Ceneten. & bene à Iudicibus appellatum dixit *Salyc. in leg. cos. C. de appellat. numer. 4. & 5. & de communi testatur Præpos. in rubric. de appell. nu. 83.*

6 Non obstat etiam, quod in illa sententia reuocatoria Auditor Nuncij declarauerit ius præsentandi cōpetere illis de iudice, eorumque præsentationem confirmauerit. Nam illa verba non excludunt, nec improbant ius competens Leonibus, nec præsentationem ab ipsis factam, immo sunt intelligenda de Iudicibus, nominibus quibus procedebant cum semper sententia declaretur à libello, & ab actis, *Crescen. decis. 6. de sent. & re iud.* & iudices tunc agebant etiam procuratorio nomine Leonum compatronorum, & si admitteretur intellectus, quem volunt Informante pro Iudicibus, sententia foret lata pro Iudicibus contra Leones, & in illa parte esset nulla ex defectu iurisdictionis, quia tunc inter Leones, & Iudices non pendebat lis, ad decisio. *Rot. 12. de rescript. in nou. & Caputaqu. 294. par. 3.* Non obstat reuocatio Procuratoris, quæ per Leones facta prætenditur. Nam illa non probatur, & patitur multas difficultates, quin etiam vbi probaretur, tamen asseritur tantum facta à certis tutoribus nomine quorundam pupillorum de Leonibus. Vnde quicquid esset dicendum quo ad illos pupillos, certe alijs ex eadem familia qui tunc erant maiores, & quorum etiam nomine procurator fuerat constitutus illa pretensa reuocatio non potuit preiudicare.

7 Postremo non obstat, quod de anno 1585. quando Petrus permutauit cum Simone de Aquis, soli Iudices permutationi consensum prestiterunt. Nam ille actus Leonibus preiudicare non potest, cum de illorum scientia non constet, *Abb. in dict. cap. cum Ecclesia. num. 25. Ibique Ripa. num. 64. Put. decisione 28. num. 4. lib. 2.* Deinde cum permutatio fuisset per Papam concessa, cum derogatione iuris patronatus pro medietate potuerunt Leones non consentire absque eo, quid illis inde vllum preiudicium nasceretur, & denique postquam Leones fuerunt semel in possessione constituti, illorum quasi possessio fuit preseruata, etiam per aliorum consensum, & nominationem. *Abba. consil. 54. numer. 3. libr. 1. Calder. consil. 13. de iur. patronat. Capitaquen. decisio. 292. part. 2.* Itaque fuit conclusum DD. de Leonibus esse in quasi possessione præsentandi.

R. P. D. MANZANEDO.

Rauennaten. Censuum. Mercurij 10. Maij 1606.

ARGVMENTVM.

Predio, super quo census est impositus, pereunte in totum aliquo casu fortuito, perit etiam census, etiam quo ad capitale.

SVMMARIVM.

Proprietas, & vsusfructus fundi extinguitur per inundationem, ex qua fundus corrumpitur. nu. 1.

Pij V. Bulla de forma creandi census. Declaratur. nu. 2.

Commodum qui sentit debet sentire, & incommodum. num. tertio.

Census perit, si pereat fundus, in quo impositus est etiam quo ad capitale. nu. 1. seqq.

Fundus non dicitur fructum afferre, quando expensæ superant fructus. nu. 5.

Impensum in fructus redigendos minuit fructus. nu. 5.

DECISIO CLXXV.

1 Domini dixerunt, sententiam A. C. esse confirmandam, cum ex testium depositionibus satis constet, bona iuris Alphonsinæ huic censui supposita per emptiones aquarum de anno 1593. de mense Aprilis, & per mutationem cursus, & aluei fluminis Seni, & concurrentiam aliam aquarum, fuisse inundata, & conuersa in valles, & paludes, & reddita infructuosa, quin & omnino perempta. Vnde tam vsufructus, quam proprietas fundi per similem inundationem amittitur. ex tex. expresso in l. si ager cuius ff. quib. modis vsusfr. amittatur.

2 Et sic intrat dispositio Constitutionis fel. rec. Pij V. inci-

incipientis cum onus versic. postremo census, qua disponitur, quod bonis censui obnoxijs in totum, vel in parte peremptis, aut infructuosis redditis, etiam & census ad ratam pereat, & extinguatur, cuius dispositionis ea est potissima ratio quia alias emptor census nullum subiret rei emptæ perfectum, & semper esset in tuto, contra regulam *text. in §. cum autem. instit. de empt. & vend. & text. in leg. 1. Cod. de peric. & com. rei vend.* & sic non est contractus emptionis, & venditionis.

3 Vlterius, quia ad validitatem, & iustitiam huius contractus censualis necessario illius redditus sint constituendi super certis fundis, & rebus fructiferis alioquin illicita, vsuramque sapiens censeretur constitutio census aliter facta, iuxta extrauagantes Martini V. & Calixti Tertij. incipientes regimini *titul. de empt. & vend.* istis autem fundis peremptis, aut redditis infructuosis, restat contractus absque fundamento, quo nitebatur, necessario ad ipsius iustitiam, & validitatem. Ergo deficiente isto fundamento corruit contractus.

4 Ex quibus intrat prædicta conclusio, quod bonis censui suppositis peremptis, aut infructuosis redditis perit, & extinguitur census, quam firmant, & sequũtur *Ioannes de Lignagio. in cap. in ciuitate. de vsur. & alij relati à Couar. in cap. 7. num. 5. lib. 3. variarum resolut. & vltra illos eandem firmat Roman. consil. 417. num. 6. Greg. Lug. in leg. 28. gloss. 9. circa fin. tit. 8. part. 5. & Sarmient. selectar. lib. 7. capit. 1. num. 29. & Nauar. tractat. de vsur. num. 74. & 95. Saruia. in instructione mercatorum, cap. 15. Felician. de Solis, de censibus, lib. 1. cap. 4. num. 3. vers. tum propterea, & c. 9. num. 8. versic. 9. condit. Rodoan. de rebus eccles. non alien. in rubrica de consuetudine annui census, §. incipiente, conditiones quibus annui census, num. 5. Gutier. qui testatur de communi pract. quæst. libr. 2. quæst. 177. num. 7. Rota decision. 757. num. 2. par. 1. diuersor.* Ex qua conclusione sic firmata, sequitur etiam quod non solum capitale census pereat, sed quod illo perempto, cesset etiam illius pensio, cum velle pensionem percipere sine iure percipiendi, esset non iure, sed iniuria aliena percipere.

5 Non obstat, quod aliqua pars huius terreni modo colatur, & ex ea fructus colligantur, prout idem testes deponunt, quia vt ex eorundem depositionibus depræhenditur expensæ superant fructus, quo casu non potest dici ista pars fructifera respectu dictorũ fructuum, cum non dicantur fructus, nisi deductis expensis, *ex text. in l. diuortio, §. impendia. ff. solut. matrim. l. si à domino, vel à patre, §. vltimo, ff. de petitione, hæredit.* quem text. ad hoc dicit singularem, & vnicum, *Roman. singula. 334.* ad idem est textu. *in l. fundus, qui dotis, ff. famil. ercisçund.* quem ad hoc commendat *Ang. in leg. ait prætor, §. per hanc. ff. de his, quæ in fraud. creditor. leg. quod si fructus, ff. de vsur. his verbis,* quod in fructus redigendos impensum est, non ambigitur ipsos fructus diminuere debere. *gl. Bart. & Ang. in leg. in fundo, ff. de re iudicat. tradit. Tiraq. pluri. relatis, de retract. Lign. §. 14. glos. 1. num. 1. & 2.* An autem cessante innundatione, & terris redditis fructiferis reuiuiscat iste census, alterius inspectionis erit.

REVERENDISSIMO P. DOM. LVGDVNEN.

Comen. Pensionis. Lunæ 22. Maij 1606.

ARGVMENTVM.

Pensionarius habet electionem, an velit agere contra titularem, vel contra eum, qui fructus beneficij percipit.

SVMMARIVM.

Beneficatus acceptando beneficium pensione grauatum censetur quasi contraxisse cum pensionario, & se obligasse ad pensionis solutionem, nu. 1

Pensio debet solui etiam per eum qui non percipit distributiones quotidianas, quando est reseruata, non solum super distributionibus quotidianis, sed etiam super fructibus, numer. 1.

Beneficiato, qui allegat fructus beneficij non sufficere pro solda pensione, incumbit onus probandi, nu. 2.

Confessio vnius tertio præiudicat, nu. 2.

Valor fructuum debet probari de tempore gratiæ, nu. 2.

Pensio est onus reale, & pensionarius potest agere contra quemlibet, qui fructus percipit. nu. 3.

Pensionario pro pensione contra titularem competit actio personalis, nu. 3.

Pensionarius habet electionem quem conuenire velit, an pensionarium, an vero qui fructus percipit, nu. 3.

DECISIO CLXXVI.

1 FVit conclusum, Mannium ad integre pensionis solutionem teneri quia Parauicinus habet fundatam intentionem in literis Apostolicis, in quibus sibi quo ad vixerit reseruatur annua pensio Duc. 30. Vnde Mannius acceptando Canonicatum illa pensione grauatum, censetur quasi contraxisse cum Parauicino, & se obligasse ad dictam pensionis solutionem. *Guid. Papæ, quæst. 576. Gig. quæst. 51. Caputaq. dec. 13. par. 1. & decis. 302. par. 2.* Non obstat, quod Mannius non percipit distributiones quotidianas, quia cum pensio, non solum super distributionibus reseruata sit, verum etiam super fructibus, & redditibus præbendæ, quos fructus, & redditus Mannius integre percipit, consequens est, vt etiam integre is ad pensionem teneatur.

2 Nec releuat, quod fructus dicantur non esse sufficientes. Nam omissis alijs, fuit responsum Titulari dicenti fructus, non sufficere, incumbere onus probandi, vt fuit resolutum in Salamantina Pensionis 26. Martij 1593. coram Gipsio, & hoc casu non probari quod fructus non sufficiant, quia narratiua prædecessoris Mannij, quod Canonicatus non excedat duc. 24. non præiudicat Pensionario, ex regula, quod confessio non præiudicat tertio *l. duob. §. vbi la. de iureiur. Affl. dec. 245. nu. 11. Alciat. cons. 174. nu. 2. Natt. cons. 438. nu. 9.* & dicta confessio emanauit per duos annos ante impetrationem, Ioan. Baptistæ. Ideoque non concludit, *Caputaq. dec. 330. p. 3.* cũ interim fructus eorumque valor augeri poterit. *Felin. in c. ad aures, nu. 17. de rescript.*

3 Vnde non obstat, quod pensio sit onus reale, cap. querelam. Vbi *Abb. in 3. notab. de elect. Rom. cons. 388. Gig. q. 47. n. 2.* & per consequens, pensionarius possit agere contra Capitulum, quod percipit distributiones, cũ etiam super illius fuerit reseruata pẽsio, vt fuit dictũ in causa Colimbrien. pensionis 28. Ianuarij 1605. corã Reuerendissimo Domino Rodien. quia vt præmissũ est etiam in pensionario competit actio personalis contra Titularem, quæ oritur ex quasi contractu. *§. omnium instit. de action.* Et ex quo competit actio contra capitulum, & Titularem, est in electione Pensionarij, conuenire quem maluerit. *Card. in clem. 1. q. 11. de censib. Federic. de Sen. cons. 81. Late Gig. de pensionib. q. 39. nu. 11. & q. 43. nu. 1.* Atq; ita Domini sine controuersia censuerunt Titularem, & Pensionarium, quicquid inter Pensionarium, & capitulum dicendum sit, de quo non fuit suscepta inspectio, quia erat extra dubium pro cuius resolutione exquisita fuerant suffragia, DD. cum causa pendeat extra Rotam.

REVERENDISS. P. D.

MANZANEDO.

Papien. Bonorum. Lunæ 5. Iunij 1606.

ARGVMENTVM.

Papa generaliter dispensas cum Conclauistis, quod possint testari de fructibus sui beneficij, non intelligitur habilitare ad testandum alias inhabiles. Fallit quando de eis expresse dixit.

SVMMARIVM.

Equites Hierosolymitani veniunt appellatione religiosorum, num. 1.
Equites Hierosolymitani veri religiosi dicuntur, nu. 1.
Clausulæ derogatoriæ non ampliant dispositionem, sed illam declarant. nu. 1.
Papa dispensans cum Conclauistis ad testandum de redditibus suorum beneficiorum non habilitat alias inhabiles ad testandum, nisi aperte in contrarium appareat. numer. secundo.
Clausula sublata impedit exceptionem regulæ de iure quæsito. num. 3.
Derogatio regulæ de iure quæsito, & cæt. non est necessaria, quando tractatur de gratia à principe facta, quæ de sui natura est præiudicialis. nu. 3.

DECISIO CLXXVII.

1 DVbitaui an Indultum de quo agitur, suffragetur Domino Petro Berti, & affirmatiue Domini respondere, cum in eo Pontifex habiles reddiderit ad testandum suos cubicularios, & expresse proprio nomine designauerit Dominum Fabricium Bertium Cubiculi sui Præfectum fratremque Hospitalis Sancti Ioan. Hierosolymitani, quem talem Papa esse optime nouit, & talem nominauit, & vt tali priuilegium testandi concessit, de omnibus bonis beneficiorum etiam quorumuis ordinum regularium, quæ ex dispositionibus Apostolicis in titulum, Commendam, administrationem, & alias quomodolibet obtinuerint & obtinebunt, appellatione autem Ordinum Regularium venit ista religio, quæ est regularis, & in qua religiosi, tria vota substantialia profitentur, & veri religiosi dicuntur, *ex Mohed. dec. 10. de cauf. possess. & propr. & Rota dec. 436. nu. 2. par. 3. lib. 3. diuers.* Tum etiam quia amplissimis clausulis derogat idem Indultum priuilegijs, & stabilimentis religionis Hierosolymitanæ, & quamuis clausulæ derogatoriæ non amplient dispositionem, tamen illam declarant. *Felin. in cap. nonnulli. num. 27. vers. 50. conclusio. Bald. in l. eam quam. nu. 36. de fideicommiss. Rota dec. 532. nu. 7. par. 1. diuers.*

2 Non obstant decisiones Interamnenses coram Domino meo Ludouisio, quæ pro parte religionis dantur. In casu enim illarum Papa in priuilegio Conclauistis concesso non cogitauit de aliqua persona religiosa, & inhabili ad testandum, prout in præsenti cogitauit, & expresse disposuit de persona Fratris Fabricij fratris hospitalis Sancti Ioannis Hierosolymitani, & non tantum sustulit illi inhabilitationem testandi, respicientem personam tanquam religiosam, quin & impedimenta circa bona prouenientia de fructibus beneficiorum regularium concessorum in Commendam, seu in administrationem, quod est proprium Equitum Hierosolymitanorum, quin & sustulit illi ex supradictis impedimenta procedentia à statutis, seu stabilimentis prædictæ religionis.

3 Minus obstat non fuisse derogatum regulæ de non tollend. iure quæsito, quia stante, prout in hoc indulto clausula sublata non potest dari, de dicta regula, & tenuit Rota coram Reuerendissimo Rhodien. in vna Brixien. Parochialis, 8. Iunij 1592. & alias sæpius, tum etiam, quia non est necessaria prædicta regulæ derogatio, cum simus in gratia, quæ de sui natura est præiudicialis, ex notat. a *Bald. in l. nec auus. num. 2. Cod. de emancipatione liberor. tradit Cornel. consil. 83. num. 16. vers. Tertio respondetur. lib. 4. per text. in cap. si Papa. de priuileg. in 6. Cassador. decis. 2. de priuileg.* & fuit dictum coram R. P. D. meo Lancellotto in vna Papien. Fructuum, 25. Maij 1601.

REVERENDISS. P. DOMINO

LVGDVNEN.

Firmana Altaris, Lunæ 5. Iunij 1606.

ARGVMENTVM.

Falsitas causæ quando annullet sententiam, & an sententia iniusta dicatur nulla.

SVMMARIVM.

Sententiæ validitas ex actorum reuolutione probatur. num. primo.
Sententia lata ex falsa causa nulla est. num. 1. vbi quod sufficit falsitatem causæ ex actis apparere.
Dic procedere, quando falsa causa fuit expressa in sententia, nec sufficit errorem deprehendi ex actis, nisi quando sententia referret se ad acta expresse, & per modum causæ dispositiuæ. nu. 1.
Sententia notorie iniusta ex eisdem actis non est nulla. nu. 2. Vbi etiam, quod nullitati æquiparetur.
Simile non est idem, nu. 2.

DECISIO CLXXVIII.

1 FVit conclusum, non constare de nullitate sententie, Est enim regula, quod ex actorum reuolutione probatur sententiæ validitas, vt fuit dictum in causa separationis Thori, Veneris 9. Iunij 1600. coram R. P. D. meo Lancellotto. In actis autem constat de Iurisdictione, mandato, citatione, & aliis, ad sententiæ validitatem requisitis. Neque obstat, quod prætenditur Iudicem fuisse motum ex falsa causa, & falsam causam reddere sententiam nullam, *Clement. pastoralis. vbi not. de re iudic. Aym. cons. 134. nu. 50.* atque sufficere si causæ falsitas ex actis apparet. *Rot. dec. 16. in fin. de re iud. in nou.* Nam fuit responsum id procedere, quando falsa causa fuit expressa in sententia. *Abb. in cap. 1. num. 4. & 8. de re iud. Ias. qui alios allegat, in l. si is ad quem. num. 23. de acquir. hæred.* Et si aliquando sufficiat errorem deprehendi ex actis, id intelligendum est, quando sententia se referret ad acta expresse, & per modum causæ dispositiuæ. *Surd. cons. 223. nu. 18. & seqq. Vant. qui alios congerit, de nullitat. ex defect. process. nu. 29.* Et eo casu accipienda est *dec. 16. de re iud. in nouis*, si tamen illa loquitur in casu nullitatis.

2 Non obstat allegata notoria iniustitia. Nam & si probaretur, Tamen sententia etiam notorie iniusta ex eisdem actis non est nulla, iuxta magis communem opinionem, de qua per *Bald. in l. palam. §. quæ in adulterio. ff. de rit. nuptiar. Alex. in l. præses. nu. 2. de re iudic. Affl. dec. 28. nu. 8. Gabr. cons. 28. nu. 3. lib. 2.* Et licet notoria iniustitia nullitati æquiparetur, tamen non est nullitas, quia nullum simile est idem *gl. in l. quod Nerua. ff. depos. Euerard. in loco à simili. nu. 5.* Itaque cum dubium restrictum sit ad vltimæ sententiæ nullitatem necesse est, vt Doctor Ricciottus adeat signaturam, & alijs sibi rationibus consulat.

RE-

REVERENDISS. P. D.

MANZANEDO.

Bononien. Prioratus. Veneris 9. Iunij 1606.

ARGVMENTVM.

Incompatibilia beneficia quando dicantur, & de narratiua, quod beneficium vacet propter incompatibilitatem.

SVMMARIVM.

Incompatibilia dicuntur beneficia, quorum vtrumque requirit residentiam. nu. 1.
Incompatibile non dicitur beneficium, cui imminet cura habitu tantum, exercitium vero penes alium residet. nu. 3.
Probatio concludens requiritur in materia obiectiua. nu. 3.
Narratiua quod beneficium vacet propter incompatibilitatem est plene probanda. nu. 3.
Narratiua, quæ absolute est causa concessionis, requirit plenam probationem. nu. 3.
Confessio erronea non nocet. nu. 4.
Incompatibilitas non inducitur ex residentia, quæ non est cōtinua, sed temporalis, & certis diebus duntaxat. nu. 5.
Concilium Tridentinum non requirit expressam derogationem cum in eo fuerit excepta authoritas Sedis Apostolicæ. num. 6.
Narratiua debet probari per eum, cuius fundamentum in negatiua consistit. nu. 7.
Valor beneficij debet probari de eodem anno, & de tempore prouisionis. nu. 8.

DECISIO CLXXIX.

1 GRatiam Domini Stephani non esse iustificatam Domini dixerunt, & præcipua difficultas reducebatur ad incompatibilitatem narratam de Prioratu, & Canonicatu, quæ aut prouenit ex eo, quod prioratio sit annexa curæ animarum, aut ex residentia in vtroque beneficio necessaria.

2 Quo ad primum, cum ex actis constet huiusmodi prioratui habitu tantum curam immunere, actu vero & exercitio illam residere penes duos Cappellanos perpetuos, cessat producta incompatibilitas, per *text. in c. pastoralis. 7. q. 1. gl. in verb. parochialis. in c. statutum. de electio. in 6. Hostien. in c. quia nonnulli. nu. 5. de cleric. non residen. Abb. in cap. de multa. num. 24. de præbend. & ibi Anton. de Butr. nu. 9. qui testatur de communi. Duennas in regul. 71. nu. 4. Staphil. de liter. grat. in cap. de qualit. beneficiorum, quæ sunt curata. num. 2. & 3.* Eandem sequuntur, & dicunt communem *Barbat. cons. 17. num. 6. lib. 1. & Bened. Capra. in reg. 90. num. 76. & Oied. in tract. de benefic. incompatibil. par. 1. cap. 13. nu. 10. & nu. 53. & par. 2. cap. 6. n. 1. & 2.*

3 Quibus non obstat, Pompeium in impetratione dicti Prioratus fassum fuisse illi curam parochianorum dictæ Ecclesiæ imminere; quia ex dicta confessione non concluditur per necesse, penes priorem residere curam habitu, actu, & exercitio, cum confessio ista possit intelligi de cura habituali tantum. Vnde probatio resultans ex dicta confessione non est concludens, prout requiritur in ista materia tanquam obiectiua. *Rota dec. 1094. lib. 3. part. 3. diuers.* præcipuè cum gratia quo ad vacationem propter incompatibilitatem sit concludenter probanda, vt dixit Rota in vna Conchen. Archipresbyteratus. 28. Ianuarij 1594. coram Domino meo Decano, narrattiua enim quæ absolute est concessionis requirit plenam probationem. *Put. dec. 266. lib. 3. Rota dec. 268. nu. 4. par. 1. diuers.* & fuit dictum in vna Salamantina Cappellaniæ. 5. Decembris 1605. coram Domino meo Ortembergo.

4 Tum etiam quia dicta confessio tanquam erronea non est attendenda, & error satis deprehenditur ex eo quod in actis constat curam actu, & exercitio residere penes duos Cappellanos perpetuos, prout ipsimet de hoc fidem faciunt, & ex prouisionibus illorum, & aliorum antecessorum clare desumitur.

5 Quo ad secundum caput incompatibilitatis, prouenientis ex residentia in vtroque beneficio requisita ex decreto sacræ Congregationis Regularium, resultat Priorem, & Canonicos huius Ecclesiæ non teneri seruire in choro, nisi diebus Dominicis, & Festis Beatæ Mariæ, & omnibus alijs duplicibus primæ, & secundæ classis, & in proprijs solennibus festis Ciuitatis, ex quo satis patet, residentiam huius Ecclesiæ non requiri continuum, sed temporalem, & certis diebus duntaxat, quæ nullatenus inducit incompatibilitatem. *ex Imol. in cap. fin. nu. 4. vers. in secunda qualitate. de cleric. non residen.* & ratio est, quia tali casu Prior potest onus tam prioratus quam Canonicatus adimplere. argumento *tex. in l. assumptio. §. Iurisprudentibus. ff. ad municipal. & post Io. Andream, & Innoc. in cap. clericos. de cleric. non resid.* eandem sententiam sequuntur *Benedict. Capra d. reg. 60. nu. 102. & Oied. vbi supr. par. 1. cap. 17. num. 35. Rot. dec. 483. nu. 3. par. 1. diuers.* quod eo magis procedit, stante statuto Archiepiscopi Bononien. quo disponitur, quod in ista ecclesia officia celebranda absolui debeant, antequam in Metropolitana inchoentur, ex quo facilius purior potest vtrique ecclesiæ inseruire.

6 Vlterius quia cum ex narratis à Pompeio in sua gratia Canonicatus posset colligi ista incompatibilitas, censendum est, Pontificem super ea dispensare, præcipue cum non esset necessaria expressa *Concilij Tridentini derogatio, si quidem in cap. 21. sess. 25.* fuit excepta authoritas Sedis Apostolicæ, vt dixit Rota in vna Sancti Angeli Pensionis. 16. Decemb. 1594. coram Illustrissimo Pamphilio.

7 Præterea Dominus Stephanus narrauit Dominum Pompeium detinuisse Prioratum, & Canonicatum, nulla saltem sufficienti permissione Apostolica, cuius negatiua probatio ipsi Stephano incumbit, cum sit fundamentum intentionis ipsius. *DD. in leg. in illa. la 1. vbi Bart. nu. 5. Alex. nu. 9. Ias. nu. 14. Rip. num. 13. ff. de verb. oblig. Dec. cons. 629. nu. 3. Aym. cons. 112. nu. 6. per text. in d. l. in illa. & tex. in l. ergo. ff. ex quibus caus. maior. tradit Paris. cons. 138. num. 1. & 2 lib. 4.* & fuit dictum in vna Burgen. Canonicatus 6. Martij præsentis anni coram Domino meo Ludouisio.

8 Nec quo ad valorem gratia videtur iustificata. Dantur enim pro illius iustificatione duæ confessiones Pompeij altera facta de anno 1600. in impetratione Prioratus. Altera vero de anno 1602. in impetratione Canonicatus. Vnde cum impetratio Stephani sit de anno 1605. quæ distat a prima per quinquennium, a secunda vero per triennium, ex illis dictus valor non verificatur. Debet enim probari de eodem anno & de tempore prouisionis, vt notat *Verall. decis. 330. par. 3. & Cæs. de Grass. decis. 4. nu. 3. de sentent. & re iud.* Nec suffragatur Stephano alia confessio Pompeij in commissione causæ, quæ fuit facta narrando prouisionem de isto prioratu sibi factam, de anno 1600. quæ confessio debet intelligi, prout facta de tempore primæ impetrationis non vero de tempore Commissionis. Cetera à Stephano narrata videlicet ecclesiam istam esse sæcularem, & collegiatam, & dignitatem Prioratus esse vnicam, & principalem, & Pompeio fuisse collatam, ipsumque postea in cathedrali Canonicatum, & Præbendam obtinuisse ipse Dominus Pompeius fatetur.

REVERENDISSIMO P. D.

LVGDVNEN.

Bracharen. de Cabannas, Veneris 9. Iunij 1606.

ARGVMENTVM.

Clausula sublata, & clausula ex certa scientia quid operentur, & ex quibus probetur identitas, & pertinentia monasterij.

SVMMARIVM.

Clausula sublata claudit os parti, ac tollit iudici facultatem aliter iudicandi, num.1.
Clausula ex certa scientia operatur præsumptionem informationis in principe, nu.2.
Probationes leuiores sufficiunt in iudicio manutentionis, numer.2.
Identitas probatur ex duabus demonstrationibus, num.2.
Pluralitas non præsumitur, nu.2.
Status vltimus beneficij attenditur in beneficialibus, n.3.
Beneficium an sit regulare, vel sæculare probatur ex titulo ipsius beneficij, num.3.
Confessio probat contra habentem causam a confitente, numer.4.
Verba enunciatiua antiquissima probant, nu.4.
Confessio facta in præcibus probat contra confitentem, numero 4.
Testes non probant vbi discordant à confessione partis, numero 5.
Testes nulliter examinati non probant, num.5.

DECISIO CLXXX.

PRoposito dubio, an Congregatio Monachorum Reformatorum Ordinis Sancti Benedicti Regni Portugalliæ esset manutenenda in possessione Monasterij de Cabannas. Voluerunt in Domini, vt in primis videretur de vnione cuius vigore supradicti Monasterij possessio capta fuerat per Congregationem. Ideo cum partes monuissem, vt super hoc stricte informarent, in contumaciam D. Ferdinandi, & Congregatione tantum informante, fuit sine difficultate conclusum, pro subsistentia, & validitate Vnionis.

1 Quippe cum S. mem. Pius V. prædictorum Reformatorum Congregationem in Regno Portugaliæ erexisset. Illique omnia Monasteria dicti Ordinis Sancti Benedicti in prædicto Regno existentia vniuisset quandocunque illa per cessum, vel decessum vacauissent, posteaque fel. record. Gregorius XIII. illam vnionem reuocauisset, & confirmasset ius, quod Rex habebat ad dicta Monasteria præsentandi. Demum ad instantiam, & preces clar. me. Philippi Secundi Hispaniarum Regis, cum is pro sua pietate huiusmodi præsentandi iuri renunciasset fel. me. etiam Sixtus V. erectionem dictæ Congregationis innouauit, illique prædictorum Ordinis, & Regni Monasteria vniuit, cum clausulis amplissimis, quod non posset dari de literarum subreptione, & obreptione, vel alio vitio, nec de intentionis defectu, cum decreto irritanti, & clausula sublata, per quam est clausum os parti, ne opponat, ac sublata iudici facultas aliter iudicandi. *Card. in c. quia diligenti. in 2. quæst. de elect. Bar. in l. fin. C. de Canon. frum. Vrb. Rom. lib. 11. Paris. cons. 1. nu. 38. lib. 4. Put. dec. 50. lib. 1. Et dec. 377. lib. 3. Caputaq. dec. 134. par. 4.*

2 Itaque cum Vnio nedum sit valida, sed nec Ferdinandus facultatem habeat aliquid aduersus eam opponendi, & in literis adsit clausula ex certa scientia, quę operatur præsumptioné informationis in principe, vt late per *Alex. consil. 15. num. 2. libr. 5.* Atque in illis inter Vnienda Congregationi Monasteria exprimatur specifice Monasterium de Cabannas. Non obstat, quod alias pro parte Ferdinandi dicebatur, illa specifica expressione non designari Ecclesiam Sancti Ioannis de Cabannas, de qua agitur. Nam attento maxime, quod dubiũ disputatur ad effectum manutentionis, & quod in huiusmodi summarijssimo iudicio sufficiunt leuiores probationes. *Paleot. decis. 22. Alexand. consil. 103. libr. 7. Menoch. de redin. remed. vlt. num. 34.* Identitas monasterij visa est satis probari ex tribus demonstrationibus quod ista Ecclesia sita sit in loco de Cabannas. Idque non controuertitur & quod sit Monasterium, & Ordini Sancti Benedicti ad trad. per *Bart. in leg. demonstr. falsa. de condit. & demonstrat.* Maxime cum in dubio pluralitas non præsumatur. *Socin. consil. 28. numer. 6. Paris. consil. 77. num. 13. lib. 4.*

3 Quod si Monasterium Ordinis Sancti Benedicti probatur ex vltimo statu, qui debet attendi, *c. cum de beneficio, & ibi Doctor. de præbend. in 6. Rot. dec. 2. eo. tit. in Nou.* Quando enim congregatio possessionem istius Ecclesiam in vim Vnionis accepit, Blasius Brandanus Clericus sæcularis illam tenebat in commendam, tanquam regulare Monasterium, vt patet ex Blasij titulo extracto de Regestro Titulorum Bracharen. Diœc. per ipsum D. Ferdinandum, ad notat. per *Abb. in cap. Venerabilis, nu. 39. & ibi Felin. de except.* in quo legitur, quod ille Titulus cantabat in Commendam perpetuam Monasterij Sancti Ioannis de Cabannas, & quod antea vacauerat per obitum Petri Brandani qui similiter dictum Monasterium habuerat in Commendam. Atque inde est, quod vbi Brandano literæ Vnionis per Congregationis Procuratorem fuerunt exhibitę, ille non opposuit de nõ identitate Monasterij, quinimmo possessioni Cõgregationis præstitit consensum salua sibi duntaxat fructum perceptione, iuxta Papæ mentem.

4 Accedit quod cum Gregorius XIII. Vnionem, vt dictum est, reuocasset, & confirmasset ius præsentandi Regi competés, constat ex Regia prouisione fuisse mandatum Dominico Vaz, vt ratione iuris patronatus Regi competen, acciperet Monasteriorum Ordinis Sancti Benedicti possessionem, in eaq; prouisione exprimitur Monasterium de Cabannas, & in specie dicitur, quod Blasius Brandanus erat illius Monasterij Commendatarius, & quando prædictus Rex obtinuit fieri à Sixto Quinto Vnionem, curauit, vt inter alia Monasteria, etiam istud de Cabannas describeretur, atque demum in alia Prouisione Regia reuocatoria cuiusdam sequestri facti super istius Ecclesiæ fructibus, enunciatur Monasterium Ordinis Sancti Benedicti, quæ Regiæ attestationes probant contra Ferdinandum, qui nititur iure Regio, & patronatui Regi reseruato, quique causam vt à Rege præsentatus introduxit, Iuxt. tradit per *Bart. in l. facta. §. si hæres. ff. ad Trebell.* & alios quos allegat *Aym. consil. 29. in princ.* Concurrunt antiquissimæ enunciatiuæ, quod Ecclesia de Cabannas habebat Monasterium, Abbatem, & Conuentum *Put. decis. 209. libr. 2. Aret. cons. 42. in princ. Ias. in l. cum aliquis, numur. 4. C. de iur. delib.* & ipse Ferdinandus coram Ordinario Bracharen. dixit se presentatum ad Monasterium de Cabannas, quæ confessio probat aduersus ipsum. *l. cum precum C. de lib. caus. Felin. in c. cum olim in 4. & 5. limit. de rescript.*

5 Non obstant Testes pro Ferdinando examinati, quia non potest de illis haberi ratio, stantibus prædictis clausulis, attento quod inter illorum dicta, & confessionem Ferdinandi, & literas supra expositas considerationes non datur concordia. *Bart. in l. 2. nu. 8. ff.*

8. ff. si cert. petat. Roman. cons. 391. nu. 8. & omnem difficultatem tollit, quod sunt nulliter examinati. Caputaqu. dec. 281. par. 3. Itaque fuit conclusum, Vnionem esse validam, illamque comprehendi Monasterium de Cabannas, de quo agitur.

R. P. D. MANZANEDO.

Viterbien. Cappellæ. Lunæ 12. Iunij 1606.

ARGVMENTVM.

Præsentatus ab existenti in quasi possessione præsentandi, an debeat institui, & quot tempus requiratur ad præscribendum ius patronatus inter patronos laicos, & quando possessio vnius patroni præseruetur per præsentationes, compatroni.

SVMMARIVM.

Præsentatus ab eo, qui existit in quasi possessione præsentandi, debet institui, num. 1.

Ius patronatus inter compatronos laicos præscribitur spacio 40. annorum, numero 2. Vbi etiam si absit bona fides.

Bona fides in quærendis non requiritur, num. 2.

Bona fides ex titulo probatur, nu. 2.

Possessio vnius patroni non præseruatur per præsentationes compatroni quando patronus nullam vnquam habuit possessionem, quæ posset præseruari, nu. 3.

Institutio non debet fieri sine causæ cognitione, ac absque iuris ordine, quando adest lis inter duos presentatos, quis fit instituendus, nu. 4.

Immissus in possessionem beneficij vigore tituli nulli si fructus percipiat incurrit in pœnas cap. auaritiæ, de elect. in 6. num. 4.

DECISIO CLXXXI.

1 ONophrius de Faianis Viterbiensis de anno 1506. suo testamento mandauit fabricari Cappellam in Ecclesia Viterbien. illamque dotauit, & illius ius patronatus, Consulibus mercatorum Viterbien. & antiquiori de ipsius testatoris domo, & familia reliquit. Consules vero per fere centum annos ad dictam Capellam, vacationibus occurrentibus nullatenus præsentarunt, quin tantum antiquior de familia dicti testatoris, superueniente vero de anno 1604. vltima dictæ Cappellæ vacatione, ad illam fuit presentatus ab antiquiori, de dicta familia Dominus Cæsar, à Consulibus vero Dominus Hieronymus, quem ordinarius absque vlla causæ cognitione instituit, & illius possessionem immisit, fructusque ex ea Hieronymus percepit, à qua institutione per Cæsarem appellatione interposita, & causa ad Vicelegatū Viterbien. deuoluta, ab ipso fuit dicta institutio reuocata, & Dominus Cæsar institutus. Vnde causa per appellationem Hieronymi coram A. C. introducta, & successiue ad Rotam auocata, mihiq; commissa, Dubitaui an dicta sententia Vicelegati esset confirmanda, & Domini affirmatiue tenuerunt, quia constando ex fundatione, & dotatione de patronatu tam Consulum, quam antiquiori de familia testatoris, & de sola possessione istius antiquioris dictæ familiæ, præsentatus ab illo debet institui, ad textus in capitul. consultationibus, de iure patronat. & ibi Doctores. Et ista est communis, teste *Ripa in capitul. cum Ecclesia numero 130. de caus. possess. & propr.* quo casu nihil in contrarium Concilium Tridentinum disponit.

2 Tum etiam, quia videtur, ex tam antiqua possessione antiquioris huius familiæ præscripsisse contra dictos consules istud ius patronatus. Certi namque iuris est, inter compatronos laicos sufficere ad præscriptionem iuris patron. quadragenariam præscriptionem c. de quarta, de præscript. *Balb. & Lamberten. post alios, quos refert, & sequitur decis. 229. num. 1. & dec. 407. num. 1. par. 1. Diuer. Couar. in reg. poss. par. 2. §. 10. nu. 8. vers. verum in specie*, quod procedit etiam absque bona fide, cum simus in quærendis, ex *Anchar. in capit. sine possessione. num. 7. in fin. de reg. iur. in 6. Balb. de præscription. 2. part. 3. partis principalis quæst. 13. num. 9. Put. dec. 128. libr. 2. decis. 180. num. 7. par. 2. diuers.* Præcipue in isto casu, quo ex testamento adest titulus, & ex eo ipso bona fides probetur, *Bart. in l. Celsus, n. 17. de vsucap. d. dec. 229. nu. 3. p. 1. Diuers.*

3 Nec isto casu potest dici consulum possessio præseruata per præsentationes antiquiores huius familiæ tanquam compatroni, cum ipsi consules nunquā præsentauerint, & exinde non habuerint possessionem, quæ posset illis præseruari à compatrono, ex *Dec. cons. 129. nu. 5. vers. non obstat, quod electio facta. Put. dec. 298. lib. 1.*

4 Vlterius dicta sententia Vicelegati venit confirmanda quatenus reuocauit institutionem Hieronymi nullam etiam ex illo capite, quod fuisset facta sine causæ cognitione, nec seruato ordine text. *in cap. fin. de elect. in 6.* ex quo, & ex possessione virtute illius institutionis ab Hieronymo capta, & fructuum perceptione dicitur incurrisse pœnas, *cap. auaritiæ. eodem tit. in 6. ad late tradita per Lamberten. de iurepatronatus lib. 2. p. 2. q. 6. art. 12. nu. 6.*

REVERENDISS. P. DOMINO MANZANEDO.

Tudertina Fideicommissi. Veneris 16. Iunij 1606.

ARGVMENTVM.

Fideicommissum, seu substitutionem ex quibus dicatur fuisse factam in vniuersa hæreditate.

SVMMARIVM.

Fideicommisso ordinato in casum mortis instituti fit locus statim sequuta illius morte. num. 1.

Substitutio regulatur ab institutione, ita vt si institutio sit vniuersalis, substitutio etiam sit vniuersalis, nu. 2.

Verbum hæres, seu hæreditas denotat successionem in vniuersum ius defuncti, nu. 2.

Verba pleno iure significant sine diminutione. nu. 2.

Trebellianica non detrahitur ex fideicommisso particulari, numer. 2.

Fideicommissum vniuersale arguitur ex prohibitione detractionis Trebellianicæ, nu. 2.

Specificatio post vniuersalem expressionem non restringit, sed declarat, nu. 3.

Hæreditatis nomine vniuersum defuncti patrimonium continetur, nu. 3.

Fideicommissum præsumitur vniuersale, vbi testator voluit hæreditatem suam conseruari in eius domo in æternum, num. 4.

DECISIO CLXXXII.

1 DOminus Romulus in casu mortis Illustrissimi Cardinalis Petri Donati fuit substitutus istis verbis, & post ipsius Reuerendissimi Domini Petri Donati obitum instituit, substituit, & hæredem esse voluit pleno iure, absque detractione Trebellianicæ, Illustrissimum Dominum Romulum, nepotem eiusdem testatoris ex dicto eius fratre

fratre germano. Ex quibus verbis Domini resoluerunt, per mortem Illustrissimi Cardinalis Petri Donati, factum fuisse locum fideicommisso, ad fauorem Domini Romuli, per *text. in l. post mortem. C. de fideicommiss. & ibi Doctores.*

2 Tum etiam dixerunt huiusmodi substitutionem vniuersalem, in tota hæreditate, & omnibus bonis testatoris, quia substitutio regulatur ab institutione *l. 1. C. de impub. & alijs*: Institutio autem Illustrissimi Cardinalis fuit vniuersalis, de omnibus bonis præsentibus, & futuris, vbique existentibus &c. Vnde eodem iure ad fauorem Domini Romuli dicta substitutio debet censeri, ad notata pluribus citatis per Illustrissimum *Manticam de coniect. vltim. volunt. libr. 5. tit. 1. à num. 20.* quod etiam desumitur ex illis verbis (& hæredem esse voluit,) Verbum namque hæres, & hereditas, & successionem in vniuersum ius defuncti denotant, *ad l. hæreditas. ff. de reg. iur.* & pro ista parte ponderabant Domini, etiam verba illa pleno iure significantia sine aliqua diminutione *Dec. cons. 498. num. 9. & seq. Put. dec. 448. in fin. lib. 2.* Item etiam ponderarunt verba illa absque detractione Trebellianicæ, qua cum non detrahatur ex fideicommisso particulari, sed ex vniuersali, *l. mulier. §. fin. ff. ad Trebel. Mantic. vbi supra lib. 7. tit. 2. num. 6. Peregr. de fideicommiss. art. 3. numer. 4.* Bene ex ipsius detractionis prohibitione arguitur ad fideicommissum vniuersale, ex *Peregrin. vbi supra, d. num. 4.*

3 Quibus non obstat, post dictam vniuersalem institutionem factam ad fauorem Illustrissimi Cardinalis, nominatim fuisse specificata aliqua bona, Ista namque specificatio non inducit restitutionem institutionis, sed declarationem, *l. legato supellectilium. de supellectil. legata.* Faciunt late deducta per *Rotam. dec. 261. per totam. part. 2. diuers.* quod comprobatur ex verbis eiusdem testamenti, quatenus post dictam institutionem, & substitutionem prosequitur in hæc verba, ita quod dicta bona, & hæreditas, semper remaneant, & conseruentur in dicta eius domo, & succedat filius primogenitus nasciturus semper, & in perpetuum, Vbi testator facit mentionem de dictis bonis, & hæreditate, quibus non tantum designauit velle comprehendere bona superius specificata, quin & totam hæreditatem, cuius appellatione, vniuersum defuncti patrimonium comprehenditur ex notatis *à Menochio de præsumpt. lib. 4. præsumpt. 62. nu. 11. & 13.*

4 Vlterius, quia ex eisdem verbis desumitur voluntatem testatoris fuisse, quod dicta bona, & hæreditas remanerent, & conseruarentur in domo eius in æternum, & quod in illis succederent primogenitus nasciturus. Ex quibus desumitur voluisse omnia bona ipsius, omnemque hæreditatem substituto restitui, vt expresse notat *Menoch. vbi supra. num. 12.* Quod vero attinet ad præscriptionem, aliquis ex Dominis fuit in sententia, quod non adesset tempus sufficiens de iure, & statutum non intraret, nisi in contractibus alius dixit, motiuum de præscriptione non intrare cum Dominus Romulus non prætendat fideicommissum ratione prohibitionis alienationis, sed prætendat illud inductum in casu mortis, alijs vero visum fuit, huiusmodi motiuum præscriptionis extra dubium, & ideo de illo particulariter videndum, prout videri poterit.

R. P. D. MANZANEDO.

Bergomen. Præeminentiarum Veneris 16. Iunij 1606.

ARGVMENTVM.

Attentata quando excusentur ex consensu partis, & quando detur appellatio a mandato de manutenendo & quando appellatio per vnum ex collitigantibus interposita prosit alijs, & operetur, quod executio facta contra alios sit attentata.

SVMMARIVM.

Attentata dicuntur omnia actitata appellatione pendente. num. 1.

Attentata excusantur ex consensu partis non solum expresso, sed etiam tacito. nu. 1.

Attentata non commituntur absque dolo. nu. 1.

Dolus non committitur contra consentientem. nu. 1.

Appellare non potest non habens mandatum. nu. 2.

Legitimatio personarum est necessaria in quolibet iudicio. num. 2.

Sententia, à qua non est appellatum, transit in iudicatum, & exequutioni demandatur. nu. 3.

Appellatio non datur à sententia lata super mandato de manutenendo. nu. 3.

Declara procedere, quando proceditur in possessorio manutentionis per decretum, secus vero quando per viam sententiæ definitiuæ. nu. 4. vbi adducitur ratio.

Attentata cessant vbi est prohibita appellatio. nu. 3.

Appellatio interposita ab vno ex collitigantibus prodest alijs num. 5.

Appellatione interposita per vnum ex pluribus condemnatis, & illa pendente, non potest fieri executio contra alios, quin non appellauerunt. num. 5. Vbi quod talis executio etiam respectu consortium dicitur attentata, & venit reuocanda.

Fallit primo, quo ad eos consortes, qui sententiæ acquieuerunt. nu. 6.

Fallit secundo quando sunt diuersæ personæ litigantes respectu diuersi iuris, nec est vna, ac eadem causa defensionis omnium. nu. 6.

DECISIO CLXXXIII.

1 Domini dixerunt, executoriales esse attentatas quo ad Parochum Sueri tantum, quia iste appellauit, legitime à sententia Vicarij Cremen. Vnde appellatione pendente executoriales, & reliqua actitata inducunt attentata. *capit. non solum. de appellat. in 6.* quantum vero attinet ad Parochos vtriusque Cereti alti, & inferioris, non censuerunt adesse attentata, quia Parochus Cereti alti expresse acceptauit prædictam sententiam illique acquieuit, ex quo resultat illius expressus consensus, quin & tacitus sufficiebat ad excusanda attentata ex *Crescent. decis. secunda, vt lit. pend. Lancellot. de attent. secunda parte. capitul. quarto. limit. 6. num. 2. cum sequentib. & capit. 12. limitat. 42. num. 12. post Panormitan. & Cardin. in cap. constitutus. de appellat.* & ratio est, quia cum in attentatis requiratur dolus, *ex dec. 5. alias 25. de restitut. spoliat. in nou.* ille non committitur contra consentientem, vt in *regula scienti. de reg. iur. in 6.*

2 Quantum vero attinet ad Parochum Cereti inferioris, pro quo Bigoninus appellauit, cum ille non haberet mandatum à dicto Parocho, non potuit dici legitima persona ad appellandum. *Verall. decis. 35. numero 6. parte prima.* Et fuit dictum in vna Ariminen. Bonorum 29. Nouembris 1602. coram D. meo Litta; præcipue cum in quolibet iudicio, quantumuis Summario requiratur legitimatio personarum ex *Menoch. qui plures citat, de recup. remed. 15. q. 24. num. 27. cum sequent.*

3 Ex quibus constat, Rectores vtriusque Cereti à prædicta sententia non appellasse, vnde illa transiuit in rem iudicatam, & executioni potuit mandari *capit. quod ad consultationem. de re iudicat. & capit. cum Ecclesia. de appellat. capitul. Romana. §. si vero. eodem titul. libro sexto, authentic. hodie. Codic. de appellat.*

lat. Bart. in l. si cui ad ciuilia, & in l. litigatoribus, per illum textum, Cod. eodem, & per consequens executoriales quo ad præfectos duos Parochos non fuerunt attentatæ; secus vero, quo ad Parochum Sueri, circa quem potest esse difficultas cū sētētia fuerit lata super mandato de manutenendo, à qua tamquam in iudicio possessorio regulariter est prohibita appellatio ad text. in cap. fin. §. de possess. 2. q. 6. l. j. C. si de momentan. possess. dicit communem Dec. consil. 28. num. 5. Vnde appellatione prohibita non dantur attentata ad text. & ibi notant omnes in dict. cap. non solum, de appellat. in 6. ibi exceptis casibus, in quibus iura post sententiam prohibent appellare, Roland. alijs citatis consil. 77. nu. 20. lib. 2. Lancellot. vbi supra par. 2. cap. 12. limit. 25. num. 1. cum sequentibus, & dicit magis communem Benintend. decis. 17. num. 5.

4 Prædicta tamen procedunt, quando proceditur in possessorio manutentionis per decretum secus vero quando per viam sententiæ diffinitiuæ, vt in nostro casu. Tunc namque intrat appellatio, vt notat Benintend. decis. 79. per totam, & Contard. de moment. possess. limit. 3. num. 48. quam distinctionem amplexa fuit Rota in vna Valentina Decimarum. 27. Octobris 1598. coram Illustrissimo Cardinale Seraphino, tunc Rotę Auditore, ea ratione, quia quando per decretum datur manutentio decretum illud quantum ad iudicem, numquam transit in rem iudicatam, ita vt retractari non possit ab eodem iudice, quoties altera pars docuerit de sua possessione, quod secus est quando proceditur per viam sententiæ diffinitiuæ, qua lata iudex functus est officio suo, & illam non potest reuocare, vnde non mirū si ab illa detur appellatio, & per consequens ab ista sententia potuerunt isti Parochi appellare, & cum constet tantum de appellatione Parochi Sueri, quo ad illam executoriales fuerunt attentatæ, ex supradictis.

5 Quibus non obstat, quod appellatione interposita ab vno ex collitigantibus prodest alijs, ex text. in capit. vna sententia. de appellat. leg. si qui separatim. §. fin. ff. de appellat. & l. 1. & l. fin. Cod. si vnus ex pluribus, & vtrobique Doctores tradit Lancellot. vbi supra 2. par. cap. 12. de attentat. appellat. pend. ampliat. 11. dicens, quod si appellatio fuerit interposita per vnum ex pluribus condemnatis illa pendente, non potest fieri executio contra alios, qui non appellauerunt secundum Imol. in d. l. si qui separatim. §. fin. Bart. & alios ibi relatos, quin vt ibidem num. 4. traditur talis executio etiam respectu consortium dicitur attentata, & venit reuocanda, vt tenuit Rota in vna Anconitana attentatorum 26. Iunij 1566. coram bon. mem. Oradino. Vnde videbatur appellationem interpositam per Parochū Sueri profuisse alijs parochis collitigantibus, ita vt illa pendente non solum respectu parochi Sueri executio fuerit attentata, quin & respectu ceterorum Parochorum collitigantium.

6 Respondetur namque quod prædicta quo ad Parochum Cereti alti non procedunt, cum ipse prædictæ sententiæ acquieuerit, vt tradit Guido Papæ de appellatio. quæst. 120. versic. sed fallit 1. & Lancellott. d. ampliatione 11. num. 10. quin tam quo ad Parochum Cereti alti, qui sententiæ acquieuit, quam quo ad Parochum Cereti inferioris, qui non appellauit, prædicta non procedunt, vt bene deducit Dominus Fabius Carandinus ex eo, quod sit diuersæ personæ litigantes respectu diuersarum Parochiarum, & non sit vna, & eadem causa defensionis omnium, cum Rector Sueri prætendat se Præpositum illius Ecclesiæ, & sibi subditos esse Rectores vtriusque Cereti, & sic fuisse per sententiam tentum in Rota coram Domino meo Ludouisio in causa vertente inter dictum Præpositum illius Ecclesiæ, & dictum Archipresbyterum ex alia, qua declaratum fuit, dictum Præpositum non teneri in Sabbatho Sancto accedere ad Ecclesiam Clusoni, & ibi benedictioni fontis baptismalis assistere, & à dicto Archipresbytero oleum Sanctum recipere. Immo dicta functiones baptismales dicto Præposito in sua Ecclesia, cum assistentia dictorum Rectorum vtriusque Cereti explere licuisse, & licere. Vnde cum huiusmodi Rector Sueri prætendat se Præpositum suæ Ecclesiæ, & in ea prædictas Praementias habere, quæ defensio est diuersa ab illis, quibus vtūtur Parochi vtriusque Cereti, qui nullatenus prædictam superioritatem prætendunt, sequitur, quod data inter ipsos collitigantes diuersitate defensionum appellatio vnius nempe Prepositi Parochi Sueri non profuit alijs Parochis collitigantibus, & dispositi o textus in dicto capit. vna sententia, & d. l. si qui separatim. §. fin. & in d. l. fin. Cod. si vnus ex pluribus, procedit, quando eadem causa defensionis omnium existit, vt expresse in dicto cap. vna sententia. in fin. notatur, & ibi gloss. & Abb. num. 4. versic. 5. requiritur, & Doctores, & Felin. in c. cum super num. 5. versic. 3. vbi de sentent. & re iudicata per text. in l. si qui separatim, §. final. versic. cæterum, ff. de appellat. Bald. in l. 1. Cod. si vnns ex pluribus, notatque Guido Papæ, vbi supra, dicta quæstione 120. num. 96. versicul. Tertio fallit. & Lancellott. dict. ampliatione, 11. num. 12. An vero hic transitus sententiæ in rem iudicatam quo ad dictos Parochos vtriusque Cereti obfuerit Præposito Parocho Sueri, quo ad subiectionem, quam prætendit à dictis Parochis vtriusque Cereti, sibi, & non Archipresbytero deberi, & an isto respectu Parochus Cereti inferioris appellationem non interponendo potuerint prçiudicare Præposito Parochi Sueri, ita vt etiam hoc eodem respectu executoriales sint attentatæ, particulariter esset videndum.

REVERENDISSIMO P. DOM. MANZANEDO.

Romana Tutelæ, Veneris 16. Iunij 1606.

ARGVMENTVM.

Tutor qui suæ administrationis rationem legitimè reddidit, & secuta est res iudicata, aut transactio, non cogitur iterum reddere, sub prætextu erroris calculi, seu doli, nisi constaret de dolo vero ex claris, & perspicuis probationibus.

SVMMARIVM.

Tutelæ administratæ reddita semel ratione, non est amplius reddenda, nu. 1.

Tutor quomodo debet reddere rationem suæ administrationis, num. 1.

Sententia præsumitur lata iuris ordine seruato, numero 2.

Iudicis præsentia excludit metum, & læsionem, num. 2.

Error calculi, siue dolus si doceatur, debent rationes iterum reddi. nu. 3.

Calculi error non obijcitur vbi adest transactio, vel res iudicata, nu. 3.

Dolus præsumptus non sufficit ad infringendam rem iudicatam, sed requiritur, quod probetur interuenisse dolum verum claris, & perspicuis probationibus, numero 4.

DECISIO CLXXXIV.

1 NOn teneri Dianam de nouo rationem reddere Magdalenæ Domini censuerunt, quia cum semel fuerit reddita amplius non est reddenda, lege semel, Codic. de apoch. public. libr. 10. notant Archidiac. Ioan-

Ioannes Andreas,& alij in cap. vnico, de cleric. ægrot. in 6. Socin.sen.consil.92.num.1.lib.4.Roland.cons.49. num.39. lib. 1.Menoch. de arbitr. lib. 2. centur. 3. cons.209.num.37.Rota dec.157.par. 1. diuers. potissime cum huiusmodi rationes fuerint redditæ iuxta dispositionem text. in l. cum seruus.ff.de condit.& demonstrat.& l.si quis ex §.rationem. & l.argentarius,§.eodem autem.ff.de edend.& iuxta tradita per Anchar.in.cons.330. num.2. fuit namque confectum inuentarium,confectusque liber rationum, qui cum dicto inuentario coram Iudice fuit editus, item & Curator Magdalenæ fuit datus,nec non & electi Calculatores,qui declararunt,& per iudicem fuit lata sententia,à qua non fuit appellatum, quia pro illius executione fuit confectum instrumentum inter partes, quo se iuramento ad cōtenta in dicta sententia astrinxerunt,& Magdalena liberauit Dianam,prout in sententia liberata fuerat,cui instrumento adfuit iudex,& in eo consanguinei proximiores Magdalenæ, & Dianæ interuenerunt.

2 Et facit,quod pro sententia præsumitur, ordinem iuris fuisse seruatum. Abb.in cap. cum inter. num. 22. de sentent.& re iudicat. quin & præsentia iudicis excludit metum,& læsionem. ex Bart.in l. 1. per illum textum. C. de præd.Decurion.lib.8.Socin.cons.59.in princip. lib.3. Bald. cons.447.lib.1. Aym.qui alios refert,cons.114. nu.2.

3 Vnde quamuis constito de errore calculi,vel de dolo, iterum rationes sint reddendæ. l. vnica. C. de error. calculi.l.emptor.§.Lucius.ff. de pact. & vtrobique Doctores. Soc.vbi supra.num.4.Roland.num.44.Menoch. num.39. Rota dec. 157. tamen hoc cessat, quoties adest res iudicata, aut transactio,vt notat text.in d.l.vnica. ibi si res iudicatæ non sunt,vel transactio non interuenit.Bart.in l. 2.C.de iur.fisc.Roland.vbi supra.num.46.Socin. d.nu.4. Menoch.d.num.37.sed in præsenti non solum adest res iudicata, quin & prædictum instrumentum obligationis adimplendi contenta in dicta sententia, & per consequens ex calculi errore non sunt iterandæ huiusmodi rationes.

4 Ex capite vero doli,quamuis iterum essent reddendæ ex traditis a Socin.vbi supra,num. 19. & ab Ancharan. d.cons.330.nnm.10.& à Ias.cons.219. num.2. lib.2. & à Menoch. vbi supra num. 39. opus esset tamen de isto dolo constare claris, & perspicuis probationibus, & non sufficeret probare dolum præsumptum,sed verum, ex Menoch.qui plures refert.vbi supra.nu.40.& Rot. dicta dec. 157. de quo dolo in præsenti non constat.

REVERENDISSIMO P. DOMINO

LVGDVNEN.

Ceneten. Parochialis. Lunæ 19. Iunij 1606.

ARGVMENTVM.

Citatio generalis non sufficit contra possessorem, nec etiam specialis facta ad maiorem cautelam, Item possessio vacua, & possessio attentata sequestrari debent.

SVMMARIVM.

Processus per contradictas contra interesse putantes validus est,vbi non adest contradictor. nu. 1.
Possessio vacua debet sequestrari. nu. 1.
Possessor debet specialiter citari, nec sufficit generalis citatio contra interesse putantes, vel specialis facta ad maiorem cautelam. nu. 2.
Mandatum præsumitur ex productione iurium. nu. 3.
Possessio vitiosa,& attentata sequestrari debet. nu. 4.

DECISIO CLXXXV.

1 PEndente lite in Rota inter Dominum Ioannem Baptistam Gambaram,& quondam Odericum Sacellum super Parochiali Ecclesia Beatæ Mariæ de Cāpolongo Ceneten.Diœc.Obijt de mense Aprilis proxime præteriti Odericus, cui de anno 1603. fuerat cōcessum mandatum de manutenendo. Vnde cum instante Ioanne Baptista procederetur per contradictas contra interesse putantes iuxt. dec. 8. vt lit. pendent. in nouis,& dec.Cassad.6.eodem tit. petebat idem Io. Baptista, vt in primis apponeretur sequestrum in dicta Parochiali tanquam illius possessione existente vacua per obitum Oderici,ad cap.cum vos,de offic.ordin.Card.in Clem.1.in q.17.de seq.possess.Bart.in l.interesse.num.2.de acquir.possess.Bald.in l.vnica,post nu.3.C.de prohib. seq.possess.

2 Verum quia D. Saluius q. Odorici Procurator produxerat in actis post Odorici obitum quoddam instrumentum possessionis,de illa Parochiali captæ per Dominum Iacobum de Leuatis in vim assertæ resignationis Domino Iacobo per Odericum factæ, Dubitaui an locus esset sequestro,& ratio dubitandi fuit quia cum videretur de certo possessore constare,videbatur etiam requiri contra illum specialis citatio, nec sufficere videtur illa generalis, contra interesse putantes,vel specialis, quæ ad maiorem cautelam facta fuerat contra dictum Saluium. Cassad.d.dec.6. nu.6. vt lit.pend.But.cons.91.nu.5.Roman.cons.410.num.1. Alex. cons.113.num. 9. lib. 2. Late Vantius de nullitate ex defectu citation. nu. 142.

3 His tamen non obstantibus fuit affirmatiue conclusum,esse locum appositioni sequestri, & ad istum effectum sufficere prædictas citationes quippe cum ex prædicti instrumenti productione oriatur in Saluij persona præsumptum mandatum. Bart. in l. vulgo in fin.de administr.tutor.Roman.cons.486.nu.11. Aym. cons. 80.nu.5.Caputaquen.dec.183.nu.3.par.2.Accoramb.dec. 23. lib.1.non est hodie audiendus idem D.Saluius dum se procuratorem negat ad effectum ne possit citari,quādoquidem si est Procurator ad producendum iura pro Iacobo,etiam Iacobi Procurator cēseri debet, ad hoc vt pro Iacobo citetur,ad l.seruum quoque.§.final.de Procurat.& not.in cap. accedens. eodem titulo, & late per Capr. regul.62. Itaque vel dictus Saluius non est Procurator Iacobi,& eo casu instrumentum possessionis non erit de actis, nec poterit obijci, quod in actis constet de certo contradictore,vel Saluius est Procurator,atque ex supradictis sufficit quod fuerit citatus.

4 Idque eo magis procedit stante suspicione,quod Iacob. sciens instare æstiuas fore inducias rem pertrahere quærit, vt interim se confoueat in fructuum perceptione. Namque alias,vt suæ possessionis transmisit instrumentum, ita & mandatum transmittere potuisset.Vnde stante incertitudine,An Iacobus sit in possessione, & quatenus ita sit detecta iam dicta possessio vitiosa, & attentata, & è conuerso gustato aliqua ex parte bono iure D. Ioannis Baptistæ, Domini censuerunt esse apponendum sequestrum, vt beneficij fructus illi ad quem de iure spectabunt, conseruentur,ad dec.Put.150.nu.3.lib.2.& 249.num. 3. lib.3.

REVERENDISSIMO P. D.

LVGDVNEN.

Vercellen. Cappellæ. Mercurij 28. Iunij 1606.

ARGVMENTVM.

Deuolutio collationis à quibus ad Papam fiat, & quod tempus requiratur, vt collatio deuoluatur,

uatur, & in quibus beneficijs habebat locum deuolutio.

SVMMARIVM.

Deuolutio collationis beneficij debet plene, & concludenter probari. num.1. Vbi maxime contra possessorem.
Deuolutio collationis beneficij fit à Capitulo ad Ordinarium, ab Ordinario ad Metropolitanum, ab eo ad Nuncium, à Nuncio ad Papam, in quo terminatur. num.1.
Deuolutio ad Papam, vt probetur, debet probari semestris negligentia. num.1.
Papa quando prouidet, vti de deuolutio, non præsumitur velle vti præuentione. num.1.
Tempus sex mensium ad prouidendum de beneficio non currit, nisi à die scientiæ vacationis. num.1.
Deuolutio vt habeat locum scientia debet essi certa, nec præsumpta sufficit. num.2.
Deuolutio cessat in beneficijs reseruatis. num.2.
Ordinarius beneficia reseruata conferre non potest. num.2.
Beneficium vnitum non dicitur vacare. num.2.
Deuolutio habet locum in vacantibus, & ijs tantum, quæ conferri possunt. num.2.
Verba potius censentur stare demonstratiue, quam restrictiue. num.3.
Valor beneficij non probatur per locationem. num.4.

DECISIO CLXXXVI.

1 Fuit conclusum, gratiam Belletij non esse iustificatam. Illa enim fundatur super deuolutione ad Sedem Apostolicam vigore *Concilij Lateranen. iuxta c. 22. de concess. præbend.* Ideoque ea deuolutio bene, & concludenter esset probanda, maxime contra possessorem. *Pute. decis.266. lib. 3. Ægid. decis.265.* Huiusmodi autem probatio hoc casu non adest, siquidem cum deuolutio fiat à capitulo ad Ordinarium, ab Ordinario ad Metropolitanum, ab eo ad Nuncium, à quo denique ad Papam terminatur predictorum omnium, probanda esset successiua semestris negligentia. *cap.2.& c.licet.el 1.de supp.negl.Prœl.Glos.in Clem.vnica. in verb. locorum. eo. tit.* Quia Papa non præsumitur hoc casu vti velle præuentione, vt fuit dictum in vna Calciaten. dimidiæ Portionis. 17. Decembr. 1582. coram Orano. Tempus vero sexmentium non currit nisi à die scientiæ vacationis. Rebuff. in prax. titu. de deuolut. num. 11. Et scientia est probanda ibidem num. 12.

2 Vnde quicquid sit de Ordinario ex præsumptione propter Visitationem, & de Capitulo propter possessionem, quam à d. Capitulo petijt Leporatus ob vacationem per mortem Martini Falletti, saltem in alijs adest præsumptio ignorantiæ, cum tamen ad effectũ deuolutionis scientia debeat esse certa, nec præsumpta sufficiat. *Put. decis.143. lib.1. Mohed. decis.4. eod. lib.* sed nec hoc casu considerari deuolutio potest. Primo quia vacauit Capp. in mense Febr. reseruato. Deuolutio autem cessat in reseruatis, quippe cum beneficia reseruata Ordinarius conferre non possit, nec etiã illis negligentia dari possit in illorum collatione. *Cassad. decis.8. num 3. & 8. de publ.* Secundo hoc quia casu vacatio fuerat consumpta per vnionem factam de hac Cappella per bon. mem. Cardinalem Guidonem Episcopum Vercellen. cuius Vnionis vigore Leporatus prædictæ Cappellæ possessionem apprehendit. Ideoque non aderat locus Collationis, *Feder. consil.200. num. 2. Sarnen. de Triennali. q.8. Rebuff. de Vnion. num.13. Parisconsi.31. num. 10. lib. 4.* Et per consequens nec poterat deuolui ad Sedem Apostolicam, cum deuolutio in vacantibus, & ijs quæ conferri possunt, locum tantummodo habeat. *c. 2. de concess. præbendæ.* Stante autẽ quod vacatio per dictam vnionem iam consumpta fuerit, non suffragatur, quod fuit allegatum de clausula, siue alio quouis modo videlicet illius vigore capi posse vacationem in mense reseruato, nec fuisse necessariam probationem deuolutionis. Non obstat, quod dicitur vnionem debuisse habere locum, quam diu Rector consequutus fuisset annos 25. Ideoque Leporatus non potuisset vti facultate vnionis, cum beneficium obtineat vsque ad prædictum annuum valorem. Fuit enim responsum, quo ad Cappellam Sancti Petri ex testibus pro parte Leporati examinatis, qui sunt plures, & absque exceptione, atque melius concludunt de communi valore percutientes tempus non solum anni 1590. de quo tempore Leporatus cepit possessionem Cappellæ, de qua controuertitur, sed etiam annorum præcedentium, & sequentium apparere, quod valor prædictæ Cappellæ non ascendit ad aureos 20. etiam non deductis oneribus, quibus computatis forsan ad aureos 12. non ascendit. Vltra quod constat de lite super dicta Cappella inter Capitulum, & Leporatum, qua stante Leporatus non potest dici pacificus possessor.

3 Quo vero ad Cappellam SS. Simonis, & Iudæ, cuius fructus dicuntur ascendere ad aureos septem in circa, vltra quod nec coniuncti fructibus Cappellæ Sancti Petri constituerent summam aureorum 25. deductis oneribus. Adhuc fuit responsum illam Cappellam SS. Simonis, & Iudæ non fuisse vnitam expresse, nec probari, quod titulus illius esset penes Leporatum, sed potius, quod de Ordine Capituli colligebat fructus in computum cuiusdam summæ, quæ sibi per dictum Capitulum præstabatur, & ita intelligenda est quietatio, quæ datur de anno 1589. facta per Leporatum, quia licet in subscriptione se nominet Vicarium, non tamen apparet, quod fecerit quietantiam vti Vicarius, nec quod verbum illud, stet restrictiue, sed potius demonstratiue, ad trad. per *Natt. cons.34. num.5. & seqq.*

4 Accedit quod Belletij gratia, nec quo ad valorem Cappellæ de qua agitur, videtur iustificata. Data est enim 12. Kal. Aprilis 1602. & tamen testes pro illius iustificatione omnes deponunt de mense Martij anni sequentis. Præterea alij Loquuntur de locatione, per quam non probari valorem, fuit sæpius decisum, alij de auditu, alij faciunt quasdem deductione, quæ indigerent discussione. Postremo nullatenus iustificatum est, quod narrauit Belletius, Leporatum nullo titulo, sed propria temeritate detinuisse, & detinere dictam Cappellam, constat enim de Titulo Vnionis.

REVERENDISSIMO P. D.

DAMASCENO.

Toletana Cappellaniæ. Veneris 1. Decemb. 1606.

ARGVMENTVM.

Præuentio facta per Papam, quando suffragetur, & an ex appositione manus Papę facta ex falsa causa tangente pertinentiam collationis beneficium remaneat affectum.

SVMMARIVM.

Subrogatus gratiose non debet immitti in possessionem nisi probata reseruatione clara, & manifesta. num.1.
Præuenire potest Papa quemcumque collatorem etiam si sit Cardinalis, & habeat indultum. num.2.
Beneficium affectum propter appositionem manus Papæ non potest alius præter Papam conferre. num.3.
Præuentio quando Papa prouidit, vti de reseruato, si beneficium non est reseruatum, non suffragatur. numero 3.

Subro-

Subrogatio gratiosa requirit, quod beneficium sit litigiosum, vel reseruatum, alias non est subrogatio, sed noua prouisio. num.4.

Beneficium non dicitur reseruatum, seu affectum ex qualibet appositione manus Papæ, Sed ita demum nisi Papa moueatur ex falsa causa, tangente pertinentiam collationis. numer. 4. & num.5. Vbi contrarium tenentes declarantur.

Secus vero, quando est error circa qualitatem prouisi, num.5.

DECISIO CLXXXVII.

1 FVit tentum Ioann. Clementi non competere immissionem ex gratiosa subrogatione absque iustificatione omnium narratorum in sua gratia, quia ipse non docet Cappellaniam, de qua agitur esse litigiosam, vel alias affectam, siue reseruatam Sedi Apostolicæ, prout iure tenetur docere, alias non est locus immissioni, vt fuit decisum in Burgen. de Pancoruo. 24. Octobris, & 19. Nouembris 1588. coram bon. mem. Gipsio in Bononien. Canonicatus. 29. Martij 1590. coram Illustrissimo Cardinale Pamphilio, & in Gienen. Præstimoniorum. 15. Febru. 1593. coram Illustrissimo Cardinale Blanchetto, in Corduben. Præstimoniorum 21. Octobris 1596. coram bon. mem. Litta, & magis explicite in Miranden. Parochialis 17. Martij 1600. coram R.P.D. Decano, vbi plures casus fuerunt distincti. Nec sufficit taliter docere de prædictis, sed necesse est patens, & manifesta probatio, vt fuit decisum in Neapolitana Rectoriæ 13. Februarij 1598. coram Illustrissimo Cardinale Pamphilio, in causa Oretan. Parochialis. 18. Iunij 1598. coram R.P. D. Ludouisio in Meliten. Parochialis 27. Iunij 1603. coram R. P. D. Coccino in Montis Falisci Cappellæ 20. Ianuarij 1603. coram Illustrissimo Cardinale Lancellotto.

2 Reseruatio autem seu affectio saltem clare, & manifeste non probatur ex eo, quod Cappella, de qua agitur, vacauerit die 4. Octobris in Ciuitate Neapoli, & Papa contulit die 20. eiusdem mensis, ex quo infertur Papam præuenisse Ordinarium Toletanum, cum tam breui tempore non potuerit afferre Tolet. nuncius vacationes, & clarum est Papam posse præuenire quemcumque Collatorem, etiam si esset Cardinalis, & haberet indultum, vt in Causa Hispalen. Pensionis 24. Ianuarij 1597. coram bon. mem. Orano.

3 Quia pro responsione fuit dictum, aut vim fieri in reseruatione mensium, aut in præuentione, aut in affectione resultante ex appositione manus Papæ qua stante non potest alius conferre, vt in extrauagant. ad Rom.... quoque inter communem. *Abb. in c. inter dilectos. num.1. de excess. prælat. Dec. in cap. vt nostrum. num. 3. de appell.* cum alijs allegatis. In reseruatione non potest fieri fundamentum, quia regula mensium exceptuat Cardinales, & Cardinalis est ordinarius Toletan. In preuentione minus, quia datur tantum gratiosa subrogatio, non autem gratia principalis, in qua possit cognosci, An Papa voluerit præuenire, & potest esse, quod Papa fecerit collationem, tanquam de reseruato, quo casu non iuuaret præuentio. *Rom. consil. 335. num. 11. Achil. decis. 5. de præbend. vers.* fuit vltimo decisum in Causa Romana Clericatus Sancti Petri 27. Nouembris 1612. coram Illustrissimo Cardinale Seraphino.

4 Quatenus autem daretur gratia principalis, vt appareret Papam voluisse præuenire adhuc non esset locus gratiosæ subrogationi absque verificatione omnium narratorum, quia gratiosa subrogatio desiderat, quod existat litigium, aut reseruatio, alias non est propria subrogatio, sed noua prouisio, *Vitalin. in Clemen. 1. numer. 141. cum duobus sequentibus, vt lit. pend. Sarnen. proœm. reg. de subrog. in fin. Moheda. decis. 3 num. 2. vt lit. pend.* & fuit decisum in dicta Romana Clericatus Sancti Petri, coram Illustrissimo Cardinale Pamphilio.

5 Minus potest dici affectum beneficium ex appositione manus per Extrauag. ad Roman. cum alijs supra allegatis, quia non quælibet appositio manus Papæ causat affectionem, sed ita demum, nisi Papa fuerit motus ex falsa causa, saltem tangente pertinentiam collationis beneficij, quia contulit beneficium tanquam reseruatum, quod vere non erat, tunc vero non causatur affectio. *Roman. d. cons. 334. num. 14. Rot. decis. 12. de concess. præbend. in antiq. Prob. ad Menoch. in cap. tibi. num. 20. de rescript.* & fuit dictum. in d. Romana Clericatus Sancti Petri, & facit *Achil. 5. de præben. supra allegat. Non obstat extrauag. ad Rom. Abb. & Dec. & alij in contrarium allegati*, quoniam extrauagans illa non loquitur, quando Papa errauit circa pertinentiam collationis, quia imò supponit, quod Papa sciens, & prudens voluerit reseruare, *vt patet in allegato §.20.* Nam quodque, ibi in quibus decretum, & reseruatio huiusmodi apponuntur, & paulo infra videlicet, De beneficijs taliter reseruatis. *Abb. vero & Dec. & Anchar. per Dec. alleg.* non loquuntur quando Papa errauit circa pertinentiam collationis, nec defuit ratio diuersitatis inter vtrumque casum, Nam quando falsitas etiam tangit pertinentiam collationis, possumus dicere, quod Papa si sciuisset collationem beneficij ad se non pertinere, non apposuisset manus, ne læderet Ordinarios collatores, & reseruatio narrata est taxatiue, vt considerarunt allegati pro hac parte, quando autem error est circa qualitates prouisi, vel quod simile, tunc non possumus dicere Papam fuisse motum ex falsa causa ad appositionem manuum. Nam & si possumus dicere, quod non prouidisset, non propterea possumus dicere, quod non prouidisset, super quo tamen plures solent considerari casus, de quibus per *Anchar. consil. 58.* qui non fuerunt per Dominos excussi. Ex prædictis inferebatur, quod cum appositio manus non causet per necesse affectionem, quia potest dari casus, quod beneficium minime remaneat affectum, non constare de affectione ex eo solo, quod doceatur manifeste de approbatione, & sic non esse locum gratiosæ subrogationi, Et ita fuit resolutum.

REVERENDISSIMO P. DOMINO LVGDVNEN.

Granaten. Cappellaniæ, prima Decembris. 1606.

ARGVMENTVM.

Incolatus & domicilium ex quibus probetur, ad effectum obtinendi beneficium, quod nisi incolis conferri potest,

SVMMARIVM.

Incola loci dicitur, qui ibi suum contulit domicilium. num. 1.

Domicilium probatur ex animo habitandi, & permanendi. num. 1. Vbi numer. 2. ex quibus colligatur rite animus.

Assertioni alicuius statur in his, quæ pendent ex eius animo. num.2.

Incolatus simplex non facit quem gaudere beneficio statuti. num.2.

Incola dicitur qui participat de honoribus & oneribus loci. num.2.

Incola is solum dicitur, qui per decenium in loco permansit. nnm.3. Vbi quod ex decennij habitatione inducitur animus permanendi, & ideo decenium non est necessarium vbi aliunde constat de dicto animo.

Domi-

Domicilium habitationis in duobus locis quis habere potest. num.4.
Incolatus probatur ex descriptione facta in lista, in qua omnes incolæ describuntur. num.5.

DECISIO CLXXXVIII.

1 PRo Informante videlicet probari Ludouicum esse filium Incolæ loci de Montile. Incola enim loci dicitur, qui ibi suum contulit domicilium. *l. Ciues.C. de Incol.lib.10. l.pupillus. §.incola.de verbor.signific.Cuiau. in tract. de mancip.* domicilium vero probatur ex animo habitandi, & permanendi. *l.domicilium eius.§.Celsus.ff. de municip. Ab.in c.fin.de Paroch.Rota diuers.decis.150.nu. 5. p.2. Surd.consi.346. numer.4. Menoch. de Arbit.consi.86. num.2. & seq.*

2 Huiusmodi animus in Fabiano Ludouici Patre fuit manifestus quando de anno 1599. sicque per quinquennium ante vacationem Cappellaniæ, de qua agitur petijt, & obtinuit in Incolam loci de Montile admitti, fideiussionem præstitit de ibi habitando, cum tota familia in oppidum bona mobilia trasportauit, & habuit domum apertam, in qua cum tota familia, sicut promiserat, habitauit. *l.1. ibi Bart. num.11. l.assumptio.§. Iuris prudentibus.* ibique idem *Bar. numer.2.ff.ad municip. Bald.in Rubr. C. si à non competen.Iud.Rebuff.in d. §.incola, versicul.quæro quomodo,* quæ omnia bene probantur per testes, qui etiam addunt, quod se vocabant Incolans *d.loci.* Vnde succedit, quod in his, quæ in animo sunt, statur eius dicto, *glo.in §.aliæ.Inst.de act. Maiol.in rubr.C.de probat.num.122.* & ne quid desit, quia forsan simplex incolatus non faceret quem gaudere beneficio statuti. *Castr. in l.omnes populi.in fin.de Iust. & Iur.* nisi etiam onera subisset. *Marsil. in l.fin.nu.114.ff.de iurisd. omn.iud. Paris. consil.34. num.14. lib.3.Molin.consil. 79.nu.74.lib.3. Dec.consi.238. num.11.* testes etiam deponunt Fabrium de conoribus, & honeribus participasse cum alijs d.loci de Montile.

3 Non obstat, quod ex *l.2.C.de Inco.lib.10.* incolà demum is dicitur, qui per decennium in aliquo loco permansit, nam illa lex inducit ex decennij habitatione animum permanendi, & per consequens incolatum ceterum vbi de animo constat expresse, vt in hoc casu, non est certandum coniecturis, vt post Ab.& alios declarat in his terminis *Marian. Socin. in c.vn.vers. 6.principaliter quæro, de foro competenti, sequitur Surd. dicto consil.346. num.4.* & in his terminis incolatus inter Hispanos dixit, *Otalora in tract. de nobilitate Hispaniæ, p. 2.c.1. num.6.*

4 Non obestat, quod Fabianus se vocauerit etiam incolam loci de Almurillos, ibique interdum commoratus sit, quia in Almurillos habitabat ratione officij, & ex accidente, domum autem apertam, filiosque, & familiam in hoc loco de Mōtil. retinebat præterea nō est inconueniens, quod quis duobus in locis habeat domicilium habitationis. *habeo l. assumptio, d. l. eius. §. Celsus. ff. de municip. c. 2. de sepult. in 6. Soci. in d. c. fin. nu. 21.*

5 Minus obstat quod non fuerit descriptus in lista quadam de ann. 1595. facta de mandato Regio, in qua fuerunt descripti omnes incolæ d.loci de Montil. nam & id potuit esse ex negligentia illorum, ad quos spectabat dictam listam facere, vel ex eo, quod Fabianus tunc temporis aberat, & exercebat in prædicto oppido de Almurill. officium Confalonerij, maxime cum in alijs listis factis tam ab ipso Parocho, quā ab vniuersitate de Montil. appareat ipsum fuisse descriptum, sicut alios incolas *Cephal. cons.764. Menoch. consi.71. num.73. lib.1.*

9 Denique prædicta magis procedunt ad effectum, de quo agitur, qui est, vt Ludouicus tanquam filius incolæ beneficium possit obtinere, quo casu benigna interpretatio facienda est. *Bald. cons. 183. num.2. Alex. cons.30.num.14. & consil.42.lib.2. Cephal.consil.237. n. 25. lib.1.* & ita fuit dictum in vna Cantuan.4. Martij 1522. coram Reuerendissimo Seraphino, & in alia Toletana Portionis prima Maij 1594. coram Illustrissimo Mantica.

REVERENDISS. P. D. PEGNA DECANO.

Elboren. Decimarum. Veneris. 1. Decembris. 1606.

ARGVMENTVM.

Spoliatus quasi possessione exigendi decimas quando quis dicitur, & quæ probare debeat ad effectum vt restituatur.

SVMMARIVM.

Spolium probatur ex probatione vtriusque extremi. num. 1.
Testes numero plures alijs præferuntur. num.2.
Possessio non mutatur ex mutatione personæ contra quam possidetur. num.3.
Possessor antiquior debet manuteneri. num.3.
Agens remedio restitutorio super decimis tenetur probare titulum coloratum suæ possessionis. num.4.
Dic procedere quando actio spolij intentatur contra eum, qui se fundat in iure communi. num.4.
Spoliare dicitur, qui requisitus soluere recusat. num.4.

DECISIO CLXXXIX.

1 INtentauerat Dom. Didacus de Sora Commendæ Veræ Crucis ordinis Sancti Ioannis Hierosolymitani Iudicium spolij contra Monasterium Scalæ Cæli ordinis Cartusiensium Ciuitatis Elboren. quod anno 1589. emerat prædium de Corte consistens intra limites prædictæ Commendæ, vnde Commendatarius, percipiebat Decimas, & Monasterium post emptionem, eas soluere recusabat. Vnde dato dubio an prædictus Commendatarius haberet fundatam intentionem super dictis Decimis, effectum, vt in iudicio spolij obtineret contra Monasterium, Rota vtraque parte Informante respectu Domini prædicti, de spolio constare censuit, quia in hoc iudicio probauit vtrumque extremum, videlicet se antequam Monasterium emeret fuisse in possessione exigendi Decimas, & postquam Monasterium emit eas non percepisse. *Innoc.in c.sæpe. num.5. versic. immo plus. de restitut.spoliat. Abb.in c.cum ad sedem. nu.17.& 18. eod. titulo.Alex.consi. 94. num.12. lib.5. Afflict. decis.327. in fine.*

2 Primum extremum probauerat Commendatarius per testes concludenter deponentes, Commendatarios exegisse Decimas de prædio de Corte antequam ad Cartusianos peruenisset, quibus testibus tanquam bene informatis adhibita fuit plena fides, tum quia aliqui erant de habitatoribus in dicto prædio, tum quia aliqui erant de illis, qui decimas colligebant, & erant plures numero. *l. vbi numerus. ff. de test.Bald.in l. per hanc. numer. 1. vers. nam aliud est plenum. C. de temp. appell.*

3 Nec ad rem pertinebat, quod dicebant Informantes pro Cartusianis, quod Monasterium nunquam soluerat Decimas, & quod propterea primū extremum non esset probatum, de tempore quo ipsi ceperunt prædium possidere. Quia fuit responsum, quod cum possessionem metiamur ex parte possidentis, non autem ex parte spoliantis & ex mutatione personę cōtra quam possidetur, non mutetur possessio, ideo possessor antiquior est in sua possessione manutenendus. *Guido Papæ decis. 629. Put. decis. 151. libr. 3.* incipiente dubitaui in vna Alboren. pensionis. Quibus non refra

fragantur priuilegia Cartusianorum super exemptione a solutione Decimarum, quia cum hoc respiciat altiorem indaginem interim spoliatus erat manutenendus.

4 Demum non obstat, quod agens remedio restitutorio super decimis teneatur probare titulum coloratum suæ possessionis *c. ad decimas. de restit. spoliat. lib. 6.* quia id procedit quando actio spolij intentatur contra eum, qui se fundat in iure communi. *gl. in d. c. ad decimas,* in verbo eundem Clericum, vbi *Anchar. num. 4. vers. si vero ius commune. Gemin. nu. 13. vers. autem,* Clerici volunt præscribere. *Franc. nu. 9. versic. casu principali.* De secundo extremo constabat ex eo, quod Cartusiani requisiti soluere id facere recusabant, Tunc enim spoliare dicuntur. *Put. decis. 151. lib. 3. Guid. Papæ decis. 629.* & ex alijs adminiculis.

REVERENDISSIMO P. DOMINO LVGDVNEN.

Ceneten. Parochialis. Lunæ 4. Decembris, 1606.

ARGVMENTVM.

Accessus non habet locum non data habilitate habentis accessum de tempore quo vult accedere, vt puta si sit furiosus, nec ex illius concessione data de inhabilitate beneficium fit affectum, & plura alia deducuntur de accessu, & reseruatione beneficij, inducta per appositionem manus Papæ.

SVMMARIVM.

Literæ collationis ordinarij probant absque aliqua iustificatione. num. 1.

Ordinarius habet fundatam intentionem super collatione beneficiorum suæ diœcesis. num. 1.

Accessus est noua acquisitio, quæ de futuro ius accipit non de præterito, & ideo requirit habilitatem habentis accessum de tempore, quo accedere vult, siue de tempore purificatæ conditionis, num. 2.

Furiosus seu mente captus est inhabilis ad obtinendum beneficium. num. 3. & num. 5. etiamsi habeat dilucida interualla. ibid.

Furiositas, seu dementia probatur ex deputatione lucratoris semel atque iterum facta. n. 4. vbi maxime si fuit facta causa cognita.

Confessio resignantis ante resignationem nocet resignatario. num. 5.

Resignare beneficium non potest qui nihil iuris super eo habet. num. 5.

Appositio manus Papæ facit beneficium affectum, seu reseruatum. num. 6.

Regressus & accessus si nulla præcedit Ecclesiæ reseruatio, sunt gratiæ respicientes fauorem certæ personæ, quæ nullam inducunt affectionem, quando non purificantur in persona cuius sunt reseruatæ. num. 6.

Collatio facta ab ordinario de beneficio affecto est valida vbi Papa non apposuit decretum, nec alias suam voluntatem ordinario intimauit. num. 7.

Appositio manus Papæ facta ad vnum finem non impedit collationem ordinarij, si dictus cessat. num. 7.

Accessus dat ius in re, non ad rem. num. 8.

Accessus ante illius purificationem nihil ponit in esse. num. 8.

Affectio beneficij non resultat ex gratia, quæ ob non adimplementum conditionis non potuit sortiri effectum. numero 8.

Affectio inducta per appositionem manus Papæ cessat ex effectuatione gratiæ. num. 9.

DECISIO CXC.

1 PRo informante videlicet Ecclesiam Parochialem de Campo Longo Ceneten. diœcesis esse adiudicandam Domino Ioanni Baptistæ. Vacauit enim de Mense Decembris qui semper est ordinarius per obitum Ioannis Sacelli, qui decessit in illius pacifica possessione continuata per annos circiter 40. & Reuerendissio Dom. Episcopus Ceneten. seruata forma Sacri Conc. Tridentini illam contulit D. Ioanni Baptistæ, vt constat nedum ex literis collationis, quibus creditur, *Rot. in nou. decis. pen. de iure patron. Caputaq. decis. 87. numer. 2. & seq. part. 3.* neque indigent iustificatione *Sylu. benefic. par. 3. q. 25.* & fuit dictum in causa Zutrinen Commendæ 10. Aprilis 1505. coram Illustrissimo Blanchetto, sed etiam ex concursu, examine atque approbatione, quæ dantur in authentica forma. Neque dubium est quin cessante reseruatione ordinarius conferre potuerit cum habeat de iure fundatam intentionem in collatione beneficiorum suæ Diœcesis. *Feder. consil. 234. num. 4. Card. consil. 65. num. 1. DD. in c. cum venerabilis.* vbi post alias *Felin. num. 32. de except.* Non obstat, quod olim fuit deductum quod authoritate fel. record. Pij IV. fuerit reseruatus q. Oderico Sacello regressus ad istam parochialem, quandocunque dictus Ioannes cederet vel decederet, siquidem cum illa reseruatio fuerit facta ex cessione literis non ex peditis intrat decretum fel. record. Gregorij XIII. qui voluit eo casu intelligi reseruare accessum & ingressum, non autem regressum, quod decretum vim legis habere atque ius quo ad omnes facere iussit. S. D. N. mandauitque Illustris. Sacri Concil. Tridentini congregationis interpretibus Sanctit. suæ nomine Rotæ significarent vt etiam in præsentis causæ expeditione se dicto decreto conformet, vnde quicquid maiores nostri senserint non est amplius dubitationi aut controuersiæ locus super illo articulo.

2 Præsupposito autem quod versemur in accessu succedit, quod est communiter receptum, accessum esse nouam acquisitionem quæ de futuro ius accipit non de præterito. *Cassad. decis. vnic. num. 3. de pact. vers. sed ante. & versic. subintret accessus Rebuff. in prax. tit. de regres. versic. cum accessu vero est. Rota diuers. decis. 457. n. 10. part. 2. Rodian. de Simon. part. 2. cap. 12. num. 6. Paris. de resign. benef. lib. 6. q. 5.* vbi testatur de communi, ideoque requirit habilitatem habentis accessum de tempore quo accedere vult siue de tempore purificatæ conditionis. *Cassad. decis. 3. de præbend. Nauar. in cap. si quando. prælud. 3. num. 7. de rescript. Abb. consi. 106. nu. 12. Late Peregr. cons. 33. num. 21. lib. 1.*

3 Hinc sequitur nullum ius in ista parochiali competijsse Oderic. quia de tempore obitus Ioannis, Odericus erat mente captus, & per consequens inhabilis, & incapax nouæ prouisionis, *c. maritum. 33. dicto. c. 2. & ibi gloss. in verb. intellectu & Franc. num. 2. de verbor. signif. in 6. Ioannes Andr. in c. dilectus. num. 2. & ibi Anchar. num. 4. de sponsal. Franc. in c. 21. §. si vero num. 1. de cleric. ægrot. Nauar. in d. c. si quando. except. 10. num. 6. & 10.*

4 Nec de Oderici dementia potest dubitari stante testium assertione, e quibus vnus est Medicus qui illum curauit atque deputatione Curatoris simul atque iterum dati ex hac causa. *Cap. alleg. 25. num. 2. Alex. consil. 147. num. 9. lib. 7. Paris. cons. 88. nu. 70. lib. 3. Dec. in l. furiosi. num. 3. ff. de reg. iur. Menoch. præsumpt. 45. numer. 44. lib. 6. Surd. consil. 89. num. 19.* maxime cum iudex processerit cum causæ cognitione. *Corn. consil. 69. num. 13. lib. 1.*

5 Nec facit quod pateretur dilucida interualla, quia vltra quod videbatur dominis hominem eo modo affectum non fuisse habilem nouæ acquisitionis particularis, constat etiam quod de tempore vacationis habebat curatorem pro eo comparentem, & cuius compari-

paritiones postea dum esset sanæ mentis ratificauit & approbauit, atque hinc resultat propria Oderici recognitio quæ nocet etiam Iacobo de Leuatis qui se Oderici resignatarium profiteri dicitur, licet de hoc in actis nihil constet neque is vmquam in hac causa procuratorem constituerit. Confessio quippe cedentis ante resignationem nocet resignatario. *Caputaq. decis. 95. num. 4. part. 1. Put. decis. 79. lib. 2. Castr. in l. facta. §. si hæres num. 3. ad Trebel.* nec vero Odericus si vt dicitur nihil iuris in ista parochiali habebat, potuit aliquid resignare Iacobo, vt late per *Paris. de resignat. benef. lib. 3. quæst. 1. nu. 149.* præsertim lite in Rota pendente super dicta parochiali inter Ioannem Baptistam & Odericum.

6 Non obstat, quod per reseruationem accessus ad fauorem Oderici Papa manum apposuerit super ista Parochiali, ita vt remaneat affecta & ordinarius illam conferre non potuerit, *ad text. in extrauag. ad Roman. de præbend. inter communes not, DD. in capit. inter dilectos post Innoc. ibi. num. 4. de excess. prælat.* fuit enim responsum quod regressus & accessus si nulla præcedit Ecclesiæ reseruatio sunt gratiæ respicientes fauorem certæ personæ quæ nullam inducunt affectionem quando non purificantur in persona, cui sunt reseruatæ. *Butr. in d. cap. inter dilectos. num. 19. & Abb. num. 10. Felin. in cap. fin. num. 40 de præsumpt. Bellamera, cons. 54. colum. 4. versic. ad secundum dubium Simon. de reseruat. quæst. 58. numer. quarto.*

7 Secundo fuit responsum hoc casu Papam non reseruasse suæ dispositioni hanc parochialem, nec decretum apposuisse nec alias suam voluntatem insinuasse ordinario Ceneten. ne alij conferret Atq; ideo valere collationem ab ordinario Ceneten. factam vt tradit *Bisign. dec. 6. nu. 5. de concess. præben.* atque ex mente Rotæ tradit *Simon. de reseruat. q. 60. num. 4. per text. in cap. 1. §. ex parte. de concess. præbend. in 6.* & facit quod manus appositio facta per Papam ad vnum finem videlicet vt Odericus possit ingredi & accedere ad beneficium non debet operari impedimentum collationis ordinarij, si Odericus est incapax. *cap. cum cessante de appellat. Gemin. cons. 136. nu. 3. in fin. 3.*

8 Fuit etiam responsum quod cum accessus det ius ad rem & non in re. *Sarnen. ad regul. de non tollendo iure quæsit. quæst. 1. ante fin. vers. decimus casus.* sitque gratia conditionalis *Nauar. in relect. cap. si quando, prælud. 3. nu. 6. de rescript.* quæ ante purificationem nihil ponit in esse, ita vt decretum etsi interpositum foret, tamen non afficeret ante purificationem. *cap. 1. de concess. præben. in 6.* per concessionem huiusmodi accessus, qui ob dementiam Oderici non potuit sortiri effectum parochialis non censetur affecta *Rota dec. vlt. de caus. poss. & propr. in nou. Simon. dicta q. 60. nu. 5.*

9 Postremo d. extrauag. ad Roman. magis videtur intelligenda quando cum manus appositione concurrit etiam reseruatio, vt colligitur ex illis verbis, in quibus decretū & reseruatio huiusmodi apponuntur & ibi de beneficijs taliter reseruatis, vel intelligitur quamdiu per manus Papæ appositionem non fuit effectuata collatio, hic autem fuit effectuata collatio in personam Ioannis ex resignatione Oderici cum Ioannes pacifice per quam plurimos annos possederit & per consequens expirauit affectio quam per manus Papæ appositionem habuerat. *Cassad. dec. 4. nu. 4. de caus. possess. & propr. & dec. 9. num. 13. de præben. Simon. de reseruat. q. 55. & 56. Sarn. in reg. de triennal. quæst. 30. num. 2. & 3.*

REVERENDISSIMO P. DOMINO LVGDVNEN.

Aurien. Parochialis de Pao. Lunæ 11. Decembris. 1606.

ARGVMENTVM.

Appellatio vnius ex præsentatis alteri prodest, vbi lis, est super iure patronatus, etiam si appellans appellationi renunciauerit. Item exceptio non admittenda nocet si fuit admissa, & alia de quibus in Summario.

SVMMARIVM.

Appellatio vnius ex consortibus alteri prodest. nu. 1.
Amplia etiamsi appellationi postea renunciet. nu. 5.
Promissio de stando vnicæ non excludit ipso iure, sed ope exceptionis. nu. 2.
Exceptio non admittenda si fuit admissa nocet. nu. 2.
Nullitatis causa vbi est commissa auditor cognoscens de nullitate potest cognoscere de negotio principali, & reuocare priorem sententiam iniustam. nu. 3.
Liti super beneficio renunciasse censetur collitigans, qui assequutus fuit incompatibile. nu. 4.
Recursus vbi potuerunt haberi à pluribus non probant contra certum aliquem, nisi in illis sit nominatus. nu. 5.
Processus per contradictas factus post mortem procuratoris non intimata prius morte procuratoris principali nullus est. nu. 6.
Contrarium vero scilicet id non seruari in praxi. nu. 6.
Citatio partis non est necessaria in subrogatione Auditoris. num. 7.

DECISIO CXCI.

1 FVit conclusum, sententiam Rotalem esse validam neque obstare allegatas nullitates. Nam quo ad defectum iurisdictionis qui deducebatur, ex quo respectu Ludouici causa nec fuerat commissa, nec committi potuerat, cum ipse ad remissoriam obtinendam se obligasset de stando vnicæ, fuit responsum sufficere, quod causa fuerit commissa per Franciscum, quia cum in vna, eademque causa fuisset lata sententia cōtra Franciscum, & Ludouicum, atque contra ambos declarata libertas beneficij, ad quod vterque eorum licet à diuersis patronis fuerat præsentatus, appellatio vnius alteri profuit, *cap, sententia ibique Franch. & alij de appell. l. si quis separatim. §. vltim. ff. eod. tit. l. 1. & 2. C. si vnus ex plurib. appell. Bart. in l. quoties. C. si plur. vn. sent. Put. dec. 459. lib. 2.*

2 Neque obstat prædictum pactum de stando vnicæ quia cum huiusmodi pacta, & promissiones, non excludant aliquem ipso iure, sed tantum ope exceptionis, *l. si vnus. §. pactus. ibique Bart. nu. 18. & seq. & Ias. nu. 2. de pact.* quando Ludouicus in iudicio appellationis per Franciscum interpositæ, comparuit cum Processu remissoriali, Alphonsus debuerat excipere Ludouicum non esse audiendum. Idque cum non fecerit, sequitur quod detecta primæ sententiæ iniustitia ob probationem iuris patronatus ea etiam, quæ prius admittenda non fuissent, si tamen fuerint admissa, suum operantur effectum. *Abb. in cap. 1. num. 8. circa fin. de confirm. vtil. vel inutil.* sicuti passim dicitur exceptionem non admittendam, nocere tamen si fuerit admissa. *Late Alex. conf. 77. num. 13. volum. 2. Et Ias. in l. patre furioso. num. 28.* de his qui sunt sui, vel alieni iuris. Idque in casu de quo agitur eo magis videtur admittendum, quia promissio de stando vnicæ fuit facta ad habendum remissoriam. Ideoque intelligenda videtur, quatenus promittens potuisset vti remissoria, Ludouicus autem in prima instantia vti non potuit remissoria, quia causa fuit expedita. Equidem post plures dilationes ad illam producendam concessas, sed tamen ante illius productionem.

2 Non obstat, quod instantia esset deserta per non prorogationem fatalium. Nam fuit responsum, senté-

tiam

tiam non esse latam super appellatione, quæ forsan erat deserta, sed super negotio principali, & super iniustitia prioris sententiæ, quod fieri potuit vigore commissionis, quæ vltra clausulam quam & quas, & cum toto negotio principali, continet etiam expresse clausulam nullitatis, quo casu Auditor cognoscens de nullitate, potest cognoscere de negotio principali, & reuocare priorem sententiam constito de eius iniustitia, vt tradit *Imol. in l. si expressim. de appell.* Et tenuit Rota coram Oradino in causa Taruisina Pensionis. Mercurij 10. Maij 1570. In qua etiam vt hoc casu appellatio erat deserta.

4 Non obstat, quod Franciscus qui causam commisit censeatur renunciasse liti per assequutionem beneficij incompatibilis, cum Parochiali, de qua agitur. Glos. in Clementina gratiæ. in verbo renunciare. de rescript. Nam quicquid sit de ista pacifica assecutione de qua in actis non costat, huiusmodi renunciatio non potuit obstare Ludouico, cui, vt dictum est, fuerat ius quesitum per causæ commissionem, *Felin. in c. cum super. num. 8. de re iudic. Rota decis. 52. de appellat. in nou. Gabbr. cons. 38. num. 5. lib. 1.* qui alios allegat.

5 Non obstant recursus habiti ad iudices laicos, ad *Rot. decis. 7. de re iud. in nou.* quia hoc casu non probātur. Et vbi probarentur potuerunt fieri per patronos laicos. Dum autem recursus haberi potuerunt à pluribus, non probant contra certum aliquem, nisi in illis esset nominatus, vt fuit dictum in causa Pampilonen. Prioratus de Arguidas, coram R. P. D. meo Ludouisio 5. Marlij 1603.

6 Non obstat, quod post obitum Procuratoris Alphonsi fuit processum per contradictas non intimata principali prius morte procuratoris, *ad decis. Bellam. 494.* Nan fuit dictum illam decisionem in praxi non seruari. Vltra quod ille Procurator Alphonsi fuit constitutus dum esset absens, nec vnquam comparuit, nec constat, quod mandatum acceptauerit, ideoque intrare posset alia *decis. Bellam. 680.*

7 Postremo non obstat, quod in subrogatione Auditoris non fuerit citatus Alphonsus, vel eius, Procurator, quia nec Alphonsus, nec aliquis pro illo aderat, qui citari potuisset. Et notum est, in istis subrogationibus, quæ pendent à nutu R. P. D. mei Decani, non esse necessariam citationem.

REVERENDISSIMO P. DOMINO LVGDVNEN.

Bracaren. de Cabannas. Lunæ 18. Decembris. 1606.

ARGVMENTVM.

Vnio Monasterij dubia redditur indubitata, ex instrumento possessionis publico in actis producto parte citata, descriptione rei vnitæ in libris vnionum, cum pluralitas non præsumatur. Ex effectu subsecuto, qui declarat intentionem præcedentem, ex consensu Commendatarij, reseruantis sibi fructus vita durante.

SVMMARIVM.

Instrumentum publicum in actis productum parte citata facit plenam probationem. num. 1.

Pluralitas non præsumitur. num. 2.

Effectus subsequens declarat intentionem præcedentem. nu. 2.

Mandatum de manutenendo conceditur etiam vbi adest aliqua verisimilitudo adminiculata titulo cedentis iura sua. num. 3.

Cedens non est verisimile, quod cessisset nisi illi constaret de identitate rei vnitæ, quam cedit. nu. 4.

DECISIO CXCII.

1 SVper petita manutentione diuersæ fuerunt sententiæ DD. ita vt super illo articulo resolutio capi non potuerit. In hoc tamen itum est omnibus suffragijs, quod Congregat. bonum ius fouet in negotio principali. Validitas siquidem vnionis non potest in dubium reuocari stantibus clausulis, quæ in illa continentur, quæ in alia decisione iam considerata fuerunt, in qua etiam fuit resolutum, satis constare Monasterium Sancti Ioannis de Cabannas, quod petitur, esse vnum de vnitis congregationi. Et licet tunc fuerit dictum sufficere leuiores probationes, quia agebatur ad effectum manutentionis, hodie tamen etiam in iudicio proprietatis videtur adesse sufficiens probatio, postquam instrumentum possessionis, quod tunc impugnabatur, fuit postea in actis originaliter productum parte citata. Ideoque facit plenam probationem. *Cassad. decis. 1. de except. in fin. & decis. 7. de appellat. in fin. Caputaq. decis. 62. lib. 2. Ias. in l. 1. num. 10. de nou. oper. nunciat. Aym. consil. 382. num. 8. Roman. cons. 519. Ibique addit Tiraqu. de retract. lignag. §. 2. glo. 1. numer. 2. & seq.*

2 Itaque habemus Monasterium de Cabannas expresse descriptum in libris Vnionis, contra quam expressionem non ostenditur, quod adsit in Regno Portugalliæ aliud Monasterium de Cabannas, quam istud quod detinet D. Ferdinandus. Et in dubio non præsumitur pluralitas. *Bald. cons. 70. vol. 4. Socin. cons. 28. num. 6. lib. 3. Paris. cons. 27. num. 13. lib. 4. Marsil. singul. 439.* Deinde habemus effectum, & obseruantiam subsequutam, cum in exequutionem dictarum literarum Vnionis fuerit capta possessio in indiuiduo dicti Monasterij, de quo agitur. Ex quo effectu declaratur, qualis fuerit expressio præcedens. *Socin. consil. 145. num. 1. circa fin. lib. 1. Bald. in l. 2. num. 2. C. de com. rer. alien. Decius cons. 476. num. 3.*

3 Accedit quod in Instrumento possessionis vt dictum est producto legitur possessionem fuisse captā de consensu Blasij Brandani Commendatarij, reseruantis sibi tamen fructuum perceptionem eius vita durante, iuxta tenorem literarum Vnionis. Vnde licet inter Dominos non conueniret quod ista possessio foret manutenibilis propter iuris controuersias, quæ in illa inspectione excitatæ fuerunt. Tamen contenta in Instrumento videbantur omnino verisimilia, & recipiunt adminiculum ex titulo dicti Blasij, qui cantat in commendam perpetuam Monasterij Sancti Ioannis de Cabannas, & cuius tituli fides non potest in dubium reuocari à D. Ferdinando, qui illum produxit, vt iam fuit in hac causa in prædicta decisione conclusum.

4 Nec vero Blasius præstitisset consensum huic possessioni, si vere Ecclesia Sancti Ioannis de Cabannas quam ille habebat in commendam non fuisset illa, quæ erat vnita congregationi vigore dictarum literarum fel. record. Sixti V. quæ tunc Blasio exhibebantur. Atque ex his congregatione tantum informante fuit conclusum, omissa via manutentionis causam esse expediendam.

REVERENDISSIMO P. D. LVGDVNEN.

Taurinen. Decimarum. Veneris 12. Ianuarij. 1607.

ARGVMENTVM.

Dominium probatur ex inuestituris, concurrentibus adminiculis, & plura recensentur adminicula.

cula. Item laici sunt incapaces decimarum, & ad hunc effectum confraternitas laicorum dicitur laica persona, nec possunt reddi de hoc capaces nisi à solo Papa. Et post Concil. Lateranense requiritur priuilegium validum, vel immemorabilis cum fama priuilegij. Item an valeat infeudatio decimarum postquam feudo finito semel ad Ecclesiam fuerunt recessæ, & an possit feudum Ecclesiasticum infeudari, feudo nondum agnito.

SVMMARIVM.

Inuestituræ non probant dominium ad fauorem infeudantis. num. 1.

Fallit concurrentibus adminiculis maxime contra inuestitum, vel ab eo causam habentes. nu. 1. & num. 2. Vbi plura enumerantur adminicula.

Dominium probatur ex confessione tam contra confitentem, quam contra singularem successorem. nu. 2

Productio instrumenti inducit tacitam confessionem contentorum in instrumento. nu. 3.

Decimæ, vt dicantur spectare ad mensam Episcopalem, sufficit sola decimarum recognitio à mensa Episcopali. num. 4.

Confessio probat contra confitentem, licet per illam non sit exclusum ius tertij. nu. 5.

Parochus habet fundatam intentionem de iure communi super decimis suæ Parochiæ, ita vt contrarium asserenti incumbat onus probandi. nu. 5.

Decimæ post Concilium Lateranense non possunt possideri à laicis nisi habeant priuilegium validum, vel immemorabilem cum fama priuilegij. nu. 6. & 7.

Confraternitas laicorum reputatur vti laica persona. nu. 7.

Decimarum translatio in laicos absque vlla spe deuolutionis ad ecclesiam ferri non debet. nu. 7.

Laicus à solo Papa potest reddi capax iuris spiritualis. nu. 8.

Decimæ in laicum à solo Papa transferri possunt. nu. 8.

Inuestitura facta feudo nondum aperto valet, postquam feudum est apertum. nu. 9.

Fallit in feudo ecclesiastico, quia incertum est, an ad Episcopum spectatur sit feudi concessio, & an sit cessura in euidentem Ecclesiæ vtilitatem. nu. 9.

Decimæ Laicis concessæ in dubio censentur concessæ post Cōcilium Lateranense. nu. 9.

Decimæ semel ad Ecclesiam ob feudum finitum reuersæ non possunt iterum in feudum concedi. nu. 9.

Episcopus non potest præstare authoritatem, vt decimæ de Laico in Laicum transferantur. nu. 10.

Decimarum translatio in Laicos non sanatur ex lapsu temporis. nu. 10.

DECISIO CXCIII.

De anno 1470. Antonius Romagnanus, fuit ab Episcopo Taurin. inuestitutus pro se, & suis filijs, & descendentibus de decimis, & iure decimandi loci Marenarum, cum narratiua, quod illas decimas nunc tenebat, & possidebat Iacobus Pillonus in feudum à mensa Episcopali, & successiue de anno 1483. filij eiusdem Antonij de ijsdem decimis à bon. mem. Cardinali de Ruere perpetuo Episcopatus administratore inuestiti fuerunt. De anno 1544. Ioannes Flora ab alio Episcopo Taurinen. obtinuit inuestituram de tertia parte dictarum decimarum cum narratiua quod Ludouicus eius pater acquisierat illam partem titulo emptionis quibusdam Fratribus de Romagnano. Demum idem Ioannes de anno 1560. eam tertiam partem vendidit confraternitati laicæ Sancti Spiritus eiusdem loci de Marena, reseruato Archiepiscopi consensu super ista decimarum tertia parte. Reuerendissimus D. Archiepiscopus Taurinen. nouit litem confraternitati coram Nuncio Apostolico, a quo & fauorabilem sententiam reportauit. Causa appellationis in Rota introducta fuit dubitatum, an intentio D. Archiepiscopi sit fundata in contumaciam confraternitatis cum procederetur per contradictas, informantibus solis agentibus pro D. Archiepiscopo. Fuit conclusum affirmatiue.

1 Nam ex supradictis inuestituris visum fuit satis constare de dominio mensæ Archiepiscopalis, quandoquidem licet regulariter inuestituræ non probent dominium ad fauorem infeudantis. *Specul. tit. de locat. §. nunc aliqua. vers. fin. Ruin. cons. 50. num. 1. lib.... Curt. iun. cons. 41. num. 8. & cons. 158. nu. 5. Aym. cons. 124. nu. 11.* Fallit tamen illa regula concurrentibus adminiculis, quia tunc receptum est, inuestientis dominium probari inuestituris. Maxime contra recipientem vel ab eo causam habentes. *Bart. in l. officium. nu. 2. de rei vendic. Dec. cons. 146. num. 14. Rip. in l. si aliquam rem. num. 42. de acquir. possess. Aym. cons. 380. nu. 5. & cons. 508. nu. 9. Menoch. cons. 409. nu. 6. Peregr. cons. 24. nu. 29. lib. 1. Gabr. de loc. concl. 4. nu. 16.* & tenuit Rota in causa Ciuitatis Castelli bonorum coram Illustrissimo Pamphilio 8. Nouembris 1589. Et in eadem coram Comitulo 12. Februarij. 1590. Et in causa Sublacen. Bonorum 21. Maij 1604. coram bon. mem. Litta.

2 Hic autem plura adminicula concurrunt videlicet antiquitas temporis *Socin. cons. 187. num. 5. & 6. libr. 2. Ruin. cons. 14. num. 9. lib. 4. Menoch. de retinen. possess. remed. 3. num. 573.* concessionum pluralitas, *Socin. d. cons. 187. num. 2. Gozzad. cons. 94. num. 57. Surd. dec. 10.* Et fuit consideratum in dicta decis. Castellana, Atque iuxta formam concessionum solutio census. *capit. cum olim. de censibus. Alex. cons. 8. num. 1. lib. 7.* Et quod magis vrget in prædicta anni 1470. & in inuestitura adest expressa Antonij Romagnani confessio decimas esse de dominio Ecclesiæ Taurinen. qua confessione probari dominium tam contra confitentem, quam contra singularem successorem, tradunt *Bart. in l. cum falsa. num. 4. & 7. C. de iur. & fact. ignor. Guido Papæ. q. 272. nu. 3. Ruin. cons. 128. nu. 16. & 18. lib. 2. Surd. d. dec. 10. cons. 217. nu. 7. Alex. cons. 15. num. 4. lib. 5. Affl. de feud. tit. ex quibus caus. feud. amit. nu. 75.*

3 Accedit confessio ipsius confraternitatis, nedum tacita resultans ex productione instrumenti emptionis decimarum, in quo fuit reseruatum beneplacitum Archiepiscopi, & ius censum exigendi. *Bald. in l. scriptura. C. de fid. instrum. Barb. consil. 18. nu. 40. lib. 2.* sed etiam expressa in articulis, dummodo in illis deduxit se petijsse inuestituram ab Archiepiscopo, & esse paratam illam reeipere, quod etiam per testes probauit quorum vtrumque fuit consideratum in dicta Sublacen. Bonorum,

4 Demum versamur in re, quæ à Laicis iure proprio possideri non potest, ideoque sola decimarum recognitio à mensa Episcopali sufficeret ad effectum, vt decimæ spectare dicantur ad mensam, non autem ad reeognoscentes, vt ex hac ratione pro existentia feudi decimarum fuit resolutum in causa Vicentina feudi Decimarum 11. Maij 1601. coram Illustrissimo Cardinali Seraphino.

5 Non obstat, quod de iure decimæ spectant ad Parochum, non ad Episcopum. Nam vt fuit dictum in prædicta decisione Vicentina, Parochus non est in causa, & nihil repugnat, quin ex prædictis recognitionibus, & confessionibus, possit agi contra confitentem, licet per illas non sit exclusum ius tertij. *l. interrogatum. C. de liber. caus. l. cum falsa. C. de iur. & fact. ignor. Vbi Bart. Bald. Salyc. & alij.* Vltra quod Agentes pro Archiepiscopo dicebant, illum esse etiam Parochum loci Marenarum, quo casu haberet de iure communi fundatam intentionem in istis decimis. *cap. cum contingat. cap. cum in tua. de decim. capit. ad decimas. de restit. spoliat.* Neque aliquid probare teneretur, sed asserenti contrarium incumbit onus probandi, vt fuit in alia Taurinen. Decimarum resolutum. 22. Aprilis. 1605. coram R. P. D. meo Manzanedo,

6 Supposito autem mensæ Archiepiscopalis dominio fundatur dicti Archiepiscopi intentio aduersus confraternitatem, ex quo post Concilium Lateranense sub Alex. Tertio celebratum anno 1179. Laici decimas habere non possunt, nisi ostendant validum Priuilegium, aut immemorabilem cum fama Priuilegij, *Ioan. Andr. in c. cum Apostolica, ibique Abb. num. 12. Immo. num. 21. Et alij, de his quæ fiunt à Præl. Guidob. decis. 63. & fuit dictum in causa Mediolan. Decimarum*, 21. Maij 1597. coram Illustrissimo Pamphilio. Et prius in vna Toletana Decimarum, coram Bubalo, *quæ est dec. 215. par. 2. diuers.*

7 Ideoque debent decimæ, de quibus agitur, auocari à confraternitate, secundum *gl. in d. cap. cum Apostolica, in ver. monendus*, cum illa neque priuilegium validum habeat, neque immemorabili nitatur, & nedum causam habeat à laicis post prædictum Concilium, sed etiam ipsa tanquam laica haberi debeat, vt late per *Gabr. de pia caus. concl. 1.* Quinimo stante quod Confraternitas nunquam moritur, sitque adempta communis spes deuolutionis ad mensam Archiepiscopalem. Minus ferenda est ista Decimarum in illam translatio, *Card. consil. 34. num. 3. Rodoan. de reb. Eccles. non alienand. q. 2. c. 28. nu. 3.*

8 Nec vero prædictæ Episcoporum inuestituræ suffragari possunt, quia citra Papam nemo potest laicũ reddere capacem iuris spiritualis, *c. 2. cum ibi not. de iudic.* Et per consequens neq; ius decimandi in laicum conferre, vt late *Abb. in c. ad hæc. de Decim.* Et latius illum referens, *Bero consil. 21. lib. 1. Rebuf. de decim. q. 13. nu. 73. & q. 7.* firmans hanc conclusionem acerbe notans Episcopos, qui laicis audent decimas concedere.

9 Non obstaret etiam si diceretur istas decimas fuisse infeudatas, ante Concilium Lateranense, & inuestituram de anno 1469. valuisse tanquam factam feudo nondum aperto, postquam tamen foret apertum *Clar. §. feudum, q. 14*, esset enim in promptu responsio. Primum in dubio decimas intelligi, & præsumi concessas post Concilium, vt post *Ioan. Andr. Hostien. Archid. & Gemin. refert Bero. d. consil. 21. nu. 14. lib. 1.* Deinde dictum Clari non procedere forsan in feudo Ecclesiastico, quia incertum est, an ad Episcopum, spectatura sit feudi concessio, & an sit cessura in euidentẽ Ecclesię vtilitatem. *Iaf super vsib. feudorum, tit. qui feud. dar. poss. nu. 12.* Et præsertim hoc casu decimę non poterant infeudari Romagnanis, quia cum per obitum Piloni verisimiliter fuissent ad mensam Archiepiscopalem reuersuræ, iterum in feudum concedi non poterant *Calder. consil. 1. tit. de decim. Felin. in c. causam quæst. nu. 4. vers. Facit etiam ad hæc, de præscript. Bero. dict. consil. 21. nu. 12. lib. 1. Couar. var. resol. lib. 1. c. 17. num. 5. Menoch. lib. 6. præsumpt. 86. nu. 3.*

10 Postremo nullo modo poterat Episcopus Taurinen. de anno 1544. præstare suam authoritatem ad affectum, vt decimæ de laico in laicum transferrentur, *c. prohibemus, de decim. ibiq; Doct. Couar. d. c. 17. nu. 5. Rebuff. d. q. 13. num. 79.* Et minus etiam valida esse potuit venditio facta confraternitati per Io. Floram laicum, cui nec Episcopus consensit, nec consentire potuit ex prædictis. Vnde nec ad hunc effectum lapsus temporis suffragari, aut aliquid operari potest. *Abb. in c. licet Hely. de Simon. cum alijs per Menoch. libr. 3. præsumpt. 132. nu. 25.* Atq: ex his fuit conclusum pro Domino Archiepiscopo.

REVERENDISSIMO P. DOMINO LVGDVNEN.

Granaten. Cappellaniæ. Veneris 12. Ianuarij, 1607.

ARGVMENTVM.

In beneficio simplici iuris patronatus non habet locum dispositio Conc. Trid. c. 6. sess. 23. de reform. volens quod obtinens sit maior 14. annis, quando in fundatione d. iuris patronatus fuit dispositum, quod etiam minores possint illud habere.

SVMMARIVM.

Ætatis defectus non potest opponi illi qui præsentatur ad beneficium simplex iuris patronatus, quando fundator dixit, etiam minores 14. annis posse admitti, nu. 1.

Pueri esse dicuntur qui sunt impuberes, minores 14. annis numer. 2.

Pueritia habet duas partes, altera quæ finem accipit anno septimo, altera quæ anno 14. num. 2.

Antiquitus beneficia simplicia concedebantur etiam minoribus septem annis, num. 2.

Infantes Hispanice dicuntur Ninni, nu. 3.

Obseruantia subsecuta facit ius, & soluit omne dubium. numer. 4.

DECISIO CXCIV.

1 Postquam fuit resolutum, quod Ludouicus fuerit filius Incolæ loci de Motril, quia in partibus fuerat etiam oppositus defectus ætatis, Volui consulere Dominos, An ille defectus obstaret Ludouico, & proposito super hoc dubio fuit negatiue conclusum. Agitur enim de beneficio simplici, quod est de iure patronatus, & in quo per consequens *Sacr. Concil. Trident. cap. 6. sess. 23. de reform.* requirens ætatem 14. annorum non habet locum, prout resoluit eiusdem sacr. Concil. Congregatio. Potest quippe fundator quas voluerit leges opponere in fundatione, *cap. præterea de iure patronat. c. quanto. de Censib. Rota decis. 2. de testam. in antiq. Roc. Cur. de Iurepatron. versic. pro eo, quod. num. 25. cum seqq.* & expresse disponitur in prædicto *Concil. Triden. sess. 25. de refor. cap. 5.* Quod autem in fundatione huius Cappellæ voluerit fundator, quod ad eam minor annis 14. possit præsentari, videtur bene colligi ex ipsius fundationis verbis dum voluit, quod Cappella debeat conferri filijs Incolarum loci de Motril, & si fuerit præsentati pueri, supplicans Papę, vt id approbarę dignetur, quia hęc erat eius voluntas.

2 Pueri autem dicuntur qui sunt impuberes sicque minores annis 14. *l. Mela & ibi Bar. in 1. notabil. de alim. & cib. lega. l. pueri 204. de verbor. signific. & melius l. in tabulis 36. de stat. lib. Vbi...* filius puer significat filium impuberem, vt aduertit *Brisso. lib. 14. de verbor. signific. in verb. puer.* Quin etiam cum pueritia duas habeat partes, quarum prima finem accipit anno 7. altera autem anno 14. vt per *Cuiac. ad l. 2. ff. de excusat.* Illa supplicatio Papę directa fuit vt verbum puer potius accipiendum sit de prima pueritię parte ante septennium, quia cum fundatio facta fuerit de anno 1438. quo tempore ad obtinendum simplex beneficium sufficiebat ætas annorum septem. *Abb. in c. præterea n. 6. & 7. de ætat. & qualit. Gemin. in c. de his ... Felin. in c. cum vigesimum, nu. 10. de offic. & potest. iud. deleg.* illa supplicatio fuisset alias superflua, quod non est dicendum, *ad l. vnic. C. de Thesaur. lib. 10.*

3 Prædicta confirmantur, ex quo ab ipso fundatore ad hanc, & ad aliam Cappellam, quam idem etiam fundauit primo loco nominati fuerunt infantes quos ipse Hispano Idiomate Ninnos vocat, ad notat. per *Bartol. in leg. final. sub numer. 2. ad Trebell. Paris. consil. 18. numero primo, libr. 1.* Et expresse disponit quod si tempore sui obitus isti nominati non essent ætatis legitimæ, expectaretur annus 12. eorum ætatis, & tunc

tunc fieret institutio seu collatio, atque interim dictis Cappellis alij deseruirent absq. eo quod istis deseruientibus fieret collatio.

4 Accedit obseruantia subsequuta, de qua in processu constat, quod vacante ista Cappella per obitum primi nominati, fuit præsentatus Petrus Molina per cuius obitum nunc vacat qui tempore præsentationis erat minor annis quatuordecim, atque idem etiã probatur in alia supradicta Cappella contigisse, per quam obseruãtiam tolleretur dubium si quod adesset. *l. cum de lege.ff.de legibus.Caputaquens.dec.177.num.7.par. prima. Roman.cons.61.num.1.in fine Illustrissimus Mantica, de coniectura vltim.volunt.lib.11. tit.18.nu.34.*

5 Itaque cum Ludouicus tempore præsentationis esset natus annos duodecim & menses tres, Hodie autem habeat annos viginti non obstat illi defectus ætatis, quin institutio quæ vsque ad hanc diem nulli fuit facta in eius personam perficiatur. Et ita fuit conclusum.

REVERENDISSIMO P. DOMINO LVGDVNEN.

Bononien. Congruæ Dotis. Veneris 16. Februarij, 1607.

ARGVMENTVM.

Dote filiæ constituta à patre dotalibus instrumentis confectis, patre adhuc viuente non datur augumentum congruæ dotis, nisi ex æquitate.

SVMMARIVM.

Mulier maritata de iure præsumitur dotata, nu.2.

Dotis constitutio sicut probatur coniecturis, sic etiam dotis quantitas. nu. 2.

Dos quamuis modica videatur habito respectu ad facultates dotantis, tamen potest esse non modica quando dotata erat vnica, quod maritus eam duxerit propter spem succedendi socero. nu. 2.

Dos congrua licet dicatur illa quæ non est minor legitima, stante statuto exclusiuo feminarum, propter masculos, hoc tamen est verum post obitum patris. nu. 3.

Legitimæ petitio, sua æstimatio debet fieri mortuo patre, non eo viuente. nu. 3.

Dotis congruitas fieri debet tempore dotationis. nu. 4.

Filiæ dotatæ de auctis facultatibus post dotationem nihil debetur. nu. 4.

Statutum si disponit quod filia dotata sit contenta, non poterit postea filia agere ad supplementum, vsque ad lagitimam. nu. 5.

Filia legitimata patre petente licet legitimam petere possit, quia per legitimationem est sublata omnis macula, tamen non est verum, quando in legitimatione fuit dictum, quod pater ei possit relinquere quod sibi placet. nu. 6.

Legitimatio amplissima per quam quis habilitatur generaliter non excludit restrictionem in successione. nu. 7.

DECISIO CXCV.

1 CVm Alphonsus de anno 1595. Camillam eius filiam vnicam, sed legitimatam nuptui tradidisset Aldobrando nullis confectis dotalibus instrumentis, sed solutis Aldobrando Scut.500. Orta de anno 1603. controuersia super constitutione congruæ dotis inter Generum & Socerum, fuit in Rota dubitatum, an dos esset augenda, & ad quam summam. Et proponen. bon. mem. D. Litta, Domini ex æquitate arbitrati fuerunt dotem esse augendam ad alia Scut. 500. Ita vt summa Scut. 1000. perficeretur, cui resolutioni cum D. Aldobrandus non acquiesceret, ego huius causæ cognitionem suffectus consului Dominos, qui vtraque parte Informante, censuerunt non esse quidem à prædicto arbitrio recedendum ex causis tunc consideratis, ceterum inanes esse querelas Aldobrandi de ista dote tanquam incongrua.

2 De iure enim mulier maritata, præsumitur dotata, *Socin.Iun.cons.8.nu.17.lib.2.Corn.cons.282. num.5. volum. Dec.cons.135.nu.2.Surd.cons.94.num. 19.* Et sicut constitutio dotis probatur coniecturis *Paris.cons.34.num.24. lib.3.Ita & dotis quantitas Bald.in l.cum citra.C.de iur.dot. Dec.cons.49.nu.10.vol.2. Campeg. de stat. exclusiuo feminarum par. vlt. q. 57. Surd. d.cons.94.num.26.* Vnde cum de alia quantitate, siue de certa dotis constitutione non appareat, magis est, quod dos Camillæ fuerit constituta in illis Scut.500. quæ initio Aldobrandus habuit ab Alphonso, & licet ista dos exigua seu tenuis videri posset attentis Alphonsi facultatibus, & quod Camilla erat illius vnica filia, tamen hoc ipsum potuit præbere causam Aldobrando ducendi istam mulierem etiam sine dote propter spem paternæ successionis. *Corn. cons.282. nu. 6. ante finem lib. 1.*

3 Itaque non obstat, quod dicitur dotem congruam non esse minus legitima. *Alex.cons.69.nu.2.lib.1. Afflict. dec.160.nu.3.Gram.dec.101.nu.14.* & isto casu Scuti. mille non constituere legitimam quæ ad Camillam peruenire posset attenta estimatione facultatum Alphõsi Nam fuit responsum allegatos Doctores loqui in dote quam post obitum patris petit mulier exclusa per statutum ad fauorem masculorum, licet etiam eo casu multi teneant dotem quidem deberi non autem legitimam, quos recenset *Menoch.cons. 168. nu. 25.* Nos autem versamur in dote constituta à patre qui adhuc viuit, ideoque non est locus petitioni, seu æstimationi legitimæ, quæ demum post obitum patris est facienda. *authentic. nouissima, ibi ex substantia deficien. C. de Inofficioso testamento. leg. 1. §. si puberi. ff. de Collation. bonor.*

4 Deinde congruitas dotis attendi debet tempore dotationis *Gram. dec. 57. num. 30. Peregr. cons. 14. num. 14. & 15. lib. 2.* Et propterea æstimatio bonorum Alphonsi facta de anno 1604. non arguit, quod incongrue fuit dos constituta per nouem annos ante, quia medio tempore potuit Alphonsus fieri locupletior, nec de auctis facultatibus Camillæ iam dotatæ aliquid deberetur *Bald.in l. pactum quod dotale in 6. opposit. C. de collat. Ias. in d.auth. nouissima. num.5. Menoch.de arbitrar.cas.149.num.18.* vltra quod nec in illa æstimatione bonorum Alphonsi fuerunt deducta onera, prout tamen deduci debuerant, *ex trad. per Felin.in cap.ad aures nu. 13. 2. q.de rescript.*

5 Accedit quod ex statuto Bononien. filia à patre dotata debet esse contenta, & per consequens nec potest conqueri, quod dos ad legitimam non ascendat. *Bald.in authent.res quæ.num.16.& seq.C.com.de leg. Socin. cons.288.num.8.lib.2.Ruin.cons.56.num.3.& 8.lib.3.Decian. cons.506.num.5.Bursat.cons.223.num.23.lib.2.Rolan. consil. 95.num.18.lib.3.Menoch.d.cons. 168. num. 17* Et in terminis prædicti statuti tenuit Rota in causa Bononien. fideicommissi de Roneo Lunæ 16. Ianuarij 1586. coram Comitulo.

6 Denique ad maiorem dictorum corroborationem, considerabant Domini Camillam fuisse spuriam, quæ licet patre petente fuerit legitimata ita vt deleta omni macula etiam legitimam petere posset, *Ias.in auth. si qua mulier nu.18.de sacros.Eccles.* Tamen in legitimatione fuit habilitata ad succedendum in eo quod pater illi relinquere voluerit & non alias nec alio modo. Ideoque ex veriore sententia non potest petere legitimam contra patris voluntatem, *Gabr cons.24.nu.15.lib. 2.Honded.cons.89.nu.60.lib.1.Cæs.de Graff.dec.4.nu.15.qui fil.sint legit.Vbi Paris.cons.7. lib. 2.* eumque sequutus *Cephal. cons. 117. lib.1.* qui in contraria sententia fuerunt quæ probatur.

7 Nec obstat, quod legitimatio Camille sit in amplissima forma, quia stant simul quod persona habilitata generaliter, & nihilominus successio restricta sit *Gabr. de legit. conclus. vltim. num. 3. Peregr. consil. 68. nu. 21. lib. 2.* sunt enim hæc diuersa, & de vno ad aliud nō infertur *Bart. in l. 15. potest. ff. de acquir. hæred. Paris. d. consil. 7. num. 11. Achil. dec. 6. qui fil. sint legit.* & fuit dictum in causa Ciuitatis Castelli supplementi legitimæ Mercurij. 10. Maij 1606. coram R.P.D. meo Lancellotto. Atque ex his Domini steterunt in decisis.

REVERENDISSIMO P. DOMINO LVGDVNEN.

Vercellen. Cappellaniæ. Veneris 16. Martij 1607.

ARGVMENTVM.

Vnio facta per Episcopum pro dote alterius beneficij valida est, item valor debet probari deductis oneribus, & si testes diuersimode deponant debet eligi media summa.

SVMMARIVM.

Gratia si neutri non habet locum donec in ea narrata verificentur, nu. 1.

Vnio effectuata impedit beneficij vacationem, nu. 2.

Episcopus potest non solum de iure communi sed etiam vigore Concil. Trid. vnire pro dote alterius beneficij, nu. 3.

Valor frumenti non probatur per testes deponentes de tempore penuriæ, num. 4.

Valor si de eo testes diuersimode deponant, probatur e legendo mediam summam, num. 4.

Valor vt probetur testes debent deponere deductis oneribus numer. 5.

Congrua assignata vicario debet esse libera ab omni onere num. 5.

DECISIO CXCVI.

1 FVit conclusum gratiam si neutri non esse iustificatam. Non probatur enim quod Cappellania de qua agitur adhuc vacet, & quod in ea nullum ius competat Leporato, quamdiu id non probatur, non intrat gratiā si neutri. *Gemin. cons. 79. in 2. dub. Put. decis. 48. nu. 4. libr. 1. Rota decis. 1. de sequestr. poss. in nou.*

2 Licet enim Cappel. vacauerit per obitum Martini Falletti, tamen vacatio fuit consumpta per vnionem factam Vicariæ per bon. mem. Cardinalem Episcopum Vercellen. cuius vnionis vigore Leporatus possessionem accepit. Ideoque stante vnione effectuata dici non potest, quidam Cappella hodie vacet, *Federic. cons. 200. nu. 2. Sarnen. de Triennal. quæst. 8. Rebuff. de vnion. num. 3.*

3 Nec subsistit, quod illa vnio fuerit inualida ex quo Cardinalis illam fecit vigore *Concil. Trid. cap. 7. sess. 7.* Vbi tamen ordinario non conceditur huiusmo di facultas. Placuit enim Dominis responsio quod Cardinalis vigore dicti Concilij visitauit curam, vnionē autem fecit vigore facultatis, tam à Iure à Concilio, erexit enim Vicariam, & eam dotare volit, quod facere potuit per vnionem tam de iure *c. sicut vnire. ne excess. Præl. Card. consil. 47. in princ. Rebuff. in prax. tit. de vnion. nu. 38. & 39.* quam vigore *Conc. sess. 21. capit. 5. & sess. 24. cap. 13.* & adfuit etiam Capituli consensus. Non subsistit etiam quod vnio esset iam consumpta, quia Leporatus esset assequutus alia beneficia ascendentia ad summam Scutorum auri 25. Nā nullo modo habenda est ratio Cappellæ SS. Simonis, & Iudæ circa cuius possessionē per Leporatū testes Belletiæ nihil concludunt, & magis deponunt de possessione Capituli, Dantur enim in eius Summario, num. 4. solūmodo tres testes Primus secundus & quintus. Atq; ex illis, licet primus dicat Leporatum possedisse istā Cappellaniam tamen subdit, *Et questo lo sò, perche d'anno il Capitolo di detta chiesa possedette li beni delle Cappelle di S. Pietro, e di Santi Simone & Guida, & pagò il fitto di esse al Leporato*, Et rursus *Camillo mio fratello sono circa cinque anni che tiene in affitto dal Capitolo di S. Maria Maggiore li beni di detta Cappella de' Santi Simone è Giuda per quali paga quattro Scudi.* Et iste testis est Canonicus ibi *del quale io sono vno.* Secundus autem testis dicit, *sò che la teneua perche tiraua il fitto de' beni d'essa Cappella dalli Signori Canonici*, Demum quintum deponit. *Ma se esso Leporato fosse in possesso di essa Cappella io non sò.* Idemque iuxta quintum Interrogatoriorum ait *Il S. Francesco de' Conti de Cameriano m'ha detto che'l Capitolo la possiede.* Itaque colligitur Leporatum quidem percepisse fructus istius Cappellæ non tamen iure proprio vti fructus Cappellaniæ vnitæ Vicariæ, sed tanquam fructus sibi assignatos per Capitulum ex aliqua causa, vt puta pro illis Scutis quindecim quæ Capitulum soluere tenebatur Vicario vigore prædictæ Vnionis per Cardinalem factæ, & hoc modo intelligenda est quietatio quam facit Leporatus de anno 1589. In qua dum se nominat Cappellanum SS. Simonis & Iudæ, intelligi debet de Cappellano amouibili, & cui Capitulum istam Cappellam deseruiendā assignauerat, applicatis illi etiam fructibus ex causa supradicta. Et quod res ita se habuerit patet ex alijs ipsius Belletiæ testibus, quorum dicta in eius Summario non dantur. Quartus enim qui est conductor bonorum Cappellaniæ deponit se soluere fictū Canonicis & Capitulo, tertius autem qui ante Leporatum fuit Vicarius dicit se de anno 1575. & quatuor annis sequentibus accepisse fictus istius Cappellæ à Canonicis in computum mercedis sibi ab illis assignatæ, Vnde si de eo tempore Capitulum hanc Cappellam possidebat, non potuit postea vacare, quia Capitulum numquam moritur, & per Consequens nec Leporatus eam vnire potuit suæ Vicariæ.

4 Res itaq; reducitur ad Capitulū S. Petri, cuius fructus consistunt in octo saccis grani perficientib. quatuor rubra Romana in circa. Quis autem illius grani valor sit testes varie deponunt, & licet aliqui ex illis qui pro Belletia sunt examinati conentur concludere, quod illa valor ascendit vsque ad Scuta auri 25. tamen ad effectum de quo agitur non satisfaciunt cū omissis exceptionibus quas patiuntur deponunt de tempore penuriæ *Natt. cons. 21. num. 1. Rot. diuers. dec. 165. nu. 2. par. 2.* Et in numero inferiores sint testibus Leporati qui valorem grani ad illam summam non trahunt. Nam ex varijs pretijs de quib. deponunt eligendo mediā summā, vt per *Alex. cons. 64. n. 9. lib. 2. cum alijs per Surd. cons. 452. nu. 68. & 74. Caputaq. dec. 296. p. 3.* etiā secundū supputationē Adalasij periti per Belletiā electi, iste valor erit tantum Scutorū 21. Et per cōsequens non perficiet summam Scut. 25. Non obstat partitæ ex Calmerio siue ex libro mercati loci Moncallerij quia de valore in illo loco non bene arguitur ad valorem in dicta Ciuitate Vercellen.

5 Accedit quod testes non deponunt onerib. deductis, Ideoq; valorem nō probant, *Sarn. super reg. de valor. exprim. q. 12.* & onera, aut regulariter in omni valore æstimando, & an specialiter hoc casu deducēda sunt, cum quantitas Scut. auri 25. assignata Vicario libera esse debeat ab omni onere, *iuxt. dec. Cæs. de Graf. 117.* Et licet in vnione dicatur quod Vicarius onera beneficiorum vnitorū sustinere debeat, tamen id nō potest intelligi de celebratione Missæ die Dominica ad Altare Cappellæ, cū iā sit obligatus illa die Missā celebrare ad Altare Vicariæ. Nec subsistit quod deficientib. quatuor, vel quinque Scutis Leporatus non potuisset in vim vnionis acceptare Cappellā S. Luciæ cuius

cuius fructus iuncti Cappellæ S. Petri longe superant summam Scut. 25. Nam vnio non est limitata ad benefic. quæ adæquant valorem Scut. 25. sed concedit Vicario facultatem accipiendi beneficia quousque Scut. 25. compleuerit, & esset nimium difficile expectare beneficium quod illam quantitatem perficeret, & non excederet. Denique nec valor Cappellæ S. Luciæ, nec valor obtentorum per Belletiam satis videtur iustificatus. Itaque fuit conclusum gratiam non esse iustificatam.

REVERENDISSIMO P. D.

LVGDVNEN.

Oueten. Canonicatus. Veneris 30. Martij. 1607.

ARGVMENTVM.

Subrogatus gratiose non debet immitti in possessionem, etiam probatis requisitis, vbi contradicit possessor cum pari titulo, & plura adducuntur ad effectum considerandi parem titulum, de quibus particulariter in Summario.

SVMMARIVM.

Subrogatus gratiose debet immitti in possessionem probata reseruatione, clericatu, & obitu prædecessoris in possessione. nu. 1.

Fallit quando contradicit possessor cum pari titulo. Tunc enim impeditur immissio, & cessat via exequutiua. nu. 1.

Literæ Apostolicæ habent exequutionem paratam. nu. 2.

Contradictor legitimus ad impediendam immissionem vigore litterarum Apostolicarum, dicitur, qui fuit immissus in possessionem vigore aliarum literarum Apostolicar. nu. 2.

Titulus par non dicitur ad impediendam exequutionem literarum Apostolicarum, titulus conditionalis videlicet literæ in forma dignum. nu. 3.

Fallit quando titulus conditionalis iam fuit purificatus. n. 3.

Puri & purificati idem est iudicium. nu. 3.

Titulus par ad impediendam immissionem vigore literarum Apostolicarum dicitur, qui prouenit ex eodem fonte licet non ex eadem vacatione. nu. 4.

Titulus par & eiusdem speciei ad effectum, vt ordinarie & non exequutiue procedatur dicitur adesse, vbi ambo sunt gratiose subrogati. nu. 4.

Reseruatio ad effectum gratiosæ subrogationis debet esse notoria. nu. 5.

DECISIO CXCVII.

CVm in Ecclesia Oueten. Christophorus de Vergantia obtineret Canonicatum, & præbendam, ac Archidiaconatum, & quandam portionem, Petrus Fernandez obtinuit sibi prouideri per fel. recor. Leonem XI. de Canonicatu, & præbenda prędictis vti vacantibus per incompatibilem, vel alias certo alio modo, & expeditis postea literis in forma dignum, illisq. præsentatis, ac iustificatis coram officiali Oueten. illarum exequutore, Idem exequutor Christophoro interim vita functo processit ad dictam Canonicatus & præbendæ collationem in personam Petri, cui etiã Capitulum Oueten. tradidit possessionem, in qua vsque nunc permansit. Atq. demum expediuit etiam literas subrogationis ad partes vigore Clausulæ etiam cum gratiosa subrogatione, quæ in eius gratia fuerat apposita existente Petro in possessione, & nulla tamẽ facta mentione de illius titulo, vel possessione, Franciscus de Villalua obtinuit sibi prouideri per S.D.N. de iisdem Canonicatu, & præbenda, vti vacantibus per obitum Christophori, atque expediuit etiam ad partes literas gratiosæ subrogationis, quarum vigore cum immissionem peteret, & dubitaretur, an esset illi concedenda, Rota vtraque parte informante censuit denegandam.

1 Licet enim Franciscus probet se Clericum, reseruationem Canonicatus, & obitum Christophori in illius possessione, & propterea sibi debeatur immissio ex reg. firmata in causa Burgen. de Pancouio 24. Octobris 1588. coram Gipsio, & in causa Miranden. Parochialis. 13. Martij 1600. coram R.P.D. meo Decano & alias sæpe. Tamen illa regula fallit, quando, vt hoc casu contradicit possessori cum pari titulo, Tunc enim impeditur immissio, & cessat via exequutiua. *Bart. in l. fin. num. 21. C. de edict. Diui Adr. tollen. Ibique Dec. num. 40. & 41. Zuccard. nu. 43. & 374. Mohed. dec. 13. vt lit. pend. Put. dec. 302. & 316. lib. 1. Menoch. adipiscen. remed. 4. num. 565.*

2 Quemadmodum enim Petro competeret vigore literarum Apostolicarum via exequutiua ad petendam immissionem, si illam nondum esset consequutus. *Cassad. decis. 4. num. 3. in fin. vt lit. pend. Abb. in cap. constitutis. num. 14. de appellat.* Ita postquam immissus est, debet censeri legitimus contradictor ad impediendum Frãcisci immissionem. Late *Zuccard. in d. leg. fin. num. 134. Rolan. cons. 78. num. 23. lib. 3. Facit dec. Caputaq. 346. num. 4. part. secunda.*

3 Non obstat, quod Petrus habeat literas in forma dignum, sicq. titulum conditionatum, & imparem iuxta *d. dec. Caputaq. 346. par. 2.* Quia cum de tempore impetrationis Francisci Petrus fuisset, vt dictum est, etiam immissus in possessionem ab exequutore literarum Apostolicarum præuio examine, & approbatione, gratia non potest amplius considerari, vt conditionalis, quia puri, & purificati idem est iudicium. *leg. sed etsi de sua. circa finem. ff. de acquiren. hæred. Ias. in l. quoties. nu. 3. ff. de verb. oblig. Surd. dec. 113. num. 6. & in his terminis Moder. de attent. par. 2. cap. 4. in præfat. nu. 358. allegat dec. coram Binarino.*

4 Non obstat, quod vterq. titulus non sit eiusdem speciei, nec veniat ex eadẽ vacatione, quia satis est, quod vterq. proueniat ab eodem fonte. *Put. dec. 302. lib. 1.* Et fuit resolutum in causa Lucana Maiusculatus. 7. Iunij 1585. & 1. Iulij eiusdem anni, coram bo. me. Brauo, vbi fuit dictum, satis esse, quod concurrant ambo prouisi à Papa, licet ex diuerso vacationis modo, & quando vterq. prout hoc casu est gratiose subrogatus, dicitur adesse par titulus, & eiusdem speciei ad effectum, vt non exequutiue, sed ordinarie procedendum sit, vt fuit resolutum in causa Vrgellen. Archidiaconatus. 15. Iunij 1592. coram R.P. D. meo Decano, & coram eodẽ in causa Eluen. Beneficij 15. Nouembris 1602. Et in causa Montis Falisci Cappellanie. 30. Ianuarij 1606. coram. R. P. D. meo Lancellotto.

5 His accedit, quod cum reseruatio ad effectum obtinendæ immissionis debeat esse patens, vt fuit dictum in causa Neapolitana Rectoriæ 13. Februarij 1590. coram Illustrissimo Pamphilio, & in causa Sanctæ Agathæ Gothorum, coram R.P.D. Ludouisio, ista qua nititur Franciscus non potest dici absolute talis cum adsit Petrus possidens & allegans contrarium titulum legitimum, & iustificatum, quippe, si per incompatibilem, vel alias Christophorus cecidit à iure quod habuerat in Canonicatu, & præbenda, illudque Petro quæsitum fuit in vita Christophori non poterit subsistere reseruatio per obitum Christophori in Curia, & ex his.

REV.mo P. D. COCCINO

DECANO.

Oueten. Mercedis. Lunæ 2. Aprilis 1607.

ARGVMENTVM.

Procurator quando post litem contestatam possit reuocari,& reuocatus quando possit litem retinere,donec fuerit satisfactus de salario, aut expensis, & generaliter constitutus ad omnes causas reuocatus quo ad vnam,an censeatur reuocatus quo ad alias.

SVMMARIVM.

Procurator etiam post litem contestatam potest reuocari ex causa, & iusta reuocandi Procuratorem erit causa superuenientiæ litis cum Procuratore,num.1.& 2. vbi amplius quid sufficit notitia prætensionum ipsius Procuratoris.

Procurator non potest retinere litem pro salario, pro expensis autem per ipsum factis sic.nu.3. Vbi tamen quod offerendo salarij solutionem,non potest Procurator litem retinere.

Procurator generalis ad omnes causas constitutus reuocatus quo ad vnam,non censetur reuocatus quo ad alias. Declara, vt nu. 4.

DECISIO CXCVIII.

1 DOmini perstiterunt in resolutis, quod D. Iacobo post reuocationem non sit debitum salarium, quia etiam quod litem fuisset contestatus, tamen ex causa potuit reuocari. *cap.2.de procur. in 6.* In præsenti autem casu satis interuenit iusta causa, ex quo Iacobus mouit litem Capitulo super salario,petendo maiorem summam, quam promissam, & alia petendo, quæ præbuerunt iustam causam reuocandi, vt dicitur in alia decisione.

2 Neque facit, quod mandatum de reuocando fuit datum 8. Nouembris, quo tempore Capitulum non potuit habere notitiam de lite mota per Iacobum, cũ obtinuerit monitorium die 12.Octobris,quia sufficit quod tunc Capitulum potuit habere aliquam notitiam prætensionum Iacobi, prout ex multis apparet habuisse,vnde saltem secuto effectu, hæc potest dici iusta causa reuocationis,*ex trad. per Innocen.in cap. cum nobis. nu. 2. de elect.*

3 Neque etiam facit, quod Iacobus protestatus fuit, non admitti reuocationem,nisi sibi fuerit satisfactum de expensis, & salario, quo casu lis ab eo non erat transferenda pendente lite super expensis,ex alleg. in alia dec. quia hæc obiectio tollitur ex responsione data in eadem decisione, scilicet, quod pro salario non datur retentio litis,& sic processuum, & instrumentorum, licet secus sit pro expensis, & in omnem euentum Iacobus non fuit prosecutus iudicium, super retentione causæ,sed alius constitutus procurator comparuit,& causam agitauit,sed prosecutus fuit iudicium iam intentatum super salario sibi promisso, & distributionibus & postmodum coram me cępit prętendere salarium post reuocationem. Vnde cum Capitulum habuerit iustam causam reuocandi, sibi imputet Iacobus si non fuit prosecutus iudicium super retentione causæ,donec de expensis, & salario sibi satisfieret, & hæc eo magis procedunt, quia si fuisset prosecutus iudicium erat cautum Capitulo,quod poterat se liberare, offerendo separatum soluere. *leg. nisi dominus. ff. de procuraror.*

4 Minus facit, quod Iacobus erat substitutus ad omnes causas, & cum fuerit reuocatus quo ad causam cum Vergantia, in alijs non censetur reuocatus. *Rota dec.18.& 22.de procur. in nou.* quia tunc non aderat alia causa Capituli, & cum causa reuocationis esset generalis,& non specialis,quo ad causam Vergantiæ,præsumitur reuocatus, quo ad alias causas futuras ex causa,quæ superuenit,quæ si ab initio ad fuisset, Capitulum illum procuratorem non constituisset. *Alciat.de præsumpt.lib.2.præsumpt.36. ante fin.* & hæc absq. difficultate procedunt, cum non constet,Iacobum se amplius ingessisse in causis Capituli,nec aliquid fecisse,licet appareat,eum fuisse citatum.

R. P. D. MANZANEDO.

Seguntina dimidiæ Annatæ. Lunæ 7. Maij. 1607.

ARGVMENTVM.

Indultum Ecclesiæ Seguntinæ circa medias annatas beneficiorum Diœcesis & Ciuitatis Seguntinæ non cõprehendit beneficia annexa dignitatibus Cathedralis quicquid sit in Cappellanis existentibus in eadem Cathedrali, habentibus suam dotem peculiarem extra Ecclesiam. Item ex quibus dignoscatur beneficium in aliqua Ecclesia consistere.

SVMMARIVM.

Indultum Leonis X.concedens Ecclesiæ Seguntinæ dimidiam annatam fructuum Ciuitatis, & Diœcesis Seguntinæ non comprehendit beneficia annexa dignitatibus Ecclesiæ Cathedralis. nu.1.& nu.7. Vbi secus in Cappellanis existentibus intra Ecclesiam Cathedralem habentibus suam dotem peculiarem extra Ecclesiam.

Interpretatio ea semper est admittenda, per quam sit reditus ad ius commune, nu. 2.

Interpretatio per quam receditur a iure communi dicitur odiosa, nu. 2.

Beneficia annexa dignitatibus Cathedralium dicuntur in Ecclesia Cathedrali consistere. nu. 3.

Beneficia vt cognoscantur in qua Ecclesia consistant, debet attendi Ecclesia vbi præbendatus inseruit,& in qua nomen recipit,& vbi habet habitationem. nu. 3.& nu. 4.

Denominatio quando quis deseruire tenetur in duobus locis, assumitur ab illo loco, in quo trahit moram, & in quo magis moratur. nu. 3.

Beneficij consistentia non desumitur à dote,quæ tanquam accessoria sequitur naturam,& consistentiam beneficij. nu. 4.

Beneficium vnitum conuertitur in naturam eius,cui fit vnio & amittit nomen antiquum & efficitur prædium illius,& de eius mensa, nu. 5.

Possessionis Ecclesiæ principalis adeptio suffragatur ad adeptionem possessionis annexorum, nu. 6.

DECISIO CXCIX.

LAtis duabus sententijs in partibus per Ordinariũ Seguntinen.& Nuncium Apostolicum ad fauorẽ Capituli Seguntinen. & contra Dominum Abbatem Sanctæ Columbæ, quibus illum condemnarunt ad solutionem dimidiæ annatæ de fructibus beneficiorum prædictæ Abbatiæ annexorum, & appellatione interposita ad Sanctissimum, & per illum mihi causa commissa,Dubitaui An prædictæ sententiæ de partibus essent confirmandæ,vel infirmandæ, cuius dubij resolutio duplicem habet inspectionem,altera est an indultum Leonis X. concedens Capitulo, & fabricæ dimidiam annatam fructuum beneficiorum ciuitatis, & Diœcesis Seguntinen. non tamen in maiori Ecclesia prædicta consistentium comprehendat beneficia prædictæ Abbatiæ annexa, & Domini censuere illa non comprehendere, & per consequens ex dicto priuilegio Abbatem non teneri ad solutionem prædictæ dimidiæ annatæ.

1 Primo quia huiusmodi indultum non minus fuit concessum ad fauorem dignitatum,quam Canonicorũ,quod satis desumitur ex causa in indulto expressa, ad mouendũ Pontificem ad prædictam concessionem nempe vt personę quæ Canonicatus & præbendas ac dignitates & alia beneficia Ecclesiastica obtinerent, frequentius solito residerẽt. Et ex eo ibi diximus cultus

tus cum eiusdem maioris Ecclesiæ decore votiuum susciperet incrementum. Vnde eodem modo, quo in concessionem comprehenduntur dignitates comprehendi etiam debent in exceptione ibi, non tamen in maiori Ecclesia prædicta consistentium, cum non sit admittendum, quod Papa voluerit beneficium ad fauorem dignitatum concessum in illarum præiudicium retorquere, nec quod dignitates sibimetipsis de suis annexis dimidiam annatam soluerent.

2 Quæ interpretatio eo magis est admittenda, quatenus per illam reditur ad ius commune, ex quo est fauorabilis. *Dec. cons. 3. num. 5. Aym. consil. 135. num. 38. Sarnen. in reg. de Iur. quæsit. non tollen. quæst. 16. num. 2.* Per contrariam autem interpretationem recederetur à iure communi, & sic esset odiosa. *leg. ius singulare, & leg. quod vero contra. ff. de legib. cap. 1. & 2. de fil. presbyt. in 6.*

3 Vlterius quia illa verba non tamen in maiori Ecclesia prædicta consistentium amplectuntur beneficia prædictis dignitatibus Abbatiæ annexa, cum illa dicantur in maiori Ecclesia consistere. Ad cognoscendum enim in qua Ecclesia beneficia consistant debet attendi Ecclesia, vbi prebendatus inseruiuit, in qua nomen recipit, & vbi habet habitationē, vt notauit *dec. 8. num. 2. de præb. in antiq.* & quando quis deseruire tenetur in duobus locis ab illo assumit denominationem, in quo trahit moram, & in quo magis moratur *l. seruus, de leg. 3.*

4 Tum etiam ad eundem effectum est attendendum, an præbendatus habeat celebrare in Cathedrali, & horis diuinis interesse, iuxta *decis. 9. vers.* Et videtur attendendum de præben. in antiq. *Per text. in leg. cum quidam. de fund. instruct.* quæ decisio ad cognoscendū vbi beneficium consistere dicatur ponderat destinationem beneficij, & Ecclesiam vbi quotidie præbendatus deseruire, & distributiones recipere tenetur, & qualitatem destinationis moræ, & seruitij, & vbi dignius, & frequentius officium exercetur, per text. *in c. ad Apostolicæ, de decim. & text. in leg. eius qui. ff. ad municip.* & quod non debet attendi locus beneficij situs extra Ecclesiam, quæ omnia *in d. decis. 9.* ponderata concurrunt in nostro casu, in quo Abbas habitare tenetur, & residere in Ciuitate, & Ecclesia Seguntina ibique moræ & seruitij destinationem habet, diuinisque horis interesse tenetur, digniusq; officium Abbatiæ exercere, quin & frequentius. Vnde non mirum si prædicta beneficia isti dignitati annexa in Cathedrali consistere dicantur, quamuis locus beneficiorum sit situs extra dictam Cathedralem, ex supradictis. Nec ad hoc est attendendum, dotem beneficij sitam esse extra Cathedralem, cum ratio consistentiæ beneficij non desumatur à dote, quæ tanquam accessoria sequitur naturam, & consistentiam benaficij. *Oldrad. cons. 257. num. 15. & 18. Nauar. infra allegandus.*

5 Vlterius, quia huiusmodi beneficia sunt vnita, & annexa isti Abbatiæ, vt Capitulum fatetur in suo libello; & in prædictis sententijs de partibus expresse dicitur, sed sic est, quod beneficium vnitum conuertitur in naturam eius, cui fit vnio, & amittit nomen antiquum, *Rota, decis. 11. num. 1. de reb. eccles. in antiq. Oldrad. vbi supra num. 15. & 19. Anch. in c. accessorium, num. 2. de reg. iur. in 6. Cassad. decis. 13. num. 1. super reg. Gomez. in reg. de infirm. q. 15. num. 1.* Et sic ista beneficia Abbatiæ vnita fuerunt conuersa in naturam ipsius Abbatiæ, & prout illa consistit in Cathedrali, etiam beneficia illi vnita consistere dicuntur, & ex eo fit, quod dicta beneficia sic vnita dignitati, & Abbatiæ dicantur prędia illius, & fiant de eadem mensa, *Rota in nou. decis. 2. de exces. prælat. Verall. decision. 349. num. 1. part. 3. Gambar. de legat. libr. 5. de potest. legat. in Vnien. numer. 139.*

6 Et hinc est quod ista beneficia vnita dignitatibus in tantum dicantur in Cathedrali consistere, vt ad illorum possessionem assequendam sufficiat apprehēsio possessionis, dignitatis, & Abbatiæ in Cathedrali absq; eo quod apprehēdatur de singulis annexis. *Anch. in reg. beneficium, ante num. 12. & in reg. sine possessione. n. 10. in fin. de reg. iur. in 6. Natt. cons. 562. nu. 3. lib. 3. Ferret. cons. 14. num. 4. & 5. lib. 1. & cons. 236. nu. 10. lib. 2. Couar. var. lib. 3. c. 16. nu. 13. Rot. diuers. 19. num. 7. & 8. cum seq. par. 2.* Vnde pro ista parte consuluit *Nauar. cons. 6. de verbo signif. iuxta Roman. impress.* qui videtur istum casum in terminis decidere.

7 Nec obstat decisio illa Seguntina dimidiæ annatæ 26. Nouembr. 1593. coram bon. mem. Orano vbi fuit dictum, quod Cappellanię existentes intra Ecclesiam Cathedralem habentes tamen dotem peculiarem extra ecclesiam continebantur in indulto, & quod illius exceptio intelligitur de beneficijs habentibus suam dotem super mensa eiusdem Ecclesiæ, quia ex supradictis facilis est responsio, cum beneficia huic Abbatiæ vnita, & annexa consistere dicantur in Cathedrali, vbi dignior titulus Abbatiæ consistit, cui sunt vnita, & sint prædia illius, & de eadem mensa, quæ omnia cessant in Cappellanijs, de quibus in illa decisione quæ etiam illo potissimo fundamento nititur, in obseruantia nempe 40. annorum & vltra. Et in illo casu per testes concludenter probata, quę tamen obseruantia in nostro casu respicit secundam huius dubij inspectionem, de qua particulariter Domini videndum dixere.

DECISIO CC.

Aquen. Irregularitatis. Lunæ 14. Maij 1607.

Impressa Apud. Caualerio.

DECISIO PRIMA.

REVERENDISSIMO P. DOMINO LVGDVNEN.

Meliten. Beneficij, Mercurij, 6. Iunij 1607.

ARGVMENTVM.

Arbitrium non intrat ad reuocandam executionem iam factam, sed solum ad illam suspendendam. Item an clausula non tamen à nobis metipsis, excludat prouisiones Pontificum antecessorum.

SVMMARIVM.

Exequutio suspenditur, non autem reuocatur ex clausula arbitrio, num. 1.
Procurator specialis magis quam generalis citari debet. nu. 2.
Procurator generalis ordinis non est legitimus procurator pro singulis monasterijs. num. 2. Vbi quod fallit in procuratore Societatis Iesu.
Exequutor ante expletum sibi munus iniunctum non potest dici functus officio suo, nu. 3.
Attentata non resultant ex facto procuratoris, non habentis mandatum, nu. 4.
Mandatum non intelligitur datum ad delictum, nu. 4.
Vnio de beneficio reseruato nulla est, nu. 5.
Clausula non tamen à nobismetipsis prouisis excludit prouisiones Pontificum antecessorum, uu. 6. & nu. 7. Vbi quod secus vbi adsunt solum verba, non tamen à nobis prouisis.
Verba nobismetipsis sunt personalissima, num. 7.

DECISIO CCI.

1 CVm Breuis exequutio iam perfecta sit, visum fuit non esse locum arbitrio, quod datum intelligitur ad exequutionem suspendendam, quatenus facta non sit, non autem ad illam retractandam, postquam est consummata, vt fuit dictum in causa Eluen. Beneficij 30. Octobris 1602. coram R. P. D. Ludouisio. Et alias sæpe.

2 Idque tanto magis hoc casu dicendum est, quia exequutio rite, & recte facta fuisse videtur. Neque obstare, quæ in contrarium allegantur, & primum quod fuerit processum per contradictas, nec citatus Reuerendus Pater Generalis Venerabilis Societatis Iesu. Fuit enim responsum quod fuit citatus Rector Collegij Meliten. de cuius interesse agebatur, qui quidem propterea vti Procurator specialis magis erat citandus, quam generalis, vt fuit dictum in causa Calaguritana Beneficij 16. Maij 1601. coram R. P. D. Lancellotto. Qui Rector postquam comparere neglexit, bene fuit dictum, quod Procurator Generalis ordinis non est legitimus Procurator pro singulis collegijs, seu domibus, *iuxta dub. Fastol. 23. Felyn. in c. cum te. n. 14. vers. per istam differentiam. de rescript.* Et licet id fallere dicatur in procuratore dictæ societatis, propter amplissimas illius facultates: tamen illæ non erant notæ Ioanni, & aliud est, quod procurator Generalis potuerit comparere si voluisset, & petere ne quid fieret nisi ipso citato. Aliud autem quod Ioannes vltro, & citra talem comparitionem teneretur scire facultates ipsius, illumque citare.

3 Non obstat, quod ad declaratoriam non poterit procedi per Auditorem Cameræ, cum vigore Monitorij eiusdem Procurator Ioannis iam accepisset possessionem, quia circa hoc si aliquid esset reuocandum, agendum foret, non ex clausula arbitrio Rotæ, vt fuit dictum in supradicta Eluen. Deinde cum Monitorium resolutum fuisset in citationem, ex quo possessio beneficij erat plena, & occupata per Rectorem, non potest dici, quod A.C. esset functus suo officio, cum iniunctum sibi munus immittendi Ioannem in possessionem non explicuisset, *Petro. consi. 14. num. 1. Et seq. lib. 1.* Et licet Procurator Ioannis accepisset possessionem, tamen cum ea nulla esset, & nullius momenti, recte ipse Ioannes Procuratoris sui factum improbans illam de nouo petijt. Et rite A. C. ad declaratoriam processit, vt Ioannes sui Breuis effectum, & beneficij possessionem legitime consequeretur.

4 Nec agi debet de attentatis, quia cum ille procurator non haberet mandatum ad possessionem, eo modo capiendam, ex pacto illius non resultant attentata, quo ad Ioannem. *Caputaq. decis. 184. part. 2.* Et mandatum nunquam datum intelligitur ad delictum. *gl. in c. dilecto.* Ibique notat *Imol. num. 21. de præben. Bart. Ias. & alij communiter in l. si procurator. C. de cond. indeb. Curt. iun. consi. 49. in fine.*

5 Non obstat, quod gratia Ioannis fuerit inualida, non facta mentione de vnione. Nam retorquetur, quod potius vnio non fuerit nulla, tanquam facta de beneficio reseruato, quia Episcopus Sidonien. per cuius obitum vacauit, fuerat Apostolica legatione functus, vt in terminis resoluit Sacra Congregatio Illustrissimorum. Conc. Interpretum cuius interpretatione innititur decis. Auersana, Beneficij. 31. Iunij 1606. coram R.P.D. Sacrato.

6 Et licet dicatur vnionem fuisse authoritate Apostolica confirmatam, & beneficium de nouo vnitum, quatenus opus esset. Tamen omissis alijs, sufficit quo ad præsentem inspectionem clausulæ Breuis limitatiua, ibi. Non tamen à nobismetipsis prouisis, quæ excludit prouisiones antecessorum. S.D.N. vt dicit Rota coram Reuerendissimo Pacen. in causa Salamantina Pensionis de Duennas. 11. Ianuarij 1596.

7 Nec obstat decisio in causa Aquilana, Canonicatus coram Illustrissimo Blanchetto, cuius copia data fuit, quia ibi aderat tantum clausula non tamen à nobis prouisis. Illa enim verba, à nobismetipsis, sunt personalissima, *l. 1. §. adipiscimur. Vbi Aret. in princ. ff. de acquir. possess. Bal. consi. 304. lib. 5. Natt. consil. 163. num. 8.* Atque ex his fuit conclusum, non esse locum arbitrio.

REVERENDISS. P. DOMINO LVGDVNEN.

Nullius Beneficij de Guglielmo. Mercurij. 13. Iunij 1607.

ARGVMENTVM.

In habilis dici non potest, qui fuit præsentatus à maiori parte patronorum, ex quo alius præsentatus à minori parte sit habilior.

SVMMARIVM.

Præsentatus à maiori parte patronorum præferri debet præsentato à minori parte, maxime si est proximior in gradu, de genere, & linea fundatoris, & loci originarius. num. 1.

Inhabilis ille non est ad ius patronatus, qui est clericus, incumbit studijs, & est adolescens optimæ spei. num. 2. & sequent.

DECISIO CCII.

1 PRo Donato Antonio informante, videlicet illum esse præferendum Balthasari in beneficio simplici, de quo agitur. Fuit enim à maiori patronorum parte præsentatus. *Glos. in c. quoniam. de iure patronatus. in vers. qui maioribus. Lamber. de iure patronat. in 3. part. lib. 2. quæst. 4. artic. 1. num. 1. & sequentibus.* Et est proximior in gradu, ac de genere, & linea fundatoris, & loci originarius.

2 Non obstat, quod in sententia Archipresbyteri dicatur inhabilis. Nam cum sit clericus, & testes deponant, quod est adolescens bonæ spei, & quod incumbit studijs, non potest absolute dici inhabilis, nec quo ad effectum de quo agitur refert, quod Balthasar sit illo habilior, *vt per gloss. & Lamberteng. vbi supra.*

3 Et in omnem euentum poterit de eius habilitate videri per nouum examen, si erit opus. Et hoc dixerunt Domini quatenus sicuti iam constat, Caram, Angelum, Antonium, Dominicum, & Ioann. Andream, esse vere patronos. Ita idem in processu probetur circa alios, qui Donatum Antonium vna cum supradictis præsentarunt.

REVERENDISSIMO P. DOM. MANZANEDO.

Carpentoraten. Fideicommissi. Mercurij 13. Iunij 1607.

ARGVMENTVM.

Feminæ an censeantur vocatæ ad fideicommissum factum fauore agnationis, & an saltem censeantur vocatæ in defectum masculorum.

SVMMARIVM.

Fideicommissum ad certos gradus restrictum, illis deficientibus expirat, & possunt bona illius ab vltimo vocato alienari. num.1.

Feminæ censentur à fideicommisso exclusæ, quando testator discretiue inter filios, & filias disposuit, filios vniuersaliter instituendo, feminas vero in certa quantitate instituendo. num.2.

Fideicommissum absolutum censentur inductum ad fauorem agnationis, etiam in casum mortis, ex prohibitione alienationis, facta cum expressione causæ finalis, quia vult bona conseruari in agnatione num.3. Vbi maxime si prohibitio alienationis est vestita absque dicta causa.

Prohibitio alienationis censetur vestita ex vocatione successorum non alienantium ad partem contrauenientis, & alienantis. num.3.

Feminæ non censentur in fideicommissis vocatæ, quando testator voluit bona sua in agnatione conseruari. num.4.

Agnatio per feminas non conseruatur, sed in ipsis finitur, etiam si sint agnatæ. num.4.

Lineæ masculinæ appellatione feminæ non veniunt. num.5.

Lineæ masculinæ vocatione, vt quis veniat, duo requiruntur, quod vocatus descendat ex masculis, & quod sit masculus. num.5. Vbi maxime, si concurrat ratio conseruandæ agnationis.

Agens vigore fideicommissi repellitur exceptione, quod fideicommissum de ipso non loquatur. num.6.

Femina in fideicommisso facto fauore agnationis succedunt deficientibus masculis. num.7.

Declara id procedere, quoties masculi, & feminæ discretiue non vocantur, aut quoties testator non mouetur ratione conseruandæ agnationis, & quod contrarium sit verum, & communiter obseruari solitum. num.8.

Feminæ etiamsi nupserint in alienas familias dicuntur de agnatione. num.7.

Feminæ stante fideicommisso causa conseruandi bona in agnatione dum viuunt, conseruant bona in agnatione, & post illarum vitam exclusis ipsarum filijs tanquam cognatis admittuntur agnati proximiores si ad sunt. num. 8.

Contrarium. num.8.

DECISIO CCIII.

1 Lata sententia per Auditorem Vicelegati Auenion. ad fauorem DD.Margaritæ, & Annæ illas declaran. immittendas in possessionem fideicommissi relicti per Guilielmum ex eo, quod fuisset apertum ad fauorem dictarum feminarum, & ab ista sententia pro parte Dominorum Ludouici, & Thome de Renoardis, appellatione interposita ad Sanctissimum, & ab illo causa mihi commissa, dubitaui, an prædicta sententia veniret confirmanda, velinfirmanda, Dominique pro illius infirmatione responderunt illo potissimo fundamento, quod ad huiusmodi fideicommissum nullatenus feminæ, sed tantum masculi fuerint vocati, & quod illorum linea omnino defecerit in Francisco filio Stephani, & nepote testatoris. Vnde intrat regula, quod fideicommissum ad certas personas, lineas, seu gradus coarctatum, illis deficientibus expirat, & potuerunt libere bona illius ab vltimo vocato alienari, cum non superſit alius, qui ex fideicommisso ad illud vocatus sit, & qui bona sic alienata iure reuocare possit, iuxta *tex. in l.cum pater.§.libertis.& l.qui solidum.§.penult.vbi gl.Bart.& Doct.ff.de l.2.& per text. in auth. de rest.fideicom. vers.nos igitur. vbi Bar.not.Dec. consi.182. in princip. Natt.cons.191.470. num.3.& 551. num.17.& seq.Gabr.consi.132. num.61.& seq.Peregr. de fideicom. art.72. num.2.*

2 Quod autem ad istud fideicommissum non feminę, sed tantum masculi fuerint vocati, & ad illos illorumque lineam tantum fuerit coarctatum, ex verbis eiusdem satis desumi valet. Nam testator primo loco mandauit bona ista per Vxorem suam sibi vniuersalem hæredem institutam restitui Dominis Stephano, & Francisco filijs suis legitimis, & naturalibus, & illi, qui tunc superesset, & liberis prædefuncti, si masculos reliquisset, si vero filias relinquere contigisset iure institutionis cuilibet earum legauit 1000. Floren. & inferius in prohibitione alienationis facta ratione conseruandi bona in agnatione, in substitutionibus descendentium, ibi factis, illos grauat de dando eorum filiabus 1000. florenos, ex quibus verbis constat testatorem descretiue inter filios, & filias disposuisse illos ad vniuersalem suam hæreditatem vocando, illa vero in quantitate certa instituendo, quo casu indistincte à tali fideicommisso feminæ censentur exclusæ, vt tradit *Bal.in l. in multis.ff.de statu homin.& Ias.in l.si quis id, quod. num. 13.ff. de iurisd.omn. iud.& in l.cohæredi.§.qui discretas.num.8 ff.de vulgar. Socin.sen.cons.63. num.15. lib.3. Gab.de verb.signif. conclus.6. num.57. Menoch. de præsumpt. lib.4. præsumpt. 94. num.9. & consi.215. num.70. lib.3. Molin. de primog Hispan.lib.3.c.5. num. 55. Pereg.art. 25. num. 45.* dicens, quod vbique Interpretes ita tradunt communiter.

3 Supradicta confirmantur ex prohibitione alienationis à testatore facta cum expressione causę finalis, nempe quia volebat in agnatione sua omnia conseruare, ex quibus verbis huiusmodi fideicommissum absolutum, & purum ad fauorem agnationis etiam in casum mortis desumitur præcipue cum prædicta causa, quia vult in agnatione sua omnia conseruare, non fuerit apposita ad vestiendam prohibitionem alienationis, cum illa vestita censeatur ex vocatione successorum, non alienantium ad partem contrauenientis, & alienantis, ad tradita per DD.communiter *in l.filiusfamilias.§.Diui.de leg.1. & à Pereg.vbi supra.art.14. num. 3. per tex. in l. pater.§. quindecim. de leg.3.* quo casu prædicta clausula, quia vult, &c. censetur apposita ad inducendum fideicommissum simplex, & absolutum etiam in casum mortis, & ad ostensionem causæ finalis mouentis animum testatoris, ad tale fideicommissum pereptuum constituendum, & ad prohibitionem alienationis faciendam, tanquam necessariam ad fideicommissi perpetuitatem. iuxta doctrinam *Aret. in l. qui Romæ. §. cohæredes, & ibi Socin. num.18.ff.de verbo.oblig. Ias.in dicto §.Diui. in prima lectura nu.113. Curt.Iun.consi.22.num.20.lib.1. & consi.161.num.9.lib.2.Cephal. consi.153. num.54. Illustrissimus Mant.de coniect. vltim.volunt. lib.6. tit.14.num.24. vers.aut vero procedit.* qui hanc dicit communem, & alios refert de communi, & magis communi testantes, quam sententiam fere omnium calculo approbatam dicit *Surd.cons.67.n.38. lib.1. qui eandem sequitur cons.443. num.18. circa finem & num.seq. lib.3.*

4 Et stante prædicta ratione, & causa finali, nempe quia vult in agnatione sua omnia conseruare, etiam si verba substitutionum, & vocationum alias essent apta comprehendere masculos, & feminas, nihilominus feminæ non venirent comprehensæ, stante expressa voluntate testatoris, volentis bona in agnatione sua conseruare. *Socin. sen.d.cons.63. num.14 circa fin. Gabr.de verb.signific.concl.6. à num.54. Menoch. vbi supra, præsumpt.84.num.8. Pereg.d. art.25. num.4. vers. idem cum dixisset. Molin.plures referens vbi supra, d. cap.5. num.38.* Ratio est quia per ipsas feminas agnatio non conseruatur, quin in ipsis finitur. *l. pronunciatio. §. fin. ff. de verb.signi.§.ceterum.§.media.instit.de legi.agnat.succes.* quę procedunt, quamuis tales feminæ fuerint agnatæ, vt trad. *Ioan.de Anan.consi.4.dub.2. & Dec.in rub.C.vnde legit.in fin.& in l.2. num.95.ff. de reg. iur. Crauetta.cons.306. num.5. Cephal. cons.511. num.27. lib.4. Illustrissimus Mant. vbi supra.lib.9.tit.12. nu.8. vers.& quod dispositio.Honded. consil.75. num.17.lib.1.* & nimirum cum feminæ successio re-

sio repugnet conseruationi agnationis, vt trad. *Mol. d. c.5. num.1.& 2. per text. in l.iurisconsultus. in princip.ff. de grad.l.aduersus.C.de crim.expilat. hæred.l.quicumque.C. de re milit. lib.10.*

5 Vlterius, quia vltra prædictam agnationis conseruationem à testatore expresse desideratam addit, quodam semper ista bona ad proximiorem de genere sine vlla detractione deueniant, taliter, quod vbi defecerit linea masculina alterius dictorum Stephani, & Francisci, vel suorum descendentium bona deueniant ad lineam masculinam alterius suorum descendentium, & paulo inferius, quatenus aliquis ex prædictis Stephano, & Francisco aliquid alienasset, voluit testator, quod in continenti dominium, & possessio transirent in non alienantem, & quod non possent mutuę alienationi consentire, quod si fecissent, disposuit testator, quod bona transirent ad proximiores suos descendentes per lineam masculinam, sed hic est, quod sub vocatione lineæ masculinæ, feminæ non includuntur, cum ad hoc, quod quis includatur duo simul requiruntur, quod vocatus descendat ex masculis, & quod sit masculus, vt tenet *Gozzad. consi.87.num.15. & Alciat, in l.Gallus.§.nunc de lege. num.10.ff.de lib.& posth. Mantic. vbi supra.lib.8. tit.11. num.9. versic.1.est. Menoch. consi.205.per tot. & præcipue. num.2. & 27. lib.3. Cel. Vgo, consi.120. num.4. Pereg. qui plures refert, vbi supra art.26. num.29. versic.circa vero, & num.seq.* quæ maxime procedunt, vbi concurrit ratio conseruandæ agnationis; prout in nostro casu, vt tradunt *Doct. supra citati, & Molin.d.cap.5. num.69.*

6 Prædicta confirmantur ex verbis eiusdem testatoris disponentis, quod si filiæ decederent sine liberis, vel earum descendentes in futurum, dicti mille floreni illi titulo institutionis à masculis præstandi reuerterentur semper sine aliqua detractione ad agnatos suos, ad quos tunc pertineret hæreditas, & deuenissent bona testatoris vbi nomine agnatorum suorum non veniunt feminæ, sed tantum masculi ex supradictis, & infra dicendis, ex quibus satis clare constat, huiusmodi fideicommissum non loqui de Margarita, & Anna, quæ exceptio repellit ipsas agentes vigore fideicommissi, cum fundantes se in illa, teneatur concludenter illud probare. *Corn.consi.161. num.8. lib.2. Gabr.consi.111. num.16. lib.1.* qui alios adducit.

7 Quibus non obstat, quod ad fideicommissum veniant feminæ deficientibus masculis, *ex Socin.sen.consi. 227. numer.6. lib.2. & Socin.iun. consi.94. numer.10.lib.1. & Ruin.consi.140.num.4.& consi.154. num.3. lib.2. Paris.consi. 93.num.16.lib.3. Gabr.consil.132. num.54. lib.1. Pereg.d.art. 25.num.47. vers.vel saltem. Pedroc.consi.12. num.34.& seq. & consi.40.num.345.cum seq.& Molin. vbi supra.cap.4.num. 10.& seq.* Nam feminæ agnatæ, etsi nupserunt in aliena familia dicuntur de agnatione. *l. voluntas. vbi Bal. nu.2.C.de fideicommiss. Socin.sen.d.consi.227.numer.5. Card. Zabar.consi.91.num.2.& seq. Dec. consi.287.num.12.* Quæ dum viuunt, conseruant bona in agnatione. *Paris. consi.47. num.61.68. & 104. lib.3. Ias. consi.142. num.24. & 25. lib.2.* & post illarum vitam exclusis ipsarum filijs siue masculis, siue feminis tanquam cognatis, possent agnati proximiores, si reperirentur, admitti, prout dixit *Albert.Brun.de stat.exclud.femin.prop.mascul. art.6.memb.2. q.3.*

8 Quia respondetur prædicta procedere, & feminas deficientibus masculis admitti ad fideicommissum, quoties masculi, & feminę prout supra dicitur, discretiue non vocantur, aut quoties testator non mouetur ratione conseruandæ agnationies, vt not. Menoch. Pereg. Molin. & alij supra relati. In prædictis namq. casibus nullatenus feminæ admissæ cēsentur, etiamsi vocationes, & substitutiones fuerint factæ per verba quamtumcunque collectiua, & apta comprehendere masculos & feminas. Nec *Molin.in d.c.4.num.10.* tenet contrarium, cum potius in vers. quod etiam teneat, quod quando fuit considerata agnationis conseruatio, feminæ non veniunt vocatæ etiam deficientibus masculis, & hoc verum, atque communiter obseruari solitum affirmat, & pro ista sententia in *dicto c.5. num. 38.* adducit quamplures *Doct. vltra supra relatos*, nec facit quod in contrarium ponderabatur, quod durante vita feminę agnat durabat conseruatio bonorū in agnatione, & illa defuncta possent proximiores agnati, qui reperirentur succedere, quia respondetur cum eodem *Molin. in d. cap.5. num.69.* quod verisimilius videtur, testatorem noluisse admitti ad ipsum fideicommissum pro conseruatione agnationis institutum personam, per quam agnatio in posterum supprimenda esset, & quæ finis agnationis futura esset, & cuius descendentes à talis fideicommissi successione excluderentur, quo casu deficientibus masculis dicendum est, tam ex testatoris voluntate feminas non admittente, quam ex iuris dispositione bona apud vltimum masculum fideicommissi possessorem libera remansisse, ipsumque de illis tanquam de liberis disponere potuisse, ex supra adductis.

ILLVSTRISSIMO D. CARD. LANCELLOTTO.

Vlixbonen. Iuris conferendi. Mercurij 13. Iunij 1607.

ARGVMENTVM.

Plura adducuntur ad probandum Ecclesiam esse de mensa monasterij, de quibus sigillatim in Summario.

SVMMARIVM.

Ecclesia dicitur de mensa monasterij quando est ædificata in monasterij Dominio. num.1.

Ecclesia dicitur de mensa monasterij quando monasterium percipit decimas ad non Ecclesiam spectantes. num.1.

Ecclesia dicitur de mensa monasterij, si monasterium præsentat Vicarios. num.1.

Cura Ecclesiæ parochialis, quæ est de mensa monasterij residere dicitur penes Abbatem, qui Vicarios præsentat. numero 1.

Ecclesia parochialis vbi habet magnum populum, potest in illius succursum alia Ecclesia ædificari. num.2.

Ecclesia ex pluribus signis dignoscitur, quod sit de mensa monasterij. num. 2. & 3. Vbi distinguitur, quæ sint signa æquiuoca.

Mentio Ecclesiæ dicitur fieri per mentionem Abbatis, qui caput est Ecclesiæ. num.4.

Ecclesia ædificata in dominio monasterij, vbi concurrunt plura signa, non solum dicitur de iure patronatus monasterij, sed etiam subiecta rei, vt præsentationes fiant etiam ratione subietionis. num.5.

Vicarius & Rector sunt synonyma, & vnum pro alio vsurpatur. num.6.

Institutio quæ fit per Episcopum in Ecclesiis, quæ sunt de mensa monasterij, non est propria institutio, sed authorizabilis institutio. nu. 6.

Monachi de iure communi subiecti sunt Episcopo. num.7.

Status Ecclesiæ sine licentia Episcopi mutari non potest. num.7.

Cura animarum est interdicta monachis. num.8.

Dic procedere in monachis particularibus, & quando monasterium non habet populum, secus alias, quia de iure, aut saltem consuetudine à iure approbata non est prohibitum. num.8.

DE-

DECISIO CCIV.

1 Ecclesias de Pederneria de Otta, de Cooz de Alborninha, & Aliubarrota spectare ad monasterium de Alcobatia, ac inde non esse locum concursui, Domini resoluerunt ex eisdem fundamentis, quibus respectu Ecclesiæ Beatæ Mariæ idem decisum fuerat coram bon.mem. Litta die 2. Decemb. 1605. & die 21. Aprilis 1606. & postea coram me die 7. Februarij huius anni, quarum decisionum rationes, fere omnes applicantur Ecclesijs, de quibus agitur, cum constat, quod ante illarum constructionem monasterium erat Dominus totius territorij, & Cauti de Alcobatia, in quo Ecclesia monasterij fuerat ædificata post territorium miraculose precibus S. Bernardi è manibus Maurorum recuperatum, vt patet ex Chronica Diui Bernardi, & ex donatione Alphonsi Primi Regis Portugalliæ eidem S.Bernardo facta anno 1161. postmodum ab Innocent. III. confirmata, quam Ecclesiam monasterialem fuisse Parochialem totius Territorij, fuit resolutum in decisione D. Littæ, sub die 21. Aprilis 1606. Hinc monasterium percepit semper omnes decimas, fructus, & redditus totius Cauti, & Territorij, vt patet ex concordia anni 1335. ex testibus, & ex sententia Regis, & alijs in prima decisione bon. mem. Littæ ponderatis. Constat etiam alias Ecclesias in prædicto Territorio fuisse à monasterio ædificatas, vt ex eadem concordia anni 1335. & respectu Ecclesiarum, de quibus agitur adest licentia Episcopi concessa Abbati, & Conuentui de anno 1236. Rursus respectu Ecclesiæ de Pederneria, concurrit, quod in concessione ad opus infirmariæ de illa facta ab Episcopo anno 1247. fuit ordinatum, quod in illa præsentari deberet ab Abbate Vicarius cum assignatione congruæ ex prouentibus eiusdem Ecclesiæ ad illius Prælatum spectantibus, & sic apparet, quod in dicta Ecclesia aderat Prælatus, scilicet Abbas, qui decimas percipiebat, & ad quem curam animarum consequenter spectabat, & cum anno 1335. Abbas congruam Vicario istius Ecclesiæ assignasset, vocauit illum Vicarium Ecclesiæ nostræ, & in prouisione vnius portionis istius Ecclesiæ de anno 1518. ne dum dicit Ecclesiam suam, sed etiam vocat se eiusdem Ecclesiæ Priorem, ex quibus apparet, quod dominium, & cura penes ipsum Abbatem existebat. Præterea quo ad quatuor Ecclesias, ex supradicta licentia illas ædificandi cum facultate præsentandi Episcopo Vicarios, qui curam gererent animarum cum assignatione congruæ, & cum hoc quod deducta tertia Pontificali, residuum in vtilitatem monasterij conuertatur, resultat necessario, quod cum de eo tempore adessent Populi, & cum alia Ecclesia non adesset à qua Sacramenta subministrari possent, omnino ad ipsum Monasterium accedere debebant, ex qua licentia iuncta concordia anni 1335. vlterius colligitur, quod cura principaliter penes Abbatem residebat cum Vicarijs ad illius tantum exercitium deputari deberent, quod etiam comprobatur, quia reseruatur Abbati præsentatio Vicariorum, nec non residuum decimarum, & fructuum deducta tertia Pontificali. His ita stantibus, cum post Ecclesiarum ædificationem earundem, Vicarij fuerint ad præsentationem Abbatis, & Monasterij instituti, cum Monasterium perpetuo perceperit decimas totius Territorij, cum congruam Vicarijs ab eo præsentatis soluerit, cum onera tam ratione visitationis, quam pro reparatione Ecclesiarum, quam denique alia omnia sustinuerit, sequitur, quod huiusmodi Ecclesiæ ad ipsum Monasterium spectare, & de illius mensa esse dicantur, Tum ratione dominij, *vt per gl. & Doct. in c. de monachis. de præb. & facit decisio 15. de iur. pat. in antiq.* Tum ratione perceptionis decimarum, quæ de iure debentur Ecclesiæ Parochiali. *c. cum contingat. de decim. vt ex Card. in clem. 1. num. 10. q. 9. de offic. Vica.* & alias bene deductum fuit in prima decis. bon. mem. Littæ, Tum ratione præsentationis Vicariorum, ex quo cura principalis penes Abbatem residere dignoscitur. *Vital. in clem. 1. num. 7. de offi. Vic.* & quod Ecclesia non est de per se stans, sed de mensa monasterij, vt in *c. 1. de cappell. monac. lib. 6. Felin. in cap. ex parte. el 2. num. 1. & seq. de rescrip.*

2 Tum quia cum in toto Territorio non adessent Ecclesiæ Parochiales, cura omnino penes aliam Ecclesiam monasterialem residere debebat, ita vt Ecclesiæ postmodum ædificatę in illius Monasterij succursum constructæ dicantur. cap. ad audientiam el 1. cum ibi notat. de Ecclesijs ædificandis. Tum denique quia ex omnibus simul iunctis, nempe dominio Territorij, perceptione decimarum, præsentatione Vicariorum, solutione congruę, sustentatione onerum, & alijs negari non potest, quin resultent sufficientia signa, & argumenta, quod Ecclesiæ sint de mensa monasterij, & ad illud spectent, *glos. in clem. vnica, in verbo ad mensam,* quam ibi omnes sequuntur. *Imol. num. 16. Vitali. num. 82. de excess. prælat. late Rebuff. de cong. num. 114. & seq.* ad hunc namque effectum similia signa sufficere trad. *Felin. cons. 2. num. 22. & 25.* & fuit resolutum in causa Pampilonen. de Stella 14. Decembris 1598. coram Illustrissimo Cardinali Seraphino, & in hac causa 2. Decembris 1605. coram bon. mem. Litta. & 7. Februarij 1607. coram me.

3 Non obstant ea, quæ in contrarium adducuntur, nam quod dicitur solam perceptionem decimarum esse signum æquiuocum, & quod solutio congruæ, & aliorum onerum procedant ratione perceptionis decimarum, de quibus est soluenda congrua Vicarijs, vt in causa Aquilana Vicariatus coram Illustrissimo Cardinali Seraphino, cessat, quia vltra perceptionem decimarum concurrunt multa alia ponderata, nempe quod Abbas præsentauit Vicarios, quod Ecclesiæ ædificatæ sunt in Territorio, cuius est dominus Monasterium, quod Ecclesia monasterialis est Parochialis, & ante omnes alias ædificata. Ex quibus iuncta perceptione decimarum satis probatur Ecclesias esse de mensa Monasterij, vt per *gl. in d. clem. vnic. Card. & alios alleg.*

4 Nec obstat, quod non probetur Monasterium de Alcobatia fuisse ante istas Ecclesias ædificatum, quia cum Episcopus concesserit Abbati, & conuentui licentiam ædificandi istas Ecclesias & illæ fuerint a monasterio constructæ necessario dicendum est, quod ante illarum constructionem aderat ipsa Ecclesia Monasterialis, & licet in scripturis antiquis non reperiatur in specie, quod fiat mentio de Ecclesia de Alcobatia, tamen cum fiat mentio de Abbate, satis fit mentio de ipsa Ecclesia Parochiali, de Alcobatia, & matrice, cuius caput est Abbas. Prout non obstat, quod ante Ecclesiam de Alcobatia adessent aliæ Parochiales in eodem territorio, cum tempore recuperationis territorij a Mauris, adessent oppida, & Monasterium fuerit in loco inhabitato ædificatum, tum quia existentia Populorum non concludit ad existentiam Parochialium, & Ecclesiarum, quas Mauri non colebant, vt fuit dictum die 7. Febr. huius anni coram me. Tum quia ex licentia ædificandi istas Ecclesias concessa ab Abbate per 60. annos post donationem, apparet, quod ante aderat Monasterium Abbas, & Ecclesia de Alcobatia, tum quia penominatio Territorij de Alcobatia ostendit, quod quatenus aliquod oppidum adfuisset illud erat de Alcobatia, maxime quia in donatione facta a Rege statim post recuperationem a Mauris fit mentio de quibusdam contradis, nihil autem dicitur de oppidis, quæ verisimiliter fuissent expressa, si adfuissent.

5 Nec releuat, quod etiam si Monasterium fuisset dominus territorij, nihilominus per ædificationem Eccle-

Ecclesiarum nihil aliud acquisiuerit, quam ius patronatus, quia concurrentibus tot signis subiectionem Ecclesiarum denotantibus, Monasterium non dicitur habere solum ius patronatus, sed Ecclesiæ ad illud vti dominum spectant, nec præsentationes fiunt ratione simplicis iuris patronatus, sed ratione subiectionis, & annexionis, *Card. in clem. 1. §. 1. in princ. de iur. patr.* & fuit resolutum in causa Vrgellen. Parochialis 13. Nouembris 1603. coram Illustrissimo Pamphilio, & in hac causa coram bon. mem. Litta.

6 Quæ autem deducuntur ex institutione anni 1262. ad Ecclesiam de Cooz, in qua Dominicus ab Abbate præsentatus, fuit ab Episcopo in Rectorem institutus, cum præcepto, quod Parochiali illi vti Rectori obedientiam præstent, & iura Ecclesiæ persoluant; nihil etiam obstant cum Vicarius, & Rector sint synonyma, & Vicarius aliquando Rector nominetur, & è contra, *glos. in clem. 1. §. nonnulli in verb. Rectoribus, & ibi Vitali. num. 35. de excess. prælat. glos. in cap. 1. in verb. subiectæ, de verb. signif. lib. 6.* & in similibus terminis fuit decisum in allegata causa Vrgellen. coram Illustrissimo Pamphilio, & fuit dictum in hac causa coram bon. mem. Litta, & licet Episcopus instituerit, tamen hec non est proprie institutio, sed est authorizabilis institutio, quæ in Ecclesijs de mensa Monasterij spectat ad Episcopum. *c. 1. & ibi glos. in verbo præsentetur, & ibi omnes de Cappell. Monac. lib. 6.* & late decisum fuit in dicta causa Vrgellen. quod comprobatur, ex quo idem Dominicus ante dictam institutionem Episcopi, fuit de eodem tempore ab Abbate constitutus in Vicarium suæ Ecclesiæ de Cooz, cum assignatione Congruæ, & sic apparet, quodam deputabatur solum in Vicarium cum Congrua, & quod Abbas erat Rector Ecclesiæ, quæ per institutionem ab Episcopo factam non alterantur, & cum his concurrit status primæuus, & obseruantia circa deputationem in Vicarium.

7 Quatenus etiam allegatur concesso facta Monasterio ab Episcopo de Ecclesia de Pederneria ad vsum infirmarię, cum hoc quod à Monasterio præsentetur Vicarius, qui curam animarum gereret, quę concessio superflua fuisset, si Ecclesia pleno iure ad Monasterium spectasset; similiter tollitur, quia, cum cessantibus exemptionibus Monachi de iure communi subiecti sint Episcopo, non poterant propria auctoritate Ecclesiam iam erectam ad vsum infirmariæ venire, & quod cum ageretur de mutatione status Ecclesiæ, id sine Episcopi licentia fieri non poterat, iuxta notat. in c. cum de beneficio. & ibi *Franc. num. 6. de præb. lib. 6.* immo ex ipsa concessione apparet, quod Ecclesia erat de mensa Monasterij, cum in ea ordinetur, quod presentetur Vicarius per Abbatem cum Cōgrua, & residuo pro Monasterio, ex supra deductis. Confirmatio autem Innocentij, quæ ad illam se refert nihil alterat, & ius patronatus intelligitur eo modo, quo dictum est, scilicet, quod Ecclesia sit de mensa, & subiecta monasterio *ex decis. in causa Vrgellen. & Cardin. & alijs alleg.* Quod vero infertur ex conuentione facta anno 1409. inter Abbatem, & Episcopum, quod construeretur noua Cappella, in qua per Vicarium de Aliubarrota Cappellanus ad nutum amouibilis poneretur, & quod idem in alijs Cappellis de nouo ædificandis seruaretur; nihil facit. Tum quia nedum non constat de effectuatione istius conuentionis, quinimo apparet de contrario, ex quo post ædificationem dictæ Cappellæ, Vicarius fuit positus ad præsentationem Abbatis, tum quia cum in dicta Ecclesia adesset Vicarius perpetuus in Cappella de nouo construenda, non spectabat ad ipsum ponere Cappellanum amouibilem, & ideo quia Episcopus solus hanc licentiam dare non potuit, fuit deuentum ad conuentionem cum Abbate, tum quia cum in dicta conuentione consenserit Abbas, qui potuit circa huiusmodi actum sibi præiudicare, non propterea sequitur, quod Episcopus fecerit dictum ordinem propria auctoritate, nec quod Abbas non esset dominus, aut penes ipsum non esset cura dictæ Ecclesiæ, immo contrarium probatur ex consensu ipsius, qui pro faciliori Sacramentorum exercitio permisit, quod in dicta Cappella Vicarius de Aliubarrota deputaret Cappellanum, non autem sibi circa dominium Ecclesiæ, & curam animarum præiudicauit.

Quod etiam infertur ex allegata licentia ædificandi quatuor Ecclesias, de quibus agitur cum reseruatione iuris præsentandi ipsi Monasterio, quasi quod cum ante illarum ædificationem nulla adesset parochia, non potest dici, quod Ecclesiæ ædificarentur intra limites Monasterij, pariter cessat, quia vt sæpe dictum fuit, si in locis, in quibus Ecclesię erant ædificandæ, aderant populi, necessario debebant esse sub aliqua Parochia, nempe sub Parochiali de Alcobatia, cuius erat Rector Abbas intra cuius territorij limites existebant populi, & reseruatio procurationis verificatur, etiam in Ecclesijs de mensa, & in succursum ædificatis, sicut reseruatio limitandi Parochias ostendit, quod prius vna tantum erat Parochia, scilicet Monasterij, id quod etiam declarat limitatio subsequuta, quando de ordine Episcopi, de consensu tamen Abbatis Territorium in certas parochias diuiditur, quæ diuisio, & limitatio ab Episcopo facta de consensu Abbatis non tollit, quin Ecclesiæ essent de mensa Monasterij, cum etiam Cappellæ de mensa habeant suum Territorium diuisum, & separatum ab alijs.

Quod deducitur ex quadam donatione Regis Portugalliæ anno 1317. de quadam Ecclesia de Turribus veteribus ad ostendendum in prima Regis donatione Territorij fuisse comprehensum ius decimandi cum facultate de Ecclesijs disponendi, non concludit. Nam omisso, quod dicitur Ecclesiam prædictam esse extra Territorium de Alcobatia in ea nulla fit mentio iuris decimandi, & illa fuit facta longe post donationem Territorij, quam non comprehendere decimas, sed esse restrictam ad iura regalia, & sic temporalia apparet ex eius lectura, immo de contrario constat ex concordia cum Episcopo inita, vt late decisum fuit dies 21. Aprilis 1606. coram bon. mem. Litta, & consideratum fuit coram me die 7. Februarij huius anni.

8 Quæ denique dicuntur de resistentia iuris contra Monasterium, cum Ecclesiæ presumantur liberę, non autem subiectæ, & quod Monachis sit interdicta cura animarum, procedunt in dubio, secus vero quando de contrario constat, prout etiam Rota respondit in allegata Vrgellen. coram Illustrissimo Pamphilio, & quicquid sit in Monachis particularibus, & quando Monasterium non habet populos, in quibus terminis procedit *text. in c. placuit. 16. quæst. 1.* vt notat ibi *glos. in verb. placuit, de iure non est prohibitum Monasterio habere curam animarum*, aut saltem de consuetudine à iure approbata, *vt in c. 1. de Cappell. Monachor. clem. ne in agro. §. ceterum. de stat. Monachorum. Abb. in dicto capitulo 1. num. 1. & 6. de Cappell. Monachor. & ita conclusum, &c.*

REVERENDISSIMO P. D. LVGDVNEN.

Tirasonen. Decimarum. Lunæ 25. Iunij 1607.

ARGVMENTVM.

Habes in Summario.

SVMMARIVM.

Quasi possessio generalis exigendi decimas sufficit non data quasi possessione speciali. num. 1.
Possessio metitur ex parte possidentis, non autem ex parte eius contra quem possidetur. num. 2.
Possessor pendente lite manuteneri debet. num. 3.

DECISIO CCV.

1 VNa tantum parte informante, fuit conclusum, dandum esse mandatum de manutenendo Decano & Capitulo Tirasonen. super exactione Decimarum, ex prædijs emptis per Collegium Rerurendorum Patrum Societatis Iesu. Constat enim ex testium depositionibus de dictis Decani, & Capituli quasi possessione exigendi Decimas, non solum vniuersali in toto Territorio Tirasonen. intra quod hæc bona existunt, quod sufficeret alio non docente de particulari quasi possessione *Abba. consl. 54. numer. 3. lib. 1. & consil. 71. num. 3. lib. 2. Rot. decis. 2. numer. 3. de præscr. in nouis. Rebuff. de decim. quæstio. 9. num. 3. & 4. Menoch. retinen. remed. 3. num. 135.* Et fuit dictum in causa Valentina Decimarum Lunæ 20 Februarij 1598. coram bon. mem. Peregrino, & contra eosdem Patres Societatis Iesu in alia Valentina Decimarum Veneris 23. Octobris eiusdem anni coram Illustriss. Domino Seraphino.

2 Verum etiam ex ijsdem testibus constat in specie de quasi possessione exigendi ex prædijs ipsismet, de quibus agitur, dum possidebantur ab authoribus collegij, quod satis est ad obtinendam manutentionem contra Collegium, quia metimur possessionem ex parte possidentis, non autem ex parte eius, contra quem possidetur. *Guido Papæ, decis. 629. Tut. decis. 151. libro 3.*

3 Non obstant priuilegia, quæ dicuntur Societat. concessa super exemptione à solutione Decimarum. Nam donec de illorum releuantia videatur, Decanus, & Capitulum sunt in sua possessione manutenendi. *Couar. variar. resol. lib. 1. cap. 16. num. 10.* Fuit dictum in dicta Valentina coram Peregrino. Et in Carthaginen. Decimarum 27. Iunij 1590. coram bon. mem. Gipsio. Et in Elboren. Decimarum prima Decembris 1606. coram R. P. D. meo Decano.

REVERENDISS. P. DOMINO LVGDVNEN.

Ceneten. Parochialis. Lunæ 25. Iunij 1607.

ARGVMENTVM.

Accessus, & regressus sunt incompatibilia, & habent locum, siue beneficium ad quod datur accessus, seu regressus, vacet in mense ordinario, siue in mense Apostolico. Item allegatio Lapi non procedit in possessione spoliatiua. Item ordinarius non potest prouidere, vbi appellando fecit se partem contra prouisum Apostolicum nisi tamen ab appellatione recesserit, & plura alia, de quibus in Summario.

SVMMARIVM.

Regressus non potest competere resignanti beneficium, cuius possessionem nunquam habuit, nec super resignatione ad sui fauorem facta literas expediuit. num. 1. versic. & tanto magis.
Regressus, & accessus simul stare non possunt. num. 1.
Consensus resignantis de stylo Cancellariæ solet adnotari à tergo literarum resignationis.
Literæ Apostolicæ præsumuntur expeditæ de mandato illius cuius interest num. 3.
Successor ex possessione longi temporis excusatur à iustificatione tituli prædecessoris. num. 3.
Allegatio Lapi non habet locum in possessione spoliatiua. num. 3.
Ordinarius non potest prouidere de beneficio, post quam ipse appellationem interposuit, & fecit se partem aduersus prouisum Apostolicum. num. 4. Vbi declara.
Fallit si re integra ab appellatione recessit. num. 5.
Paria sunt non appellare, vel appellationem non prosequi. num. 5.
Literis Ordinarij in præiudicium prouisi Apostolici non creditur. num. 6.
Beneficium vigore regressus seu accessus alicui debitum debetur siue beneficium vacauerit in mense Apostolico, siue ordinarij. num. 7.
Possessio instrumentalis alio existente in possessione non suffragatur. num. 8.
Possessio tertij potest allegari ad excludendam possessionem alterius. num. 8.
Consanguineus non præsumitur ignorare defuncti valetudinem. num. 9.
Fraudis ac doli suspicio cessat in his, quæ palam, & publice fiunt. num. 10.
Fraus non præsumitur in eo, cui nullum commodum ex actu resultat. num. 11.
Sepultus certo die præsumitur potius obijsse die præcedenti, quam per duos dies ante. num. 12.

DECISIO CCVI.

1 DOmini steterunt in decisis die 4. Decembr. proxime præteriti, ex rationibus in Decisione deductis, & dixerunt non obstare, quæ pro Iacobo de Leuatis hodie fuerunt deducta. Dum enim primo loco dicitur, etiam si iuxta Decretum S. D. N. non fuisset Oderico reseruatus regressus, sed duntaxat accessus, adhuc Parochialem de qua agitur non vacasse per obitum Ioannis, quia Ioanni nullum fuerat ius quæsitum ex resignatione Odorici facta non libere, sed conditionaliter, vt sibi liceret habere liberum regressum, & non alias aliter, nec alio modo, sicuti legitur in quodam mandato, cuius copia data fuit in Summario Iacobi, *num. 2.* Fuit responsum dictum mandatum non continere simpliciter regressum, accessum, & ingressum. Ideoque cum regressus, & accessus simul stare non possint, ista verba resolui in alternatiuam, & disiunctiua, ita vt sufficiat alterum ex illis fuisse impletum. Et tanto magis, quia secundum dictum decretum S. D. N. non poterat Odorico competere regressus, quia is beneficij, quod sibi ab alio resignatum ipse alijs resignabat, nec possessionem habuerat vnquam, nec super resignatione ad sui fauorem facta literas expediuerat, ad *decis. Caputaq. 213. part. 2.* sed quicquid sit de dicto mandato, cui in actis non exhibito nulla fides debetur. Vnum quod supplicatio alternatiue fuit concepta super regressu, seu accessu, & consensus per Ioannem præstitus habet clausulam & alias iuxta formam supplicationis.

2 Et denique literæ fuerunt expeditæ super accessu, & ingressu, illisque literis vsus fuit Odoricus faciendo illas intimare Ordinario Ceneten. vsque de anno 1579. atque in vim illarum Curator eiusdem Odorici possessionem istius Parochialis accepit sequuta morte Ioannis. Et vltra quod à tergo dictarum literarum accessus expeditarum 1. Aprilis 1560. constat de consensu Odorici, iuxta stylum Cancellariæ, de quo *Paris. de resign. lib. 10. quæst. 3. num. 10.* Notum est etiam, quod cum expeditio literarũ fiat multis expensis, semper præsumitur facta de mandato il-

lius,cuius intereſt, *Sarncn.in reg.de trienn, q. 38. num. 2. Caſſad. dec. 4. de Procur, Pariſ. de reſign.lib,10.quæſtio,8, num. 54.*

3 His accedit, quod cum Ioannes per annos amplius 40. ſicque per longiſſimum tempus poſſederit hanc Parochialem,locus eſt receptiſſimæ Lapi allegationi, qua ſucceſſor excuſatur à iuſtificatione tituli ſui anteceſſoris.Hæc facit,quod dicta allegatio non habeat locum in poſſeſſione ſpoliatiua, quia ſtante quod Odoricus nunquam habuerat poſſeſſionem, vt dictum eſt,ſequitur quod nec etiam illa ſpoliari potuit.

4 Ad id vero,quod ſecundo loco dicebatur, Ordinarium Ceneten. non potuiſſe deuenire ad prouiſionē iſtius Parochialis, poſtquam ipſe appellationem interpoſuerat, & fecerat ſe partem aduerſus Odoricum,iuxta tradita per *Felin.in cap,licet Hely. num, 9. de Simon.& Franc,in cap,ordinarij, num.5, verſic.quod limita primo.de offic,ordin,in 6.* Fuit reſponſum quod Ordinarius non fecit ſe partem, quia coram ſuperiore non comparuit pro excludendo iure Odorici, vt requirit idem *Felin. in d. num. 9. verſ. dicitur autem conſtituere ſe aduerſarium.*

5 Et licet à principio appellauiſſet à regreſſu prætenſo per Odoricum, tamen cum pro parte Odorici literæ prouiſionis illius regreſſus,ſeu acceſſus productæ non fuiſſent Epiſcopus re integra receſſit à ſua appellatione,quod ſibi licuit. *Rota dec,22,num, 1. de re iudic. in nouis.* Præſertim cum dicta appellatio, nec fuiſſet interpoſita coram aliquo ſuperiore, nec Apoſtoli petiti fuiſſent, nec cauſa fuiſſet commiſſa, nec appellator in illa proſequenda aliquo modo grauatus,ita vt paria fuerint non appellare, vel appellationem non proſequi. *Rot.deciſ,1.num.2. de appellat,in nou, Modern.de attent.appell.penden,par,2.cap.12, ampl,1. num, 10. circa med.* Nec occaſione talis appellationis debuit Epiſcopus Parochialem relinquere diutius Paſtore deſtitutam.

6 Denique quod poſtremo loco apponebatur literas Ordinarij indigere iuſtificatione quo ad narratiuam vacationis in menſe Decembris,quandoquidem Ordinarii literis in præiudicium Prouiſi Apoſtolici non creditur. *Rota deciſione 1. de probat. in nou, Creſcen, deciſione 13. eodem titul. Felin. in capitul. ſicut. numer. 26, de re iudic.* Fuit reſponſum non conſtare de tali præiudicio.

7 Nam quo ad Odoricum, cum is veniret vigore regreſſus, ſeu acceſſus nihil eius interfuit, ordinario menſe, an Apoſtolico iſta Parochialis vacuerit. Quo vero ad Iacobum minus preiudicum conſiderari poteſt, quia illi non fuit prouiſum de iſta Parochiali vti vacante per obitum in menſe reſeruato, ſed per reſignationem, idque poſt tres annos à die prouiſionis per Ordinarium factæ ad fauorem Ioann. Baptiſtæ, Nec obſtat,quod Iacobus dicatur eſſe reus, & poſſeſſor. Nam hodie agitur de adiudicatione beneficii,in quo,& ad quod nihil iuris competit Iacobo, quando quidem in illum Odoricus reſignando non potuit plus iuris transferre, quam ipſe haberet, ipſe autem nullum ius habebat, vt decreuit S. D. N, quia etiam nec conſtat de prouiſione facta Iacobo in vim dictæ reſignationis.

8 Nec vero inſtrumentum captę poſſeſſionis illi ſuffragari poteſt,quia talis poſſeſſio inſtrumentalis Odorico exiſtente in poſſeſſione,non eſt habenda in conſideratione, & non eſt dubium, quin ad probandum non poſſeſſionem Iacobi Io. Baptiſta dare poſſit, de Odorici poſſeſſione, vt fuit dictum in cauſa Romana Saluiani Interdicti, ſeu partis domus, de anno 1605. coram R.P.D.meo Sacrato. Vltra quod dicta poſſeſſio Iacobi fuit nulla,& attentata,ita vt iam Rota cenſuerit apponendum in iſta Parochiali ſequeſtrum.

9 Atque prædicta eo magis placebant Dominis,quia hoc caſu multa adminicula concurrunt,quę magnam annectunt fidem narratiuæ Ordinarii, illudque in primis,quod Odorici curator proteſtatus non eſſe locum concurſui ſtante regreſſu,nihil tamen oppoſuit de vacatione in menſe reſeruato. Nec in dicto Curatore hoc caſu poteſt præſumi ignorantia, quia cum eſſet conſanguineus Ioannis veriſimile non videtur, quod ſanguine coniunctus defuncti valetudinem ignoraret,vt ait *tex.in l, octaui. ff. vnde cogna, Facit. l.de tutela.C.de in integr.reſtitut.minor, not. Bart. in l. qui duos. nu. 12. ff.de reb. dub,*

10 Secundo concurrit, quod fuit factus concurſus,& in illis, quæ palam fiunt, ceſſat ſuſpicio fraudis, vel doli, *leg, non intelligitur. ff. de iure Fiſci. leg. 2. & ibi Bartol. C. de curſu, publ. lib, 12, Oldrad. conſil, 39. in princip. Late Marſil. conſil, 128, num.* 24 Et hoc caſu tanto magis, quia ſi Beneficium vacaſſet in menſe Nouembris Epiſcopus conferendo amiſiſſet beneficium alternatiuę.

11 Tertio quia in Parochialibus Epiſcopus habet electionem perſonæ ſiue vacent in menſibus, ſiue in reſeruatis. Vnde cum nullum ex tali narratiua conſequenter commodum, immo damnum, præſumendum eſt potius pro non fraude. *Aym. qui alios allegat conſ, 75. num. 17. Socin, conſ. 297. verſ. ad inſtantiam autem fratrum lib. 2.*

12 Quarto iſta prouiſio non fuit per Epiſcopum facta ad fauorem alicuius conſanguinei,vel familiaris,neq; ad excluſionem alicuius prouiſi Apoſtolici, vt dictū eſt. Ideoque ceſſat conſideratio facta in dicta *dec.1.de probat. in nou.* Demum Parochus fecit fidem, quod Ioannes fuit ſepultus 2. menſis Decembris, quod eſt magnum indicium illum obiiſſe die dicti menſis,non autem die vltima Nouembris, & ſic per duos dies, & duas noctes ante. & ex his, &c.

REVERENDISSIMO P. DOMINO LVGDVNEN.

Taruiſina Iuris patronatus, 27. Iunij 1607.

ARGVMENTVM.

Ius patronatus quando fundatum eſt cum conditione, vt eligatur ſacerdos pro celebranda Miſſa, requirit præſentationem ſacerdotis actu, nec ſufficit, quod poſſit eſſe ſacerdos.

SVMMARIVM.

Qualitas iuncto verbo intelligenda eſt ſecundum tempus verbi, nu. 3.

Ius patronatus in quo fundator mandauit eligi ſacerdotem pro Miſſa celebranda, requirit vt Præſentatus ſit ſacerdos. nu, 3.

Præſentandi quaſi poſſeſſio in iure pattonatus,an & quando acquiſitus cenſetur à duobus patronis inſimul præſentantibus, nu. 5. & ſeqq.

Ius patronatus ſine conſenſu Epiſcopi acquiri non poteſt. nu, ſeptimo.

DECISIO CCVII.

1 VAcante Cappellania, ſeu manſionaria in Eccleſia B. Mariæ,ſeu SS. Viti,& Modeſti de Spineta per obitum Petri Riccii, R. P. Abbas Monaſterii S. Helenæ Venetiarum Congregationis Montis Olìueti vti Patronus præſentauit ad illam Bartholomæum ab Horte Clericum, ſed in ſacerdotio minime conſtitutum. Maſſarii vero, ſeu Adminiſtratores fabricæ eiuſdem Eccleſiæ, vti etiam Patroni, præſentarunt ad eandem, Cappellaniam Michael em Mundum ſacerdotem, Orta inter præſentatos controuer-

trouersia Ordinarius Taruisinus pronunciauit ad fauorem Michaelis, sed hanc sententiam Vicarius Patauinus reuocauit, cum vice versa Michael appellasset, causa in Rota commissa, & dubio proposito, vtraque parte informante, fuit resolutum, Vicarij Pataini sententiam esse infirmandam, Taruisini vero confirmandam.

2 Cum enim per instrumentum authenticum testamenti fundatricis Cappellæ, de qua agitur, constet de titulo iuris patronatus Massariorum, bene pronunciauit Vicarius Taruisinus præsentatum ab illis esse instituendum; maxime cum ili vti sacerdoti, faueret mens, & voluntas fundatricis. Verba enim testamenti conditi de Anno 1570. sunt. Item volo, poni debere vnum Sacerdotem bonæ conditionis, & famæ, qui habere debeat intuitus, & redditus dictæ possessionis, qui omni die celebrari debeat Missam in Ecclesia Sanctorum Viti, & Modesti de Spineta pro anima mea, qui Sacerdos de tempore in tempus, prout fuerit necesse pro dicta Missa celebranda eligatur, & eligi debeat per Dominum Plebanum, siue Rectorem dictæ Ecclesiæ Sancti Viti de Spineta, & per Massarios eiusdem Ecclesiæ Sancti Viti de Spineta, qui pro tempore erunt, etsi casu esset, quod Dominus Plebanus, siue Rector prædictus nollet, vel non posset, aut non curaret eligere dictum Sacerdotem, qui celebret d. Missam, vt supra, tunc per Massarios dictæ Ecclesiæ de Spineta, qui pro tempore erunt, eligatur dictus Sacerdos.

3 Siquidem cum illa verba, eligatur Sacerdos pro Missa celebranda, respiciant ipsam præsentationem, non sufficit, quod præsentatus sit Sacerdos habitu: sed debet esse actu, iuxta regu. quod qualitas iuncta verbo intelligitur secundum tempus verbi. *Abbas in cap. cum in cunctis. §. inferiora sub num. 10. & Dec. num. 12. de elect. Paris. consil. 50. numer. 17. & sequen. lib. 4. bene Barbat. consil. 33. num. 2. dubio 8. lib 2. Lambert. de iure patronat. lib. 2. part. 1. quæst. 7. art. 27. per tot. & præcipue. num. 8. Dec. cons. 127. sub num. 5.* & ita declarauit Rota in vna Romana Cappellaniæ Mercurij 9. Martij 1586. coram Illustrissimo Cardinale Pamphilio, in qua aliæ decisiones allegantur.

4 Vnde cum Abbati Santi Helenæ, cuius monasterio asseritur vnita dicta Ecclesia S. Mariæ, seu SS. Viti, & Modesti, licet hoc negent Informantes pro præsentato à Massarijs non posset aliud ius competere, quam illud, quod habebat ille Plebanus eo ipso, quod Abbas non Sacerdotem, Massarij vero Sacerdotem præsentarunt, sententia Vicarij Taruisini ex lege fundatricis atque hinc constat de iniustitia sententię Vicarij Pataini, ex quo illam Taruisini iustam sententiam infirmandam esse pronunciauit.

5 Nec obstat prætensa per Abbatem quasi possessio præsentandi, & allegatus vltimus status quasi Petrus Riccius per eius obitum Cappellania vacauit, vt dictum est, fuerit à solo Abbate præsentatus, etenim cum ex iudicialibus Abbatis confessionibus, & ex multis iuribus productis per præsentatum à Massarijs constet etiam de Massariorum quasi possessione præsentandi, & deputationibus simul ab ipsis, simul cum Abbate factis, vltra quod illa per solum Abbatem vltimo loco facta præsentatio non posset præiudicare Massarijs, de quorum scientia, & patientia non constat. *Abb. in cap. cum Ecclesia. sub num. 25. ibique Rip. numer. 64. Federic. de Senis. numer. 61. lib. 3. Put decis. 28. num. 4. lib. 2.* & quorum quasi possessio foret præseruata per illam Abbatis Compatroni præsentationem. *Abb. consil. 54. num. 3. lib. 1. Calder. consil. 13. de iur. pat. Verall. decis. 292. part. 2.*

6 Adhuc ex facto tollitur omnis difficultas, cum per instrumentum, & per positiones partis aduersæ constet; quod de Anno 1585. cum Cappellania vacaret per obitum Gasparis Seueroli prædictus Petrus Riccius fuit præsentatus per Abbatem, & Massarios, quod si forte post hanc simultaneam præsentationem Abbas solum iterum præsentauit eundem Petrum, certissimum est, quod si propterea nullam possessionem priuatiue, quo ad Massarios quæsiuit.

7 Non obstat quod Massarij huic iuris patronat. renunciauerint ad fauorem, quorundam de Nigris, qui postea cesserunt illud Abbati; nam de tali renunciatione non constat, nec actus, qui datur in Summario *Abb. n. 5. illam probat.* Vltra quod factus est coram iudicibus secularibus, nec potuissent Massarij de illo tempore existentes euertere sine etiam fundatoris dispositione, & multo minus potuerunt illi de Nigris, qui non erant Compatroni acquirere ius patronatus sine consensu Episcopi *c. quod autem. §. de cetero. c. illud. c. cum laici, & c. suggestum. de iure patr.*

8 Nec facit, quod fundatris per quoddam instrumentum separatum dicatur istud ius patronatus concessisse dictis de Nigris. Nam illa concessio fuit conditionalis, si Antonius, quædam ibi contenta adimpleuisset, & continet expresse, quod alias expressio deuolueretur ad Plebanum, & Massarios, satis autem apparet non fuisse adimpletum, cum semper tam ante prætensam renunciationem, quæ fuit de Anno 1598. quam postea simul præsentauerint Rector, seu Abbas, & Massarij ex quo sequitur etiam non obstare concordiam inter Abbatem, & illos de Nigris, in qua illi cesserunt Abbati dict. ius patronatus.

9 Non obstat etiam, quod Massarij deseruerint defensionem iuris patronatus, à qua declaratione licet appellauerint, tamen deserta remanserint appellatio, nam hæc omnia non probantur, nec datur talis declaratio, nec de illius iustitia constat, & potuerunt Massarij habere aliquam, vel causam, vel excusationē legitimam non contribuendi in dictis expensis.

REVERENDISSIMO P. DOMINO COCCINO DECANO.

Romana Sancti Thomæ. Veneris. 17. Iunij 1607.

ARGVMENTVM.

Agitur de probatione primi extremi ad effectum spolij, & an habens facultatem capiendi possessionem propria auctoritate cum clausula, prout de iure possit illam capere non citato possessore, & an sufficiat citatio conductoris.

SVMMARIVM.

Spolio agens duo extrema probare debet. num. 1.
Primum extremum in spolio probatur ex instrumentis locationum inctis adminiculis. num. 1.
Titulus coloratus probatur ex diuturna possessione. num. 1.
Conductor non sibi, sed locatori possidet. num. 2.
Clausula restrictiua non refertur ad specialiter expressa. num. 3.
Fallit vbi constat de contraria mente disponentis. numero 3.
Clausulæ, quæ habent apponi in clausula, & cum absolutione, vocantur à practicis dispositiua, per quas Papa declarat id, quod simpliciter per fiat, concessit. num. 3.
Substantia scripturæ non apponitur in Registris in margine, sed solum rubricatura. num. 4.

DECISIO CCVIII.

1 Causa per quatuor vices proposita, & nunquam resoluta, tandem omnibus mature discussis Domini perstiterunt in resolutis coram Illustrissimo Sera-

Seraphino, scilicet Capitulum S. Petri esse restituendum, quia constat de antiquiori eius possessione, & iuniori fratrum Sanctissimæ Trinitatis, quæ non controuertitur, quæ duo extrema primum, & secundum appellata, requiruntur, & probari debent ab agente spolio, ex allegatis per *Natt. consil. 562. num. 1. lib. 3. Roland. cons. 50. num. 4. & sequentibus. lib. 2.* Primum autem extremum satis probatur, quia vltra plures locationes adminiculatas, quæ ponderantur vna cum testibus in decisione Illustrissimi Seraphini concurrunt hodie partitæ extractæ ex censualibus Sancti Petri ab anno 1597. vsque ad moderna tempora, quæ cum contineant diuersos actus possessorios, satis superque probant primum extremum, ad fauorem Capituli, & operantur, quod quatenus in casu isto requireretur titulus ex ipsa diuturna possessione, quæ omnem calumniam tollit, probatus censeatur, *vt per Ægid. decis. 455. Bene Felin. cons. 2. num. 27. post Innocent. & Hostien. quos allegat*, & fuit dictum in causa Seguntina decimarum. 21. Maij coram Illustrissimo Seraphino.

2 Minus etiam fratres possunt se tueri ex motu proprio Pij V. in quo datur facultas capiendi possessionem propria auctoritate citra vitium spolij, continens etiam alias clausulas, quib. in alia clausula, & cum absolutione, &cet. in qua ponitur secunda signatura, adest restrictiua, & omnia committantur Vicario Vrbis, vel Vicesgerenti, prout de iure, & propterea nulliter fuit processum citato solum conductore, non capitulo Sancti Petri, vt dicitur in decisione Illustrissimi Seraphini, quia conductor non sibi, sed capitulo possidebat. *l. si quis ante, & l. quod meo, in princip. ff. de acquiren. possess. Corn. consi. 40. num. 6. volumine 4.*

3 Nec placuit dominis, quod hæc clausula, & omnia committantur, non debeat referri ad specialiter expressa, *vt l. doli clausula. ff. de verborum obligat.* quia hæc regula non procedit, quando constat de contraria mente disponentis, prout in casu isto, stante, quod hæc restrictiua est posita in clausula, & cum absolutione, per quam Papa declarat id, quod concedere vult, & exprimit quomodo intelligat id, quod simpliciter per fiat, concessit, & ideo hanc partem vocant practici dispositiuam, seu clausulas, vbi Papa conscribit illas clausulas, quas concedere vult, vt dicit *Rebuff. in prax. tit. de signatur. grat. num. 23. versic. 3. ponitur.*

4 Minus etiam releuat, quod hæc clausula, & cum absolutione, &cet. non habet signaturam fiat, quæ vere non legitur in registro, & de originali non constat, quia si hoc est verum, motus proprius non suffragatur fratribus, quia eis obstat regula Cancellariæ de non iudicando iuxta formam supplicationum, quia clausula, quodam sola signatura sufficiat, est posita in dicta clausula, & cum absolutione, quam asseritur non fuisse signatam, sed veritas est, quod cum hęc clausula, & cum absolutione, &c. signetur in margine, Notarius cum commode in registro in margine non potest apponere Signaturam, omisit illam per errorem. In Registris enim in margine non apponitur substantia scripturarum, sed solummodo rubricatura. Alia bene tolluntur ex decisione Illustriss. Seraphini.

REVERENDISSIMO P. DOM.

LVGDVNEN.

Hispalen. Archidiaconatus. Mercurij 4. Iulij 1607.

ARGVMENTVM.

Habes in Summario.

SVMMARIVM.

Citatio vt valeat nuncius, seu Notarius debet habere notam personam citati. num. 1.
Notario absque testibus non creditur de citationis executione. num. 1.
Remissoria debet de nouo concedi vbi testes fuerunt nulliter examinati. num. 2.
Fallit quando nullitas prouenit ex culpa partis. num. 2.

DECISIO CCIX.

1 EXamen testium remissorialium visum est pati aliquos defectus, & præsertim legitimæ citationis. Licet enim dentur duæ intimationes, quæ dicuntur factæ Don Ioanni de Brancamonte sub diebus 22. & 23. Nouembris, tamen & vterque Notarius fuit incertas, an is cui fiebat intimatio, esset dictus Don Ioannes de Brancamonte. *Bald. in rubr. C. de fid. instrum. num. 21. vers. venio, ad secundum. Ruin. cons. 187. nu. 17. libro 2. Rota inter impress. d. decis. 434. num. 1. parte. 1.* & illis intimationibus adhibitus fuit vnus tantum testis cum tamen Notario non credatur de citationis executione sine testibus. *Put. decisione quinta, libro tertio. Crescent. decisione quarta. de fide instrumen. Cardin. consil. 72. post numer. 55. Et dictum vnius dictum nullius l. vbi numerus. ff. de testibus. c. in nomine Domini. eodem titulo.*

Non obstat præsumpta scientia exequutionis citationis ex mandato postea dato per dictum Dominum Ioannem de Brancamonte, quia in responsione facti bene aduertitur istud mandatum fuisse datum post completum examen, quasi per duos menses. Ideoque non posse colligi scientiam de tempore examinis.

2 Veruntamen cum articuli fuerint ab initio habiti pre releuantibus, non dubitarunt Domini, quin remissoria de nouo sit concedenda dict. Don Francisco de Acugna, sicuti passim fieri solet, quando testes fuerunt nulliter examinati. *Rota decisio. 2. de probat. Guido Papæ, decis. 72. num. 1. Alexand. consil. 213. num. 10. & 17. lib. 2. Late Gabr. de testibus, concl. 21. num. 18. Non obstat Ang. in l. vltima, num. 2. ff. de eden.* qui prædictam conclusionem limitat, quando nullitas prouenit ex culpa partis. Hoc enim casu considerata rei gestæ serie, magis visum est culpam imputari non posse dicto Don Francisco.

REV.^mo P. D. COCCINO

DECANO.

Oueten. Mercedis. Mercurij 4. Iulij 1607.

ARGVMENTVM.

Ex Summario sume argumentum.

SVMMARIVM.

Procurator generaliter constitutus ad omnes lites, & reuocatus quo ad vnam causam, censetur reuocatus generaliter quo ad omnes causas, si constituens tempore constitutionis non habebat nisi illam causam, pro qua fuit reuocatus. n. 1.
Procurator constitutus ad lites, & negotia, si fuerit reuocatus quo ad lites, non censetur reuocatus quo ad negotia, & è contra. num. 2.

DE-

DECISIO CCX.

1 DOminis placuit vltima pars decisionis, ad quam vt morem gererem parti, volui restringere difficultatem, scilicet quod licet Iacobus fuisset constitutus tantum quo ad causam vertentem cum Vergantia, tamen censetur, reuocatus quo ad omnes causas, quia de eo tempore nullam aliam causam habebat Capitulum, & causa, propter quam fuit facta reuocatio, erat generalis, & non specialis. Vnde merito Iacobus censetur reuocatus quo ad omnes curas, ex *Alciato de præsumption. regul. 2. præsumpt. 16. numer. 5.*

2 Non obstat decisio Rotæ 18. & 22. de proc. in nouis, quia non procedunt, quando causa reuocationis est generalis, & agitur de reuocando procuratore ad lites tantum, sed quando quis habet procuratorem ad lites, & ad negotia, & reuocat quo ad lites, quia tunc procurator non censetur reuocatus quo ad negotia, & bene, quia stant simul quod reuocetur quo ad lites, secus quoad negotia, secus in casu isto cum causa reuocationis sit generalis, nec verisimile est, stante ista generalitate, quod voluerit reuocare quo ad vnam causam, secus quo ad alias, & reuocatio specialis videtur facta, quia tunc nulla alia aderat causa.

REVERENDISS. P. DOMINO COCCINO DECANO.

Bononien. de Mangiolis. Veneris 14. Nouemb. 1607.

ARGVMENTVM.

Exequutio an priuet possessorem etiam lite pendente intrusum non citatum, vbi ex act is non constat ipsum esse talem. Item an plures tutores, seu curatores censeãtur dati in solidũ, & an curatoris deputatio sustineatur, quando minor habet patrẽ latitantem, & agitur de recuperandis bonis per patrem alienatis. Item an mandatum præsumatur per traditionem iurium, & an si iura tradantur per procuratorem habentem facultatem substituendi censeatur facta substitutio.

SVMMARIVM.

Possessio probatur ex instrumento adeptionis illius, nu. 1.
Mandatum de manutenendo debet dari ei qui possidet, nu. 1.
Exequutio contra intrusum, lite pendente non citatum, non potest fieri, nisi constet ex actis, ipsum esse talem, & habere causam à litigante, & nullam ei prorsus defensionem competere. num. 1.
Exequutio facta contra non citatum nulla est, nec possessori præiudicium infert, nu. 1.
Possessio potest capi de mandato iudicis, etiam lite pendente ab eo, qui non est in causa, num. 1.
Relationi nuncij standum est, nu. 2.
Ratificatio sufficit vbi requiritur mandatum, num. 2.
Tutores seu curatores censentur dati insolidum, vbi administrationes non fuerunt diuisæ, nu. 2.
Curatoris datio sustinetur etiam in habente patrem, vbi pater latitat, & agitur de rrcuperandis bonis à patre alienatis, nu. 2.
Possessorium nihil commune habet cum petitorio, nu. 2.
Ratificatio quo ad actus certæ causæ inducitur per constitutionem procuratoris ad illam causam, n. 3 Vbi quod requiritur tamen scientia gestorum.
Scientia vbi requiritur debet esse certa, & specifica. nu. 3.
Procurator censetur quis constitutus per traditionẽ iuriũ, & debet admitti saltè cum cautione de rato, n. 4. Vbi declara.
Procurator habens facultatem substituendi, licet possit substituere expresse, non tamen potest tacite, num. 4.
Mandatum vt præsumatur, quæ debeant concurrere, n. 5. Vbi remissiue.
Productio mandati insufficientis facit cessarre productionem alterius mandati, num. 5.

DECISIO CCXI.

1 CVm constet de possessione Com. Bartholomæi ex instrumento adeptionis, quod illam probat. *l. prædia. vbi Doct. ff. de acquirend. possess.* Fuit resolutum ei dandum esse mandatum de manutenendo *§. hodie. Instit. de interdict.* Non obstat, quod contra ipsum fuerit exequutum mandatum Rotale, quia exequutio fuit nulla, cum etiam contra intrusum lite pendente non possit fieri exequtio, nisi constet ex actis, ipsum esse talem, & habere causam à litigante, & nullam ei prorsus defensionem competere alias citari debet, & nisi citetur, exequutio est nulla, nec possessori aliquod præiudicium fit. *Franch. in cap. ex ratione, num. 92. de appellat. Gabr. consil. 31. numer. 20. libr. 1.* sed ex actis de prædictis non apparebat. Immo hodie ostenditur, quod obtinuit possessionem de mandato iudicis competentis, quem potuit adire, cum prætenderet bona ad se spectare, nec esset in causa *Rotali, l. is, à quo. ff. de rei vendic. l. cognitio. ff. de liberali causa.* Et propterea, cum exequutio fuerit nulla non potuit ei nocere, nec possessio acquiri. Com. Antonio, & fratribus, *l. fin. C. si per vim, vel al. modo. Gabr. d. cons. 31. nu. 21. lib. 2.*

2 Neque facit, quod non constet de adeptione possessionis, nisi per relationem Nuncij, quia eius relationi statur. *Tiraq. de retract. Lignag. §. 8. gloss. 9. num. 22.* Et licet etiam non constet de mandato illius, qui cepit possessionem; tamen sufficit ratificatio, *l. Paulus ff. rem ratam, hab. Alex. consil. 110. num. 5. libr. 1.* de qua satis constat, cum de mandato iudicis coloni recognouerint D. Iuditham tutricem, & curatricem, quæ etiam locauit bona eisdem colonis, & potuit hoc facere etiam, quod cum alio esset data tutrix, & curatrix absque clausula in solidum, quia est speciale in tutore, & curatore quando administrationes nõ sunt diuisæ, quod censeatur datus in solidum, *leg. 1. Cod. si ex pluribus tut. vel curat. Vbi Bal. & alij.* Et datio curatoris sustinebatur, etiam quod Com. Bartholomæus haberet patrem, qui tunc latitaret, propter æs alienum, & ageretur de bonis per illum alienatis recuperandis, vigore facultatis datæ descendentibus per fideicommittentem. *gl. in l. si longius. §. 1. in verbo dignitatem. & ibi Bar. num. 3. ff. de Iudic. Idem Bar. in leg. in quæst. num. 2. C. de sent. pass.* Neque in isto iudicio possessorio est agendum, an de iure potuerit recuperare bona per patrem alienata ipso viuente, vt aduertit, & distinguit *Bart. in dict. l. in quæstione. d. num. 2.* quia satis est, quod haberet possessionem, cum possessorium nihil commune habeat cum petitorio. *l. naturaliter. §. nihil commune. ff. de acquir. poss.*

3 Neque est verum, quod Com. Bartholomæus esset in causa Rotali, quia Iacobus Bonaccursius die 2. Martij fuit admissus ad causam, docto de interesse per Com. Bartholomæum tanquam vnus de populo, & tunc non erat actor ad lites, quia fuit constitutus solum die 5. Martij. Nec potest suffragari promissio de rato, quia de ratificatione non constat, quæ licet inducatur per constitutionem procuratoris ad certam causam, quo ad actus illius causæ, vt per *Rot. decis. 38. de procur. in nou.* tamen hoc procedit data scientia gestorum in causa, vt post *Ioann. And. ad Speculat.* declarat *Alexand. consil. 112. num. quinto. versi. & licet Ioan. And. lib. 5.* hic autem actor ad lites non fuit constitutus ad istam causam, nec de scientia constat, quę tamen debuisset esset certa, & specifica, *gl. in c. concertatio-*

tationi. *in verb. sciuerit de appell. in. 6.*

4 Neque suffragatur, quod D.Richardus comparuerit in causa tanquam, procurator Com Bartholomei, quia nec de eius mandato constat. Nec iuuat, quod produxerit mandatum in personam Ascanij, ad ipsum substituendum, quia de substitutione non constat, nec potest præsumi ex productione mandati in personam Ascanij, quia illud potuit habere aliunde, & quatenus habuisset ab Ascanio, non inde resultaret substitutio, quia licet per traditionem iurium quis censeatur constitutus procurator, & debeat admitti, saltem cum cautione de rato, vt per *Imol.in l.Mæuia.50 num.2.ff. sol.mat.* secus tamen est in procuratore, qui habet facultatem substituendi, antequam efficiatur Dominus Litis, quia licet possit vigore mandati substituere expresse, non tamen potest tacite, quia hic nõ habet in mandatis, vt in simili dicit *Rot. d. decis.38. in fin.de procur.in nou.* & quamuis in hac responsione tollatur etiam *text.in l. 1. C. de donat.* tamen nec eius dispositio applicatur, quia ibi per donationem, & traditionem instrumentorum emptionis censentur donata, & tradita empta per d. instrumenta, & sic in casu illo aderat principale, nempe donatio, & solum dubitabatur, an in donatione comprehenderentur empta in dictis instrumentis, at in casu isto deficit principale nempe substitutio.

5 Neque etiam in hoc casu potest intrare aliquod mandatum præsumptum D.Riccardi, tum quia solum produxit articulos, & citauit ad dicendum contra, & sic non videntur concurrere requisita, per *Cassador. decis. vlt. num.4. in fin. & numer.5. de procur. & per Put. decis.214. lib.2.* tum quia, cum restrinxerit se ad mandatum minus sufficiens, & illud produxerit, facit cessare tacitum. *ad l.fin. C.de pact.conuent.Paris. cons.43.nu. 75. lib.2.* Et fuit resolutum in causa Lucana Parochialis 21. Februarij 1603. coram me, & alias sæpius, &cet.

REVERENDISSIMO P. DOMINO

LVGDVNEN.

Valentina Decimarum. Lunæ 11. Februarij 1608.

ARGVMENTVM.

Habes in Summario.

SVMMARIVM.

Mandatum de manutenendo requirit leuiorem, & semiplenam probationem. num.1.

Quasi possessio vniuersali exigendi decimas suffragatur non dicto de speciali. num.2.

Potestas Papæ circa decimas non potest controuerti, & ideo donatio illarum facta a Papa valida est. num.3.

Capit. nuper. de decim. non solet per Papam derogari. nu.4.

DECISIO CCXII.

FVerant Illustriss.D.Cardinali Pamphilio tunc Rotæ Auditore Commissæ duæ causæ ad instantiam DD.Archiepiscopi, & Capituli Valentini, contra diuersa Monasteria Ciuitatis, & Diœcesis Valentiæ super iure percipiendi ex terris per illa Monasteria possessis decimarum duas partes ex tribus. Et in prima quidem, quæ dirigebatur contra quædam Monasteria in Ciuitate consistentia, iam prædictus Illustrissimus Cardinalis, quam post eum Illustrissimus etiam Cardinalis Seraphinus, & tertio loco Reuerend. P. Dominus meus Lancellottus, quo ad Decimas ex bonis emptis, pronunciauerunt ad fauorem dictorum Archiepiscopi, & Capituli, quibus etiam quo ad eadem bona fuit concessum mandatum de manutenendo, cum in secunda instantia fuisset actio de quasi possessione exigendi decimas. Altera autem causa directa contra plura Monasteria tam Ciuitatis, quam Diœcesis, cum vsque nunc indiscussa remansisset, & pro dictis Monasterijs legitime citatis in partibus nemo comparuisset in curia, Agentes pro dictis Archiepiscopo, & Capitulo post formatum processum, per contradictas, petierunt à me, vti prædicti D.Cardinalis Pamphilij suffecto mandatum de manutenendo, in quasi possessione percipiendi dictas decimas, & sententiam aduersus dicta Monasteria, cum eadem restrictione, quo ad bona empta tantum. Qua de re proposito dubio Rota censuit esse prædictæ petitioni satisfaciendum.

1 Nam quo ad mandatum de manutenendo illud, debetur DD.Archiepiscopo, & Capitulo, cum de illorum possessione constet ex testibus in hac causa examinatis, qui de publica voce, & fama deponunt Archiepiscopum, & Capitulum fuisse, & esse in quasi possessione Vniuersali percipiendi duas partes decimarum, ex tribus in tota Diœcesi Valentina. Atque isti testes iunctis præcipue alijs in priori causa examinatis, qui idem deponunt, probant sufficienter ad effectum manutentionis, ad quem iura leuiore, & semiplena probatione contentantur. *Alexand. consilio 103. numero tertio. libro primo. Put. decis. 61. in fin. lib.3.*

2 Nec est dubium, quin Vniuersalis quasi possessio iuris dicimandi sufficiat quam diu non doceatur de alia particulari possessione. *Abb. consi.54.num.3. lib.1. & consilio 71. numero 3. libro 2. Rot. decisio 2. numero 3. de præscript. in nou. Rebuff. de decim. quæstio. 11. num.3. & 4. Menoch. retinend. remed. 3. num.131.* Fuit dictum in simili casu coram Illustrissimo Seraphino. Et in hac coram bon.mem. Peregrino de anno 1598. Et in causa Tirasonen. Decimarum 25. Maij 1607. coram me, & sæpe alias.

3 De bono iure autem constat ex decisionib. in prædicta priore causa factis, quæ continens D. Iacobum Regem Aragonum dictis Archiepiscopo, & Capitulo Valentiæ donauisse duas partes, ex tribus omnium decimarum totius Diœcesis Valentinæ. Quæ decimæ post recuperationem Regni Valentiæ e manibus Saracenorum ad ipsum Regem spectabant ex concessione Vrbani Secundi Summi Pontificis, qui Regi Aragonum N. eius successoribus concesserat omnes decimas Ecclesiarum quas in Saracenorum terris iure belli acquisiuerint, vel in proprijs hæreditatibus fundauerint.

3 De potestate enim Papæ concedentis, non potest dubitari. *Clem. 1. in fi. vt lit. pend. Rebuff. de decim. q.13. num. 110.* & illa stante non potest valide controuerti Regis donatio. *Rebuff. d. tracta.de decim. q.7. & 13. post Innoc.in c. dudum.in fi.eod.tit.* Vbi etiam *Host. Abbas Ioan. Andr. & alij allegati in decis. Illustriss.Pamphilij*). Itaque cum in actis huius causæ constet de concessione, & donatione prædictis, & pro parte prædictorum Monasteriorum in secunda commissione contentorum, quæ legitime, vt dictum est, citata fuerunt, nihil oppositum sit, quo sic fundata Archiepiscopi, & Capituli Intentio elidatur, sententia ferri debet contra d. Monasteria Ciuitatis Valentiæ. Quin etiam versatur hæc secunda causa in facilioribus terminis, quandoquidem in altera exceperant monasteria in Ciuitate consistentia de suis priuilegijs, quæ tamen non obstare Rota resoluit, factis super ea re aliquot decisionibus. Hic autem iura clamant aduersus contumaciam aliorum Monasteriorum Ciuitatis, & Diœcesis, quæ nihil deducunt, immo nec comparent.

4 Et vero cum vt plurimum illa Monasteria secundo loco citata sint eorundem Ordinum cum primo loco citatis

citatis, & agatur de iure percipiendi decimas duntaxat ex prædijs emptis, ideoque locus sit constitutioni Concilij generalis, relatæ in cap. nuper. de decim. cui non solet derogari, vt sæpius Rota in hac materia considerauit satis verisimiliter conyci potest, dicta Monasteria non habere exceptiones, quibus valide elidi possit intentio Dominorum Archiepiscopi, & Capituli Valentini. Itaque fuit conclusum dandum esse mandatum de manutenendo, & ferendam sententiam.

REVER. P. D. MANZANEDO.

Romana prætensæ demolitionis domus. Veneris 29. Februarij 1608.

ARGVMENTVM.

Vendere domum suam quisque cogi potest fauore Ecclesiæ, & religionis, & non solum pro ædificanda Ecclesia, seu Monasterio, sed etiam pro amplianda, etiam quod domus non sit contigua Ecclesiæ, sed adsit via intermedia.

SVMMARIVM.

Vendere rem propriam quisque cogi potest. Fallit fauore religionis, & Ecclesiæ. nu. 1.

Vendere rem suam fauore religionis, & Ecclesiæ quisque cogi potest, non solum pro ædificanda Ecclesia, sed etiam pro illa amplianda, vel pro ampliatione monasterij, num. 2. & num. 6.

Vendere rem suam quisque cogi potest ratione publicæ vtilitatis, nu. 3.

Vendere rem suam pro ornatu ciuitatis vigore Bullæ Gregorij XIII. cogi quis potest, nu. 4.

Vendere domum suam fauore Ecclesiæ, & religionis quisque cogi potest etiam, quod domus non sit vicina Ecclesiæ, & adsit via publica intermedio. nu. 5.

Proœmium denotat causam finalem, à qua dispositio ampliationem recipit, num. 7.

DECISIO CCXIII.

1 DVbitaui, An Venerabile Collegium Anglorum possit compelli ad venditionem domus, de qua agitur ad effectum illam demoliendi, & Domini affirmatiuam partem sunt amplexi, non obstante regula, quod quis non debet astringi rem propriam vendere, *iuxt. text. in l. nec emere. C. de iur. delib. l. inuitum, C. de contrahend. empt.* quia prædicta regula cessat fauore religionis, & Ecclesiæ, *iuxt. text. in l. si quis sepulchrum & ibi Doct. communiter. ff. de relig. & sumpt. funer. Ias. in d. l. nec emere. nu. 3. vers. 2. Fallit Fabian. de Mont. de empt. & vend. quæst. 3. princ. num. 39. in fin. versic. fauore Religionis.*

2 Quod procedit non solum in Ecclesia ędificanda, sed in Ecclesia, vel Monasterio, aut aliqua parte illius amplianda, pro tali namque ampliatione poterit vicinus compelli officio iudicis domum vendere, *iuxt. Flor. in l. 3. §. locus, ff. de Relig. & sumptibus funer. & in dict. leg. si quis sepulchrum. Bald. in l. 1. numer. 19. ff. de solut. matr. vbi Angel. num. 12. Cæpol. de seruit. vrban. prædior. c. 82. num. 5. Ias. in l. 2. nu. 4. ff. solut. matr. Couar. lib. 3. c. 14. num. 7. & 8. in fin. Grammat. dec. 75. nu. 1. Late Gomez. in l. 46. Taur. nu. 9. Franc. Marc. dec. 534. num. 3. cum sequent.*

3 Item & cessat prędicta regula ratione publicæ vtilitatis, *l. item si verberatum, ff. de rei vend. l. 2. ff. qui sunt sui, vel alien. iur. l. 2. §. sunt qui putant. ff. ne quid in loco publico, l. si locus, ff. quemad. seru. amitt. Flor. in dict. l. si quis sepulchrum. Ang. Cepol. & alij supr. relati. & Fab. de Mont. vbi sup. n. 38. vers. 2. ratione publicæ vtilitat. Rub. Alex. cōs. 92. n. 2.* sed sic est, quod in nostro casu cōcurrit fauor Religionis, & Ecclesiæ, vt ex subiecta materia patet quin & concurrit publica vtilitas, quæ ex Religionis fauore constat, vt tradit *Couar. vbi supra d. nu. 7. per tex. in l. 1. §. huius studij. ff. de iust. & iur.* & etiam desumitur ex eo, quod demolita ista domo redditur amplior & commodior via publica, in quo pariter publica vtilitas versatur. *Aym. cons. 94. nu. 1. circa fin.*

4 Vnde fel. record. Gregor. XIII. in Bulla super iure congrui ædita, voluit per vijs dirigendis, & ampliādis posse cogi damnos ad vendendum. Quæ magis procedunt in casu nostro, vbi agitur de via publica amplianda, & dirigenda ad portam lateralem Ecclesię S. Andreæ, & de commodiori ingressu ad illam, cuius fabrica, & ędificium est de insigniorib. & nobiliorib. Vrbis. Vnde pro ipsius ædificij complemento, & maiori ornatu, & commodiori ingressu eget prædicta via latiori, & ampliori, quod quantum in ornatum publicum etiam ciuitatis cedat, facile est videre.

5 Quibus non obstat, quod supradicta iura, & doctrinæ videantur loqui quo ad domos cōtiguas ipsis Ecclesijs, seu Monasterijs, quia id verum dicendum etiam si inter domos, & Ecclesiam existat media via iuxta tradita *à Padil. in l. altius, num. 19. & versic. neque iuris, C. de seru. & aqu. & à Vinc. de Franc. dec. 223. num. 4.* & potissime procedit ista opinio quando non agitur de Ecclesia ędificāda, seu augenda, sed de via publica ad portam Ecclesię directa ampliandam pro eiusdem Ecclesię quin & Ciuitatis ornatu, prout in nostro casu.

Nec minus obstat, quod *Couar. vbi supr. num. 8. vers. ceterum si controuersiam*, non acquiescat suprad. communi opinioni, illamq; plurimis fundamentis euertere conatur, tum quia ipse *d. nu. 7. vers.* quibus sane fatetur, illam communem, tum quia, *in d num. 8. versic. fin. fatetur* Iudicem æquissime facturum vtendo prędicta frequentissima Dominorum sententia, illamque in praxi iustissime admitti posse.

7 Vltimo pro Regularibus Sancti Andreæ facit Breue siue indultum illis concessum à fel. record. Gregor. XIV. cuius vigore plures vicini Ecclesiæ fuerunt cōpulsi ad vendendum nō pro Ecclesia fabricanda, sed pro Platea amplianda, quin & prædicta iuuantur ex verbis proœmij eiusdem Breuis, ex quib. desumitur illius ratio finalis *l. fin. ff. de hæred. institut. Rom. cons. 180. nu. 7. ex tali ratione priuilegium recipit ampliationem, Rol. cons. 67. nu. 71. lib. 3.* ibi pro perfectione fabricæ, tunc enim fabrica consequentur suam perfectionem, quādo habuerit viam latiorem directam portæ laterali Ecclesiæ, & aditum ad illam faciliorem.

8 Sed quia vltra viam intermediam inter domum diruendam, & ecclesiam, adest alia domus hospitalis Sanctæ Elisabethæ Domini censuere, per dictam resolutionem compellen. Venerabile Collegium Anglorum ad prędictam venditionem intelligi habitam prius per regulares Sancti Andreę illa domo anteriori prædicti Hospitalis.

REVERENDISSIMO P. D. LVGDVNEN.

Dertusen. Decimarum. Lunæ 3. Martij 1608.

ARGVMENTVM.

Iudex debet esse certus de sua iurisdictione, alias sententia dicitur nulla ex defectu iurisdictionis. Item communicatio priuilegiorum non extenditur ad ea, quæ difficiliter solent concedi, & sunt alteri præiudicialia.

SVMMARIVM.

Sententia delegati dicitur nulla ex defectu iurisdictionis, si delegatione non constet. nu. 1.
Delegatus debet esse certus de sua iurisdictione, alias nulliter agit. nu. 2.
Rescriptum vti stricti iuris non porrigitur ad personas in eo non expressas. nu. 3.
Appellatio admittitur ab interloqutoria continente grauamen irreparabile. nu. 4.
Sententia lata pendente termino ad appellandum, est attentata. nu. 4.
Derogatio cap. nuper. de decim. raro conceditur. nu. 5.
Communicationes priuilegiorum non extenduntur ad ea quæ non solent concedi, vel saltem cum magna difficultate, & in quibus agitur de præiudicio tertij. nu. 5.

DECISIO CCXIV.

1 DOmini dixerunt, sententiam Guardiani S. Francisci esse infirmandam vti nullam, attentatam, & iniustam. Nullitas resultat ex defectu iurisdictionis, quia dictus Guardianus processit vti conseruator, cum tamen in toto processu non constet de aliqua cõseruatoria illi directa. *cap. cum in iure. & ibi DD. de offic. deleg. l. vnic. C. de mand. Princ. late Vant. de nullit. ex defect. iurisd. nu. 16. & seq.*

2 Nec obstat, quod prima citatio per eum decreta habeat relationem ad mare magnum, & alia Priuilegia Apostolica, & signanter ad quoddam Priuilegium Sixti IV. Incipiens. Regimini Vniuersalis Ecclesiæ, in quo dicitur adesse Clausulam, Et nihilominus cui libet in dignitate Ecclesiastica constituto, &c. Quia cum huiusmodi priuilegia nunquam fuerint in actis exhibita, dictus Guardianus nunquam fuit certus de sua iurisdictione, & quicquid egit, nulliter egit. *cap. 2. & ibi filij. num. 1. & Dec. in primo notab. de offic. deleg. in nou.* Fuit dictum in causa Abulen. Pensionis. 11. Maij 1687. coram R. P. D. meo Sacrato. Vbi aliæ decisiones allegantur.

3 Idque tanto magis procedit, quia post dictam citationem procurator monasterij B. Mariæ redemptionis captiuorum, ad cuius fauorem lata est sententia ad probandam iurisdictionem dicti Conseruatoris, & exemptionem monasterij à solutione decimarum, produxit tria tantum priuilegia Nicolai V. Sixti IV. & Greg. XIII. in quibus nulla mentio de Conseruatore, præterquam in Bulla Nicolai V. quæ dat conseruatores ad fauorem Ordinis Sanctissimæ Trinit. Redemptionis captiuorum Abbates Sancti Facundi de Viles, ac Sancti Marci. Vnde cum rescripta vti stricti iuris non porrigantur ad personas in illis non nominatas, & non comprehensas, *capit. P. G. de offic. deleg.* illud priuilegium non concessit dicto Guardiano iurisdictionem.

4 Hinc etiam influunt attentata, quia cum his stantibus procurator Capituli Dertusen. opposuisset de incompetentia iurisdictionis, & Guardianus pronunciasset se competentem, appellauit dictus Procurator, & bene, cum illa interlocutoria contineret grauamen irreparabile. *gloss. & DD. in authentica habita. Vbi Bolognet nu. 289. dicit communem C. ne fil. pro patr. Bald. cons. 277. nu. 3. lib. 1. Ias. in l. 2. nu. 38. ff. si quis in ius vocat. non ier. Dec. cons. 360. in princ. & nu. 3. Guido Papæ dec. 11. in princ. late Rolan. cons. 33. per tot. lib. 8.* & propterea cum nihilominus dictus Guardianus datis refutatorijs processerit in causa, & super negotio principali pronunciauerit sententia fuit attentata. *cap. non solum. de appellat. in 6. l. appellati. C. eodem tit. Lancell. de attent. appellat. pend. in præfat. nu. 75. & seqq.* Denique sententiæ iniustitia non potest euitari. Nam cum peterentur à monasterio decimæ ex prædio, quod tunc de recenti fuerat acquisitum, Guardianus male pronunciauit monasterium esse exemptum vigore concessionum Apostolicarum quia ex priuilegijs supradictis, quæ sola leguntur in processu primum Nicolai V. non loquitur de decimis. Secundum Sixti IV. habet expressam clausulam salua superdictis decimis moderatione Concilij Generalis, & sic non comprehendit prædia acquisita. c. nuper de decim. Vltimum autem Priuilegium, quod fuit concessum à fel. record. Gregorio XIII. nullam etiam de decimis facit mentionem.

5 Itaque licet in illo Priuilegio contineatur communicatio priuilegiorum in qua maxime sententia fundata est, vt patet ex illius lectura. Tamen dicta Communicatio non pertinet ad exemptionem à solutione Decimarum, seu ad derogationem d. cap. nuper quia huiusmodi exemptio, & derogatio, raro, & vix conceditur, atque huiusmodi communicationes, seu adæquationes non extenduntur ad ea, quæ non solent concedi, vel saltem cum magna difficultate conceduntur. Et in quibus agitur de præiudicio tertij, *ad not. per Doct. in l. 1. ff. de leg. 1. Vbi Ias. num. 21. & 22. Socin. Iun. cons. 43. & 49. Alciat. nu. 4.* Et ita in alijs similibus decimarum causis fuit sæpius in Rota decisum, vt in Valentina 28. Nouembris 1603. coram R. P. D. meo Lancellotto. In qua hic articulus fuit late discussus. Deinde in Toletana 16. Nouembris 1605. coram Reuer. Padre Domino meo Iusto, & in Mediolanen. 10. Aprilis 1606. coram R. P. D. meo Coccino. Atque ex his, &cet.

DECISIO CCXV.

Romana Domus. de Vsazzis. Mercurij 5. Martij 1608.

Impressa Apud Caualerio.

DECISIO 20.

ILLVSTRISSIMO CARDINAL. LANCELLOTTO.

Recanaten. Beneficij. Veneris 14. Martij. 1608.

ARGVMENTVM.

Præsentatus debet esse actu sacerdos, quando in fundatione beneficij qualitas presbyteratus iuncta est verbo eligendi, nec sufficit ætas habilis ad sacerdotium, quicquid dicendum sit in beneficio iuris patronatus Ecclesiastici, & quando ex statuto, vel consuetudine debet fieri collatio beneficij, habentis Sacrum ordinem annexum, & an patronus possit lite pendente alium præsentare, & an possit præsentare collitigantem.

SVMMARIVM.

Præsentatus an debeat esse actu sacerdos, vel non debet attendi tenor fundationis. nu. 1.
Præsentatus debet esse actu sacerdos, quando in fundatione qualitas presbyteri est iuncta verbo eligendi. nu. 1. & n. 2.
Vbi maxime, si dicta qualitas fuit repetita.
Qualitas iuncta verbo debet intelligi de tempore verbi. numer. primo.
Præsentatus debet esse actu sacerdos, quando ad effectum, vt beneficiatus congrue sustentari posset, fuit facta vniolaterius beneficij, cum alias pro sustentatione simplicis Clerici non fuisset necessaria tanta solicitudo. nu. 2.

Alta-

Altaristæ nomen potius sonat in presbyterum, quam in simplicem Clericum. nu. 2.
Obseruantia subsequuta plurimum facit ad dignoscendum an præsentatus debeat esse actu Sacerdos. nu. 2.
Presbyteri nomen est æquiuocum, & potest verificari etiam in simplici clerico, licet proprie & in fortiori significatione ad sacerdotes referatur, maxime si profertur latino sermone. nu. 3.
Obseruantia interpretatiua non potest desumi ex actibus remotis. nu. 4.
Obseruantia interpretatiua non habet locum vbi verba sunt clara. nu. 4.
Episcopus non potest etiam cum consensu patroni derogare qualitatibus fundationis. nu. 4.
Præsentatus vbi ex fundatione debet esse actu sacerdos, sufficit quod tempore præsentationis sit in ætate habili ad Sacerdotium. nu. 5.
Dic procedere in iure patronatus Ecclesiastico, & quando vigore Statuti, consuetudinis, & priuilegij debet fieri collatio, vel præsentatio beneficij habentis sacrum ordinem annexum secus in iure patronatus laicali, quia tunc si in fundatione caueatur quod præsentetur presbyter, non sufficit ætas habilis. nu. 5.
Patronus præsentans scienter indignum priuiatur potestate iterum præsentandi pro illa vice. nu. 6
Vacatio beneficij iuris patronatus consumitur, ita vt non possit amplius per patronos fieri præsentatio per prouisionem Apostolicam, cum expressione iuris patronatus, ac aliorum in decisione relatorum. nu. 6.
Patronus non potest lite pendente super titulo beneficij præsentare. nu. 7.
Amplia quod non possit etiam cumulando collitigantem præsentare, quando per illam præsentationem datur, occasio litigandi, & aperitur via ne lis finiatur. nu. 7.

DECISIO CCXVI.

IN fundatione & dotatione beneficij, de quo agitur, anno 1537. fuit reseruatum ius patronatus, & eligendi presbyterum, & Altaristam Syndicis, & Prioribus confraternitatis existentis in Ecclesia Beatæ Mariæ Castri noui Ciuitatis Recanaten. & quia res datæ in dotem non erant sufficientes pro sustentatione presbyteri, & altaristæ, Episcopus vniuit quoddam altare sub vocabulo Sanctæ Agathæ. Cum vero anno præterito de Mense Octobris huiusmodi beneficium vacasset, per obitum q.d. Ioan. Beptini presbyteri fuit in Prioribus, & confratribus d. confraternitatis præsentatus Pulitus de Pulitis, qui de tempore præsentationis non erat presbyter, sed solum simplex clericus D. autem Tontus fuit de eo prouisus à Sanctissimo D. N. cum mentione istius iuris patronatus inter quos prouisum scilicet Apostolicum & præsentatum à Patronis, fuit lis introducta, qua pendente prouisus Apostolicus obtinuit gratiam si neutri, & gratiam perinde valere, cum noua prouisione. E contra vero præsentatus dubitans de validitate suæ præsentationis, ex quo non erat Presbyter non obstante litis pendentia, & post datam dictarum gratiarum si neutrim, & perinde valere, fecit, vt dicitur se in partibus promoueri ad omnes ordines Sacros, etiam Presbyteratus, & vt asseritur eundem fuisse iterum ab eisdem Patronis præsentatum.

1 Pro cuius litis coram me extra Rotam pendentis faciliori decisione dubitaui, An requiratur quod presentatus ad hoc beneficium esset actu Sacerdos in casu, & ad effectum de quo agitur. Effectus autem dubij erat, vt videretur quis nam foueret ius in hoc beneficio, & attentata supradicta fundatione, cuius tenor ad hunc effectum inspici debet ex allegatis per *Barbat. cons. 33. vers. capit. secundum ito. 2.* resolutum fuit, necesse esse ad validitatem præsentationis, & institutionis, quod præsentatus de tempore præsentationis esset actu sacerdos, alias præsentatio est nulla, & in consequentiam institutio. Nam qualitas Presbyteri iuncta verbo eligendi de qua in fundatione intelligitur requisita de tempore verbi. *l. in delictis. §. in extraneo. ff. de noxal. action. cap. nemo. vbi gl. in verbo sacerdotio. de electionibus lib. 6. Abb. post gl. in Clem. vt hi. & ibi Imol. nu. 22. & 28. Vital. in §. in illa, nu. 16. de ætat. & qualit. Idem Abbas. in cap. cum in eunctis §. inferiora. nu. 10. & ibi Dec. num. 12. de elect. Roch. de iur. patr. in verbo honorific. q. 4. num. 26. Lambert. in eod. tract. lib. 2. par. 1. q. 7. art. 27. num. 8. & art. 29. Vbi alios refert Barbat. d. cons. 33. num. 2. dub. 1. lib. 2. Dec. consil. 127. nu. 5. late Paris. cons. 50. nu. 12. & seq. lib. 4.* & in istis terminis sæpissime decisum fuit in Rota, vt in causa Parmen. Prioratus 8. Iunij. 1578. coram Illustrissimo Blanchetto in causa Firmana beneficiorum 26. Nouembris 1582. coram bon. mem. Orano, & 29. Aprilis 1583. coram allustrissimo Blanchetto, & 27. Maij. 1596. coram Litta bon. mem. in Valentina iuris patronatus 20. Martij 1589. coram Orano, & coram eodem in causa Alexandrina decanatus 12. Iunij & 14. Decembris. 1589. & in Romana Cappellaniæ. 19. Martij 1596. corā Illustrissimo Cardinale Pamphilio, & in Gerunden. beneficij 22. Martij 1596. coram R. P. D. Iusto, & vltim. loco, in causa Taruisin. Iur. patr. 27. Iunij 1607. coram R. P. D. meo Marcomontio.

2 Quod eo magis dicendum est in casu nostro, tum quia qualitas Presbyteri, nedum fuit bis repetita ex fundatione, vt ponderat *Paris. d. cons. 50. num. 14. & 15. lib. 4.* sed etiam, quia cum res donatæ non sufficerent pro sustentatione Presbyteri, & Altaristæ, fuit facta vnio &c. quod ostendit in fundatione non fuisse intellectum de simplici clerico, pro cuius sustentatione non fuisset necessaria tanta solicitudo, tum quia verbum Altarista aliquid operari debet, vt intelligatur de Presbytero, qui altari deseruiat in eo celebrando, & non de simplici clerico, qui potius deseruit Presbytero, quam Altari. Tum etiam quia concurrit obseruantia subsecuta. Nam statim post erectionem iuris patronatus fuit præsentatus Antonius, qui erat actu Sacerdos Præterea etiam fuit obseruatum in præsentationibus annorum 1450. 1490. & in alijs, quæ obseruantia potissimum attenditur in hac materia. *Paris. d. cons. 50. nu. 19.* & fuit dictum in causa Salaman. Cappellaniæ 12. Iunij 1598. coram eodem bo. me. Orano, & in allegata Alexandrina Decanatus 12. Iunij 1590. coram eodem bo. me. Orano.

3 Vnde non ob. quod nomen Presbyteri sit æquiuocum, & possit verificari in simplici clerico, quia proprie ad Sacerdotes tamen spectat *cap. Cleros. 21. distinct. & ita loquuntur Barbat. Roch. Lamber. & Paris. 5. alleg.* & in dubio debet accipi in potiori significatu, vt in allegatis causis Salamantina, & Alexandrina coram bo. me. Orano. maxime quia fundatio non fuit concepta vulgari sermone, secundum quem Presbyter potest sumi ad differentiam Laici, sed est in lingua latina, quo casu presbyter semper accipitur pro sacerdote. *d. cap. cleros. Nec ob.* quod in casu aliquorum Doctorum & decisionum esse eligendus Presbyter Missam cantans, vel qui celebrare deberet, quia ius, & ratio istius decisionis & aliarum supra allegatarum consistit in eo, quod verbum Presbyter, quod intelligitur de Sacerdote, vt dictum est, adhæret verbo eligendi, & sic cum ista qualitas Presbyteri sit iuncta verbo eligendi, debet inseruire de tempore verbi, nempe de tempore electionis siue præsentationis, ex late supra deductis.

4 Sicuti neque obstat quod dicatur, aliquando fuisse præsentatos simplices Clericos, quia vltra quod de hoc non constat, nihilominus, & ista obiectio fuit sublata in dicta causa Alexandrina Decanatorum. 12. Iunij 1598. coram bon. mem. Orano, tum quia præsentationes factę longe post ipsam fundationem non possent deseruire pro obseruantia interpretatiua. Tū quia

quia cum fundatio sit clara non est locus interpretationi. Tum quia non erat in facultate ordinarij, & cũ cõsensu Patroni derogare qualitatib. fundationis. Tum deniq; quia potuit esse, quod fuisset cum præsentatis dispensatũ, vt late in eadem decisione consideratum fuit.

5 Nec etiam obstat, quod licet Politus de tempore præsentationis non esset Presbyter erat tamen in ętate, quod poterat ad ordinẽ Presbyteratus promoueri, quod ei sufficere videbatur, *ex not. in c. si eo tempore, & ibi gloss. in verb. prouideri. de præb. eo. libr. 6.* cum alijs quos refert, & sequitur, *Roman. consil. 325. in princip.* quia hæc bene procedunt, quando vigore, statuti, consuetudinis, & priuilegij debet fieri collat. vel pręsentatio beneficij habentis Sacrum ordinem annexum, quia tunc sufficit, quod ille cui fit collatio habeat ætatem legitimam ad illũ ordinem suscipiendum, etiam procederent in iure patronatus Ecclesiastico, secus autẽ est in iure patronatus laicali, & quãdo versamur in dispositione laici opponentis legem in re sua tempore fundationis, quam potest apponere, hoc enim casu quando laicus disponit quod pręsentetur Presbyter, non sufficit quod pręsentatus habeat ætatem idoneam ad presbyteratum, sed requiritur, quod sit actu presbyter, vt per *Barb. in d. consil. 33. in fin. lib. 2.* Vbi etiam declarat *Rom. & iura ab ipso alleg. Lambertin. de iur. patron. act. 29. quæst. 7. princ. par. 1. libr. 2.* qui late deducit, & refert, & sequitur consil. Barbat. & alias auctoritates, & rationes allegatas. Hinc resultat effectus dubij, quia cum præsentatio, & institutio Politi fuerit nulla, ex quo de tempore pręsentationis non erat acerdos, intrat gratia Apostolica. D. Tonti siue vtatur gratia præsentiali siue quãdo illa non intret, vti velit gratia si neutri ab eodem post hanc litem motam obtenta, siue alia gratia perinde valere cum noua prouisione. Nec dicatur quod neque idem D. Tontus sit sacerdos, prout requiritur ex fundatione, quia id tollitur ex d. gratia perinde valere cum noua prouisione eisdem a Sanctissimo D. N. concessa, in qua ei vt beneficium recipere, & retinere valeat, absq; eo quod ad ordinem presbyteratus se faciat promoueri indultum, & vt mem. dispensatum fuit.

9 Neque suffragari potest Polito, quod post primam præsentationem & institutionem de ipso nulliter factam fuerit lite pendente promotus ad ordinẽ presbyteratus, & de nouo, à Patronis præsentatus quia dici posset quod cum patroni scienter indignũ præsentauerint priuati erant pro illa vire potestate iterũ præsentandi, iuxta *dec. Cresc. 11. de iure patron.* & qui sciuerint quod præsentandus deberet esse Presbyter constet ex quo incontinenti, post præsentationem produxerunt eorum ordinario instrumentũ dotationis, & reseruationis iuris patronatus in quo qualitas presbyteratus requiritur, sed nihilominus antea huiusmodi nouam præsentationem D. Tontus obtinuerit gratiam si neutri, & gratiam perinde valere, cum noua prouisione cum mentione litis, ac iuris patronatus constitutis ex dotatione, & fundatione, & cum expressione quod patroni præsentauerunt Politum non habentem qualitatem requisitum presbyteratus intrant huiusmodi gratiæ D. Tonti, per quas consumpta fuit vacuatio, & quæ excludunt posteriorem præsentationem de eodem Polito factam, *Cresc. dec. 8. de iure patron.*

6 Vltra quod cum lis penderet super titulo beneficij inter prouisũ Apostolicũ, & præsentatũ nõ poterant patroni aliam præsentationem facere, *c. 1. & 2. vt lit. pend. libr. 6.* quæ iura habent locum etiã in præsentatione, *Calderin. consil. 1. vt lit. pendent. Lap. alleg. 22. nu. 13.* fuit dictũ corã Brauo in vna Salamantina Parochialis 1. Decembris 1578. & in causa Salamantina Cappellaniæ del Voto 5. Iulij 1593. coram Illustrissimo D. Cardinale Pamphilio, & sic neque cumulando poterant iterum præsentare hunc collitigantem, quia quid dicunt sit, quando per variationem de collitigante lis finitur cum per hanc nouam præsentationem potius detur occasio litigandi, & aperiatur via ne lis terminetur, iuxta *decis. Cresc. 8. & 10. de iure patron.* & in fortioribus terminis fuit resolutum in causa Ispalen. Beneficij 11. Februarij 1604. coram bo. me. Litta. Et ita vnanimiter conclusum.

ILLVSTRISSIMO CARDINAL. LANCELLOTTO.

Carpentoraten. Fideicommissi. Lunæ 17. Martij 1608.

ARGVMENTVM.

Feminæ non censentur vocatæ, vbi fuit habita ratio conseruationis, agnationis, & quando censeantur vocatæ post masculos, vbi testator voluit bona conseruari in agnatione & prouenire ad proximiorem de genere.

SVMMARIVM.

Femine censentur exclusæ, vbi testator habuit rationem conseruandæ agnationis, etiam si alias ex proprietate verborum venirent, num. 1.

Conditio si sine filijs verificatur etiam in feminis ad excludendum substitutum, num. 1.

Fallit quando testator habuit rationem conseruandæ agnationis, num. 1.

Feminæ non censentur comprehensæ in substitutione quando illa est restricta ad masculos, & testator discretiue loquutus fuit de feminis, nu. 2.

Feminæ censentur vocatæ post masculos, quando testator vult bona in agnatione conseruari, & ad proximiorem de genere deuenire, nu. 3.

Declara vt non habeat locum, quando ex sequentibus apparet dispositionem agnationis, & generis intelligi de linea masculina exclusis feminis, num. 2.

Declara secundo procedere quando feminæ ob initio fuerunt vocatæ, alias secus, nu. 4.

Extensio non fit in fideicommissis de vno casu ad alium, nu. 4. vbi quod ex substitutione in casum alienationis non infertur ad vocationem in casum deficientis lineæ.

DECISIO CCXVII.

1 EX late deductis in decisione Reuerendi Patris Domini mei Manzanedi, Domini vtraque parte informante perstiterunt in decisis. Nam licet verba fideicommissi essent apta comprehendere etiam feminas, nihilominus cum testator habuerit rationem conseruandæ agnationis, quam in suo testamento expressit, feminę, quæ alias ex proprietate verborum essent comprehensæ, non censentur vocatæ, quinimo dicuntur exclusæ, vt bene declarat *Molin. de primog. Hispan. lib. 3. c. 5. nu. 38. Socin. Gabr. Menoch. & alij in dicta decisione allegata,* in qua etiam deducitur ratio istius conclusionis, sicut etiam videmus, quod licet conditio, si decesserit sine filijs verificetur etiam in feminis ad excludendum substitutũ, *leg. si ita scriptum, ff. de leg. 2.* & decisum fuit in causa Camerinen. fideicommissi coram Reuerẽdissimo Patre Domino meo Decano, nihilominus quando testator habuit rationẽ conseruande agnationis, tunc feminæ non comprehenduntur, Illustrissimo Mant. *de coniect. vltim. volunt. libr. 11. tit. 14. numer. 13. & seq.* & fuit resolutum coram eodem Illustrissimo Man. in in causa

in causa Nucerina fideicommissi 16. Ianuarij, & 24. Nouembris 1595.& coram me in causa Fulginaten.fideicommissi 22. Martij 1599. & fuerat prius decisum coram Tholomæo in vna Parmen. de Garimberitis relata inter impressas *decis. 801. part. 3. lib. 3.*

2 Preterea ex lectura ipsius fideicommissi apparet, substitutiones esse restrictas ad masculos,ibi si masculos reliquerit &c. & inferius ibi, sic quod vbi defecerit linea masculina, & deinde, ibi bona reuertuntur ad lineam masculinam alterius. Immo quod plus est, de feminis fuit semper discretiue dispositum instituendo illas in Scutis 1000. in quibus etiam substituti sunt masculi, ad quos hæreditas deuenisset, vnde apparet testatorem non intellexisse, quod in substitutione comprehenderentur feminæ, quæ sunt omnino exclusæ. *Molin. d. lib. 3. c. 5. num. 55.* cum alijs bene ponderatis in decisione.

3 Qua ratione non obstat, quod verba testamenti, quia vult bona in agnatione conseruari, & ad proximiorem de genere deuenire, sint apta comprehendere feminas, & quod isto casu feminæ debeant post masculos admitti, ex late allegatis. Tum quia testator non se firmauit in istis verbis, quia voluit bona conseruari in agnatione, & semper ad proximiorem de genere transire,sed statim subdit sic, quod vbi defecerit linea masculina, alterius Stephani, & Francisci,&c. bona reuertantur ad lineam masculinam alterius, quæ verba declarant præcedentem dispositionem agnationis, & generis, vt in ea tantum intellexerit de linea masculina hæredum exclusis feminis, vt de simili dictione, ita quod fuit resolutum in causa Bonon.bonorum 18. Iunij 1582. coram Illustrissimo Cardinali Seraphino.

4 Tum quia id habet locum quando ab initio minæ sun vocatæ, in quibus terminis loquuntur omnes Doct. in contrarium allegati,secus vero quando non fuerunt initio vocatæ,quia tunc non est locus successiue substitutioni, vt bene post alios, quos allegat,declarat *Gabr. consil. 132. q. 5. num. 56. & 57. lib. 1.* Hic autem feminas non fuisse ab initio vocatas, neque comprehensas in substitutione, licet verba essent apta illas comprehendere, satis constat ex supradictis, & ita conclusum non obstante, quod in casum alienationis sint vocati proxiores, per lineam masculinam, quia stantibus prædictis, non intelligitus de feminis in hac substitutione in casum alienationis, non infertur ad vocationem in casum deficientiæ lineæ, cum non admittatur in fideicommisso extensio de vno casu ad alium, *vt in vulg. iur.*

REVERENDISSIMO P. DOMINO LVGDVNEN.

Bononien. Census. Lunæ 17. Martij. 1608.

ARGVMENTVM.

Minor contrahens sine solennitate statutaria, & etiam iurans sibi non præiudicat, quando statutum huiusmodi fuit approbatum authoritate Apostolica, vbique habes in Summarijs.

SVMMARIVM.

Minor contrahens sine solennitate statutaria non obligatur. num. 2.

Statutum licet regulariter non obliget, ciues suos contrahentes extra territorium, hoc tamen non procedit quando vlterius procedit tollendo fidem scripturis, & instrumentis, alibi confectis, etiam extra territoriorum. num. 2.

Instrumentum cui a statuto fides denegatur, neque probat iuramentum in eo contentum. num. 3.

Proœmium declarat mentem contrahentium. num. 4.

Statutum Vrbis lib. 1. cap. 113. dans certam formam contractibus minorum, si non seruetur actum reddit nullum & inutilem. num. 4.

Statutum prædictum cum respiciat solennitatem, & formam, sub qua minor debet contrahere comprehendit, etiam minorem forensem. num. 5.

Forenses ligantur statutis loci, in quo contrahunt, in respicientibus formam, & solennitatem contracuum. num. 5.

Communitates locorum æquiparantur pupillis. num. 6.

Contractus vbi facti fuerint inter duos priuilegiatos, potior causa est eius qui lædetur, aut damnum sentit. num. 6.

Pater ad proprium sumet commodum non potest auctorizare personam filij. num. 7.

Minor quod possit contrahere sine solennitate statutaria, si contrahat cum patre, fundatur in eo, quod pater solet capere bonum consilium pro filio, ideo non habet locum quando damnum filij est euidens. num. 8.

Consensus non præsumitur ad donandum, sed ad validandum contractum. num. 9.

Minor se obligans ex causa necessaria, vt pro patre excarcerando, non restituitur. num. 10.

Intellectus ad text. in auth. si captiui, C. de Episc. & Cleric. num. 10.

Ius commune non attenditur quando tractatur de statuto. num. 11.

Statutum quod pro solennitate plura requirit vna omissa solennitate actus totus est nullus. num. 11.

Statuti solennitates seruari debent quando tractatur de patre liberando. num. 11.

Rota non abnuit plurium statutorum dari concursum ita vt vnum ab alio suppleatur.

Statutum de quo supra habet locum in omnibus contractibus ex quibus minor potest lædi. num. 12.

Statutum requirens solennitates in contractibus minorum præter solennitatem, & causam alienandi, etiam requirit euidentem vtilitatem minoris. num. 13.

Iuramentum de non veniendo contra contenta in contractu non excludit, vt quis contra talem contractum venire possit, quando interuenit enormissima læsio. num. 13.

DECISIO CCXVIII.

1 CVm Theodorus ciuis Bononien. ob dilapidatam Regiminis Bononien. pecuniam detineretur carceribus Vrbis, fuit de anno 1600. inter ipsum, & d. Regimen inita concordia in qua Theodorus cum promissione solutionis residui debiti, si vnquam ad pinguiorem fortunam rediret, cessit prædicto Regimini quendam annuum censum librarum 320. qui erat pars dotis Isabellæ prædefunctæ ipsius vxoris, illique Cessionis Annibal filius Theodori & Isabellæ tunc impubes pubertati proximus præstitit consensum cum iuramento, & cum authoritate curatoris ad id specialiter sibi deputati, & cum Decreto Iudicis, renunciauitque priuilegio minoris ætatis, atque promisit contentis in illo contractu nunquam contrauenire. Elapsis postea aliquot annis, cum idem Annibal, vti filius,& heres Isabellæ petijsset fructus census ab Alexandro antiquo illius debitore, qui iam illum extinxerat mediante solutione librarum quatuor mille facta Regimini cessionario, fuit inter dictum Alexandrum & Cameram Bononiæ ex vna parte, & Annibalem ex altera introducta lis in partibus. Vnde cum auocata & mihi commissa fuisset, dubitaui an prædicta cessio & extinctio census obstet Annibali, & dubio vtraque parte informante proposito, Rota respondit negatiue.

2 Et mota est potissimum ex omissione formæ seu solennitatis statutariæ quæ in ista alienatione rei ad minorem spectan. requirebatur, siue consideremus locum census alienati & originis, ac domicilij Annibalis siue locum celebrati contractus. Statutum enim

Bono-

Bononiæ ſub tit. de contract. cum minoribus & filijs fam. faciendis expreſſe prohibet ſuis ſubditis, etiam extra Ciuitatem, & diſtrictum Bononien. contrahere, niſi ſub quadam forma quæ hic ſeruata non fuit, ideoque clarum eſt, quod iuxta terminos illius ſtatuti ceſſio Annibalis non eſt habenda in conſideratione, & licet dubitari ſoleat, an ſtatutaria diſpoſitio liget ſuos ſubditos extra ſuum forum, tamen illa dubitatio tollitur, ex quo ſtatutum Bononiæ procedit vlterius tollendo fidem ſcripturis, & inſtrumentis aliter confectis, etiam extra territorium, ad latè tradita per *Tiraquell. de leg. connub. gloſſ. 8. num. 219.* Et Rota in cauſa Bononien. Terrarum. 29. Maij 1579. coram Cantuccio, *quæ eſt deciſion. 104. part. 2. diuerſor.* dixit dictum ſtatutum eſſe indubitanter obſeruandum.

3 Quo ſtante non eſt facienda vis in iuramento Annibalis, quia illud annullatur à dicto ſtatuto authoritate Apoſtolica confirmato. Et ſi fides dempta eſt contractui, ita vt contractus non probetur, nec etiã probatur iuramentum, contentum in contractu, *Bart. in l. omnes populi. nu. 25. de iuſtit. & iur.* Fuit conſideratum in dicta deciſione coram Cantuccio, & in ſimilibus terminis ſtatuto Vrbis de præſcription. ſexdecim annorum apud *Mohed. deciſio. 16. de præſcript. & Put. dec. 116. libr. 1.*

4 Quod ſi dictum Bononiæ ſtatutum non vendicat ſibi locum in iſta cauſa, quoniam diſponere videtur, quando adeſt ſuſpicio quę in iſto caſu omnino ceſſauit, videlicet quod minor ſe contulerit extra diſtrictum vt fraudem faceret ſtatuto, ſicuti colligitur ex proœmio, quod declarat mentem ſtatuentium, *Bart. in l. fin. de hæred. inſtit. Oldrad. conſ. 103. num. 1. ibiq; add. Roman. conſil. 436. num. 10.* & ex quo alias minor. Bononien. vix contrahere poſſit alibi, quam in diſtrictu Bononien. quicquid ſit de iſta conſideratione, quam Domini non firmarunt, non tamen propterea obſtabit Hannibali ceſſio, quia ſuccedit ad eius fauorem ſtatutum Vrbis *libr. 1. c. 113.* quod in alienationibus faciendis rerum ad minores ſpectantium dat certam formam, quæ cum in ceſſione cenſus non fuerit ſeruatum præſertim in deputatione duorum curatorũ, ideo fit locus verbis, & diſpoſitioni dicti ſtatuti, quod talis alienatio nulla & inualida cenſeatur.

5 Et quidem non eſt dubium quin dictum ſtatutum comprehendat minorem forenſem contrahentem in Vrbe cum reſpiciat ſolennitatem ſeu formam, ſub qua minor debet contrahere, non autem illius perſonam inhabilitet, iuxta doctrin. *Bar. in l. 1. n. 13. & 14. C. de ſumm. Trinit. & Fide cathol.* quam omnes ſequuntur, vt dixit ibi Iaſ. & de communi teſtatur Purpurat. *ibidem num. 98. & quamplurimos refert Lamberteng. de contractib. mulier. gl. 2. nu. 26. & ſeqq.* Et eſt regula generalis, quod in reſpicien. formam contractus, & ſolennitatem, forenſes ligantur ſtatutis loci in quo contrahunt. *Gabr. de conſuet. concluſ. 2. numer. 4. Surd. conſ. 257. nu. 1. & 3. Caputaq. dec. 206. & 215. part. 3. Cæſar. de Graſſ. dec. 2. nu. 16. de donat.*

6 Non obſtat, quod iſte minor contraxerit cum cõmunitate Bononiæ, quæ fungitur vice, & Priuilegio *pupilli. l. nihil. ff. ad municipal. leg. res publica. C. ex quibus cauſ. maior. l. rempublicam, Cod. de iure reipubl. libr. 10. Bart. in leg. nulli. numer. 4. ff. quod cuiuſque vniuerſ. nom. Corn. conſil. 189. num. 4. lib. 3.* Quia etiam ſi dictus minor ad alterius minoris fauorem obligaſſet ſe, & ius remiſiſſet ſuum, haberet nihilominus locum ſtatuti diſpoſitio, quandoquidem inter duos priuilegiatos contrahentes potior eſt cauſa eius, qui in contractu inſimul inito læſus eſt, aut damnum ſenſit. *arg. c. auditis. de reſtit. in integr. leg. fin. ff. ex quibus cauſ. maior. l. 1. Cod. ſi aduer. fiſcum. Et adhuc plures cumulat. Lamberteng. in d. tract. de contract. mulier. in fine, numer. 125. & ſeqq.*

7 Non obſtat, quod propter præſentiam patris, non fuerit neceſſaria deputatio alterius curatoris, quia omiſſo quod dicitur, Theodorum paſſum fuiſſe maximam capitis diminutionem, per quam finita fuerat patria poteſtas, *§. cum autem is, inſtit. quib. mod. ius patr. poteſt ſolu.* Adhuc non potuit ad ſui proprium commodum auctorizare filij perſonam, vt in his terminis eſſe veram opinionem reſpondit *Bald. conſil. 213. in princ. Tradit Iaſ. conſ. 69. in 2. dub. libr. 1.* Vbi ait, hanc opinionem eſſe tenendam & ſequendam in iudicando. *Pariſ. conſil. 97. nu. 21, & ſeq. lib. 3. Late Tiraq. de legib. connub. gl. 8. num. 115. Et Aſc. Clem. de patr. poteſt. c. 6. effect. 10. n. 6.*

8 Nec obſtat, quod ſtante ſtatuto vt minor ſine certa ſolennitate contrahere nõ poſſit, filius, tamen ſine dicta ſolennitate poſſit contrahere cum patre, illiq; donare, vt ex magis communi opinione dixit *Gabriel. concluſ. 2. de ſtatu. numer. 1. & 5.* Nam quicquid ſit de veritate illius opinionis, ſufficit, quo ad præſentem inſpectionem, quod illa fundata eſt in præſumptione, quod pater capiat pro filio bonum conſilium, ideoq; non procedit, quando damnum filij eſt euidens vt hic idem *Gabr. d. concl. 12. num. 7. poſt Bart. Iaſ. & Dec. quos allegat.*

9 Deinde Annibal non donauit centum Theodoro ſuo patri, ſed potius alienauit dictum cenſum ad fauorem regiminis, quia & conſenſus non præſumitur ad donandum, ſed ad validandum contractum, *Bald. in leg. mater tua. nu. 10. de rei vendic.* Et idem eſt quod duo ſimul alienent, vel quod vni alienanti, alter conſentiat. *Surd. poſt Bald. & alios quos allegat. conſil. 15. numer. 20. libr. 1. Dec. conſil. 121. numer. 2. Alciat. conſil. 238. numer. quarto Tiraquell. de legibus, connub. gloſſ. 7. numer. 24.*

10 Non obſtat quod cauſa iſtius ceſſionis ſeu conſenſus fuerit Annibali neceſſaria propter *Text. in auth. ſi captiui, C. de Epiſc. & Cleric.* ſicut in ſimili filius fideiubens pro patre excarcerando, non reſtituitur, *Salic. in leg. 1. num. 4. Cod. de fil. fam. min. Ibique Alexand. Caſtren. & alij,* & dixit Rota in cauſa Bononien. Pecuniaria 9. Iunij 1603. coram R. P. D. meo Ludouiſio. Nam fuit reſponſum, Primum quod text. in auth. nõ compellit præciſe filium ad liberandum patrem ſed ſolummodo ſub comminatione exhæredationis, & ſic loquitur *deciſ. 63. par. 2. diuerſ.* Ex prædictis autem patet non fuiſſe cur Annibal extimeſceret de paterna exhæredatione.

11 Secundo quod ille textus loquitur in maiori annis 18. ſicut colligitur ex illius lectura, & notauit ibi Bart. in tertio, not. nec eſt recurrendum ad ius commune dum verſamur in terminis ſtatuti, quod quidẽ vltra euidẽtem vtilitatem minoris alio duo requirit ſolennitatem videlicet & cauſam expreſſam ac plene cognitam, ita vt vno deficiente alterum corruat, quia vnum altero non ſuppletur, *leg. ad teſtamentum, §. 1. leg. cum hi, §. ſi prætor. in princip. Et ibi gloſſ. ff. de tranſact. leg. item veniunt. §. prætor. de petit. hæred. leg. non enim, de adoption.* Vnde admiſſo, quod pietas erga patrem deſeruiat, pro legitima cauſa alienandæ rei ad minorem ſpectantis deficeret, tamen alterum ſtatuti requiſitum, videlicet ſolennitas, & iſte defectus vitiati contractus, *leg. teſtamentum, Cod. de teſtam. ibique Bald. l. qui Romæ, §. Flauius Hermes, ff. de verb. obl.* Et in his terminis liberationis patris, quod ſolennitas ſtatuti ſit indiſtincte ſeruanda, dixit *Bald. in præallegat. conſil. 213.* ſicuti etiam de iure communi præter cauſam alienandi requiritur ſolennitas in alienatione bonorum Eccleſiæ, *c. 1. de reb. eccleſ. non alien. Idemque eſt in rebus minoris. Affliction. deciſion. 249. Butr. deciſio. 205. libr. 3. & notat. in titul. Cod. de præd. & alijs rebus minor. non alien.* Hinc patet reſponſio ad deciſ. in cauſa Bononien. Pecuniaria, quia ibi fuerant ſeruatę ſolennitatés ſtatuti, & nihilominus. Rota poſtea cen-

fuit

fuit illum minorem fore adiudicandum super enormissima læsione.

12 Non obstat quod dictum statutum in *c.* 113. non disponit in casu iurato. Nam vltra quod dici potest, iuramentum esse sublatum per aliud statutum, *c.* 151. *eod. lib.* Et dari istorum statutorum concursum, vt in hoc vnum ab altero suppleatur, quod Rota non abnuit in causa Romana fideic. d.l. Cruce, Lunæ 3. Decembris proxime præteriti coram R. P. D. meo Sacrato, & potest habere magnam rationem, cum sæpius fuerit resolutum illud statutum habere locum in omnibus contractibus, in quibus minor lædi potest, vt copiose deducitur in decisione Romana releuationis indemnitatis 22. Martij 1602. coram R. P. D. meo Ortembergo. Et in Romana Argentorum 27. Iunij 1607. coram R. P. D. Ludouisio.

3 Fuit præterea responsum, quod statutum, vt prædictum est præter solennitatem & causam alienandi, requirit etiam euidentem vtilitatem minoris, quæ ne dum hic non probatur quin potius constat de læsione illius enormissima, illa autem cõclusio quod propter iuramentum de non veniendo contra contenta in contractu excludatur quis à remedio sibi competente contra talem contractum si non fuisset iuratus quam dicunt communem *Couar. in c. quamuis pactum, 3. par. §. 4. num. 4. in princip. & Pinel. in repet. l. 2. C. de rescind. vend. §. 3. cap. 1. num. 1. & seq.* non procedit, quando interuenit enormissima læsio. *Cassad. decision. vnic. de empt. & vendit. Couar. alios allegans, dict. §. 4. num. 5. & lib. 2. var. cap. 4. num. 5.* & communem dicit *Molin. de primog. Hispan. lib. 2. cap. 3. nu. 18. Optime Corn. consil. 288. num. 16. libr. 3.* Sic autem fuit enormissime læsus Annibal, quia nulla aderat spes reualendi se ab ista cessione, quæ ratio fuit considerata in d. Romana Argentorum, coram R. P. D. Ludouisio, Atq; ista non spes vltra quod ab euentu fuit confirmata, apparebat etiam in limine contractus quia in illo pinguior fortuna, si quæ vnquam contigisset, Theodora erat præoccupata, & obligata Regimini Bononiæ vnde nec obstat vtilitas considerata ex quo pro libris viginti quinque millium solutæ fuerint solummodo libræ quatuor mille, quia nec id procedit absolute, & respicit solum patris vtilitatem, non autem minoris. Atq; ex his Domini censuerunt cessionem non obstare Annibali, dixerunt tamen quod Agentes pro Camera Bononiæ iterum audiantur, si voluerint quia materia est larga, & exemplaris.

R. P. D. MANZANEDO.

Ianuen. Census. Lunæ 28. Aprilis 1608.

ARGVMENTVM.

Census validitas in dubio præsumitur, pecuniaque in eo numerata censetur eo ipso, quod de numeratione Notarius fidem facit, accedentibus, præsertim depositionibus testium instrumentariorum.

SVMMARIVM.

Census impositio in dubio præsumitur valida, quamdiu illius non probatur aliquis defectus, nu. 1.

Numeratam fuisse pecuniam probatur per attestationem Notarij sic in sui præsentia fuisse numeratam, & traditam, nu. 2.

Testes instrumentarij censentur à partibus approbat, & fidem faciunt, etiam quod sint inhabiles, num. 3.

Census impositus cum aliquo pacto contrario Bullæ Pij V. non reputatur inualidus in totũ, quando adest expressum pactum, quod, quæ contra d. Bullam appositæ fuerint in instrumento, habeantur pro non appositis. num. 4.

DECISIO CCXIX.

1 DVbitaui, an census, de quo agitur, esset validus, & Domini affirmatiue responderunt apparet enim super re certa fuisse impositum, & de sui natura fructifera, & in pecunia numerata, & de illo fuisse confectum publicum instrumentum. Vnde validus præsumitur, prout tradit *Cepol. de simulat. contractus, præsumpt. 26. numer. 85.* & fuit dictum in vna Foroliuien. census 13. Nouembris 1589. coram bon. mem. Orano, quin & in dubio pro validitatem census præsumitur, quamdiu non probatur aliquis defectus, *l. si prætor. in princ. de iudic. l. 3. ff. de testament. milit. c. Abbate. de verb. signific. latè Aym. consil. 52. num. 2.* & per totum.

2 Non obstat quod de numeratione pecuniæ opponitur, cum ex eodem instrumento totum contrariũ appareat, Vbi Hieronymus fatetur habuisse, & recepisse a D. Antonio vere, & realiter Scuta duo millia auri in auro, & Notarius attestatur in sui præsentia, & testium, Hieronymum illa habuisse, & recepisse in pecunia numerata, & ei tradita per Antonium fuisse quæ verba non à partibus, sed à Notario prolata important actum numerationis, & realis receptionis, ad trad. per *Bart. l. si ita stipulatus, §. Chrysogonus, num. 3. ff. de verb. oblig. quem sequitur Alex. num. 14. Bald. l. si ex cautione, num. 14. vers.* & ideo probant veram numerationem, *C. non num. pecun. cum aliis deductis in dict. decision. Imolen.* quin & ex prædictis verbis probari numerationem iuxta formam Bullę Pij V. tenuit Rota in vna Bononien. census 15. Februarij 1599. coram D. meo Decano.

3 Quæ magis procedunt, cum adsint depositiones duorum testium instrumentalium, & Notarij rogati de dicto instrumento, & testes instrumentarij censentur à partibus approbati, & faciunt fidem, etiam si alias essent inhabiles iuxta *Glos. verbo supplicijs, §. licet in auth. de testibus, quam dicit singularem Imol. l. ad testium §. conditionem. ff. de testam. & Ias. pluribus illam sequentibus relatis leg. 1. num. 13. versic. contrarium. ff. de ferijs. Aym. consf. 56. num. 10.* præcipue cum fuerint inducti, & examinati per aduersarium, ad tradita per *Gabriel. de testibus, conclus. prima, numer. 13. versic. contrarium.*

4 Nec alij testes quicquam obstant, cum non interfuerint contractui, & deponant de auditu ab ipsa parte aduersa. Et in omnem euentum iste contractus habet clausulam cum expressa protestatione, quod contrahentes istum contractum censualem celebrare volebant, iuxta formam Bullæ Pij Quinti, taliter quod si adesset aliquod pactum contra tenorem dictæ Bullæ haberetur pro non apposito, quæ protestatio de vtriusque partis consensu facta valet, & limitat obligationem ad formam dictæ Bullæ ad trad. per *Gabriel. consil. 47. num. 10. libr. 2.* & fuit dictum in supradicta decisione Foroliuien. coram Orano, & in vna Anagnina vsurarum 14. Martij 1607. coram me, & alias sæpius.

5 Minus obstat sententia in partibus contra validitatem census lata, cum ex prædictis clare appareat de illius iniustitia. Nec etiam obstat, quod census fuerit impositus super bonis subiectis fideicommisso, cum de hoc non constet, nec quicquam probetur.

REVERENDISSIMO P. D.

COCCINO DECANO.

Viterbien. Fideicommissi. Lunæ 5. Maij. 1608.

ARGVMENTVM.

In fideicommissis, quando bona fideicommisso subiecta restituenda sunt, an attendatur tempus mortis grauantis, vel grauati.

SVMMARIVM.

Fideicommissi restitutio fideicommissario quando facienda est in bonis Drogheriæ, attendi debet tempus obitus grauantis, & non grauati. nu. 1.

Negotians in suo commodo debet etiam subire periculum. numer. 2.

Hæres grauatus restituere Drogheriam fideicommissario non tenetur in gratiam fideicommissarij aliquid lucrari. num. 2. & 3.

Fideicommissorum restitutio vbi facienda est, veniunt ea, quæ erant in hæreditate tempore obitus grauantis. nu. 3.

Fideicommisso vniuersali existente, quando vna res, vel quantitas succedat loco alterius. nu. 4.

Fideicommisso relicto in mobilibus, & verisimilibus restitutio facienda est secundum tempus purificati fideicommissi, dummodo absit dolus, & fraus grauati. nu. 5.

DECISIO CCXX.

1 DVbitaui an in restitutione Drogheriȩ esset attendendus valor de tempore obitus grauati, an vero grauantis. Et Rota censuit esse attendendum tempus obitus grauantis, & non grauati, quia genus, aut quantitas in genere est in fideicommisso, non species, vel merces, quæ reperiebantur in drogheria tempore obitus grauati, aut quæ quolibet tempore reperirentur, ita quod fideicommissum cresceret, & decresceret sicut peculium. *l. si ita. ff. de aur. & arg. leg. l. Aurelius. §. testamento. ff. de liber. leg. l. si ita scripsisset. ff. de l. 2. & est bonus tex. in l. hac edictali. §. mobilium. C. de secund. nupt. Bald. cons. 135. nu. 1. lib. 1.*

2 Cum enim agatur de drogheria, cuius bona non fuerunt subtracta, sed in vtilitatem grauati conuersa, æquum est, vt cum is suo commodo negotiaretur, ita & suo periculo. *l. si socius. §. 1. ff. pro socio. l. manifestissimi. §. sed cum in secundam. C. de furt.* & ratio suadet, quod sicut commodum non spectabat ad fideicommissarium, ita nec damnum, vt in puncto considerat *Bald. alleg. consil. 135 num. 1. vers. præterea iste Titius. & in fine vers.* Præterea est ratio eadem. Hæres. enim non tenetur negotiari, & aliquid lucrari in gratiam fideicommissarij. *DD. in l. deducta. §. ante diem. vbi Alexand. num. 2. ff. ad Trebellianum.* nec esse eius procurator. *leg. postulante. §. sed in huiusmod in fine. ff. eodem titulo.*

3 Et hæc est regula generalis, quia in fideicommissis restituendis veniunt ea, quæ erant in hæreditate de tempore obitus grauantis. *l. 3. ff. ad leg. Falcid. l. debitor. §. fin. l. in fideicommissariam. §. quoties. & leg. ita tamen. §. 1. ff. ad Trebell.* vbi fructus pendente fideicommissi cōditione percepti ab hærede grauato non restituuntur fideicommissario, quia non hæreditate, sed bonis accepto feruntur.

4 Neque obstat, quod versemur in fideicommisso vniuersali, & in vniuersalibus vna res, vel quantitas succedit loco alterius rei, vel quantitatis, *l. Imperator. §. fin. cum lege sequenti. ff. de leg. 2. l. cum tabernam. ff. de pignor. Bald. dicto cons. 135. num. 1. vers. in contrarium.* Quia hæc non faciunt ad punctum, essent enim consideranda, si merces, quæ extabant in Drogheria fuissent suppositæ fideicommisso, & non genus, aut quantitas in genere, tunc enim esset videndum, an desijssent extare facto, dolo, aut culpa ipsius hæredis grauati, vel naturaliter, quos casus considerant Doctores, & ampliant, & limitant.

5 Non obstat, quod aliquando attenditur tempus obitus grauati, quia conclusio procedit quo ad vtensilia, & mobilia domus, quæ restituenda sunt, prout sunt de tempore purificati fideicommissi, modo non adsit dolus, & fraus grauati, quia illarum rerum vsus censetur permissus à testatore, & in his terminis loquitur decisio Foroliuien. fideicommissi 13. Nouembris 1995. coram bon. memoriæ Litta. An autem constet Drogheriam fuisse versam in aromatariam, erit particulariter agendum.

REVERENDISSIMO P. DOMINO COCCINO DECANO.

Oueten. Mercedis. Veneris. 30. Maij 1608.

ARGVMENTVM.

Ex Summario argumentum sume.

SVMMARIVM.

Mercedis, seu Salarij Procuratori debiti taxatio facienda est secundum qualitatem, industrtam, & peritiam Procuratoris. nu. 1.

DECISIO CCXXI.

1 CVm Capitulum non neget, salarium esse debitum D. Quignones, prout etiam pluries fuit firmatum, sed solum discordia sit circa quantitatem, Rota censuit, non posse fieri vim super decreto reuocationis D. Quignones, cum assignatione Salarij Scut. 50 quia ista assignatio fuit facta post reuocationem, nec constat de aliqua acceptatione, sed D. Quignones deberi salarium ad rationem Ducator. 100. annorum iuxta resolutiones alias factas, quia dato etiam quod non constaret de aliqua promissione quantitatis, nihilominus cum hoc casu sit attendenda qualitas personarum, industria, & peritia, vt dicit *Bald. cons. 155. in fin. lib. 5.* habita ratione ad dictas qualitates D. Quignones, hæc quantitas non videbatur excessiua, sed multum conueniens.

REVERENDISSIMO P. DOMINO LVGDVNEN.

Firmana Altaris. Lunæ 9. Iunij. 1608.

ARGVMENTVM.

Beneficium liberum potest per Episcopum ex causa vniri beneficio iuris patronatus, cum facultas vniendi Episcopo competens non sit restricta, sed referatur ad omnia beneficia.

SVMMARIVM.

Ius patronatus super beneficio libero non potest per ordinarium laico concedi. nu. 1.

Fallit ex causa. nu. 1. vbi pro causa consideratur, quod beneficium iuris patronatus sit modici redditus.

Beneficium vnitum non dicitur amplius beneficium, sed prædium benefici), cui vnitum fuit. nu. 2.

Episcopus potest vnire beneficium liberum beneficio iuris patronatus. nu. 3.

Vniendi facultas competens ordinario refertur ad omnia beneficia exceptis Ecclesijs Cathedralibus, & diuersarum religionum. nu. 3.

Dictio etiam est implicatiua, & extinctiua. nu. 3.

Vnio etiam nulla præscribitur spacio 40. annorum. nu. 4.

Bene-

Beneficia tria in eadem Ecclesia nemo obtinere potest. num.5. Et ibi declara.

DECISIO CCXXII.

1 Censuerunt Domini persistendum esse in decisis ex rationibus deductis in decisione, quibus nõ obstat quod beneficio S. Antonini, quod erat de iure patronatus, vnitum fuerit beneficium liberum S. Stephani, quod non potuit fieri ab ordinario, qui non potest concedere laico ius patronatus super beneficio libero, *Abb. cons.106. num.4. Et consil.28. lib.2. Roch. de iurepatron. vers. pro eo, quod de Diœcesani, q.16. Lamberteng. eodem tract. lib.1. part.1. art.4. q. 10. num. 4.* Fuit enim responsum, id non procedere, quando Episcopus ex causa facit de beneficio libero patronatum, vt se declarat *Abb. d. consil. 106. & post Roch. Lamberteng. vbi supra numer. 5. & 6.* & sic vnio facta fuit ex causa legitima, videlicet ob tenuitatem reddituum beneficij Sancti Antonini *Rebuff. in prax. tit. de vnion. numer. 39.*

2 Deinde aliud esse, quod Episcopus possit concedere ius patronatus super beneficio libero, aliud quod possit vnire beneficium liberum beneficio iuris patronatus, & differentiæ ea ratio est, quia in primo casu beneficium liberum reducitur ad seruitutẽ. In secundo autem casu post vnionem beneficium vnitum, non habetur amplius vti beneficium, sed vti prædium beneficij, cui vnitum fuit *Rot. dec.11. n.1. de reb. eccles. non alien. in antiq. Cassad. dec. 13. num. 1. super reg. Oldrad. consil.357. nu.15. & 18.* Ideoque in beneficio vnito non consideratur amplius qualitas libertatis, seu seruitutis ex iure patronatus.

3 Et quidem quod Episcopus beneficium liberum vnire non possit beneficio patronato, non reperitur in iure cautum. Quin potius facultas vniendi cõpetens ordinario refertur ad omnia beneficia *Rebuff. in praxi tit. de Vnion. nu.4. & 5. Hoied. de benef. compat. par. 2. cap.3. nu.6. Et Petr. de Perus. de vnio. Eccles. cap.4. nu. 28.* dicit notandum, quod potestas Episcoporum circa ius vniendi non reperitur de iure restricta nisi tantum quo ad Ecclesias Cathedrales, & diuersarum Religionum. Idemq; *c. 6. num. 2.* dicit, obseruandum esse, quod iura loquentia de vnione Ecclesiarum nõ distinguunt de qualitate ipsarum, sed simpliciter, & absolute dicunt, vnam Ecclesiam posse vniri alteri, quodque ista vnio beneficij liberi ad beneficium patronatum fieri possit, videtur præsupponere *Sacr. Conc. Triden. sess. 25. c.9. vers. insu per.* dum reuocat ex huiusmodi vnionib. illas, quo non sunt effectum sortite, quacumque authoritate, etiam Apostolica concessæ fuerint, ponderando illam dictionem etiã quę cum implicatiua, & extinctiua sit. *Calder. in Clem. 1. in fin. de sent. & re iud.* aperte comprehendit vniones factas ab ordinarijs. Et maxime mouebat Dominos resolutio Illustrissimorum Dominorum dicti Sacri Concilij Interpretum, qui in hac ipsa causa id fore in Rota dispiciendum dixerunt, an ista vnio fuerit effectum sortita 40. annis ante Concilium. Cũ enim in prima decisione iam firmata fuerit illa effectuatio, Rota quæ dictorum Illustrissimorum DD. resolutiones semper suscepit reuerenter, non habet, quod in hac facti specie amplius inspiciat.

4 Neque obstat, quod dicitur, etiamsi ista vnio non sit irrita ex Decreto Concilij, attamen esse inualidam ex iuris communis dispositione, nam vltra quod iam dictum est, id in iure non probari, Ad huc stante cursu longi temporis vltra 40. annos, possit præsumi cõfirmata authoritate Apostolica, & data etiam illius nullitate, intraret præscriptio, *Vital. in Clem.1. n.98. de excess. prælat. Late Rebuff. d. tit. de vnion. nu.35. Facit dec. Cæs. de Graff. 3. nu.12. de præbend.*

5 Non obstat, quod præsentatio in hoc casu fuerit nulla, ex quo nemo tria beneficia in eadem Ecclesia obtinere potest, *c.1. de conuent. in 6. Ibique Gemin. num. 12. Franc. nu.7. Anchar. nu.3.* & alij, quia in omnibus alijs agitur de beneficijs in duabus Ecclesijs, videlicet Sancti Martialis, & Sanctæ Anatoliæ quo casu quis potest etiam sine dispensatione Apostolica esse triplex. *Anchar. d. nu.3.* Atque ex his fuit conclusum persistendum esse in decisis.

REVERENDISSIMO P. DOMINO LVGDVNEN.

Spole tana Bonorum. Veneris 13. Iunij 1608.

ARGVMENTVM.

Possessio percipiendi fructus, & decimas quomodo probetur, & isto casu testibus hinc inde contrarijs, quibus magis est credendum.

SVMMARIVM.

Narratiua Papæ in antiquissimis probat, etiam in facto alieno, nu.1.

Verba enunciatiua, seu narratiua prolata per modum causæ plene probant, num.2.

Enunciatiuæ verba plene probant iunctis adminiculis, nu.3. & 4. Vbi ponitur exemplum huiusmodi adminiculi.

Enunciatiua duæ in antiquissimis, quorum memoria hominum in contr arium non extat, plene probant, nu. 4.

Possessio percipiendi fructus in antiquis probatur per publicam vocem, & famam, nu.6. & 7.

Possessio de præterito præsumitur continuata in futurum, nisi probetur interrupta, nu.7.

Hactenus dictio excludit tempus præteritum vsq; ad illam diem, nu.8.

Narratiua posita in supplicatione, & gratia probat contra supplicantem, nu.9.

Testes specifice, & certe deponentes præferendi sunt testibus deponentibus generice, & æquiuoce. nu.11.

Testium dicta interpretanda semper sunt, vt excitetur contrarietas, nu.12.

Possidere vnum prædium duo possunt, vnus scilicet respectu certorum fructuum, & alius respectu aliorum fructuum, nu.12.

Probatio per instrumenta fortior est, quam probatio per testes, num.13.

Locatio à communitate præsumitur facta secundum formam decreti facti de locando, nu.14.

Locationis contractus quid contineat colligitur ex quantitate pensionis, nu. 16.

DECISIO CCXXIII.

1 In hac disputatione restricta ad fructus prouenientes ex terris laboratiuis, Domini consideratis iuribus, & testibus tam Ecclesiæ S. Petri de Ferentillo, quam Ciuitatis Spoleti, censuerunt præualere probationes Ecclesiæ, & constare dictam Ecclesiam fuisse in possessione percipiendi fructus ex cultura prouenientes vsq; ad annum 1530. vel in circa. Antiquissima enim Ecclesię possessio probatur ex Bulla Gregorij IX. de anno 1231. in qua post quam Pontifex sub sua, & Sanctę Sedis Apostolicæ protectatione recipit Monasteriũ S. Petri de Ferentillo, subdit deinde. Præterea quascunq, possessiones quæcunq; bona idem Monasterium in præsenti habet, & canonice possidet, firma vobis, vestrisq; successoribus, & illibata permaneant, hic proprijs diximus exprimenda vocabulis. Domumq; exprimit Rigouitum, & Petamen, de quibus agitur, siquidem, & narratiua Papæ in antiquissimis probat etiam in fa-

cto alieno. *Alexand.consil.15.num.2.lib.5.Ruin.cons.108. num. 20. lib. 2. & alij per Gabriel. de probation. conclus. 2. numer. 54.*

2 Et in hoc casu non potest dici, quod narratiua prædicta habeat simpliciter verba enunciatiua, quo ad dicta bona. Quia cum in illa Papa disponat recipiendo Abbatiam, & bona ad illam spectantia sub sua protectione, dicendum est Papam fuisse bene certificatũ, quod Monasterium habebat, & legitime possidebat dicta bona; & ista esse verba assertiua determinate pro lata per modum causæ finalis, quia videlicet Papa voluit dicta bona sub sua protectione recipere, quo casu huiusmodi verba probant, *c. si Papa.§.1.vbi Doct. de priuil.in 6.clem.literis de probat.vbi Vital.num.32. & 42. Oldrad. cons. 258. Roman.cons.369.nu.38.in l.ex his verbis. vers. 7. limita. C. de testam. milit.*

3 Et accedit, quod ex alijs bonis, quæ in dicta Bulla recensentur. Abbas hodie etiam percipit Decimas, vt deponunt testes in Summario, nu. 7. qui dicta bona enunciant. Vnde maior est adhibenda dictæ narratiuæ fides, cum vsque hodie fere in omnibus iustificata appareat. Idque facilius procedit, ex quo ista, etiamsi esset simplex enunciatiua, bene tamen probaret, cum nedum fulcita sit adminiculis, sed alijs etiam corroborata existit probationibus, *Vital. de Gamb. tractat.claus.tit.quando verb.enunc.in priuileg. num.5. Afflict. dec. 83. nu. 1.*

4 Validissimum enim adminiculum facit alia enunciatiua, quæ habetur in instrumento antiquissimo de Anno 1306. in quo dum communitas Spoleti facit se ab hominibus Regouiti recognoscere in Dominam, additur, saluo semper, & reseruato honore, & iure quod habere dicitur Monasterium Sancti Petri de Ferentillo, etenim vel istæ duæ enunciatiuæ antiquæ, & supra hominum memoriam plene probant, *gloss.in cap.cum olim.in verbo instrumentis. de censibus, Felin. in cap.cum causam. numer. 5. de probationibus Alexand. cons.74.num.33.lib.4.Dec.cons.146.num 14.Socin.iun. cons. 65.num. 7. volum. 1.* vel si dicatur istam secundam non esse simplicem reseruationem iuris, sed duntaxat quasi conditionalem iuris, quod habere dicitur, tamen non potest negari quin abunde sufficiat pro adminiculo, Accedente præsertim alia enunciatiua Alexandri VI. Summi Pontificis in literis in forma significauit, quas Abbas Sancti Petri tunc existens obtinuit contra nonnullos, qui decimam ad Mensam Abbatialem spectantes in tenimentis Rigouiti, & Petani detinebant.

5 Eadem possessio Ecclesiæ circa collectionem istorum fructuum colligitur etiam, ex quo Canonici Ecclesiæ Lateranen. cui per Bonifacium VIII. fuerat de Anno 1300. attributa hæc Abbatia postea de Anno 1420. asserentes ad se spectare integram, & vniuersalem decimam in Castello Rigouiti & Petani, locarunt prædictæ decimæ partem per plures annos, & licet illa assertio, illæque locationes, atque etiam supradicta Alexandri Sexti enunciatiua sint de decimis, tamen ex depositione testium in Summario Ecclesiæ num. 6. & 7. constat istas Decimas fuisset per ales, & solui solitas ratione dominij, & proprietatis. Nec facit quod dicitur Ecclesiam S. Petri non potuisse eo tempore possidere istas Decimas, siue istos fructus, postquam possidebantur à Canonicis Ecclesiæ Lateranensis. Nã omissis alijs cum locationes Ecclesiæ Lateran. fuerint tamen de parte quadam Decimæ, nihil impedit, quin Ecclesia S. Petri suam possessionem tueri, & continuare potuerit in parte residua.

6 Aliud probationis genus consistit in testibus datis in Summario Ecclesiæ, nu. 5. qui ex publica voce, & fama deponunt fuisse dotis nomine attributa Abbatiæ bona, de quibus agitur, & nu. 6. deponunt de antiquissima possessione Ecclesiæ percipiendi fructus ex cultura prouenientes in terris, de quibus agitur, omnesque testantur de auditu à Maioribus, quorum nomina aliqui recensent, & plerique deponunt etiam de publica voce, & fama. *Anchar. cons. 42. Felin. in cap. veniens il primo nu. 16. de testibus. Put. dec. 76. lib. 1. Ioan. Paul. dec. 195. Mohed. dec. 5. de testibus. Cassad. dec. 2. de probationibus*- & tanto minus dubium est in hoc casu, concurrente probatione ex enunciatiuis & instrumentis prædictis.

7 Ista autem possessio præsumitur continuata vsque quo non probatur interrupta, vel ab alio occupata. *Rip. in cap. cum Ecclesia Sutrina. num. 23. vers. 1. conclusio de caus. poss. & propr. etiam ad effectum spolij Roland. cons. 6. num. 36. lib. 2. Menoch. recuper. remed. 15. num. 386.* sed vltra hac præsumptionem adest etiam continuationis probatio. Datur enim secundus testis dicens quod per vnum duntaxat annum antequam communitas ista bona occuparet, vidit responderi, & solui Ecclesiæ Decimas à pluribus, & subdit illam occupationem fuisse factam duobus annis post direptionem Vrbis, quæ direptio cum contigerit de Anno 1527. sequitur quod iste testis deponit de visu de anno 1528. Cumq; habeantur plures alij testes idem deponentes de publica voce, & fama, omnes insimul faciunt plenam probationem *gl. in cap. 1. in verbo famam de appell. cum cumul. per Gabr. de probation. concl. 1. nu. 8.*

8 Coadiuuatur hæc probatio per instrumentum recognitionis, factum ab illis de Polino, de Anno 1522. vbi dicitur Communitatem Spoleti nihil hactenus ex fructib. ex terris laboratiuis percepisse. Hinc enim infertur ecclesiam continuasse suam possessionem, cum dictio, Hactenus excludat tempus præteritum vsque ad illam diem *Signorol. cons. 22. nu. 4. Rolan. cons. 8. num. 49. lib. 3. Rimin. iun. cons. 491. nu. 23. lib. 5.*

9 Concurrit Breue Clementis VIII. de ann. 1532. in quo dicitur communitatem duob. superiorib. annis continuatis prætendere recepisse certam quotã, illãq; in futurum sibi deberi, etenim si communitas prius possedisset, non restrinxisset se ad duos annos tantum atq; hæc narratiua probat in præiudicium communitatis per *Aym. qui alios allegat, de antiquit. tempor. p. 1. nu. 33.* & facit, quod de anno 1530. cõmunitas Spoleti fecit mesurare, & accastare terras Rigouiti, & Petani. Quodque vsq; hodie Ecclesia continuat suam possessionẽ in alijs bonis descriptis in Bulla Gregorij vt supra dictũ est. Deniq; faciunt quamplurima instrumenta vsq; ad annum 1519. & acta quæda coram Commissario Ferentilli de anno 1518. & 1528. in quib. legitur terras in vocabulo Petani, conuigui, & Rigouiti esse in tenimento Abbatiæ, ex quo sequitur fuisse etiam de illis solutas Decimas vti de bonis Abbatiæ iuxta depositiones testium, & concurrit notula bonorum assignatorum, de anno 1522. in Summario Ecclesiæ. nu. 16.

10 Et quod plus est etiam de anno 1532. Abbas existebat adhuc in possessione exigendi Decimas in aliqua parte istorum bonorum, vt apparet ex relatione syndici communitatis facta de dicto anno 1532. in qua refert se exegisse ab omnibus Decimas exceptis laboratoribus, & Decimarijs Abbatis Ancharani. Quam autem, & quomodo ceciderit tandem Abbas etiam ab illa parte, bene declaret vndecimus testis Ecclesiæ super tertio articulo.

11 Atque has Ecclesiæ probationes, quo ad istos fructus ex terris cultis prouenientes censuerunt Domini præualere probationibus communitatis, quæ alias deducta fuerunt in decisione in hac causa facta coram me, die Veneris 4. Maij 1607. Omisso enim quod ex serie rei gestæ apparet communitatem Spoleti paulatim se immiscuisse in his bonis, & semper aliquid addendo suas conditiones effecisse pinguiores, & omisso, quod probationes Communitatis circa exactionem istorum fructuum nullæ dantur ante annum 1522. adhuc ex regulis iuris, testes Ecclesiæ adminiculati antiquis instrumen-

strumentis,& deponentes spefice de certa specie fructuum, de scientia locorum, & confinium, & certo tempore præferendi sunt testibus communitatis, loquentibus æquiuoce,& generice, tam respectu temporis, quam fructuum ad late tradita per *Aym. consil. 94. num. 3.*

12 Accedit quod intelligendo depositiones testium Communitatis de Pascuis & Herbaticis in terris cultis,& incultis, excitatur inter testes vtriusque partis contrarietas, ideoque amplectendus est talis intellectus, *ad trad. per Glos. & Doct. in cap. cum tu. de testibus, late Surd. consil. 273. nu. 29. lib. 2.* maxime cum ista fructuum species magis conueniat iurisdictioni, circa quam probationes communitatis sunt efficacio res, quam circa ius proprietatis. Nec absurdum est, quod idem prædium respectu certorum fructuum ab vno possideatur,& respectu aliorum fructuum ab altero. *Doct. in cap. cum in tua. de Decimis. vbi Ioan. Andr. nu. 2. Henric. Boic. nu. 3. Abb. nu. 7. Rebuff. de decim. quæst. 14. nu. 25. & 26.*

13 Nec est facienda vis in teste 13. dum dicit, *Io sò, che mi ricordo, che la Communità di Spoleti hà affittato, & locato detti doi Territorij per vna certa resposta*, nam non deponunt in specie de perceptione fructuum ex cultura, sed potius de locationibus respectu iuris pascendi, habet enim integra depositio illa verba. *Ha locato li doi detti Territorij per Pascoli di animali*, & cum loquatur indefinite sine aliqua expressione temporis, etiamsi illa depositio intelligeretur de fructibus ex cultura, non tamen percuteret tempus ante annum 1522. propter illa verba per vna certa resposta, quæ ex supradictis non possunt verificari ante dictum annum 1522. citra dum autem deponunt Ciuitatem semper possedisse, non sunt attendendæ in hoc concursu probationes Ecclesiæ fundatæ in testibus, & instrumentis, quia cum versemur in facto antiquo & excedente hominum memoriam, fortior est probatio per instrumenta, quam per testes. *Bald. in capit. cum causam. nu. 3. de probation. Socin. cons. 187. nu. 18. lib. 2. Aym. cons. 54. nu. 15. Roland. cons. 2. nu. 59. lib. 1. Paris. cons. 104. nu. 46. lib. 1.*

14 Non obstant instrumenta locationum, quia vt plurimum loquuntur de pascuis, & montibus, non autem de responsionibus fructuum prouenientium ex cultura, nec mentio, quæ in aliquibus fit de terris cultis,& incultis, impedit, quin restringi debeant ad pascua, quæ possunt haberi etiam in terris cultis, quando vacant à fructibus. Atque hanc interpretationem adiuuat decretum præcedens Communitatis de locandis pascuis,& montibus, nulla facta mentione de fructibus ex cultura prouenientibus, in cuius decreti exequtionem, verisimile est, quod locationes factæ fuerint. *Aym. cons. 91. nu. 9. & cons. 158. in fin. Alciat. de præsumpt. reg. 2. præsumpt. 24.* argumentum autem desumptum à generali possessione ad speciem possessioni, de qua hodie dubitatur non valet, stantibus probationibus Ecclesiæ, illam specialem possessionem expresse concludentibus.

15 Non obstat locatio anno 1457. in qua locantur omnes terræ cultæ, & incultæ, & omnia iura occasione laborerij, pasculationis, Cottimi &c. omisso enim an illa verba occasione laborerij comprehendant fructus, de quibus agitur, fuit responsum, quod ista locatio est vnica,& effectum non fuit sortita, vt patet ex supradicto instrumento de Anno 1522. in quo fuit dictum, communitatem eatenus non percepisse hos fructus & quidem si communitas tunc extitisset in possessione percipiendi illos fructus, non ita simpliciter,& sine aliqua expressione illius iuris, recepisset donationem, quam homines de Polino dictæ Communitati in illo instrumento faciebant. Id etiam cõprobatur, ex quo in sequentibus locationibus vsque ad Annum 1495. nunquam fuit facta mentio de locatione fructuum ex cultura prouenientium, non est enim verisimile, quod in tot locationibus factis per communitatem, nunquam fuisset facta mentio de hac specie possessionis, si communitas fuisset in possessione percipiendi tales fructus.

16 Deinde illa locatio non fuit facta à Communitate, sed à quibusdam illius creditoribus, de quorum credito dicitur non constare. De quo quicquid sit, vnum est, quod isti creditores fecerunt locationem generalem de omnibus, quæ ex terris percipi possunt, quatenus tamen communitas haberet ius, quo ad omnia narrata, vt sonant illa verba, quas dictum commune Spoleti habet, & habere potest. Quare cum nec in præcedentibus, nec in subsequentibus locationibus, seu mandato communitatis, pro faciendo hanc locationem, nec in subhastationibus factis ante dictam locationem, sit expressum ius istud percipiendi fructus ex terris cultis, nec ista locatio probetur effectuata, non potest ex illa desumi validum argumentum ad probandum possessionem ciuitatis.& vltra quod magis habenda est ratio locationum, quas fecit ipsa Cõmunitas, vtpote melius informata de iuribus huius. Adhuc, quod isti creditores nihil locauerint, plus quam communitas esset solita locare, manifestum est, ex quo ista locatio non fuit facta maiori pensione, sed solita, vel potius minori, quippe ex quantitate pensionis colligitur quid veniat in locatione. *gl. in l. 1. §. qui super sortem. ff. de superfic. Bald. in l. emptorem, num. 15. C. locat. Menoch. præsumpt. 73. num. 5. lib. 3. late Surd. cons. 151. num. 7. lib. 2.*

17 Non obstat, quod alias dictum fuit ex dicta locatione anni 1457. declarari alias præcedentes, & subsequentes. Nam licet id posset dici ex solis probationibus communitatis, tamen in concursu probationum aliud dicendum est ex prædictis. Atque ex his,

R. P. D. PAMPHILIO.

Romana Alimentorum, Veneris, 13. Iunij 1608.

ARGVMENTVM.

De filio naturali, quod à patre, & eius hæredibus alendus est, non obstante renunciatione iurata illis per filium facta,& quando filius, qui aliunde habet, vnde se alat, à patre alendus non sit. Breuis est decisio sed magistralis,& notabilis.

SVMMARIVM.

Pater alere tenetur filios etiam quomodolibet illegitimos, & descendentes ab eis. n. 1. vbi etiam quod istud onus transit ad hæredes.

Filius renunciando alimentis sibi à Patre debitis, dicitur enormissime læsus, & propterea aduersus renunciationem debet in integrum restitui. nu. 2.

Trãsactio super alimentis intelligitur semper rebus sic stantibus & non mutatis. nu. 3.

Transactio super alimentis etiam iurata non valet, quando sic transigens obseruando transactionem fame periret. numer. quarto.

Filius ali non debet à patre quando aliunde habet vnde se alat, & quomodo hoc intelligatur. nu. 5. & seq.

DECISIO CCXXIV.

1 Conclusum fuit, deberi alimenta Octauiano, quia Pater tenetur alere filios, etiam quomodolibet illegitimos, & descendentes ab eis, *cap. cum haberet. & ibi Doct. omnes, de eo qui dux. in vxor.* quam polluerat per adulter. *Bart. in l. fin. num. 7. ff. de his quibus vt indig. & in tract. de aliment. numer. 17. Couar. de sponsalibus part. 2. capit. 8. §. 6. numer. 1. Gabriel. de aliment. conclus. 1. numer. 1. & 22.*

& 22. & fuit resolutum in causa Bononien. Alimentorum 28. Martij 1594. coram R. P. D. meo Decano. Et istud onus transit ad hæredes *Soc iun, in l. Marcellus, §. res, quæ num.2. vers.3. considera, ff. ad Treb. Abb. consil.115.col.1.vers.sed his non obstant. par.2.cum alijs per Gabr.d. conclus.1. nu.10.* & fuit dictum in dict Bonon, Alimentorum.

2 Non obstat transactio in qua Octauianus expresse renunciauit alimentis à patre debitis quia omisso, an filius possit renunciare alimentis etiam cum iuramento in casu isto fuit à Sãctissimo aduersus huiusmodi transactionem, & alimentorum renunciationem concessa restitutio in integrum. Ideo Octauianus venit omnino restituendus, quia per eam fuit, nedum enormiter, sed etiam enormissime læsus, cum pro Scutis 200. remiserit annua Scut.48. à Iudice pro alimentis sibi taxata per ea que tradunt communiter *Doct. in l.2. C. de rescindend. vend. late Odd. de rest. in integr.par.1. quæst.4.*

3 Maxime quod hodie mutatus est status, qui aderat de tempore transactionis nõ solum referre Octauiani, qui post transactionem ex Vxore plures liberos suscepit, sed etiam respectu hæreditatis Manelli patris quo hodie est aucta, nedum ob primogenituram Episcopi Scipionis sed etiam ob illius fructus per hæredes Manelli vti hereditarios à Camera Apostolica recuperatos quod etiam ex legato per ipsum Marcellum patrem relicto vnicuique ex alijs filijs in transactione comprehensis Scut.400. annuis quod denotat suarum facultatum augmentum. Vnde Octauiano sunt præstanda alimenta, non obstante transactione quæ semper intelligitur rebus sic stantibus, & non mutatis, *l. quod Seruius, ff. de condict. ob caus. Bal. in l. pactum quod dotale num.3. vers.4. quæro, C. de collat. Surd. de aliment. tit.8. priuil.56. nu.61.* & fuit resolutum in causa Romana. Alimentorum 22. Maij 1595. coram Illustr. Card. Mantica.

4 Sed vlterius aliquibus ex DD. videbatur Octauianum post transactionem deuenisse ad extremam inopiam seu necessitatem, cum sit plus, quam verisimile, quod Scut. 200. sibi in transactione data pro manutentione suæ familiæ consumpserit nec appareat alia bona habere, & quibus Vxorem, & liberos alere possit quo casu ne cum illis fame pereat, potest venire contra dict. transact. etiam non obstante iuramento. *Alciat. in capit. cum contingat. numer.107. de iureiur. Couar. in capit. quamuis part. 2. §. 6. numer. 4. de pact. in 6.*

5 Non obstat quod dicitur, Octauianum habere vnde victum quærit, nempe ex Doctoratu & procuræ exercitio, *l. si quis à liberis, post princ. & §. sed & si filius ff. de liber. agnosc. cum alijs per Gabr. cons.25. nu.15. libr.1.* qui pro parte heredum non ostenditur. Octauianum ex suo labore, & industria tot lucrari, quod sufficiat ad se ipsum, & familiam alendam, vltra quod, vt alias fuit dictum in vna Bonon. Alimentorum. 24. Nouembris 1604. coram R.P. D. meo Iusto ad huiusmodi effectum non attenditur industria, nec attenduntur operæ propter fragilitatem humanæ potentiæ, quæ variantur ex tempore, sed an habeat vnde ex redditibus viuere possit, vt per *Aym. cons. 199. nu.1. vers. tamen diligentius, num.5. & seq. Sylu. Aldobr. cons.28. num. 20. & seq.*

6 Præsertim vbi agitur de industria Doctor. quæ ab alijs pendenda est, nec potest arbitratu proprio exerceri. *Roger. consil.17. numer.23. & seq. lib. 2.* Et ex his, & alijs adductis per informantes pro Octauiano, ex quibus remanebant sublate difficultates in contrarium excitatæ fuit conclusum, quo ad alimenta taxata vero illorum quantitate. DD. dixerunt quod particulariter videatur.

DECISIO CCXXV.

Perusina Fideicom. de Alphanis. Lunæ 10. Nouembris 1608.

Impressa Apud Ludouisio.

DECISIO 384.

DECISIO CCXXVI.

Pampilonen. Sepulturæ. Lunæ 10. Nouembris 1608.

Impressa Apud Ludouisio.

DECISIO 383.

DECISIO CCXXVII.

Pampilonen. Beneficij de Necarte. Veneris 14. Nouembris 1608.

Impressa Apud Ludouisio.

DECISIO 385.

DECISIO CCXXVIII.

Salamantina. Beneficij Veneris. 18. Nouembris 1608.

Impressa Apud Ludouisio.

DECISIO 387.

REVERENDISSIMO P. D. LVGDVNEN.

Elboren. Decimarum. veneris 28. Decemb. 1608.

ARGVMENTVM.

Agitur, an spoliato quasi possessione exigendi decimas sit deneganda restitutio ob exceptionem priuilegiorum, concedentium exemptionem quorum qualitates non sunt probatæ, & quibus in Summario.

SVMMARIVM.

Reus debet plene probare suam exceptionem, quia quo ad eam est actor. nu.1.

Actor vbi plene probauit suam exceptionem, non suffragatur reo exceptio dubia, & illiquida, nu.1.

Exceptio requirens altiorem indaginem reijcitur in possessorijs, nu.1.

Derogatio primæ partis cap. nuper. de decim. non censentur concessa, nisi in specie fuerit expressa, cum non soleat absque magna maturitate, & causæ cognatione concedi. numer. 2.

Capit. nuper. de decim. in prima parte non habet locum, quotiescumque emptio fit pro monasterio ædificando, seu dotando. nu.3.

Priui-

Priuilegio qui iuuari vult, qualitatem requisitam à priuilegio probare debet. nu. 3.
Probatio probationem non excludit. nu. 4.
Spolij redintegratio non debet impediri ex eis, quæ non fuerunt probata, & quæ quatenus essent probata, contraria probatione elidi possent. nu. 4.
Priuilegio per pactum derogatum censetur. nu. 5.
Donans in rei suæ traditione, quamlibet conditionem apponere potest, dummodo conditio non sit à iure improbata, & donotarius tenetur præstare conditionem appositam, etiam quod respiciat fauorem tertij. nu. 5.
Stipulatio Notarij pro omnibus, quorum interest, acquirit ius cuilibet habenti interesse absque aliqua acceptatione. n. 6. & num. 9.
Ius quæsitum non potest tolli per viam declarationis, maxime vbi verba non sunt dubia, quia tunc dicitur noua dispositio. nu.7.
Declaratio non debet esse contraria dispositioni. nu. 8.
Conditio, per quam fit reditus ad ius commune, facilius debet adimpleri. nu. 10.
Confirmatio in forma communi nihil de nouo dat, & parum, vel nihil operatur. nu.11.
Religiosi possunt renunciare priuilegijs concernentibus solummodo ipsorum fauorem, non autem fauorem Papæ. num. 12.
Clausulæ omnes appositæ in priuilegio cēsentur habere clausulam quatenus pars vti velit. nu.12.

DECISIO CCXXIX.

1 IN hac tertia huius causæ positione Domini censuerunt, Priuiltgia non suffragari RR. PP. Carthusianis, ad effectum euitandi Spolij. Ratio decisionis fuit, quia cum Illustris D. Commendatarius Veræ Crucis habeat in hoc Spolij Iudicio fundatam suam intentionem in probatione, quam perfecit vtriusque extremi, Carthusiani, qui excipiunt de Priuilegijs, debent etiam illa dare clara, & liquida, nedum, quia reus debet probare plene suam exceptionem, in qua quo ad probationem est actor. *l. in exceptionibus. ff. de probat. l. 1. ff. de except. Vbi Bart. Socin. & alij.* Et vbi actor plene probauit suam intentionem, non suffragatur reo exceptio dubia, & illiquida. *Oldrad. cons. 206. nu. 2. & cons. 320. nu. 2. Fulgos. cons. 177. num. 3. Corn. cons. 80. nu. 3. lib. 3. Latè Ias. in l. Titiæ textores. num. 2. & seqq. ff. de leg. 1.* sed etiam, quia regulariter in possessorijs omnis exceptio illiquida, & requirens altiorem indaginem reijcitur. *DD. in l. si is à quo. ff. vt in possess. leg. eat. Boer. dec. 156. nu. 1. & 2. Gozad. cons. 95. nu. 9. & 10. Natt. cons. 532. nu. 4. Menoch. adipisc. remed. 3. nu. 180.* Priuilegia autem, quæ dantur, remanent in hoc casu multum turbida, potissimum ex duobus.

2 Primum est, quia dicta Priuilegia, quicquid dicendum sit quo ad secundam partem cap. nuper. de decim non habent derogationem, quo ad primam illius cap. partem, qua continetur prohibitio emptionis prædiorum, quæ derogatio, nisi in specie expressa fuerit, non censetur concessa, quia non solet sine magna maturitate, & causæ cognitione concedi. *Ioann. Andr. in cap. dudum. versic. ratio diuersitatis. de priuileg.* Fuit dictum in causa Toletana Decimarum, 26. Nouembris 1606. coram R. P. D. meo Ortembergo, & sæpe in alijs causis.

3 Et dum proponitur, eam non fuisse necessariam hoc casu, quia dicta prima pars cap. nuper. non habet locum, quotiescumque emptio fit pro monasterio ædificando, seu dotando. Omissis alijs fuit responsum non probari istam qualitatem, quod prædium, de cuius decimis agitur, fuerit emptum pro dotando Monasterio, ideoque ex hoc capite Priuilegia non suffragari. *Bart. in l. Fulcinius. §. cum hoc. num. 2. ff. quibus ex caus. in possess. eat. Alex. cons. vlt. nu. 3. lib. 2.*

4 Atque ex abundanti addebant aliqui ex Dominis, quod quatenus id esset probatum, possit tamen probari contrarium per Commendatarium, quia probatio probationem non excludit, *iuxta vulg. dec. Ægid. 624.* Maximè quia iam apparet pretium huius prædij excedere in Scutis mille quantitatem pro Monasterij dote promissam à Reuerendissimo D. Episcopo Elboren. Atque erectionem Monasterij fuisse factam de Mense Nouembris 1587. Emptionem autem prædij de Mense Decembris 1589. Cum ex pluribus causis quæ in Rota pendent, clarum sit quod Monasterium emit alia prædia non potest ita facile constitui, quod nam primo loco & pro dotando emptum dici debeat Et propterea cum ista qualitas, vestiens exceptionē Carthusianorum sit quid facti non probatur, & vbi probata erit, posset etiam elidi contraria prouatione, non debet interim impediri redintegratio, vt optimè in terminis spolii deducit copiose *Aegid. cons. 2. nu. 18. & seqq. post Innoc. in cap. constitutus à fi. de fil. presbyter, &* alios quos allegat.

5 Alterum in quo omnibus Dominis videbatur, Priuilegia hoc casu valde infringi, & discolorari, est pactum in erectione Monasterii appositum ab Archiepiscopo fundatore, vt Carthusiani teneantur soluere decimas debitas Ecclesiis tam de iure, quam de consuetudine, absq; eo, quod vllo se priuilegio tueri possint. Hac enim conuentione ipsi Carthusiani suis priuilegiis derogasse videntur, *cap. ex multiplici. de decim. cap. 1. de pact. Butr. in cap. suggestum. in fin. de decim. Specul. de instrum. edit. §. nunc autem in fin.* Et vltra quod iste cōtractus erectionis dicitur fuisse acceptatus, confirmatus, & approbatus per Capitulum generale PP. Carthusianorum, adhuc certi iuris est, sicuti donans in rei suæ traditione quamlibet conditionem apponere potest *leg. in traditionibus. ff. de pact. Bald. consil. 143. libr. quarto, Anchar. consil. 207. num. secundo.* & sufficit quod conditio non sit à iure improbata, *Card. in Clement. quia contingit. in not. 11. de relig. domib.* Ita donatarius tenetur præstare conditionem appositam, etiam quod respiciat fauorem tertii *leg. quoties Cod. de donat. quæ sub mod. leg. cum quis decedens, §. pater emancipato. ff. de leg. 3. plene Couar. var. resol. lib. 1. cap. 14. num. 1. & sequent.*

6 Idque facilius procedit in hoc casu, stante stipulatione Notarij pro absentibus, & illis quorum interest, quæ efficit, vt illa conuentio donatario remitti à donante non possit. *Bald. in l. cum a Socero num. 7. C. de iur. dot. Clar. in §. donatio. quæst. 13. vers. contrariam tamen sententiam tenet. Surd. de alim. tit. 2. q. 7. Gabr. de donat. conclus. 5. num. 4.* Faciunt deducta in causa Romana, de Anguillaria. secunda Decembris 1596. coram R. P. D. meo Decano.

7 Non obstat declaratio subsequens Archiepiscopi quod illa monitio seu conditio soluendi decimas intelligeretur tantum de decimis debitis Ecclesiæ Cathedrali, quia non potuit per viam declarationis tolli ius quæsitum aliis Ecclesiis. *Anchar. consil. 398. in vltim. dub. Sarnen. in regul. de iure quæsit. non tollen. quæstio. 13. num. 6. Angel. cons. 209. Aymon. consil. 112. num. 12.* quod sine difficultate procedit, quando verba non sunt dubia prout hi non erant, quia tunc dicitur noua dispositio quæ non tollit ius quæsitum. *Dec. consil. 114. num. 5. Sarnen. vbi supra num. 7. Cephal. consil. 697. num. 32. & sequent. Tiraq. in leg. si vnquam. in ver. liberis. num. 14. C. de reuoc. donat. Becc. qui alios refert, cons. 3. num. 44. Surd. dec. 29. num. 6.*

8 Quod autem verba sint clara, patet, quia vt supra relata sunt, generaliter sunt concepta, & adest etiam ratio generalis, quia plus proderit hæc decimarum solutio, quam earundem, cum aliorum iactura, & fortasse, scandalo habita retentio. Ideoque subsequens declaratio seu interpretatio restrictiua est contra verba pacti. *Bald. cons. 371. nu. 1. lib. 5. Aym. cons. 84. num. 13. & cons. 194. nu. 4.* Idque procederet etiam in indefinitiua

ex

ex trad. per Mandell. cons. 109. nu. 13.

9 Non obstat, quod non esset ius quæsitum irreuocabiliter ante declarationem, quia Ecclesiæ, quibus decimæ deberi poterant, nondum acceptauerant illum contractum in quo Notarius fuerat stipulatus pro illis, quorum interesset ex deductis in causa Rauennaten. Bonorum. 24. Nouembris 1582. coram Illustrissimo Blanchetto. Quia vltra quod Rota contrarium sentit in prædicta Romana hæreditatis de Aguillaria.

10 Adhuc dici potest, aliud esse in donatione absenti facta, quæ datius de nouo, aliud autem in ista conditione per Archiepiscopum apposita, quę vel nihil dedit Ecclesijs, si Priuilegia Carthusianorum non intrabant, vel certe fuit in hoc casu reductiua iuris communis, iuxta quod Decimæ ex hoc prædio debebantur Ecclesiæ Parochiali, quæ Commendæ vnita est, Ideoque facilius procedit, quamuis de nouo querendum. *l. vnus, §. pactus. ff. de pact. glos. magna in c. 3. de præben. lib. 6.*

11 Quod dicitur, istam declarationem fuisse confirmatam authoritate Apostolica, non probatur in facto. Vltra quod confirmatio, si est in forma communi, nihil dat de nouo, & parum, vel nihil operatur, *Cassad. decis. vnic. num. 2. de confirm.* & intelligitur saluo iure tertij. *Curt. Iun. alios allegans cons. 194. num. 38.*

12 Demum non obstat, quod Carthusiani non potuerint renunciare suis Priuilegijs. Nam vltra iam dicta respondetur, quod Religiosi possunt renunciare suis Priuilegijs si concernit solummodo ipsorum fauorē, non autem fauorem Papæ, vt post *Ioann. And. in c. cum tempore, de arbitr. notant Franc. in c. 1. de pact. lib. 6. numer. 1. Ibique Gemin. num. 5.* & omnes clausulæ appositæ in Priuilegijs censentur habere clausulam quatenus pars vti velit. *Oldrad. consil. 206. Sarnen. de trien. quæst. 94. nu. 11. & de anna. quæst. 4. numer. 4.* Itaque ex his, & alijs, quæ suo tempore plenius discuti, & certius decidi poterunt, censuerunt vnanimi consensu Domini exceptionem Carthusianorum esse adeo turbidam, vt illius prętextu spolium pro nunc euitari non possit.

REVERENDISSIMO P. D. ATTREBATEN.

Signina Pœnarum. Veneris 28. Nouembris 1608.

ARGVMENTVM.

Pœnarum, & mulctarum exactio an, & quando concessa dicatur per concessionem Castri cum mero, & mixto imperio, & omnimoda iurisdictione.

SVMMARIVM.

Vicarius perpetuus, à Principe in aliqua ciuitate deputatus censetur habere omnia quæ Principi competunt. num. 2.

Ecclesia habet intentionem fundatam in iurisdictionalibus super toto suo statu, & territorio in temporalibus, & hoc reuocare in dubium esset erroneum. num. 3.

Concesso mero, & mixto imperio, censentur etiam concessa pœnæ pecuniariæ, & mulctæ. nu. 4. & 5. Vbi ijdem, quando fuit concessa omnimoda iurisdictio.

Iurisdictione omnimoda concessa, censetur etiam concessa pœnarum exactio. num. 3.

Castro concesso cum omnimoda iurisdictione, censetur etiam concessum merum, & mixtum imperium, num. 3. ac etiam omnes redditus causarum ciuilium, & criminalium. nu. 3.

Castro concesso cum eius perritorio in dotem marito ab vxore, censentur etiam concessi omnes redditus causarum ciuiliū, & criminaliū ac etiā condemnationes, & pœnæ. n. 4.

Emolumentorum appellatione veniunt etiam pœnæ, & mulctæ. num. 4.

DECISIO CCXXX.

1 ORta controuersia inter Illustrissimum, & Excellentissimum Ducem Sfortiam, vti Vicarium perpetuum Ciuitatis Signinæ, & Communitatem eiusdem ratione emolumentorum pœnarum criminalium, quæ communitas ad se spectare prætendit, exceptis quatuor casibus in quodam statuto comprehensis, res primum diu fuit tracta in Congregatione Consultæ, & deinde in Rota commissa. Proposito itaque dubio 11. Maij 1607. & 12. Maij proxime præteriti, ad quem huiusmodi emolumenta spectarent, propter molem scripturarum resolutio capi non potuit, sed placuit Dominis, materiam restingere, & primo loco videre, an D. Dux habeat intentionem fundatam in exactione pęnarum; Quo dubio proposito 4. Iulij proximi, & ad Calendas reiecto; tandem hodie affirmatiue resolutum fuit.

2 Alexander enim V. Martinus V. Pius, & Paulus III. Summi Pontifices, concesserunt maioribus, & auctoribus D. Ducis pro se, & suis hæredibus in amplissima forma Vicariatum perpetuum in Ciuitate Signina cum mero, & mixto imperio, & omnimoda iurisdictione. Vicario autem videntur concessa omnia, quæ Principi competunt. *arg. leg. 2. C. de offic. eius, qui Vic. alter. iud. obt. Isern. in c. imperialem. num. 12. & seq. de probib. feud. alinat. per Feder. & ibi Afflict. §. 16. & seqq. Iacob. de S. Georgio in verbo, Vicariusque perpetuus. num. 8. & 9. de feud. Castr. cons. 203. num. 2. & cons. 424. nu. 9. vers. item d. Dominus. vol. 1.* Maxime ex quo Vicariatus perpetuus. Iacob. de S. Georg. dicto verbo, Vicariusque, num. 5. & hoc expressum est in forma concessionis in verbis cum eodemmet imperio, & facultate quod, & quæ Romana Ecclesia habebat, & habere posset, quorum verborum ea vis est, vt constituant Vicarium loco Principis. *Castrens. cons. 34. num. 1. & 2. vol. 2. Alex. cons. 2. num. 2. lib. 1. Brun. cons. 23. in fine.*

3 Nec est necesse docere Summos pontifices, & Cameram Apostolicam vnquam exegisse istas pœnas. Nam Ecclesia habet intentionem fundatam in iurisdictionalibus super toto suo statu, & territorio in temporalibus, & erroneum esset hoc reuocare in dubium. Panorm. *cons. 82. num. 7.* & ita etiam quasi in terminis.

4 Accedit expressa concessio meri, & mixti imperij, sub quo proprie sunt pœnæ pecuniarię, & mulctę secundum magis receptam opinionem contra *Bal. in l. fin. de offic. Præfect. Vigil.* Nam expediuntur officio nobili ad publicam vtilitatem; scilicet, vt delicta puniantur, & per pœnas, & mulctas animaduertitur in facinorosos homines, quamuis corpus non lædatur. *Bar. in l. Imperium. num. 12. & numer. 14. vers. & hoc est melius dicere Castr. & Ias. num. 8. Alex. num. 20. contra Glos. magnam ibidem communiter reprobatam. ff. de iurisd. omn. iud. Iacob. de S. Georg. in vers. cum mero, & mixto imperio. num. 6. d. tract. de feud. Additio ad Isern. in c. 1. §. hæreditatem. verb. pecuniariæ. num. 12. de pace tenen. Dec. cons. 35. num. 4. vol. 2. Capic. decis. 26. num. 17. Boss. tit. de regal. num. 15. Guido Papæ quæst. 76. num. 1. vers. tamen quælibet.*

5 Idem infertur ex verbis omnimoda iurisdictio. nam iurisdictio posita cum tali dictione vniuersali sumitur, vt genus comprehendens, & merum & mixtum imperium. *glos. in Clement. vnica in verbo omnimodam, de for. competent. Abb. in c. conquestus. num. 4. eodem tit.* Facit, quod si habens merum, & mixtum imperium, ac omnimodam iurisdictionem in loco concedat talem locum cum iurisdictione, sub istis verbis includitur merum imperium, quia per nomen Castrum, vel Ciuitatem significatur territorium, cui inest merum, & mixtum imperium. *arg. leg. 1. §. cum vrbem. ff. de off. Præfect. Vrb. Bal. in l. placet. num. 12. C. de pedan. iudic. Iacob. de S. Georg. d. vers. cum mero & mixto impe-*

imperio. num. 11. Et omnes redditus causarum ciuilium, & criminalium pertinet ad eum, cui fit huiusmodi concessio. *Bal. in l. 3. numer. 6. vers. item nota, quod si Princeps. ff. de constit. princip. Castr. consil. 353. incipit, Commodum. lib. 1. Aym. cons. 128. num. 3. Rol. cons. 48. num. 28. libro 2.*

4 Sicuti etiam condemnationes pertinent ad maritum, cui vxor dedit in dotem Castrum cum territorio, *vt not. in l. fin. vbi Bart. & Paul. de Castr. num. 2. Aug. circa med. Rom. numer. 6. vers. Quare est consequens. ff. sol. matr.* & ad quemlibet vsufructuarium, & si non habet vtile dominium, sicut feudatarius, & Vicarius perpetuus, etiam hoc etiam voluerunt significare Pontifices nomine emolumentorum, quorum appellatione veniunt etiam mulctæ, & pœnæ. *Glos. in Clement. statutum in verbo, & iurisdictione, & ibi Card. in prima opposit. de elect. Coman. dict. consil. 162. num. 2.*

DECISIO CCXXXI.

Leodien. fideicommissi. Luuæ 1. Decemb. 1608.

Impressa Apud Caualerio.

DECISIO 34.

DECISIO CCXXXII.

Romana fideicommissi de Iacobatijs. Veneris 5. Decembris 1608.

Impressa Apud Ludouisio.

DECISIO 288.

REVERENDISS. D. DAMASCENO.

Romana Dotis. 10. Decembris 1608.

ARGVMENTVM.

Auus maternus diues tenetur dotare neptem ex filia pauperem, quomodo isto casu probentur diuitiæ aui, & paupertas neptis, quandoque etiam testis Hebræus probat contra Christianum.

SVMMARIVM.

Auus maternus diues dotare tenetur in subsidium neptem ex filia. num. 1.

Diuitiæ quales debeant esse in auo materno ad hoc vt neptem pauperem dotare teneatur. num. 2.

Paupertas mulieris ad effectum vt debeat dotari ab auo materno diuite probatur per communem reputationem. num. 2. in fin.

Testis Hebræus inductus à Christiano nunquid probet contra Christianum. num. 3.

Testis consanguineus probat pro consanguineo, quando consanguinei interesse est non principale, sed secundarium, & remotum. num. 3.

Testes Hebræi coadiuuantur ab aliis integris testibus Christianis, præsertim in materia difficilis probationis. num. 4.

Testamentum Hebræi super suo statu facit aliquam probationem. num. 5.

Testes Hebræi contra Christianum faciunt aliquam probationem quando eorum depositiones sunt adminiculatæ. nu. 8.

Paupertas an sit plene probata multum arbitrio iudicis tribuitur. num. 6.

DECISIO CCXXXIII.

1 SVb die 12. Maij proxima dubitaui an D. Vgo teneretur dotare Flauiam eius ex filia neptem, & licet iudicatur absolutum in iure, quod auus maternus diues teneatur in subsidium dotare neptem pauperem, & diuitiæ D. Vgonis viderentur satis probatæ, attamen circa paupertatem Flauiæ res non visa fuit satis clara, vnde fuit ordinatum quodam in hoc coadiuuaretur probatio, quare pro parte eiusdem Flauiæ examinatis nouis testibus, & factis alijs diligentijs, proposui idem dubium quod affirmatiue fuit resolutum, nam quod auus maternus in subsidium teneatur dotare trad. *Rip. in l. 1. numer. 85. in fin. ff. sol. matr. Bald. nouell in tra. de dot. priuileg. 68. num. 3. part. 6. Surd. tra. de alim. tit. 1. quæst. 65. nu. 5.* Rota in causa Romana de Verospis 21. Iunij 1568. coram bon. mem. Seraphino.

2 Quod D. Vgo sit diues vltra ea, quæ deponunt primis testis iux. 33. & 35. Interrog. & super. 5. articulo 2. testis 3. testis iux. 33. & super 5. Domini habuerunt pro notorio, siquidem ad effectum de quo agitur nō requiritur quædam exuberantia siue superfluitas, sed sufficit quod dotans per assignationem dotis non cōstituatur in egestate. *Rom. in consil. 364. num. 1. cum pluribus seq. Thessaur. decis. 211. num. 23.* Nulla autem videtur dubitatio, quod hoc posset accidere D. Vgoni per assignationem mediocris dotis, quem Domini existimabant sufficere in hoc casu. Etiam quantum ad paupertatem Flauiæ dictum fuit, illam probari ex tribus testibus alias examinatis, & duobus vltimis ex quibus concluditur communis reputatio, quæ sufficit in hac materia *Verall. decis. 295. part. 2.* fuit dictum in Romana de Verospis. 3. Maij, & 21. Iunij 1568. coram bon. mem. Cardin. Seraph. & alibi sæpe.

3 Non obstat quod aliqui ex illis sint Hebræi qui non merentur fidem contra Christianum, quia fuit responsum, obiectum cessare ex pluribus saltem simul iunctis primo quia deponunt pro Christiano nempe pro ipsa Flauia. Nam & si & hoc casu conclusio patiatur difficultatem, negari non potest, quin termini sint minus fortes cum non possit assignari ratio quare Hebræus voluerit magis fauere vni Christiano quam alteri, & quatenus replicatur immo deponere ad fauorem fratrum Flauię qui sunt Hebrei, Fuit dictum interesse principale esse Flauiæ cuius nomine agitatur lis & illud esse interesse secundarium, incertum, & remotum, quod non solet haberi in consideratione. *l. 1. ff. de aut. tut. Fel. in c. quæ in Ecclesiarum. num. 45. de constit. Ægid. decis. 749. vers. confirmatur. Late Sarnen. in reg. de iur. quæst. non toll. q. 4. in princ.*

4 Secundo principaliter fuit dictum, præfatos testes coadiuuari ex alijs Christianis integris. *Cephal. consil. 227. num. 29. lib. 2. Crauet. cons. 73. num. 18. & 27. Vrsill. ad Afflict. decis. 214. num. 3.* cum alijs per eum adductis. 3. materiam esse difficilis probationis, quia agitur de probatione status Hebræorum, cuius non solent esse informati Christiani, & quoniam concurrit difficultas probationis, habetur ratio testium, qui alias non admittuntur. *c. conueniens. il 2. in fin. de testibus. Abb. in c. fin. num. 2. de test. cog. Alex. cons. 64. num. 5. lib. 1. Dec. consil. 342. num. 2. & 3.*

5 Postremo concurrunt multa adminicula, nempe iuramentum patris Flauiæ paulo ante mortem super suo statu, ex quo apparet quod ipse Parum habebat in bonis, adeo vt nec illud sufficeret pro dote, quam postea dedit alteri fillæ, & huic generi probationis per iuramentum præstitum per Hebreum super suo statu inter Hebræos Rota alias detulit. Romana redditionis rationum 18. Decembris 1598. coram bon. mem. Litta. Secundum adminiculum est inuentarium bonorum patronorum, confectum per Deboram, filiam

liam D. Vgonis, & matrem Flauiæ præsente ipso D. Vgone, ex quo apparet patrem Flauiæ non reliquisse aliquid certum in bonis. Tertium venditio iuris appellati la Gazaca quod non solet per Hebreos vendi nisi reperiantur in magna egestate constituti. Denique multum mouebat Dominos, quod pro parte D. Vgonis verisimiliter informati non ostenditur, quod Flauia habeat aliquid in bonis, quod immo ipsa offert,& Domini intendunt, quod effectuetur ante datationem renunciare D. Vgoni omnia bona, & iura quæ habet in hoc mundo.

6 Quo vero ad prætensiones quas dicta habere possit Flauia,tam contra fratres, & sorores, quam contra alios, fuit dictum non per hoc subleuari inopiam ipsius, nam aut cum illis intendit inueniri virum,& est certum viros ad sustentanda onera matrimonij quærere dotes, non lites,aut vero intendit expectare nuptias, donec finiantur huiusmodi lites, & cum prætensiones sint dubiæ, ipsa pauper femina, & in statu virginali, cui propterea non licet adire fores Iudicum,& iam sit nubilis ætatis dicebatur fore, vt senescat prius, quam finiantur lites, & ita arbitrati sunt Domini in hac materia paupertatis, quæ tanquam lege certis finibus minime designata, multum pendet ab arbitrio iudicis, *glos.in auth.præterea.in verb.locuples, vbi Bal.Ang.& alij.C.vnd. vir & vxor. Bar.in l.si constante.num.14.ff.sol.matr.Ruin.cons.55.nu.5. vol.1.de communi testantur.Ias.in d.l.si constante. num.148. Rip.num.29.Socin. cons.30.in princ.lib.4.Menoch.de arbitr.iud.li.2.Cas.65.num. 6.& de magis communi Mascard. concl.1154. num.8.vol.3. Honded.consi.93. num.3.& 30. lib.1.*

DECISIO CCXXXIV.

Romana fideicommissi Marci Anton. de Iacobutijs. Mercurij 10. Decem. 1608.

Impressa Apud Ludouisio.

DECISIO 389.

REVERENDISSIMO P. DOM. ATTREBATEN.

Neapolitana Rectoriæ. Veneris 19. Decemb. 1608.

ARGVMENTVM.

Manutentio vt detur in iure presentandi quando sufficiat vnica præsentatio,& ex quibus probetur Ius patronatus, & quando sententia probet sine processu, & quæ probatio requiratur in Iure patronatus, ad quod plures familiæ concurrunt.

SVMMARIVM.

Manutentio in iure præsentandi vt detur, sufficit vnicus actus, & vltimus status præsentationis. num.1.

Dic verum, quando Iuris patronatus existentia non controuertitur, sed solum agitur inter plures patronos de illius pertinentia,alias requiruntur eadem probationes in possessorio, quæ in petitorio. num.1.

Ius patronatus vt probetur requiritur titulus, vel præsentationes continuatæ spacio centum annorum. num.2.

Ius patronatus non probatur per famam, nisi in antiquis, & concurrentibus coniecturis, & in primis longissima quasi possessione. num.2.

Prouisiones Apostolicæ non mutant statum beneficij. num.2.

Prouisionum Apostolicarum tempora de medio deducuntur, ad effectum probandi Ius patronatus. num.2.

Fama probatur per testem, qui deponit, quod audiuit publice dici. num.3.

Testis dictum deponentis de tempore per dictionem citra verificatur etiam in vna die ante. num.3.

Testis habens interesse in causa non meretur fidem. num.3.

Sententia quæ non iustificatur ex actis non probat. num.4.

Iudici non creditur, nisi de his, quæ fuerunt facta præuia causæ cognitione, & de quibus apparet in processu. nu.4.

Sententia antiqua probat sine processu. num.5.

Sententia dicitur antiqua, quando excedit 40. annos. nu.5.

Ius patronatus ad quod concurrunt plures familiæ, quas non est verisimile in vnum conspirasse ad fundandum Ius patronatus, requirit easdem probationes, quæ requiruntur in probatione Iuris patronatus familiæ potentis, vel vniuersitatis. num.5.

DECISIO CCXXXV.

1 PRoposito dubio, an constet de quasi possessione ad Ecclesiam Sancti Andreæ de Rabattina extra,& prope Ciuitatem Neapolitanam, apud littus Maris, quæ sit manutenenda, Ita vt Reuerendissimus Dominus Decius Caracciolus Archiepiscopus Baren. præsentatus veniat instituendus,negatiue resolutum fuis. Nam & si ad effectum manutentionis sufficiat vnicus actus, & vltimus status præsentationis. *c.consultationis, & ibi Abb.num.2.& 9.de Iure patron.cap.querelam,de elect,Dec.consil.134. num.1.& Crescen.decis.2. in fine de Iure patron.* id procedit,quando Iuris patronatus existentia non controuertitur, sed tantum agitur inter plures patronos de illius pertinentia *Achill. decis. 5.num.3.de Iure patronat.* alioquin ex dispositione Concilij, & declaratione Cardinalium Interpretum requiruntur eædem probationes in possessorio, quæ in petitorio, vt fuit dictum in Volterrana Iuris patronatus 28.Maij,anno 1593.coram Illustrissimo Mellino, & in Romana Parochialis, 31. Ianuarij 1600.coram Reuerendissimo Pacen.

2 In proposito autem nullus titulus exhibetur, nec instrumenta præsentationum continuatarum per spacium centum annorum,pro vt requiritur, fuit resolutm in Firmana Iuris Patronatus, 8. Martij, anno millesimo, quingentesimo, nonagesimo primo, coram bon.mem. Orano, & in Barchinonen. Vnionis 5. Decembris, anno 1597. coram bonæ mem.Gipsio, sed vt decisum fuit coram bonæ mem. Cardinale Lancellotto, in hac eadem causa die 29.Ianuarij 1571. omnes intra spacium triginta annorum continentur, videlicet ab anno 1528. die 23. Ianuarij, quo fuit institutus Fabius Caracciolus præsentatus 6. Nouembris præcedentis vsque ad annum 1567. quo obijt Marius Caracciolus, post cuius obitum inter Octauium Branchatium prouisum Apostolicum, & Decium Carocciolum seniorem præsentatum à Patronis fuit introducta lis, & causa commissa in Rota. Quamobrem nec subsistit probatio per famam, quæ non admittitur, nisi in antiquis, & concurrentibus coniecturis fuit decisum in Tirasonen. Cappellaniæ, decima quarta Decembris,anno 1608. coram Reuerendo patre Domino Caualerio, & in primis longissima quasi possessione, vt fuit tentum in Imolen.Iuris patronatus vigesima octaua Maij, anno 1584. quæ est diuersor. 792. part.1. Adest quadragenaria.*Cassad.decis. 2.numer.3.& 4.de probat.Put. decis.60. in fine.lib.1.* & fuit resolutum in supradicta Barchinonen. coram bonæ mem. Gipsio, & ad hoc non possunt deseruire Prouisiones Apostolicæ, quæ non mutant statum beneficij. *Achill. decis. vltima, de iure.patro.* & fuit dictum in Bononien. Iuris patronatus, 16. Ianuarij 1608. coram Reuerendo patre Domino Sacrato,sed earum tẽpora de medio deducuntur, Guidob. decis. 125. Fuit decisum in Bracharen.de Iuncas 19. Decembris 1597. coram

Coram Reuerendo Patre Domino Decano.

3 Neç vero probatur publica vox, & fama, quia ex testibus examinatis de hoc anno vnus tantum, videlicet primus iuxta primum deponit, quod audierit publice dici, quæ quidem verba important famam. *Cassad. decis. 3. num. 4. & 7. de probat. Caputaq. decis. 7. part. 2. & decis. 289. part. 3.* verum subiungit, quod audierit à diuersis personis, & sic dictum suum restringit, & alius testis examinatus de anno 1559. deponit à 30. annis citra, quod verificatur etiam in vna die ante. *Bart. in l. Celsus. num. 25. ff. de vsucap.* & testis, qui asseritur examinatus in Curia de anno 1570. non est habendus in consideratione propterea quod non appareat quomodo fuerit examinatus. Alij vero testes examinati de anno 1531. sunt de familia Caracciola, & aliorum prætendentium Ius patronatus, & habent interesse in causa, quare non merentur fidem. l. omnibus, & ibi *Bald. num. 3. C. de testib. Roland. cons. 3. num. 55. vol. 1. Aym. cons. 249. num. 14.*

4 Neque potest fieri fundamentum in sententia Ordinarij de anno 1528. in qua enunciat se vidisse instrumenta præsentationum, & præsertim Bullam bonæ mem. Alexandri Carafæ institutionis q. Fabij Acolæ in dicta Ecclesia, hæc sententia non probat cum non iustificetur ex actis, neque iudici creditur de assertionibus, nisi factæ sint præuia causæ cognitione, & de illis appareat in processu *Socin. consil. 47. num. 13. volum. 4.* Fuit dictum in dicta Romana Parochialis, & in Lauden. deuotionis 23. Martij 1544. coram Reuerendissimo Pacen. & in Sabinen. Aquæ 29. Martij 1604. coram me.

5 Nec potest probari vti antiqua *Cassad. decis. 3. nu. 3. de probat.* Quia sententia dicitur antiqua quando excedit 40. annos, cũ sit lata anno 1528. & lis fuerit mota anno 1567. Vltra quod in hoc casu Domini censebant requiri probationem temporis immemorabilis, cum præsentationibus continuatis per spacium quinquaginta annorum, quæ omnes probentur effectum sortitæ ex authenticis scripturis, posito etiam, quod non versemur in iure patronatus potentium, propterea quod concurrant plures familiæ, quas non est verisimile de facili in vnum conspirasse ad fundandam, vel dotandam Ecclesiam. *Cresc. decis. 1. decis. 5. de Iure patronat.* & quod dicitur processisse ab vno stipite Caracciola, sed mediantibus feminis fuisse diuisum in plures feminas, hoc non probatur, quin potius partes, & testes videntur alias asseruisse contrarium.

REVERENDISS. P. DOMINO LVGDVNEN.

Salamantina dimidiæ Portionis. Veneris 23. Ianuarij 1609.

ARGVMENTVM.

Morbo caduco laborans dicitur inhablis ad obtinendum beneficium, & est irregularis, & eadem inhabilitas causatur ex quolibet alio morbo, qui mentem alienat.

SVMMARIVM.

Morbus caducus comitialis à Iureconsultis appellatur. num. 1. & 6. Vbi quare sic dictus.

Morbus caducus in ætate prouectis est insanabilis. nu. 1.

Morbo caduco laborans inhabilis est ad beneficia obtinenda, & collatio ipsi facta est ipso iure nulla. n. 2. & 5. Vbi quod sufficit, quod constet de existentia morbi de tempore gratiæ.

Fallit in beneficio, in quo aliquis ordo non requiritur num. 3.

Morbo caduco laborans est irregularis, nec potest promoueri ad sacros ordines. nu. 2.

Irregularitas inhabilitat ad beneficia acquirenda. nu. 2.

Ordo Sacer Concil. Trident. debet esse annexus Canonicatibus. num. 3.

Confessio nocet impetranti etiam in his, quæ à voluntate ipsius non dependent. nu. 4.

Ordinum sacrorum exequutio interdicta est cuilibet, qui mentis alienationem patitur. num. 5.

Dimidiæ portiones in Ecclesia Salamantina assequuntur per assensum, & nouum titulum. num. 7.

Beneficium vbi debet conferri Sacerdotibus, id debet intelligi de Sacerdote, qui tempore prouisionis possit actu missam celebrare. num. 8

Beneficio, quod requirit residentiam, non potest per Vicarium inseruiri. num. 8.

DECISIO CCXXXVI.

1 Domini censuerunt, non potuisse prouideri q. Bartholomæo de Escouar de dimidia portione in Ecclesia Salamantina. Ratio decisionis fuit, quia ex testibus datis in Summario Francisci Fryle, & ex ipsa confessione Dominici, qui in ius & possessionem Bartholomęi subrogari obtinuit, constat, quod d. Bartholomæus de tempore sibi factæ prouisionis in pluribus annis antea patiebatur morbum caducum, seu vt Iurisconsulti appellant Comitialem. *l. qui Tertiana. de ædil. edict. l. 1. §. 1. ff. de auth. & consen. tuto.* qui morbus semper perniciosus, & curatu difficilis, potissimum tamen in ætate prouectis vix vlla arte est medicabilis. *Hippocra. lib. 5. apboris. sect. 2. aph. 7.* Ibique etiam *Galen. atque ex mente vtriusque Io. Marinell. apud Hip. sect. 2. aphor. 45.*

2 Quo supposito sequitur, quod Bartholomæus erat inhabilis ad obtinenda beneficia, quodque prouisio illi facta fuit ipso iure nulla. *Aegid. in c. cum inter Canonicos. n. 13. de elect. Host. Io. And. & alij, quos refert Verall. decis. 236. in princ. p. 2.* Vbi etiam dicitur caducũ esse irregularem, cum impediatur promoueri ad ordines, & promotus suspendatur. *Iux. tex. cum glo. in c. comiter. 23. d. latè Maiol. de irreg. li. 2. c. 16.* Irregularitas autem inhabilitat ad beneficia acquirenda. *c. 15. q. 1. de sent. exc. in 6. Abb. in c. cum nostris. n. 22. de concess. præben. Rebuf. de pacif. possess. nu. 226. Siluan. de benef. p. 3. q. 2. nu. 11. Fac. lib. 1. §. casum. ff. de postul.*

3 Nec obstat, quod istud vitium seu iste morbus non inhabilitet de iure ad obtinendum Canonicatum, aut beneficium, in quo aliquis ordo non requiritur, ea ratione, quod patiens talem morbum non est suo facto criminosus, sed exaccidenti. *Verall. d. decis. 236. Chisan. decis. 94.* Faciunt tradita per *Nauar. cons. 14. num. 4. de rescript. ex Innoc. in c. fi. de excessib. prælat.* Vnde infertur, quodam in hoc casu Bartholomæus non erat inhabilis, quia dimidia portio requirit annexionem ordinis sacri. Fuit enim responsum, quicquid sit in alijs Ecclesijs, attamen in Ecclesia Salamantina, in qua existit dimidia portio, de qua agitur, ordinem Sacerdotalem annexum esse dimidijs portionibus, vt dixit Rota in causa Salamantina, integræ portionis. 24. Aprilis 1582. coram fel. rec. Clem. VIII. tunc Rotæ Auditore; Et constat ex statuto illius Ecclesiæ dato *in Summario Francisci. nu. 3.* Vbi etiam dicitur, id obtinere ex immemorabili consuetudine. Atque ista consuetudo, tanquam magis laudabilis, est seruanda, vt sentit *Conc. Trid. sess. 24. cap. 12.* Vbi iubet, quod annectantur Canonicatus, & portiones Ordinibus Sacris, ita vt dimidia pars saltem sint presbyteri. Vbi vero consuetudo laudabilior habet, quod plures vel omnes sint presbyteri, omnino obseruetur.

4 Non obstat, quod dicitur, morbum q. Bartholomei non probari ex confessione Dominici quæ minimè pendet à voluntate confitentis, maxime cum Dominicus

nicus non restrinxerit, nec coarctauerit, suam impetrationem ad illum modum vacandi. Fuit enim responsum, quod in valore & in alijs quæ non pendent à confessione impetrantis, sua tamen confessio nocet impetranti. Et quamuis ex clausulis generalibus possit Dominicus capere aliam vacationem non ideo sequitur, quod possit neque illud, quod præcise in sua gratia narrauit. Deinde cum Dominici confessione concurrunt testes, etiam Medici, qui deponunt, vidisse sæpius Bartholomæum corruentem, & ex ore mouentem spumas, ita vt dubitare non possit, quin premeretur comitialis morbi affectionibus, quas tradit *Corn. Celsus. lib.3.c.24.*

5 Nec facit quod alij Medici dixerunt, morbum Bartholomæi non fuisse perpetuum & incurabilem. Nã vltra, quod attestati sunt contra sententiam prædictã Hippocr. & Galen. adhuc sufficit, ad effectum, de quo agitur, quod constet de existentia illius morbi, & dictum Bartholomæum fuisse illo liberatum, id debet probari, vt dicit in Terminis *Abb. in d.c. cum inter canonicos num.7. in fin. post Io. Andr. Butr. & alios.*

6 Non obstat, quod aliqui podagra vehementi, vel alio morbo perpetuo impediti fuerint, nihilominus à Capitulo prouisi de similibus dimidijs portionibus Ecclesiæ Salamantinæ, quando prius erant Sacerdotes, pro vt erat Bartholomæus eo tempore, quo illi facta fuit prouisio, de ista dimidia portione. Nam quicquid sit, an illud assumptum probetur, & an releuet, Respondetur non esse parem rationem Epilepsiæ, & aliarum infirmitatum, quia illa teste *Galen. lib.3.* de laborantibus locis, est interuallata mentis, & sensuum cum læsione conuulsio. Quilibet át qualibet mentis alienationem patiens interdicitur exequutione ordinis ob periculum, & scandalum circa Sacramenta *Isid. lib.3. q.82. art. fi. Arch. & aly in d.c. comuniter.* Et quidem si olim ille morbus fuit dictus comitialis, quia talis videbatur illa concidendi seu corruendi deformitas, vt cuicumque e populo superueniret, statim comitia dirimerentur, magna cum rõne sacri Ecclesiæ Antistites censuerunt, ne huic vitio addictis Sacramentorum administratio committeretur.

7 Non obstat, quod Bartholomæus esset etiam presbyter, cũ enim stante illa passione esset ab Altari remotus, & ab Ordinario expresse proibitus, ne amplius celebraret, non debuit illi prouideri de beneficio, per cuius assecutionem denuo addiceretur, & restitueretur Altari. Quod autem ad istas dimidias portiones deueniatur per assensum, & nouum titulum, fuit dictum in prædicta Salamantina coram Clem. Oct. Facit *decis. Rot. 6. n.1.5. & 6.* de consuet. in nou. Bellam. *decis. 63. n.5.* & constat manifeste ex quo per Capitulum fuit facta Bartholomæo noua prouisio.

8 Nec subsistit, quod per alium deseruire Bartholomæus potuisset. Nam vltra quod dici potest, statutum disponens, quod dimidię portiones remaneant Sacerdotibus de missa, requirere Portionarium qui de tempore sibi acquisitæ portionis possit actu missam celebrare, ad not. per *Barb. consi.33. nu.8. lib.2. Abb. in c. cum in cunctis. §. inferiora. n.10. & Dec. n.12. de elect. Paris. consi.50. nu.17. lib.4.* Præterea cum ista dimidia portio requirat residentiam, & etiam ex prædicto statuto Sacerdotium, magis est, quod Bartholomeus nõ inseruiuisset sufficienter per Vicarium. *c. alleg.35. nu.4. & alleg.117. n.2. Dec. in c. cum omnes. nu.5. & 6. de const. Abb. in l. pen. de Cler. de resid. nu.4. Syl. Benef. p.4. q.1. col.1. circa med Facit. Conc. Trid. sess.22. c.3. de refor. & sess.24. cap.12. §. præterea.* ibi omnes diuina per se, & non per substitutos compellantur obire officia. Denique ipsemet Dominicus dixit in sua impetratione, quod Bartholomæus non poterat adimplere ministerium, & seruitium Altaris, sicque improbauit seruitium, quod per Vicarium fieret. Atque ex his, vtraque parte informante, fuit conclusum pro Francisco.

DECISIO CCXXXVII.

Hispalen. Decimarum de Aiamonte. Veneris 30. Ianuarij 1609.

Impressa Apud Ludouisio.

DECISIO 396.

REVERENDISS. P. D. PEGNA DECANO.

Mediolanen. Iurisdictionis. Die Ven. 30. Ianuarij 1609.

ARGVMENTVM.

Episcopus potest in qualibet Ecclesia suæ diœcesis, quamuis regulari, & exempta, celebrare diuina officia.

SVMMARIVM.

Manutentio debet dari ei, qui possidet de tempore litis. num.1.
Testes digniores alijs præferuntur. num.1. & 5.
Consuetudo attendi debet in materia prærogatiuarum, & præeminentiarum. num.1.
Episcopus habet fundatam intentionem de iure communi in sua diœcesi, etiam contra monasteria, & regulares, nisi speciali priuilegio ab eius iurisdictione eximantur. num.2. & 4.
Episcopus in quacunque Ecclesia suæ diœcesis, quamuis exempta, diuina officia celebrare potest. num.3.

DECISIO CCXXXVIII.

1 Introducta lite inter Abbatem, & Monachos Monasterij Sancti Ambrosij Mediolanen. ex vna, & Præpositum, & Canonicos eiusdem Ecclesiæ ex altera super dominio, & pertinentia Ecclesiæ, & vsu mitræ, & baculi dicti Abbatis, Confectisque inter eos processibus primo coram Episcopo Papiensi, si, & deinde in Rota, & vltimo loco coram me, de quorum pondere, & probatione suo loco, & tempore videbitur, Interim Abbate, & Monachis prætendentibus post celebratas solemnes vesperas vigiliarum Sãctorum Ambrosij, & Geruasi, & Protasi, & missam festi, amouendum Baldachinum, & Sedem Archiepiscopalem, vbi Archiepiscopus si volebat, celebraturus sedebat, citato Archiepiscopo, & suo legitimo procuratore comparente, & informante dubitaui; An post celebratas missas solennes per Dominium Archiepiscopum in predicta Ecclesia S. Ambrosij, essent Baldachinum, & sedes amouenda ad effectum, vt Abbas in eodem loco, cum baculo, & mitra secundas vesperas celebrare posset. Et quoniam pro parte Archiepiscopi fuit habitus recursus ad Sanctissimum Dominum Nostrum Paulum Papam V. & expositum, quod Archiepiscopus grauabatur in dubio dato ex eo, quod ipse prætendebat, se esse in possessione non amouendi Baldachinum, & sedem, de qua prius erat videndum, & Sanctissimus rescripserat, vt eum informarem, idque die 27. Decemb. anni 1608. fecissem, audita relatione Santissimus ordinauit, quod disputaretur dubium iam datum, stricte tamen quo ad possessorium. Quo vtraque parte informante Rota censuit, sedem non esse amouendam in secundis vesperis. Cum enim ex ordine Sanctissimi dubium dispu-

disputaretur stricte, quo ad possessorium, & nedum tempore motæ litis, sed longe etiam antea tempore bon. mem. Caroli Card. Borromei, Archiepiscopus esset in possessione retinendi sedem prædictam toto die festiuitatis, vsque ad occasum Solis in prædicta Ecclesia S.Ambrosij. Nam lis fuit introducta post obitum Caroli anno videlicet 1587. coram Ordinario Papiensi, Archiepiscopus procul dubio veniebat manutenendus. §.*retinendæ.institut.de interdictis, leg. 1. ff. vti possidetis.* Testes enim Archiepiscopi, & plures numero,& qualitate,& ordine digniores, erant enim pro maiori parte clerici, & ideo præferendi testibus Abbatis,qui vno tantum excepto, erant laici. cap. in nostra,de testibus.de ea Consuetudine testificabantur Notum vero est in hac materia prælationum, prærogatiuarum, & præeminentiarum recurrendum ad Consuetudinem,eamque esse attendendam. *Rota. dec. 4. incip. fuit dubitatum. num. 1. in fin. vers. ego vero dicebam,& nu. 2.& 3. de electione in nouis. Felinus in cap. pastoralis. nu. 9. vers. Et tunc aut Consuetudo est. de offic.delegati. Bal. in cap. cum olim. nu. 1. & 2. de Consuetud. Nat. cons. 577. incip. extante Consuetudine. nu. 3. lib. 3.*

2 Præterea cum ista Consuetudine concurrebat assistentia iuris communis. Episcopi enim in sua diœcesi habent fundatam intentionem, *capit. omnes Basilicæ, 16. q. 7. Verall. decis. 306. incip. Episcopus in quacumque parte. parte 1. & decis. 201. incip. manuteneri debet. parte 2. Oldrad. consil. 274. incip. in causa, quæ vertitur super diœcesano iure. num. primo, versic. & sic de iure communi.* quod de iure communi procedit etiam respectu monasteriorum,& regularium. *capit. Abbas. Il 2. & capit. Abbates. Il sesto 18. quæst. 2.* & sæpe fuit resolutum in Rota, & signanter in causa Augustana exemptionis. coram Robusterio,& in causa Cæsaraugustana exemptionis,coram Orano,& nuper copiose in causa Montis Regalis iurisdictionis, coram domino Coccino. Quod est indubitabile, nisi aliquo speciali priuilegio ab eius iurisdictione eximantur. *cap. cum, & plantare, de priuileg. gl. in d. cap. omnes Basilicæ. in verbo potestate, 16. quæst. 7.*

3 Et respectu diuinorum Pontificaliter celebrandorum explorati iuris est, Episcopos in quacunque Ecclesia etiam exempta suæ diœcesis, ea celebrare posse. *Clem. 2. de priuileg. vbi Zabarel. numer. 5. in fin. vers. ex hoc infertur,& §. simili, num. 5. vers. Quinto quæro, & Imola numer. 4. & 10. Lapus Abbas in princip. & Bonifacius Vitalinius numer. 13. versicul. nam in loco exempto. Pauinus tract. de visitatione. parte secunda, quæstio. 3. num. 9. versic. poterunt enim. Paulus Fuscus. lib. de visitatione & regimine Ecclesiarum. cap. 8. num. 5.* Vnde infertur, posse sedem Pontificalem ad diuina celebranda constituere. *Bonifacius dicta clementina 2. nu. 30. vers. ratio decidendi est.*

4 Demum accedebat ratio viua,& efficax, quia huic Archiepiscopo patebat liber accessus ad celebrandas primas vesperas,& die sequenti ad cãtandum missam, eodem modo si ei libebat,accedere poterat ad secundas vesperas. Vnde non erat remouenda sedes, & eo maxime, quia licet Abbas prætenderet Archiepiscopum non posse accedere ad secundas vesperas, id tamen non probabat, neque edebat priuilegium, quo prohiberetur accedere, *iuxta glossam præallegatam in d. cap. omnes Basilicæ, 16. q. 7.*

5 Neque huic decisioni obstabant testes pro Monachis examinati,affirmantes,quod tempore prædecessorum Domini Archiepiscopi viuentis sedes post missam cantatam fuerat amota. Quia fuit responsum, quid præterquam quod non probabant contra Cardinalem non citatum in eorum examine, non erant præferendi testibus Archiepiscopi, qui & plures erant numero, & digniores,& magis conformia iuri communi testificabantur. Nec refragabatur simile de Sede Pontificia amoueri solita,vel ab Ecclesia S.Ioannis Lateranensis,vel ab Ecclesia S.Mariæ Maioris,vel ab alijs Ecclesijs statim postquam Papa missam celebrauit. Quia dicebatur,quod præterquam quod non satis videbatur ad propositum huiusmodi Papæ exẽplum commemorare, amotio sedis Papalis fiebat à ministris Papæ, non autem necessitate aliqua suadente, vel alio compellente; Et ex aduerso proponebatur exemplum de Cardinalibus in suis Ecclesijs titularibus celebrantibus, vbi per integrum diem festiuitatis, & baldachinum, & sedes remanabant. Ex prædictis inferebatur istum statum, quem Archiepiscopus prætendebat per litem introductum de anno 1587. non fuisse attentatum, quia lis solum fuerat introducta inter regulares, & canonicos, & clericos sæculares Ecclesiæ Sancti Ambrosij, quæ non videbatur Archiepiscopum comprehendere. Cetera quæ commemorabantur vel circa dominium vel circa exemptionem Ecclesiæ vix ad hunc articulum pertinebant, cum vel respicerent petitorium, vel prætensionem,inter Monachos,& clericos sæculares eiusdem Ecclesiæ.

DECISIO CCXXXIX.

Toletana Decimarum de Lucillis, Veneris 6. Februarij 1609.

Impressa Apud Ludouisio.

DECISIO 429.

DECISIO CCXL.

Montis Regalis iurisdictionis. Veneris 13. Februarij 1609.

Impressa Apud Caualerio.

DECISIO 45.

DECISIO CCXLI.

Vrsellen. spoliorum, seu donationis. Veneris 13. Februarij 1609.

Impressa Apud Ludouisio.

DECISIO 401.

DECISIO CCXLII.

Anconitana Bonorum. Lunæ 16. Februarij. 1609.

Impressa Apud Ludouisio.

DECISIO 402.

REV.mo P. D. COCCINO

DECANO

Baren. Iurisdictionis. Lunæ 16. Februarij. 1609.

ARGVMENTVM.

Episcopus habet fundatam intentionem iurisdictionis in terris existentibus in sua Diœcesi multa de Archipresbytero prætendente se habere iurisdictionem in præiudicium iurisdictionis Episcopalis, de quibus in Summario.

SVMMARIVM.

Episcopus habet fundatam intentionem iurisdictionis in terris in sua diœcesi existentibns, nu.1.

Sententiæ verba vbi sunt ambigua interpretantur ex libello, & petitione. nu.2.

Dispositio dicitur odiosa, quæ est contra dispositionem iuris communis, nu.3.

Sententia est stricti iuris, & nihil amplius probat, quam quod ex ea necessario infertur, num.4.

Dispositio correctoria iuris communis sufficit, vt aliquid operetur, & vt minus corrigat ius commune quam sit possibile. num.5.

Episcopus de iure communi, habet facultatem instituendi præsentatos in iure patronatus, nu. 7.

Dictio prout hactenus consuetum est, stat conditionaliter, quatenus sit consuetum. nu.8.

Prout dictio conditionem importat, nu.8.

Iurisdictio Episcopi præscribitur ad fauorem Archipresbyteri per immemorabilem cum titulo, nu.9.

Testes probantes immemorabilem præscriptionem cuius ætatis esse debeant, nu. 10.

DECISIO CCXLIII.

1 FVit per Dominos resolutum, laudum ad fauorem Archipresbyteri Aquæuiuæ latum non esse iustum, quia cum Terra Aqueuiuæ sit in Diœcesi Baren. D. Archiepiscopus de iure communi habet intentionem fundatam, quod dicta Terra suæ iurisdictioni Episcopali sit subiecta, *c. cum personæ de priuil. in 6. c. omnes Basilicæ 16. q. 7. Roman. cons. 180. nu. 4. vers. habet enim Episcopus. Foder. de Sen. cons. 145. nu. 6. ante finem, vers. vnde si aliquis,* & propterea sequitur, quod allegans, iurisdictionem ad se spectare, tenetur hoc concludenter probare, cum sit fundamentum intentionis suæ, *iuxta not. per Innoc. in c. super his nu. 10. vers. ad argumentum contra. de accusat. & per Bart. in l. in illa numer. 5. ff. de verborum obligat.* quod non probat Archipresbyter.

2 Primo enim nullibi apparet, prout illi conceditur in laudo, quod in Terra Aqueuiuæ, eiusq; territorio liceat sibi exercere iurisdictionem in causis ciuilibus, & criminalibus, & mixtis, ad forum Ecclesiasticum spectantem; nam declaratoria, Archiepiscopi Andreæ, lata de anno 1227. hoc sibi nō concedit nec minus sententia Episcopi Vigihen. lata de anno 1452. Quia licet vtraque sententia dicat, quod possit ferre sententias de motis quæstionibus coram ipso, tamen si attendatur prima sententia ex præcedentibus, & subsequentibus verbis, apparet, quod semper loquitur de Clericis Ecclesiæ Sancti Eustachij Terræ Aquæuiuæ, & eodem modo sequitur sententia Vigihen. Nam in commissione, quæ inseruit loco libelli dicitur, quod cognitio earum inter clericos ecclesiæ Sancti Eustachij spectat, ad Archiepiscopum, ex quo sequitur, quod cū in sententia dicatur, quod Archipresbyter de motis quæstionibus coram ipso, sententiam possit ferre, intelligēda sit de mortis quęstionibus inter Clericos Diuæ Ecclesię Sancti Eustachij, vbi enim verba sententiæ ambigua sunt, debent interpretari ex libello, & petitione, cui conformis esse debet *l. vt fundus, ff. commun. diuid. & not. in c. licet Heli. de Simon. Bald. l. 1. nu. 6. C. si plur. vn. sent.*

3 Vnde sequitur iniustitia laudi, quod dat facultatē Archipresbytero, vt possit cognoscere causas Ciuiles, & Criminales, etiam mixtas ad forum Ecclesiasticum spectantes, quia in hoc excedit, tum quia multę sunt causæ, quæ de iure etiam inter laicos spectant ad forum Ecclesiasticum, vt notatur, *in c. fin. de except. in 6. & in c. licet, de iureiur. eodem. lib.* & in alijs iuribus quæ hic esset longum recensere, de quibus nulla habetur mentio in dictis sentētijs, tum etiam, quia datur huiusmodi facultas cognoscendi, nō solum, quo ad clericos Sancti Eustachij, sed generaliter quo ad omnes in Terra, & Territorio Aquæuiuæ, & tamen pariter in alijs sententijs nulla habetur mentio dicti Territorij, sed solum quo ad Clericos Sancti Eustachij, & cum materia sit odiosa, nempe contra dispositionem iuris communis, vt in specie in c. vlt. de officio Archipresbyteri, propterea dictum Territoriū non comprehenditur sub dispositione Ecclesiæ Sancti Eustachij, Terræ Aquæuiuæ, vt bene per *Oldr. in cons. 121. nu. 8. vers. 3. sicut se habet.*

4 Maxime cum dispositio sit in sentētia, quæ est stricti iuris, ita vt nihil amplius probet, quam quod ex ea necessario inferatur. *Alex. cons. 84. nu. 3. lib. 3. Anch. cons. 437. in fin. Io. de Anan. cons. 18. in princ. Achil. decis. 25. nu. 3. de rest. spol.* in tantum, quod omissum habeatur pro omisso, ad effectum, vt remaneat in dispositione iuris communis *Anchar. d. cons. 437. in fin.* qui expresse sequitur in sententia tribuente iurisdictionem. *Dec. cons. 445. nu. 67.*

5 Tum denique, quia dictum laudum, concedit etiā iurisdictionem criminalem Archipresbytero contra dispositionem Sacrosancti Concilij Tridentini. sess. 24. *cap. 20. de reformatione, in §. ad hoc,* circa quam iurisdictionem, sententiæ non tribuunt aliquid Archipresbytero quia verba illa sententiarum, quod Archipresbyter possit cognoscere de motis quæstionibus coram ipso, in hac materia odiosa, debent intelligi de causis Ciuilibus, quando enim dispositio est correctoria iuris communis sufficit, quod aliquid operetur, & est interpretanda, vt minus quam fieri possit, corrigat ius commune, cap. cum dilectus de consuetud. *l. 2. C. de noxal. Roman. cons. 199. nu. 6. Paris. 120. nu. 6. lib. 3,* maxime cum in dubio fiat interpretatio contra illum, qui se in sententia fundat *Alex. in cons. 81. nu. 5. lib. 3. Dec. cons. 321. nu. 4.*

6 Laudum quoque remanet iniustum, dum dat facultatem conferendi beneficia in Terra Acquæuiuę, eiusque Territorio, quia sen tentiæ sunt ad beneficia Ecclesiæ Sancti Eustachij, & nullum verbum in eis de Territorio, & ex isto capite laudū remanet etiam iniustum quo ad alia omnia in eo contenta, quia in sententijs antiquis nulla habetur intentio Territorij neq; ad aliud potest extendi per supradicta, & in specie remanet etiam iniustum, dum dat facultatem Archipresbytero instituendi præsentatos à patronis, & casus sibi beneuisos resoluendi, & monitiones de cōtrahendis matrimonijs abbreuiandi, ac omnia alia, & quæcunq; ad iurisdictionem ordinariam spectantia, & pertinentia exercendi,

7 Nam quo ad facultatem instituendi præsentatos, nihil de hoc habetur in dictis sententijs, & de iure communi institutio spectat ad Episcopum, *c. cum ex iniuncto. in fine de hæret, c. nobis de iure patr. Abb. consil. 206. num. 3. lib. 2.* prout etiam ad Episcopum spectat in sua diœcesi casus reseruare, vt post constitutiones antiquas, adest constitutio *Conc. Trid. sess. 24. cap. 7. de cas. reser.* & etiam eorundem pendentiæ, & iudicio committitur, an expediat, monitiones remittere, vt habetur in eodem *Cōcilio sess. 24. capit. 1. de Reformat. matrim.*

Et tandem iniustitia laudi apparet, dum in eo dicitur, quod Archipresbyter omnia alia, & quæcunq; ad iurisdictionem ordinariam spectantia, & pertinentia

tia exercere possit, præterquam monitiones, sub pœna excommunicationis, ad finem reuolutionis de rebus deperditis concedere, nam nullibi constat, Archipresbyterum habere hanc iurisdictionem, & licet in sententia Vigilien. dicatur, post prædicta enumerata, & alia iurisdictionalia exercere, prout hactenus in Terra Aquæuiuæ, tamen omisso, quod sententia non loquatur de Territorio, vt sæpe dictum est, dictio illa, prout hactenus, consuetum extitit, stat conditionaliter, scilicet quatenus sit consuetum, & non causatiue scilicet, quia consuetum, ex quo refertur ad alia iurisdictionalia incerta, & sic non aliud certum, vt declarat *Bolognet. in l. edita*, qui expresse loquitur in sententia. *nu. 141. C. de æden.* Vbi dicit, ita intelligendam esse communem sententiam *Bar. in extrauag. ad reprimendum. in verbo prout. nu. 2.* & ex structura verborum apparet, quod dictio, prout refertur ad verbum impersonale exercere, & non ad verbum personale concedimus, vel declaramus, & propterea debet accipi conditionaliter, vt distinguit *text. in cap. Abbate Sancti Syluani. de verb. significat.* quia cum adiungitur verbo impersonali infinitiuo, quod non habet certum numerum, & personam infinitiue intelligitur, quod cum sit incertum, non potest significare rem certam, & ideo necesse est intelligere illam dictionem, conditionaliter *Io. Andr. in d. cap. Abbate. nu. 6. Hostien. nu. 13. Card. ibidem in §. contra quod. nu. 2.*

9 Hoc laudum potest iustificari ex depositionibus Testium, quia Archipresbyter seclusis sententijs deberet probare, aut immemorabilem, aut quadragenariam cum titulo, *vt not. in cap. cum personæ. de priuil. in 6.* & regulare est in omni præscriptione contra ius. *c. 1. de præscript. in 6.* vbi notant Doct. hic autem quicquid dicendum sit circa testium dicta examinatorum coram Auditore Cameræ, non possunt probare intentum Archipresbyteri, cum alter sit annorum 26. Alter vero annorum 28. testes vero examinati in Rota, vltra quod sunt examinati, sede Archiepiscopali vacante nemine citato, & fuerunt positi ad partes, nec intentum Archipresbyteri possunt probare cum fuerint examinati de anno 1592. & lis fuerint mota de anno 1590. & de tempore examinis vnus erat ætatis 35. annorum, & licet alter esset ætatis 60. annorum tamen nec immemorabilem probat, neque quadragenariam, cum sit vnius, & eius dictum elidatur ex multis processibus factis per Dominos Archiepiscopos pro tempore.

10 Testes vero examinati coram arbitris. Alter est ætatis 45. annorum. Alter vero 50. & fuerunt examinati de anno 1600. & sic quicquid deponant, certum est, quod ex defectu ætatis neque immemorabilem, neque quadragenariam probare possunt, maxime cum sit demendum tempus litis, *Bart. in l. Celsus. nu. 26. & seqq. ff. de Vsucap.*

REVERENDISSIMO P. D.

COCCINO DECANO.

Romana. Domus, & census. Lunæ 16. Februarij. 1609.

ARGVMENTVM.

Sententia lata non citatis interesse habentibus an, & quando valida sit.

SVMMARIVM.

Sententia lata sine citatione partis non est nulla, nisi quo ad partem non citatam. nu. 1.

Sententia lata non citatis interesse habentibus quando sit nulla. nu. 1. 2. & per tot.

Sententia vt afficiat omnes interesse habentes, est necessaria citatio per proclama. Declara, vt nu. 2.

Sententia lata contra hæredem non potest exequi contra legatarium. Declara, vt nu. 2.

Scientia æquipollet citationi per proclama ad effectum, vt sententia afficiat etiam interesse habentes. nu. 3.

Interesse proueniens lite pendente non facit, vt is qui habet interesse citari debeat in sententia. nu. 3.

DECISIO CCXLIV.

1 De validitate primæ sententiæ Rotalis non potest dubitari, quia licet in ea fuerit condemnata Vrsolina non citata, tamen non inde resultat nullitas sententiæ, sed tantum non afficit ipsam, licèt in sententia fuerit condemnata, vt in specie dicit *Salyc. in l. 1. num. 4. C. si aduersus rem iudic.* Neque dicta prima & secunda sententia Rotales possunt dici nullæ, ex quo dicta Vrsolina, & Philippus non fuerint citati pro suo interesse, quia pro validitate iudicij sufficit citare illum, contra quem principaliter dirigitur petitio, nec est necesse citare omnes interesse habentes, nisi per extensionem præiudicij. *Bald. in l. ab eod. num. 17. C. quom. & quando iud.*

2 Neque interesse Vrsolinæ potest retardare executionem sententiarum Rotalium, quia licet verum sit secundum opinionem quam Rota seruat, citationem per proclama esse necessariam ad hoc, vt qui dicet illi de cuius interesse secundario agitur, *iuxt. dec. Achil. 5. & 6. de dol. & contum.* Tamen interesse Vrsolinæ non potest hodie retardare executionem, quia licet fuisset relicta per virum vsufructuaria, hoc interesse cessauit per obitum dictæ Vrsolinæ, & quamuis etiam ei fuerit legata portio bonorum filij, qui ingressus fuerat religionem, & sit verum, quod sententia lata contra hæredem non possit exequi contra legatarium non citatum, *vt per Achil. decis. 8. de dol. & contum.* prout exequeretur saltem in parte, quia per restitutionem domus, & census minueretur portio ei relicta: Tamen fuit responsum, quod aut filij successerunt matri, aut non, si successerunt, cum ipsi succubuerint ex eisdem viribus non possunt hodie ex persona matris dare de eisdem iuribus, vt in fortioribus est *decis. Veral. 253. num. 1. & seqq. par. 3.* aut non successerunt matri, & non est in causa persona legitima, quæ opponat de iuribus Vrsolinæ.

3 Neque etiam interesse Philippi potest retardare executionem dictarum sententiarum, qui licet haberet interesse pro sua legitima, vel etiam ex quo fuit admissus per fratres ad portionem suam hæreditatis non obstante, quod fuerat exhæredatus. Tamen fuit responsum, quod interesse legitimæ non obstat, ex quo sciuit causam tractari, quod probatur ex constitutione procuratoris, qui postea renunciauit mandato. Nam hæc scientia sufficit, & æquipollet citationi per proclama, vt in istis terminis dicit *Achil. allegata dec. 5. de dol. & cont.* Interesse vero ex quo fuerat admissus per fratres ad portionem hæreditatis non est considerabile, ex quo prouenit lite pendente ab eisdem fratribus hæredibus institutis contra quos fuerunt prolatæ sententię ex iuribus quę hodie Philippus posset deducere, *iuxt. not. per Verall. in allegata decis. 253. num. 1. & sequent. par. 3.* vltra quod interesse tertij, quod obuenit lite pendente ab vno ex litigantibus non impedit executionem, *iuxta not. per Franc. in cap. ex ratione. nu. 92. de appell. Gabr. concl. 31. nu. 20. lib. 2.*

DECISIO CCXLV.

Romana Census, Lunæ 23. Februarij, 1609.

Impressa Apud Ludouisio.

DECISIO 406.

REVERENDISSIMO P. DOM. COCCINO DECANO.

Romana Lucri Dotis, Veneris 9. & Lunæ 23. Martij 1609.

ARGVMENTVM.

Statum Vrbis cap. 137. lib. 1. loquens de fructibus dotis soluto matrimonio, habet locum etiam in augmento dotis, seu donatione propter nuptias, & quando legatum compensetur cum debito necessario.

SVMMARIVM.

Fructus dotis in terminis statuti Vrbis cap. 137. lib. 1. debentur viduæ, ob moram non solutæ dotis post iudicialem interpellationem. nu. 1.

Interpretationi non est locus in claris. nu. 1.

Statutum loquens de dote, habet locum etiam in augumento, quod venit in consequentiam. nu. 1.

Statutum loquens de dote non habet locum in donatione propter nuptias. num. secundo. Vbi constituitur diffrrentia inter augumentum dotis datum à muliere, & donationem propter nuptias.

Distinguere, quod aut agitur ad effectum prælationis contra creditores, & tunc non est idem dicendum de augumento dotis dato à muliere, & lucro dotis, quod prouenit à viro aut agitur ad effectum, quod debeantur fructus lucri dotis ob moram non soluti dicti lucri, & tunc dispositа in statuto de dote habent locum etiam in lucro dotis, quia dos, & lucrum æquiparantur. nu. 3.

Fructus, quando concurrunt requisita de iure ne dum debentur ex dote, sed etiam ex donatione propter nuptias. num. 3.

Lucrum dotis debitum vigore statuti dicitur debitum necessarium. nu. 4.

Legatum compensatur cum debito necessario. nu. 4.

Fallit, vbi legatum fuit ex alia causa factum. nu. 5.

DECISIO CCXLVI.

1 DOmini resoluerunt, fructus dotis, & lucri dotalis deberi Portiæ à die 23. Februarij 1607. quo die fuit facta iudicialis interpellatio vsque ad diem, quo fuit dos restituta, & quo lucrum restitueretur. Intrat enim clara dispositio statuti Vrbis, quod fructus dotis debeantur viduę ob moram non solutæ dotis post iudicialem interpellationem, *vt in cap. 137. lib. 1.* cuius verba cum adeo clara sint, interpretatione non egent. *l. ille, aut ille. §. cum in verbis. de leg. 2.* quod statutum licet non loquatur de lucro, tamen & lucrum sub eius dispositione comprehenditur, quia quod statutum est de dote principali, tacite intelligitur statutum in augumento, quod venit in consequentiam. *Bald. in leg. etiam. per illum text. in princ. vers. nam quod iuris est de antecedenti. & num. 4. vers. 2. nota. C. de iure dot. Bart. in dict. l. etiam in fin. idem Bald. in leg. 2. num. 1. versic. vltimo not. C. de bon. quæ liber. Natt. consil. 253. num. 4. lib. secundo. Brun. de augumento concl. 5. per totam, & conclus. 9. in princ.* etiam in hanc sententiam alias Rota inclinauit in causa Romana fructuum dotis 17. Aprilis 1600. coram Illustrissimo Mellino, & fuit expresse resolutum in Causa Romana, dotis, de Maximis. 3. Martij 1600. coram R. P. D. Pamphilio.

2 Nec obstat, quod disposita per statutum in dote non videantur habere locum in donatione propter nuptias, vt expresse dicit *Fulgos. in cons. 92. nu. 3. vers. De donatione vero propter nuptias, & Natt. d. consil. 253. numer. 7.* constituit differentiam inter augumentum dotis, datum à muliere, de quo loquuntur Doctores prædicti, & est *text. in §. his consequens. in authentic. de æqualit. dotat.* & donationis propter nuptias, in qua nos versamur.

3 Quia pro responsione distinguendum est, quod aut agitur ad effectum, prælationis contra creditores, & hoc casu non est idem dicendum, de augumento dotis dato à muliere, & lucro dotis, quod prouenit à viro, & ita loquitur *text. in l. fin. in fin. C. qui pot. in pign. hab.* quem allegat *Fulgos. loco prædicto.* Et ita expresse loquitur *Natt. qui allegat. Text. in d. §. his consequens.* qui loquitur in istis terminis. Aut agitur ad effectum quod debeantur fructus lucri dotis ob moram non soluti dicti lucri. Et hoc casu disposita à statuto in dote habent locum etiam in lucro dotis, quia dos, & lucrum æquiparantur ex prædictis, quæ licet loquãtur in augumento dotis dato ex muliere, tamen in c. de quo agitur eadem est ratio in lucro, quod prouenit à viro, quia de iure communi ne dum debentur fructus dotis, quando concurrunt requisita. *Abb. in cap. salubriter. de vsur. num. 6. Ang. in l. diuortio. nu. 4. vers. si autem mulier. Imol. num. 6. vers. Tu potes dicere. ff. solut. matrim.* Verum etiam debentur fructus lucri dotalis, seu donationis propter nuptias, iuxta receptam sententiam, de qua per *Gram. dec. 103. num. 98.* Vbi quod consilium Neapolitanum recessit ab opinione contraria quam alias tenuit, vt in *decis. Afflict. 291. Capic. decis. 65. Thessaur. dec. 95. num. 3.* qui alios allegat. *Vrsil. ad Affl. dicta dec. 291. Surd. de Alimen. tit. 1. quæst. 42. num. 75. vers. Limitatur rursus.* Et inclinauit, & dixit Rota in decisionibus supra allegatis.

4 Non obstat, quod cum illud lucrum deberetur vigore statuti erat debitum necessarium ex allegatis per Illustrissimum Manticam *de coniect. vlt. volunt. lib. 11. tit. 2. num. 3.* Et propterea cum testator reliquerit Scuta septem cum dimidio menstrua, censetur voluisse compensare cum isto debito necessario. Idem Illustrissimus Mantic. vbi supra.

5 Quia hæc conclusio limitatur, quando ex alia causa legatum fuit factum, *vt authent. idem dicit. vbi supra. num. 10. vers. 3. & debet restringi,* prout in casu isto, quia legatum mestruum fuit relictum, donec Lucretia vidualem, & honestam vitam seruauerit, & fuit in proprijs terminis resolutum in causa Romana donationis propter nuptias. 12. Decembris 1594. coram bon. mem. Litta. Quæ dicuntur de consuetudine in Terra Fiani, quod non soluatur lucrum dotis, non egent responsione, quia talis consuetudo non fuit probata, & si probaretur, videndum esset, an esset attendendum domicilium originis, vel habitationis viri. Interim intrant prædicta, quia Terra Fiani est in districtu. Vrbis. Et propterea comprehenditur sub statuto, vt in cap. 42. lib. Primo.

REVERENDISSIMO P. DOMINO COCCINO DECANO.

Sabinen. Decimarum. Lunæ 16. Martij 1609.

AR-

ARGVMENTVM.

Parochus habet de iure fundatam intentionem in Decimis ex prædijs, existentibus intra limites suæ Parochiæ, & quomodo probetur Terras decimales esse intra dictos Parochiæ limites.

SVMMARIVM.

Parochus super decimis habet intentionem fundatam de iure intrat limites suæ Parochiæ, nu.1. Vbi etiam quod debet concludenter, & plene probare, Terras, in quibus prætendit decimas esse intra dictos limites.

Limites iurisdictionales differunt à limitibus decimatorijs, numer.1. in fine, & num.2. Vbi etiam quando valeat argumentum à limitibus iurisdictionalibus ad limites decimatorios.

Sacramentorum exercitium an, & quando probet eos, qui sacramenta sumunt in vna Ecclesia dicantur de illius Parochia, nu.3.

Ecclesia omnis Parochialis dicitur habere curam animarum, sed non è contra. nu.3.

DECISIO CCXLVII.

1 DOmini censuerunt, non constare, tenutam Montis Maioris esse intra limites parochiæ Montis Libertorum, ad effectum, quod illius Parochus dicatur habere intentionem fundatam in decimis illius tenutæ, quæ percipiuntur à Rectoribus Ecclesiarum ruralium, iuxta *text. in capit. fin. de paroch. & capit. cum sint. de decim.* Nam cum dicti Rectores sint in possessione longissima 40. annorum percipiendi dictas decimas, vt patet ex testibus in Summario Rectoris, num. 3. Parochus Montis libertorum debet plene, & concludenter ostendere dictam tenutam esse intra limites suæ Ecclesiæ Parochiæ, *l. eum qui. ff. de probat. & in terminis est consil. Bertrand. 350. per totum & præsertim, numer. 6. volum. 2. par. 1.* quod non probauit dictus Parochus, quia licet deducat plures testes ad probandum, quod tenuta Montis Maioris sit de limitibus iurisdictionalibus Castri Montis libertorum, & quod ipse administrauit sacramenta pastoribus, & alijs aduentitijs in dicta tenuta, & quod ex eadem tenuta sepeliuit mortuos, & quod hæc beneficia de consensu Rectoris fuerunt translata ad Ecclesia Montis Libertorum, tanquam ad matricem; Tamen hæc probatio ad effectum, de quo agitur, non suffragatus. Primo quia non bene infertur à limitib. iurisdictionalibus ad decimatorios, in quibus versamur. *Host. in c. super eo. num. 3. & 11. de paroch. & in c. querimoniam, num. 2. & ibi etiam Butr. numer. 6. de iure patron.* & fuit dictum coram me in Pacen. decimarum *dell'Hebrero* 9. Ianuarij 1601. & ratio est, quia parochiæ olim fuerunt diuisæ per Dionysium Papam, vt *in c. 1. 13. q. 1. c. pastoralis, de his, quæ fiunt à Prel. Ioan. And. Abb. & alij in rubr. de paroch. Bertrand. in alleg. consil. 350. vol. 2. par. 1.*

2 Et licet aliquando arguatur à limitibus iurisdictionalibus, ad decimatorios, *Butr. in cap. 1. num. 15. de relig. dom. Felin. in c. quia indicante, num. 6. versic. cum istis concordat. de præscript. Franc. Marc. decis. 352. numer. 2. par. 2.* Tamen hoc procedit in dubio, & propterea in casu isto non potest argui, tum quia constat limites decimatorios parochialis Montis Libertorum esse omnino distinctos, & separatos à dicta tenuta, & illius limitibus decimatorijs mediantibus finibus naturalibus vnius fontis nuncupatis de Monte Maggiore, & aliorum, de quibus deponunt testes dati in Summario, *nu. 1. in fin. & nu. 4.* Tum etiam, quia constat olim in tenuta prædicta fuisse quatuor Castra certis finibus inter se distincta, & à territorio Montis Libertorum separata, vt colligitur ex instrumento acquisitionis Castri Caminatarum, facta de anno 1428. & deponunt testes, qui dantur in Summario *nu. 1.* Vnde non solum redditur æquiuoca probatio, quod tenuta originaliter sit de iurisdictione Castri Montis Libertorum, verum etiam oritur vehemens præsumptio, quod cum adessent dicta Castra adessent etiam Ecclesie parochiales propter populum fidelé, *iux. not. per Archid. in c. licet canon. nu. 2. Gemin. nu. 4. de elect. in 6.* per quæ eliditur intentio Parochialis Montis Libertorum.

3 Et quo ad administrationem Sacramentorum cõsiderabant Domini, quod licet aliquis aduetitius teneatur sumere sacramenta à Parocho, in cuius Parochia degit, vt per *Host. in c. omnis vtriusque sexus, nu. 23. & Abb. pariter, num. 23. de pænit. & remiss.* Tamen cum ista tenuta non adsit populus permanens, sed aliqui pastores & Rustici aduentitij propterea non videbatur oriri certa præsumptio, quod ex administratione Sacramentorum tenuta sit de Parochia, tum quia isti pastores, & rustici in loco non habebant, neque habent domicilium, tum quia licet omnis Ecclesia Parochialis dicatur habere curam, tamen non è conuerso, omnis Ecclesia, habens curam, dicitur Parochialis, sed requiritur ad effectum Parochialitatis, quod de necessitate administret Sacramenta, & quod illa populus ab eadem de necessitate recipiat. *gloss. in clem. dudum. in verb. impendant. de sepult. vbi Im. num. 32. cum alijs allegatis*, in causa Recanaten. Parochialis, 20. Maij 1577. coram bon. mem. Lauretano quæ hic non probantur, quinimo testes de quibus in Summario. n. vlt. deponunt, pastores, & rusticos predictos ad suscipienda Sacramenta accessisse modo ad vnam, modo ad aliam Ecclesiam Castrorum prope tenutam existentium, prout eis magis videbatur, & cõmodius erat, per quæ necessitas exclusa remanet.

4 Quo vero ad translationem beneficiorum ruraliũ ad Ecclesiam Montis Libertorum nõ videbatur Dominis probatum, quod huiusmodi beneficia fuissent translata tanquam ad matricem, etiam si probaretur non releuaret, quia ex probatione, quod Ecclesia Montis Libertorum esset matrix, non sequeretur, quod tenuta Montis Maioris esset in sua Parochia, quia starent simul, quod huiusmodi Ecclesiæ rurales essent in aliena Parochia, & quod nihilominus Ecclesia Montis Libertorum esset matrix. Et ita fuit conclusum.

R. P. D. MANZANEDO.

Marsicen. Iurisdictionis. Veneris 26. Aprilis 1609.

ARGVMENTVM.

Episcopus habet de iure fundatam intentionem in iurisdictione causarum ciuilium, criminalium, mixtarum, & matrimonialium, nisi in contrarium adsit immemorabilis præscriptio, & quomodo hæc præscriptio per testes probetur.

SVMMARIVM.

Episcopi habent ordinariam iurisdictionẽ cognoscendi causas ciuiles, criminales, mixtas, & matrimoniales, nu. 1. Vbi tamẽ nõ excluditur inexcogitabilis præscriptio cõtraria, n. 1.

Præscriptio immemorabilis, vt concludenter probata dicatur habere debet requisita, de quibus per Glos. fin. in c. 1. de præscription. in 6. nu. 2.

Testes deponentes super immemorabili præscriptione deponere debent de iussu per 40. annos, & debent esse ætatis annorum 54. nu. 3. & 4.

Testes deponentes super immemorabili præscriptione debent deponere de actibus ante litem motam, nu. 4.

Testes desiderantes victoriam partis, & habentes affectionem seu interesse in causa non probant. nu. 5.
Iurisdictio Episcopi non praescribitur per iurisdictionales actus ab alio factis nomine Episcopi. nu. 6.
Iurisdictio Episcopi non praescribitur immemorabili tempore quando dantur plures actus iurisdictionales gesti ab Episcopo. nu. 7.

DECISIO CCXLVIII.

1 CVm Archipresbyter praetenderat, omnem iurisdictionem ciuilem, criminalem, & mixtam sibi competere, etiam quo ad causas matrimoniales, & cum istae, & criminales ad solos Episcopos, non autem ad alios inferiores spectent, iuxta *Concil. Trid. capit. 20. §. ad haec. sess. 24.* & Sacra congregatio Illustrissimorum Cardinalium dicti Concilij interpretum censuerit, d. decretum Concilij Tridentini non excludere immemorabilem, sed donec de illa constiterit, per tres sententias conformes non inferiorem, sed Dioecesanum Episcopum debere interim huiusmodi causas cognoscere, & quo ad illas Rota coram me. 18. Maij 1607. Domino Episcopo mandatum de manutenendo dederit. Inde Dominus Archipresbyter habuit remissoriam pro praedicta immemorabili probanda, non solum quo ad praedictas causas matrimoniales, & criminales, sed etiam quo ad omnem iurisdictionem a se praetensam, & examinatis 18. testibus, & productis, dubitaui an praedicta immemorabilis esset probata.

2 Et Domino Episcopo tantum informante Domini pro negatiua respondendum censuerunt, quia ex praedictis testibus dicta immemorabilis probata non resultat, cum requisitis, de quibus *in gl. fin. cap. 1. de praescript. lib. 6.* quam sequuntur ibi. *Lap. & Franc. num. 16.* & ceteri scribentes, & est communiter recepta, vt tradit *Gabriel. pluribus relatis lib. 5. tit. de praesumpt. concl. 1. n. 81. Couar. in reg. possessor. par. 2. §. 3. nu. 7. Rebuff. de decim. q. 13. nu. 99.* & illam seruat Rota, vt apud *Veral. decisione 71. part. prima, Et decisione 290. part. 3.* & saepissime fuit dictum.

4 Et cum iuxta praedictam glossam testes concludentes immemorabilem, deponere debeant de visu per 40. annos, opus est, vt habeant aetatem congruam, qualis est annorum 54. *vt dixit Lap. in d. cap. 1.* & ibidem *Dominic. & Franc. d. num. 16. & Paris. cons. 27. nu. 98. Aym. de antiq. tempor. part. 4. cap. absolutis. num. 3. Balb. de praescript. 2. par. 3. par. principalis. q. 6. nu. 37. vers. cuius vero aetatis. Beltrand. cons. 167. num. 4. lib. 3. Gabriel. de praescript. conclus. 1. in fin.* & ita seruat Rota, vt per Veral. vbi supra, & pluries fuit dictum. Sed sic est, quod ex praedictis testibus primus est aetatis annorum 45. quartus vero annorum 44. & sextus annorum 51. vnde ex defectu congruae aetatis, non valet ex eorum dictis immemorabilis dici probata.

4 Vlterius quia debent deponere de visu per 40. annos ante litem motam, cum certum sit per litem contestatam interrumpi praescriptionem *cap. illud vbi gl. verb. interruptio. de praescript & ibi Abb. nu. 13. & seq. l. motae litis. C. de rei vendicat. l. cum notissimi. §. imo & illud procul dubio. C. de praescript. 30. annorum. Bart. & communiter DD. in l. naturaliter. num. 19. ff. de vsucap. Balb. de praescript. rer. immobil. §. quib. mod. interrumpat. praescript. num. 51. & 3. par. sextae partis principalis. q. 1. Couar. vbi supr. 2. part. §. 12. num. 4. vers. secunda conclusio. & versicul. tertia conclusio.* Vnde cum ista lis duret 30. ab hinc annis, opus esset, quod testes haberent aetatem annorum 85. ad hoc vt valerent deponere de 40. annis de visu ante litem motam, sed sic est, quod nullus ex testibus. Archipresbyteri dictos annos 85. attingit, & vnicus tantum ad 80. ascendit, & quatuor ad 70. & per consequens videtur ex dictis testibus nullatenus istam immemorabilem probatam resultare.

5 Tum etiam quia 15. ex praedictis testibus sunt de loco Saponariae, & alius quamuis aliunde oriundus est habitator Saponariae a 60. annis, & sex ex eisdem habent in Capitulo Saponariae Ecclesiae filios, aut fratres, aut nepotes respectiue, & alij affectant victoriam Archipresbyteri, prout 16. interrogatus respondit. Dico quod victoriam reportet Archipresbyter, quia fouet bonum ius, & secundus, qui erat syndicus Generalis illius Terrae dicit, qualiter in consilio Saponariae fuit conclusum, quod praestaretur adiutorium Capitulo, & Archipresbytero, quo ad expensas necessarias, vt faueretur iurisdictioni, quia erat honor, & reputatio dictae Terrae, habere suam Ecclesiam cum aliqua praeminentia, & dictus testis tanquam Syndicus ministrauit Archipresbytero Cotino, non habenti in Vrbe quid expenderet, Ducatos 25. pro duabus vicibus, & reddit rationem, nempe, vt non amitteret iurisdictionem, quae omnia, aut istos testes non admittendos ad probationem immemorabilis, aut minorem fidem illis adhibendam satis demonstrant, *ad text. in l. fin. ff. de testib. & ad notata per Alex. consil. 146. num. 3. lib. 5. & Crauet. cons. 281. nu. 3. Natt. cons. 261. num. 11.*

6 Vltra quod ijdem testes deponunt, Archipresbyteros Saponariae fuisse deputatos ab Episcopo Vicarios foraneos. Vnde visi fuerunt non nomine proprio, sed Episcopi illam iurisdictionem exercere, quod impedit acquisitionem praescriptionis. *Ruin. cons. 217. nu. 13. vers. allegat etiam. lib. 1.* Et quamuis dicant hoc fecisse accumulatiue, & praeueniendo, hoc sufficit ad impediendam praescriptionem Archipresbyteri, quatenus in illa velit fundare suam iurisdictionem priuatiue ad Episcopum, facit etiam, quod istimet testes deponunt Episcopum processisse contra Archipresbyteros in iurisdictione se intromittentes. Item & quamuis plures ex istis testibus deponant de visu per 40. annos, tamen tres tantum exprimunt actus iurisdictionales, quos viderunt ab Archipresbytero exerceri.

7 Et vltimo visum fuit Dominis excludi istam immemorabilem ex pluribus actibus in contrarium datis pro parte Episcopi. *Soc. cons. 7. num. 11. lib. 1. Put. dec. 436. lib. 2.* & fuit dictum in vna Caputaq. Vnionis 27. Nouembris 1591. coram Domino meo Decano, & in Aquinaten. Beneficij. 9. Aprilis. 1602. coram Domino meo Ludouisio.

REVERENDISSIMO P. D. DAMASCENO.

Romana Dotis. Lunae 6. Aprilis. 1609.

ARGVMENTVM.

De dote subsidiaria qualis, & quanta esse debeat, & an Iudaei facti Christiani nobiles sint, & a quibus nobilitatem sumant.

SVMMARIVM.

Dos quae debetur ab auo paterno nepti ex filia ob egestatem patris, dicitur subsidiaria. nu. 1.
Dos quae debetur in subdium non videtur rigorose taxanda, sed ad meram dotandae necessitatem. nu. 1. & 6.
Alimenta, quae debentur in subsidium, non sunt rigorose taxanda, sed ad meram necessitatem alimentandi. nu. 1.
Dos, & alimenta aequiparantur. nu. 1.
Nobilitas a parentibus, & descendentibus prouenit. nu. 2.
Iudaei nobilitate non gaudent. nu. 2.
Dos, quae ab aliquo debetur in subsidium, debet esse talis, vt dotas cum sua familia egestatem non patiatur. nu. 2.
Iudaeus factus Christianus respectu antiquorum agnatorum & cognatorum dicitur noua creatura. nu. 4.

Iudaeus

Iudæus factus Christianus à quibus nobilitatem sumat. numero. 4. & 5.
Dos qualis, & quanta constituenda sit in Vrbe his, qui proprijs manibus laborant. num. 5.
Dos, quæ datur mulieri nubenti, debet esse maioris quantitatis ea, quæ datur ingredienti monasterium.

DECISIO CCXLIX.

1 DOmini censuerunt, esse constituendam dotem Flauiæ in Scutis mille, & non in maiori summa, vt ipsa prætendebat, quia in effectu ista dos, quæ petitur ab auo materno ob egestatem patris dicitur subsidiaria. *leg. non quemadmodum, vbi Bar. in summario. ff. de lib. agnosc. Bal. in l. neq. mater. C. de iur. dot.* dos autem quę debetur in subsidium non videtur rigorose taxanda, sed ad meram dotandæ necessitatem, per ea quæ in simili de alimentis subsidiarijs tradunt *Bald. & alij, in l. si maritus. ff. solut. matr. cum alijs per Rol. de lucr. dot. q. 94. nu. 3.* Concurrit etiam rationis identitas, & ista duo nempe dos, & alimenta solent æquiparari. *Angel. Aret. q. 81. nu. 13. Cephal. cons. 485. num. 85. Rota in causa Albanen. coram Cotta relata inter diuers. impres. decis. 538. num. 2. p. 1.* Necessitas vero arbitranda videtur attenta qualitate mulieris dotandæ, non autem regionis. *leg. quæro. ff. de iure dot.*

2 Qualitas mulieris nullam præ se fert nobilitatem, cum eius pater, & ascendentes, à quibus prouenit nobilitas, *l. fin. cum sua materia. ff. de senat.* fuerint Iudæi, qui nulla gaudent nobilitate. *l. hac valitura. versic. habeatur vt antea. C. de Iudæis. Alex. consi. 99. nu. 2. lib. 1.* pro muliere vero non nobili visa fuit sufficere dos Scutorum mille, ponderando maxime quod Vgo ista de causa non est ita prægrauandus, vt ipse cũ sua familia possit pati egestatem, vt late ad propositum. *Rom. consi. 364. numer. 1. cum pluribus seqq. & in specie Thessaur. decis. 211. num. 17.* Videbatur autem grauatus Vgo, si dos constitueretur vltra hanc summam, quia licet nõ mediocres dicatur habere redditus: Attamen cũ per fe. re. Gregor. XIII. fuerit multis honoribus, & priuilegijs insignitus, & cum familijs nobilibus iam affinitatem contraxerit, tenetur nobiliter cum curribus, & numerosa familia viuere, prout de facto viuit.

3 Et quod magis est, habet quatuordecim ex filio viuente nepotes, & possunt indies superuenire alij, & quatuor feminæ ex dictis nepotibus sunt tantũ collocatæ, ceteri indigent alimentis, & alijs necessarijs ad bonam educationem, & quinque feminæ remanentes erunt suo tempore dotandæ. Adest & alia neptis habens eadem quam habet Flauia prętensionem, & tres alij ex filio nepotes masculi, qui petunt alimenta, & possunt indies superuenire alij habentes easdem pretensiones, quæ omnia fuerunt per Dominos habita in consideratione, ne Vgo vltra illud quod facere possit, grauetur per conclusiones supra firmatas.

4 Ad constituendam autem non minorem dotem, vt prætendebat Vgo, moti fuerunt Domini, quia licet Flauia non possit dici nobilis, deducendo nobilitatem ex linea paterna, ex prædictis, attamen negari non potest, quin ipsa quæ respectu antiquorum agnatorum, & cognatorum dicitur noua creatura. *cap. 2. 26. distin. glo. in cap. ferrum. 50. distinct.* non accipiat fomentum, & qualitatem à cognatis, & consanguineis, quos reperit in Christianismo, cum etiam isti habeantur in consideratione ad istum effectum. Rota apud *Cæs. de Grass. decis. 2. numer. 5. & per totam de sponsal. & matrim. Cassan. in Catalog. part. 1. considerat. 37.* In Christianismo autem inter propinquiores est ipsemet Vgo, auus maternus, tractans se, vt nobilis, & filij, & descendentes ab illo nobiliter collocati, vt supra dictum est, ac etiam Iulia soror nupta M. Angelo Boncompagno, qui de proprijs redditibus ciuiliter, & absque artificio viuit.

5 Vnde indecorum videtur, quod ista mulier non nisi vili, & infimæ conditionis viro nubere debeat prout sine dubio euenerit, si dos minor Scutis mille constitueretur cum notum sit in vrbe, & ex his, qui proprijs manibus laborant, talem dotem prætendere, & indies consequi. Et fuit præcipue ponderatum, quod licet conuersi ad fidem sint omni honore digni, iuxta illud *Luc. c. 15.* & illis sit quantum fieri potest fauendum glos. additionalis. in *c. eam te. de rescript.* nihilominus Christiani antiqui non ita facile contrahunt matrimonia cum illis, sicut cum Christianis antiquis, vnde fit quod mulier neophyta indiget maiori dote, *Cæsar. de Grass. dicta decis. 2. num. 3. de sponsal.*

6 Quantum ad illud, quod super ponderatum fuit ad fauorem Vgonis, & sic replicabatur per Informantes pro illo, nempe numerosam ex filio descendentiam, & onus se honorifice tractare, Domini perstiterunt in conclusione supra firmata, quod Vgo ex causa istarum dotium non esset deducendus ad egestatem, sed e conuerso non admittebant quod dos sit soluenda de superfluo, & absque incommodo, ad quod videbantur tendere Informantes pro *Vgone. l. nam quemadmodum, cum sua materia. ff. de liber. agnoscen.* nimis rato haberet locum, cum ex mille vix vnus reperiatur, qui habeat bona superflua statui suo, & in contrarium pro parte Flauiæ allegabatur, quod plerique ex nepotibus Vgonis sunt Informantes, qui modicam asserant impensam, & quod ista dos non superat quintam partem redituum Vgonis, & ideo non adest periculum, quod ipse hac de causa deueniat ad egestatem.

7 Circa aliud quod pro parte Vgonis dicebatur ipsum nepotibus ex filio collocatis in matrimonium dedisse tantum Scuta 400. & ideo esse inconueniens quod ex ista dote subsidiaria plus pretendatur, fuit responsum, quod non bene inferebatur de monialibus ad nuptam in sæculo, cum ista indigeat multo maiori dote propter vestimenta pretiosa, & alia onera, quæ secum affert matrimonium carnale plus, quam spirituale, vt de se patet, & late prosequitur *Fulgos. in consi. 52.* quod etiam repertus fuit ipsemet Vgo, qui neptes in sæculo dotauit aliquando in decem aliquando in octo mille Scutis.

mo REV. P. D. COCCINO DECANO

Oueten. Beneficiorum. Veneris 29. Aprilis 1609.

ARGVMENTVM.

De potestate Nuncij Apostolici super collatione seu dispensatione plurium beneficiorum.

SVMMARIVM.

Nuncius Apostolicus non potest vni plura beneficia conferre. num. 1.
Nuncius Apostolicus numquid possit dispensare, & quando super pluralitate beneficiorum incompatibilium. nu. 2.

DECISIO CCL.

1 DOmini resoluerunt, prouisionem Tuentij, de quindecim beneficijs vni personæ factam, fuisse nullam, stante clara dispositione *Concilij Tridentini sess. 24. c. 17. §. statuit, vt in posterum. de reform.* vbi disponitur, quod vnum tantum beneficium Ecclesiasticum singulis conferatur, quod quidem si ad vitam eius, cui confertur, honeste sustentandam non sufficiat, liceat eidem aliud simplex conferre, dummodo vtrumque residentiam personalem non requirat, cuius dispo-

positio vt censuit congregatio Illustrissimorum Interpretum, habet locum etiam si primum beneficiũ sit simplex. Non poterat enim Nuncius aduersus decreta Concilij generalis dispensare, cum hoc non habeat in facultatibus, à quibus eius potestas reputatur, *Verall.decis.307. per totam p.3.* & in terminis dicit *Hoieda, de incompatib.benef. p.1.c.21. num.1.vers.ex quo tex.de incompatibilitate magnæ multitud.beneficior.*

2 Neque obstat quod Nuncius potest dispensare super pluralitate beneficiorum incompatibilium ex allegatis per *Gambar.de offic.leg. tit. an legat. possit plura beneficia vni conferre. numer.96.& seqq.* ergo multo magis super pluralitate compatibilium, quia Gamb. loquitur, quando dispensatio fit ob necessitatem Ecclesię, secus autem quando fit ob vtilitatem personæ propter prærogatiuum meritorum, quia hoc spectat ad solum Papam, & hodie stant ex noua dispositione *Concilij Tridentini sess.7. capit.4.de reformat. & sess.24.cap.17. §.illi vero &c. periter. de reform.* dictum Gamb. non caret difficultate, & propterea Rota in hoc articulo in causa Leodien. Canonicatus S. Iulij præteriti, coram me, nihil voluit firmare, sed in hac facti specie non est opus ingredi istam quæstione, quia nulla adest vtilitas Ecclesiæ.

3 Ex alio etiam capite Domini censuerunt prouisionem Nuncij fuisse nullam, quia fuit facta sub data 4. Decembris anni 1591. anno 1. Pontificatus Innocentij IX. & tamen idem Innocentius assumptus 30. Decembris ad Pontificatum per eius regulam 13. reuocauerat inter alia facultates concessas nuncijs conferendi beneficia, & propterea facultas concessa eidem nuncio per Gregorium XIV. ei non poterat suffragari, stante præterita reuocatione. *Verall. d. decis.307. p.3.* & propterea, nisi doceatur, nuncium habuisse alias facultates, d.collatio corruit.

REVERENDISSIMO P. DOMINO LVGDVNEN.

Mediolanen.Iuris patronatus. Veneris 22. Maij. 1609.

ARGVMENTVM.

Ius patronatus inter compatronos præscribitur spacio 40. annorum, Et possessio vnius patroni non præseruatur per præsentationes aliorum, vbi constat de negligentia d. patroni per multum tempus. Item quomodo succedatur in iure patronatus gentilitio, & familiari, & quomodo in iure patronatus hæreditario, & an illegitimus natus ex damnato coitu succedat in iure patronatus gentilitio & familiari, ac in iure patronatus hæreditario.

SVMMARIVM.

Sententia lata absque citatione est nulla. num.1.

Litteræ Apostolicæ non debent exequi absque iustificatione narratorum. nu.2.

Narrata in conditione posita debent verificari etiam parte non opponente. nu.2.

Literæ Apostolicæ, non verificatis in ijs narratis, sunt subreptitiæ. num.2.

Ius patronatus inter patronos laicos præscribitur spacio 40. annorum. num.3.

Status vltimus attenditur ad effectum quasi possessionis præsentandi. nu.3.

Quasi possessio vnius patroni præseruatur per præsentationem aliorum. nu.4.

Facit vbi constat vnum patronum per spacium multi temporis non præsentasse, quia tunc intrat præsumptio depositionis animi. nu.4.

In iure patronatus Gentilitio, & familiari succedunt descendentes, licet non hæredes, in capita, & non in stirpes. nu.5.

In iure patronatus hæreditario succeditur in stirpes, non autem in capita. num.5.

Illegitimus natus ex damnato coitu est insuccessibilis in iure patronatus gentilitio, & familiari, cum non dicatur de familia, vel parentela. num.6.

Legitimatio nati ex coitu incestuoso, non facta mentione incestus, nulla est. nu.6.

Legitimatus succedit in iure patronatus hæreditario, nu.7.

In iure patronatus hæreditario succeditur secundum quotam hereditatis. nu.7.

DECISIO CCLI.

SOlo D. Francisco Vrso informante fuit dictum, sententiam Ordinarij Papien. esse confirmandam. Est enim valida, cum constet de iurisdictione, mandatis, & citationibus necessarijs, atque in contrarium nihil fuerit oppositum. Est etiam iusta, quia reuocat sententiam Vicarij Mediolanen. quæ erat nulla, & iniusta.

1 Nullitas apparet, ex quo cum fuissent plura iura producta hinc inde, fuissentq. deuentum ad plures actus iudiciales, prædictus Vicarius parte non citata tulit sententiam ad fauorem D. Iulij Antonij, & sic nulliter. *Clem.Pastoral.de re iud.clem.sæpe.§.sententia vero.de verb.signif. l.ab eo.C.quomod.& quand.iudex.Rot.decis.17. nu.2. de re iud. in nou. Bero. in c. quoniam contra.nu.88. de probation.*

2 Iniustitia deprehenditur, ex quo dictus Vicarius mandauit exequi literas Apostolicas nulla præcedente iustificatione narratorum. *l.fi.C.de diuers.rescrip.c.2. de rescript.Roman.cons.33.n.2.* Et præsertim iuris patronatus, cuius verificatione erat in conditione posita per clausulam verificato prius coram te dicto iure patronatus, ideoque talis verificatio erat omnino necessaria. *Cassad.decis.7. nu.1. de iur. patron.Put.decis.120. lib.2. Alex.cons.218. num.1. lib.2. Ruyn.consi.68. num.4.lib.1.* Etiam parte non opponente. *Ægid. decis.303. Rot. decis.20. in princ. de præben. in nou.Paris.cons.49. nu.31.lib.4.* Et illa deficiente literæ dicuntur subreptitiæ. *Verall. decis.345. nu.3. p.2.* Et quod plus est, nec fuit legitime iustificatum, quod dictus Iulius Antonius fuerit præsentatus à maiore parte patronorum, existentium in quasi possessione presentandi. Etenim in erectione Cappellæ de anno 1477. ius patronatus fuit reseruatũ Francisco Boniforti, & Georgio tanquam descendentibus ex Bertino marito Agnesolæ fundatricis, ex his tribus patronis, nec ipse Georgius, nec Iosephus eius filius vnquam præsentarunt, nec hodie apparet, quod extent aliqui eorum descendentes. Ideoque tenenda est tantummodo ratio duarum vocum videlicet Francisci, & Bonifortis. Bonifortes habuit filios Petrum Georgium, & Franciscum, qui de anno 1508. semel præsentarunt. Verum ab eo tempore non præsentarunt amplius quemquam vsque ad annum 1602 In quo Franciscus, & Andreas nepotes prædicti Francisci senioris præsentarunt D.Iulium Antonium, qui hodie est in lite. Franciscus autem habuit filium Bartholomæum, qui & ipse de dicto anno 1508. cũ prædictis Petro Georgio, & Francisco, præsentauit, & reliquit quatuor filios Io.Antonium, Vrsinum, Bartholomæum, & Hieronymum, qui soli de anno 1540. & 1551. præsentarunt, & de anno 1567. Consenserunt cuidam resignationi, ex istis quatuor filijs, Vrsinus reliquit quinque filios, e quibus vnus decessit, & reliqui quatuor præsentarunt D.Franciscũ Vrsum Informante. Ioannes autem Antonius reliquit Franciscum, Augustinum, & Hieronymum filios illegitimos, & vt asseritur incestuosos, sed à quodam Comite Palatino legitimatos, & illi præsentarunt etiam prædictum D. Iulium Antonium, qui propterea pretendit fuisse præsentatus à maiore parte pa-

te patronorum; cum habeat integram vocem Bonifortis, & dimidiam vocem Francisci.

3 Sed aliter sentiendum videtur, quia cum descendentes Bonifortis per annos plus quam 90, nunquam præsentauerint videtur dicendũ quod istud ius præsentandi amiserint, illudque contra ipsos prescripserint descendentes Francisci, quippe inter compatronos laicos præscribitur ius patronatus per 40. annos *cap. de quarta de præscr. Gemin. consil. 123. Balb. de præscript. 1. par. 5. quæst. princ. q. 9. Couar. in reg. poss. par. 2. §. 10. numer. 8. Lambert. quem refert, & sequitur Rota decis. 229. & 407. part. 1. diuers.* Et in omnem euentum non potest verificari quod isti descendẽtes Bonifortis fuerint in quasi possessione præsentandi, cum in hoc attendatur vltimus status, *c. consultationibus, de iur. patr. cap. cum Ecclesia. de caus. poss. & propr. Vbi Rip. num. 30. & vtrobique alij Doctor. omnes late. Aym. consil. 322. num. 5.*

4 Nec facit, quod illorum possessio fuerit præseruata per præsentationem descendẽtium Francisci, ad *consil. Calder. 15. de iurepatr.* Tum quia non bene constat, quod illi Franciscus, & Andreas descendant à Boniforte, & à Bertino marito fundatricis, *ad decis. Put. 298. lib. 1.* Tum quia agitur de pluribus, & multiplicatis præsentationibus, quæ durauerunt per longissimũ tempus. Vnde ex tali negligentia descendentium Bonifortis inducitur præsumptio depositionis animi, vt limitans dictum *consil. Calder. 15. de iur. patron. trad. Rip. in d. cap. cum Ecclesia. num. 11. in fin. post Bald. in lib. 2. num. 42. C. de seru. & acq.* & per consequens non videtur habenda aliqua ratio de ista voce Bonifortis.

5 Coarctata autem controuersia ad vocem Francisci non potest iustificari ista narratiua factæ præsentationis à maiore parte patronorum quomodocunq; istud ius patronatus consideremus, siue vt Gentilitium, & familiare, ita vt in illo succedant descendentes, licet non hæredes in capita, & non in stirpes, siue illud consideremus vt hæreditarium, ita vt in stirpes non autem in capita in illo succedant, iuxt. clement. plures, de iur. patron. in primis enim cum ista vox Francisci transiuerit in duos, videlicet in Ioannem Antonium, & Vrsinum, apparet ex deductis quod dictus Franciscus Vrsus, habet integra vocem Vrsini Ideoque in omnem euentum D. Iulius Antonius nõ erit præsentatus nisi à dimidia parte patronorũ, non autem à maiori. Deinde si consideremus istud ius patronatus vti gentilitium, & familiare. Idem D. Franciscus Vrsus est præsentatus à quatuor patronis. Dominus autem Iulius Antonius à duobus, & sic à minori parte. Ideoq; narratiua non iustificatur *Ferret. cons. 185. nu. 4. & 5. lib. 1.*

6 Demum in illo succedere nõ potuerunt filij Ioannis Antonij, cum nati ex coitu damnato sint insuccessibiles, *auth. ex complexu. C. de incest. nupt. Lambert. de iur. patr. lib. 1. par. 2. q. 2. art. 26. num. 6. & 10. Gabr. cons. 195. num. 5. lib. 1.* Fuit dictum in Florentina iuris patronatus 10. Martij 1607. coram R.P.D. meo Lancellotto. Nec suffragatur legitimatio, cum in illa non fuerit facta mentio incestus, cumq; talles illegitimi non dicantur de familia, vel parentela, vt ex *Butr. & Alex. Zamber. d. q. 2. art. 29. num. 36. Ferret. d. consil. 185. num. 5. Gabr. post Roch. quem allegat. dict. consil. 195. numer. 5. libr. 1.*

7 Quod si consideremus istud ius patronatus vti hereditarium in quo legitimatus succedere potest, cum tanquam hæredi, & in consequentiam hæreditatis debeatur illi ius patronatus, ad trad. per *Lambert. & Gabr. in locis præallegatis,* tamen inter istos filios legitimatos, & filios Vrsini eorum patrueles, fuit facta transactio, per quam dictis filijs legitimatis fuerunt concessæ 7. vnciæ ex 12. vncijs hæreditatis paternæ reliquæ autem vnciæ 5. remanserunt filijs Vrsini, qui propterea; sicuti in quota hereditatis successerunt, ita & in voce iuris patronatus, & per consequens vox Ioannis Antonij tam est penes filios Vrsini, quam penes filios ipsius Ioannis Antonij, & sic vndecumq; res inspiciatur, narratiua remanet non iustificata. Itaque fuit ex his conclusum pro Informante.

REVERENDISSIMO P. DOMINO ATTREBATEN.

Placentina, seu Compostellana Thesaurariæ. Lunæ 25. Maij 1609.

ARGVMENTVM.

Deputatio subcollectoris probatur per testes nec requiritur scriptura. Item subcollector censetur reuocatus per deputationem alterius, etiamsi de reuocatione nulla fiat mentio. Item regula reseruans beneficia subcollectorum habet locum etiam si non exercuerint, dum modo fuerint parati eueniente occasione. Et adducuntur requisita pro obtinenda immissione vigore gratiosæ subrogationis.

SVMMARIVM.

Subcollectoris deputatio ad effectum reseruationis non requirit scripturam, sed potest probari per testes, & sufficit dictum vnius testis cum adminiculis, num. 1.

Testis deponens de facto proprio facit plus, quam semiplenam probationem, nu. 2.

Liber factus ab officiali ex necessitate sui officij probat, numer. 3.

Regula reseruans beneficia subcollectorum habet locum, etiamsi subcollector non execuerit, dummodo fuerit paratus ad exercendum eueniente occasione, nu. 4.

Subcollector vnicus per deputationem alterius subcollectoris remanet reuocatus, etiamsi in deputatione de reuocatione nulla mentio fiat, nu. 5.

Subrogatus gratiose, vt obtineat, satis est, quod probet clericatum & obitum prædecessoris in possessione, nu. 6.

Clericatus probatur per testes deponentes vidisse celebrare, numer. 6.

Obitus in possessione beneficij probatur per testes de publica voce, & fama, vbicumque non exhibetur prouisio Ordinarij. nu. 6.

DECISIO CCLII.

1 PRoposito dubio an gratia sit iustificata, ita vt sit danda immissio, Domini responderunt sufficienter esse iustificatam. Nam quo ad reseruationem, illa est clara ex regula quarta, quæ reseruat omnia beneficia ecclesiastica quorumcunque vnicorum, subcollectorum, qualis fuit Didacus, vt probatur per testes, cum enim deputatio subcollectoris non requirat scripturam ad effectum reseruationis, potest probari per testes. *Mil. in verb. probatio quis sit sub collector. Bellencin. de subsid. charitatiuo q. 3. Simonet. de reseruat. capit. 33. Rot. decision. 10. de off. de legat. in nou. & ibi addit. numer. quinto,* & sufficit dictum vnius testis cum aliquibus adminiculis, vt fuit dictum in Forliuien. Sancti Lazari 18. Ianuarij, & 27. Nouembris 1591. coram bon. mem. Gipsio, & in Vrgellen. Canonicatus 7. Maij 1595. coram Illustriss. Cardinali Blanchetto.

2 In proposito autem deputatio Didaci probatur per depositionem Illustrissimi Cardinalis Gymnasij, qui deponit, quod cum esset Nuncius Apostolicus, & collector in Regnis Hispaniarum ipsemet illi subcollectoris officium commisit, & literas patentes

tes

tes desuper expediuit, cumque deponat de facto proprio, facit plus quam semiplenam probationem. *Paris.consil.104. num.80. lib.1. Caputaq. decis.267. parte 3. Achil.decis.3. num.6. de testib. Cæs.de Grassis decis.2. num.11. de emptione, & venditione.* Deinde adsunt duo testes, videlicet tertius, & quartus qui de ista vnica subcollectoria deponunt ex certa scientia, & reddunt rationem scientiæ, necnon deponunt de publica voce, & fama, ita vt faciant plenam probationem. Accedit depositio Illustrissimi Cardinalis Mellini, qui dicit habere se pro certo, quod suo tempore D. Didacus fuerit subcollector illius ciuitatis, & diœcesis, non autem alius.

3 Præterea datur fides extracta ex libro subcollectoriæ per illius Secretarium Didacum fuisse constitutum vnicum subcollectorem per Illustris. Cardinalem Gymnasium, & Mellinum, & Reueren. Caraffam hodie Nuncium & collectorem in illius Regnis, qui liber tanquam factus ab officiali ex necessitate officij sui probat. *Bart. in l. nuda. num.5. vers. si vero. ff. de donat. Ruin. consil.53. num.9. vbi testatur de communi. lib.4.*

4 Non obstat, quod non probetur, Didacum vnquam exercuisse officium vnici subcollectoris. Nam satis est, quod fuerit deputatus, & habuerit se pro tali, & ab alijs talis fuerit habitus, & reputatus, ita quod fuerit paratus ad exercendum eueniente casu, *Rota decis.11. de verb. signif. in antiq. & 11. in nou. de præb. Cassador. decis.1. nu.2. de verborum significatione. Verall. decisi.140. & 141. p.1. Simonett. de reseruat. quæst.33. nume.8. Chissanen. decis.24.* Et fuit resolutum in d. Vrgellen. Canonicatus. & in vna Astoricen. Archidiaconatus 6. Nouembris 1602. coram R.P.D. Lancellotto, & prius fuerat dictum in vna Feretiana Parochialis, 20. Iunij 1558. coram bon. mem. de Rubeis.

5 Non obstat, quod ante deputationem D. Didaci alius fuisset in eadem ciuitate, & diœcesi subcollector deputatus, cum ille per consequentem deputationē Didaco remanserit reuocatus, etiamsi de illius reuocatione in deputatione Didaci nulla mentio facta fuerit. *Rot. in nou. decis.9. de offic. de legati. & decis.11. in antiq. de præbend. Verall. decis.59. Bellencin. in tract. de charitat. subsid. quæst. 109. in princ. Mandos. in reg.4. quæst.10. num.2.*

6 Stante autem reseruatione pro obtinenda gratiosa subrogatione non est necesse aliud probare, nisi clericatum, & obitum in possessione, vt fuit dictum in Burgen. de Pancorno 24. Octobris 1588. coram bon. mem. Gipsio. & in Miranden. Parochialis 17. Martij 1600. coram R. P. D. Decano de Clericatu R. P. D. Manzanedi, deponunt testes qui viderunt ipsum celebrantem, & est notorium. Obitus vero Didaci in possessione Thesaurariæ, de qua agitur, probatur per testes, & publica voce, & fama quæ iustificatio sufficit cum non exhibeatur prouisio ordinarij, vt fuit resolutum in dicta Burgen. de Pancorno, & in Pamphilonen. de Sanguessa. 28. Maij. 1608. coram me.

REVERENDISS. P. DOMINO LVGDVNEN.

Salamantina Dimidiæ portionis. Mercurij 27. Maij. 1609.

ARGVMENTVM.

Clausula, dummodo non sit alteri ius quæsitum, præseruat etiam ius quæsitum alicui de certo genere personarum, quibus debet ex statuto fieri collatio.

SVMMARIVM.

Clausula dummodo non sit alteri ius quæsitum præseruat non solum ius in re, sed etiam ius ad rem validum, & considerabile. nu.1. & 2. Vbi maxime, si tale ius fuerit deductum in iudicium ante gratiam per alium obtentam.

Collatio vbi est facienda certo generi personarum, succedente vacatione censetur dictis personis quæsitum ius adeo considerabile, vt à denegatione prouisionis possit appellari. num.1.

Amplia etiam si beneficium sit affectum, quia affectio intrat cum sua causa scilicet quatenus collatio fiat personis de genere. num.5.

Nominatus à patrono, antequam præsentatio fiat coram Ordinario, non habet ius considerabile. num.3.

Optare quilibet succedente vacatione debet.

Beneficium non dicitur litigiosum, quando non petitur vt suum, sed vt sibi conferendum. nu.5.

Regula de iure quæs. non tollen. requirit expressam de rogatione. num.6.

DECISIO CCLIII.

Censuerunt Domini, fuisse de tempore impetrationis Dominici quæsitum ius considerabile Francisco Freyle, ita vt præseruatum fuerit per clausulam dummodo alteri ius quæsitum non fuerit appositam in gratiam dicti Dominici. Agitur enim de dimidia portione in Ecclesia Salamantina, quæ vacauit in mense Iunij 1600. per obitum Ioannis Sanchez quæque propterea vigore statuti à Sede Apostolica confirmati erat conferenda per capitulum antiquiori Cappellano, qui ratione criminis, vel defectus, non esset inhabilis, est autem in confesso, quod de tempore vacationis Bartholomæus de Eschobar erat antiquior Cappellanus, quodque eum ordine antiquitatis insequebatur Blasius Valdes. Item est in cōfesso, quod occasione dicti statuti excludentis inhabiles, fuit mota lis inter dd. Bartholomeum, & Blasium, eo quod cum Bartholomæus pateretur morbum caducum, prætendebat Blasius dimidiam portionem sibi debitam fuisse. Hac lite pendente contigit vacatio alterius dimidię portionis, quam Blasius fuit assequutus, & per illam assequutionem ceperunt dictam dimidiam portionē, quę per obitum Io. Sanchez vacauerat prętendere alij Cappellani, & inter illos Io. de Castello, & Franciscus Freyle, qui erant antiquiores, qui & suam oppositionem atque petitionem fecerunt corā Capitulo, & in vim concessæ sibi licentiæ prosequuti fuerunt litem a Blasio cœptam, contra Bartholomeū, postea tam Blasius, quam Io. de Castello cesserunt iuri sibi competenti ad fauorem Francisci vti Cappellani antiquioris & per consequens de medio sublatis Blasio, & Ioanni remāsit Cappellanis antiquior Franciscus, qui incumbens prosequutioni litis contra Bartholomæum fecit plures actus a die 14. Iulij 1602. sique ante impetrationem Dominici factam die 15. Septembris in eodem anno 1602. Quibus si addatur, quod lite prædicta in Rota commissa fuit resolutum vtraque parte informante, Bartholomęū vti oppressum comitialis morbi affectionibus fuisse incapacem istius dimidię portionis, sequitur procul dubio illam fuisse debitam Francisco. Et per consequens eidem fuisse tale ius quæsitum, vt obstet Dominico clausula suæ gratiæ dummodo ius alteri non fuerit quęsitum.

1 Talis enim clausula præseruat non solum ius in re, sed etiam ius ad rem validum, & considerabile. *Prob. in cap. eum qui. de præben. in 6. Sarnen. in reg. de non tollen. iur. quæsit. q.1. nu.5. Mandos. consil.51. nu.3.* Quoties autem per statutum confirmatum debetur antiquiori, & sic certo generi personarum beneficium, dicitur quæsitum ius adeo considerabile, vt à denegatione prouisio-

uisionis possit appellari, & Capitullum possit per superiorem compelli ad faciendum collationem. *Cassad. decis. 18. num. 5. de præben. Put. decis. 253. num. 3. & 4. lib. 3. Ant. August. id Epitome. tit. de oppos. nu. 1. Et in terminis huius statuti Ecclesiæ Salamantinæ est decis. Put. 100. nu. 3. & 4. lib. 3.*

2 Idque potissimum procedit, quando vt in hoc casu tale ius fuit deductum in iudicium ante gratiam per alium obtentam. Tunc enim tale ius omnino preseruatur per clausulam dummodo non sit ius alteri quæsitum vt dixit Rota in causa Calaguritana, de Turbano. 14. Februarij 1605. coram R.P.D. meo Decano, & in causa Gerunden. Beneficij. 2. Decembris eiusdem anni coram R.P.D. meo Sacrato. Faciunt trad. per *Roland. cons. 34. num. 21. & 24. vol. 3.* Et propterea non obstant, quæ dicuntur de iure ad rem non considerabili. Ius enim Francisci non est tale, vt patet ex prædictis. Minus obstat quod Cappellaniæ in Ecclesia Salamantina sint ad nutum amouibiles. Vnde infertur, quod Cappellani qui super Cappellanijs nullum habent ius perfectum, & radicatum, Multo minus illud habere possunt ad dimidias portiones. Fuit enim responsum, hoc argumentum procedere posse, quo ad portiones vacaturas. Ceterum quo ad portiones, quę vacarunt de tempore, quo quis erat antiquior Cappellanus, nihil interest, quo ad acquisitionem iuris, an Cappellani sint perpetui, vel amouibiles. sufficit enim, quod de tempore vacationis non essent amoti statuentes, siquidem qui sciebant Cappellanos esse amouibiles, voluerunt tamen, quod illis nihilominus portiones dimidiæ deberentur. Rursus non obstat, quod ius istud non debeat censeri præseruatum quia requiritur nouus titulus, & noua collatio, & quod, & quæ alias dicuntur de iure optandi præseruato, habeant locum in illa optione, quæ fit virtute antiqui tituli, absque eo, quod noua prouisio requiratur. Fuit enim responsum admisso, quod hic non agatur de optione, non tamen cessare preseruationem iuris quęsiti antiquiori Canonico, quia tale ius per deductionem illius in iudicium fuit effectum considerabile ex prædictis, & alijs late deductis in dicta decisione Gerunden. beneficij.

3 Ideoque nec applicantur, quæ dicuntur de nominatione facta à patrono, antequam præsentatio fiat coram Ordinario, ex trad. per *Abb. in cap. auditis, nu. 3. de elect. Crescen. decis. 6. num. 5. de iur. patron.* Retorquetur. n. obiectio, quia Franciscus non nititur sola antiquitate, sed etiam acceptatione, & propositione sui iuris in iudicio. Ideoque ius ipsius videtur adsimilandũ presentationi actualiter deductæ coram ordinario. Non obstat, quod Blasius & Io. de Castello non potuerint cedere sua iura ad fauorem Francisci. Hoc enim obiectum tollitur ex facto, quia Franciscus non de sumit ius suum ex huiusmodi cessionibus, sed dicit dimidiã portionem adhuc vacantem per obitum Ioan. Sanchez sibi esse conferendum tanquam antiquiori Cappellano, sublatis de medio Bartholomæo incapace, Blasio prouiso de alia portione, & Ioanne de Castello, qui declarauit nolle acceptare.

4 Item non obstat, quod Franciscus intra Viginti dies sequuta vacatione per obitum Ioannis Sanchez debuisset simul cum suis antiquioribus optare, ad hoc vt non procedente illorum optione ipse optare legitime posset, ad *text. in c. fina. Vbi glos. 20. de consuetudin. in 6.* Fuit enim responsum, quod hic non versamur in terminis optionis, quodque Franciscus non potuit petere iam dimidiam portionem, quam diu illa fuerat acceptata per duos antiquiores, qui inuicem de illa contendebant.

5 Non obstat, quod dicitur de affectione causata ex lite. Fuit enim responsum primo, quod in omnem euentum affectio forsan intraret cum sua causa videlicet vt Prouisio Apostolica fieret personis per statutum confirmatum vocatis, sicque antiquiori Cappellano, vt sentit Rota in Vlixbonen. Prioratus prima Februarij 1602. coram bon. me. Cardinali Seraphino. Secundo fuit responsum ex doct. Baldi, sæpius in Rota approbata in *authentic. litigiosa, C. de litigiosis.* nempe beneficium non dici litigiosum, quando non petitur vt suum, sed vt sibi conferendum.

6 Non obstat derogatio statutorum, quæ est in gratia Dominici, quia cum de tempore gratiæ iam esset ex statuto ius quæsitum Francisco, opus erat expressa derogatione regulæ de Iur. quæsit. non tollen. *Cæsar. de Grass. decis. 1. num. 10. de verbor. signific.* Atque ex his fuit vtraque parte informante decisum pro Francisco.

REVERENDISSIMO P. D. LVGDVNEN.

Perusina Sanctæ Mariæ de Niue. Lunæ 1. Iunij. 1609.

ARGVMENTVM.

Plura recensentur, ex quibus probatur, Cappellam non esse beneficium Ecclesiasticum, sed administrationem.

SVMMARIVM.

Erectio primæua attenditur in iudicanda qualitate beneficij num. 1.

Cappella censetur beneficium Ecclesiasticum collatiuum, vbi concurrunt signa de quibus remissiue. num. 2.

Licentia ordinarij in fundatione beneficij præsumitur cum sua causa, & iuxta formam fundationis. nnm. 2.

Fundatoris beneficij voluntas seruanda est, dummodo non sit à iure improbata. num. 2.

Beneficium quod non est collatiuum, non dicitur proprio beneficium, sed administratio, quæ longe distant à beneficio. num. 3.

Descriptio certorum bonorum inter bona monasterij arguit monasterij dominium. num. 4. maxime stante eius antiquitate.

Collatio beneficij debet esse pura, & libera, & absque vlla recognitione, nu. 4. Et ibi limita, ac declara limitata.

Nomen non attenditur, vbi substantia rei est certa. nu. 5.

Status beneficij non mutatur absque voluntate superioris. num. 5.

Voluntas superioris, quod statum beneficij mutare voluerit, ex quibus verbis deprehendatur. num. 6.

Collatio beneficij in titulum quibus verbis facta censeatur. num. 6.

DECISIO CCLIV.

1 Domini steterunt in decisis die Veneris 30. Aprilis 1609. coram Illustriss. D. Cardinale Pamphilio, ex rationibus optime, & copiose in decisione deductis, ita vt parum releuent quæcumque in hac positione ex aduerso vel repetita vel de nouo fuerunt proposita. Controuertitur enim in hac causa, an Ecclesia seu Cappella S. Mariæ de Niue sit administratio, seu legatum pium, vel potius beneficium Ecclesiasticum collatiuum. Atque controuersiæ finis est, vt statuatur, an dicta Cappella spectet ad collationem Reuerendissimi D. Episcopi Perusini, vel ad liberam dispositionem R.P. Abbatis Montis Mercini. Et quidem ab anno 1414. quo erecta fuit dicta Cappella, nunquam reperitur collata ab Ordinario, sed & absolute considerata qualitate istius Cappellæ irrefragabile est decisionis fundamentum, non posse illam aliquo modo dici beneficium collatiuum, quia repugnat

gnat primeua erectio, quæ attenditur in iudicanda qualitate beneficij. c. porro. de priuileg. quæque in hoc casu nedum non fuit aliquo legitimo modo immutata sed potius declarata, & confirmata per subsequutam obseruantiam.

2 Ideo non obstat, quod repetitur Ecclesiam præsumi erectam de licentia Ordinarii, quodque stante dote, & onere spirituali annexo, aliisque signis enimeratis per Informantes contra decis. Ista Cappella debeat censeri beneficium Ecclesiasticum collatiuum ad deducta per *Cæs. de Grass. decis. 13. de præben.* Nam quantum ad licentiam Ordinarii, bene fuit in decisione responsum, illam præsumi cum sua causa, & iuxta formam fundationis. Ex alijs autem signis non negatur, quin inferri possit qualitas beneficii Ecclesiastici collatiui, sed dicitur hanc illationem cessare, quando ex forma fundationis apparet fundatorem noluisse illam qualitatem, quandoquidem illius voluntas dummodo à iure non improbata semper est adimplenda, atque in claris non recurritur ad coniecturas.

3 Mens autem fundatoris in hoc casu aperta est, quia voluit vt cura, custodia, & solicitudo Cappellæ cum libera administratione hæreditatis illi relictę esse deberet in perpetuum penes Abbatem, Et quod plus est, voluit quod existente aliquo Clerico Consanguineo ipsius fundatoris, qui exercere potest diuina officia, ad illum totaliter, vel particulariter, vt videbitur & placebit D. Abbati, cura, solicitudo, & custodia dictę Ecclesiæ, & hereditatis perueniat. Ex quibus colligitur intentio, & voluntas excludendi collationem dictæ Cappellæ in titulum, quandoquidem collatio presupponit curam Ecclesię, & bonorum administrationem esse debere penes beneficiatum, & quidem integraliter, absque vlla diminutione. Exclusa autem collatione non dicitur proprie beneficium, sed administratio quæ longe distat à Beneficio. *Abb. cons. 47. numero 1. lib. 2. Sarnen. in reg. de ann. quæst. 20.*

4 Certa est etiam obseruantia subsequens, quia bona hæreditatis fuerunt descripta in libris Monasterij, cum alijs bonis illius, quæ descriptio stante maxime eius antiquitate arguit dominium. *Aym. consi. 158. num. 4. Roman. cons. 127. num. 3. vers. ad hoc tamen respondetur, Dec. consi. 146. num. 14. Abb. cons. 74. num. 1. lib. 1.* & Abbates deputarunt Cappellanos quandoque cum pacto, ne Cappellanus possit Cappellaniam cuicumque renunciare, & sæpe cum onere præstationis certæ quantitatis vasorum. Quod omnino contradicit naturæ beneficij cuius collatio debet esse pura, & libera absque aliquo onere, aut recognitione *Syl. de benef. p. 1. q. 1. num. 2. Rebuff. de pacific. possess. num. 344. Dec. in Rubr. de rescript. num. 3.* Ideoque cum istæ deputationes fuerint effectuatæ, vt deducitur in decisione, apparet Cappellaniam non fuisse collatam in titulum, sed datam in administrationem. Nec dicatur dictam præstationem Vasorum fuisse quid modicum non considerabile ad *glos. vlt. in cap. etsi quæst. de Simon.* Nam glos. non loquitur de pacto in collatione apposito, & cum agatur de annua præstatione, & redditus Cappellanię essent exigui, non potest istud onus considerari tanquam modicum, Vnde vt euitetur toties multiplicata Simonis labes capienda est potius ea interpretatio, quæ est etiam conformis fundationi, videlicet quod istæ fuerint deputationes, non autem collationes in titulum.

5 Non obstat, quod ista Cappella aliquando fuerit nuncupata beneficium. Omisso enim quod vbi rei substantia certa est, non attenditur nomen. *l. 2. §. sed si sint. ff. ad Tertull. §. sed hæc solennia. Inst. de verb. oblig.* Adhuc per huiusmodi nominationes non mutatur status fundationis, neque imprimitur nouus status, nisi concurrat voluntas superioris. *Calder. cons. 1. in fi. de consuetud. Gemin. in c. cum de beneficio. num. 9. Franc. num. 6. Prob. num. 4 & 13. de præben. in 6. Syluan. de benef. part. 3. quæst. 11. num. 40. Rebuff. super Concord. tit. de collat. in verbo regularia.*

9 Et cum ad effectum, vt recedatur à primæua erectione maxime attendenda sint verba collationis, vt dixit Rota in causa Hortana Cappellaniæ. 8. Aprilis 1598. coram bonæ mem. Cardin. Seraphino, intentio prouisi à Reuerendiss. D. Episcopo non potest fundari, nec in supradicta nominatione, nec in eo quod aliquando Abbates vsi sint verbis conferre, & collatio. Sæpius enim adhibuerunt verba electionis, & deputationis ad officiandum. Item electionis & nominationis & inuestiture in Rectorem, Gubernatorem, & Administratorem, Item & locationis, & concessionis Cappellæ, quæ omnia cum omnino aduersentur collationi in titulum, remanet nimis turbida, & incerta asserta obseruantia.

7 Non obstant denique aliquæ Visitationes huius Cappellaniæ factæ ab Episcopo, atque solutiones decimarum, & taxæ Seminarij factæ à Cappellanis, quia vltra quod omnia sunt de recenti, nec apparet de sciētia Abbatis, adhuc non sunt huiusmodi, vt immutauerint qualitatem Cappellaniæ, & fecerint illam collatiuam, Itaque fuit cōclusum esse standum in decisis.

REVERENDISSIMO P. DOMINO LVGDVNEN.

Legionen. Pensionis. Veneris 5. Iunij 1609.

ARGVMENTVM.

Fideiussor datus pro soluenda pensione non tenetur, vbi prouisio cuius occasione fuit reseruata pensio non habuit effectum.

SVMMARIVM.

Cessante causa promissionis cessat ipsa promissio, etiam vbi agitur de obligatione Camerali. num. 1.
Fideiussoris obligatio corruit corruente principali obligatione. num. 2.
Pensio non debet solui per eum, qui nec titulum habuit, nec fructus percepit. num. 2.
Obligatio de soluendo pensionem regulatur à literis, & pensionis reseruatione. num. 3.
Pensio non debet solui per eum qui non est successor nec iuris, nec possessionis. num. 3. & 4.

DECISIO CCLV.

1 Dvbio extra Rotam cum quibusdam præsuppositis firmato, & per me in Rota proposito, Domini responderunt negatiuè, videlicet D. Cosidam non teneri ad solutionem terminorum pensionis decursorum, de quibus agitur. Ratio fuit, quia promissio & fideiussio Cosidę de soluendo pensione fuit facta contemplatione futuræ prouisionis faciendę de Canonicatu, & præben. ad fauorem Alphonsi Gregorij. Prouisio autem non habuit effectum in persona Alphonsi, sed in persona alterius, videlicet Dominici de Paruga, sicque cum cessauerit causa promissionis, cessauit etiam ipsa promissio, & obligatio Cosidæ euanuit. *Butr. in cap. 2. num. 1. de custod. Euchar. Roman. consil. 417. numer. 1. & 4. Socin. consil. 31. numero 19. lib. 1.* Quod procedere etiam in obligatione Camerali, pluribus comprobat. *Galles. part. 4. quæst. 1. num. 12.* & in terminis solutionis pensionis *Bursat. consi. 361. num. 33. lib. 4.*

2 Facit, quia promissio, & obligatio Cosidæ est fideiusso-

iussoria, quæ corruit corruente principali obligatione. *l. cum lex. ff. de fideiuss. Al ex. consi. 109. numer. 8. lib. 4.* Alphonsus autem pro quo Cusida fideiussit non potest dici in hoc casu debitor pensionis, quia ipse nunquam titulum habuit, neque fructus vnquam percepit, ex quibus debetur pensio. *Achil. decis. 12. num. 2. de præb. Gig. de pens. q. 47. num. 2.*

3 Nec faciunt ea, quæ dicuntur de consensu Alphōsi. Nam in istis promissionibus soluen. pensionis receptum, vt non censeatur plus esse in promissione, quam sit in literis, & in reseruatione. *Sarmien. select. interpr. lib. 1. cap. 11. numpr. 2.* quem retulit, & sequuta est Rota in vna Asculana, Pensionis. 7. Febr. 1586. coram Illustrissimo Cardinali Pamphilio. Et ista antiqua pensio reseruata olim de censensu Ferdinandi Mirandę, vt solueretur per eum, eiusque successores. Itaque licet sub spe prouisionis sibi faciendi eiusdem pensionis solutioni consenserit Alphonsus, Tamen cum prouisio non habuerit effectum in eius personam, non potest ille debitor esse pensionis, qui neque iuris, neque possessionis successor est. *Ferdinand. ad decis. Achil. 1. de pension.*

4 Non obstat, quod dicitur per Alphonsum stetisse quo minus fieret prouisio, pro nunc enim sufficit respondere hoc non probari, denique nec obstant decisiones allegatæ circa clausulam habita, vel non habita possessione: quia decisiones non dicunt quod debeatur pensio, & non sequuta prouisione, immo & alteri facta.

DECISIO CCLVI.

Messanen. Baroniæ. Mercurii 10. Iunii 1609.

Impressa Apud Ludouisio.

DECISIO 418.

DECISIO CCLVII.

Valen. Beneficii. Lunæ 15. Iunii 1609.

Impressa Apud Ludouisio.

DECISIO 420.

ILLVSTRISSIMO D. CARDINALE LANCELLOTTO.

Romana Fideicommissi, de Vecciis. Die 17. Iun. 1609.

ARGVMENTVM.

Colligitur ex Summario argumentum.

SVMMARIVM.

Lis postquam causa fuit commissa inducitur per citationem. num. 1.

Transumptatio instrumenti lite pendente non potest fieri absque decreto iudicis, coram quo causa pendet. num. 1.

Citatio generalis per proclama non sufficit, vbi adsunt contradictores certi. num. 2.

DECISIO CCLVIII.

1 FVit resolutum transumptum non fuisse validum; nam cum de Anno 1591. causa fuisset in Rota commissa, & lis per citationum introducta *Rota decis. 9. vt lit. pend. in nou.* non poterat fieri hæc transumptatio absque decreto iudicis, coram quo causa pendebat. *Rot. decis. 1. de fide instrumentorum, & numer. 36. de probation. in Antiq. Paris. consi. 135. numer. 9. lib. 4. Decia. resp. 24. num. 58. lib. 1.*

2 Quia cum causa esset commissa contra possessores, ita vt contradictores, & interesse habentes essent certi, erant illi nominatim & particulariter citandi; nec sufficiebat generalis citatio per proclama, iuxta notata in *capit. fin. de fid. Instrum. & in auth. si quis in aliquo, C. de edendo. Alex. consi. 106. num. 14. lib. 1. & consi. 150. nu. 4. vers. Hic primo. lib. 6.* Vbi quod ita fuit conclusum per famosissimos Doctores, Philippum de Corsinis, Nicolaum de Cambionibus, & Rosellum. *Roland. consil. 69. num. 57. lib. 3.* qui de communi. *Dec. d. respons. 24. nu. 24. & sequen. lib. 1.* Vbi etiam dicit communem. Quantum ad primam Matricem, vnde fuit facta extractio, Domini voluerunt, quod de ea particulariter videretur.

DECISIO CCLIX.

Ciuitatis Castelli Fideicommissi. Mercurij 17. Iunij 1609.

Impressa Apud Ludouisio.

DECISIO 421.

DECISIO CCLX.

Vigleuanen. Iuris patron. Mercurij 26. Iunii 1609.

Impressa Apud Ludouisio.

DECISIO 417.

DECISIO CCLXI.

Placen. & Toletana Canonicatus, & beneficiorum. Veneris 26. Iunij 1609.

Impressa Apud Ludouisio.

DECISIO 426.

REVERENDISSIMO P. D. COCCINO DECANO.

Sabinen. Decimarum. Mercurij 1. Iulij 1609.

ARGVMENTVM.

Ius decimandi an, quomodo, & per quantum tempus contra Episcopum præscribatur.

SVMMARIVM.

Episcopus habet super decimis intentionem fundatam à iure communi in prædijs, ex quibus percipiuntur, si sint nullius Parochiæ. nu. 1. Vbi etiam an isto casu contra Episcopum præscribatur ex immemoriali possessione cum titulo, vel sine titulo, & quomodo.

Decimandi ius an præscribatur contra Episcopum absque immemoriali possessione, sed solum per annos 40. cum titulo. nu. 2. & 4.

Episcopus post Concilium Lateranense non potest infeudare decimas absque authoritate Papæ. nu. 3.

Prælatus numquid possit Ecclesiæ præiudicare in quærendis ante acceptationem. nu. 5.

DECISIO CCLXII.

1 AGitur inter Ecclesias rurales existentes in possessione à 40. annis, & vltra, exigendi decimas, licet iuxta resolutiones factas non sint Parochiales, & Illustrissimum D. Card. Episcopum Sabinen. qui dicit se habere intentionem fundatam de iure communi, in dictis decimis, ex quo prædia ex quibus percipiuntur sunt in nullius parochia. capit. quoniam. in secundo dicto ibi, alioquin, vbi *Hostien. num. primo, & seqq. Butr. num. 2. Anchar. nu. 4. Abb. num. 2. Boich. nu. 2. de decim. cap. dudum, vbi gl. in verb. de iure communi, in vers. verius puto, & ibi Anchar. nu. 1. in fin. Butr. num. 2. Card. num. 1. eod. tit. de decim.* Et propterea subiungebatur, quod dictæ Ecclesiæ contra Episcopum debebant docere de immemoriali possessione, aut de quadragenaria cum *tit. cap. 1. de præscr. in 6. DD. in capit. fin. vbi Rocch. num. 293. de consuet. Rebuff. de decim. q. 13. num. 82.* & fuit resolutum in causa Ciuitaten. Decimarum. 18. Maij 1596. coram bon. mem. Gipsio, de qua tamen immemoriali, aut quadragenaria cum titulo, non docet Rector dictarum Ecclesiarum ruralium.

2 In hoc articulo, qui visus est satis subtilis, dicebant Domini pro resolutione, quod quando quis habet de iure fundatam intentionem super aliquo, si potest nihilominus illud concedere, aut alienare, quod tunc non requiritur immemorialis, aut quadragenaria cum titulo ad hoc, vt contra ipsum præscribatur, sed sufficit quadragenaria. Nam scientia, & patientia illius, qui potest concedere, aut alienare inseruit pro titulo. Secus autem si ille, qui habet de iure intentionem fundatam, non potest concedere, vel alienare. *Card. in cap. cum Ecclesia. in §. verum quam. de caus. poss. & propriet. in vers. oppono de hoc, de Capitulo ad decimas. Rip. in d. cap. cum Ecclesia. num. 25. vers. decima solutio. Abb. num. 46. Felin. in cap. si diligenti. de præscript. num. 7. circa fin. vers. secunda resolutio. in fin. dictæ secundæ reseruationis. versicul. tamen propter authoritatem prædictorum.*

3 In proposito autem si ageretur contra laicum, cui Episcopus post Concilium Lateranense non potest infeudare decimas absque auctoritate *Sum. Pontif. vt in cap. prohibemus. de decim. Rebuff. de decim. quæstione 13. num. 73. Hostien. in Sum. eod. tit. num. 3. in vers. 3. quæritur. Ias. cons. 19. num. 13. vers. vnde transactio. lib. 3.* non sufficeret quadragenaria cum patientia Episcopi, vt per *DD. in d. cap. cum Ecclesia*, sed requireretur, immemorialis cum fama priuilegij, *Ioan. Andr. & alij in cap. cum Apostolicæ, de his, quæ fiunt à Prælat. Fel. in cap. causam. num. 3. de præscr. & in cap. cum contingat. num. 4. vers. si tamen. de for. compet. Rebuff. de deci. quæst. 13. nu. 69. & seqq.*

4 Sed in hoc casu, cum agatur cum alia Ecclesia, dicendum est, quod si Episcopus possedisset iam istas decimas, cum in alienatione rerum Ecclesiæ requiratus certa solennitas, vt late per *Couar. var. resol. lib. 2. cap. 17. num. 1.* propterea isto casu non sufficeret quadragenaria cum scientia, & patientia Episcopi, vt dicunt *DD. præalleg. in præcitato cap. cum Ecclesia*, sed requireretur immemorabilis, aut quadragenaria cum titulo, vt in iuribus supra allegatis pro Episcopo; sed cum Episcopus nunquam possederit istas decimas, quæ sunt in nullius parochia, non agitur de iure quæsito amittendo, sed de iure non quæsito, & si Episcopo debitu, præscribendo, vt per *Abb. in cap. quoniam. nu. 4. Butr. num. 5. Card. in vers. 4. oppono de decim.* & propterea sufficit sola quadragenaria cum scientia, & patieneia Episcopi, vt per allegatos DD. in cap. cum Ecclesia, Episcopus enim post recuperationem istarum decimarum potest illas vel ad opus suum retinere, vel secundum discretionem à Deo sibi datam alteri Ecclesiæ concedere, vt in cap. quoniam, & ibi DD. omnes de decim.

5 Non obstat, quod licet in quærendis ante acceptationem Prælatus possit præiudicare Ecclesiæ, vt per *Franc. in cap. 1. sub num. 26. limit. 11. & nu. 27. de rebus eccl. non alien.* Tamen dicendum est in quærendis, non in debitis de iure communi, vt colligitur ex not. per Frāc. ibid. Quia respōdetur, quod hodie nō agitur an Episcopus potuerit præiudicare Ecclesię in non quęrendo decimas de iure communi sibi debitas, sed dicitur quod cum de iure potuisset concedere istas decimas alteri Ecclesiæ, ex quo illas nunquam percipit, & sunt in nullius Parochia, cum istæ Ecclesiæ possederint spacio quadraginta ann. cum scientia, & patientia ipsius Episcopi, ista inseruiunt pro titulo, quia Episcopus poterat illas concedere istis Ecclesijs, vt supra dictum est, nec agitur an Episcopus potuerit præiudicare in non quærendo illa, quæ de iure cōmuni ad suam Ecclesiam spectant, sed solum, quod spacio 40. ann. possunt illæ præscribi, cum scientia Episcopi, cum Episcopus ipse concedere potuisset.

REVERENDISSIMO P. DOMINO COCCINO DECANO.

Romana de Lucatellis. Veneris 30. Octobris 1609.

ARGVMENTVM.

Breuis est decisio, sed notabilis, & Magistralis, in qua præcipue docetur, an, & quando manutentio concedatur vigore possessionis defuncti in hæredem continuatæ ex statuto Vrbis.

SVMMARIVM.

Manutentio datur probata possessione tempore motæ litis. n. 1.

Possessio defuncti non continuatur in hæredem vigore statuti Vrbis quando fuit occupata à Tertio ante aditam hæreditatem, & quid in suo hærede. nu. 2.

Possessio defuncti continuata in hæredem vigore statuti Vrbis non habet locum in bonis emphyteuticis. nu. 2. 3. & 4.

Possessio defuncti non continuatur in hæredem vigore statuti Vrbi, est possessio ciuilis non personalis. nu. 3.

Possessio penes duos esse non potest. nu. 3.

Emphyteuta an habeat possessionem ciuilem, vel naturalem à possessione Coloni differentem, nu. 4. Vbi etiam an possessio quam habet emphyteuta dicatur artificialis.

Manutentio possessionis vigore statuti Vrbis continuantis possessionem defuncti in hæredem quibus exceptionibus retardetur. nu. 5. in fine.

Interdictum adipiscendæ quando hæredi concedatur, num. sexto.

DECISIO CCLXIII.

1 Domini dixerunt Ioanni, & Baptistæ fratribus dandum esse mandatum de manutenendo in possessione domorum de quibus agitur, cum ille, qui habet possessionem de tempore litis motæ debeat manuteneri, iux. *text. in §. retinendæ. instit. de interdictis.* de qua satis constat in casu isto ex instrumento ademptionis. l. non idcirco, vbi not. *DD. C. de fid. instr. & in l. prædia. ff. de acquir poss.*

2 Filij enim Bernardini non possunt se iuuare ex statuto. *c. 147. lib. 1. de continuanda possessione in hæredem*, tum quia eius dispositio non habet locum, quando pessessio à tertio ante aditam hæreditatem fuit occupata ex alleg, per *Gabr. de acquir. poss. conclus. vlt. num. 18. Tiraq. in tract. le mort. saisit. 5. p. declar. 3. num. 1. & seqq.* & sæpe dixit Rota, vt in decisionibus allegatis in causa Romana Vineæ, & hospicij. 13. Martij 1608. corã R. P. D. meo Decano, & quatenus esset verum, quod huius modi limitatio non habet locum in suo hærede, de quo loquitur dictum statutum quia aditione opus non habet, vt in terminis dicit *Gabr. consil. 36. num. 13. lib. 1.* adhuc nihilominus filij Bernardini non possunt se iuuare dicto statuto, quod non habet locum in bonis Emphyteuticis, quia & si omne ius defuncti transeat in hæredem, excipitur tamen ius personale. *l. hæres. ff. de acquir. hæred.* prout est istud, quia emphyteusis est finita per obitum Bernardini, & propterea dictum statutum non debet intelligi de ea possessione, quæ cohæret iuri personali, cum recipiat interpretationem à iure, vt in terminis dicit *Cum. in consil. 173. in fin.* quem sequitur *Rube. Alexand. in consil. 121. num. 5. Ias. consil. 152. lib. 4. & Gabr. de acquirend. possess. conclus. vltima, numer. 13.* & fuit resolutum in causa Imolen. bonorum. 10. Aprilis 1591. coram D. Cardin. Pamphilio, & in causa Mediolanen bonorum. 28. Martij 1598. coram Domino Cardinale Mellino, & in dicta causa Romana Vineæ, coram Domino Decano.

3 Maxime cum possessio, quæ transfatur per statutum sit possessio illa ciuilis, vt dicit *Alexand. in consi. 24. numer. 3. lib. 3. Tiraq. in tract. le mort. saisit, par. 3. declarat. 2. nume. 3.* quæ remanet penes Dominum directum. *l. 3. §. ex contrario. cum ibi not. ff. de acquiren. poss.* nec potest esse penes duos. *glos. in l. si vt certo. §. si duobus vehiculum. in verbo dominium. ff. commod. & ibi Castr. numero 7.* & propterea non habuit Bernar. quid transmitteret in hæredem.

4 Neque releuat, quod licet emphyteuta non habet possessionem ciuilem, habet tamen cum naturali quandam possessionem ciuilem, vt dicit *Anchar. consil. 63. num. 4.* quæ differt à possessione coloni, & solo animo retinetur, vt per eundem *Anchar. consil. 443. numer. 11.* quam etsi in istis terminis non posset suffragari contra Dominum directum posset tamen suffragari contra tertium iuxtam distinctionem *Host. in cap. olim. 12. num. 16. de restit. spol.* satis enim est quid statutum habeat in quo possit operari artificium suum, hæc enim possessio dicitur artificialis. *Alex. cons. 24. numero 3. vers. & appellatur dicta possessio. lib. 3.*

5 Nam fuit per Dominos responsum, quod quatenus prædicta essent vera, adhuc non releuant in casu isto, quia sumus in iure personali, extincto per obitum Bernardini vt dictum est, & propterea nec illa possessio ciuilis quam habet emphyteuta, quæcumque illa sit potest iuuare contra tertium & licet hæc videantur respicere petitorium, tamen possunt opponi in casu isto in possessorio, quia omnis exceptio, quæ pertineret ad petitionem bonorum habet perimere fictionem, & beneficium statuti, vt in terminis dicit Bal. qui loquitur in simili statuto in *consil. 141. num. 3. lib. 1.*

6 Neque facit, quod dicitur competere in omnem euentum hæredi interdictum adipiscendæ, *vt per Tiraquell. dicta 5. part. declar. 3. numero 16. & per Gabr. pariter loco allegato, numero 22. & per Rub. Alexandrinum dicto consil. 121. numer. 5. & 6.* quia Doctores prædicti loquuntur, quando ante aditam hæreditatem fuit occupata possessio naturalis, quia tunc hæredi non competit interdictum retinendæ, sed adipiscendæ, & quicquid dicendum esset, si filij Bernardini intentassent hoc remedium, quia obstarent prædicta, vt in puncto etiam considerauit *Rub. Alexandrinus vbi supra, numero 6. vsque ad fin.* hoc videtur extra dubium, quia agitur hodie de interdicto retinendæ, non adipiscendæ. Ex quibus fuit conclusum Ioanni, & Baptistæ fratribus dandum esse mandatum de manutenendo.

DECISIO CCLXIV.

Spoletana Pensionis, Mercurij 4. Nouemb. 1609.

Impressa Apud Ludouisio.

DECISIO 431.

REVERENDISS. P. DOMINO ATTREBATEN.

Placentina, seu Compostellana Thesaurariæ. Lunæ 16. Nouemb. 1609.

ARGVMENTVM.

Subcollectorum beneficia sunt reseruata, etiamsi ipsi non exercuerint, dummodo eueniente occasione essent parati exercere, cum subcollectoris officium consistat non solum in exercitio, sed etiam in alijs prærogatiuis.

SVMMARIVM.

Ordinarius non potest prouidere de beneficio reseruato. numero 1.

Deputatio in subcollectorem probatur per literas deputationis etiam absque manu Notarij & subscriptione testium. num. 10.

Subcollector ratione officij est exemptus à iurisdictione ordinarij. num. 2.

Regula reseruans beneficia collectorum, & subcollectorum habet locum etiam si collectores, & subcollectores actualiter non exercuerint, dummodo fuerint, & sint parati exercendum adueniente occasione. nu. 3. vbi etiam non obstan. verbis regulæ.

Paria sunt quem exercere re ipsa, & esse paratum ad exercendum adueniente occasione. num. 3.

Procurator ad effectum, vt pro toto tempore salarium consequatur, satis est, quod per ipsum non steterit, & quod adueniente occasione fuerit paratus præstare operas suas. num. 3.

Familiaritatis priuilegio non gaudent, quia habent literas familiaritatis Cardinalium, si non sunt vere familiares. num. 3.

Subcollectorum officium non solum consistit in collectione spoliorum, verum etiam in alijs obsequijs, quæ nuncijs, & collectoribus Apostolicis præstari solent. num. 3.

DECISIO CCLXV.

1 FVit responsum Thesaurariam esse ad iudicandam R.P.D. Manzanedo, quia probat incumbentia ad effectum adiudicationis de reseruatione per obitum D.Didaci Caruasal, dum vixit, vnici subcollectoris Apostolici in ciuitate, & diœcesi Placentina, per regulam 4. Cancellariæ, & extrauagationem ad Romani de præbend. constat ex decisione in hac causa facta die 25. Maij proxime præteriti, qua reseruatione stante manus Ordinarij erant ligatæ. *cap.2.in fin. de præb. in 6.* Postea exhibitæ fuerunt in actis literæ originales deputationis D. Didaci in subcollectores per Illustriss. Card. Mellinum, quas ipsemet Cardinalis formiter recognouit, quæ sollæ etiam sine manu Notarii, & subscriptione testium plena fidem faciunt, per ea quæ tradit *Innocen. in cap. quoniam contra. num. 6. vers. alij dicunt de probation. Bellencin. in tractatu de charitat. subsid. quæst.* 114. *numer.* 1. *Rot. decis.* 17. *de probation. & decis.* 7. *de offic. delegat. in antiq. & decis.*10. *vers.contra primam conclusionem. de prob. in nou.*

2 Secundo fuit exhibita inhibitio eiusdem Cardinalis contra Episcopum Placentinum, ne se ingereret in causis D.Didaci, qui ratione officii sobcollectoris erat prorsus exemptus à iurisdictione,vt sæpe fuit responsum per Illustrissimos Cardinales Sacri Concilij Interpretes.

3 Tertio adest instrumentum præstationis iuramenti de fideliter exercendo, ita quod non relinquatur amplius ambigendi locus, nec requiritur aliud exercitium actuale, quia non semper se offert occasio in Hispania, vbi solum Episcoporum spolia colliguntur, quare cum non stet per collectorem, paria enim sunt paratum esse ad exercendum,& re ipsa exercere. *cap. cum non stat. de reg. iur. in 6. leg. iure ciuili, ff. de condit. & demonstr. Rip. in cap. cum Ecclesia Sutrina. numero* 87. *de caus.possess. & propr.* sic de Procuratore dicitur, satis esse, quod per ipsum non steterit, & sufficere quod aduenienti occasione esset paratus præstare operas suas ad effectum,vt pro toto tempore salarium consequatur. *l. sed addes. §. cum quidam. l. qui operas. l. si vno. §. cum quidam. versic. cum autem. ff. locat.* Fuit dictum in Valentina mercedis. quinta Iunii 1602. coram Reuerend. Patre Domino Lancellotto, & ita verba regulæ, qui suo tempore officia exercuerint, intelligenda videntur ad differentiam eorum, qui non vere, sed ficte essent subcollectores, sicut habentes literas familiaritatis Cardinalium, si non sunt veri familiares, non gaudent priuilegio, *per capitul. fin. de verbolum significat. in 6. per suos numero* 5. *de maiorit. & obedient.* Cetetum officio subcollectorum non solum consistit in collectione spoliorum, verum etiam in aliis obsequiis, quæ nunc ijs, & Collectoribus Apostolicis præstari solent. Quod autem Thesauraria sit dignitas, non tamen prima post Pontificalem, & quod fructus eius non excedunt vna cum distributionibus quotidianis, valorem Scutorum auri de Camera 1200. quodque R.P.D. Manzanedus obtineat Canonicatum Doctoralem in Ecclesia Calaguritana, sufficienter probant duo testes, qui reddunt bonas rationes suorum dictorum. Reliqua vero nempe obitus Didaci, & presbyteratus.R.P.D. Manzanedi, abunde fuerunt iustificata in præcedenti decisione.

DECISIO CCLXVI.

Ispalen. seu nullius decimarum. Veneris 20. Nouembris 1609.

Impressa Apud Ludouisio.

DECISIO 434.

DECISIO CCLXVII.

Romana fideicommissi de Iacobatijs. Mercurij 2. Decembris 1609.

Impressa Apud Ludouisio.

DECISIO 433.

DECISIO CCLXVIII.

Lodien. Fideicommissi. Mercurij 2. Decembris 1609.

Impressa Apud Caualerio.

DECISIO 81.

DECISIO CCLXIX.

Mutinen. Canonicatus. Die 4. Decembris 1609.

Impressa Apud Ludouisio.

DECISIO 441.

DECISIO CCLXX.

Boranen. Pensionis. Veneris 4. Decembris. 1609.

Impressa Apud Ludouisio.

DECISIO 440.

DECISIO CCLXXI.

Toletana Portionis. Lunæ 11. Ianuarij. 1610.

Impressa Apud Ludouisio.

DECISIO 455.

DECISIO CCLXXII.

Marianen. Decimarum. Veneris 15. Ianuarii. 1609.

Impressa Apud Ludouisio.

DECISIO 449.

REVE-

REVERENDISSIMO P. DOM.

COCCINO DECANO.

Baren. Iurisdictionis. Lunæ 1. Februarij. 1610.

ARGVMENTVM.

Patet ex Summario argumentum.

SVMMARIVM.

Manutentio competit Episcopo in cognitione causarum matrimonialium, & criminalium, ex assistentia iuris communis, & dispositione Concilij Tridentini. nu. 1.

Amplia etiam, si inferiores prætendant immemorabilem possessionem, nisi prius dicta immemorabilis sit canonizata per tres sententias conformes. num. 1. Vbi declaratur decisio, quæ contrarium tenere videtur.

Iurisdictio in actibus particularibus infert ad iurisdictionem vniuersalem, cum magis attendatur causa actus, quam exercitium. num. 2.

DECISIO CCLXXIII.

1 REuerendissimus Dominus Archiepiscopus prætendebat manutentionem quo ad iurisdictionalia ad forum Ecclesiasticum spectantia in terra, & territorio Aqueuiuæ exceptis tamen his, quæ continebantur in sententia Episcopi Vigilien. & Domini quo ad causas matrimoniales, & criminales censuerunt ei debitam esse manutentionem etiam priuatiue, quo ad Dominium Archipresbyterum, quia nedum habet intentionem fundatam à dispositione iuris communis, vt in c. cum personæ. de priuil. in 6. verum etiam in noua Constitutione *Sacrosancti Concilij Tridentini. sess. 24. cap. 20. §. ad hæc. de reformatione.* Vbi disponitur, quod cognitio causarum dictarum spectet ad Episcopos, non ad inferiores. Vnde pluries censuit congregatio Illustrissimorum interpretum, quod ex ista assistentia debeant Ordinarij cognoscere prædictas causas, non obstante, quod inferiores prætendant immemorabilem possessionem, nisi prius sit Canonizata per tres conformes, & idem censuit etiam Rota in hac causa, & prius in causa Marsicana iurisdictionis 18. Maij 1607. coram Domino Manzanedo. Vnde quicquid dicant testes Domini Archipresbyteri non sunt discutiendi in hoc iudicio, sed in petitorio, & tunc in concursu videndum, quæ probationes præualeant, & ita declarari debet decisio Illustrissimi Cardinalis Manticæ in causa Burgen. Iurisdictionis, de Birbrexa 19. Nouembris 1594. que dicit Concil. non tollere rem iudicatam, quia hoc est verum, quando indubitatum esset adesse dictam rem iudicatam super eo, quod cognitio dictarum causarum spectaret ad inferiorem, prout non est certum in isto casu, iuxta resolutionem factam superiori anno sub die 16. Februarij, & propterea dum cognoscitur per tres conformes an testes probet immemorabilem, vel ex eorum dictis verba sententiæ possint declarari, omnis æquitas suadet, quod Reuerendissimus Archiepiscopus manuteneatur, quia non adest cur ipse inferior conqueratur, cum pro Ordinarijs sit regula, verba, mens, ratioque Concilij, vt considerauit ipsa Congregatio Illustrissimorum Interpretum.

2 Quantum attinet ad alia iurisdictionalia non comprehensa in dicta sententia Episcopi Vigilien. pariter censuerunt Domini dandum esse mandatum de manutenendo Reuerendissimo Domino Archiepiscopo, reseruato tamen, vt videatur, an sit dandum cumulatiue, & in quibus cum Domino Archipresbytero. Dictus enim Dominus Archiepiscopus nedum habet assistentiam iuris communis, prout in dicto c. cum personæ. verum etiam est in quasi possessione exercendi dictam iurisdictionem ex pluribus actibus particularibus, qui cum causentur, à titulo vniuersali, concludunt etiam ad possessionem vniuersalem, cum magis attendatur causa actus, quam exercitium. *Bald. in l. 1. in 2. lectur. num. 24. vers. tu dic. C. de emancipat. Felyn. in cap. auditis. num. 19. de præscript. & fuit pluries in Rota dictum.*

DECISIO CCLXXIV.

Lucana Cappellaniæ. Lunæ 1. Februarij. 1610.

Impressa Apud Ludouisio.

DECISIO 452.

DECISIO CCLXXV.

Pampilonen. Ædificij. Veneris 12. Februarij. 1610.

Impressa Apud Ludouisio.

DECISIO 453.

REVERENDISSIMO P. DOMINO

COCCINO DECANO.

Romana de S. Petro. Veneris 13. Februarij. 1610.

ARGVMENTVM.

Apostillæ repertæ in instrumento, instrumentum non vitiant, quando sunt scriptę manu eiusdem Notarij, sic nec cancellationes vitiant in partibus non substantialibus instrumenti.

SVMMARIVM.

Fideicommissarius purificata fideicommissi conditione immittendus est in possessionem bonorum fideicommissarum. num. 2.

Apostillæ repertæ in instrumento, scriptæ tamen manu eiusdem Notarij, probant etiam quod ab eodem Notario non sint subscripta. num. 3. Vbi etiam quando dicatur constare apostillas esse scriptas manu eiusdem Notarij.

Cancellationes repertæ in instrumento in partibus non substantialibus instrumentum non vitiant. num. 4.

Fideicommissarius debet capere de manu hæredis, quando bona fideicommisso subiecta stant penes hæredem, aliter secus. num. 5.

DECISIO CCLXXVI.

1 AGitur de bonis triplicis generis, videlicet de bonis subiectis primogenituræ, quorum administrationem testator reliquit Confraternitati Charitatis, donec masculus nasceretur ex Aloysio iuuene, & ad ætatem 14. annorum perueniret, vel eueniret casus substitutionis Ioann. Baptistæ. Secundo de bonis relictis Aloysio, quem vna cum prædicto Ioanne Baptista hæredem instituit cum conditione, quod Aloysius non posset percipere dictam portionem, nec fructus, donec masculus ex eo nasceretur, quos inte-

interim inuestiri noluit, & dictum Aloysium, & Io. Baptistam ad inuicem substituit, & postmodum in codicillis voluit, quod dict. Aloysius pendente dicta conditione posset percipere Scuta 500. monetæ annuæ. Tertio de fructibus, quos dictus testator inuestiri mandauit.

2 Quo ad bona primi, & secundi generis, cum fuerit substitutus Ioan. Baptista in euentum, quod Aloysius moreretur sine filijs, prout mortuus est, vt est in confesso apud partes, & optime etiam probatur; & sic cum sit purificata conditio vocationis Io. Baptistæ, ipse debet admitti ad fideicommissum, *l. vnica*, §. *sin autem aliquid sub conditione, C. de cad. toll. concedendo illi immissione iuxta terminos l. fin. C. de edict. Diui Adr. toll. vbi Bart. nu. 9. & Dec. nu. 25.*

3 Non obstant apostillæ, & cancellationes, quæ allegantur esse in testamento, quia apostillæ sunt conscriptæ manu eiusdem Notarij, & ideo probant, licet non adsit approbatio eiusdem Notarij, quia illa non requiritur ad alium finē, nisi vt sciatur, an ipse Notarius fecerit apostillam, sed vbi de hoc constat, superflua est dicta attestatio *Castr. in consil. 131. numer. 2. versic.* si constat quod sunt de manu eiusdem Notarij. *lib. 2. Aymon. consil. 88. num. 2. & 4.* Et fuit dictum in causa Perusina fideicommissi. 4. Maij 1609. coram me. Quod autem sit manus eiusdem Notarij patet ex inspectione, & cōprehenditur ex eo, quod dedit copiam authenticam cum insertione dictarum apostillarum, vt fuit consideratum in dicta causa Perusina.

4 Quantum vero attinet ad cancellationes, non sunt in partibus substantialibus, immo fideicommissum de quo agitur est clarum, & limpidum, & ideo istę cancellationes non officiunt. *Alex. cons. 14, nu. 10. libr. 6. Menoch. de adipiscend. remed. 4. nu. 716. & seqq.* & fuit resolutum in causa Bononien. de Dulphis. 10. Nouembris 1610. coram R.P.D. meo Caualerio, & alias sæpius. Accedat prædictis, quod fuit data copia publica testamenti, & istud approbauit Aloysius, de quo D. Iustina causam habet cum possederit vigore istius testamenti: Vnde illa non potest impugnare factum defuncti.

5 Non obstat, quod fideicommissarius debeat capere de manu heredis, quia hoc esset verū, si heres possideret bona subiecta fideicommisso, sed nec hæres, nec defunctus possederunt, quia administratio fuit relicta societatis charitatis cum onere, inuestiendi, & soluendi quotannis certam summam Aloysio, pro vt detractio legitimæ & Trebellianicæ minus impedire debet cum legitima non sit detrahenda ex quo non agitur de descendentibus. Trebellianica vero fuit prohibita.

6 Quo ad bona tertij generis, quia quo ad prædicta. D. Iustina agnoscebat bonam fidem, & instantissime petebat audiri super istis bonis tertij generis, Domini ad illi rem gratiam faciendam ordinarunt, vt super hoc illa particulariter audiretur, non retardata tamen immissione, quo ad prædicta.

DECISIO CCLXXVII.

Toletana Portionis. Lunæ 15. Februarij. 1610.

Impressa Apud Ludouisio.

DECISIO 455.

R. P. D. PIROVANO.

Cremonen. Fructuum. Veneris 18. Martij 1610.

ARGVMENTVM.

Pleno tractatur in hac decisione, ad quem pertineant fructus naturales, & industriales post admissam resignationem, & quando dicantur separati, & quid quando sunt pendentes, ac etiam quid iuris sit inter resignantem, & resignatarium de fructibus ciuilibus, & quando sit facienda diuisio fructuum pro rata temporis inter hæredes, & successorem in beneficio.

SVMMARIVM.

Fructus naturales, & industriales debentur resignanti vsque ad diem admissæ resignationis, etiamsi bona beneficij essent locata, & dies solutionis pensionis nondum venisset, quia satis est, quod fructus de dicto tempore sint collecti. n. 1.

Fallit in fructibus naturalibus, & industrialibus pendentibus, nu. 2.

Pensio rei locatæ succedit loco fructuum, num. 1.

Fructus tunc colligi dicuntur, quando à solo separantur, nu. 1. Vbi quod idem tempus inspicitur pro pensione, quæ pro eis præstatur.

Fructus ciuiles dicuntur, qui proueniunt ex re non producente naturaliter fructum, num. 2.

Fructus ciuiles, quorum dies solutionis tempore factæ resignationis nondum venit spectant ad resignatarium. nu. 2. Vbi ampliatur etiamsi omnes maturati essent, & maior pars anni præcesserit.

Fructus ciuiles, etiam quod aduenerit dies solutionis diuiduntur ad ratam temporis inter hæredes, & successorem in beneficio, nu. 3.

Fructus naturales pendentes non diuiduntur pro rata temporis inter hæredes, & successorem in beneficio, nu. 3.

Resignatio abdicat ius à resignante tam ratione dominij, quam possessionis, nu. 4.

Resignans post resignationem non percipit fructus beneficij, & si eos percipit restituere tenetur, nu. 4.

Fructus ciuiles quotidie incipiunt deberi, nu. 5.

Fructus naturales tunc acquiruntur, quando separantur, ciuiles vero, quando deberi incipiunt, nu. 5.

Resignans si in resignatione non reseruet fructus præteritos, & quorum solutionis dies venit, censetur ius totum remisisse, nu. 6.

Fructuum diuisio pro rata temporis non fit in actu voluntario, sed necessario. nu. 6.

Resignans libere post resignationem non facit amplius fructus suos, quicquid sit in resignatione in fauore certæ personæ, num. 7.

Episcopus non potest ad aliam Ecclesiam etiam motu proprio transferri, nisi interueniat eius consensus, nu. 7.

DECISIO CCLXXVIII.

1 Domini censuerunt, fructus naturales, & industriales à solo separatos deberi Illustrissimo Cardinali vsque ad diem admissæ resignationis per Sanctissimum, quæ alio non apparente contigit in die 19. Iulij, anni 1610. in qua facta fuit prouisio Moderni Episcopi, & ad illam vsque in diem Domini Cardinalis fuit legitimus Ecclesiæ Cremonen. sponsus. Hoc enim expresse probarunt *glos. in capit. si propter, in vers. primi anni. de rescript. in 6. Franc. in capit. præsenti de offic. ordinar. in 6. Cer. in singul. 49. in verbo Clericus. Couar. in cap. cum in officijs, numer. 5. de testibus, & lib. 1. variar. resolut. c. 15. nu. 12. Rot. Perus. dec. 33. nu. 1. Ferr. cons. 256. nu. 1. p. 2. Honded. cons. 85. num. 71. vol. 2.*

vol. 2. Rota in vna Burgen. pensionis 28. Nouembris 1583. inter impressas. 761. nu. 4. & 6. par. 1. & apertius modernis temporibus in vna Baren. Fructuum. 2. Iunij 1610. coram Domino meo Cauallerio in qua dictum fuit, procedere conclusionem, etiam si bona essent locata, & dies solutionis nondum venisset, quia satis est, quod fructus, quorum causa solutio est facienda tempore prædicto essent collecti. *Salic. in leg. fructus. nu. 3. vers. & probatur ratione. C. de act. empt. Alex. cons. 28. nu. 2. lib. 1. Honded. cons. 85. nu. 13. vol. 2.* qui omnes in dicta decisione Baren. fructuum allegantur. Quibus accedunt, *Alex. cons. 15. num. 2. lib. 2. Couar. d. lib. 1. cap. 15. nu. 3. Bellon. cons. 3. nu. 11. Ferret. cons. 151. nu. 5. lib. 1. Anchar. 193. nu. 3. Alban. cons. 257. nu. 6. mouentur prædicti ex ratione l. defuncta. ff. de vsufruct. cum pensio succedat loco fructuum. l. mercedes. ff. de petit. hæredit. l. diuortio. §. item si messes. ff. sol. matr. Bart. in l. fin. in fin. ff. de iure fisci.* Vnde sicuti in ipsis fructibus inspicitur tempus, quo separantur à solo, vt per *Ang. & Alex. in leg. deducta. §. qui post. ff. ad Trebel.* ita etiam idemmet tempus inspicitur in pensione, quæ pro eis præstatur, vt declarat *Alex. in allegato cons. 28. colum. 1. vol. 1.*

2 Quo vero ad fructus ciuiles, qui vere dicuntur quando proueniunt ex re non producente naturaliter fructum, vt per *Bart. in l. & ex diuerso. nu. 1. ff. de rei vendic. per tex. in l. si nauis. eod. tit.* & quorum dies resolutionis tempore resignationis non euenerat, dixerunt Domini ad Episcopum successorem pertinere, prout pertinent fructus naturales, & industriales pendentes. *Calderin. consil. 2. de pecul. Clericor. Couar. lib. 1. var. resolut. cap. 15. num. 2. vers. His accedit. Tiraq. de retract. conuent. §. 5. gl. 4. in princip. Honded. d. consil. 85. num. 1.* hoc admittentes etiamsi fructus omnes maturati essent, & proximi recollectioni, & maior pars anni diem restitutioni bonorum præcesserit, vt bene probatur in allegata Baren. fructuum.

3 Non obstat, quod de fructibus ciuilibus, prout de naturalibus idem iudicium esse non debeat, quia pro ciuilibus, etiam quod non aduenerit dies solutionis, fit diuisio ad ratam temporis inter heredes, & successorem in beneficio, quod non admittitur, quando pendet dies collactionis fructuum naturalium. *Salic. in l. Iulianus. §. si fructus. numer. 8. & 10. ff. de act. empt. Gabr. cons. 191. num. 2. volum. 2. Franch. dec. 74. nu. 3. 4.* Vnde cum Dominus Cardinalis vsque ad diem supradictam Ecclesiæ inseruierit, & onera sustinuerit, esto, quod solutionis dies pro fructibus ciuilibus nō euenerit, non tamen videtur excludendus ad participandum pro rata temporis.

4 Nam pro responsione fuit dictum, quod per resignationem abdicatum remansit ius omne à resignante, tam ratione dominij, quam possessionis. *Innoc. in cap. super hoc. de renunc. in nouis. Sarnen. de publicat. resignat. quæst. 18. nu. 2. cum alijs allegatis in illa Baren.* fructuum. adeo, quod mirum non videtur si resignanti, qui nec Dominus, nec possessor est, fructus non debeantur, & si receperit ad eorum restitutionem teneatur. *Cassad. dec. 4. nu. 6. de restit. spol. & Gabriel. late comprobans. cons. 192. nu. 1. vol. 1.*

5 Et si dicatur impediri quidem futuram fructuum acquisitionem cessante dominio, & possessione, sed quo ad quæsitos de tempore resignationis, eam non obesse, fructus autem ciuiles quotidie incipiunt deberi, vt dicunt *Bald. in l. filiusfamilias. §. apud Marcellum de leg. 1. Aretin. in l. diuortio. colum. 8. soluto matrimon.* Itaque quod operatur in naturalibus fructibus separatio, hoc operatur in ciuilibus, quantum ad effectum acquisitionis, tempus quo deberi incipiunt, vt declarat *Calda. in respons. 2. post tract. de restit. in integr. nu. 14. in fin.*

6 Visum fuit, posse responderi, quod cum antequam cederent dies solutionum pensionum occasione fructuum ciuilium actio non esset orta, Dominus autem Cardinalis actionem orituram quo ad se extinxerit abdicando ius dominij, & possessionis bonorum Ecclesiæ, per resignationem voluntarie factam in manibus Sanctissimi non reseruato iure, quo ad fructus præteritos, censetur ius totum remissum, iuxta doctrinam *Bart. in l. fin. §. fin de iure fisci. Put. dec. 14. lib. 3.* dicens, diuersum esse in actu necessario morientis, quia licet quo ad eum extinguatur actio, tamen pro parte illius non interuenit actus positiuus, quo casu *tex. in l. defuncta. ff. de vsufruct.* & tenentes diuisionem pro rata temporis fiendam, sunt intelligendi de actu necessario, non autem de actu voluntario, *& Put. sequuti sunt Gabr. cons. 191. nu. 3. volum. 2. Honded. cons. 85. nu. 5. volum. 2.*

7 Quæ vero dicebantur de fructibus à solo separatis post admissam à Sanctissimo resignationem, & vsque ad diem scientiæ dictæ resignationis, vt potuerit D. Cardinalis suos facere, non placuerunt Dominis, cum non agatur de resignatione facta fauore certæ personæ, sed de libera, vt aduertit *Hier. Gabr. allegato cons. 192. n. 1. & 2. vol. 1.* nec de Episcopo motu proprio per Sanctissimum ad aliam Ecclesiam translato, cuius consensus necessarius est, vt fuit consideratum in illa Plocen. Canonicatus, & præbendæ 26. Martij 1610. coram Domino meo Lancellotto. Atq; ita solo Domino Cardinali Informante fuit resolutum.

DECISIO CCLXXIX.

Calaguritana Decimarum. Veneris 19. Martij. 1610.

Impressa Apud Caualerio.

DECISIO 95.

DECISIO CCLXXX.

Pampilonen. Matrimonij. Veneris 19. Martij 1610.

Impressa Apud Ludouisio.

DECISIO 461.

DECISIO CCLXXXI.

Leodien. Fideicommissi. Lunæ 22. Martij. 1610.

Impressa Apud Caualerio.

DECISIO 96.

DECISIO CCLXXXII.

Romana Fideicommissi. Lunæ 26. Martij. 1610.

Impressa Apud Ludouisio.

DECISIO 464.

DE-

DECISIO CCLXXXIV.

Vercellen. Spoliorum, seu Donationis. Lunæ 10. Maij 1610.

Impressa Apud Ludouisio.

DECISIO 466.

DECISIO CCLXXXV.

Pampilonen. Decimarum de Gongora. Veneris 14. Maij 1610.

Impressa Apud Ludouisio.

DECISIO 667.

R. P. D. PIROVANO.

Vicentina Pensionis. Lunæ 21. Maij 1610.

ARGVMENTVM.

Pensio, quæ fuit reseruata resignanti cum clausula non alias, aliter, nec alio modo, non debet reduci, vel declarari nulla, si beneficium illam pati non potest, sed datur resignanti regressus ad beneficium.

SVMMARIVM.

Pensio, vt sit reducibilis ad minorem quantitatem, vel vt declaretur nulla propter reseruationem, & expressionem maioris quantitatis, ad quem spectet onus probandi pensionario, vel titulari. nu. 1. Vbi remissiue.

Clausula non alias, aliter, nec alio modo importat conditionem suspensiuam, ac formam, ita vt non adimpleta forma cesset consensus agentis. nu. 2.

Pensio reseruata resignanti cum clausula non alias, aliter, nec alio modo non est reducibilis ad minorem quantitatem, quia deficit resignantis consensus, & resignans potest regredi ad beneficium resignatum. nu. 2.

Resignari potest beneficium cum clausula, quod non alias, nec alio modo intendit resignare. nu. 2.

DECISIO CCLXXXVI.

GVido Angelus Simoncellus, dum esset Rector Parochialis Ecclesiæ Sanctæ Mariæ de Monticulo Maiori Vicentinæ Diœcesis resignauit Parochialē illam Ecclesiam ad fauorem Reueren. Gregorij Galiardi cum reseruatione pensione pensionis annuæ Ducatorum centum monetæ Venetæ, & cum clausula non aliter, alias, nec alio modo. Sanctissimus vero admisit resignationem cum clausula dummodo remaneant centum pro Rectore. Adepta per Gregorium Beneficij possessione soluit Resignanti debitam per tempora pensionem, sed compertum non remanere centum pro Rectore, egit petitorio iudicio aduersus Simoncellum coram A. C. pro annullatione pensionis, coram quo passus est sententiam, & causa per appellationem in Rota introducta. Dubitaui, an sententia A. C. esset confirmanda, vel infirmanda.

1 Domini inhærendo sententiæ A. C. censuerunt, Resignatarium teneri soluere pensionem, aut beneficium restituere, omissa disputatione in hoc iudicio petitorio, cui incumbat onus probandi valorem fructuum dicti Beneficij ad effectum cognoscendi, an pensio sustineri possit. Pro cuius resolutione alias distinguebantur quatuor casus in Salaman. pensionis coram Gipsio 26. Martij 1593. retentis terminis quando in agitur iudicio possessorio, vel petitorio, vt in Paduana pensionis, coram bon. mem. de Rubeis 16. Decembris 1579. & in Vercellen. pensionis coram Illustrissimo Mantica, & in Carthaginen. pensionis, coram R. P. D. meo Penia Decano, qui omnes casui nostro, de quo est controuersia, non applicantur, cum tendant ad determinandam, cui incumbat onus probandi fructuum tenuitatem, vel sufficientiam respectiue titulari, vel Pensionario, ad effectum, vel vt pensio sit reducibilis ad minorem quantitatem, quando non defuit consensus Papæ, vel vt declaretur nulla, & extincta propter expressionem, & reseruationem maioris quantitatis.

2 In casu autem proposito agitur de resignatione, quæ fit ad fauorem tertij cum reseruatione certę pensionis, cum clausula non aliter alias, nec alio modo, quæ importat conditionem suspensiuam, ac formam *Bald. Ang. ac ceteri in leg. 1. ff. de liber. & posthum. Natt. cons. 372. nu. 4. & 5. Rolan. cons. 63. nu. 29. vol. 4.* Ita vt non adimpleta forma cesset consensus agentis. *Cephal. cons. 296. nu. 11. & cons. 440. num. 80.* Vnde cum Papa restrinxerit gratiam ad consensum limitatum resignantis, si pensio in parte non subsistit, non erit reducibilis ad minorem quantitatem, quia deficit Resignantis consensus, & si in totum ipsa gratia corruit, Resignās potest regredi ad Beneficium Resignatum, vt fuit resolutum in Toletana pensionis 28. Ianuarij 1591. coram Gipsio, ac in vna Leodien. pensionis coram Oradino, & in Bononien. vnionis coram Robusterio 5. Octobris 1587. quæ allegantur in fine illius Toletanæ. Licitum est enim beneficium resignare, hoc addito per renunciantem, se non aliter nec alio modo renunciare, quam sub præscripta forma. *Cassad. de renunciatio. dec. vlt. & de Simon. dec. 2. Couar. lib. 1. var. resol. cap. 5. nu. 5. vers. Romanus Pontifex.* Atque ita vtraq; parte informante fuit resolutum.

REVERENDISSIMO P. D. MANZANEDO.

Aquilegien. Pensionis. Veneris 21. Maij 1610.

ARGVMENTVM.

Plura notabilia circa materiam manutentionis explicantur prout in summario.

SVMMARIVM.

Liber non probat pro scribente in præiudicium tertij. num. 1.

Fallit alijs concurrentibus. nu. 1.

Solutio facilius præsumitur, quando præcessit obligatio. numer. primo.

In mandato de manutenendo non requiritur exacta probatio. num. 2.

Mandatum de manutenendo datur existenti in quasi possessione. nu. 2.

Solutiones factæ per antecessorem suffragantur pro obtinenda manutentione contra successorem. nu. 3.

Ius ad effectum mandati de manutenendo metitur ex parte possessoris, nec mutatur ex mutatione personarum. num. tertio.

Possessio anterior præsumitur continuata, nisi ab alio probetur apprehensa. nu. 4.

Possessio solo animo retinetur. nu. 4.

Possessio ciuilis, & continuationis ipsius præsumptio spacio decem annorum amittitur. nu. 5. Vbi declara.

Clausula si quid exequendum & cæt. operatur vt sententia debeat

debeat ex eisdem iustificari num.6.
Appellatio de iure Canonico datur à quocumque grauamine num. 7.
Appellatio nec etiam de iure Canonico admittitur in remedio summarijssimo retinendæ. nu. 7.
Decretum manutētionis numquam transit in iudicatum, quia si iudici constiterit de alterius possessione poterit illud reuocare, & alteri manutentionem concedere, num.7.
Titulus non est necessarius in iudicio manutentionis, siue in profanis siue in beneficialibus, nu.8.
Exceptio requirens altiorem indaginem non admittitur in iudicio manutentionis.

DECISIO CCLXXXVII.

ARchihospitali Sancti Spiritus dandum esse mãdatũ de manutenendo in exactione annui censsus scutorum 20. siue annuæ recognitionis contra Dominum Flaminium de Abbatibus, Domini dixerunt. Constat enim de Archihospitalis quasi possessione non solum ex partitis librorum Archihospitalis, quæ licet non probent pro illo in præiudicium tertij, *l. exemplo, C. de probat. Ias. in l. admonendi, in 2. lect. num.* 111. *ff. de iureiur.* tamen insimul cum testibus de eadem possessione deponentibus illam probant sufficienter ad not. per *Bart. in l. admonendi, nu. 27. ff. de iureiur. & ibi Ias. in 1. lect. nu.81. & in 2. nu.111. cum alijs per Socin. cons.161. num.3. lib.4.* præcipue præcedente obligatione facta per Antonium de Abbatibus, Priorem istius Prioratus de soluendo in futurum istum annuum censum, quo casu facilius præsumitur solutio.

2 Quæ magis procedunt in mandato de manutenẽdo, cum non requiratur ita exacta probatio. *Dec. cons. 560. nu. 5. Caputaq. dec. 385. par. 2.* & fuit dictum in vna Turritana Tertiariæ 13. Apr. 1592. coram Illustrissimo Cardinali Mantica, & not. *Menoch. de retin. remed. vlt. num.34. post Alex. cons.103. nu.3. lib.7.* & alios ibi relatos. Vnde intrat predicta manutentio iuxta *text. in §. retinendæ. instit. de interd. & text. in l.1. §. huius interdicti ff. vti possid. Bart. in l. ait Prætor, §. quod ait. num. 2. & 14. ff. eod. Couar. pract. cap.17. numer.2. Veral. dec. 200. p.2.*

3 Nec obstat, quod non constent Flaminium vnquam istum censum soluisse, cum satis sit constare de solutionibus factis per illius Antecessorem, cum illæ suffragentur Archihospitali, pro obtinenda manutentione contra successorem iuxt. *dec. Guid. Papæ 629.* quam sequuta fuit Rota apud *Put. dec.151. lib.2.* Hoc enim casu ius metimur ex parte Actoris Possessoris quod non mutatur ex mutatione personarum, *Rota diuers. 99. num. 11. par.1.* Et fuit dictum in vna Mediolanensi pensionis 11. Decembris 1602. coram Illustrissimo Pamphilio, & in alia Zamoren. pensionis 23. Octobris 1598. coram Domino meo Decano, & in Pistorien. Pensionis 3. Iunij 1606. coram R. P. D. meo Ludouisio.

4 Minus obstat, non probari dictam possessionem de tempore litis motæ, prout requiritur ad obtinendũ in hoc interdicto, iuxta text. in d. §. retinendæ, cum alijs. Fuit enim responsum, sufficere quasi possessionem anteriorem probatam, cum illa præsumatur cõtinuata, nisi probetur ab alio apprehensa, quia solo animo retinetur. *ad text. in l. licet. C. de acquir. poss. Bal. cons.438. num.1. lib.1. Abb. in c. olim. il 1. numer.14. & in c. cum ad Sedem. num.15. de restit. spoliat. Alex. qui testatur de communi. consil.133. num.4. versic. nec obstat. lib.1. & Corn.* etiam dicit communem *cons.280. numer.7. in fin. libr.4. Put. decis. 17. libr. 2.* & fuit dictum in dicta Turritana Tertiariæ.

5 Nec facit, quod ciuilis possessio spacio decem annorum amittatur, & quod prædicta præsumptio cõtinuationis non duret vltra decennium. *Bart. in l. siue possid. num.8. de probat.* & quod in nostro casu ab vltima solutione de anno 1592. effluxerit decennium vsque ad litem motam de anno 1602. quia respondetur prædicta procedere, quando alius possessionem naturalem occupauit, quia tunc dicta præsumptio cõtinuationis possessionis ciuilis non militat vltra decennium, secus prout in casu nostro, quando ab alio non fuit naturalis possessio occupata, tunc enim etiã post decennium præsumitur illius continuatio, & animi retentio, iuxta *Guid. Papæ vbi supra Couar. in reg. possess. 2. par. §.1. nu.3. vers.* & si constet. Et tenuit Rota in supradicta Turritana Tertiariæ. Vltra quod vltima solutio fuit facta de anno 1594. quamuis pro censu decurso anno 1592.

6 Minus obstat, quod cum causa fuerit commissa cũ clausula, si quid exequendum, &c. illa debeat ex eisdem iustificari, & tamen pro iustificatione istius mandati de manutenendo plura fuerint in Rota producta, quæ non valent iustificare mandatum Illustrissimi Vicarij iudicis, à quo nihilominus hoc fundamentum visum fuit, non obstare cum testes supradicti fuerint examinati coram iudice à quo, & coram ipso fuerint productæ partitæ librorum Archihospitalis, ex quibus resultat probatio possessionis, & per consequens dictum mandatum ex eisdem remanet satis iustificatum.

7 Nec etiam obstare videtur, quod non possit procedi ad exequutionem dicti mandati, ex quo pendet causa appellationis ab eo interposita, quæ de iure Canonico datur à quocunque grauamine, iuxta *glos. in c. cum ad Sedem, vers. interdictum, circa fin. de restitut. spoliat. Affl.* qui testatur de communi, *decis.268. num.1.* quia respondetur contrarium esse verius in isto remedio summarijssimo manutentionis, per tex. *in c. fin. §. de possessione. 2. q.6. Vbi canonizatur lex vnica. C. de moment. possess. & tradit late Benintend. dec.79. nu.6. & Menoch. vbi supra d. remed. vlt. num.48. & 49.* & fuit dictum in Valentin. decimarum 26. Octobris 1598. coram bon. mem. Seraphino, vbi dicitur ita perpetuo fuisse per Rotam obseruatum, & in alia Seguntina Canonicatus. 23. Ianuarij 1610. coram Reuerendo Patre Domino meo Caualerio, & in alia Bergomen. Præeminentiarum 16. Iun. 1606. coram me, vbi refertur Decius, attestans de communi. *consil.8. nu.5.* & non mirum, cum decretum manutentionis nunquam transeat in rem iudicatam, quia si iudici constiterit melius de possessione aduersarij, poterit suum decretum reuocare, & alteram partem manutenere potissime, quando mandatum fuit datum per decretum non vero per schedulam.

8 Vltimo non obstant, quæ dicuntur de non titulo, cum ille non sit necessarius in hoc iudicio summarijssimo manutentionis, siue simus in profanis, iuxta *Mohed. dec.22. de restit. spoliat.* & fuit dictum in dicta Pistorien. Pensionis coram D. meo Ludouisio, & alijs siue simus in Beneficialibus, iuxta *dec.595. num. 8. par. 1. diuers.* Et fuit decisum in vna Anconitana pensionis 15. Iunij 1589. coram Illustrissimo Platto, vbi aliæ referuntur. Vltra quod attenta longissima possessione Archihospitalis, & antiqua transactione inita cum communicato, & à Sede Apostolica confirmata, & constitutione fel. recor. Pauli II. concedentis facultatem Præceptoribus Archihospitali ad cogendum fratres ad obedientiam, & subiectionem, & solutionem censuum debitorum, seu pensionum annuarum, nec non attenta Bulla Sixti IV. cum alijs pro titulo adductis pro parte Archihospitalis, potius inclinabant Domini, quod adesset sufficiens titulus de quo tamen in petitorio poterit personaliter videri cum tam istud fundamentum, quam alia adducta per Dominum Flaminium respiciant magis petitorium, & sic non obstat in isto iudicio summarijssimo manutentionis. Ex quibus visum fuit Dominis man-

mandatum Illustrissimi Vicarij iustum, & Archihospitale manutenendo esse.

R. P. D. PIROVANO.

Aquilana Nullitatis Erectionis. Lunæ 24. Maij 1610.

ARGVMENTVM.

Quæ requirantur ad validitatem dismembrationis alicuius Ecclesiæ.

SVMMARIVM.

Dismembrationes Ecclesiarum, vt valeant, requiritur solennitas, & iusta causa, & quæ dicantur iustæ causæ. numer. 1. & 2.

Dismembrandi Ecclesias iusta causa non est sola populi aucti numerositas, nisi etiam accedat distantia loci, & difficultas Parochianorum. nu. 2.

Dismembrationis Ecclesiæ iusta causa non est, quod illa non sit capax totius populi, & sit difformis. nu. 3.

Beneficiorum diuisio regulariter prohibetur. nu. 3.

Dismembratio Ecclesiæ requirit solennitatem, quæ requiritur in alienatione rerum Ecclesiæ. nu. 4.

In dismembratione Ecclesiæ requiritur consensus Capituli, nec sufficit consensus Vicarij. nu. 4.

DECISIO CCLXXXVIII.

1 Placuit Dominis per deducta per Informantes pro Archipresbytero, & Capitulo de Paganica, quod erectio Ecclesiæ sub inuocatione Beatæ Mariæ ad Præse intra fines Ecclesiæ antiquæ Parochialis, & Baptismalis, & dismembratio partis Curæ animarum eiusdem nulla sit; quia in ea non interuenit solennitas, & iusta causa, quæ sunt necessaria in huiusmodi dismembrationibus, cum sapiant alienationem, *Lap. alleg. 66. num. 3. & 5.* & fuit sæpissime resolutum, & præsertim in vna Eleboren. dismembrationis, coram R. P. bon. mem. Iusto 17. Nouemb. 1600. & in Toletana Parochialis de Madrid. coram R. P. Corduba 9. Nouembris 1601. & signanter notat. *Abb. in capit. ad audientiam. il 1. in 1. not. de eccles. ædific.* Deficit enim iusta causa, quia non constat, quod propter difficilem accessum ad antiquam Parochialem aliquis ex Parochianis defecerit absque Sacramentis, vel propter impedimentum periculum sit patens, vt in casu *Lap. alleg. 66.* & prout requiritur ad hunc effectum, vt fuit consideratum in allegatis decisionibus.

2 Causæ autem enumeratæ in ipsa erectione non videntur sufficientes, nam sola numerositas Populi aucti non tribuit authoritatem Ordinarijs erigendi nouas Parochias, cum huic obiecto satisfaciat *Concil. Trident. sess. 21. de Refor. cap. 4.* dum cogendi sunt Rectores, vel alij, ad quos spectat cura animarum, vt sibi tot Sacerdotes adiungant, quot sufficiant ad Sacramenta exhibenda, & cultum diuinum celebrandum, & quamuis inter causas ædificandi nouas Ecclesia recenseatur etiam incrementum Populi, *capit. præcipimus. 16. q. 1. tamen Concil. Trid.* desiderauit maiorem necessitate, scilicet distantiam loci, & difficultatem Parochianorum accedendi ad percipienda Sacramenta, prout Sacra Congregatio Concilij declarauit, & eam sequitur Rota in alleg. decis. Eleboren. dismembrationis, & quæ in præsenti casu non iustificantur, sed potius contrarium apparet ex depositione testium, qui dantur in Summario numero secundo, dum affirmant nouam Ecclesiam non longe ab antiqua Matrice distare.

3 Postrema causa non etiam ad dismembrationem suffragari videtur, quia scilicet Ecclesia non sit capax totius Populi, & sit difformis, tum quia in Conc. Triden. non consideratur, nec in cap. ad audientiam. *l. de eccl. ædific.* & satis prouideri potest per Erectionem nouæ Cappellæ, quæ sit in proprietate Parochialis antiquæ iuxta eiusdem Sacræ Congregationis declarationem, quæ datur in Summario, Quod maxime suadetur, ne ad beneficiorum diuisionem de facili deueniatur, quæ regulariter prohibetur, *cap. maiorib. cap. vacante de præben. cap. 1. vbi gl. de reb. eccl. non alien. & fuit decisum, in d. Eleboren. supra alleg.*

4 Solennitas non etiam fuit adhibita, quæ requiritur in alienationem rerum Ecclesiæ, *Rot. dec. 1. de rebus eccl. non alien. in nou. Francus in cap. 1. colum. 1. eod. tit.* & fuit dictum in Marsicana coram Illustrissimo Pamphilio 14. Februarij 1594. in hac enim dismembratione deficit consensus Capituli, ad quod pertinet antiqua Ecclesia Parochialis, & illius redditus, *capit. 1. de reb. eccles. non alien. in 6. & cap. ad audientiam. de eccles. ædific. Gabr. de citat. conclus. 1. num. 216. ampliat. 57.* Nec suffragatur consensus Vicarij, quia cura non est penes ipsum, sed tantum exercitium, nec percipit fructus Parochialis, sed percipit suum congruum de manu Capituli, & ideo defensio Ecclesiæ non spectat ad Vicarium, sed ad Capitulum, cuius citatio propterea ommittenda non erat. *Abb. in capit. extirpandæ. §. qui vero. in repetit. num. 15. post princ. de præb.* & eo magis videbatur annullanda etiam dismembratio prædicta, quia Episcopus reseruauerat Ius patronatus super Ecclesia erecta ad fauorem suorum consanguineorũ, quod proprie spectabat ad Capitulum, *cap. ad audientiam. il 1. de eccl. ædific.* & ex his ita resolutum fuit vna tantum parte informante.

DECISIO CCLXXXIX.

Calaguritana Decimarum. Lunæ 7. Iunij 1610.

Impressa Apud Caualerio.

DECISIO 107.

REVERENDISSIMO P. DOMINO, MANZANEDO.

Seguntina admissionis ad Capitulum. Lunæ 7. Iunij 1610.

ARGVMENTVM.

Rectores de iure communi possunt esse vndecumque originem duxerint, dummodo sint viri literati.

SVMMARIVM.

Fere dictio de sui natura importat diminutionem, & imperfectionem. nu. 1.

Rectores Ecclesiarum de iure communi possunt etiam esse naturales. nu. 2.

Statutum prohibens Clericos Forenses admitti ad Capitulum non valet. nu. 2.

Enunciatiua verba Vicarij generalis probant statutum. numer. 3.

Vicarius generalis Episcopi non habet facultatem statuendi contra ius commune in rebus Ecclesiæ. nu. 7.

DE-

DECISIO CCXC.

1 DOmini censuerunt Rectores oppidi de Atienza habere fundatam intentionem vsq; ad annum 1523. nam cum in Ecclesijs dicti oppidi adsint sexaginta octo Beneficia, quæ etiam non naturalibus conferri assueuerant, & Beneficiati in dictis Ecclesijs ad istud capitulum admittebantur, vt prædicta satis constant ex reformatione facta per Vicarium generalem Seguntinum, de dicto anno 1523. vbi pro parte capituli narratur, quod dicta Beneficia fere clerici naturales eiusdem oppidi olim possidebant ponderando dictionem fere diminutiuam de sui natura, & imperfectionem denotantem; iuxta *text. in l. querela. C. ad leg. Cornel. l. 2. §. vltim. ff. de orig. iur. c. vlt. de cler. ægrotan. c. qui sine 4. q. 8. notat Oldrad. cons. 49. numer. 18.* quem refert, & sequitur *Bertacchi. in suo repert. verbo fere.* Item & narratur, quod nuper aliqui clerici extranei, & beneficiati licet non naturales in idem capitulum fuerunt ingressi, quamuis contra morem, & statuta capituli, & de facto. Ex quibus resultat confessio capituli, quæ maxime iuuat Rectoribus, precipue in antiquis, *l. cum precum, Cod. de liberali caus. & ibi. DD.* Vnde videtur, quod vsque ad dictum annum Rectores fundent intentionem suam etiam ad hoc, vt etiam non naturales dicti oppidi, seu alicuius illius Archipresbyteratus admitterentur ad istud capitulum.

2 Quod magis procedit cum Rectores habeant pro se dispositionem iuris communis iuxta *text. in cap. ad decorem. de institut.* vbi præcipitur institui viros literatos, & idoneos, vndecumque originem duxerint, quod & clare deciditur, in capite vndecumque, & in capite nasci, *& in cap. Dominus noster 56. distinct.* Vnde Rota in alia Seguntina admissionis ad capitulum 26. Iunij 1587. coram bon. mem. Gipsio, dixit illicitum, & ambitiosum esse statutum prohibens clericos Forenses admitti ad capitulum, & sic non valere, & cum tale sit iudicandum statutum, quo capitulum nititur, videtur illud non obstare Rectoribus.

3 Vltra quod nec de tali statuto constare videtur, cum tantummodo enuncietur in dicta Reformatione Vicarij generalis, quæ enunciatio illud non probat, iuxta *Bald. in l. 1. in fin. C. de Episcop. & cler.* & fuit dictum in allegata Seguntina admissionis, & in alia Burgen. Iurisdictionis coram Illustrissimo Pamphilio 10. Decembris 1584. Et ratio est, quia Vicarius generalis non habet facultatem statuendi. *Federic. de Senis, consil. 264. vers. item auctoritas Vicarij. Roman. sing. 700. Franc. in cap. fin. num. 5. de officio Vicar. in 6.* maxime contra ius commune, contra quod nec Episcopus de nouo statuere. valet. Vnde non mirum, si carentibus tali potestate nō credatur enunciando tale statutum adfuisse, iuxta *text. in leg. si forte. ff. de Castrens. pecul.* quem ita intelligit *Crauet. de antiquit. par. 2. num. 21. post Dec. in c. cum sit Romana. tertio, notab. de appellat. & alios, quos refert, & sequitur Menoch. de arbitr. lib. 1. q. 77. nu. 8. vers. hic intellectus.*

4 Quare autem pro parte capituli adducuntur respicientia statutum post dictum annum 1523. tanquam extra dubium, non fuit de illis habita pro nunc aliqua ratio.

ILLVSTRISSIMO DOMINO LANCELLOTTO.

Romana, seu Veneta Pensionis. Lunæ 8. Iunij 1610.

ARGVMENTVM.

Quasi possessio exigendi pensionem acquisita contra aliquem suffragatur etiam contra eius successorem, licet non sit successor iuris, dummodo fructus percipiat.

SVMMARIVM.

Quasi possessio exigendi acquisita contra authorem suffragatur etiam contra successorem, nu. 1.

Possessio non mutatur mutatione personæ contra quam possidetur, nu. 1.

Pensio est onus reale & sequitur quemcumque, qui fructus percipit, nu. 2. Vbi de Sequestratario Oeconomo, Camera, & Capitulo.

Possessio specialis est præferenda, nu. 3.

DECISIO CCXCI.

1 FVit resolutum, dandum esse mandatum de manutenēdo Illustrissimo Domino Cardinali Pereto, de cuius possessione exigendi pensionem à bonæ memoriæ Cardinali columna constat, nec illa controuertitur quæ acquisita contra prædictum Cardinalem Priorem suffragatur etiam contra religionem, dum fructus Prioratus percipit, quia mutatione personæ, non mutatur possessio, nec fit deterior conditio possidentis, vt sæpe decisum fuit in *Rota ex decisio. Guid. Papæ 629. Put. dec. 151. & est decis. Robust. in causa Romana Census inter impress. 99. nu. 11. & 12. p. 1.*

2 Neque obstat, quod Religio non successerit Cardinali columnæ, qui soluit, quia etiam quod nō successerit Cardinali, successit tamen in dictis fructibus qui percipiebantur à Cardinale, & qui erant pensione grauati, in quibus debet cum suo onere succedere, quia pensio est onus reale, quod sequitur quemcumque detentorem, *iuxt. not. in c. querelam, de elect. & bene facit decisio Cresc. 3. de solutione*, & simile videmus de sequestratario Oeconomo, camera, & capitulo, qui etiam si non sint successores defuncti, cum tamen percipiant fructus tenentur ad solutionem pensionum, vt sæpe visum fuit in diuersis causis quia res transit cum suo onere, vt in dicta decisione, *Robust. n. 12.*

3 Neque obstat, quod Religio sit in possessione exigendi pro mortuarijs fructus primi, & secundi anni, absque diminutione, vt deponunt testes. quia concurrit possessio pensionarij exigendi, quæ tanquam specialis est præferenda *iuxt. not. per Felin. in cap. audi. tis, de præscrip.* vltra quod testes non loquuntur quando pensio est, reseruata immunis, & exempta, cum amplissimis derogationibus. Neque obstant Bulla Pij V. & alia Priuilegia religionis cum clausulis amplissimis, quia respiciunt petitorium maxime, quia Cardinalis etiam habet amplissimas exemptiones, & derogationes in literis suspensionis. Alia in contrarium deducta, non procedunt in istis terminis & bene euacuantur ab Informationibus pro Illustrissimo Cardinale.

DECISIO CCXCII.

Vrbeuetana Dotis. Lunæ 7. Iunij 1610.

Impressa Apud Ludouisio.

DECISIO 468.

RE-

REVERENDISSIMO P. DOM.

COCCINO DECANO.

Giennen. Beneficij Mercurij 9. Iunij 1610.

ARGVMENTVM.

Procurator ad resignandum beneficium cum reseruatione fructuum non potest illud resignare cum reseruatione pensionis, & si sic resignauerit, resignatio est nulla.

SVMMARIVM.

Resignatio beneficij facta à Procuratore excedente fines mandati nulla, & inualida est, num.1.

Procurator ad resignandum cum reseruatione fructuum non potest resignare cum reseruatione pensionis, nu.1.

Fructus verbum latum est, & dicitur à fluendo, de communi tamen loquendi vsu differt fructus à pecunia, num.1. in fine.

Vsus loquendi communis in omni materia attendi debet, nu. 1. in fine.

Mandati forma non seruata, an actus sustineatur, si fuerit pinguius adimpletus, nu.2.

Pensiones numquid in Dataria reseruari, soleant, quandoq; non in pecunia sed quota fructuum, nu.3.

DECISIO CCXCIII.

1 DOmini resoluerunt, in hoc casu non fuisse addicatum ius à resignante, ex quo Procurator datus ad resignandam excessit fines mandati iuxt.not. *Paris. in consil.43. num.42. libr.1.* & in his terminis fuit resolutum in causa Zamoren. Parochialis 28. Maij 1586. coram bonæ mem. Gipsio. Cum enim fuerit datum mandatum ad resignandum cum reseruatione omnium fructuum, vel medietatis, vel tertiæ partis, quos resignans deberet recipere, & exigere per se, & suos Procuratores, non poterat præstari consensus reseruationi pensionis in quantitate, vt in simili fuit resolutum in dicta causa Zamoren. Licet enim nomen fructus sit latum, & dicatur à fruendo, vt per *Rebuff. in l.121. §. sed hodie. in fin. ff. sign.* tamen in omni materia attenditur communis vsus loquendi, *Abb. in c.2. nu.1. vers. nam in omni dispositione de arbitr.* Communis autem vsus loquendi est, quod aliud sint fructus, aliud vero pecunia.

2 Nec potest dici in omnem euentum non referre, quod non fuerit seruata forma mandati, cũ pinguius fuerit adimpletum, ex quo Procurator obtinuit reseruare Ducatos 160. & sic vltra medietatem fructuũ cum valor beneficij non excederet Ducatos 240. vt patet ex confessione partis, quæ erat contenta tertia parte fructuum, quia hæc essent consideráda, si quotannis idem esset valor, & quantitas fructuum, sed cũ crescant, & decrescant, secundum varietatem temporum, vt not. *Bald. in l. feudum, Cod. de rei vend.* non potest propterea dici, quid Procurator pinguius adimpleuerit.

3 Prout nec videtur dicendum adimpleuisse stantibus verbis illis, de quibus in mandato scilicet, prout continebitur in supplicatione signanda, & ex eo quidam Dataria non soleat reseruare pensiones in quota vt in simili considerat *Veral. d.89. par. 3.* Nam fuit responsum, quod verba illa. Prout continebitur, &c. Intelliguntur respectu clausularum, & decretorum non autem respectu substantiæ ipsius pensionis, nec per illa verba cẽsetur mutata prior volũtas, vt consideratur in dicta Zamoren. Quod vero Dataria non soleat reseruare pensiones in quota, non est verum, qui de istis pensionibus fuit actum in causa Vallisoletana pensionis 1. Martij 1602. coram Illustriss. Card. Pamphil. nec etiam ostenduntur factæ aliquæ diligentiæ, pro reseruanda hoc modo pensione, prout fuit factum in casu Veralli, vltra quod si cessaret prędicta, articulus non careret difficultate, *ex d.115. manuscr. diuersor.* quæ videtur contraria decisioni Veralli, Sed de hac quæst. non est agendum, quia huiusmodi pensiones, vt dictum est aliquando solent reseruari, nec in isto casu videtur facta aliqua diligentia, &c.

REVERENDISS. P. D. DAMASCENO.

Nonantulana Bonorum. Lunæ 14. Iunij 1610.

ARGVMENTVM.

Emphyteusis quando dicatur transitoria ad hæredes extraneos, & de virtute clausulæ ad habendum, & quando dicatur posita in clausulis exequutiuis.

SVMMARIVM.

Emphyteusis, de qua testator potest in extraneos disponere, venit in generali institutione, nu.1.

Inuestituræ verba semper debent attendi etiam circumscripta natura emphyteusis, nu.2.

Clausula ad habendum, & quicquid placuerit faciendum, æquipollet clausulæ, & quibus dederit. nu 3.

Clausula ad habendum, & quicquid placuerit faciendum, facit emphyteusim ad hæredes extraneos transitoriam, numer.3.

Emphyteusis est transitoria ad hæredes extraneos, vbi fuit concessa cum dictione in perpetuum, num.4. vbi maxime si dictio sit geminata.

Exceptio declarat regulam, nu.5.

Emphyteusis est transitoria ad extraneos, vbi Domino fuit reseruatum solum directum dominium, num.5.

Emphyteusis dicitur transitoria ad extraneos, vbi sunt data expressa facultas alienandi etiam in extraneos, numer.6.

Dictiones ita tamen sunt a duersatiuæ, & limitatiuæ. n.6.

Limitatio facultatis alienandi emphyteusim denotat facultatem alienandi in casibus non comprehensis in limitatione, num.6.

Vna pars dispositionis aliam declarat. nu.6.

Clausula ad habendum non operatur, quando est posita in clausulis exequutiuis, nu.7.

Clausula ad habendum tunc dicitur posita in clausulis exequutiuis, quando est posita in clausulis loquentibus de inuestitura & de traditione possessionis, nu.7.

Declara id procedere, quando clausula adijcitur ex interuallo post perfectam dispositiuam, secus si immediate post, num.7.

Clausula ad habendum non iuuat inuestitos, vbi est personalis, & restricta ad proximum acquirentem, nu.8.

DECISIO CCXCIV.

MOnachi Sancti Syluestri Nonantulani concesserunt in emphytheusim q. Herculi, & Ludouico de Fontanis, pro eorũ, & cuiuslibet eorũ filijs hæredib. & descendentib. in perpetuũ vnam possessionẽ, &c. inuestientes illos per impositionem pilei in eorum capite ad habendum, tenendum, &c. Et quicquid dictis emphyteutis, suisque filijs hæredibus, & descendentibus in perpetuum, de ipsa re perpetuo iure emphyteutico concessa, de cetero placuerit faciendum iure directi dominij eidem Monasterio semper saluo, & quod pro recognitione soluantur lib... &c. Ita tamen vt non liceat emphyteutis,

teutis, suisque filijs, hæredibus, & descendentibus vendere, vel alienare sine expressa licentia inuestientium, vel illis requisitis, & interpellatis, qui si emere voluerint, præferantur solutis in totum solidis viginti minus, si vero emere noluerint tunc liceat ipsis emphyteutis, suisque filijs, hæredibus, & descendentibus, vt supra vendere cuicumque præterquam venerabili loco, &c. Dubitaui, an Ioannes Marius hæres vniuersalis institutus ab vltimo inuestito posset succedere.

1 Et non erat difficultas apud Dominos, quin in generali institutione non veniret emphyteusis, de qua potest testator disponere in extraneos, per ea quæ habentur *in cap. 1. de feud. non hab.* propriam naturam feudi. *Curt. iun. cons. 4. num. 1. cum alijs per Crauett. consil. 256. numero quinto*, sed punctus erat, an in emphyteusi de qua agitur possent succedere extranei, qualis est Ioan. Marius, qui non est descendens ex inuestitis.

2 Domini diligenter ponderatis verbis inuestituræ, quæ etiam circumscripta natura emphyteusis attendi debet *c. 1. vbi Bald. de success. feud. Late exornat. Dec. cons. 88. nu. 15.* & iungendo omnia simul iuxta not. *in l. 2. ff. de excus. tutor. Et in c. cum causam*, de probat. affirmatoriam partem amplexi fuerunt.

3 Et in primis fuit habita ratio clausulæ ad habendũ & quicquid placuerit faciendum, quæ æquipollet clausulæ, & quibus dederit, & facit emphyteusim transitoriam ad heredes extraneos. *Pedemont. dec. 164. nu. 1. Latissime Becc. cons. 88. nu. 20. vers. 2. cum pluribus, seqq.* & tenuit Rota in causa Romana domus S. Eustachij 17. Febr. 1581. coram bon. mem. Card. Lancellotto, & in alia Imolen. Bonorum 12. Decembris 1605. coram me, & per prius in alia Bonon. emphyteusis 16. Iunij 1596. coram bon. mem. Orano.

4 Secundo fuit ponderata illa dictio in perpetuum, quæ multum solet considerari in hac materia, *Socin. cons. 266. num. 37. vers. secundo, promitto, volum. 2.* Rot. in Mediolanen. Bonorum de Busalora 3. Iun. 1585. coram Bubalo, & in dicta Bononien. emphyteusis coram Orano, attenta maxime geminatione ibi descendentibus, in perpetuum de ipsa re perpetuo iure emphyteutico concessa de certo placuerit, &c. quæ geminatio multum operatur iuxta not. in l. Balista ad Trebell. & in terminis huius dictionis ponderauit, Rota in dicta Romana domus Sancti Eustachij.

5 Tertio fuit ponderata reseruatio directi dominij, posita immediate post clausulam, quicquid placuerit faciendi. Cum enim exceptio declaret regulam. *Rom. cons. 498. in fin. Alex. cons. 28. num. 11. vol. 1.* reseruatio directi dominij satis declarat, quod sub clausula, & quicquid placuerit, &c. continebatur facultas alienandi dominium vtile. Facit regula, *l. cum Prætor. de iudic.* quam in terminis similis limitationis ponderauit Rota in causa Imolen. bonorum 8. Martij 1596. coram Illustrissimo D. meo Cardinalem Pamphilio.

6 Quarto multum mouit Dominos expressa facultas alienandi in extraneos data in vers. ita tamen, quod manifeste conuincit, inuestituram non fuisse restrictam ad solos descendentes, tum ex illis dictionibus, ita, & tamen, quæ sunt aduersatiuæ, & limitatiuæ, *l. ita tamen. ff. de Trebell. Paris. cons. 17. num. 20. vol. 1. Rebuff. in l. 13. §. item si dominus, vers. ita tamen. de verb. sig.* Vnde & denotant præcedentem generalem facultatẽ in casibus non compreheñsis in limitatione, vt in istis terminis firmauit Rota in dicta Imolen. coram Illustrissimo Pamphilio. Tum quia ex hac facultate alienandi per viam contractus apparet inuestituram minime abhorrisse extraneos. Vna enim pars dispositionis, aliam declarat, iuxta *leg. qui filiabus, de legat. 3. cum vulgaribus.*

7 Non obstat quod clausula ad habendum, &c. non operatur, quando est posita in clausulis exequutiuis *Put. dec. 396. lib. 1.* Rot. in specie in causa Camerinen. domus 4. Iun. 1593. coram Gipsio. Et quod tunc dicatur esse in exequutiuis quando est posita in clausulis loquentibus de inuestitura, & de traditione possessionis. *Pedemont. dec. 164. num. 3.* Nam quod clausula ad habendum posita in clausulis mere exequutiuis, non operetur admittebant Domini, sed negabãt clausulam in hoc casu censeri positam in exequutiuis dicebantq; non applicari decisionem Pedemont. in contrarium allegatam, quia loquitur quando clausula adijcitur ex interuallo post perfectam dispositiuã, secus si immediate post, vt declarat illamet decisio, *sub num. 1. in princ. & sub nu. 2. in fin.* In casu vero proposito est adiecta immediate post dispositiuam, & per verbum instituentes, quod est continuatiuum sermonis, non autem inchoatiuum nouæ orationis, prout sunt illa verba de quibus, &c. quæ ponderat dicta decisione Pedemontana, & in omnem euentũ dicebatur, non apparere, quod in casu illius decisionis concurrerent alia plura, quæ non concurrunt in hoc casu, & esse ponderandum totum tenorem inuestiture, & omnia simul iungenda, iuxta conclusiones supra in principio firmatas.

8 Ad decisionem in causa Romana domus 9. Martij 1609. coram R. P. D. meo Manzanedo fuit responsum quod clausula ad habendum erat personalis, & restricta ad primos inuestitos. Vnde non mirum si Modesta, quæ non erat de illis primis, minime potuit vti dicta clausula. Item ibi aderat expressum pactum de non alienando, & quod finita amphyteusi per mortem vltimi inuestiti res locata cum omnibus melioramentis ad locantes reuerteretur. Vnde non mirum si ad euitandam contrarietatem pactorum oportuit restringere vim, & effectum clausulæ ad habendum, quæ etiam non erat verbis tam amplis concepta, sicut in proposito casu.

DECISIO CCXCV.

Leodien. Fideicommissi. Lunæ 14. Iunij 1610.

Impressa Apud Caualerio.

DECISIO 108.

REVERENDISSIMO P. D.

COCCINO DECANO.

Constantien. Canonicatus. Lunæ 14. Iunij 1610.

ARGVMENTVM.

Gratiæ iustificatio quando plenè, & quando semiplene probari debeat, & præsertim ætas, obitus, sacerdotium, & pluralitas beneficiorum.

SVMMARIVM.

Narratiua quando absolute est causa commissionis gratiæ plene, & concludenter probari debet, si vero est simplex narratiua, & non absoluta causa concessionis, sufficit eam semiplene probare, nu. 1.

Ætas probatur per duos testes dicentes, se fuisse præsentes natiuitati, etiam quod interrogati annum ignorent, num. 2.

Mors vbi est probanda ad effectum iustificationis gratiæ, & non ad effectum reseruationis sufficiunt leuiores probationes, nu. 2. in fine.

Presbyteratus probatur leuioribus, probationibus quando agi-

do agitur ad effectum iurisdictionis gratiæ. nu.3.
Valor beneficij consistens in distributionibus quomodo probetur. nu.3.
Publicandi gratiam onere an grauetur, quis quando resignatio beneficijs fuit facta libere in manibus Papæ. num. 4. in fine.

DECISIO CCXCVI.

1 CVm narratiua alia sit absolute causa concessionis quæ propterea debet plene, & concludenter probari; alia vero non sit absolutè eam concessionis, sed simplex narratiua, quæ est pars gratiæ, & ideo debet probari, sed sufficit si semiplenè probetur iuxta distinctionem factam in causa Marsicana beneficiorum. 10. Iunij 1577. coram S. M. Clemente VIII. Propterea dixerunt Domini ætatem Sigismundi, quod esset annorum 17. & quod Canonicatus esset sacerdotalis debere plene probari, & concludenter, cum ista absolute sint causa concessionis, reliqua vero semiplene iuxta distinctionem prædictam.

2 Et omisso, vt particulariter videatur an probetur, Canonicatum esse sacerdotalem, ætatem satis probari dixerunt ex duobus testibus, qui dicant se fuisse præsentes natiuitati, quibus & si respondeatur, quod interrogati ignorent annum, adhuc nihilominus probant ætatem, quia censentur ignorare annum Domini, non autem ignorare dinumerationem temporis, vt declarat *Bart. in l. de ætate. nu. 7. ff. de minor.* quod autem Corradus obierit in possessione de mense Augusti, satis probant testes, quia cum agatur de probando obitu ad effectum iustificationis gratiæ, non ad effectum reseruationis, & sic versemur in secundo casu prædictæ distinctionis sufficiunt leuiores probationes. *Put. dec. 266. lib. 3.* & fuit pluries resolutum.

3 Presbyteratus vero, & ceteræ habilitates Seuerini probantur ex testibus, & ex attestatione Ordinis, cum sufficiant leuiores probationes. *Aegid. dist. 113. & 114. & 416.* Valor Canonicatus non eget iustificatione, quia cum isti Canonicatus consistant in distributionibus solent exprimi valoris 24. Ducatorum, vt nuper fuit resolutum coram me in causa Paderbonen. Canonicatus, & in alia Leodien. Canonicatus.

4 Quod Seuerinus obtineret alium Canonicatum nō est iustificandum, quia cum vacet per assecutionem istius, non retraxisset Papam à concedendo, & ideo iustificatione non eget. *Rot. distinct. 4. a nu. 7. vsque ad fin. de rescript. in antiq.* & fuit resolutum in causa Burgen. de Valquestra. die vltima Februarij 1578. coram bon. mem. D. Bubalo, prout non eget iustificatione, quod alias fuit prouisus de isto Canonicatu ex eadē causa Ioannes, qui postmodum cessit in manibus Papæ, cum ista sit narratiua Papæ, & non partis, quæ dicuntur de publicatione hic non intrant, quia cum cessio fuerit libera in manibus Papæ, Seuerinus non grauatur onere publicandi, vt fuit resolutum in causa Feltren. Parochialis coram R. P. D. meo Lancellotto quam Rota postmodum passim secuta fuit, vltra quid hic ex abundanti docetur de publicatione.

DECISIO CCXCVII.

Hispalen. seu Nullius Decimarum de Ayamonte Lunæ 14. Iunij 1610.

Impressa Apud Ludouisio.

DECISIO 469.

DECISIO CCXCVIII.

Reatina Beneficiorum. Veneris 18. Iunij 1610.

Impressa Apud Ludouisio.

DECISIO 471.

DECISIO CCXCIX.

Cæsaraugustana Dedicationis. Veneris 18. Iunij 1610.

Impressa Apud Ludouisio.

DECISIO 472.

DECISIO CCC.

Maceraten. Sponsalium. Lunæ 21. Iunij 1610.

Impressa Apud Ludouisio.

DECISIO 472.

DECISIO CCCI.

Venetiarum Nauis. Lunæ 1. Februarij. 1610.

Impressa Apud Ludouisio.

DECISIO 454.

R. P. D. PIROVANO.

Troiana Pensionis. Veneris. 25. Iunii. 1610.

ARGVMENTVM.

Religiosus non potest impugnare pensionem impositam à suo superiore super beneficio regulari, quod obtinet. Et an pensio possit absque iusta causa per ordinarium reseruari, & quid in beneficio regulari, & quæ dicatur iusta causa.

SVMMARIVM.

Beneficia ordinis Sancti spiritus siue sint præceptoriæ, siue Prioratus tanquam regularia sunt manualia. numero primo.
Religiosi, qui tria vota profitentur, nihil sibi appropriare possunt, sed omnia dispositioni superioris relinquere. nu. 1. ibi quod nec etiam superior aliquid in perpetuum concedere potest religiosis.
Religiosus obtinens beneficium regulare non potest excipere contra pensionem reseruatam super suo beneficio a superiore. nu. 2.
Fructus beneficii regularis possunt per superiorem inter religiosos diuidi non perpetuo, sed ad tempus, & eorum loco potest pensio reseruari. nu. 2.

Reli-

Religiosus potest obtinere pensionem ad nutum superioris amouibilem non obstante voto paupertatis. nu.2.

Pensio non potest per ordinarium absq; causa reseruari, numer. 3. Vbi pro iusta causa consideratur, si pensio fuerit reseruata super beneficio regulari alteri religioso pro indumentis, & alijs necessarijs, quibus alias religio grauanda esset.

Fallit in pensione reseruata super beneficio regulari, & ad nutum amouibili, nu.3.

DECISIO CCCII.

QVæ pro fundamento decisionis bon. mem. Scoti deducta fuere, solo fr atre Ioanne informante nunc dubio iterum proposito, & agentibus pro hospitali Sancti spiritus informantibus, censuerunt Domini non obstare, quin à decisis sit recedendum.

1 Eo prius præsupposito beneficia, quę fratribus ordinis Sancti Spiritus per generalem Pręceptorem solent conferri, siue sint præceptoriæ, siue Prioratus, manualia esse Beneficia, & ad nutum amouibilia, cũ regularia sint, nec administrationem, aut iurisdictionem contineant. *Bellam. decis. 203. Paris. consil. 44. num. 3. lib. 4.* & de Beneficijs Hospitalis Sancti Spiritus Rota resoluit in vna Aquilana, Prioratus 1. Februarij 1584. inter impressas 772. *p. 1. num. 1.* Personæ autem, cui conferuntur, teneantur præstare obedientiam Generali Præceptori, tanquam Religiosi, & profitentes tria vota, qui propterea nihil sibi possunt appropriare, sed omnia dispositione superioris relinquere *vt in auth. ingressi. Cod. de Sacros. Eccles. Mobed. dec. 10. de caus. possess. & propriet.* a quo nec quicquam fratribus potest concedi in perpetuum, cap. cum ad Monasterium. *Vbi Abb. de Stat. Monach. Mobedan. ead. decis. 10. num. 2.*

2 Quo stante dicebant Domini, suscipientem Præceptoriam, vel Prioratum non posse excipere contra Præseruationem, cum nihil contra voluntatem superioris habeant propriũ, sed nudam duntaxat fructuum administrationem, vt fuit resolutum de Commendatario Ordinis Hierosolymitanæ Religionis in Meliten. imposit. Hæredit. coram Illustrissimo Mantica 20. Maij 1593. & in Meliten. pensionis 21. Maij. coram Illustrissimo Seraphino, quos fructus Reuerendissimus Generalis Commẽdatarius, prout & Abbas potest inter fratres diuidere, non perpet uo, sed ad tempus, vel eorum loco pensionem reseruare, secundum, *Cardin. In Clement. 1. de suppl. neglig. Prælat. num. 4. vers. 5.* oppono, vt etiam soluatur alteri fratri eiusdem ordinis, vt voluit *Abb. in c. nisi essent. num. 12. de Præb. & dignit.* Non enim repugnat paupertati habere pensionem, ex permissu superioris, quæ ad nutum sit amouibilis, vt dictum fuit in allegata Aquilana Prioratus, *nu. 2.*

3 Nec obstare videtur, quod cum de iure communi Ordinarius Collator non possit sine causa pensionẽ reseruare, *Gig. de Pens. q. 6. per totum*, ita nec Generalis Præceptor qui fungitur loco Ordinarij collatoris idem potuerit, nisi causa expressa, de qua non constare fuit dictum in decisione bo. me. Scoti. Quia pro resolutione fuit dictum, non defuisse iustam causam, scilicet vt talis pensio alteri fratri assignetur, pro indumentis, & alijs necessarijs, pro quibus alias Religio esset grauanda, stante voto Paupertatis, sed & præterea conclusionem non procedere, in Beneficijs regularibus, ad nutum amouibilibus, quę respectu proprietatis non transeunt ad Religiosum, in quem beneficium confertur, vt supra dictum fuit. Atque ita, &cet.

DECISIO CCCIII.

Burgi Sancti Sepulchri. Veneris 25. Iunij 1610.

Impressa Apud Ludouisio.

DECISIO 475.

ILLVSTRISS. ET REVERENDISS. D. CARD. LANCELLOTTO.

Mediolanen. Cambiorum. Veneris 25. Iunij 1610.

ARGVMENTVM.

Dare pecunias mercatori, ad eas traficandum non est vsura, & quando isto casu mercator possit assecurare capitale.

SVMMARIVM.

Mercatori pecunias dare ad eas traficandum in cambijs licitum est, nu.2.

Cambium quod sit reale, ex quibus pactis cognoscatur. numer.3.

Cambium quando sit illicitum, ex eo, quod capitale dantis pecuniam sit salnum, nu.3. vers. Nec obstat, nu.4.

Capitale quando est saluum in datione pecuniarum mercatori ad eas traficandum in cambijs, an reddat cambium illicitum, nu.3. & seqq.

Cambia non sunt vniformia, quia quandoque crescunt, & quandoque decrescunt, num.5.

Vsurarius in dubio non præsumitur contractus, nu.6.

Verborum significatio applicari debet ad intellectum sanum, bonum, ciuilem, & vitio carentem, num.6.

Mercatores possunt assecurare capitale recepta aliqua competenti mercede, num.7. Vbi hoc ampliatur, tam in eodem contractu com eadem persona, quam in diuerso contractu, & persona, & num.8.

Valor iustificatur secnndum loci consuetudinem num.9.

Societatis contractus non est quando mercatori dantur pecuniæ ad eas traficandum in cambijs. num.10.

Contractus qualis sit cognoscitur ex verbis, & pactis in eo contentis, nu.10.

Societatis contractus non dicitur vbi lucrum non communicat, nu.11.

Societatis contractus, quandoque accipitur largo modo, numero 12.

DECISIO CCCIV.

1 CVm anno 1583. Annibal Brasca, & Martialis Coquus Mediolanen. recepissent à quondam Frãcisco Pirrouano quandam pecuniarum quantitatem vt illam super cambijs realibus retinerent, assignata eis certa prouisione iuxta stylum, & cum alijs pactis, prout in apocha desuper confecta, fuerunt inter istas partes, siue illorum hæredes postmodum anno 1587. & anno 1589. solidata computa, & firmatum creditum DD. de Pirrouanis, tam respectu sortis principalis, quam respectu Cambiorum, pro cuius cõsequutione cum egissent coram Senatu Mediolanen. sententiam fauorabilem, & mandatum exequutiuum obtinuerunt con. D. Brascam, & fideiussorem, qui iudicium super inualiditate, & vsuraria prauitate huiusmodi contractus contra eosdẽ de Pirouanis introduxerunt in foro Archiepiscopa-

li Ciuitatis Mediolanensis quo ad Rotam, vigore cōmissionis deuoluto, coram me dubitatum fuit, præsupposita apocha, siue apochis in Instrumento 26. octobris 1587. insertis, an contractus esset validus, & licitus in causa, & ad effectum, de quo agitur.

2 Et DD. validum, & licitum esse, neque aliquid vsurariæ prauitatis in se continere censuerunt, nam de iure licet dare pecunias suas mercatori, qui illas retineat, & traficet super cambijs licitis, *cap. per vestras, & ibi Abb. num. 6. Palat. Rub. in 6. notab. & alij passim, de donat. inter vir. & vxor. Nauar. in man. cap. 17. num. 257. vers. quia huiusmodi contractus. Syluestr. in sum. in verb. societas. il 2. q. 3.* & pro licito, & valido admisit Pius V. felic. recor. Mercatoribus Bononiensibus, per suum Breue, anni 1569. & fuit resolutum in Rota in causa Mediolanen. Cambiorum. 23. Iunij 1604. coram R. P. D. meo Ortembergo.

3 Neque forma huiusmodi contractus posset pati difficultatem, quia imo apparet de mente contrahentium, quod cambia fierent realia, & adsunt verba realitatem cambiorum importantia, ibi, *Acciò li teniamo sopra Cambi reali, &c. & ibi per suo commodo, per quella ragione di conto, che sarà stabilito per la generalità de Mercanti, & ibi, con darle distinta, e particolare ragione di quanto sarà sopra questa causa negotiato.* Ex quibus apparet vere, & realiter fuisse conuentum, vt pecuniæ in negotium implicarentur, non autem, vt starent mutuo apud recipientem, & fierent cambia, vt dicitur sicca. Nec obstat, quod Pirrouanus voluerit assecurare capitale, & illud consequi saluum, & sic stare ad lucrum non autem ad damnum per illa verba apochæ, ibi, *tutto à nostro risico, & cet. & ibi, come è detto, vogliamo che tutto sia sopra di noi,* nam primo fuit responsum illam non esse assecurationem capitalis, sed potius susceptionem in commodi expensarum negotij, mediante mercede vnius tertij, pro centenario in singulis nundinis, quod patet ex verbis subsequentibus ibi, *senza che esso patisca alcuna sorte di spesa, ne di sensaria &c.* quod verbum, senza, importat exceptionem, quę exceptio, cum debeat esse de regula, iuxta notata *in l. in ijs. ff. de legi.* ostendit, quod regula data supra, & dispositum de risico, referri debeat ad omnes expensas negotij, quia alias inepte fuisset de expensis actum per viam exceptionis.

4 Secundo fuit responsum, quod verba illa apochæ non intelliguntur de periculo amissionis capitalis, ex natura negotij proueniente, quo casu illicitum est assecurare capitale, quia contra naturam negotij, quod geritur, est, quod capitale sit saluum, cum possit tam perdere, quam lucrari, & ideo emanauit Bulla Sixti V. prohibens capitale remanere saluum. Hoc enim periculum amissionis capitalis ex natura negotij proueniens, à quo pendet validitas contractus, spectat ad Pirouanum, qui dum voluit fieri cambia secūdum generalem consuetudinem mercatorum vtiq; saltem tacite assumpsit in se periculum damni contingentis in capitali, vt distinguendo declarat *Roman. cons. 238. ante num. 7.* dum glossat verba similis pacti, ibi, cum generalis consuetudo hoc admittat scilicet quod adueniente casu perditionis sortis principalis, damnum hoc ad dantem pertineat.

5 Quod comprobatur, tum quia Brasca, & coquus in apocha non se obligarunt ad restituendum quid certum ex eorum proprijs pecunijs, sed ad dandum duntaxat particularem, & distinctam rationem eius, quod negotiatum fuisset, quod intelligitur eo modo quo paulo antè in eadem apocha fuerat conuentum, ibi, *à quella ragione del conto, che sara stabilita per la generalità de' mercanti, cosi quà in Milano, come in fiera.* Quæ verba cum præsupponant variationem valoris aurei sub censura magistratus mercatorum & quod capitale possit augeri, & minui, quia Cambia non sunt vniformia, cum modo plus, modo minus, & quandoque nihil lucri, & quandoque damnum afferant vt fuit consideratum, in causa Mediolanen. Cambiorum 20. Iunij 1569. coram felic. recor. Clem. 8. inter impressas. 315. nu. 6. part. 2. consequitur quod obligatio restituendi capitale intelligitur de illo Capitali, de quo secundum generale Mercatorum stabilimentum Pirrouanus remansisset Creditor, vt in simili fuit etiam resolutum in Rota, in causa Ferrarien. Societatis 28. Ianuarij 1599. coram Illustrissimo Cardinale Mellino vbi fuit dictum, quod obligatio de restituendo capitale, non intelligitur, quod capitale sit saluum, sed de capitali remanente.

6 Tum etiam quia in apocha nullum verbum de toto Capitali, aut integro Capitali, sed simpliciter de Capitali, quod propterea debet intelligi secundum iuris dispositionem, & sic de capitali remanente, tum denique quia quatenus adesset aliquod dubium, talis interpretatio fieri debet, cum actus dubius non debeat iudicari vsurarius. *Bald. in l. rogasti. §. si tibi. in fine. ff. si cert. pet. Alex. consil. 221. num. ✓. lib. 2.* & cum verborum significatio debeat ad intellectum sanum, bonum, ciuilem, & vitio carentem applicari, *dec. 10. num. 4. & 5. de testam. in antiq. Alexand. consil. 191. num. 6. lib. 2.* & fuit consideratum in allegata causa *Ferrarien. Societatis, & in causa Foroliuien. societatis. 2. Decembris 1583. coram bo. mem. Lauretano. quæ est inter impressas. 673. num. 13. & sequen. par. 1.*

7 Verba igitur illa apochæ, *tutto a nostro risico, & alias come è detto, vogliamo che tutto sia sopra di noi* intelliguntur, & verificantur in periculo amissionis capitalis ex accidenti, & præter naturam negotij, veluti per decoctionem mercatorum, quibus dantur pecuniæ ad cambium, cum similibus, quia cum periculum Capitalis tam de iure, quam ex vi negotiationis, quam ex natura cambiorum, quam ex communi stylo Mercatorum negotiantium pecunias alienas spectet ad Pirouanum pactum illud de assecuratione capitalis, intelligitur de alio periculo, quam proueniente ex natura negotij, nempe del star del credere, quæ assecuratio capitalis licita est, & permissa, data aliqua competenti mercede iuxta *consilium Decij 7.* ne propter negligentiam, culpam, aut dolum illorum, qui pecunias alienas cambiant, fiant cambia cum personis minus idoneis, aut fraudes in hoc cōmittantur, & quotidie videmus practicari inter mercatores, nec non inter assecuratores nauium, & deducit *Lud. Molin. de contract. disput. 417. per totam,* quod procedit nedum in diuerso contractu, & cum diuersa persona, nempe quando quis dat pecunias vni exercendas, & cum alio conuenit, vt recepta mercede assecuret capitale, sed etiam in eodem contractu cum eadem persona inito, sic licet quando eadem personæ negotiatus pecunias alienas, & assecurat capitale, cum nihil obstet, quin duo contractus, qui separatim permittuntur, coniunctim possint fieri, & permisceri. *Conrad. de contract. q. 71. vers. 1. conclus. & post Petr. de Vbald. Couar. & alios deducit Illustrissimus Cardinalis Mantica. De Tacit. & ambig. conuent. libr. 6. tit. 6. nu. 3. & 5. & seq. Molin. vbi supra.*

8 Prout & aliud periculum, quod contingere poterat in traijciendo pecunias de loco ad locum, assumpserunt in se Brasca, & Coquus Mercatores per illa verba apochæ, *& auanzando mobili, dichiaramo, che esso Signor. Pirrouano non ne habbia a sentire danno alcuno delli contanti si mandassero a Milano, ò altroue,* quod quidem pactum in se non est illicitum, nec vsurarium, nedum quando fit cum tertio, sed etiam quando fit inter dantem, & recipientem pecunias, vt per *Couar. lib. 3. var. resolut. cap. 2. num. 5. Lupus in cap. nauiganti. in præfatio. numer. 11. de vsu.* maxime quia videtur appositum ad euitandas fraudes, ne possit allegari pecunias in ferijs non potuisse cambiari, & à sportatas in itinere fuisse furto subtractas, absque culpa

pa asportantium, vt propterea non teneantur de casu fortuito *l. quæ fortuitis. C. de pignorat. actione.*

9 Non obstat, quod merces assecurationis, hoc est tertia pars aurei pro singulis centum aureis pro qualibet feria sit modica, nec correspondeat periculo, quia hoc non facit contractum inualidum, sed vt fuit etiam consideratum in allegata causa Farrarien. coram Illustrissimo Mellino, pertinet ad illius iustitiam, quę neque in hoc contractu deficit, cum assecuratio fuerit conuenta iuxta stylum vniuersalem etiam, secundum ipsorum mercatorum attestationem, vt patet ex apocha, ibi, *eccetto che haueremo ogni fiera da leuarli la prouisione del loco, oue si farà la fiera, à ragione d'vn terzo per cento, come si stila vniuersalmente*, quod sufficit ad iustificandum valorem. *Bartol. in leg. pretia rerum. ff. ad leg. Falcid. Cagnol. in l. 2. num. 232. Cod. de rescind. vendit.*

10 Neque obstat, quod iste contractus sit societatis, vt propterea videatur illicitus, & vsurarius, quia *Bal. consil. 453. volum. 3. & cons. 395. volum. 5.* misit inuestigare, & stabilire, quis contractus sit iste, an societas, depositum mutuum, vel mandatum, & validitas pendet ab eo, an periculum amissionis pecuniarum spectet ad dantem pecunias vel ad illas racipientem, & exercentem, *gl. in cap. plerique 14. quæst. 3. Roman. in alleg. consil. 520.* sed reuera, hic, de quo agimus, non potest esse contractus societatis, quia in apocha, nullum verbum de societate, & talis præsumitur in dubio contractus, qualis ex verbis designatur. *Calderin. cons. 11. de vsu. Dec. consil. 32. nu. 3.* neque adsunt aliquæ conuentiones, seu pacta, quæ conueniant contractui societatis, ex quibus pactis, & conuentionibus cognoscitur qualitas contractus ad tradita, per *Tiraq. de re tract. lignag. §. 1. gl. 14. nu. 87.*

11 Quin potius pacta repugnant societati. Nam non fuit communicatum capitale mercatoribus, aut illius lucrum, sed totum lucrum ex cambijs prouenturum ad Pirouanum spectat, neque mercatoribus aliud datur, nisi illorum prouisio, scilicet tertia pars vnius aurei, pro centum, quæ prouisio non est commensurata neque ad Capitale, neque ad lucrum, quia siue adsit lucrum, siue non, semper prouisio debetur, cessante autem communicatione lucri, vel capitalis, cessat societas, de cuius substantia est huiusmodi communicatio. *l. 1. l. si non fuerit. ff. pro soc.* & fuit resolutum in allegata causa Foroliuien. societatis. 2. *Decembris 1583. quæ est 263. nu. 1. par. 1. inter impress.* Vnde siue sit locatio operarum, vt tenet *Molin. disput. 411. vers. dictum in definitione, vel quædam institoria, vt per Bald. in l. 1. num. 12. C. de fruct. & lit. expens. vt dicitur in d. dec. Foroliuien. nu. 6.* siue alius contractus non est illicitus, neque vsurarius. *cap. per vestras.* cum ibi notatis. & supra dictum fuit.

12 Nec releuat, quod in quodam instrumento inter fratres de Pirouanis, & Martialem Coquum celebratu anno 1590. fuerit adscriptum nomen societatis, tum quia de hoc non constat in actis, tum quia largo modo, & improprie potuit appellari societas, prout locatio operarum, & institoria largo modo possunt vocari contractus. societatis, non tamen est vera societas, neque capitalis, neq; lucri, vt dictum fuit, tum quia huiusmodi instrumentum non fuit inter easdem partes celebratum, tum quia diuersa est natura contractus instrumentalis anni 1590. à contractu apodissæ anni 1583. vt merito non possit de vno ad alium inferri. *l. Papinianus exuli. ff. de minor. 25. annis.* cum vulgaribus.

REVERENDISS. DAMASCENO.

Romana Pretij Officij Regentatus. Veneris 25. Iunij 1610.

ARGVMENTVM.

Officium cum reseruatione, & decreto, an transeat mortuo donante ad hæredes ipsius donantis, an vero ad ipsum donatarium, & sic officium dicti dominij, an remaneat penes resignantem, & donantem, an vero penes resignatarium, & donatarium.

SVMMARIVM.

Reseruatio dominij in officiis operatur, vt quandocunq; vendi possint. nu. 2.
Plenum ius, verba sunt latissima, & significant ius sine aliqua diminutione. nu. 4.
Donatio præsumitur ratione coniunctionis. nu. 5.
Fructus, quod stent perpetuo separati à proprietate, repugnat lex. nu. 5.
Contrahentes præsumuntur velle se conformare cum vltimo statu. nu. 5. in fine.
Titulus officii potest esse penes vnum, & dominium illius penes alium. nu. 6.

DECISIO CCCV.

1 Bartholomæus Ferratinus postea Cardinalis eiusdem nominis, cum esset Regens Cancellariæ de consensu Illustrissimi Cardinalis Camerarij, & cum Breui Apostolico resignauit illud officium R. P. D. Baldo Nepoti suo, cum reseruatione ad sui fauorem, de qua in literis Illustrissimi Vice Cancellarij per infrascripta verba: Præterea dicto Bartholomæo Episcopo, quam diu tu vitam duxeris in humanis, nomen, & titulum Regentis, ac locum, & sedem in dicta Cancellaria, liberumque exercitium, ac omnimodam iurisdictionem, & administrationem eiusdem officij Regentis; & denique etiam illius emolumenta, ac iura ordinaria, & extraordinaria ad illud quomodolibet spectantia, & pertinentia, ac in quibuscunque rebus consistentia per ipsum Bartholomæum Episcopum, vita tua tantum durante, & non vltra, propria auctoritate, vt prius exercenda, percipienda, lucranda, ac in suos vsus, & vtilitates conuertenda: ita quod ipse neque per se, neque per nos, & V. Cancellarios prædictos, te tamen superstite, vllo vnquam tempore quouis quæsito colore, vel ingenio, aut quauis auctoritate directe, vel indirecte, molestari, perturbari, aut inquietari possit, aut debeat, eadem auctoritate tenore præsentium reseruamus, concedimus, & assignamus. Mortuo Cardinale, institutis hæredibus, Fuluio, & Fabricio nepotibus suis, orta fuit controuersia, ad quem spectaret officium Regentatus, prætendentibus nimirum hæredibus Cardinalis, quod officium penes Dominum Baldum, dominium vero penes Cardinalem remanserit, consequenter quod huiusmodi dominium transierit ad hæredes Cardinalis, prout in materia similium officiorum fuit decisum, & signanter in causa Romana scriptoriæ, 13. Maij 1583. coram Clemente Papa VIII. in eadem sub die 1. Aprilis 1588. coram Cardinale Pamphilio, & rursus in alia Romana officiorum plumbi. 4. Iulij. 1601. coram eodem.

2 Domini ponderata diligenter facti serie, & verbis literarum Illustrissimi Vicecancellarij super huiusmodi resignatione, & Breuis Apostolici censuerunt, mortuo Cardinale, officium libere spectare ad Dominum Baldum, & consequenter pretium, quod lite hac pendente, fuit ex illo redactum spectare ad Dominũ Baldum, & successiue ad eius creditores, qui modo sustinent hanc litem pro quo fuerunt ponderata verba literarum Vicecancellarij, & Breuis Apostolici in multis locis, ex quibus apparet dominium prædicti officij in Dominum Baldum fuisse translatum, vbi of-

 ficium

ficium prędictum, vt premittitur, vacans cum omnibus, & singulis hominibus, oneribus, priuilegijs, & emolumentis &c. concedimus, & assignamus, &c. & te in locum Domini Bartholomæi quo ad officium huiusmodi, eiusque exercitium A. C. subrogamus, &c. decernentes te ex nunc ad officium, & exercitium Regentatus huiusmodi &c. recipiendum fore &c. põderando illam distinctionem in eius officium, & exercitium, ad quod solum exercitium informationes pro hæredibus Cardinalis vellent restringere resignationem. Item ibi, nec ab eo vllo vnquam tempore per nos, & futuros Vicecancellarios quauis occasione, vel causa remoueri posse, & in Breui Apostolico, illudque de cetero ad hoc, vt alteri, quoniam sibi concedi, & assignari valeat, minime vacare, si enim dominium officij remansisset penes Cardinalem, & eius hæredes potuisset Dominus Baldus quandocunque amoueri, quia iste est præcipuus effectus reseruationis dominij, vt huiusmodi officia quandocunque vendi possint *Rot. in Romana Montium 15. Decembris 1576. coram Clemente Octauo relata inter impress. diuers. dec. 262. part. 1. & in Romana Scriptoriæ 13. Maij. 1593. coram eodem*. Item ibi mandantes &cet. vt ad officium Regentatus huiusmodi admittant, nec non de emolumentis prædictis, salua infrascripta reseruatione, integre respondeti faciant &cet. Si enim reseruatio ad fauorem Cardinalis in materia emolumentorum stat per viam limitationis, ergo non absorbet omnia emolumenta, etiam post mortem Cardinalis, vt ex aduerso prætenditur, quia alias non esset limitatio, sed totalis destructio.

3 Item quod maxime mouit Dominos, fuit consideratum, quod in *dicto §. Præterea.* in quo stat fundamentum hæredum reseruantur Cardinali non solum emolumenta, sed etiam nomen, titulus Regentis, locus, & sedes, in Cancellaria, liberumque exercitium & omnimoda iurisdictio, & administratio officij propria auctoritate exercenda, & proinde si esset vera lectura, quod reseruatio fuit translatoria ad hæredes oporteret etiam fateri, quod ijdem hæredes habeant penes se nomen Regentatus, locum, & sedem, omnimodam iurisdictionem & alia iura propria auctoritate exercenda, de quibus supra, qua interpretatione nihil absurdius.

4 Item in Breui Apostolico vltra resignationem literarum Illustrissimi Vicecancellarij fuerunt ponderata verba ibi decernenda ipsum Regentis officium &c. sibi ex nunc, prout ex tunc &c. contra plenum ius in officium Regentatus huiusmodi acquisitum existere non esset verum de iure, quod plenum ius fuerit quęsitum Baldo, si vt ex aduerso prætenditur, dominium fuisset perpetuo abdicatum ab illo, quia verba plenũ ius sunt latissima, & significant ius sine aliqua diminutione. *Bald. cons. 293. num. 3. lib. 4. Butr. cons. 153. nu. 2. Ias. in l. si ita stipulatus fuero. la 3. §. Titius. nu. 5. ff. de verbor. obligat. Alex. cons. 208. nu. 4. & 7. lib. 2. cum alijs per Crauet. cons. 701. nu. 54.*

5 Confirmabantur prædicta ex pluribus simul iunctis, nempe quia resignatarius erat nepos resignantis. Vnde arguitur affectio, & inde facilius donatio post mortem resignantis, quam qualitatem ponderauit Rota in Romana officij prima Aprilis. 1588. coram bon. mem. Cardinali Pamphilio, & quia non est verisimile, quod Dominus Baldus sine spe consequendi aliquando emolumentum, fuisset acceptaturus officium adeo onerosum, & etiam repugnat lex, quod fructus stent perpetuo separati à proprietate. *l. antiquitas. vbi late Scribentes. C. de vsufructu.* Et quia licet istud officium fuerit aliquando venale, vt deducitur per Informantes pro heredibus, & etiam Vicecancellario volente possit fieri venale, vt iam fuit decisum in hac causa, attamen Cardinalis illud non habuit mediante pretio, & fuit multum verisimile, quod sicut illud liberaliter recepit per viam resignationis, à Baldo Seniore patruo suo eadem liberalitate voluerit illud resignare Nepoti, arguendo ab vltimo statu rei, ad quem in dubio præsumendum est, contrahentes velle se conformare *iuxta notata in l. Item quæritur. §. qui impleto. ff. locati Bart. in l. simili, & Titio. num. 7. ff. de verb. oblig. Bald. in l. legem. nu. 1. C. locati. Alex. cons. 28. in fine lib. 1.*

6 Non obstat igitur, quod titulus officij possit esse penes vnum, & dominium penes alium, vt in Romana Scriptoriæ, & alia officiorum plumbi supra in principio allegatis, quia hoc non negatur, sed dicitur non fuisse factum in hoc casu propter circumstantias supra ponderatas, & in specie, quia hic non fuit reseruata dispositio officij ad fauorem resignantis, sed immo totaliter exclusus, vt supra fuit deductum, & cum ista materia, quod officium cantet in personam vnius, & dominium sit penes alium, sit satis exorbitans à regulis iuris dicebatur non esse amplianda, aut extendenda extra formulas, quæ sunt in praxi. Et ad illud quod obijciebatur per Informantes pro hæredibus, quod si Cardinalis voluisset tantum prouidere sibi non autem hæredibus, vt modo dicitur, non reseruasset sibi honores, & emolumenta ad vitam ipsius Baldi, prout fecit, sed ad suam propriam. Fuit responsum, ex facti serie apparere de causa similis reseruationis, nempe quia ęquum non erat, vt Illustrissimus Vicecancellarius, qui potest huiusmodi officiũ vendere, vt supra dictum fuit, teneret officium super vita duarum personarum, nempe ipsius Cardinalis tunc Domini Bartholomæi, & Domini Baldi, & propterea fuit conuentum, vt officium staret super vita Domini Baldi, tanquam iuuenis, & quod interim honores, & emolumenta essent Domini Bartholomæi, sed non exinde sequitur, quod fuerit cogitatum de hæredibus Domini Bartholomæi stantibus maxime contrarijs, de quibus supra.

DECISIO CCCVI.

Msselen. Donationis, seu Spoliorum. Lunæ 28. Iunij 1610.

Impressa Apud Ludouisio.

DECISIO 476.

R. P. D. PIROVANO.

Romana, Tutelæ de Sirtulis. Lunæ 5. Iulij. 1610.

ARGVMENTVM.

Iniustitia sententiæ est iusta causa restitutionis in integrum. Item tutor semel datus, absque causa reuocari non potest, & plura alia de tutela.

SVMMARIVM.

Restitutio in integrum vt concedatur, iusta causa est iniustitia sententiæ. nu. 1.
Nullitas sententiæ operatur, vt non sit opus restitutione in integrum. nu. 1.
Sententia nulla nunquam transit in iudicatum. nu. 1.
Tutor habenti tutorem non datur. nu. 2.
Tutor semel datus reuocari non potest, absque causa. nu. 2.
Sententia lata super eo, quod petitum non fuit, nulla est. nu. 3.
Priuatio præsupponit habitum. nu. 4.
Tutela data in testamento expirat hæreditatem non adita. num. 5.

Tutela

Tutela vnius filij non infert ad tutelam alterius. nu.5.
Filiarum appellatione masculi non continentur. num.5.

DECISIO CCCVII.

DEcessit Franciscus Sirtulus relictis post se filia eius Infante Catharina, ac Cleria Brucia vxore condito testamento, in quo hæredem dictam Catharinam instituit, & casu, quo Cleria vxor esset prægnans, & filium masculum procreasset, illum hæredem instituit, si vero feminam ambas dotari voluit in Scuta duo millia, & hæredes instituit, suos fratres declarando in tutores, & curatores supradictæ Catherinæ eius filiæ, Dominos Alexandrum Mazzanigam, & Michaelem Bellinum I.V.D. Vita functo Mazzaniga, cum Michael munus tutelæ sibi in testamento demandatum suscipere vellet, se opposuit Cleria vxor prægnans detecta, prætendens testamentariæ minime fore locum, & ab A.C. alium in tutorem deputari curauit. Causa postmodum ab A.C. decreto per appellationem ad Rotam deuoluta, ne super desertione appellationis incideret quæstio, obtenta fuit ex parte Michaelis commissio restitutionis in integrum aduersus lapsum fatalium, pro cuius iustificatione primo loco dubitaui, an constaret de causis restitutionis in integrum.

1 Et plures extare videbantur considerata tam iniustitia ipsius decreti, quę pro sufficienti causa deseruit ad obtinendam restitutionem in integrum. *Rota in nou.decis.1. num.1. de restit. in integr. Mohed. decis.2. num. 2. de appell. Cæsar. de Graff. decis.10. numer.12. de sent. & re iud. Odd. de restit. in integ. quæst.77. artic.5. num.28. &* 29. quam etiam nullitate eiusdem, quæ si operatur, vt Michael non indigeat restitutione in integrum ad effectum, vt audiri possit ex integro. *l.2. & l.fin.ff. quæ sent. sine appellat. rescind. leg. si tutor. C. in quibus caus. restit. in integr.* non est necess. multo facilius erit in causa, vt restituatur ad eundem effectum, quia sententia nullitate laborans nunquam transit in rem iudicatam. *Cæs. de Graff. decis.2. num.7. & 8. de solut. Gabr. de sentent. conclus.2.*

2 Iniustitia videbatur patens, quia Michael datus erat tutor in testamento, qui propterea ab A. C. remoueri non potuit, quia habenti tutorem non datur tutor. *l. curatorem. C. qui tut. dar. poss. Paris. consil.85. num. 2. lib.3. Menoch. consil.345. num. 2. libr.4.* Maxime, quia causę suspicionis in monitorio nec deductæ fuerunt, sed dictum solummodo ex causis deducendis, & verificandis in processu, quæ cum ex post nec verificatæ fuerint, non potuit iudex ad reuocationem procedere dicta *l. curatorem. C. qui dar. tut. poss. l. cum semel. ff. de tutel.* & late comprobat idem *Menoch. dicto consil. 345. num.2. lib.4.*

3 Nullitas pariter non videbatur posse dissimulari, quia non solum fuit decretum Michaelem remouendum, à tutela, sed deputatus alius tutor absque eo, quod in monitorio hoc peteretur. Vnde sententia, quæ fertur super eo, quod petitum non fuit, non careret euidenti nullitate. *Bald. in l. vltim. C. de fideicom. libert. Alex. consil.171. numer.10. lib.6. Menoch. dicto consil.345. num.32.*

4 Ceterum Domini, animaduertentes ex eodem testamento Francisci Sirtuli, à quo Michael ius tutelæ deducebat ipsum non fuisse datum tutorem Francisco Sirtulo minori Posthumo, quod erat præcipuum fundamentum ad causam restitutionis in integrum, cum priuatio præsupponat prius illum vere tutorem testamentarium. *l. decem ff. de verb. oblig. l. Iulianus.* de diuort. *Bald. in l. conuenticula. C. de Episcop.* & clericis omissa disputatione, an constaret de causis restitutionis in integrum.

5 Dixerunt, Michaelem non esse datum tutorem in testamento, quia tutor datus fuerat nominatim Catharinæ filiæ, & hæredi, superueniente autem filio masculo posthumo, & hærede, qui priuauit Catharinam hæreditate, & omni paterno relicto, hæreditas nomine Catharinæ nec adita fuit, nec adiri potuit ob existentiam masculi, & consequenter tutela data in testamento expirauit. *l. si nemo. ff. de testam. tutela.* quę etiam si subsisteret, non propterea datus esset tutor Michael Francisco masculo, qui in testamento nullum verbum de posthumi tutela, nec bene infertur ex tutela Catharinæ ad tutelam Francisci. *glo. in leg. si quis filiabus. in verbo posthumæ, & in l. si quis ita. in vers. filijs. ff. de testam. tutela.* ea ratione, quia nomine filiæ mares non continentur. Atque ita placuit Dominis vt Francisco Sirtulo prouideretur de alio tutore, arbitrio Rotæ.

REVERENDISSIMO P. D.
COCCINO DECANO.

Montis Alti Iuris patronatus. Lunæ 5. Iulij. 1610.

ARGVMENTVM.

Ius patronatus quando in stirpes, & quando in capita spectet ad successores.

SVMMARIVM.

Ius patronatus quando in stirpes, & quando in capita spectet ad successores. num.1. & per tot.
Orationes, dicuntur separatæ, quando inter eas est diuersitas in verbo principali, & quid si secunda oratio sit imperfecta, non habens verbum præsente, sed illud suppleatur ex prima oratione. num.1.
Testatoris voluntas ex coniecturis elicita attenditur in materia iuris patronatus. An scilicet illud ad successores spectet in stirpes, vel in capita. num.2.
Ius patronatus ad successores an spectet in stirpes, vel in capita, quando illius fundator dixit quod successores habeant æqualem actionem. num.3.
Ius patronatus relictum iure legati competit in capita, & non in stirpes quo ad primos institutos. num.4.

DECISIO CCCVIII.

1 DOmini censuerunt, ius patronatus, de quo agitur spectare in stirpes, & non in capita. Nam testator illud reliquit per hæc verba. Manilio quod Antonio patruo suo, & suis hæredibus & successoribus. Et ideo cum ex ista serie verborum appareat, Antonium & Christinum esse coniunctos, Manilium vero disiunctum, tanta videtur portio Manilij, quanta Antonij, & Christini simul. *l. liber homo. §. Titius. ff. de hæred. instit. vbi not. DD. qui tex.* licet loquatur, in casu, quo dispositio regitur à duob. verbis, & sic quando orationes separatæ sunt, tamen tunc dicuntur orationes separatę, quando est diuersitas in verbo principali, vt per *Bal. ibid. in fi.* prout est in casu isto, quia licet secunda oratio sit imperfecta, quia in ea non fuit expressum verbum principale, tamen non est inconueniens, quod suppleatur. *l. cum pater. §. cum imperfecta. ff. de leg.2.* ita vt censeantur diuersæ orationes, & dispositiones. *Ceph. consi.87. nu.5. & seqq. vol.1.* quia hic non agitur de repetitione oneris, quo casu in oratione imperfecta censeretur repetitum propter supplementionem verbi, iux. trad. per *Gozzad. consi.19. nu.13.* sed agitur de diuersitate orationis, ad effectum videndum, an vocati sint disiuncti, vel coniuncti, quo casu parum refert, quod verbum sit expressum, aut de necessitate debeat suppleri, sed sufficit quod orationes sint diuersæ vt in *d. l. liber homo. §. Titius. ff. de hæred. instit.* in qua licet casus foret, quod testator expresserit duo

rit duo verba, nihilominus ibidem non excluditur, quod si non sunt duo expressa si tamen verbum debet de necessitate suppleri, orationes non sunt diuersæ ad effectum cognoscendum, an vocati sint disiuncti, vel coniuncti, iuxt. trad. per *Ceph. loco proximi alleg.* & hæc patent ad sensum, quia vnica oratio fuisset, si testator dixisset, lego ius patronatus Manilio, Antonio, & Christino, & suis hæredibus & successoribus, sed cum distincte fuisset locutus, vt dictum est, manifestissime apparet, quod sunt duæ orationes.

2 Et prædicta maxime adminiculantur, cum testator eosdem instituerit heredes, & voluerit, quod tanta esset portio Manilij, quanta esset portio Antonij, & Christini simul, & hoc idem repetijt in Codicillis. vna enim pars testamenti aliam declarat, & ideo hæc sunt maxime attendenda, quia in istis terminis debet attendi voluntas testatoris elicita etiam ex coniecturis, vt per *Salyc. in l. fi. nu. 1. post prin. vers. quærendum est etiam ff. de impub.* & alijs subst. & cessat hic difficultas ex obseruantia subsecuta, quia in ista præsentatione, quæ fuit facta ex prima vocatione, dicti Antonius, & Christinus presentauerunt in stirpes, & non in capita: Vnde videtur dicendum præsentatum ab ipsis hodie non posse prætendere præsentationem in capita, cum fuerit præsentatus in stirpes.

3 Neque obstat, quod post dictas vocationes ad ius patronatus restator dixerit, qui habeant equalē actionem, & vocem faciendum electionem, ita vt ad ipsos spectet ius patronatus, quia cū, vt dictum est, predictę sint duę orationes, illa verba æqualiter, sunt intelligenda, iuxta vocationem factam per testatorem ex allegatis per *Card. Mantic. de coniect. vlt. volunt. lib. 4. tit. 11. nu. 6. vers. sed si in diuersis orationibus.* Et tollitur omnis amarituto, quia testator huiusmodi verbum, æqualiter, posuit etiam in institatione, in qua tamen, vt dictum est, expresse declarauit, quod tanta esset portio Manilij, quanta Antonii, & Christini.

4 Minus obstat, quod istud ius patronatus sit relictū iure legati, & ideo quo ad primos institutos competit in capita iux. *consil. Alex. de Neuo 63. & notant DD. in clem. plures. de iure patr.* quia hæc possent considerari, si non constaret de contraria mente testatoris, prout constat ex predictis, & propterea non est agendum de ista quæstione. Et ita fuit conclusum ius patronatus spectare in stirpes, & non in capita.

REVERENDISS. P. DOMINO COCCINO DECANO.

Oueten. Beneficij. Lunæ 5. Iulij. 1610.

ARGVMENTVM.

Obitus in mense reseruato per quem, & quomodo probandus, an resignatarius teneatur iustificare titulum resignantis, & de clausula siue alio quouis modo vacet plura notanda, de quibus in Summario.

SVMMARIVM.

Obitus in mense reseruato iustificatus censetur, quando vnum, & idem beneficium plures impetrarunt tanquam vacans in mense reseruato. num. 1.

Resignatarius tenetur iustificare titulum resignantis, quando resignans non fuit triennalis pacificus possessor. num. 1.

Clausula siue præmisso, siue alio quouis modo beneficium vacet, operatur, vt impetrans beneficium possit capere quecunque vacandi modum num. 2. Vbi hoc ampliatur habere locum etiam in prouisione ex resignatione. Declara, vt num. 3.

Gratia non vitiatur ex taciturnitate mensis, in quo beneficium, quod prætenditur reseruatum vacauit, quando ex alio capite beneficium est reseruatum. num. 3.

Collatio beneficij deuoluitur ad superiorem inferiore existente negligente in conferendo. Declara vt nu. 3.

Beneficium semel reseruatum semper durat reseruatum. num. 3. in fine.

Possessor non tenetur probare titulum. Declara, vt num. 4.

DECISIO CCCIX.

1 Dubitaui, an constaret de obitu Andreæ in mense reseruato, & an resignatarius teneatur iustificare titulum resignantis. Et ad vtramque partem dubij Domini affirmatiue responderunt. Quantum enim attinet ad primam, videlicet obitum Andreæ in mense reseruato, satis est iustificatus, cum vterque veniat ex eadem vacatione in mense reseruato. *Put. decis. 300. num. 3. lib. 1.* & fuit resolutum in causa Regien. Prioratus 31. Maii 1597. coram Reuerendiss. D. meo Decano. Quantum vero attinet ad secundam, cum resignans non fuerit triennalis pacificus possessor immediate ante resignationem, ad fauorem Turribij iuxta resolutiones factas, & sic non potuerit iuuari allegat. Lapi 89. vtique ipse resignatarius tenetur iustificare titulum ipsius resignantis. *Cassad. decis. 2. de caus. poss. & propr. Ægid. decis. 112. Verall. decis. 92. lib. 1. in manuscr. Rebuf. in tit. de subrog. num. 15.* & super concord. *in tit. de mand. Apost. §. declarantes. in vers. successores.* Et pluries fuit resolutum, & ratio est, quia cum resignatarius nitatur ipsa resignatione, non valet resignatio, nisi iustificet titulum ipsius resignantis, qui est basis, & fundamentum suæ gratiæ.

2 Resignatarius circa prædicta videbatur agnoscere bonam fidem, sed dicebat, cum iustificet de facto modum expressum vacandi scilicet ex resignatione, posse capere quemcunque modum vacandi ex clausula siue præmisso, siue alio quouis modo vacet. *cap. susceptum. vbi Doctores. de rescr. in 6. Rota decis. 1. Vbi Pam. num. 5. & seqq.* vbi alios allegat, *& decis. 17. eodem tit. in nou.* & in nostris terminis, quod hæc conclusio habet etiam locum in prouisione ex resignatione est *decis. Put. 5. in fin. de reg. de mense*, & fuit resolutum in causa Placentina Canonicatus, de anno 1559. coram Chisanen. & coram D. Cardinale Pamphilio, in causa Virduen. Canonicatus, 15. Martii. & 13. Maii 1596.

3 Ceterum dicebant Domini prædictam conclusionem esse veram, sed non suffragari Turribio, quia cū Andreas obierit in mense Apostolico, de quo non fuit facta mentio in resignatione, non potest ex generali clausula capere vacationem per obitum Andreæ in mense reseruato, quia ei obstat regula de mense, vt in istis terminis est *decis. Put. 169. lib. 2. & 3.* de regula de mense, & ad ideo est *decis. 1. & 4. eod.* Et quamuis taciturnitas mensis non vitiet gratiam, quãdo ex alio capite beneficium est reseruatum. *Put. dec. 25. lib. 3.* & fuit resolutum coram Mohed. in causa Lucen. Præpositurę 23. Martij 1547. tamen non docetur de alia reseruatione, quia deuolutio allegata non intrat, licet enim data negligentia in inferiore, collatore, collatio deuoluatur ad superiorē. *c. 2. de conc. præb.* tamen hec conclusio non habet locum, quando inferior confert vice Papæ. *Cassad. dec. 8. n. 5. in fine, de præb.* pro vt facit Nuncius, qui confert beneficia vacantia in mensibus reseruatis non excedentia 24. Indultum enim concessum nunciis non tollit reseruationem, sed illam approbat, & propterea data negligentia, in Nuncio, non intrat deuolutio, sed reseruatio, quia beneficium semel reseruatum, semper durat reseruatum, vt probat in his terminis *Cassad. vbi supra num. 10.*

4 Non obstat, quod resignatarius sit reus, & possessor, & ideo nihil tenetur probare. *l. cogi. vbi Doctores. C. de*

Cod. de petit. hæred. & leg. sine possidetis, Cod. de probat. quia hoc procederet, si Iacobus non iustificasset suã gratiam, sed cum illam iustificauerit, resignatarius tenetur iustificare suum titulum, vt fuit resolutum in causa Hispalen. portionis 24. Maij 1596. coram Illustrissimo Blanchetto, possessio enim non releuat ab onere probandi, quando actor fundauit intentionem suam. *Calder. cons. 10. in fine de probat.*

REVERENDISS. P. DOMINO COCCINO DECANO.

Leodien. Canonicatus Lunæ 5. Iulij. 1610.

ARGVMENTVM.

Beneficia incompatibilia retinens ipso iure illis priuatus remanet, & quæ dicantur incompatibilia Beneficia.

SVMMARIVM.

Beneficia plura incompatibilia vt quis tenere possit, Episcopi dispensatio non suffragatur, nu. 1.

Beneficia plura incompatibilia retinens ipso iure illis priuatus remanet, etiam quod non habeant curam, sed solum residentiam, & absque alia munitione, nu. 1.

Beneficium quando dicatur simplex ex eo, quod Ecclesia sit fundata propter vtilitatem Parochianorũ longe distantiũ ab Ecclesia matrice, & an inde oriatur incõpatibilitas. n. 2.

Producens titulum inualidum præsumitur non habere alium titulum validum, nu. 3.

Dispensationis præsumptio numquid intret ex triennali pacifica possessione, nu. 3. in fine.

Beneficia incompatibilia an retinere dicatur ille, qui duas retinet parochias tenues, vel etiam vbi in loco ad est sacerdotum penuria. nu. 4.

DECISIO CCCX.

1 FVit resolutum narratiuam incompatibilitatis esse iustificatam. Nam cum Arnoldus obtineret Parochialem Ecclesiam, postmodum obtinuit canonicatum, quem per plures annos cum prædicta Parochiali retinuit, quę quod talis sit, probatur ex confessione ipsius in dispensatione obtenta ab Episcopo, *ad l. cum precum, C. de liber. cau.* quæ dispensatio cum non possit suffragari, vt censuit congregatio Illustris. Interpretum, & est additio ad *gloss. in cap. Sanctorum, in ver. in duab. 10. dist. Roffred. de libell. super iur. pontif. p. 6. tit. de parochijs, quæst. vltim. num. 11. fol. 597.* resultat incompatibilitas, & priuatio ipso iure vtriusque vt habetur *in Conc. Trid. sess. 7. c. 1. de reform. & sess. 24. c. 17. §. illi vero, pariter de reform.* & ita pluries censuit d. congregatio Illustrissimorum Interpretum, ita vt nec ex eo, quod ambo non habent curam, sed requirunt residentiam, fuerit necessaria alia monitio, vt censuit Rota in pluribus causis recedendum à decis. in causa Maceratensi beneficij 17. Iunij 1575. & dixit etiam eadem congregatio Illustrissimorum Interpretum. Vnde cum habeamus claram dispositionem Concilij, & sententiam Congregationis, non est agendum, in quibus terminis procedant Canones de ista materia loquentes, de quibus Cardinalis. *cons. 3. nu. 3. Abb. in c. quia nonnulli, num. 4. de cler. non residen. Cassad. dec. 1. de constit.*

2 Neque est verum, quod ista sit Ecclesia succursus, fundita propter vtilitatem parochianorum longe distantiũ ab Ecclesia matrice, ita vt non generet incompatibilitatem, cum sit beneficium simplex. *Rebuff. in addit. ad reg. Cancell. reg. 56. in fin.* quia vt constat ex dispensatione prædicta fuit narratum istam esse Ecclesiam Parochialem, & ideo cum habeat rectorem separatum, & non regatur ab eodem Rectore matricis per Cappellanum amouibilem est Ecclesia Parochialis, licet sit filialis, & non potest dici beneficium simplex, vt bene distinguendo declarat *Dec. in c. ex part. d. 2. in 1. & 2. not. de rescript.*

Neque facit, quod possit præsumi alius titulus dispensationis validus, quia cum eademet pars produxerit titulũ inualidum cessat presumptio alterius, *tit. validi. Ægid. consil. 10. num. 20. in fin. Paris. consil. 21. nu. 19. lib. 1. Aym. cons. 134. num. 44.* & fuit resolutum in causa Nolana beneficij 16. Decembris 1584. & in causa Elnen. Mineriorum 16. Decembris 1585. coram Orano, & cessat omnis difficultas, quia aduersus huiusmodi decreta Concilij non intrat regula de triennali, ita vt ex triennali pacifica possess. intret præsumptio dispensationis, vt censuit Congregatio Illustriss. Interpretum.

3 Denique non officit, quod de iure propter tenuitatem Parochialium plures possunt retineri, vt in *c. eam te. in fin. de ætat. & qual. ordin. c. vnio. 10. q. 3. Io. de Lignag. de plur. benef. numer. 1.* prout idem est propter penuniam sacerdotum *cap. 1. 21. q. 1. Io. de Lign. d. loco,* quæ paupertas debet, considerari secundum situm Ecclesiæ, & qualitatem personæ, vt per *gloss. in d. cap. 1. in verb. necessitatem.* Nam fuit instrumentum, quod predicta tenuitas redditus non probatur, & si probaretur non releuaret, quia data etiam tenuitate redditus, non propterea aliud incompatibile conferri potuit, iuxta claram dispositionem *Conc. Trid. sess. 24. c. 17. de reform.* & quod dicitur de penuria sacerdotum nõ probatur, nec potest probari in diœcesi Leodien. & si probaretur, non releuaret, quia non inde habenti Parochialem poterat conferri canonicatus in tit. sed quando propter penuriam sacerdotum potuisset dari etiam canonicatus, (quod tamen non firmarunt Domini) debuisset dari in commendam, quæ saperet procurationem ad beneplacitum Episcopi, ita vt obtinens non haberet *titul. iuxt. text. in cap. qui plures iuncta glos. 12. q. 1.*

REVERENDISSIMO P. DOMINO COCCINO DECANO.

Maceraten. Beneficij. Lunæ 5. Iulij 1610.

ARGVMENTVM.

Ius pattonatus probatur vel ex fundatione, vel constitutione, non autem per concessionem vnius petij terræ, nec per Episcopi concessionem.

SVMMARIVM.

Ius patronatus probatur ex fundatione, vel ex dotatione, vel constitutione, nu. 1.

Ius patronatus sine Episcopi consensu fundari non potest, num. 1. in fine.

Iuris patronatus potius benefactor, quam fundator dicitur is qui Ecclesiæ dotat vnam cannam terræ, nu. 1.

Episcopus non potest Ecclesiam ab initio liberam subijcere iuri patronatus, nu. 3.

DECISIO CCCXI.

1 DOmini censu erunt, non constare de iure patronatus Domini Valterij de Valterijs in Ecclesia de qua agitur, quia non docet de fundatione, vel constitutione, qui sunt modi, ex quibus ius patronatus de iure acquiritur *DD. in capit. 3. de iure patronatus, gloss. in capit. piæ mentis. 16. quæst. 7. Innoc. in Rubr. de iure patr. numer. 2. Abb. numer. 6. & consil. 54. num. 1. par. 1. & cons. 59. num. 2.* vbi, quod de iure non reperitur

tur alius modus expressus, *& consi.106. numer.1.part.2. Roch. de iure patr.in verb. pro eo. quæst.16.numer.34.& in verb. construxit. q.4. num.3. & seqq. Lambert.de iure patr. lib.1.part.1. q.2.art.2.nu.1.* & fuit sæpissime resolutum, vt in *decis.A.A.358. lib.3.* & quando concurrit vnus ex prædictis modis, ex quibus acquiritur ius patronatus, non sufficit, nisi etiam interueniat consensus ipsiusmet Episcopi, de quo hic non constat. *c.* nobis.de iure patronat. *Lambert. de iure patr. lib.1.part.1. quæst.2. art.3. num.1.*

2 Neque facit, quod D. Valerius præbuerit certam partem terreni pro ædificanda Ecclesia, quia de hoc non constat, immo ex fide, quæ datur, constat ipsum præbuisse tantum cannam vnam terreni, pro ampliori fabrica Ecclesiæ, quæ cum sit parui valoris, dicendum est potius ipsum fuisse benefactorem, quam fundi datorem, pro constructione Ecclesiæ. *Abb.in c.3.nu.10. de iure patronat. Lambert.de iure patr.lib.1.p.1.q.5.art.12.nu.2.& q.6.art.1. num.9.& 10.* & fuit dictum in causa Sutrina, prætensi iuris patron. 21. Aprilis. 1603. coram me.

3 Neque obstat, quod postmodum D.Episcopus concessit eidem Valerio ius patronatus, quia cum Ecclesia ab initio fuisset libera, non potuit Episcopus eam subijcere iur. patronat.alicuius, *Abb. consi. 106. num.4. p.2. Roch. de iure patron.in verb.pro eo.q.26.nu.34. Staphil. de lit.grat. tit.de iuris patronat.prorogat.num.3.& 4. Gigas. consi.48. num.21. & cons.49. num.36. Berous cons.4. nu.33. lib.1.* & fuit resolutum in Nolana beneficii. 29. Ianuarii. 1594. coram Illustriss. Arrigonio. & 16. Decembris 1594. coram Orano. & in causa Albanen.iur. patron. 11. Maii 1595. coram Reuerendiss. bon.mem. Decano. Et in causa Lunen. Sarzanen. beneficii. 5. Iulii 1599. coram Illustriss.Mellino. Et ita fuit resolutum vna tantum parte Informante non constare de iure patr.

REVERENDISSIMO P. DOM.

COCCINO DECANO.

Gerunden. Prioratus. Lunæ 5. Iulij. 1610.

ARGVMENTVM.

Immissio vt concedatur vigore gratiosæ subrogationis sufficit probare Clericatum, & mortem collitigantis respectiue. Mors autem censetur probata per vnum testem, iuncta fama, aut aliis coniecturis.

SVMMARIVM.

Beneficium litigiosum est reseruatum. nu.1.
Clericatus censetur probatus ex literis patentibus. num.1.
Mors censetur probata per vnum testem iuncta fama, & alijs coniecturis. num.1.

DECISIO CCCXII.

1 FVit resolutum Domino Don Petro dandam esse immissionem vigore subrogationis gratiosæ per eum obtentæ, quia cum Prioratus esset litigiosus, & sic reseruatus *c.1.& 2. vt lit. pend. in 6.* ei sufficit ad effectum immissionis secundum sententiam, quam Rota seruat, docere de suo clericatu, prout docet ex literis patentibus. *Felin.in c. post cessionem. num.3.& 15. de prob.* & de obitu in possess. prout etiam docet ex depositione vnius testis in Curia examinati, qui bene probat, quæ etiam coadiuuatur ex aliis testibus de publica voce, & fama, nec non & ex aliis articulis datis per contrariam partem, oritur ex dicto teste, & ex aliis coniecturis plena probatio. *Bal. in consi. 136. nu.fin.lib.2.& consi.3. in fin.lib.3.Late Decia. cons.92.nu.8. lib.2.* Nec visa fuerunt consideratione digna illa, quæ opponuntur contra istum testem, quia sunt sublata ex Breui Santissimi.

REVERENDISSIMO P. D.

COCCINO DECANO.

Valentina Parochialis de Palma. Lunæ 5. Iulij. 1610.

ARGVMENTVM.

Ex Summario sume argumentum.

SVMMARIVM.

Regula de Triennali non habet locum in beneficij vnitis, quæ non sunt amplius beneficia. num.1.

DECISIO CCCXIII.

1 CVm Parochialis, de qua agitur, fuisset tanquam vnita legitime præscripta, & propterea monasterium non potuerit illam renunciare absque beneplacito Apostolico iuxta resolutiones factas. Domini resoluerunt Ioanni Candel possessori non suffragari regulam de triennali, quia non habet locum in beneficijs vnitis, quæ non sunt amplius beneficia. *Sarnen. in reg.de trien.q.8. numer.2. Verall.decis.349. part.3.* & fuit pluries resolutum in Rota.

R. P. D. PIROVANO.

Romana Nullitatis Census. Lunæ 8. Nouemb. 1610.

ARGVMENTVM.

Præsumitur pro decreto iudicis requisito in contractibus mulierum ex forma statuti.

SVMMARIVM.

Contractus mulierum absque solennitatibus Statuti Vrbis c. 151. lib.1. sunt nulli. num.1.
Decretum iudicis habet præsumptionem pro se non solum quo ad solennitatem requisitam pro iustitia, sed etiam quo ad solennitatem requisitam pro validitate decreti. num.2.
Intentionis fundamentum debet ab allegante probari. nu.2.
Consanguineus, qui ex forma statuti debet interuenire in contractu mulieris, si sit præsens in Vrbe de tempore celebrati contractus, dicitur potuisse interuenire in contractu. num.3.
Affinitas per mortem vnius ex coniugibus dissoluitur. nu.4.
Statutum requirens proximiorum consensum in contractibus mulierum intelligitur de proximioribus, qui sunt tales tempore celebrati contractus, non autem de ijs, qui esse desierunt. num.5.

DECISIO CCCXIV.

1 DOmini approbarunt sententiam Rotalem, quia obiectus, qui pro parte D.Maroldi contra censUS validitatem opponitur, non videtur sufficienter probatus, nempe quod in huius census constitutione non interuenerint proximiores Statiliæ, licet in Vrbe reperiantur contra dispositionem *statuti Vrbis cap.151. lib. 1.* annullantis contractus mulierum sine huiusmodi solennitate.

2 Nam cum census fuerit per Statiliam constitutus cum decreto iudicis, & præsentia curatoris ad id specialiter constituti, satis de illius valitate constare dicitur, cum pro decreto iudicis præsumatur, nedum quo ad solennitatem requisitam pro iustitia. *Alex.cons.125.n.*

125.nu.5. lib.1.& consi.80.nu.5.lib.5.Menoch.de præsumpt. lib.2. præsumpt.75. num.5. sed etiam quo ad solennitatem requisitam ad validitatem decreti. *Alex. de præs. reg.3.præsumpt.9. & 14.* in princip. *Surd.cons.39. num.7. vol.1.* Et ideo volenti venire contra decretum incumbit onus manifeste probandi illius nullitatem tanquam fundamentum suæ intentionis. *l. nimis graue.C. de testib. l.qui accusare. C.de edend.l.si minorem.C.de in integr.restituen l.verius. ff.de probat.*

3 Quæ probatio non affertur, quia licet testes pro Maroldo dicant ad fuisse in Vrbe Antonium Gresolinum maritum Hortensiæ sororis Statiliæ & detur fides præsentiæ eiusdem Antonij, dum Notarius aЕ́ctuarius in ea attestatur eodem die 20. Februarij, quo instrumentum census celebratum fuit, eum coram Iudice Capitolino comparuisse, & consequenter contractui interuenire potuisse. *Castr. cons.124.dub.2.lib.1. Crauet. consil.80. num. 14.*

4 Tamen probatum non est, quod de dicto tempore Hortensia Statiliæ Soror viueret, prout requirebatur ad concludendam affinitatem, quę per mortem vnius ex coniugibus potuit esse disoluta. *l. cui eorum. §. affinitates.Vbi Bart. & Bald.ff.de postul.gl.in l.sed hoc. in verbo.succurrendum. ff. de re iudic. Tiraqu. tract.quod cessant. caus.par.1.nu.27.& 31. Rot. Perusin. decis.2. nu.17. par.1. Vrsill.ad Afflict.decis.46. num.14.*

5 Et certum est, quod tale statutum requirens proximiores intelligi debet de his, qui sunt tales de tempore celebrati contractus, non de illis, qui desierunt esse, dicto §. affinitatis. & probarunt *Castr.cons.249.num. 1.lib.2. Dec.cons.222. num.1.& seq. Tiraq. de retract.lign.§. 1.gl.9. num. 96.* atque ita, cessante præsupposito affinitatis contractum sustineri, fuit resolutum.

DECISIO CCCXV.

Acheruntina Archipresbyteratus. Lunæ 8. Nouembris 1610.

Impressa Apud Ludouisio.

DECISIO 482.

DECISIO CCCXVI.

Burgen. Reductionis Beneficiorum. Lunæ 15. Nouembris. 1610.

Impressa Apud Ludouisio.

DECISIO 483.

R. P. D. PIROVANO.

Romana Pecuniaria de Guicciardinis Veneris 19. Nouembris. 1610.

ARGVMENTVM.

Decisio est breuis, sed magistralis, & in ea magistraliter etiam declaratur an, & quando commissio fit communis ante executionem citationis ad dicendum contra.

SVMMARIVM.

Commissio non dicitur communis ante executionem citationis ad dicendum contra. num.1. & 2.

Commissio efficitur communis & ante citationem quando in commissione est consultum vtrique parti. num.2.

Rescripto velle vti non dicitur quis nisi fecerit citare partem ad dicendum contra. num.2.

Commissio quæ non tribuit nouam iurisdictionem, sed tantum iam datam iurisdictionem excitat, dicitur communis etiā ante Citationem. num.3.

DECISIO CCCXVII.

1 Commissionem non esse factam communem Domini censuerunt, quia impetrans ante exequutam citationem potest pænitere, nec aduersarius inuito impetrante potest ea vt. *Hostien. in c.ex conquestione col.2.in princ. vers.tu vero dicas Imol.post Innoc.& alios n.2. de restitut.spolia. Aretin. consil.33.n.3.vers.ad 3.Franc. in cap. interposita.§.ille denique. num.11.& 12. de appellat. Felin.in rubr.de rescript.n.3. post Bald. in l.1.C.vt lite pendent.* dicens communiorem opinionem, quam sæpius Rota tenuit, vt in Salamantina pensionis coram Bubalo, 13. Ianuarij 1584. & in Mutinen. Canonicatus 23. Iunij 1600. coram. bon.mem. Cardinale Pamphilio, & in vna Siracusana prima Decemb. 1603. & 26. Martij 1604. coram R.P.D. meo Ortembergo.

2 Nec placuerunt Dominis limitationes, quæ ex aduerso per Informantes deducebantur. Prima namque, quod conclusio non procedat, vbi non simpliciter fuit rescriptum circa instantiam, sed vlterius datum ius considerabile alteri parti, prout DD. Zattaræ, & Tucco ex ea commissione videtur concessum, dum Sanctissimus mandauit assecurari iudicium per DD. Guicciardinos eo casu videtur commissio facta communis, argumento *l.fi.C.de pact. Bald.in l.postquam liti.in fine.C.de pact. Felin.in rubr. de rescript.num.3.vers.fallit 1.* Quia pro responsione dicebant Domini in signatura Sanctissimi nihil additum fuisse, quod concernat ius alterius partis ad effectum, vt statim rescriptum efficiatur coe, nam illa verba assecurato iudicio hinc inde prout de iure, siue considerentur in vim conditionis, siue in vim modi, quia aut nihil ponant in esse ante deliberationem, vel sequuta deliberatione præscribant modum in agendo, semper pendent à preambula deliberatione impetrantis si velit vti rescripto, dicitur autem non aliter velle vti, quam si fecerit citare partem ad dicendum contra comissionem *Ægid. decis.456. Aretin. cons.33. num.3.* asserens eam requiri vltra præsentationem rescripti. *Imo. in cap. ex conquestione.nu.7.de restit.spoliat.Franc.in cap.interposito.§.ille.nu. 12. vers. cum ante citationem de appell.* & tenuit Rota in allegata Salamantina pensionis Coram Bubalo.

3 Secunda vero limitatio, dum distinguebatur inter commissionem, quæ infundit nouum habitum, & exercitium iurisdictionis, vt ante citationem communis non efficiatur, & eam, quæ simpliciter excitat iurisdictionem, prout in Auditoribus Rotæ qui habent iurisdictionem habitu, & per eum commissio reddatur communis secundum *Rot. de appellat. in non. decis.61. Felin.in dicta rubr. de rescript.nu.3. vers.hos quinque casus,* & hæc pariter non subsistit. Cum ab ea Rota recesserit, vt per *Mohed.decis. 4. de rescript. & Caput. decis. 178. incipit commissio obtenta. lib.1. in manuscript.* & pro impetrante sæpius Rota resoluit, vt in dictis Siracusana, Mutinen. & Salamantina allegatis, & in vna Burgen. coram ben.mem. Litta vltima Nouembris 1593. & in Calaguritana Canonicatus 29. Decembris 1593. coram Illustrissimo Blanchetto.

DECISIO CCCXVIII.

Leodien. Fideicommissi. Veneris 19. Nouembris. 1610.

Impressa Apud Caualerio.

DECISIO 125.

REVERENDISSIMO P. DOMINO MANZANEDO.

Maioricen. Beneficij. Mercurij 24. Nouemb. 1610.

ARGVMENTVM.

Præstatio patientiæ quando inducat sufficientem paritionem, & an expensæ contineantur in clausula parito Breui.

SVMMARIVM.

Paritio sufficiens inducitur per præstationem patientiæ præcipue vbi aduersarius acquisiuit possessionem. nu. 1.
Possessione priuatus à iudice vbi non habet se pro spoliato potest ratione ciuilis possessionis animo retentæ consequi manutentionem. num. 1.
Clausula parito Breui non continet expensas. num. 2.

DECISIO CCCXIX.

1 FVit visum Dominis sufficienter paritum fuisse per D. Antonium de Caldaz, & quo ad dimisionem possessionis constare videbatur de sufficienti paritione, cum Antonius ad præceptum sibi factum in exequutionem mandati, A.C, de possessione dimittenda pro responsione, dixerit se non teneri Possessionem Beneficij dimittere, sed tantum patientiam præstare, prout illam præstauit, & præstat, & hoc facere inhærendo decisionibus sacræ Rotæ, quæ patientiæ præstatio sufficit pro paritione, iuncta præcipue Acquisitione possessionis facta per D. Raphaelem, vt Rota censuit in vna Meliten. Beneficij. 10. Nouembris 1586. coram bon. mem. Seraphino, & in alia Boianen. Attentatorum 6. Martij 1595. coram bon. mem. Iusto, & in Vercellen. Canonicatus, 24. Martij 1597. coram D. meo Decano, & in vna Cæsaraugustana Canonicatus 28. Maij 1607. coram D. meo Sacrato, & vltimo loco in vna Tirasonen. Canonicatus. 15. Martij huius anni coram D. meo Pirouano. Quæ resolutio videtur optima ratione fulcita, cum quis non debeat astringi ad dimittendam possessionem, ex quo haberet se pro priuato, cum forsan iudex non rite, & recte procedit, quo casu, qui non habuit se pro spoliato posset ratione ciuilis possessionis animo retentę consequi manutentionem, & iam in naturali possessione, quo remedio priuaretur, si dimitteret possessionem. Vnde præstatio patientiæ præseruat dictum remedium, & operatur obedientiam, & paritionem mandati superioris, quod sufficit ex supradictis.

2 Quo vero ad fructus constat Vicarium Episcopi deputasse Oeconomum 18. Iulij 1608. pro illis recolligendis, qui fructus illius anni consignauit Procuratori D. Raphaelis. De expensis vero placuit Dominis, non esse habendam rationem, cum non contineantur sub clausula parito Breui, vt fuit sæpius resolutum, & signanter in vna Carthaginen. fructuum 28. Septembris 1586. coram bon. mem. Robusterio. & in alia Pampilonen. Beneficij. 28. Iunii 1587. coram Illustrissimo Blanchetto. & in alia Vrgellen. Iuris patronatus. decima Decembris 1607. coram D. meo Ludouisio.

R. P. D. PIROVANO.

Auximana Spolij. Veneris 3. Decemb. 1610.

ARGVMENTVM.

Fructus non debent restitui ab eo, qui non est malæ fidei possessor, & quando ad acquisitionem fructuum sufficiat bona fides deducta ex errore iuris, vel ex errore facti.

SVMMARIVM.

Fructus restituere non tenetur, qui non est malæ fidei possessor, siue possideat sine titulo, vel cum titulo inualido, dummodo absit mala fides, & sufficit qualis occasio possidendi. nu. 1.
Bona fides potest causari ex iniustis, & temerarijs titulis. num. 2.
Bona fides deducta ex errore iuris, licet non sufficiat ad præscriptionem dominij tamen ad acquisitionem fructuum sufficit. nu. 2.
Distingue inter errorem iuris, cui ius non resistit, & errorem, cui ius resistit. num. 4.
Aduerte, quod quando ius non resistit simpliciter, sed datur certa forma, tunc non est prohibita acquisitio fructuum. num. 4. & 5.
Bona fides positiua est exclusiua omnis ignorantiæ facti, & iuris. num. 2.
Medium datur inter bonam, & malam fidem. nu. 2.
Bona fide emisse dicitur, qui emit à falso curatore minoris, quem verum credebat. num. 3.
Bona minorum alienari non possunt propter legis resistentiam. num. 4.
Assertio viri legalis, & fide digni probat iustam causam credendi, ac bonam fidem. num. 5. vbi etiam ad effectum præscribendi.
Error iuris dicitur, quando quis credidit actum, qui fieri debebat cum solennitatibus, esse validum absque solennitatibus. num. 6.
Fructuum acquisitio non impeditur ex errore facti, etiam quando ius resistit. numero 6. Vbi etiam adducuntur exempla.
Fructuum liquidatio vbi illi sunt restituendi debet fieri iuxta minorem quantitatem. nu. 7.
Testi deponenti de facto proprio plurimum est credendum. numero 7.

DECISIO CCCXX.

PAulus Pinus, dum esset creditor Io. Baptistæ Ghirardelli occasione fructuum annui census Scutorum quinquaginta in concursu creditorum Ioannis Baptistæ, qui ære alieno grauatus decesserat, obtinuit sibi adiudicari possessionem censuatam pro sorte principali, Scutorum scilicet 500. & pro aliis censum ex causa fructuum, missusque in possessionem bonorum in ea perseuerauit pro tempore annorum decem, & septem, Verum Africanus, & Torquatus filii Ioannis Baptistæ obtinuerunt sententiam redintegratoriam, cuius vigore exinde Paulus fuit condemnatus ad fructuum restitutionem, à die per eum adeptæ possessionis cum liquidatione eorundem in certa summa. Causa postmodum per appellationem deuoluta, dubitaui, an sententia extra Rotam lata esset confirmanda, vel infirmanda, & infirmandam resolutum fuit.

1 Nam respectu restitutionis fructuum dicebant Domini non potuisse Paulum condemnari à die posses-sio-

sessiones per eum capte, quia ante litem motam non fuit malæ fidei possessor, & potuit fructus suos facere, nec eos restituere tenetur, *l.4. §. 1. ff. fin. regund. §. si quis a non Domino. Institut. de rer. diuis.* quod etiam dictum fuit procedere, quando Paulus possedisset sine titulo, vel cum titulo inualido, quia nihilominus fructus potuit lucrari pro cultura, & cura. *gloss. & Bart. in l. & ex diuerso, ff. de rei vendic. Specul. Io. Andr. in addit. & Bald. de fructibus, & interesse. §. 1. Curt. sen. cons. 72. num. 23. vers. secunda conclusio. Becc. cons. 95. nu. 11. Sequutus Curt. in d. cons. 72.* Nam ad acquisitionem fructuum titulus non requiritur modo absit mala fides. *l. quæsitum, in fin. ff. de acq. rer. domin. l. 4. §. lana. ff. de vsucap. Menoch. de recuper. remed. §. 15. nu. 593. Surd. consil. 115. numer. 4.* dicens, sufficere qualem quālem occasionem possidendi. *Bald. cons. 11. in fin. libr. 1. Osasc. dec. 160. nu. 7.* & horum ratio esse videtur, quia præsumuntur condonati propter curā solitudinē, & industriam in eis colligendis, vt animaduertunt. *Curt. in d. cons. 72. nu. 25.*

2 Vnde quamuis etiam accedat titulus inualidus, vel putatiuus, modo non reprobus, vt puta rei furtiuæ vel inuasæ, sed causatus ab errore iuris, vel facti, non oberit possessori ad conseruandam bonam fidē, quæ potest causari ex iniustis, & temerariis titulis, *l. sed & si lege. §. scire, ibi,* non hunc puto prædonem, qui dolo caret, licet erret in iure. *ff. de petit. hæredit. vbi Bar. Bald. & Angel. Alex. cons. 127. col. 3. lib. 4. Iason. cons. 72. col. 2. lib. 1. Gabr. lib. 7. de crim. concl. 8. Curt. iun. cons. 28. nu. 11.* Et quæ bona fides ex errore iuris deducta, etsi quo ad præscriptionem dominii, quando est maioris præiudicii, non sufficiat, tamen ad acquisitionem fructuum indistincte procedere voluerunt. *Bart. in d. l. sed si lege. §. scire, ff. de petit. hæred.* & plures alii, quos refert, & sequitur *decis. Pedemont. 160. num. 5. & vltra eos latissime. Becc. cons. 95. nu. 15. Menoch. de recup. remed. 15. nu. 630. Lambert. de statut. tit. de controuers. eor. qui sine certa solennit. glos. 1. num. 120. & 274. Surd. cons. 115. nu. 5. & seq. Felin. in c. de quarta, num. 31. versic. 3. restrictio. de præscript.* Dicentes, quamuis ex titulo inualido non inducatur bona fides positiua, quæ est exclusiua omnis ignorantiæ facti, & iuris, vt considerat *Osasc. d. dec. 160. num. 8.* non tamen causatur mala, quod sufficit, ne possessor dicatur in dolo, cum inter bonam, & malam fidem detur medium, vt dicit *Bart. in d. §. scire,* & sequuntur omnes supra relati Doctores, quibus accedunt *Ægid. in c. grauis, num. 40. de restit. spol. Cassad. decis. 6. num. 9. de præbend.* & fuit resolutum in Salamantina, dimidiæ Portionis 1. Aprilis 1591. coram bon. mem. Cardinali Pamphilio, tunc Rotæ Auditore.

3 Quod autem Paulus bona fide ante litem motam hos fructus perceperit, videtur probari ex eo, quod alienatio facta fuit de mandato iudicis, & bona aditate citato curatore dictorum Africani, & Torquati, tunc minorum, qui communiter credebatur talis & qui tanquam talis in iudicio comparuit, atque ita credidit alienationem solennem esse validam, & licet deceptus falso curatore auctore, adhuc non desinit dici bonæ fidei emptor, *l. quicumq; vbi est text. expressus in fin. ff. de publ. in rem act.*

4 Et quamuis *Bart. in d. l. sed si lege. §. scire, ff. de petit. hæred.* visus sit distinguere inter errorem iuris, cui ius non resistit, nec assistit, & errorem, cui ius resistit vt hoc posteriori casu titulus non prosit ad acquisitionem fructuum, quam Bart. distinctionem Doctores communiter videntur approbare, vt ex supra allegatis videre licet, & in his terminis forte dicatur nos versari, quia bona minorum fuerunt distracta *l. resistente, l. 1. in princ. ff. de reb. eor.* vbi expresse interdicitur, & prohibetur alienatio bonorum minoris. *Idem in l. si pupillus, eod. tit. & in l. non solum, C. de Præd. minor. & aliis ponderatis per Surd. d. cons. 115. nu. 22.* tamen multæ afferebantur responsiones scilicet, quia non est absolutè prohibita alienatio bonorum minoris, sed datur certa forma seruanda, vbi alienentur, & tunc quamuis ius resistere videatur, non tamen impeditur acquisitio fructuum, secundum, *gl. fin. in l. 2. C. si quis ignor. rem. minor.* quæ loquitur præcisè in rebus minorum sine solennitatibus alienatis, quam sequuntur *Alex. & Crott. in l. 1. §. si vir vxori. nu. 15. ff. de acquir. possess. & alii plures relati per Osasc. decision. 160. num. 9. Becc. cons. 95. num. 15. versic. secundo, suffragatur. Curt. d. consil. 72. num. 52. Vasq. contr. illust. lib. 1. cap. 81. num. 8.*

5 Nec rationes *Surd. in d. consil. 115. num. 24. & 27.* ex quibus visus est contrarium consulere, prædictam distinctionem destruunt, quia in Paulo non solum videtur concurrere bona fides priuatiue scilicet, quod absit præsidia, & mala fides, sed etiam positiue prout desiderat *Surd. dict. consil. 115. sub num. 25. dicens Glos. illam in l. 2. ita intellexisse. Alex. in leg. 1. §. vir. nu. 13. ff. de acq. possess. & alios relatos, per Lambert. de statut. Comen. de contract. eor. qui sine certo solennit. n. 114. & 124.* Credidit enim viro legali, & fide digno asserenti se curatorem, cuius dictum maxime calore iudicii comprobatum, præbuit iustam causam credendi, & bone fidei. *gl. in l. Titio, fundus,* quæ hoc bene probat. *ff. de condit. & demonst. & eam pro notabili commendarunt. Crauett. cons. 277. col. 3. ver. quod aute. Tiraq. de pæn. l. caus. n. 26. 27. & 35. Neuizan. lib. 4. Sylu. nuptial. nu. 55. Curt. iun. cons. 19. nu. 5. Menoch. cons. 1. nu. 98. & ad terminos nostros Bald. in l. iudicia. C. de rei vendic. Anton. de Butr. in c. si diligenti. extra, de præscript. Curt. sen. dict. cons. 72. num. 54.* inferentes sufficere etiam ad præscribendum, quamuis maioris præiudicii, & difficilius inducatur. Et his accedit veritas, & iustitia causæ adiudicationis bonorum, cum Paulus esset vere Dominus census, & creditor Scutorum centum, quæ magis etiam videtur firmare bonam fidem.

6 Rursus in occurrenti casu, cum non agatur de titulo inualido ex errore iuris causato, credendo adiudicationem non solennem esse validam, qui proprie dicitur error iuris, secundum *Felin. in c. de 4. nu. 25. de præscrip.* sed de errore facti, quia Paulus credidit adiudicationem solennem cum præsentia curatoris, & decreto iudicis non impeditur acquisitio fructuum iure etiam resistente, *gl. singularis in l. quicunque in fin. de Publ. in rem act.* ex illo textu, qui bene probat, deceptum falso tutore auctore bona fide emisse videri, *& Ang. ibid. notat illam gl. quam exinde sequuti sunt. Curt. sen. cons. 72. nu. 33. & 52. Osasc. dec. 160. nu. 9. Felin. in c. de 4. nu. 25. de præscript.* hoc modo conciliando *d. Innoc. Card. & Anchar. & Imol. in c. si quis presbyterorum, de reb. eccl. non alien.* excusantium emptorem bonorum rei ecclesiasticę à restitutione fructuum, quando contractus resolueretur non seruatas solennitates.

7 Respectu autem liquidationis fructuum nō etiam visa est posse sustineri, quia dantur testes pro Africano, & Torquato examinati de minori quantitate fructuum perceptorum deponentes, iuxta quam facienda erat liquidatio secundum opinionem. *Imol. in l. inter pares, nu. 2. & ibi Alex. nu. 10. ff. de re iud. Bald. in l. fin. §. 1. de l. 2. & in l. cum furti. de in litem. iuran. Innoc. in c. si oporteat. in fine. de accusat. Specul. in tit. de testib. §. postquam vers. quid si plures,* & maxime, quia inter eos aderat depositio coloni partiarii, cui tanquam deponenti de facto proprio plurimum erat tribuendum. *Alex. cons. 70. nu. 11. vol. 3. Io. Andr. in addit. ad Specul. tit. de testib. §. 1. vers. sed pone quod Salic. in leg. omnibus, num. 6. Cod. de testib.* Atque ita Domino Paulo solo informante fuit resolutum.

DECISIO CCCXXI.

Sabinen. Alluuionis. Mercurij 15. Decembris 1610.

Impressa Apud Ludouisio.

DECISIO 487.

R. P. D. MANZANEDO.

Romana Affictus. Veneris 20. Decembris 1610.

ARGVMENTVM.

De Prelatione creditorum nonnulla notanda, de quibus in Summario.

SVMMARIVM.

Creditor ex Hypotheca instrumentali, & Camerali obligatione præferri debet creditori chirographario. nu.2.

Creditor in tempore anterior præferendus est posteriori creditori. nu. 2. in fine.

Iudicis factum reputatur factum partis. nu.3.

Rescriptum Papæ semper intelligendum est cum iustitia, & saluo iure tertij. nu.4.

Creditor iuri suo, quod præiudicare voluerit, non est præsumendum. nu.4. in fine.

DECISIO CCCXXII.

1 DVbitaui 15. Iunii 1609. An sublocatio, seu consignatio tenutæ esset pariter debita Marco Antonio Trabucco, ita vt Dominus Vincentius teneretur illi restituere fructus, & lucra dictæ tenutæ, & vtraque parte informante Domini dixerunt, quod satisfacto Domino Vincentio de suo credito, & expensis, & affectu, de reliquo satisfieret Trabucco, ad quem effectum eligeretur deritus, qui postea fuit electus, & relationem in actis dedit, qua præmissa dubitaui 2. Iunii præsentis anni, an Dominus Vincentius esset satisfactus de suo credito, expensis, & affictu, ita vt intraret iuxta primam resolutionem Rotæ satisfactio fienda Trabucco, sed quia dicta relatio periti fuit tunc visa aliquo modo confusa, fuit resolutio dilata, & per eundem peritum dicta relaxatione postea magis stricte, & distincte facta, iterum super eodem dubio fuit causa reproposita decima istius Mensis, & tunc quia constabat, Dominum Vincentium esse creditorem Annibalis Picirelli in Scutis 882. contra quod creditum per Trabuccum opponebatur de anterioritate, & potioritate sui crediti, quæ tamen pro parte Domini Vincentii dicebatur non attendend. stante commissione Sanctissimi directa Auditori Cameræ, ex qua prætendebat desumere anterioritatem supradicti sui crediti. Item & in dicta relatione periti fiebat mentio de tribus partitis quarumdam expensarum, quas Dominus Vincentius contendebat sibi excomputan. Prima Scutorum centum pro expensis minutis factis in scripturis Notariorum, & peritorum. Secunda vero Scutorum 225. pro prouisione Scutorum sexaginta annuorum, vnius Procuratoris, pro defendendis litibus in administratione huius Tenutæ motis per spacium quatuor annorum Tertia autem Scutorum 240. pro pensione vnius administrationis huius affictus pro eisdem quatuor annis, quæ valide impugnabantur per Trabuccum: Vnde Domini dixerunt, quod videretur, an prædictæ expensæ iustificarentur, & an Dominus Vincentius pro dicto suo credito Scutorum 882. contra Annibalem esset præferendus anterioribus creditorib. Quod dubio hodie proposito Domini censuere, non esse præferendum Dominum Vincentium in dicto credito, nec prædictas expensas esse iustificatas.

2 Et quo ad creditum ex eo mouebantur, quia partim erat chirographarium, nempe quo ad Scuta 582. creditum autem Trabucchi instrumentale cum hypotheca, & obligatione Camerali, & sic illi præferendum. *l. scripturas. C. qui potior in pign. habeantur Neguzan. de pign. 5. par. 2. memb nu. 47. Couar. pract. cap. 22. nu. 5. Gabr. de probat. concl. 10. num. 1 Verall. dec. 112. par. 3.* Quo vero ad Scuta 300. ex mutuo quamuis de illo appareat per Instrumentum, est tamen anterius tempore creditum Trabucchi, & sic præferendum ad *text. in leg. potior. in princ. C. qui potior. in pign. habeant. reg. qui prior. de reg. iur. in 6. cum vulg.*

3 Nec supradictis obstare videtur cõmissio Sanctissimi, qua præcipue Dominus Vincentius nitebatur, & quæ emanauit nomine omnium creditorum ad effectum consequendi vtilitatem prouenturam ex ista Tenuta soluto illius affictu. Nam vt in prima illius parte apparet obtenta expresse ad effectum satisfaciendi creditoribus iuxta illorum anterioritatem, & potioritatem, ex quibus res transit sine difficultate. Si vero attendatur, secunda illius pars ibi, vel si magis placet, committatur Auditori Cameræ, qui præfigat terminum creditoribus ad reluendum, data tamen cautione per eos de conseruando indemnem Io. Thomam. Ex quibus videtur, quod non possint gaudere beneficio dictæ commissionis, & vtilitate affictus, qui non cauerunt de conseruando indemnem Ioan. Thomam, secus vero Dominus Vincentius, & Trabuccus, qui soli dictam cautionem præstiterunt, cauentes enim tantum fuerunt subrogati in locum Io. Thomæ, & sic illi tantum, qui cauendo senserunt incommodum, sentire debent & commodum, præcipue cum iudicis factum reputetur factum partis. *leg. si ob causam. C. de euiction. Mandel. consi. 355. nu. 23.* & in terminis adiudicationis bonorum. *Surd. cons. 374. nu. 9. lib. 3. & cons. 36. nu. 16. & 17. lib. 1.*

4 Nec facit, quod Dominus Vincentius solus liberauerit Ioan. Thomam à molestijs, cum iuxta formam commissionis Trabuccus cautionem præstiterit, & ad aliud non teneretur, qua cautione stante potuisset Dominus Vincentius Trabuccum compellere, vt cum concurreret in liberationem molestiarum Io. Thomæ factarum, quod cum non fecerit, sed voluntarie solus hoc onus soluendi subierit sibi imputandum videtur, non vero Trabucco, per quem nullatenus stetit, quo minus adimpleuerit contenta in commissione. Quæ magis procedunt, cum hoc beneficii prælationis habeant creditores anteriores, & potiores de iure communi. Vnde non est dicendum, fuisse illis sublatum per Papam *Caput aq. dec. 280. nu. 4. par. 3.* cum rescriptum semper intelligatur cum iustitia, & saluo iure tertij. *cap. quamuis. de rescript. in 6. Felin. in cap. causam quæ. de rescript. nu. 10. Crescen. dec. 5. num. 1. de concess. præbend.* Vltra quod cum creditores impetrando istam commissionem voluerint sibi ipsis, & satisfactioni eorum crediti consulere, non est verisimile aliquo modo sibi præiudicare voluisse, quo ad anterioritatem, & potioritatem: Vnde in dubio fieri debet interpretatio ad fauorem creditorum. *Caput aq. decis. 121. nu. 3. par. 3.*

5 Minus facit, quod Rota dixerit, quod satisfacto Domino Vincentio de suo credito, de reliquo satisfieret Trabucco, hoc enim intelligitur de credito prout de iure, & iuxta mentem, & dispositionem commissionis, quibus Rota semper censuit se conformare. Quo vero ad supradictas expensarum tres partitas Domi-

Dominis fuit visum, non esse iustificatas, cum nec de illarum iustificatione doceatur, nec peritus in sua relatione illas admiserit. Ex quibus sic resolutum fuit.

REVERENDISSIMO P. DOMINO MANZANEDO.

Vicen. Parochialis Castri Tertioli. Veneris 14. Ianuarij 1611.

ARGVMENTVM.

Negatiua non facti concursus an sit probanda per impetrantem, & ex quibus dicatur probata, & plures adducuntur casus, in quibus constitutio Pij V. super collatione Parochialium, & concursu non habet locum.

SVMMARIVM.

Negatiua in qua consistit fundamentum intentionis est per allegantem probanda, numer. 1. Vbi de negatiua non facti concursus.

Tempus sex mensium datum Ordinarijs ad faciendum concursum Parochialium iuxt. constitut. Pij V. incipit currere à die, quo ordinarius sciuit, vel scire debuit vacationem, nu. 2.

Testis deponens per verbum puto non probat, num. 3.

Testis deponens se non audiuisse non excludit, qui in alij potuerint audire, nu. 3.

Fides extracta lite pendente non probat. num. 4.

Diligentiæ, quæ fiunt in Curia, vt sint validæ, deputantur duo Officiales, qui referunt medio iuramento, & pars debet citari ad videndum fieri diligentias, & relationem, num. 4. vbi quod idem est seruandum in diligentijs, quæ fiunt extra Curiam.

Negatiua non probatur ex diligentijs, quando potuit res de qua quæritur alibi annotari, num. 4.

Collatio beneficijs potest fieri, etiamsi alius sit in possessione illius, licet non possit possessor remoueri absque citatione, num. 5.

Constitutio Pij V. super collatione parochialium, & concursu non habet locum quo ad parochiales regulares, numero 6.

Sæcularizatio beneficiorum regularium Ordinis S. Augustini facta per Clementem VIII. non extinxit potestatem conferendi, & iurisdictionem competere abbatibus, dicti Ordinis, nu. 7.

Constitutio Pij V. super collatione Parochialium, & concursum non habet locum in parochialibus, quarum collatio spectat ad Papam, nu. 7.

Ordinarius nec alius inferior potest se intromittere in beneficijs reseruatis, nu. 7.

Constitutio Pii V. super collatione Parochialium & concursu non habet locum in Parochiali vnita dignitate, num. 8.

DECISIO CCCXXIII.

1 Gratia Domini Honuphrij visa fuit Dominis, non iustificata, quo ad narratiuam reseruationis ob non seruatam formam Constitutionis sanctæ mem. Pij V. Nam cum præcipuum fundamentum istius reseruationis consistat in prædicta negatiua, illa est concludenter probanda per Honuphrium, iuxta *glos. in l. 2. de probat. Bart. in l. in illa, nu. 3. de verb. oblig. Anch. consil. 254. numer. 3. & est communis ex adductis per Gabr. tit. de probat. concl. 6. Paris. pluribus relat. de resignat. libr. 11. quæst. 14. nu. 9.* & in terminis de impetrantibus iuxta Const. fel. record. Pij V. ob non factum concursum, fuit decisum coram Orano in vna Salamantina Parochialis 21. Iunij 1593. & in Cæsaraugustam Parochialis de Mellelia coram bon. mem. Cardinali Pamphilio 8. Nouembris 1599. sed sic est, quod prædicta negatiua non probatur. Opus enim erat ad illius, & sic istius gratiæ iustificationem duo probare, alterum, quod de tempore impetrationis huius Parochialis adhuc vacaret, cum narratum fuerit, etiam de præsenti vacare, alterum vero non obseruantia dictæ Constitutionis, vt fuit dictum in eadem Cæsaraugustana de Mellelia.

2 Et quo ad primum nulla omnino super hoc articulo datur probatio. Quo ad secundum vero Honophrius duos testes induxit ad probandum Episcopũ intra sex menses à die vacationis per obitum Gabrielis non fecisse concursum de dicta Parochiali, nec illam contulisse, quod nequaquam testes probare videntur, Primus enim deponit, ego scio, quod Ordinarius Vicen. non contulit Ecclesiam Parochialem Castri Tertioli intra sex menses, post obitũ Gabrielis, nec minus existimo, quod vsque in hodiernam diem illam contulerit, in qua depositione inspectis sex primis mensibus, in quibus deponit de sua sciẽtia, non deponit testis, quod Episcopus habuerit scietiam dictæ vacationis, nec hoc alibi probatur. Sed sic est, quod sex menses assignati Ordinarijs collatoribus in dicta constitutione Pij V. ad conferendum incipiunt currere à die, à quo Ordinarius sciuit, vel scire debuit vacationem. *Late Rebuff. in prax. tit. de deuolut. numer. 10. Rot. decision. 481. part. 1.* qui autem se fundat in notitia Ordinarij, & illam allegat, debet illam probare, *Milis in verb. patronatus vers. patronatus intra quadrimestre. Rebuff. vbi supra n. 12.*

3 Quia vt & dicti sex primi menses inciperent currere, oporteret probare, quod ipsamet die vacationis Ordinarius habuerit de illa notitiam, quod nullatenus probatur, & potius videtur probari ignorantia Ordinarij, de dicta vacatione, cum Gabriel per cuius obitum vacatio contingit, non obierit in Diœcesi Vicen. sed in quodam loco Diœcesis Barchinonen. Quatenus autem iste testis deponit, nec minus putare, quidam Ordinarius istam Ecclesiam contulerit vsque in hodiernam diem, certum est istam probationem per verbum puto non releuare. *Alex. cons. 91. nu. 5 lib. 6. Dec. cons. 14. nu. 21. & lib. 2. & cons. 62. nu. 11. libr. 3.* Secundus vero testis minus probare videtur, cum deponat per hæc verba; Ego nunquam audiui, quod Episcopus Vicen. contulerit dictam Parochialem infra sex menses nec minus audiui quod illã contulerit vsq; in hodiernam diem, etenim si iste testis prædicta non audiuit, non sequitur, quod alij non audiuerint, vel quod prouisio fieri non potuisset.

4 Vlterius Honuphrius pro eadẽ iustificatione produxit fidem Notarij Actuarij attestantis, quod in libris Episcopatus nõ reperitur, adnotatus concursus de ista Ecclesia, cui tamen Domini censuerunt fidẽ adhibendam non esse. Fuit enim data lite pendente in Rota, & prout in diligentijs, quæ fiunt in Curia deputantur duo Officiales, qui referre debent medio iuramento, & pars citari debet ad videndum fieri diligentiarum, relationem, & alias non tenet, vt per *Veral. dec. 265. par. 1.* Videtur quod etiam in partibus pro dicto concursu reperiendo in dictis libris pars esset citanda, & à Notario referenti præstandum iuramentum, quæ cum fuerint omissa, videtur quod dicti Notarij relationi non sit standum, vltra quod videbatur non esse necessario describendam in dictis libris ad notationem concursus, & cum potuerit non adnotari, ista fides non probat per necesse. Sufficit enim aliquid esse possibile, vt probatio non concludat. *Castrens. in leg. pen. §. docere. numero quarto. ff. ne quis eum, qui in ius vocatus. Dec. consil. trigesimoseptimo, numero nono, versicul. præterea etiam si de dominio.*

4 Nec minus prædicta probatio elicitur ex actibus consideratis circa possessionem Capituli probatã in

P 2 deci-

decisione coram me, in ista causa facta. 16. Nouembris 1609. Capitulum enim accepit possessionem post annum à die vacationis huius Ecclesiæ, & sic fieri potuit concursus, & prouisio ante Capituli possessioné quia & postea illo possidente etiam de facto, non impediebatur enim Episcopus facere concursum de ista Ecclesia, & de illa prouidere, etiam Capitulo possidéte, & non citato, quamuis non possit possessorem remouere, nisi præuia citatione. *cap. licet Episcopus, & ibi glos. in ver. conferre. de præben. in 6.* Nec etiam facit, quod Episcopus approbauerit Vicarios deputatos à Capitulo. Nam istæ approbationes non excludunt possibilitatem concursus, & prouisionis antecedentis, cum factæ sint post plures annos à tempore vacationis, & à diuersis Episcopis, de tempore enim obitus Gabrielis erat Episcopus Don Petrus Iayme, & postea successit Don Ioannes Villa, & successiue Don Franciscus Robusterius. Vnde istæ æquiuocæ probationes, & allegationes non satisfaciunt concludenti probationi requisitæ in hoc casu.

6 Tum etiam Domini mouebantur ex eo, quod ista Præpositura sancti Fructuosi sit regularis Monasterij B. Mariæ de Stagno Canonicorum Regularium Sancti Augustini, prout probatur ex donatione de illa facta dicto Monasterio per Episcopum Vicen. de anno 1204. quæ sortita fuit effectum, cum Abbas dicti Monasterij illam contulerit Canonico eiusdem Monasterij, & Episcopus Vicen. Iure deuoluto, alium Monachum de illa prouidit, quod confirmatur, ex quo pluries fuit data in Commendam Clericis sæcularibus vnde intrat conclusio, quod Parochialis regularibus non comprehenditur sub dicta Constitutione Pij V. nec in illa habet locum concursus, vt censuit sacra Congregatio Interpretum sacri Concilij Tridentini, quam refert *Moder. super reg. 8. gl. 6. num. 162. vers. 12. & vltimo.*

7 Quibus non obstat extinctio Ordinis Regularium Sancti Augustini in Principatu Cathaloniæ, & sæcularizatio omnium Beneficiorum dicti Ordinis facta per fel. recor. Clementem VIII. quia non ex eo sequitur extinxisse Iurisdictiones, & potestatem conferendi, quam habeant dicti Abbates, & sic posse conferre ista Beneficia olim regularia, etiam si hodie reperiantur sæcularia, vltra quod idem Clemens Octauus in dicta sæcularizatione reseruauit in perpetuum sibi, & sanctæ Sedis dispositioni duntaxat prædicta Beneficia, tam tunc vacantia, quam deinceps vacatura, ac illorum proprietatem, & dominium. Vnde nullus inferior ordinarius poterat istam Præposituram prouidere, nec ratione illius concursum facere, *ad tex. in cap. vt nostram. de appell. & cap. si eo tempore. de elect. in 6.*

8 Sed quia Honuphrius admisit prædicta respectu Præposituræ olim regularis, hodie vero iam sæcularis, negat autem idem esse dicendum de Parochiali, quam impetrauit, quasi non sint Parochialis, & Præpositura vnitæ. Vnde licet verum sit, quod idem fel. recor. Clemens VIII. Præposituram istam vniuerit cum annexis suis mensæ Capitulari Vicen. prout de vnione constat in literis Apostolicis, difficultas est, an ipsa Parochialis sit vnita Præposituræ, de quo tamen particulariter est videndum, quamuis Domini valde inclinabant pro vnione, vel quod Præpositura, & Parochialis sint vnum, & idem Beneficium, ex datis per Capitulum in suo Summario, vbi dantur plures actus, in quibus tam summus Pontifex, quam Ordinarius Vicen. enunciant istam Ecclesiam Parochialem Præposituræ de Castel Tertioli, & ipsi Præposituræ animarum curam imminere, & non datur aliqua prouisio simpliciter facta de Ecclesia Parochiali, attamen cum præsupposito, quod Parochialis, & Præpositura sint vnum tantum Beneficium, aut alterum alteri vnitum, intrare dicebant Domini aliam conclusionem nempe quod Parochialis vnita dignitati non subsit dispositioni Concilij Tridentini. sess. 24. c. 18. nec concursui, vt censuit eadem sacra Congregatio, & refert idem *Modern. super dicta reg. 8. gl. 5. §. 7. nu. 13.* Ex quibus sic fuit conclusum.

DECISIO CCCXXIV.

Fanen. Saluiani interdicti. Veneris 14. Ianuarij 1611.

Impressa Apud Ludouisio.

DECISIO 491.

R. P. D. MANZANEDO.

Regien. Pratensi Spolij. Lunæ 24. Ianuarij 1611.

ARGVMENTVM.

In beneficijs amouibilibus, & manualibus, non conceditur restitutio, nisi amotio facta sit ab extraneis.

SVMMARIVM.

Restitutio non datur in beneficio amouibili, seu manuali, num. 1.

Causa non est necessaria ad amouendum aliquem a beneficio amouibili, cessante tamen odio, & malitia. nu. 2.

Restitutio etiam in manualibus competit, quando constat, quod quis non fuit amotus ab iis, qui amotum præsentauerunt, vel a suis legitimis successoribus. nu. 3.

DECISIO CCCXXV.

1 FVit resolutum D. Darium esse redintegrandum, De primo enim, & secundo extremo necessario ad obtinendum in spolio, nec Domini dubitarunt, nec inter partes controuertebatur, tota tamen vis fiebat in eo, quod cum simus in beneficio ad nutum amouibili, & sic manuali non detur restitutio, *iuxta dec. primam. de restit. spoliat. in antiq. Rebuff. de pacific. possessor. nu. 273.* vnde *Doct.*

2 Controuertebatur tamen, an esset necessaria causa ad amouendum etiam in manualibus. Et pro vtraque parte adducebantur rationes, & DD. de quibus late per *Ioan. Andr. in cap. cum singula. num. 1. & 2. de præben. in 6. & ibi Franch. num. 5. & per Cardinal. in Clem. 1. §. præmissis num. 4. de supplend. neglig. prælat. & per Rot. 778. part. 1. diuers. & per Rebuff. vbi supra. num. 229.* & in vna Pacen. Cappellaniarum. 22. Iunii 1609. coram R. P. D. meo Caualerio. In qua quæstione Rota sentit pro non necessitate causæ, cessante tamen odio, seu malitia in amouente, vt in supradictis decisionibus, & in alia Burgen. Amotionis Magistri Cappellæ. 11. Decembris 1581. coram Illustrissimo Blanchetto per doctrinam *Cardin. vbi supra d. num. 4. vers. ego puto. & ibi Imol. post Butr. num. 4. & Franch. vbi supra. nu. 1. Selu. de benefic. par. 3. q. 68. Rebuff. vbi supra. d. nu. 275.*

3 Malitiam autem in amotione Darij vnus ex Dominis eliciebat ex eo, quod Darius sit sacerdos senex, & per annos plus quam 30. inseruierit isti Ecclesiæ, & nunc sine causa fuerit expulsus, sed quod præcipue Dominos mouit, fuit, quia non constat, quod Darius fuerit amotus ab illis, qui eum præsentarunt, nec ab aliis legitimis eorum successoribus. Vnde censetur amotus

amotus ab extraneis, quo casu etiam in manualibus competit restitutio, vt in dicta *dec.1. ante numer. 2. de restit. spoliat. in antiquis*. Et sic Darium redintegrandum censuerunt.

R. P. D. PIROVANO.

Romana Participationis Affictus Veneris 28. Ianuarij 1611.

ARGVMENTVM.

Assecuratio iudicij an sit facienda per hæredem cum beneficio legis, & inuentarij, & plura alia deducuntur circa huiusmodi assecurationem.

SVMMARIVM.

Inuentarij beneficium fuit introductum, vt hæres excusaretur ab obligationibus hæreditarijs, & ne teneretur vltra vires hæreditarias, & præsentarentur hæredis bona, ne sequatur, immixtio, & hæres, prout quilibet creditor, potest petere creditum suum iure separationis, num.1.

Heres cum beneficio legis, & inuentarij assecurare iudicium non tenetur nu.1.

Sequestro est locus post latam sententiam ad fauorem actoris præsumptione, quæ oritur ex sententia, nu.2.

Declara id non procedere indistincte, sed quatuor concurrentibus, de quibus remissiue, num.3.

Assecurare iudicium non tenetur reus de consuetudine, quicquid sit de rigore. num.4.

Assecurare iudicium non tenetur reus, qui habet sententiam pro se. num.5.

Assecurare iudicium actor non tenetur, nu.5.

Arbitrium debet à iure regulari, nu.6.

Assecurationi iudicij non est locus, vbi pars post contractum non fuit effecta deterioris. nu.6.

DECISIO CCCXXVI.

CVm ex contractu conductionis bonorũ Sanctæ Floræ, in quo D. Philippus Guicciardinus pro duabus partibus ex tribus erat particeps D. Pompilius de Cupis pro alia tertià Dominus, & generalis totius Affictus administrator, orta esset controuersia super de lucro prædictæ negotiationis. D. Philippus iudicio petitorum iudicialiter electorum, fuit declaratus debitor D. Pompilij in summa Scutorum viginti septem milliũ, & triginta quinq; baiocchorum octuaginta nouem, cum vno tertio baiochi, quorum iudicium, & relationem sequendo R. P. D. Gambara relaxauit mandatum executiuum contra bona hæreditaria D. Philippi pro supra dicta summa Scutorum viginti septem millium, & triginta quinq; baiocchorum octuaginta nouẽ, cũ vno tertio baiocchi. Causa postmodum à dicto decreto per appellationem ad Rotam deuoluta, cum clausula assecurato iudicio hinc inde arbitrio Rotæ, dubitaui, an intret arbitrium, & Domini censuerunt non intrare.

1 Nam quo ad Dominos Guicciardinos, qui hæredes sunt cum beneficio legis, non videntur cogendi quia beneficium inuentarij fuit introductum, vt heres excusaretur ab obligationibus hæreditarijs, & ne teneretur vltra vires hæreditatis, *l. fin. §. in computatione, & in §. etsi præfatam, vbi Doctores, & signanter Ias. in 1. col. in 4. vtilitate. C. de iure deliber. Roman. cons. 18. n. 4. Pinel. in l. 1. par. 3. num. 81. in 2. ampl. C. de bon. mater. Bertr. cons. 76. n. 3. vol. 4. Surd. dec. 255. nu. 13.* adeo quod præseruantur hæredis bona, ne sequatur immixtio. *gl. in l. 1. §. sed si quis suspectam, ff. de separat. Phanuc. tractat. de inuent. par. 5. num. 19.* & prout quilibet creditor potest petere creditum suum iure separationis. *Bald. in l. debitori, col. 2. vers. tertio considero. C. de pact. & in d. l. fin. §. in computat. num. 3. vers. venio ad oppositiones, C. de iur. deliber. Castrens. in l. quoniam in prioribus in fine. C. de inofficioso testam.* & in proprijs terminis, quod non teneantur tradit *Sebast. Montic. de inuent. cap. 9. num. 59.* quia hoc esset affirmare, quod hæredes teneantur vltra vires hæreditarias, & ex propria persona contra casum legis.

2 Si vero alia ratione assecuratio petatur, scilicet per viam sequestrationis effectum, ne exigantur, consumantur, vel occultentur, quia de iure lata sententia ad fauorem actoris, prout contigit in occurrenti casu bona debeant sequestrari, vel cautio præstari. *c. fin. de sequestr. possess. & fruct. c. quoties, il secondo, 2. q. 6.* propter presumptionem sententie, vt considerant *Io. Andr. in d. c. fin. nu. 4. Abb. nu. 5. & 6.*

3 Et hoc etiam casu fuit dictum indistincte procedendum non esse ad sequestrum, sed quatuor concurrentibus, quorum præcipuum est, quando apparet de dilapidatione, aut consumptione secundum terminos, *l. Imperatores, §. fin. ff. de appell. l. si cum dotem, §. sin autem, ff. soluto matrimonio, & in l. Senatuscons. ff. de offic. Præsid. Guido Papæ quæst. 246.* omnia requisita commemorans. *Mynsing. sing. obseru. centuria 2. obseruation. 11. And. Gail. pract. obser. lib. 2. obser. 147. nu. 4. & 148. nu. 7. sequuti Guido Papæ in d. q. 246.* quæ dilapidatio, aut consumptio, cum hodie probata non sit à sequestro videtur esse abstinendum.

4 Sed præterea dicebant Domini, quod quicquid sit de rigore, tamen de consuetudine reus adstringi non potest ad assecurandum iudicium. *gloss. & Doct. in §. 1. instit. de satisd.* & ita tenuerunt in vna Neapolitana Pecuniariæ, 9. Ianuarij 1610. coram Domino meo Coccino, in qua aliæ recensentur, & signanter Romana Palatij 20. Maij 1588. coram Cardinali Blanchetto, vbi dicitur, quod huiusmodi cautio recessit ab aula.

5 Quo vero ad D. Pompilium eo minus dixerunt Domini intrare arbitrium. Nam si iudicetur, vt reus quia forte conueniri possit, tanquam debitor ex sua administratione, & tunc iuuatur presumptione sentẽtiæ ad eius fauorem latæ, ne panda sit cautio, prout nec datur in causa principali. *Salicet. in l. vnica, nu. 3. vers. & non distinguit, C. de probib. execut. sequestr. Curt. de sequestr. nu. 8. cons. 163. nu. 1. vol. 6. Gail. pract. obseru. 147. nu. 6.* Si vero pro actore habeatur, & tunc iudicij assecuratio necessaria non est, quia cessat timor dilapidationis, & DD. Guicciardinis sufficit solui à petitis per D. Pompilium actorem.

6 Et ita DD. censuerunt regulando arbitrium de iure, prout conuenit, *Cæsar de Grassis dec. 7. nu. 8. & dec. 8. num. 2. de re iudicat. Paris. cons. 8. nu. 21. lib. 8.* maxime quia DD. Guicciardini à die aditæ hæreditatis, & D. Põpilius à die cõtractus effecti nõ sũt deterioris, cõditionis, vt propterea aliqua æquitate suadente recedẽdũ videatur à iuris dispositione, vt fuit cõsideratum coram D. meo Pegna Decano in vna Veneta Pecuniariæ, 17. Ianuarij 1605. & iterum in allegata pecuniaria in fine, coram Domino meo Coccino.

REVERENDISSIMO P. DOMINO COCCINO DECANO.

Marsicana Pensionis. Veneris 28. Ianuarij 1611.

ARGVMENTVM.

De cassatione pensionis, an requirat pensionarij consensum, & de quo tempore, & an etiam in huiusmodi pensionis cassatione sit necessaria expeditio literarum.

SVMMARIVM.

Gratia Papæ perficitur ex sola signatione supplicationis, maxime in cassatione pensionis. nu. 1.
Pensionis cassatio non requirit expeditionem literarum, sed sola signatura sufficit. nu. 1.
Pensionis cassatio per signatam supplicationem cum conditione accedente pensionarii consensu an post signatam supplicationem requirat nouum consensum vigore regulæ 44. nu. 2. & 3.
Pensionis cassatio requiritur consensum partium, & auctoritatem Papæ. nu. 4.
Supplicatio data à procuratore non habente mandatum nihil operatur. nu. 4. in fine.

DECISIO CCCXXVII.

1 Dicebatur pensionem fuisse extinctam, cum Papa signauerit supplicationem. Nam ex sola signatione perficitur gratia Papæ, maxime in cassatione pensionis, quia non expediuntur literę, sed sola signatura sufficit, *iuxt. notata per Cassad. dec. 1. & 3. de renun. Mohed. dec. 31. eo. tit. Cresc. dec. 7. pariter. eo. tit. & 9. de proc. Mandos. super reg. 19. q. 9. num. 6. Gabr. cons. 194. nu. 3. lib. 1. Boer. dec. 348. nu. 4.*

2 Nec in hoc casu dicebatur obstare Regulam Cancellariæ 44. de consensu in resign. & pen. de qua in dd. iuribus, & decisionibus, quia regula loquitur ante expeditionem literarum, in cassatione autem pensionis cum non expediantur literæ, cessat ratio regulæ, & quamuis in supplicatione adsit clausula, accedente consensu pensionarij, tamen pensionarius præstitit consensum.

3 Domini tamen censuerunt contrarium, nempe pẽsionem non fuisse extinctam. Nam si in cassatione pensionis requireretur post signatam supplicationẽ nouus consensus, vigore dictæ Regulæ 44. prout requiritur in resignatione. Beneficij, res transiret sine difficultate, quia in resignatione Beneficij propter verba illa Regulæ, Apostolicæ literæ nullatenus expediantur, nisi resignans expresse consenserit, (quod est dispositum & in reseruatione pensionis) regula operatur, vt resignatio aliter facta, vel saltem expeditio, non valeat, vt dixit glossator antiquus super prædicta Regula. Vnde supplicatio videtur habere tacitam conditionem, quatenus resignans in eadem voluntate vsque ad consensum præstandum ante expeditionem literarum permanserit, vt dicit *Gabr. locis infra citandis.* Et sic supplicatio continet istam tacitam cõditionem, quæ oritur ex qualitate negotij, cum de iure multis modis oriatur, vt per *Imol. post alios in l. prima. num. 2. in fine. ff. de condition. & demonstratio.* Et propterea stante ista conditione, gratia non censetur profecta irreuocabiliter, vt mutare voluntatem resignans nequeat, quia semper potest pœnitere, donec præstet prædictum consensum in Camera, vel Cancellaria Apostolica. *Gabriel. cons. 194. num. 3. & 4. & cons. 186. nu. 4. & 20. lib. 1.*

4 Sed omisso isto capite, an in cassatione pensionis post signatam supplicationem requiratur nouus consensus vigore Regulæ 44. dixerunt Domini ex alio capite pensionem non fuisse extinctam, quia requiritur consensus partium, & auctoritas Papæ. Paulus de *Roma de pens. cap. 6. num. 1. & 34. Gigas de pens. q. 87. num. 5. Mandos. in praxi sign. grat. de extin. in princ.* De consensu autem titularis sic non apparet, cum non docentur de mandato illius, qui dedit supplicationem, qui alioqui deberet esse validus, vt in causa Hispalen. præstimoniorum. 1. Iunij 1592. coram bon. mem. Gipsio.

5 Non obstant in contrarium adducta, quia possent considerari, si constaret de consensu valido titularis. Nam tunc esset discutiendum, an post signatam supplicationem requireretur nouus consensus. Et propterea cum de consensu valido non constet ab initio, non est agendum de reliquis, &c.

DECISIO CCCXXVIII.

Ianuen. Iurisdictionis. Lunæ 21. Februarij 1611.

Impressa Apud Ludouisio.

DECISIO 497.

DECISIO CCCXXIX.

R. P. D. PIROVANO.

Legionen. Professionis. Veneris 25. Februarij 1611.

ARGVMENTVM.

Professio monachi ante annum probationis, quando sit nulla præsertim quando vigore regulæ Cancellariæ 58. illius receptio est concessa à Summo Pontifice alicui executori.

SVMMARIVM.

Restitutio in integrum non datur aduersus sententiam, nisi constito de bono iure petentis eam. nu. 1.
Professio monachi non est legitima non lapso anno probationis num. 2.
Professio monachi etiam ante annum excipi potest, quando per Summum Pontificem illius receptio est commissa alicui executori vigore regulæ Cancellariæ 58. nu. 2.
Potest verbum est meræ facultatis, & non necessitatis, tam in rescriptis, quam in legibus, & contractibus. nu. 3.
Arbitrio alicuius vbi quod est commissum, intelligitur de arbitrio regulato ratione non autem de irrationabili, & dissoluto. nu. 4.
Professio monachi etiam ante annum recipi potest ab executore, cui a Papa commissa est Receptio, quando Papa mandat statim recipiendam, & admittendam professionem, secus si simpliciter mandet eam recipi. Declara 1 vt nu. 5.
Professio monachi facta ante annum de iure communi ante Concilium Tridentinum non erat nulla. nu. 6.
Professio monachi ante annum vigore regulæ Cancellariæ 58. numquid habeat locum in prouisis de Abbatiis conuentualibus. nu. 6.

DECISIO CCCXXIX.

1 Non constare de causis restitutionis in integrum fuit resolutum, quia conuentus Sancti Isidori non docet de suo bono iure, quod est fundamentum restitutionis in integrum. *Caputaq. decisione 94. parte tertia.* fuit dictum in vna Romana Census 8. Martij 1610. coram Domino meo Ludouisio. Nam si bonum ius non iustificatur ex læsione docendo de iniustitia prolatæ sententiæ, non videtur esse locus restitutioni. *Castrens. in leg. final. numero quinto, versic. in Curia Romana, in quibus causis in integr. restitut. Rot. in nouis decisione prima, de restitut. in integrum. Odd. de restitut. in integr. quæstio. 4. articul..* & dictum fuit in Casalen. parochialis. coram bon. memoriæ Orano. 5. Nouembris 1597.

2 Iniustitia autem non probatur, quamuis in sententia fuerit approbata professio pro legitima absque anno probationis, quæ necessaria videbatur ex dispositione *Sacri Concilij Tridentini sess. 25. capit. 15. Regul. & si officij. de electio. Puteus ex illo textus decisio-*

decisi. 261. à quo non dissentit Rota in vna Granaten. professionis. 9. Februarij 1609. coram Domino meo Marcomontio. Nam cum in casu, de quo agitur, non sit quæstio de professione emissa in manibus Superioris intra religionem, sed extra in manibus executorum, ad id deputatorum per Summum Pontificem, qui ex regula Cancellariæ 58. potuerunt ad receptionem emissionis professionis, non expectato probationis anno, procedere, non est expectandum aliquod tempus, sed est arbitrarium superiori, ad quem spectat illum præficere huiusmodi monasterio, qui secundum qualitatem personę, & notitiam, quam de illo habet potest hoc mandare. *Ioann. Andr. in capit. officij. de electio. quem sequuntur Abb. sub numero 5. versicul. in gloss. final. Butr. num. 13.*

3 Et merito, quia verba regulæ arbitrium executoris præsupponunt, dum in ea dicitur, vt possint non expectato anno probationis procedere ad receptionem emissionis professionis. Nam verbum possint est meræ facultatis. *gloss. in leg. sæpe audiui Cæsarem. ff. de offic. Præsiden. gloss. in cap. 1. in verb. potest. de regul. iur. in 6.* quod procederet tam in rescriptis, quam in legibus, & contractibus. Voluerunt. *Bartol. in l. Gallus. in 1. lect. num. 4. ff. de liber. & posthum. Cam. consil. 148. num. 4. Surd. decisi. 268. num. 7. & consi. 98. num. 7.*

4 Et quamuis de arbitrio ratione regulato, non autem de irrationabili, & dissoluto videantur sensisse Summi Pontifices. *Menoch. de arbitr. quæst. 9. in princ. & de præsumpt. lib. 4. præsump. 125. num. 4.* ratio tamen non defuit abbreuiandi tempus approbationis, quia prouisio Abbatis fuit consistorielis, & habita prius informatione de idoneitate, & moribus, à Summo Pontifice fuit approbatus, ac deputatus, vt aliis præsit, non vt sit subditus; adeo quod non erat necessaria noua cognitio, & iudicium inferioris respectu idoneitatis, & morum Abbatis, sed partes executoris duntaxat fuerun in exequendo.

5 Non obstat, quod prædicta videantur habere locum, quando Papa mandat statim accipiendam, & emittendam professionem, secus si simpliciter vt hic, vt bene visus est probare. *Ioan. Andr. in reg. indultum. 17. de regul. iur. in 6.* qui licet loquatur, quando rescribitur monasterio, tamen rationes militant, si etiam rescribitur aliis extra monasterium, vt propterea idem videatur dicendum. Nam pro responsione fuit dictum, Papam mandasse statim recipiendum ad habitum, & emittendum professionem eo ipso, quod Abbas auctoritate Apostolica emisit professionem extra religionem in manibus executorum. Fuit enim libera iurisdictio executorum vigore *reg. 58.* recipiendo professionem non expectato anno probationis, adeo quod dispensatio, cuius executio extra religionem fuit commissa, dicitur specialis, non autem simplex, & generalis, & restringenda in hoc casu. *Ioan. Andr. in dicta regula indultum.* & bene distingu unt in similibus terminis. *gloss. in l. penultima. in versic. alienatione. C. de his, qui veniam ætatis impetra. Salic. in l. 2. quando decreto opus non est. Surd. decisione 260. num. 1.*

6 Non obstat, quod prædicta regula sit noua dispositio à tempore piæ memoriæ Clement. VIII. citra, & exorbitans à iure communi, quę stricte venit interpretanda, & sufficit, ne remaneat otiosa, absque eo, quod omnes casus possibiles comprehendat. Vnde cum loquatur simpliciter in petente se recipi in regularem, de prouisi. ad monasteria destituta conuentu, vel solita commendari, erit sensus, non autem de Abbatiis conuentualibus, prout est casus de quo quæritur, & de consimili restrictione super intelligentia regularum tradit *Gomes. super regul. de annal. quæst. 11 & de Zalone, quæst. 3. Mand. super regul. 3. q. 5.* Nam Domini præfatam dispositionem pro exorbitanti non habuerunt, quia de iure emissio anni probationis ante Concilium Tridentinum non annullabat professionem. *cap. ad applicandum. cap. statuimus. de regularib. c. non solum. eodem titul. in 6.* per dispositionem autem Concilij, quæ superuenit, non fuit alteratus casus de Abbate electo à Summo Pontifice in consistoro cum causæ cognitione super habilitatibus prouisi, quem monachi ei post annum probationis non possunt dimittere, vt ideo frustra annus esset expectandus volente Abbate. Finalis enim intentio Sacri Concilij fuit prohibere Apostasiæ, in quam facile incurrebant, qui inconsulte profitebantur, vt considerarunt domini in vna Tirasonen. pensionum, 11. Decembris 1570. coram bonæ memoriæ Cardinale Seraphino. inter impress. *691. numer. 2. par. 1. diuers.* quod quidem non conuenit Abbati qui institutus regula non existimauit durum, nec asperum, cum alijs præesse deberet non subesse, atque ita fuit resolutum.

DECISIO CCCXXX.

Ciuitatis Castellani iuris pascendi. 25. Febr. 1611.

Impressa Apud Caualerio.

DECISIO 140.

REVERENDISS. P. DOMINO ATTREBATEN.

Portugallen. Fructuum. Veneris 26. Februar. 1611.

ARGVMENTVM.

Actio negatiua pro quibus competat, & ex quibus quis in ea obtinere possit.

SVMMARIVM.

Actio negatiua competit non solum pro seruitutibus, sed etiam pro omni iure incorporali. num. 1.

Seruitutis quasi possessio operantur, vt possessor etiam si ius non habeat vincat actorem non probantem dominium. n. 2.

Dominium vbi incidenter in iudicio deducitur probatur ex sola possessione. num. 2.

Titularis contra pensionarium agentem ad pensionem potest excipere de non iure illius, & pensionarius agens in petitorio tenetur iustificare suam gratiam. num. 3. Vbi quod tunc non potest pensionarius dicere titulari tu non habes legitimum titulum.

Possessio sola titularis sufficit pro defensione beneficij alioquin nullus esset, qui posset Ecclesiam defendere. num. 3.

Quasi possessio non liberet ab onere probandi. nu. 3.

Possidens beneficium in Ecclesia non auditur petens declarari alteri ius non competere in eodem beneficio, nisi vltra possessionem, quam habet, doceat se habere ius in ipso beneficio. num. 4.

DECISIO CCCXXXI.

1 POstquam in duabus positionibus firmatum fuit, congregationem Sancti Benedicti in Lusitana in cæpisse possidere Ecclesiam Sancti Martini de Cucisaes anno 1588. sæpius disputato dubio, an huiusmodi possessio releuet, quod reseruatum fuerat, hodie affirmatiue resolutum fuit. Cum enim Moniales pretendant duas ex tribus partibus fructuum vigore dismembrationis Greg. XIII. fel. rec. Congregatio, que possidet vigore incorporationis, & aggregationis Pij V. potest opponere de non iure Monialium, & pete-

petere, vt iustificet suam dismembrationem intentando actionem negatiuam, quæ non solum competit pro seruitutibus, sed etiam pro omni iure incorporali, vt not. in c. constat. extra de religiosis Domibus. *c. tua. il 2. & in c. prohibemus. extra de decimis. Innoc. in c. de Quarta. de præscript. Bald. in rub. C. de vsufr. Ias. in l. atque si. num. 34. & 35. post Fabium. 16. num. 32. & 35. versic. saluo. institut. de actionib.*

2 Non obstat, quod vbi quis est in quasi possessione seruitutis, etiam si ius non habeat, vincat tamen Actorem non probantem Dominium. *l. 2. in princip. ff. si seruit. vendic. & leg. vti frui. in fin. princip. & ibi gloss. in verb. patiore. ff. si vsufruct. petatur. Bald. consil. 250. lib. 4.* quia Dominium deducitur in iudicio incidenter non principaliter, quo casu sufficit maior probatio, & quidem solius possessionis de præsenti, *Abb. in c. cum super. num. 2. de caus. pos. & prop. Cardin. in c. Abbate. in 1. q. vbi Butr. num. 15. de verb. signific. Felin. in cap. except. num. 37. de except. Castr. consil. 4. num. 1. lib. 2. Rot. decis. 1. num. 2. de restit. spol. in nou. & decis. 9. de caus. poss. & prop. in antiquis. Capic. decis. 6.* fuit dictum in Barchionen. Præceptoriarum 17. Februarij 1578. coram bonæ memoriæ Cardinali Lancellotto, quæ est diuers. 423. *p. 1. diuers.*

3 Atque hac ratione potest excipere titularis contra Pensionarium agentem ad pensionem de non iure illius, & pensionarius agens in petitorio tenetur iustificare suam gratiam, vt sæpe in Rota decisum fuit, nec potest pensionarius dicere titulari, tu non habes legitimum titulum, quia sola possessio titularis sufficit respectu beneficij, alioquin nullus esset, qui posset Ecclesiam defendere. Quare sicut ante vnionem Abbas potuisset opponere, seu excipere contra moniales de non iure illarum, & postulare iustificationem dismembrationis eodem modo post Vnionem, dictum est de Congregatione, quæ successit in locum Abbatis, & reperitur in possessione monasterij, quæ suffragatur etiam respectu omnium bonorum ipsius, vt in hac causa decisum fuit; contra vero moniales non releuantur sua quasi possessione, quia illa non liberat ab onere probandi. *glos.* communiter approbata in *l. sicuti. §. sed sequeretur. in verb. possess. ff. si seruitus vendicetur. Alex. post Bartol. in l. sæpius. num. 33. ff. de nou. oper. nunc. Gabr. cons. 145. num. 3. lib. 1.*

4 Non obstat doctrina Innocent. *in cap. Abb. nu. 1. in fin. versic.* & hac ratione. de verborum significat. vbi tradit, quod is, qui possidet Ecclesiam, si velit alteri imponi silentium, vel declarari nullum ius competere non auditur, & si doceat se habuisse possessionem, nisi etiam doceat se habuisse ius in beneficio, sicut in rei vendicatione non auditur, qui docet se esse Dominum, vel quasi. *Innocen. sequitur Paul. de Castr. in l. si contendat. num. 2. ff. de fideius. Felin. in c. olim. num. 9. post princ. versic. vnde dixit. de rescript. Marsil. singul. 280. Gabriel. de action. conclus. 6. num. 37.* & ita tenuit Rota in Toletana quintæ partis fructuum 27. Iunij 1584. quæ est 81. parte 1. diuers. Respondebatur enim doctrinam Innoc. non applicari, propterea quod Moniales non habent ius super ipso monasterio, vel bonis illius, sed tantum prætendunt certam quotam fructuum. Vnde contra illas competit negatiua. *Card. in dicto c. Abb. quæst. 1.*

5 Non obstat, quod moniales contendunt non solum à monasterio fuisse separatas, & dismembratas duas ex tribus partibus fructuum, verum etiam duas partes bonorum sibi fuisse applicatas, hoc enim expresse repugnat verbi dismembrationis Gregor. XIII. quæ sic habet duas partes ex tribus fructuum reddituum, & prouentuum iurium, & emolumentorum quorumcunque, & perpetuo separamus, & dismembramus, illasque sic separatas dicto monasterio applicamus, &c. & hoc est conforme instrumento separationis subsequutæ, in quo non assignantur monialibus villæ, sed fructus ex illis percipient, & quatenus adessent, alioqui dubium circa declarationes instrumenti separationis illud declarari secundum literas Apostolicas dismembrationis, à quibus totum hoc negotium dependet, nec alium fuisse sensum ipsarum, & Monialium patet ex confessione in articulis, dum dicunt arrendasse fructus, & non bona ex libro Congregationis, qui pro Monialibus allegatur, loquitur enim de duobus partibus fructuum, & redditiuum, & cum hoc concordant testes, denique possessio monasterij, & bonorum fuit capta à Congregatione per triennium ante instrumentum separationis Monialium. Quare non potuit Congregationi quo ad bona præiudicare. Quare, &c.

R. P. D. MANZANEDO.

Romana Fideicommissi de Paluzzellis. Lunæ 28. Februarij 1611.

ARGVMENTVM.

Filij an patris dicantur agnati nepotesque ex filio numquid auo dicantur agnati, & sui hæredes substitutionisque primo gradu effecto caduco numquid, & quomodo succedant substituti in secundo gradu.

SVMMARIVM.

Filij positi in conditione censentur vocati vigore statuti Vrbis, quicquid secus sit de iure communi. num. 1. & 2.
Filius dicitur patri agnatus. nu. 2. vbi declaratur hæc conclusio, & num. 3.
Nepotes ex filio num quid auo dicantur agnati, & quomodo. num. 2. & seqq.
Sui hæredes quinam dicantur. num. 4.
Nepotes ex filio numquid dicantur auo sui hæredes. num. 5.
Substitutionis primus gradus si factus fuerit caducus, tunc intrat gradus subsequens, ac reputatur, quasi in præcedenti gradu facta fuisset substitotio. nu. 6. Declara, vt nu. 7. & seqq.
Substitutus substituti dicitus hæredis substitutus. num. 7. Declara, vt nu. 8. & seqq.
Substitutio compendiosa dicitur facta vbi mortis sit mentio. nu. 8. etiam quod non fuerit adiecta dictio quandocunque.

DECISIO CCCXXXII.

1 IN testamento, quo Isabella decessit sibi hæredem vniuersalem instituit Laurentium ipsius filium, cui quandocumque sine filijs legitimis descendentibus substituit vulgariter, pupillariter, & per fideicommissum Alexandrum Saluzzellum testatricis virum, isti tamen decedenti sine consanguineis, affinibus, agnatis, seu cognatis masculis, seu feminis substituit Venerabile Gospitale. S. Iacobi *dell'Incurabili*. Defuncta vero Testatrice Laurentius hæreditate illius adita obijt sine filijs de anno præterito 1610. præmortuo tamen Alexandro de anno 1604. qui filios ex secundis nuptijs reliquit, nempe Franciscum, Tiberium, Iuliam, & Hieronymam, qui hodie quasi Romani, & positi in conditione in vltime substitutione facta Alexandro ad fauorem Hospitalis prætendunt se vocatos ad istud fideicommissum, stante Vrbis Statuto libro 1. c. 12. quicqud alias sit de iure communi, sed quia pro parte DD. de Massa prætenditur caducata substitutione Alexandri prædefuncti Laurentiæ caducasse etiam vocationem, & substitutionem filiorum Alexandri, & sic non posse dici ad illorum fauorem hodie adesse fideicommissum. Dubitaui an de illo constet ad fauorem dictorum fratrum, & Domini affirmatiuam fuerunt amplexi.

2 Primo, quia in dicta conditione fuerunt positi affines,

fines,& agnati Alexandri,qui non possunt negari vocati stante dicto statuto,nec possunt negari agnati Alexandro, cum sint illius filij, vt est *tex. in hæc verba filius patri agnatus proximus est. ff. de suis, & legit. hæred.* quem tenet *Alciat.lib.3.parerg.iur.c.25.* legendum censet addita negatiua,nempe agnatus proximus non est, sentiens *Alciat.* quod filij considerati inter se ipsos, tunc agnati sunt patri, secus si respectu patris contemplentur, quia tunc non agnati patri, sed nati illi dicuntur,quod & sensit *Menoch.lib.4. præsum.88.nu.19.* & pro hac parte ponderat *Alciat.tex. in l.scripto.ff. vnde libe.* vbi de nepotib. respectu aui dicit consultus sine dubio illos auo non esse agnatos.

3 Sed his non obstantibus Domini contra *Alciat.* tenuerunt, *& tex.in d.l.filius.* legendum esse sine prædicta negatiua,cum illi tam Pandectę Florentinæ repugnent,quam vulgata lectio,& assentit *Accurs. in l. fi.in gl. verb.sui dicuntur.ff.de gradib.& affi.* & hanc lecturam sequitur *Cuiac.contra Alciat.obseruat.lib.14.c.11.*ibi quid enim est census, quam filium patri esse proximum agnatum,& *Socin.iun.conf.9.num.13.lib.2.quem refert, & sequitur Peregr.de fidei comm. art.22.nu.25.& Ioan.Robert. recept.lib.1.cap.2.*

4 Et facit,quia vt dicit *tex. in l. fin.* proximiores ex agnatis sui dicuntur, quod si sui, ergo filij,cum illi in potestate patris existentes dicantur sui.*§.sunt autem.Insti.de hæred.qualit.leg.in suis, de liber.& posth. l.liberorum. 220.ff.de verb.sign.* ibi hos enim omnes suorum appellatione lex 12.tabul. comprehendit,prout illum text. legunt Pandectæ Florentinæ, & *Anton. August. in leg. 12.tabul. numer.23. in fi.* & comprobatur ex fragmentis *Vlpiani in tit. de legit.hæred.verba legis 12. tabul.* referentis, ergo si sui nempe filij dicuntur proximiores ex agnatis,sequitur,quod filii sunt agnati patri, in cuius potestate sunt, & cuius respectu dicuntur sui.

5 Quibus non obstat *text. in d. l.scripto,* vbi de nepote videtur affirmare sine dubio non esse agnatum auo, sed ille tex. bene inspecto potius contrarium ex illo valet desumi, cum ibi filio testatoris exhæredato, & defuncto dubitaretur,an nepos ex illo filio susceptus auo suus hæres esset,& respondet Consultus nō posse dici,nepotem hæredem aui, & non suum,alioquin tex.dicit in hæc verba,si non suus hæres esset,quo iure hæres erit? qui sine dubio non est agnatus, vbi non negatur simpliciter, nepotem esse agnatum auo, sed negatur esse agnatum,si non est suus,ergo in contrario si est suus, & in potestate aui, prout text. vult, sequitur quodam erit agnatus ex mente eiusdem tex. & ibi glo. in verb.agnatus, & sic potius tex.intelligit nepotem in potestate aui, & sic suum illi esse agnatum deficiente auctoritate suitate in nepote sine dubio non esse agnatum.

6 Secundo principaliter DD.pro istis filijs Alexandri tenendum censuere,quia licet Alexander substitutus primo loco duntaxat Laurentio fuerit illo præmortuus,& sic primus gradus substitutionis factus fuerit caducus, nihilominus intrat gradus subsequens, & sic filii Alexandri in illo comprehensi, non quia succedant Alexandro in gradu perempto contento, sed ipsi Laurentio hæredi, ac si illi substituti fuissent, & præcedens gradus factus non fuisset ad *tex.in l.1.§.pro 2.C.de caduc. toll.& post Bart. tradunt communiter DD.in l. quamdiu institutus.ff.de acquiren.hæred.Paul.de Castr.conf. 152. num.1. lib.1. Socin.consi.52. numer.15. lib.1. Curt.iun. conf.83. num.4.Ias.conf.148. num.15. lib.2.& Corn.conf.180. num.3.lib.4. cum alijs, quos refert, & sequitur Gabr. consil. 115.num.3. & sequen. lib.1.*

7 Certum est enim, quod substitutus substituti est hæredis substitutus. ad *tex.in l.si Titius,& in l.cohæredi. ff.de vulg.& vtrobique DD. Gabr. vbi supra Rot.decis.648. part. 1. diuers.* Caducitas enim huiusmodi non modo non impedit, quo minus fideicommisum debeatur sequenti, verum etiam ei viam aperit, & facit, vt debeatur *Bald.consi.83.lib.4. Paul. consil.422.vers.in contrarium videtur.lib.2.Gabr.vbi supra,num.8.* isto tamen casu substitutio secunda, fit prima. *Imol. in dicta l.quamdiu. num. 3. & notat Bal.in l.3.§.fi.ff. de liber.& posthum.* & satis est ad istum effectum hæreditatem aditam fuisse ab ipso grauato, penes quem fideicommissum caducum remanet, cum onere restituendi sequentibus in gradu, ex tex.in dicto §. pro secundo, cum aliis supra adductis, & pro prædictis facit *tex.in d. l.* quamdiu, ibi is autem, qui tertio gradu scriptus est, si primo deliberante secundus decedat ipsa potest succedere.

8 Quibus non obstat validus fundamentum ex aduerso adductum, nempe supradicta non procedere,quoties fideicommissum fuit nominatim relictum ab eo, in cuius persona substitutio fuit facta caduca,cui tantum secundus fuit substitutus, non vero primo instituto, vnde relictum à primo substituto,in quo caducitas euenit,non censetur repetitum ab eius substituto. *Celsus. §. quod alicuius. ff. de leg. 2. l.si plures.de leg.3. Bart.in l.licet Impetrator. nu.3. de leg.1.Ruin.conf.99. num. 16. lib.2. & de communi testatur Pereg. vbi supra artic. 15. num.26.*

9 Quia fuit responsum obiectum non procedere simpliciter,quando secundus fuit substitutus primo substituto nominatim, nisi concurrat, fuisse nominatim per fideicommissariam duntaxat, quo casu procedit obiectum, secus tamen erit, si secundus substitutus potuerit per vulgarem intrare in locum primi substituti,tunc enim semper admittitur quantumcunque secundus fuerit substitutus primo nominatim, & tunc hæres semper censetur grauatus restituere huic vltimo substituto, iuxta doctrinam *Bart. in d. l. quamdiu.nu.10.vers.item facit,quam ibi sequuntur Angel.Imol.& alij,& Alex. conf.1. num.1. & 2. lib.1. Ias.in l.1.num.28. & seq.ff.de vulg.idem conf.132. numer.5.lib.1.* vbi hanc dicit communem, & plures pro illa adducit, quam etiam dicit receptam. *Socin.iun.in conf.94. num.41.tertio dubio. lib.1.Gabr.d. conf.115. num.12.Peregr.d.artic.15.numer.14.* plures pro hac parte adducens.

10 Et hic est casus noster, cum substitutio istorum filiorum facta Alexandro fuerit compendiosa ex mentione mortis in illa indefinite facta,ibi cui Alexandro morienti sine consanguineis agnatis, &c. iuxta doctrinam *Bart.in l.centurio. num.26. & numer.32. de vulg. Alex.conf.71. num.3. lib.2. Curt.iun. consil.86. num.3.* qui testantur hanc esse communem, etiam si non fuerit adiecta dictio quandocunque. *Menoch conf.215.num. 1.* In compendiosa autem cum vulgaris contineatur ex *Bart. & communi DD. in d.l. centurio,* sequitur quod substitutio istorum filiorum facta Alexandro sit vulgaris, & per illam in locum Alexandri prædefuncti instituto intrare quantumcunque Alexandro nominatim substituti fuerunt. Ex quibus sic resolutum fuit.

REVERENDISSIMO P. DOM. MANZANEDO.

Bononien. de Passis. Veneris 4. Martij 1611.

ARGVMENTVM.

Monasterium, ad quod ex persona Monachi nihil peruenit, non tenetur soluere eius debita, quamuis post ingressum in monasterium occasione illius hæreditas superuenerit, quę eo casu immediate dicitur delata monasterio, sed debent solui de donatis ab ipso ante ingressum.

SVM-

SVMMARIVM.

Monasterium non tenetur soluere debita illius, ex cuius bonis nihil ad religionem peruenit. nu.1.
Commodum non habens, neque debet habere in commodum. num. 1.
Hæredem habere non dicitur, qui nihil post suam mortem relinquit. nu.1.
Hæreditas superueniens post professionem emissam in religione dicitur delata monasterio immediate, non monacho. num. 2.
In dubio debet accipi illa interpretatio, quæ religioni fauet. num. 2.
Equites Hierosolymitani non sibi, sed religioni acquirunt sicut alij religiosi nu.2.
Sententia vitiatur per excessum etiam in modico. nu.3.
Excessus in vna parte sententiæ influit in reliquas. nu.3.
Executio debet iustificari ex deductis, non ex deducendis. num. 4.
Executio nulliter facta debet reuocari. nu.4.

DECISIO CCCXXXIII.

1 PEndente ista causa coram R. P. D. Varella fuit per ipsum decretum mandatum executiuum contra Religionem Hierosolymitanam pro summa Scutorum duorum millium, à quo pro parte Religionis appellatio fuit interposita, & causa in Rota mihi commissa dubitaui, an dictum decretum mandati executiui esset reuocandum. Et Domini affirmatiue respondendum censuerunt, cum sit certum in facto, prout & partes admittunt, Equitem Fuluium ante assumptionem habitus dictæ Religionis donasse suis fratribus omnia eius bona paterna, & materna, & per consequens ex illius persona nihil ad Religionem ex dictis bonis peruenisse, sicque nec illam ad Fuluij debita teneri, cum ille sine bonis Religionem fuerit ingressus, nec illi in aliquo Religio successerit notat *Hostiens. in cap. vnic. nu. 10. de obligat. ad ratiocin. & Roman. cons. 292. nu. 2. Abb. cons. 102. nu. 4. & 5. lib. 2. tradit Innoc. in cap. in præsentia. nu. 5. vers. item monasterium. de probat.* & ibi Doctor. Vnde iudicium factum contra Religionem vti hæredem Equitis Fuluij visum fuit nullum, & iniustum, cum illo nomine nulla creditorib. competeret cõtra Religionem non hæredem Fuluij actio.

2 Quod si dicatur post ingressum Religionis Fuluiũ fuisse hæredem Celsi, & Religionem hæredem Fuluij, quamuis ex persona Celsi, & sic contra illam rite iudicium fuisse motum. Neque hoc subsistere videtur, cum Fuluius iam Religionem professus, non fuerit hæres Celsi sui fratris, sed Religio immediate, quãuis ex persona Fuluij, hæreditas enim superueniens post ingressum Religionis non dicitur delata Monacho, sed immediate Monasterio, iuxta tradita per *Io. Andr. & Innoc. & communem Canonistarum in cap. in præsentia. de probat. & quamuis Bartol. Bald. & plures legum professores in l. 1. de vulg. & pupil.* contrariam sententiam teneant, nihilominus non desunt ex eisdem qui Canonistis assentiant, prout est *Paul. de Castr. in l. cum proponas. nu. 4. C. de hæred. instit. & in l. non est dubium. C. de iur. deliber. & in l. legatum. de leg. primo. & Imol. in l. si paterfamilias, de liber. & posthum. & Francisc. de Rampo. in d. l. cum proponas, & in l. post aditam. C. de impuber. & ali.* cui opinioni est adhærendum, tanquam Religioni fauenti, vt notat *Ruin. cons. 204. nu. 12. & in cons. 206. nu. 6. lib. 1.* vbi illam dicit communem, quod magis procedit cum Equites Hierosolymitani, non sibi, sed Religioni acquirant, prout alij professi. *Authent. ingressi. C. de sacrosanct. eccles. & notatur in d. cap. in præsentia.* & in terminis de Equitibus Hierosolymitanis tradit Illustrissimus *Tuscus. tom. 4. concl. 107. incip. milites, seu equites.* Ex quo sequitur, quod agendum erat contra Religionem vti hæredem Celsi mediante persona Equitis Fuluij, non autem vti hæredem ipsius Fuluij, & obligatio Cameralis erat extendenda ex Celsi obligatione non autem Fuluij, quod sufficere videbatur pro reuocatione dicti decreti.

3 Nihilominus fuit vlterius consideratum, quod fratres Pasij, qui vendiderunt prædium posteà euictum erant quinque, nempe Celsus, Iacobus, Fuluius, Franciscus, & Octauius, vnde quilibet pro quinta teneretur, cum non adsit obligatio in solidum de euictione, aut stante cessione Fuluij ad fauorem reliquorum fratrum, Celsus tanquam vnus teneretur tantum pro quinta parte. Quod si dicatur donationem Fuluij tantum fuisse factam ad fauorem Celsi, & Francisci, alias Laurentij, tunc Celsus teneretur tantum ex sua persona pro quinta parte, ex persona vero Fuluij pro dimidia quintæ partis, & sic Religio ex persona Celsi teneretur solum in vna quinta parte, & dimidia alterius. Quod si etiam admitteretur, Religionem ex persona Fuluij pro vna quinta parte, & ex persona Celsi pro alia quinta teneri, semper erit verum, quod tam isto, quam quolibet ex superioribus casibus executio pro dimidia hæreditatis fuit excessiua, cum dicta dimidia hæreditatis consisteret ex duabus quintis partibus cum dimidia, excessus autem etiam in modico vitiat sententiam *Castren. in l. si non sortem. §. si centum, nu. 2. & ibi Ias. nu. 1. de condict. indeb. Put. dec. 323. lib. 1. Rota diuers. 221. nu. 1. par. 2.* & fuit dictum in vna Larinen. frumenti de anno 1577. coram Illustriss. Blanchetto, & alias sæpius; Iniustitia enim excessus in vna parte influit in alias, quia decretum respectu summæ est indiuiduum *l. in hoc iudicio. ff. famil. ercisc. gl. & Bart. in l. fin. ff. de iurisdict. omn. iudic.* & fuit dictum in vna Ariminen. seu Roman. Pecuniaria 23. Iulij 1593. coram bonæ mem. Gipsio, & in illa Tiburtin. Castrorum 4. Iulij 1607. coram Do. meo Marcomontio.

4 Nec obstat, quod pro parte DD. de Pasijs dicitur per mortem Iacobi, ab intestato, & susceptionem habitus Hierosolymitani per Fuluium, & per Franciscum habitus Iesuitarum portiones istorum remãsisse in communi alijs duobus fratribus nempe Celso, & Octauio, inter quos ista bona æque fuerunt diuisa, vnde Religio ex persona Celsi habuit medietatem integram istorum bonorum, & consequenter pro dicta medietate tenetur de euictione, & sic mandatum videatur pro illa medietate iuste decretum. Quia respõdetur hucusque non constare, nec fuisse probatum in actis supradictum fundamentum, cum nec iustificetur mors Iacobi ab intestato, nec minus quod ex persona Francisci, & Fuluii, suæ integræ portiones deuenerint ad Celsum, & Octauium, & receptum est executionem ex deductis non autem ex deducendis iustificari debere. *Abb. in cap. inter cetera. nu. 8. & ibi Felin. num. 4. vers. vel dic etiam &c. de re iudicat.* & fuit dictum in Roman. Census 4. Decembris 1595. coram bonæ memoriæ Card. Pamphilio. Et quamuis DD. de Pasiis possint forsan probare incumbentia, quæ hucusque non probarunt, quin & Religio alia plura in ista positione adducta, interim tamen parte opponente reuocanda est executio nulliter facta ex supradictis, vt fuit dictum in Toletan. Beneficii. 17. Aprilis 1589. coram bonæ mem. Gipsio.

REVERENDISS. P. DOMINO DAMASCENO.

Tiburtina Confinium. Veneris 4. Martij 1611.

ARGVMENTVM.

In materia confinium admittuntur adminicula, & multum defertur congruentiæ, & verisimilitudini,

tudini, & plura considerantur adminicula, ac alia pro euitanda contrarietate testium.

SVMMARIVM.

In confinium probatione, quæ est difficilis probationis attenduntur adminicula. num.1.
Argumentum à consuetis valet. nu.2.
In confinium materia multum defertur congruentiæ, & verisimilitudini. nu.3.
Testis dictum dubium declaratur per dicta aliorum. num.4.
Dictio in circa operatur, vt possit detrahi de maiori summa, & augeri in minori. nu.5.
Interpretatio omnis est facienda pro concordia testium. numero 5.
Contrarietas in teste non potest considerari, vbi eius dictum potest stare. nu.6.
Numerus supplet defectum testium. num.6.

DECISIO CCCXXXIV.

1 FVit tantum constare de existentia duorum terminorum, videlicet primi in monte nuncupato *il fallo grande*, secundi vero in plano S.Mariæ in Pesuli, & etiam de eorum euulsione. Et quantum ad existentiam illa visa fuit plenissime probata, ex quinque testibus datis in Summario Communitatis Sancti Poli. *num.2.* quorum primus est Baptista Mediolanensis, secundus Blasius Gallesius de Monticello, tertius de Tagliacozzo, quartus Sanctes de Roccagiouane, quintus Franciscus Agatonius, cum quibus concordant duo instrumenta recognitionis factæ ad instantiam Communitatis Sancti Poli per Notarium, & testes, de quibus eodem Summario. *num.1.* quæ recognitio, licet non sit facta parte citata, & cum iudicis decreto, Attamen deseruit pro adminiculo, quæ adminicula in hac materia confinium, quæ solet esse difficilis probationis multum attenduntur. *c.cum causam.in fin.& ibi Bal.in princip.Felin.nu.1. de probat.Alex.cons.90. num.4. lib.6. Dec.consi.42. num.10. Paris. cons.27. num.15. lib.1.late Hier.de Monte.tract.de finib.c.53.& seq.Rot.in causa Esina bonorum 23. Ianuarij 1585. coram Robusterio relat. inter diuers.impress.decis.310.par.2.*

2 Et pro adminiculo etiam deseruiunt reuelationes metu excommunicationis factæ, de quibus eod.*Summario. num.3.* & testes de auditu, de quibus eod. *Summario numer. 5.* Et pro adminiculo quo ad terminum Falligrandi, deseruit instrumentum de anno 1520. de quo eodem *Summario. numer.6.* Et testes super eo, quod locus Falligrandi sit confine, de quibus eodem *Summario. numer.7.* Et quo ad terminum Sanctæ Mariæ in Pesuli vltra testes,& adminicula,de quibus supra,suffragantur testes, de quibus eod. *Summario. numero 8.*Deponentes locum esse confine.Vnde fit multum verisimile, quod in confinibus fuerint appositi termini, arguendo à consuetis, iuxta not. *in l. si quis donaturus.& ibi glos.ff. de vsufruct. in l.item si vnus.§.fin. ff.de recept.arbit.in l.si prius.§.1.ff.de aqu plu.arc.Bar.Ang. & alij in l.certi conditio.§.si nummos.ff.si cert.petat.*

3 Et existentiæ vtriusque termini,præbet maximum adminiculum terminus plani Montis Nucci acceptatus ab vtraque parte,ex quo duo resultant. Alterum quod sicut fuit inter duo territoria appositus iste terminus, ita & fuerint appositi alij, cum territoria per longum spacium se ad inuicem coniungant. Alterum quod termini fuerint potiùs appositi in loco prætenso per Communitatem Sancti Poli, quam in alio, ex quo ille locus magis apte correspondet dicto primo termino non controuerso, quam alteri, vt patet ex planta.Et in hac materia multum defertur congruentiæ, & verisimilitudini. *Menoc. consil.147. num.61.Corn. consi.333.num.10. in fi.& num.11. vol.1.Natt.cons.672.nu. 18.Decian. cons.17. num.20. vol.3.* Rot. in causa Balneoregien. Confinium 19. Decembris 1603. coram me.

4 Circa appositiones, quæ fiebant contra testes, de quibus in prædicto *Summario.numero 2.* illæ visæ fuerunt bene sublatæ per Informantes pro Communitate S. Poli. Nam ad illud quod Franciscus Agnatonius non exprimat Montem in cuius medio inuenit terminum. Fuit responsum, quod illius dictum declaratur per alios dictum Montem exprimentes. *Purpur.consil.133.numer.23. Rimin.Sen.cons.285. numer.36.* Et quod testis generaliter loquens suppleatur per alium in specie deponentem est decisio *Cæs. Grass.8.nu.10. de caus.possess.* & propriet. quo ad contrarietatem,quod aliqui ex testibus dicant, quando fuit facta visitatio terminum fuisse factum, alij vero, quod non fuit tactus,sed relictus vt stabit. Fuit dictum posse concordari, quia vt aliqui explicant terminus fuit aliquantulum fractus cum malleo, vt videretur an esset de Trauertino,Vnde testes dicentes de fractura,possunt intelligi de ista, Alij vero deponentes non fuisse tactam, possunt intelligi de euulsione, vt denotant subsequentia verba ibi, *Ma lasciatelo come staua.*

5 Circa aliam contrarietatem, quod primus testis dicat terminum fuisse altum *à terra da tre palmi in circa*. Secundus vero dicat *da vn palmo più ò meno*, Vltra quod variatio non videbatur circa substantialia. Fuit dictum, quod ex quo vterque deponebat per verbum *in circa, più ò meno*, poterant redigi ad concordiam detrahendo virtute illius dictionis in circa à maiori summa de qua deponit primus testis, & virtute eius dictionis augendo minorem summam, de qua deponit secundus testis, iuxta illud quod in terminis huius dictionis tradunt Doct.Et præcipuè *Alciat.in l.hæc adiectio.ff.de verb.signif..Ang.consil.94. num.4. in fine.Paris.consil.104. num.35. lib.1. Mandell. consil.266. num.34.* Rot. in causa Parmen. Status 3. Decembris 1607. coram R.P.D. meo Ludouisio. Et clarum est esse faciendam omnem interpretationem, vt testes ad concordiam reducantur, *gl. & Scribentes in c. cum tu, de testib.* Alia contrarietas, quod vnus testis dicat,Visitationem fuisse factam ante prandium, alter vero post prandium, potest saluari, quia tempore visitationis vnus testis iam sumpsisset prandium, alter vero non.

6 Alia contrarietas, quod primus & secundus testis dicant, Che il termine era di Trauertino. Franciscus vero Agatonius dicat, *Che era di certa Pietrauia biancauia*, est æquiuocum, & apud imperitos lapidum, vbi non est vis in materia potest comprehendere etiã *il Trauertino*. Circa illud quod testes expresse deponant de visione facta vna die, & tamen dentur de eo instrumenta, ex quib.apparet visionem fuisse factam duob. diuersis diebus. Fuit dictum ex hoc non sequi aliam contrarietatem, quia affirmatio quod visio fuerit facta vna die, non excludit, quod alia non fuerit facta cum possit simul stare ad *l. non hoc.C.vnde cogn.c. in præsentia.de probat.Alex. consil.134. numer.1.lib.2. Dec. consil. 109. numer.3.* Et in omnem euentum quatenus prædicti testes in aliquo deficerent,supplet numerus. *Gabr. tit. de testib. concl.6. num.1. & seq.* Et adminicula. *Crauet.cons.178. num.4.* Circa mensurationem territorij Sancti Poli, testes & instrumenta ex quibus prætendunt Informantes pro Vicouario probari, quod pars territorij in qua erant positi isti termini vere spectat ad Vicouarium, fuit responsum quod quicquid concludat, de quo erit in suo loco agendum,ex illis non resultare negatiuam, quod termini saltem de facto non fuerint positi *in loco detto il fallo grande,& il piano di Santa Maria*, de quo tantum facto modo queritur.Quantum ad secundam partem dubij,an scilicet probetur euulsio, visum fuit Dominis modicum elaborandum. Nam præter quod illa satis probatur ex visione facta de anno 1579.à D.Gemmario Informantes pro Vicouario negant huiusmodi terminos ali-

quan-

quando fuisse in loco de quo quæritur, & proinde includunt etiam tempus præsens, &c.

DECISIO CCCXXXV.

Hispalen. Habitus. Veneris 11. Martij 1611.

Impressa Apud Ludouisio.

DECISIO 498.

REVERENDISSIMO P. D.

LVGDVNEN.

Ciuitatis Castelli bonorum. Veneris 18. Martij 1611.

ARGVMENTVM.

Consensus mariti requisitus à statuto in testamento vxoris probatur ex mariti præsentia, & ex lapsu multi temporis, etiam in præiudicium tertij.

SVMMARIVM.

Consentire plures inuicem videntur, quando faciunt eundum actum. num. 1.

Confessio non probatur per testes singulares. num. 2.

Consensus probatur ex præsentia. nu. 3.

Consensus meriti si a statuto sit requisitus in testamento vxoris sufficit, quod de eo vndecumque. Constet etiam per particulare instrumentum, nec requiritur quod in testamento enuncietur. num. 3.

Præsumptionum multiplicatio non admittitur. nu. 4.

Fallit, quando vna venit in consequentiam alterius. num. 4.

Probatio vera, & non præsumpta dicitur, vbi adsunt coniecturæ, & præsumptiones concludentes. nu. 4.

Consensus mariti in testamento vxoris requisitus ex forma statuti præsumitur ex lapsu 30. annorum, & ex eo, quod maritus aliquid ex bonis vxoris vigore dicti testamenti percepit. nu. 5. vbi qnod id habet locum, etiam in præiudicium tertij ibid.

Consensus probatio debet esse vera, non autem præsumptiua, vbi statutum desiderat consensum, & præsentiam copulatiue. nu. 6.

Dic id procedere in statuto prospiciente integrationi personarum, secus in statuto, quod prospicit præiudicio alicuius & quod solennitatem requirit ad hoc, vt actus fiat, non autem ad hoc, vt sic fiat. num. 6.

Consensus vbi requiritur propter præiudicium tertij debet esse expressus, nec sufficit præsumptus. num. 7.

Dic verum in consensu, qui elicitur ex sola taciturnitate, secus in consensu præsumpto ex temporis diuturnitate, qui sufficit. nume. 7. Vbi maximè si cum temporis diuturnitate plura concurrant. ibib.

DECISIO CCCXXXVI.

INhærendo decisionibus in hac causa factis coram Illustrissimo Domino Cardinali Mellino, & coram bon. mem. Domino Litta censuerunt Domini constare de sufficienti præsentia, & consensu Ioannis Pazzaliæ mariti in testamento eius vxoris.

1 Illi enim coniuges discesserunt in simul à loco suę habitationis, & peruenerunt ad Oppidum fractæ distans per aliquot milliaria, ibique in Sacrario, seu Sacristia Monasterij S. Mariæ, Ordinis Sancti Francisci eadem die coram eodem Notario ijsdemque testibus fecerunt, quasi per eadem verba vtraque suum testamentum, stante horum actuum correspectiuitate, & iunctis omnibus coniecturis, & præsumptionibus, quæ ex hac facti serie eliciuntur, probatur præsentia Ioannis mariti in testamento honestæ vxoris, ita vt qui negat dictam præsentiam, & dicit maritum à dicto Sacrario recessisse prius quam vxor testaretur id probare debet. *Put. decis. 385. numer. 4. lib. 2. Natt. consil. 67. num. 6. lib. 1. Surd. consi. 70. num. 1. & 2. & consi. 355. nu. 31. Rota decis. 471. num. 6. part. 1.*

2 Non obstat, quod ipse maritus dixerit se non fuisse præsentem, id enim deponunt duo testes singulares, qui non sufficiunt ad probandam confessionem, & secundus dicit maritum dixisse, quod nec ipse fuerat testamentum, nec præsens fuerat testamento suæ vxoris, constando autem, quod maritus fecit testamentum labitur fides, vel mariti, vel testis, sed omissis alijs exceptionibus, manifestum est ex ipsis dictorum testium depositionibus, quod maritus hanc presentiam negabat ad querelas Generi, vel filiæ, quæ in testamentis exhæredata fuerat, & hac etiam de causa coniuges secreto, & clandestine fecerunt testamenta in loco extra suum domicilium.

3 Quo vero ad consensum satis probatur ex præsentia *l. qui tacet. de reg. iur. Abb. in cap. ad vestras. num. 9. de locat. Natt. consi. 567. num. 9. lib. 3. Surd. cons. 355. num. 16. late Tiraq. de retract. lignag. §. primo, glos. 9. numer. 158. Rota decis. 788. num. 10. par. 1. diuers.* Nec facit, quod ex inspectione testamenti non constet de tali consensu, statutum enim non disponit, quod presentia, & consensus renuncletur in testamento, ideoque sufficit, quod de illis vndecumque constet sicuti decisum fuit coram Illustrissimo Mellino, & de isto consensu potuit fieri particulare instrumentum. *Cephal. consil. 238. num. 19. Rimin. iun. quo alios allegat consil. 209. num. 88.*

4 Non obstat, quod præsumendo præsentiam, & ex præsentia consensum detur multiplicatio præsumptionum contra regulas iuris. Nam illæ regulæ non habent locum, quando vna presumptio venit in consequentiam alterius. *Put. decis. 36. lib. 2.* Vltra, quod aliqui ex Dominis dicebant dari in hoc casu probationem præsentiæ veram non præsumptiuam, quia vbi dantur coniecturæ, & præsumptiones concludentes, tunc vera non præsumpta dicitur probatio, fuit allegata decisio in causa Oscen. Archidiaconatus coram R. P. D. meo Lancellotto.

5 Præsumitur etiam consensus ex lapsu 30. annorum, cum in vim testamenti maritus habuerit vsumfructum omnium bonorum sibi relictum in vxoris testamento ex late traditis per *Lambert. de contr. mulie. glos. 7. num. 54. & Tiraq. de leg. connub. glos. 7. num. 39. & seqq. & præcipue. num. 44.* vbi de commu. & ista præsumptio fit etiam in præiudicium tertij dato tanti temporis cursu, quamuis in decennio, secus esset dicendum, vt per *Lambert. vbi supra.*

6 Non obstat, quod vbi statutum desiderat consensum, & presentiam copulatiue debeat interuenire vera, non autem præsumptiua probatio consensus, vt per *Ruyn. consi. 159. num. 1. volu. 5.* quem refert, & sequitur Lambert. vbi supra, *glos. 4. quæst. 3. num. 7.* Fuit enim responsum, quod *Ruy.* aperte loquitur in statuto prospiciente integrationi personarum. Hic autem sumus in statuto, quod prospicit duntaxat præiudicio, & interesse mariti, & filiorum, atque istam solennitatem requirit ad hoc, vt actus fiat, non autem ad hoc, vt sic fiat. *Bald. consil. 6. lib. 2. late Gabr. consil. 2. per totum, lib. 1. Thob. Non. consi. 18. num. 3. Honded. consi. 32. nu. 108. & sequentib. lib. 1.*

7 Non obstat, quod vbi consensus requiritur propter prȩiudicium tertij debeat esse expressus, nec præsumptus sufficiat ad not. per *Bart. & alios in l. quæ dotis. §. soluto matrim. quia Bart. & alij loquuntur de consensu,* qui ex sola taciturnitate elicitur, secus autem quando agitur de consensu præsumpto ex temporis diuturnitate, Et in his terminis per *Ruyn. consi. 111. num. 6. lib. 4. Dec.*

Dec. consil.409.numer.7. Alexand. in l.2. §. voluntatem.in princ. vers. hoc tamen limita. ff. soluto matrimo. & quando cum temporis cursu concurrunt ex serie facti plures aliæ præsumptiones, vt in hoc casu. Atque ex his &c.

R. P. D. PIROVANO.

Romana legati Pij. Veneris 18. Martij 1611.

ARGVMENTVM.

Vsufructuarius omnium bonorum potest regulariter capere vsumfructum etiam rerum legatarum, nisi in contrarium adsit aliqua coniectura, & quæ dicatur ista coniectura.

SVMMARIVM.

Vsufructuarius omnium bonorum concurrere potest in vsufructu earum rerum, quæ sunt alijs singulariter legatæ secundum communem. num.1.

Vsufructuarius omnium bonorum non concurrit in rebus alteri legatis, quando sic apparet de coniecturata mente testatoris. num.2.

Testatoris voluntas pro lege habetur. nu.2.

Vsufructuarius omnium bonorum non concurrit cum legato facto Ecclesiæ iuncto onere celebrandi tot Missas. num.3. & 4. vbi quid si onus legato adiectum est minus, & quod importat legatum. ibid.

Commodum qui non sentit, grauari non potest. num.4.

Testator, quod non expressit noluisse præsumitur. numer.5. Vbi præsertim, quando aliquid voluit in testamento expræssit. ibid.

Legatum generale vsusfructus omnia capit, Declara, vt num.7.

Res vna, & eadem potest diuerso iure censeri. num.7.

DECISIO CCCXXXVI.

1 QVamuis inter Doctores non leuis sit controuersia, an vsufructuarius omnium bonorum concurrat in vsufructu earum rerum, quæ sunt alij singulariter legatæ, & opinio asserentium posse concurrere videatur magis recepta, pro qua est textus apertus in *l.si alij. ff.de vsufruct. lega.& eam.tenet Bartol. in l.Sempronio.numer.1. & 2. eodem titul. & Bartol. sequitur Pichus in l.Titia.§.Titia cum nuberet. num.69. de legat. 2. & eam communem cum Bartol. testatur Dec. in l.in toto iure. numero 13. de regul. iur. Parisius consil. 94. in fine, volum.2. Rolan. consil.8. numero 36. volum. 2. Didac. variarum resolut.libro 2. cap.2. nu.7. Gabr.consil.102. volum. 1.Becc. consil.98. num.9. Surd. consil.466. num.4. volum.4.* qui allegant *Durant. Caualcan. & alios.*

2 Ab ea tamen apparentibus coniecturis contrarię voluntatis testatoris esse recedendum affirmatiue, *Abb. qui ita opinionem Bartol. restringit cons.4. num.6.libro 2. Paris. consil.97. num. 21. volum. 2. Illustrissimus Mant. de coniect. vltim. volunt. libro 9. tit. 6. numero 23. in fin. Surd. alleg. consilio 466. numero 15. volum.4.* & merito, quia in materia vltimarum voluntatum voluntas disponentis totum facit, & pro lege habetur *§. disponat. Auth.de nupt.l. in conditionibus.ff. de condi. & demonstra.* & tanquam Regina dominatur *l.cum quæstio.in fin.C.de leg.Mantic. de coniect. lib.3. tit.3.num.3. & seqq.Peregr.de fideic.art.40. num.45.*

3 Et quoniam est testamento Bartholomæi multæ deducuntus, quæ Dominis pro libertate legati visæ fuerunt sufficientes, ideo censuerunt sententiam Vicarij esse confirmandam, per quam fuit declaratum Margaritæ omnium bonorum vsufructuariæ nullum ius competere in vsufructu rerum singulariter relictarum Confraternitati Sanctissimi Corporis Christi in Ecclesia Sanct. Laurentij, & Damasi. Primo namque loco fuit consideratum non fuisse dictæ Confraternitati simpliciter legatas domos, & loca montium, sed cum onere celebrandi Missas pro eius testatoris anima, & suffragio, quod onus sicuti annexum, & inseparabile legato ex voluntate testatoris legitur, merito inseparabilis diiudicabitur vsusfructus oneri iniuncto correspectiuus ex natura correspectiuorum. *l. etiam. §. ex causa de minor. l. cum emptor in 1.ff. de rescind.vendit.l.si minor. ff. de legat.1. l.vlt.ff.de acceptilat. Crauet. consil.130. num.2. Menoch.consil.156.nu. 14. volum.2.* maxime, quia vxor iuris præsumptione non concurrit prædilectione cum anima testatoris. *Mantic.de coniect.lib.1.tit.7. num.9.*

4 Non obstat, quod grauamen ex medietate vsusfructus, quia iuris dispositione legatario non aufertur, bene poterat supportari, & consequenter, quia tam respectu legatarij, quam vsufructuariæ testatoris voluntas poterat impleri, coniectura non videatur probabilis, nec concludens. Nam omisso, quod hoc in facto non bene iustificatur, sed esto, quod longe maius esset legatum, quam onus, tamen fuit dictum separationem in eo, quod posset excedere non esse considerabilem, quia legatum fuit relictum, Confraternitati vt possit grauari alioquin, nisi commodum sensisset, grauari non potuisset. *l. filiusfamilias.§. Marcellus. ff. de legat.1.l.Imperator.§.1.de legat.2.l. ab eo. Cod. de fideicommiss.* sed non è conuerso legatum fuit relictum principaliter ob ipsum onus, vt essent nudi Ministri, & ideo vt societas teneatur ad onera debet integrum legatum habere.

5 Secundo vero loco considerarunt Domini Legatum factum Io.Antonio nepoti de tribus locis Montis Sanitatis, cui fuit à testatore prohibitum, ne posset fructum ex illis percipere, donec Margarita vidualiter, & honeste vixerit, ex qua fructus reseruatione bene colligitur mens testatoris, quod in reliquis legatis voluerit separare vsumfructum à proprietate, quia si voluisset id ipsum expressisset argumento. *l.vnicæ,§.sinuatem ad deficientis.C.de Caduc.toll.Becc.latè. cons.12.num.44.& 21. num.27.* discreta autem dispositio facta in vno loco operatur, vt testator aliud voluisse credatur, quando non expressit. *Soc.iun. cons.3. num7. & cons.114. num.19. volum.1.* & in his terminis ex ratione. *d.l.vnicæ* desumit argumentum. *Surd.cons.466. nu.7. vol.4.*

6 Nec ad rem videtur, responsio quæ datur ab Informantibus pro Margarita videlicet, quod in illo legato videbat particularis ratio sic disponendi, quę ideo non dêt iuris dispositionem alterare, & rationem ex eo deducebant, quia prohibitio alienationis rei legatæ durabat vsque ad triginta annos, quibus elapsis resultabat permissio alienandi. Nam hæc responsio bene concludit adesse particularem qualitatem, sed illa nil commune habet ad remouendam rationem supradicti argumenti, ex quo legatum continet prohibitionem alienationis Capitalis, & prohibitionem ne possit fructus locorum montium exigere durante vita Margaritæ.

7 Demum vigebat etiam Coniectura, quod de alijs particularibus legatis Margarita non poterat habere vsumfructum ex ratione generalis legati vsusfructus, quod omnia capit. *l.omnia, & ibi Dec.ff.si cert.pet.* nam in legatis factis pro dote trium Puellarum quando nupserint, vel Religionem ingressæ fuerint, bene dignoscitur non esse conseruatum vsumfructum, quæ si nupserint totum, & integrum consequentur legatum. Nec dicatur argumentum non procedere, tanquam ex diuersis, quia non est in iure absonum, quod vna pars testamenti alteram declaret, *l.*

qui filiabus, vbi Ias. n. 1. ff. de leg. 1. Ruin. consi. 130. nu. 4. vol. 3. Beretta, cons. 107. num. 19. vol. 2.

REVERENDISSIMO P. DOM. COCCINO DECANO.

Pientina Iuris patronatus. Veneris 23. Martij 1611.

ARGVMENTVM.

De requisitis ad institutionem Iuris patronatus cuius libertas non acquiritur per non vsum sine voluntate, & potestate conferentis, & quando quasi possessio præsentandi transferatur in hæredes ac demum quando donatio Iuris patronatus valeat sine consensu Ordinarij Magistralis decisio.

SVMMARIVM.

Institui, vt quis debeat in Iure patronatus, quatuor requiruntur, vacatio scilicet Beneficij, existentia iuris patronatus, habilitas præsentati, & præsentatio facta in tempore. nu. 1.

Beneficium iuris patronatus non requirit libertatem per solum non vsum vel negligentiam Patronorum, nisi etiam concurrant voluntas, & potestas conferentis. num. 2.

Voluntas, & potestas in quolibet actu insimul requiritur. num. 2.

Beneficij statum non mutant prouisiones Apostlicæ. nu. 2.

Ius patronatus censetur probatum, quando de eo in collationibus fit mentio. nu. 2.

Quasi possessio præsentandi in iure patronatus defuncti quando in hæredem transferatur. num. 3.

Donatio iuris patronatus non valet sine consensu Ordinarij. numero 4. & 5. Vbi quod nec sufficit consensus Vicarij non habentis speciale mandatum etiam abscente Episcopo.

Episcopus abscens à Diœcesi potest iurisdictionem exercere extra Territorium in his, in quibus non adest vtilitas, aut necessitas Ecclesiæ, nec sit periculum in mora. num. 5.

Donatio iuris patronatus sine consensu Ordinarij licet nulla sit, valet tamen in præiudicium donantis, & eius hæredum, numero septimo. Vbi declaratur hæc conclusio.

Donatio iuris patronatus facta sine consensu Episcopi post mortem donantis quando possit ab Episcopo confirmari. num. 7.

DECISIO CCCXXXVII.

1 Domini resoluerunt Marianum esse instituendum cum omnia requisita concurrant vacatio scilicet beneficij: existentia iuris patronatus: habilitas præsentati: & præsentatio facta à patronis in tempore quatuor mensium coram ordinario. *c. decernimus, & c. monasterium. 16. q. 7. c. cum Bertoldus, & ibi. Abb. nume. 12. de re iud. c. dilectus, vbi glos. in ver. plus iuris, de offi. deleg.*

2 Neque est verum, quod beneficium acquisiuerit libertatem, quia ad hunc effectum nō sufficit solus, nō vsus, vel negligentia patronorum, sed requiritur voluntas, & potestas conferentis, ad *tex. in leg. hæc aut. vbi Ang. nu. 3. vers. requiritur etiam & vers. 4. intentio ordinata. ff. de seruit. vrb. præd. Cora. in l. seruitutes num. 41. vers. 3. desideratur. ff. de seru.* & fuit in puncto resolutum in causa Papien. Archipresbyteratus. 9. Aprilis 1601. coram bonæ mem. Card. Pamphilio. Hic autem non adest voluntas, quia prouisiones Apostolicæ non mutant statum beneficij. *Bec. consil. 126. sub numero 4. Achill. decis. vnic. de stat. benef.* alias vltima, de iure patronatus, & fere in omnibus habetur mentio iuris patronatus quæ excludit collationem fuisse factam iure libertatis. *Lambert. de iure pat. part. 3. q. 7. ar. 7. nu. 5. Bero. in c. 1. num. 88. cum seqq.* de iure patronatus, & fuit resolutum in dicta causa Papien.

3 Neque facit, quod patroni, qui hodie præsentarunt non sint in quasi possessione præsentandi, quia sufficit quod habeant causam ad his, qui sunt in quasi possessione præsentandi, & ad quos fuit resolutum spectare ius patronatus, vt fuit dictum in eadem Papien. Archiepiscopatus. 28. Ianuarij 1602. licet enim verum sit, Rotam sequi illam opinionem quod possessio defuncti non transferatur in hæredem tamen hoc esset considerandum si Comites niterentur sola præsentatione antecessorum.

4 Non obstat secundum quod principaliter deducebatur nempe, quod hoc ius patronatus fuit donatum Abbati. Nam fuit responsum, quod cum in donatione non interuenerit consensus Ordinarij non valuit c. illud, & c. cum sæculum, de iure patronatus. *Goffred. in summa eodem titulo. num. 8. & Hostien. pariter, in summ. §. ex quibus vers. mihi videtur Gemin. in c. 1. num. 10. & Franc. numer. 2. & 4. eodem titulo. in 6. Roch. de iure patronatus, in vers. pro eo, quæst. 2. & 4. Lambert. part. 2. quæst. 1. art. 2. num. 5. art. 2. lib. 1. Gig. consi. 52. num. 5. vers. secus autem. Than. decis. 20. Achil. decis. 10. num. 1. de iure patronatus.*

5 Nec refert quod Vicarius ipse prestitit consensum, quia hoc non potuit facare absque speciali mandato. *Cald. cons. 1. de offi. Vic. Ferret. cons. 347. num. 7. lib. 2. tum d. Than. alleg. decis. 20.* & fuit sæpissime resolutum, & quamuis tunc temporis prætendatur Episcopum fuisse absentem, tamen quicquid sit de hoc idem absente Episcopo, vt expresse dicit *Ferret. in d. cons. 347. num. 17. vers. nec obstat si diceretur, & consi. 327. numer. 6.* & hoc optima ratione, quia absentia Episcopi non ampliat facultatem Vicarij nisi in casibus expressis, à iure *c. cum nullus, de tempor. ordin. lib. 6.* & cum hoc sit voluntariæ iurisdictionis, & propterea possit exerceri ab Episcopo extra territorium cum non interueniat vtilitas, aut necessitas Ecclesiæ nec sit periculum in mora, Iura non dicuntur dilatare Vicarij potestatem prout dilatant quando adest necessitas vel vtilitas Ecclesiæ, vt in dicto *c. cum nullus Io. Monach. in c. cum in generali. num. 5. de offic. Vic. in 6.*

6 Nec faciunt ea, quæ longa serie fuerunt congesta ad probandum contrarium, quia facile tolluntur cum omnia tendant vel ad docendum, qualem habeat potestatem Capitulum Sede Vacante, de quo in presenti non agimus vel ad probandum qualem Iurisdictionem habeat Vicarius ex dispositione iuris vel ex mandato, aut qualem habeat absente Episcopo circa ea quæ respiciunt vtilitatem, vel necessitatem Ecclesiæ, de quibus hic non agitur, & ideo prædictis sigillatim non est opus respondere, cum non faciunt ad punctum.

7 Non obstat tertium quod principaliter deducebatur scilicet, quod post mortem donantis Episcopus potuit confirmare donationem. *Rota decis. fin. de iure patronatus, in antiq.* qua hoc est verum, sed non interueniente consensu Episcopi cum non fuerit abdicatum ius à donante, & eius hæredibus interim hæredes possunt præsentare, vt declarat *Put. decis. 16. alias secundum nouam, & emendatam editionem. 18. lib. 2.* & quamuis dicatur quod donatio valeat in præiudicium donantis, & eius hæredum, iuxta dictam decisionem finalem, & quod propterea dicta decisio Putei non procedat, quando præsentatus à donatario concurrit cum præsentato à donante tamen non releuat, quia hoc est verum, vt si interueniat

niat consensus Episcopi donatio facta à defuncto teneat in preiudicium hæredis non autem, quod præsentatus à donatario impediat quo minus præsentatus ab hærede donantis ante confirmationem Episcopi non debeatur instituit, cum ante confirmationem non fuerit abdicatum ius à donante, & ab euis hæredibus.

REVERENDISSIMO P. DOMINO MANZANEDO.

Ciuitaten. Confirmationis Concordiæ. Veneris 15. Aprilis 1611.

ARGVMENTVM.

Mandatum Papæ de confirmanda concordia debet executioni demandari, & nemo potest resilire ab hac præcepto.

SVMMARIVM.

Literæ Apostolicæ habent executionem paratam. nu.1.
Rescriptum confirmans concordiam cum expressione tenoris, ipsius concordiæ dicitur emanatum ex certa scientia. num.2.
Rescripto Principis confirmanti aliqnam concordiam, & facienti mentionem de concordia, quam confirmat, creditur, licet non produceretur relata concordia. num. 3.
Papa mandans concordiam fieri ligat manus litigantium, & iudicis. num.4.
Præscriptiones quæ possunt inducit, possunt etiam per viam concordiæ stabiliri. nu.4.
Restitutio an datur Ecclesiæ, vel minori pro qualibet modica læsione. num.6.

DECISIO CCCXXXVIII.

1 PRoposii dubium, an esset concedenda confirmatio concordiæ, de qua agitur, illaque veniret exequenda, & parte Capituli tamen informante D. pro confirmatione, & exequutione respondendum censuere supposita commissione per Sanctissimum mihi directa cum clausula quod si dicta confirmatio, & exequutio erit concedenda, concedatur, & exequatur; & Domini mouebantur ex eo, quod literæ Apostolicæ habent exequutionem paratam. *c. si quando de rescript. & ibi Doct. Mohed. decis.13. vt lit. pend.*

2 Et eo magis cum simul in mandato Apostolico de confirmando emanato cum expressione totius fere tenoris, quia & omnimodæ substantiæ contentorum in concordia, & sic ex certa scientia, *ad tex. in c. venerabilis iuncta glo. verb. tenor & gl o. verb. si præmissis. de confirm. vtil. vel inutil. glo. in verb. ex certa scientia, in c. Pastoralis. §. præterea. de offic. deleg. tex. in l. idem Vlpianus. §. sunt, & alij. ff. de excusat. tut. tradit. Abb. in c. 1. num. 6. & in cap. examinata. nu. 5. & in d. c. venerabilis. nu. 2. & ibi Butr. nu. 6. & idem in c. porrecta. nu. 6. vers. in quantum, gl. dicit. de confirmat. vtil. vel inutil. idem. Abb. in c. quia diuersitatem. n. 9. de conces. præben. Felyn. plures congerens in c. cum inter. n. 2. vers. sed contrarium, & n. 3. de except. Imol. in Cle. 2. in fin. de rescript. Aanch. cons. 293. num. 3. Bar. in cons. 193. nu. 3. lib. 1. Rom. cons. 327. nu. 7. Bellon. cons. 36. nu. 7. Gab. cons. 200. nu. 6. lib. 1. & cons. 183. nu. 13. & seq. lib. 2.*

3 Quod in tantum procedit, vt narrato tenore, seu substantia confirmatæ standum fit dictis literis absq; productione, seu verificatione confirmati ex dicta *glos. in verb. tenor, in d. c. venerabilis Præpositus. in c. 2. nu. 17. vers. & idem dicerem. 19. dist. Abb. ex mente. Innoc. & alior. in c. inter dilectos. n. 9. vers. & credo, & ibi Fel. n. 7. plures adducens de fid. instr. Boe. dec. 247. n. 3. ver. fallit imprimis legio. Paris. cons. 33. num. 9. lib. 1. Ruin. consil. 31. num. 7. lib. 1. Bellon. vbi supra.*

4 Nec tali casu licuit Domino Episcopo ante confirmationem pænitere, cum Papa mandando concordiã confirmari manum, opposuerit & ex hoc fuerit Capitulo ius quæsitum, vt fuit resolutum in vna Leodien. Bonorum. 14. & 18. Maij. 1586. coram bon. me. Rubeo, nec ex concordia resultare videbatur aliqua rationabilis causa, quæ posset impedire confirmationem, nã cum quicquid in ista concordia includitur de puniẽdis, & multandis excessibus in choro, vel Capitulo commissis per Beneficiatos, hoc totum possit prescriptione inducit. *c. refragabili. § excessus, de offic. ordin.* potuit etiam per viam concordiæ stabiliri, quæ fundatur in bono pacis. *Calder. cons. 5. nu. 1. vers. nam prædicta, de reb. Eccl. non alien.*

5 Nec minus aliquo læsio Domino Episcopo videbatur resultare, quod enim quo ad excessus predictos iurisdictio fuerit in prima instantia à Domino Episcopo abdicata per concordiam hoc non continet læsionem, cum tantum respiciat modicam coerctionem, & multam imponendam in choro, vel Capitulo à Presidenti, quod est valde consonum pro conseruandis silentio, attentio, quiete, grauitate, & compositione necessarijs tam in choro respectu serui tij, & cultus diuini, quam in Capitulo respectu pacis, & expeditionis negotiorum Ecclesię, & quin & vtrobique respectu decoris, obseruandi inter personas Ecclesiasticas, & in dignitate in Ecclesia Cathedrali ad eo insigni constitutas, quod si ista modica iurisdictio in Præsidenti non adesset pro dictis multis in choro, & Capitulo imponendis, & pro illarum correctione esset adeundus Dominus Episcopus de facili excessus iuxta humanam fragilitatem possent committi, & ab illis non ita de facili abstineretur, nec commissi ita prompte corrigerentur, & satis decori Episcopali consulitur, illiusque authoritas præseruatur ex appellatione Episcopo deferenda respicienti superioritatem ipsius dignitatis Episcopalis, quę nec minus lęsa videbatur ex eo, quod istæ multę vsque ad certam summam in concordia expressam, sint exequendæ appellatione non obstante, quod licet appellationi detrahat effectum suspensiuum respicientem fauorem commitentis excessum, non tamen detrahit effectum deuolutiuum concernentem superioritatem Domini Episcopi.

6 Ex quibus non videbatur ipsius dignitas in aliquo læsa, aut in ita minimo, vt non veniat in consideratione pro rescissione concordiæ, & recessu ab illa Pæcipue cum quo ad istud modicum possit Episcopus ius sibi competens à se abdicare etiam cum læsione modica, & illud in capacem tranferre seruata forma debita, vt notat *Calder. vbi supra dicto cons. 5. num. 1. vers.* vnde fateor inducens ad idem *tex. in c. si Episcopi, & c. seq. 12. q. 2. & in cap. Apostolicæ. de donat. & tex. per argumentum in l. cum plures. §. cum tutor. ff. de administr. tutor.* & facit optime, quod restitutio non datur minori, uel Ecclesię pro qualibet modica lesione, iuxta *glos. in verb. summam in l. scio de integr. restit. & glos. & ibi Bart. in l. pen. ff. de minor. & Specul. in tit. de restit. in integr. §. quis aũt, & quando. nu. 37. Angel. in l. si proprietarius. nu. 3. ff. de damn. infect. Butr. in c. constitutus. nu. 12. de in integr. restitut. Bal. in c. cum adeo num. 6. de rescript. Bero. in c. 1. num. 8. & ibi. Anch. num. 2. eod. tit. Suarez. alleg. 21. num. 3. Mandel. cons. 11. num. 21.* & de communi, & magis communi aduersus incontrariũ sentientes, quã plurimo cumulat. *Sfort. Odd. de rest. in integ. part. 1. q. 4. art. 12. num. 105. vers. in contrarium tenent.* Ex quibus sic fuit resolutum.

R. P. D. MANZANEDO.

Seguntina Admissionis ad Capitulum. Veneris 15. Aprilis 1611.

ARGVMENTVM.

De Statuti confirmatione facta de mandato Sanctissimi quando facta censeatur ex certa scientia, & quid si statutum non sit conforme iuri communi, & an etiam confirmanti, & asserenti se confirmare de mandato Sedis Apostolicæ credatur.

SVMMARIVM.

Assertioni Cardinalis confirmanti statutum de speciali mandato Sedis Apostolicæ creditur. num.1.

Confirmatio statuti censetur emanata ex certa scientia quando in ipsa confirmatione omnimoda eiusdem statuti substantia refertur. num.2.

Statuta etiam contra ius commune valent quando sunt specialiter confirmata à Sede Apostolica. nu.7. Vbi præsertim quando in confirmatione adest clausula sublata quorum tenores, & decretum irritans.

Confirmatio statuti numquid valeat, quando non apparet de existentia statuti aliter, quam per verba enunciatiua confirmationem petentis. nu.4.

Confirmatio statutorum cum clausula licita tamen, & honesta ad quæ extendatur. num.5.

DECISIO CCCXXXIX.

1 DVbitaui an statutum ab Ordinario Seguntino factum de anno 1523. cum illius confirmatione Apostolica obstet Rectoribus, & Domini affirmatiue respondendum dixerunt, moti præcipue ex confirmatione eiusdem statuti de anno 1555. auctoritate Apostolica concessa per bon. mem. Cardinalem Sancti Angeli Maiorem Pænitentiarium, quin & de speciali mandato Sedis Apostolicæ, vt ipsemet Cardinalis in ipsa confirmatione attestatur, cui assertioni standum est, ad *tex. in c. nobilissimum 97. distinct. quem ita intelligit decis. 33. de probat. in antiq. & Spec. in tit. de testib. §. restat. num.10. & in dicto tit. de legat. §. superest. num.16. Ionn. Andr. in cap. 1. ante numer. 2. vers. item secundum Hostiens. de offic. deleg. in 6. Abb. in c. quod translationem. in fin. de offic. legat. Ægid. decis. 183. incip. assertioni. Alex. cons. 106. num.19. lib.2. Lap. alleg. 32. num. 3. vers. an credatur. Paris. cons. 11. num.17. lib.4. Gabriel. de probat. concl. 3. num.20. Put. decis. 2. num.4. lib.1.*

2 Et eo magis cum in dicta confirmatione omnimoda substantia statuti, & fere totus illius tenor specifice referatur, quæ expressio operatur, quod confirmatio ex certa scientia emanata dicatur, ad *tex. in c. venerabilis iuncta glos. verb. tenor, & glos. verb. si præmissis, de confirm. vtil. vel inutil. gl. in verb. ex certa scientia. in cap. Pastoralis. §. præterea. de offi. deleg. tex. in c. pen. vbi gl. in verb. sicut de confirm. vtil. vel inutil. & ibi Dec. num.1. & tex. in l. idem Vlpianus. §. sunt & alij. ff. de excusat. tut. tradit. Abb. in c. 1. num.6. & in c. examinata. num.5. & in d. c. Venerabilis. n.2. & ibi Butr. nu.6. & idem in c. porrecta. in 6. vers. in qua atum. glo. dicit, eod. tit. de confir. vtil. vel inutil. Idem Abb. in c. quia diuersitatem. nu.9. de conces. præb. Fel. plures congerens, in c. cum inter. nu.2. vers. sed contrarium, & n.3. de except. Imol. in Clem 2. in fi. de rescript. Anch. cons. 293. nu.3. Bart. in cons. 193. num.3. lib.1. Roman. cons. 327. n.7. Bellon. cons. 36. num.7. Gabriel. cons. 200. nu.7. lib.1. & cons. 183. nu.13. & seq. lib.2.*

3 Quæ magis procedunt cum adsint in ista confirmatione clausulæ, sublata, quorum tenores, & decretum irritans, ad tradita per DD. *in dicto c. pen. de confir. vtil. vel inutil.* & ponderauit. Rota in vna Seguntina Iurisdictionis 27. Nouemb. 1587. coram bon. mem. Gipsio, qua confirmatione stante videbatur parum insistendum in eo, an istud statutum sit conforme iuri, vel præter, aut contra ius, cum vtcumque sit validetur per dictam confirmationem ex certa scientia ex notatis, per *Barbat. cons. 60. num.14. lib.3. arg. tex. in c. 1. de transact. cum alijs.*

4 Nec obstare visum fuit, quod non constet de existentia prædicti statuti, nisi ex enunciatiua à Prouisore Seguntino facta de dicto anno 1523. quæ illud non probat, iuxta *Bal. in l. 1. in fi. C. de episc. & cler.* & fuit dictum in alia Seguntina admissionis ad Capitulum 26. Iun. 1585. coram eod. Gipsio, & coram me in hac eadem causa 7. Iun. 1610. Quia respondebatur non solũ adesse dictam enunciatiuam, quin & eiusdem Prouisoris ordinationem circa numerum, & qualitatem admittendorum ad Capitulum, quam specifice confirmauit Cardinalis: vltra quod narrato tenore, seu substantia statuti in confirmatione illi est standum, absque productione, seu verificatione statuti confirmati ex dicta *glos. in verb. tenor. in d. c. venerabilis. Præposit. in c. 2. num.17. vers. & idem dicerem. 19. dist. Abb. ex mente Innoc. & aliorum in c. inter dilectos. n.9. vers. & credo, & ibi Fel. numer. 7. plures adducens. de fid. instr. Boer. decis. 247. nu.3. vers. fallit in priuilegio. Paris. cons. 133. nu.9. lib. 1. Ruin. cons. 31. num.7. lib.1. Bellon. vbi supra,* & de communi testatur. *Rot. diuers. 36. num.1. p.2.*

5 Minus obstant verba limitatiua in eadem confirmatione relata ibi licita tamen, & honesta, ex quibus confirmatio videtur redacta ad formam cõem, & excludi ea, quæ sunt contra ius, fuit enim responsum illa verba referri ad alia statuta, quorum tenor non fuit expressus, non vero ad istud statutum expressum ad fauorem naturalium, vt ex lectura confirmationis clare apparet, prout fuit dictum in vna Corduben. statutorum 13. Iunij 1588. coram eod. Gipsio, & in alia Legionen. Iurisdictionis 11. Maij 1580. coram bo. mem. Seraphino.

6 An aũt statutum 24. quod dicitur, fuisse conditum de anno 1571. quo disponebatur, quod Rectores haberentur pro naturalibus, fuerit reuocatum per acta subsequuta, tam Ordinarij Seguntini 19. Aprilis 1581. quam per Capitulum 21. eiusdem mensis, & anni, & 9. Martij 1584. & postea 21. Iulij 1587. & abolitio. d. statuti de qua in margine subscripta per Baccalarum Cortes Secretarium eiusdem Capituli potuerit fieri, & teneat, cum sint hæc omnia extra præsens dubium poterunt particulariter videri.

R. P. D. PIROVANO.

Tarentina Administrationis Sacramentorum. Veneris 15. Aprilis 1611.

ARGVMENTVM.

Onus curæ Ecclesiæ Parochialis spectat ad omnes Canonicos vti Collegium, quando cura est penes Capitulum.

SVMMARIVM.

Onus deferendi Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum ad infirmos est de pertinentibus ad curam animarum. nu.1.

Cura Ecclesiæ Parochialis, quando spectat ad capitulum non dicitur spectare ad Canonicos vti Canonicos, sed vti Collegium. num.1.

Onera curæ Ecclesiæ Parochialis per Capitulum communiter supportari debent, quando fructus communiter diuiduntur. num.1.

DE-

DECISIO CCCXL.

PRoposui dubium, an onus deferendi Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum ad infirmos loci Criptaliarum Tarentinæ diœcesis spectet ad totum Capitulum Collegiatæ ipsius, & fuit conclusum ad omnes de Capitulo spectare.

1 Quia onus prædictum est de pertinentibus ad curã animarum Rota in Recanaten. Parochialis coram Cantuccio, int er impressas. 52. *par.2. diuers. num.10.21. & 22.* In Ecclesia autem de qua agitur quæ est collegiata, cura non est penes Archipresbyterum, aut aliã dignitatem principalem, nec penes Canonicos, vti Canonicos quoscunque, sed vti Collegium. *Put. decis.290. lib.1. Old. cons.67. numer.1. Cald. cons.18. vers. non obstat si dicatur, Lap. allegat. 5. num.7. Cassad. decis.11. num. 3. de præbend.* propterea ficuti cetera sacramenta per omnes Canonicos, vel de eorum commissione per Vicarios collegialiter deputatos exercentur, vt ex fide, quæ datur in Summario, ita nulla ratione suaderi videtur, quod in particulari actu deferendi Sanctissimum Sacramentum ad infirmos resultet priuilegium exemptionis, nisi aliunde contrarium doceatur, maxime, quia in huiusmodi Collegiata, & Parochiali, fructus, qui ex cura proueniunt, æqualiter diuiduntur inter Canonicos, & dignitates, quam diuisionem multum Domini considerarunt ad arguendam cõem onerum supportationem, vt alias fuit resolutum in vna Aquilana Vicariatus 7. Maij 1590. coram Illustriss. Cardinali Platto, & in eadem 20. Maij 1598. coram bon. mem. Card. Seraphino. Atque ita solo Archipresbytero informante fuit resolutum.

R. P. D. PIROVANO.

Romana Hæreditatis. Lunæ 18. Aprilis 1611.

ARGVMENTVM.

Matrimonium probatur coniecturis, & præsumptionibus quando de eo agitur non principaliter, sed incidente ad effectum successionis, & legitimitatis, & quando illud præsumatur ex longa cohabitatione, filiorum procreatione, & tractatu viri, & vxoris.

SVMMARIVM.

Matrimonium probatur coniecturis, & præsumptionibus quando de eo agitur non principaliter, sed incidenter ad effectum successionis, & legitimitatis. num.1. & 5.

Parochi fides probat matrimonium alijs coniecturis adminiculata. num.2.

Argumentum à communiter accidentibus valet plurimum in materia probationum. num.3.

Matrimonium an præsumatur ex cohabitatione coniugum multorum annorum, ex filiorum procreatione, & inter eos simultaneo tractatu viri, & vxoris. num.4.

DECISIO CCCXLI.

1 DOminus Honuphrius non acquiescens resolutionibus super filiatione Vincentiæ in Rota factis ad aliud dubium conuolauit, an scilicet constaret Margaritam fuisse vxorem Herculis, quorum se filiam Vincentia prætendit, & in hoc postremo non valde Domini elaborarunt, existimantes potius ad differendum principale negotium fuisse petitum, quam vt probabiliter super eo matrimonio dubitari posset, propterea, vnanimes dixerunt constare de matrimonio. Nam cum non agatur de eo probando principaliter, sed incidenter ad effectum successionis, & legitimitatis sufficit probatio coniecturalis, & præsumpta, *cap. causam quæ, il 1. qui fil. sint legitim. Gemin. ex illo tex. cons.27. nu.8.* quem sæpius sequuta est Rota, vt in Parmen. Status 2. Decemb. 1573. coram bo. mem. Oriolen. & in eadem 6. Martij 1592. & 23. Octobris eiusdem anni coram bon. mem. Cardinali Seraphino, & in Romana, siue Amerina domus coram Cantuccio, quæ est 34. *nume. 19. part.2. diuers. Paris. late comprobans. consil.57. num.41. lib.4. & consil.13. num. 22. lib.2.*

2 In casu autem proposito nedum leuiores, sed vehementes, & concludentes concurrunt præsumptiones. Nam datur fides Parochi in Summario, numero primo, attestanti se celebrasse matrimonium per verba de præsenti, & præsentibus testibus inter dictam Margaritam, & Herculem Brambillam, cui, & si maior fides adhiberetur, si ad præsens in eius libro adnotata reperiretur secundum *Sacri Concilii dispositionem. sess.24. cap.1. de reform. matrim.* adeo tamen bene adminiculata legitur, vt non careat virtute probandi. *Bald. in l. instrumenta. num.1. C. de probat. Ias. consi.129. num.54. vers. quia ad hoc. lib.1. Crauet. de antiq. temp. par.1. §. viso. de verbis. num.6.* & fuit dictum in vna Romana extinctionis census inter impressas vltima *part.1. diuers. num.2. & seq.*

3 Primo emanauit vsque de anno 1585. ante motam litem, & ad effectum consequendi dotes à congregatione Sanctissimæ Annunciatæ, ac Sancti Iacobi Hispanorum, & consequenter tempore non suspecto, & ea fides attenta fuerunt per dictas Congregationes dotes exbursatæ, prout ex instrumentis Congregationum, quæ dantur in *Summario Vincentiæ. num.5. & 6.* & cum sit notorium ista pia loca adhibere maximam diligentiam, antequam dotes consignent multum præponderat in materia probationum. *l. eum, qui probabilem. C. de episc. & cleric. cap.1. de cleric. non resid. Bal. in cap. fi. de caus. poss. & propriet. Euerard. plene in loco, à communiter accidentibus. num. 1. & seq. Menoch. consil 203. num. 7. vol. 5.* Accessit etiam moderna Parochi attestatio, & iurata, qui de actu, à se gesto examinatus deposuit vere matrimonium inter Margaritam, & Heraclem contraxisse, & verum dixisse præsumitur, cum nihil, aut commodi pecuniarij ex ea assecuturus esset.

4 Concurrit etiam cohabitatio multorum annorum, & filiorum procreatio, & simultaneus inter eos tractatus viri, & vxoris, ex quibus oriri præsumptionem veri matrimonij probarunt. *Abb. Ant. de But. & Felyn. in cap. illud de præsumpt. Bald. inter. consil..... consil. 3. num.21. Angel. inter eadem. consi.45. numer.10. Bursatt. cons.98. numer.7. & seq.* Et quamuis. *Alciat. de præsumpt. reg.2. præsumpt. 5.* voluerit per cohabitationem matrimonium non præsumi, sed fornicationem, per *cap. aliter 30. quæst. 5.* & in hanc opinionem discendisse videantur. Hostien. & *Ioann. Andr. in d. cap. illud de præsumpt.* vel saltim de cohabitatione decem annorum esse intelligendum, vt respondit. *Alex. cons.150. numer.11. vers. constat autem. lib.5. Tiraq. in tract. de præscript. §. 1. glos. 4. vers. 6. eiusdem.* Tamen hæc procedere videntur, quando agitur de retractando alio matrimonio, vel in præiudicium alterius matrimonij, vt omnes Scribentes sensere, in dicto cap. illud, quos adducit. *Paris. consi.59. num.7.8. & 9. lib.4. & Alex. in dicto consi.150. num.11. & consi. 151. num.7. vol.5.* & etiam vbi aliæ coniecturæ non concurrent secundum. *Dec. cons.163. num.2. vers. accedit etiam,* quæ tamen multæ in casu, de quo agitur, concurrunt vltra narratas videlicet depositio vnius testis, confessio partis in articulis, diuersæ enunciatiuæ, & demum assecuratio dotis per instrumentum.

5 Non obstat, quod fidei Parochi aduersetur fides Monasterij Sanctæ Catherinæ, dum dicit Margaritã exiuisse, è monasterio die 14. Februarij maritatam cum

Hercule, & tamen Parochus asserit fuisse maritatam die 15. & sic in die immediate sequenti. Nam bene conuenire possunt, vt prior intelligatur de sponsalibus, & fide mutuo data, secunda vero cum effectu subsequuto, prout nec etiam obstat decisio Bubali, quæ vere non repugnat alijs decisionibus, cum nihil aliud præsupponat, &c. in materia filiationis, vt probationes concludant, vel quasi filiationis possessionem ex contractu, & hoc casu agitur de matrimonio ad effectũ successionis ideo nihil ex ea potest inferri.

DECISIO CCCXXXXII.

Leodien. Fideicommissi. Lunæ 2. Maij 1611.

Impressa Apud Caualerio.

DECISIO 151.

DECISIO CCCXXXXIII.

Placentina de Malpartida Mercurij 4. Maij. 1611.

Impressa Apud Ludouisio.

DECISIO 501.

R. P. D. PIROVANO.

Romana Fideicommissi de Vrsinis. Lunæ 9. Maij. 1611.

ARGVMENTVM.

Mirabilis est Decisio, & nimirum, quia ab Auditore mirabilis Doctrinæ, & eruditionis extensa est, in qua exactissime declaratur an, & quando descendentes in testamento substituti vocati censeantur per vulgarem directam substitutionem. An vero etiam per Fideicommissarium.

SVMMARIVM.

Filij, & eorum descendentes à testatore ad eius hæreditatem vocati, non copulatiue, sed ordine successiuo vocati censentur. nu.2.

Descendentium verbum collectiuum est plurium personarũ, & graduum, & ideo quando descendentes sunt vocati a testatore, censentur vocati tam per vulgarem, quam per fideicommissariam substitutionem. nu.3.

Substitutio vulgaris, & fideicommissaria in qua vocantur descendentes non terminatur in primis adeuntibus, sed ad omnes profertur descendentes de gradu in gradum propter implicitum statum futuri temporis obliquando directam institutionem. nu.3.

Verbum suis exponitur pro descendentibus. numer.3. ad finem.

Descendentium appellatione in fideicommissis numquid veniant vltra primos adeuntes alij subsequentes, quando in fideicommisso non adsut verba explicantia tempus futurum, vel non fuerit dictum semper in infinitum quandocunque, & similia. num.4.& seq.

Substitutio verbis directis, quando facta dicatur ita quod ad fideicommissum tragi non posset. num.5.& seq.

Substitutio quando dicatur facta verbis communibus ita quod fideicommissum importet. num.6.

Clausula Codicillaris cum testamento operatur verba etiam Ciuilia important fideicommissum, & obliquantur quando substitutio non potuit valere iure directæ substitutionis. num.7.& 8. vbi referuntur contrarium tenentes, & nu.10. vbi de eadem materia.

Substitutio fideicommissaria inducitur per verba Communia. num.9.

Clausula Codicillaris trahit secum substitutionem fideicommissariam, quando de intentione testatoris apparet sic voluisse. num.10.

Descendentium appellatione in substitutione quando veniant descendentes futuri. nu.11.

Temporis tractus respiciens personam primo vocati in testamento ad aliam personam extendi non debet. Declara, vt num.12.

Substitutio reciproca ex quibus verbis dignoscatur. nu.12.

Substitutio reciproca non excedit personas institutorum, quamuis dictum fuerit, & etiam descendentes. Declara, vt. num.13.

Fideicommissum censetur inductum à tastatore, quando ab eo descendentes fuerunt bis in conditione positi cum qualitate Masculinitatis. nu.14.

Filij in conditione positi censentur vocati, quando sic constat per coniectura, de voluntate testatoris. num.14. de quibus statur arbitrio iudicis. nu.15. & 16. vbi recensentur plures coniecturæ.

Fideicommissum censetur inductum à testatore ex qualitate Masculinitatis ex feminarum exclusione propter Masculos, ex vocatione feminarum in defectu Masculorum, ex reciproca inter institutos. num.16.

Fideicommissum censetur inductum à testatore ex digressu ad plures substitutionum gradus. num.16 17.& 18.

Fideicommissum censetur inductum à testatore quando apparet eum habuisse rationem conseruandi bona in agnatione. num.16. & numero 19.& seq. vbi etiam ex quibus eliciatur testatorem voluisse bona in Agnatione conseruari.

Agnationis conseruandæ ratio, quando censeatur habita testatore. num.19.& 20.

Licentia data à testatore alienandi res hæreditarias in aliquas personas sustinetur alienatio facta ab hærede vni ex dictis personis, quando hoc uerum sit. nu.21.& seqq.

Proximioribus in testamento enunciatis omnes in eodem graue existentes simul vocati censentur. num.22.

DECISIO CCCXLIV.

1 IO. Conradus Vrsinus decedens testamentum condidit, in quo instituit, fecit, atque reliquit suos vniuersales hæredes Hieronymum, & Vicinum suos filios legitimos, & naturales, & omnes alios suos filios masculos nascituros legitimos, & naturales si nasci contigerit, & eorum descendentes masculos legitimos, & naturales pro æquali portione. Et si decesserint, seu eorum descendentes in pupillari ætate, vel postea quandocunque, quod vnus moriatur alteri, & alter alteri pro æquali portione, non obstante, quod sint de diuersis matrimonijs. Et si contingeret, quod dicti sui filij, & hæredes, & eorum descendentes masculi omnes descederent sine filijs legitimis, & naturalibus masculis, tunc & in eo casu voluit, ac mandauit succedere Maherbalem. Mortuo testatore, & adita per illius hæredes nominatos hæreditate. Vicinus suscepit filios, Martium scilicet, & Corradinum legitimos, & naturales. Decessit exinde Martius relictis DD. Maherbale, & Horatio suis filijs legitimis, & naturalibus. Demum clausit diem suum Corradinus, scripto prius sibi in hæredem D. Horatio altero ex filijs Martij.

2 Moto iudicio per D. Maherbalem iuniorem prætendentem factum esse locum fideicommisso Io. Conradi ad sui fauorem, causa fuit in Rota commissa, & proposito dubio. An constaret de fideicommisso Io. Conradi in casu, & ad effectum de quo agitur. Domini dixerunt constare. Quia, & ex verbis, & ex mente, bene

bene probatur vocatio descendentium testatoris, & reciproca inter eos substitutio. Ex verbis, dum insti-tuit, fecit, atque reliquit hæredes Hieronymum, & Vicinum suos filios, & eorum descendentes, qui cum à testatore non copulatiuè, sed ordine successiuo vocati fuerint propter necessitatem eos instituendi. *Gl. in leg. Gallus. §. quidam recte. ff. de lib. & posth.* quam sequuntur ibidem *Bart. num. 4. Bald. nu. 5. Alber. nu. 9. Alexand. nu. 6.* & communiter receptum dixerunt. *Socin. iun. cons. 171. nu. 4. lib. 2. Clar. in §. testamentum. nu. 80. Petr. de fideic. q. 5. num. 153. Illustriss. Mantic. de coniect. vlt. volunt. lib. 4. tit. 7. in 1. Menoch. de præsumpt. lib. 4. præsumpt. 70. num. 3.*

3 Dicuntur in vtroque casu tam vulgaris, quam fideicommissariæ vocati propter nomen, descendentes, collectiuum plurium personarum, & graduum *Auth. de hæredit. ab intest. ven. post princip. l. vlt. C. de suis, & legit. Grass. in §. fideicommissum. quæst. 15. Galliaul. in leg. Gallus. § quidam recte. num. 4. ff. de lib. & posthum. Crauet. cons. 22. nu. 5.* quod terminari non solet in primis adeuntibus secundum naturam vulgaris. *l. post aditam. C. de impub. Alex. cons. 14. colum. 3. lib. 4.* sed ad omnes, profertur descendentes de gradu in gradum propter implicitum statum futuri temporis obliquando directam institutionem. *l. filiusfam. §. vt quis hæredem. ff. de leg. 1. l. ex facto. in princ. ff. ad Trebell. l. verbis ciuilibus. ff. de vulg.* quem intellectum vti naturæ, & voluntati testatoris amicum probauit Bald. in institutione de Colla, & eius descendentibus. *cons. 303. vol. 3. sed plenius. cons. 492. pro eodem Colla, vol. 2.* & in institutione de filio, & nepote. *Paul. de Cast. in l. Gallus. §. quidam recte. nu. 9. vers. tenendo opinio. Bart. de lib. & posth. Couar. in cap. Raynutius. §. 2. num. 7. de testamentis.* idem comprobans, quando vel adest nomen collectiuum, vel apposita sunt verba futurum tempus respicientia, & in substitutione facta de Beatrice, & suis, quod verbum, suis, exponitur pro descendentibus, secundum *Decian. in cons. 217. ad finem respondit Crauet. cons. 22. num. 7. Sim. de Præt. de interpret. vlt. vol. in substitutione de suis, & descendentibus lib. 2. interpret. 2. dub. prima fol. 5. nu. 46. vers. quod tamen intellige. pag. 239. à tergo. vbi miratur de Crau. qui non allegauit. cons. Bal. 492. vol. 2.*

4 Et quamuis multi senserint, quod verbum, descendentes, primis adeuntibus ad fideicommissum non trahatur, nisi concurrant verba explicantia tempus futurum, vel quia sit facta mentio hæredum, vel additæ fuerint dictiones, semper, in infinitum, quandocunque, & similes, prout in præcisis terminis in institutione de filio, & eius descendentibus, vel de fratre, & suis aperte tenuerunt *Cuman. in l. cum ita. §. in fideicommisso. nu. 4. ff. de leg. 2. & in l. Gallus. §. quidam recte. nu. 7. vers. vbi autem instituuntur. ff. de lib. & posthum. Aretin. ibid. num. 7. vers. aduerte tamen. Soc. Sen. nu. 5. vers. quartus casus est. Alex. cons. 24. num. 5. lib. 3. Dec. cons. 205. num. 4. cons. 248. nu. 5. & per totum. cons. 253. num. 2. cons. 287. num. 7. & cons. 291. nu. 2. & cons. 384. num. 6. Curt. cons. 48. num. 5. Crauet. cons. 22. num. 5. Rim. Iun. cons. 50. per tot. & cons. 535. num. 18. Decian. cons. 26. num. 37. vol. 2. Ruin. cons. 92. num. 5. lib. 2. & cons. 99. & 100. eodem vol. Petr. Ant. Anguiss. consil. 72. 80. & 86. per totum. lib. 6. Marcobr. cons. 61. num. 88. Laderch. cons. 92.* & in substitutione de filio, & eius descendentibus latissime. *Menoch. lib. 5. præsumpt. 71. num. 10. Petra de fideicom. q. 5. num. 165. Sim. de Pret. lib. 3. interpret. 2. dub. 1. fol. 5. num. 36. & seqq. Surd. dec. 346. nu. 18.* qui infinitos pro hac opinione referunt, attestantes etiã de magis recepta scribentium opinione, à quibus non dissensit Rota in vna Vrbeuetana Castri Sepij 15. Iunij 1579. coram bon. mem. Card. Seraphino, inter impressas diuersorum 579. num. 9. par. 1. & in Florentina fideicom. de Detis tertia Decemb. 1607. coram R. P. D. Manzanedo, & nouissime in illa Bononien. fideicom. de Pannolinis 10. Decembris 1610. coram R. P. Dom. Marcomontio.

5 Tamen eorum dicta, & rationes bene videntur procedere, quando testator in concipienda institutione vsus fuisset verbis duntaxat directis, videlicet instituit, hæredes fecit, & similibus, quia secundum eorum propriam naturam impossibile est, quod trahantur ad fideicommissum, ex quo à principio iure directo valere possunt *l. verbis ciuilibus. l. in substitutione, ff. de vulg. l. non codicillum, de testam. Bart. in leg. centurio. col. pen. ff. de vulg.* quæ ratio fuit præcipua illius opinionis & ex ea signanter mouentur, *Aret. in d. l. Gallus, §. quidam recte, nu. 7. vers. nam hoc videtur impossibile. ff. de lib. & posth. Socin. cons. 113. num. 6. vol. 1.* fatendo esse rationes *Aretini. Dec. cons. 248. num. 3. vers. quia impossibile est Rim. Iun. cons. 50. nu. 7. & 33. vol. 1.*

6 Secus vero si testator verbis directis, & communibus est vsus, prout contigit in casu, de quo agitur, ibi instituit, fecit, atque reliquit, quod verbum reliquit, commune est, secundum *Bart. in l. his verbis, num. 3. de hæred. instit. & in l. centurio, num. 33. de vulg. Alex. cons. 90. in l. apud Iulianum, §. non omnes, num. 7. ff. ad Trebell. Franch. in repetit. cap. si pater. num. 85. de testam. in 6.* & tunc quia non tenditur directo ad impropriandam naturam verborum, non erit inconueniens, si institutio obliquetur, ex quo in ea adsunt verba apta recipere talem formam, quæ fideicommissum respiciat *Decian. cons. 248. num. 3. vers. 2. respondetur,* admittendo doctrinam *Castr. in d. §. quidam recte, num. 9.* bene procedere in his terminis. *Sim. de Pret. de interpret. vlt. volunt. d. fol. 5. num. 46.* limitando rationes *Aretin. Berett. cons. 33. num. 2.* dicens hoc modo conciliari auctoritates aliquorum qui visi sunt *Castren. aduersari. Rim. iun.* loquens in proprijs terminis, considerando naturam verbi, reliquit *cons. 50. nu. 36. & 38. vol. 1.*

7 Et eo maxime prædicta videntur procedere, accedente clausula codicillari apposita in testamento, de quo agitur, per quam concludit *Soc. sen. in l. Gallus, §. 1. ad finem, ff. de lib. & posth.* quod tunc verba etiam ciuilia important fideicommissum, & obliquantur, quãdo substitutio non potuit valere iure directæ substitutionis, atque ita concludunt *Bart. & Bald. in l. verbis ciuilibus, ff. de vulg. Fulgos. in l. precibus colum. 10. C. de impub. Mathesil. sing. 141.* nota mirabilem doctrinam. *Anchar. cons. 27. in princip. Socin. sen. consil. 14. & 144. in 1. vol. Curt.* qui prædictos refert, & sequitur *cons. 48. nu. 6. vers. ex alio etiam fundamento in 1. lib. quibus accedunt Crau. consil. 22. num. 8. & cons. 210. num. 4. & cons. 131. num. 16. Paris. consil. 41. num. 53. lib. 2. Galliaul. in l. Centurio. num. 299. ff. de vulg. Neuiz. cons. 53. num. 14. Grat. cons. 8. nu. 13. lib. 2. Cagnol. in l. precibus, num. 197. C. de impub. Menoch. lib. 4. præsumpt. 71. nu. 36. Ruin. cons. 174 nu. 13. vol. 2. Beret. cons. 23. num. 5.* Vnde cum in proposito casu filij filiorum institutorum non possint venire ex substitutione vulgari, quæ expirauit per aditionem hæreditatis factam per eorum parentes, virtute dictæ clausulæ codicillaris, dicentur vocati ex fideicommisso.

8 Non ignorant tamen Domini alios quam plures contrarium sensisse, nempe, *Bald. cons. 319. col. fin. lib. 5. Dec. cons. 205. num. 9. 248. nu. 8. & in l. precibus. nu. 18. vers. vlterius tamen, C. de impub. Ripam in l. hæredes, §. peto. nu. 9. ad Trebell. Alciat. cons. 5. num. 39. lib. 4. tom. 1. Socin. iun. consil. 180. num. 77. volum. 2. Anguiss. consil. 38. num. 7. & 8. & cons. 72. num. 6. lib. 6. Laderch. consil. 92. num. 17. Petra de fideicom. q. 5. nu. 168. Rim. iun. cons. 50. nu. 66* qui omnes mouentur ex rationibus *Decij, in dict. consil. 248. num. 8.* videlicet, quod cum de natura clausulæ codicillaris sit conseruare voluntatem testatoris, vt notat *Bald. in leg. fin. colum. 4. vers. nunc aliqua. C. de codicillis,* voluntas autem testatoris versetur circa directam dispositionem non potest operari effectum contrarium ex defectu intentionis illius, qui non cogitauit de fideicommissaria, & eo casu dum clausula codicillaris habet relationem ad illud, quod disposuit testator, non potest ex sui natura confirmare, aut corroborare, quæ apta non

non sunt recipere fomentum, & robur, ex quo venit accessorie ad dispositionem non autem ad eam principaliter ampliandam.

9 Sed hæ rationes de defectu intentionis bene euitantur in casu, de quo agitur, quia verba non repugnant fideicommissariæ, nam verbum commune, reliquit, aditum institutioni potest vtramque formam recipere absque verborum impropriatione, propterea conueniunt ad inuicem termini cōpendiosæ propter aptitudinem obliquationis, ex quo non sunt verba, quæ clare contineant vulgarem, sed potius dubia, quæ possunt etiam continere fideicommissariam, vt considerant *Curt. iun. d. cons. 48. nu. 6. vers. nam vt supra diximus Crau. d. cons. 22. nu. 8.*

10 Propterea vbi etiam verba clare continerent vulgarem, si tamen de intentione testatoris appareat, qui non statim quod esset mortuus prouidere voluerit, sed futuram testamenti annullationē considerauerit, admittunt etiam prædicti DD. quod clausula codicillaris trahat secum fideicommissariam, & signanter *Rimin. iun. in præcisis terminis in alleg. consil 50. num. 66. vol. 1.* & huiusmodi est clausula codicillaris testamenti Conradi, quæ datur in Summario sub litera E, dum dicitur in ea, & hoc voluit esse suum testamentum, quod si iure testamenti non valeret, valere voluit iure codicillorum, hoc inquam verbū, valeret, quod est præteriti imperfecti subiunctiui modi ex sui natura partim designat præteritum continuatiue ad actus perfectionem: rursus, quia imperfectū sic in futurum tendens, ad futurum ex propria natura tendit, vnde idem importat, ac si dictum fuisset, si non valet, vel valebit iure testamenti. *Bald. declarans in l. si quis agere, quæ est fin. num. 22. C. de codicill. Bursat. referens eadem verba, Bald. & illum sequens in consil. 89. num. 44. vol. 1.*

11 Demum videtur etiam concurrere consideratio successiui temporis, ex qua omnis scrupulus esset sublatus, nam dum in casu de quo agitur alij descendētes præter filios natos, & institutos non essent tempore testamenti in rerū natura, & consequenter concurrere non possent, videtur dispositio habere relationem ad mortem institutorum, vt sit sensus de descendentibus post mortem testatoris, qui habent implicitum tractum temporis, prout verbum hæredis, *Soc. sen. cons. 43. col. 5. vol. 3. Rimin. iun. cons. 50. num. 20. vol. 1.* quod tempus successiuum magis etiam testator explicauit ex compendiosa filiis institutis facta ex digressu ad plures substitutionum gradus, & aliis, quæ infra dicentur in probatione fideicommissi ex mente testatoris resultante.

12 Non obstat si dicatur, quod iste tractus temporis sit considerandus in eodem casu, & in eadem substitutione, quę respicit vocatos, non autem ex aliis partibus testamenti, quia tractus temporis, qui respicit personam primo vocati ad aliam personam extendi non debet, vt aduertunt *Crauett. cons. 131. num. 4. Petra de fideicommiss. quæst. 5. u. 166. Rim. iun. d. cons. 50. nu. 53.* Nam prædicta bene videntur procedere, quando aliter non constaret de mente testatoris, de qua tamen satis constare videtur ex infra dicendis, quo casu implicitus tractus temporis potest per coniecturas etiam designari secundum *Socin. sen. consil. 12. colum. 3. in 3. dub. libr. 3. & Simon. de Prat. de interpret. libr. 13. allegat. fol. 5. num. 46. versic. sed cessat ratio, pag. mihi 239.* Et his stantibus claris verbis in testamento legitur reciproca substitutio inter omnes descendentes Cōradi, quia facta institutione de filiis, & descendentibus eorum subdit, & si decesserint, siue eorum descendentes in pupillari ætate, vel postea quandocunque vnus moriatur alteri, & alter alteri æquali portione; ex quibus verbis inductum videtur fideicommissum expressum inter filios, & eorum descendentes institutos secundum quod casus mortis in perpetuum de eis euenerit. *l. si pater, de testamentis. libr. 6. ibi, filiæ moreretur Oldrad. consil. 125. versicul.* & posset poni exemplum cum alijs per Informantes al. legatis.

13 Non obstant considerationes adductæ per Informantes pro D. Horatio, vt scilicet reciproca non excedat personas institutorum, quamuis dictum fuerit, & eorum descendentes, quia testator loquutus est, retentis iisdem terminis, de quibus in institutione, qui de vulgari tantum sensum recipere debent, vnde substitutio, quæ facta reperitur inter Hieronymum & Vicinum non debet extendi de persona ad personam, *Roland. cons. 56. num. 24. Natt. consil. 470. numer. 6.* cum alijs allegatis. Quia pro responsione fuit dictum quod cum fuerit firmatum ex verbo descendentes, nedum vulgarem, sed & fideicommissariam comprehendi cessat obiectum cessante præsupposito in vulgari duntaxat constituto.

14 Ex mente etiā vltimo loco dixerunt Domini constare de fideicommisso reciproco inter descendentes Conradi, ex quo filij, & descendentes cum qualitate masculinitatis fuerunt bis in conditione positi, ibi, si decesserint, seu eorum descendentes, & iterum, ibi, si contigerit quod dicti sui filij, & eorum descendentes masculi omnes decesserint sine filijs legitimis, qui existētibus coniecturis censentur vocati ex communi opinione quam sæpissime est amplexa Rota, & signanter in illa Montisfalisci fideicom. 20. Nouembr. 1602. coram bon. mem. Card. Pamphilio, & in Perusina de Alphanis 22. Iunii 1607. coram R. P. D. Ludouisio, relata in illis de Pannolinis 10. Decembris 1610. coram R. P. D. Marcomontio.

15 Quæ coniecturæ, & si de per se minus efficaces essent, iunctæ tamen, quod sufficiant ad fideicommissum inducendum, quippe quæ arbitrio iudicis relatæ fuerint, Domini admiserunt in illis de Alphanis, & de Pannolinis supra relatis, & aperte probant *Bero cons. 104. num. 12. libr. 2. Gras. in §. fideicommissum, quæst. 14. Surd. decision. 162. num. 11.* Et ex eis elici quoque vocationem ad portionem patri, seu alterius cohæredes probarunt, *Corn. cons. 306. in fine volum. 4. Gabr. cons. 2. num. 13. in fin. lib. 2. & consil. 115. numer. 13. libr. 1. Bursat. consil. 202. num. 42. vol. 2.* & sæpius hanc conclusionem tenuerunt Domini, vt in illa Romana de Quinque coram R. P. D. Ludouisio 12. Nouembris 1607. in Vrbeuetana fideic. coram R. P. D. Coccino 27. Ianuarii 1606. & nouissime in illa de Pannolinis alleg. quæ fuit confirmata 9. Maii 1611. coram eodem D. Marcomontio.

16 Inter ceteras autem, quæ recensentur per Informantes D. Ma heibalis, scilicet ex qualitate masculinitatis ex feminarum exclusione propter masculos, ex vocatione feminarum in defectum masculorum, ex reciproca inter institutos, etiam vocatione extraneorum, ex compendiosa inter eosdem institutos, & aliis adductis. Illæ videntur firmiores, quę deducuntur ex digressu ad plures substitutionum gradus, & ex ratione conseruandi bona in agnatione, quibus aliter satis fieri non videtur posse, nisi vnus alteri sit grauatus restituere, ex quo testator actuum successiuum considerauit *Socin. sen. qui in his terminis loquitur cons. 250. nu. 14. lib. 2. Ias. cons. 140. col. 4. vers. mens autem lib. 2. Curt. iun. cons. 16. nu. 7. Marzar. cons. 4. colum. 1. vers. confirmatur præmissa, & cons. 5. col. 6. vers. verum tamen, & cons. 6. col. 6.* & id videtur etiam maxime suaderi, quia alias dispositio redderetur inutilis, cum nec ad vlteriores in gradibus nominatis, nec ad illos de agnatione bona possent peruenire, vt considerat *Crauett. consil. 22. num. 2. Curt. iun. consil. 48. num. 4.* quos Rota sequitur in Vrbeuetana Castri Sepii coram bonæ mem. Cardin. Seraphino inter impressas 579. numero 9. & hæc bene probantur in casu testamenti Conradi.

Nam

18 Nam digressio ad plures gradus colligitur ex eo quod testator considerando deficientiam aliquorum ex institutis, & secundo loco omnium institutorum, & eorum descendentium masculorum vocauit feminas descendentes cum onere nubendi illis de Mugnano, vel de Pitiliano altera eorum recusante, & demũ alijs de domo Vrsina in genere, & illis descendentibus sine prole vocauit masculos de eisdem domibus, primo de Mugnano, secundo de Pitiliano, quæ successiua subordinatio aperte significat digressum ad plures gradus substitutionum, vt considerat *Menoch. cons. 310. nu. 12. volum. 4.*

18 Non obstat, quod hæc digressio ad plures gradus licet facta sit in plures gradus diuersos, vnica tamen sit censenda, cum dependeat ab vnico casu, scilicet quando filij, & descendentes decesserint sine filijs *Gabr.cons.117.num.14.lib.1.* Quia ex facto tollitur obiectum, dum vna expirata non cessant aliæ substitutiones, quia præsupponitur successio vocatorum, & decessus sine filijs, qui sunt gradus distincti, & personæ diuersæ, & sufficit adhunc effectum, quod testator considerauerit actum successiuum possibilem, vt supra fuit dictum *ex Soc. & alijs allegatis.*

19 Contemplatio agnationis videtur etiam sufficienter probata, quia & si expresse non legitur, quod testator voluerit bona remanere in familia de Vrsinis, tamen certum est, quod in familia effectiua non veniunt alij, quam descendentes, prout eos vocauit testator semper præferendo masculos ipsis feminis descendentibus, & quando feminas vocauit eas cum onere nubendi in familijs de Vrsinis voluit admitti, terminando postremo omnes substitutiones in familia contentiua de Vrsinis, atque ita cum alio non tendant substitutiones quam ad effectiuam sui ipsius testatoris, & ad contentiuam sub qua comprehenditur, non videtur dubitandum, quin ratio conseruationis intret adhunc effectum, vt in fortioribus terminis ex sola prælatione masculorum considerarunt *Crauet.cons.130.num. 10. vers. in proposito nostro. Veggius. cons.74.nu.201.Dec.cons.31.nu.97.Bald. in l. maximum. vitium, C.de lib.præt.*

20 Non obstat quod ex admissione feminarum videatur destrui ratio conseruandæ agnationis, quia per feminas non solent conseruari. *§.ceterum.instit.de legit. agnat.success.Crau.cons.306.num.5.Menoch.cons.150.nu.39.* nam feminæ non fuerunt simpliciter vocatæ, sed cum onere nubendi in altera ex familijs supradictis de Mugnano, vel de Pitiliano, quod magis videtur confirmare mentem testatoris ad conseruationem agnationis relatam.

21 Ad id autem in quo Informantes pro D. Horatio valde insistebant, si aliquo modo intelligi posset, quod in hoc testamento esset inductum fideicommissum, non tamen fuisse sublatam facultatem ipsis descendentibus, & vocatis instituendi hæredem aliquem ex familia ex illis verbis, sed ad proximiores agnatos masculini generis deferatur hæreditas, vel ex testamento per suos posteros faciendo, vel ab intestato per *text. in l. pater filium. §. quindecim, ff.de leg. 3.* vbi parmissa licentia alienandi in collibertos legatarios sustinetur alienatio facta in vnum ex eis, & eum *text.* declarat *Menoch.cons.327.num. 99. volum.4.* Omissis alijs responsionibus, quæ ab Informantibus deducebantur, placuit Dominis, quod illa licentia posteris concessa deferendi hæreditatem in proximiores ex testamento, vel ab intestato præmissa non fuerit ad euersionem, nec ad limitationem sequentis fideicommissi. Non ad euersionem quia verba licentiæ hanc interpretationem non patiuntur, cum sint restricta ad proximiores, & conueniant fideicommisso in inferiori parte testamenti posito.

22 Non etiam ad limitationem respectu personarum in eodem gradu existentium, quia proximioribus enunciatis omnes in eodem gradu existentes simul vocati censentur. *Bald.in l.peto. §. fratre, in 1. versic. secunda quæst.ff.de leg.2.Crott.in l.filiusfam.§.Diui. nu. 173. ff.de leg.2.Surd.cons.247. num.8. vol.2.* & in tantum hoc est verum, quod si dixisset hæreditatem deferendam in proximiorem venirent tamen eodem tempore omnes existentes in pari gradu, & singularis numerus contineret pluralitatem. *§.sed si plures.instit. de legit. agn.success. Anchar. cons.180. num.3. Roland. cons. 38. nu.46.volum 4. idem Surd.d. cons.247. nu.10. vol.2.* Quare siue dictum fuerit, quod hæreditas deferetur proximioribus, siue in singulari vsus esset testator verbo proximiori, ad omnes tamen æqualiter in eodem gradu existentes hæreditas per posteros, vel ex testamento, vel ab intestato erat deferenda.

23 Nec *text.in leg.pater filium, §.quindecim, ff. de leg.3.* videbatur posse deseruire terminis de quibus agitur, nam eo casu venditio iudicio testatoris sustinetur, quia permiserat testator quemlibet ex libertis partem colliberti posse emere, quod idem non consideratur in hæreditate destinata proximioribus, qui singuli in eodem gradu existentes iudicio testatoris ad hæreditatem venire non possunt vt supra fuit dictum. Atque ita vtraque parte Informante Domini resoluerunt, &c.

DECISIO CCCXLV.

Calaguritana Iuris corrigendi de victoria. Mercurij. 18. Maij. 1611.

Impressa Apud Ludouisio.

DECISIO 518.

R. P. D. MANZANEDO.

Triburtina administrationis Tutelæ, Veneris 18. Maij. 1611.

ARGVMENTVM.

Exequutio non potest iustificari ex nouiter deductis, & de pluribus inducentibus nullitatem sententiæ.

SVMMARIVM.

Exequutio ex deductis non autem ex deducendis iustificari aut infirmari debet. nu.1.

Protestatio nominem audiri nisi docto de mandato, si mandatum non producatur, operatur nullitatem actorum, & sententiæ etiamsi comparens sit vere procurator. nu. 2.

Amplia etiamsi mandatum in 2. instantia producatur, quia nihilominus acta & sententia prioris instantiæ sunt nulla. num. 2.

Iuramenti de calumnia omissio vbi illud fuit petitum inducit nullitatem. nu.3.

Iuramentum de calumnia vbi fuit petitum sufficit, quod præstetur in terminis substantialibus. nu.3.

Sententia confirmans sententiam nullam, est nulla, vbi de nullitate fuit oppositum. nu.4.

Clem. vt calumnijs. de re iud. non habet locum, quando nullitas patet ex eisdem actis, vel de illa datur contra vltimam sententiam. nu.4.

Recusatio iudicis vti suspecti induit nullitatem omnium post recusationem gestorum. nu.5.

DE-

DECISIO CCCXLVI.

1 DVbitaui an subhastatio bonorum veniat reuocanda ex eisdem. Et Domini pro reuocatione respondendum censuere. Et quamuis videretur de iniustitia ex eo constare, quod D. Aurelius non erat debitor illarum pecuniarum, pro quibus facta fuit exequutio cum illas, iam pridem ad vtilitatem minorum inuestiuisset. Nihilominus hoc fundamentum fuit ex post facto deductum, & dubium est restrictum ad reuocationem subhastationis ex eisdem, & est receptum exequutionem ex deductis, non autem ex deducendis iustificari, aut informari deberi *Abb. in c. inter cetera. num. 8. & ibi Felin. num. 4. de re iud.* & fuit dictum in Romana census 4. Decembris 1595. coram bon. mem. Cardinale Pamphilio, & in Bononien. de Pasiis 4. huius coram me. Ideo Domini pro reuocatione dictæ subhastationis ex eisdem iuxta tenorem dubii ponderarunt, nullitates sententiarum, ad quarum exequutionem fuit deuentum sub prætextu quod erant duæ conformes.

2 Quarũ prima ex eo visa fuit nulla, quia fuit lata instante asserto procuratore, de cuius mandato non fuit doctum in illa prima instantia, licet sæpius pro parte D. Aurelii fuisset protestatum neminem audiri nisi docto de legitimo mandato, quo casu non releuat, quod vere esset procurator. *Bald. cons. 122. circa medium, lib. 3. Aym. cons. 118. n. 1. Gabr. cons. 25. nu. 23. lib. 2. Guidob. dec. 129.* & fuit sæpe resolutum. Nec releuare videbatur, quod postea in secunda instantia mandatum fuerit productum, quia nihilominus sententia prima remansit nulla. *Bald. in l. 1. in 2. lectura. nu. 3. ff. de procurator. Alex. cons. 146. nu. 34. lib. 1. Gabr. d. cons. 25. nu. 23. Rota diuers. decision. 105. par. 1. Achil. decis. 6. de procurator.*

3 Item fuerat petitum iurare de calumnia, quod tamen iuramentum non fuit præstitum ex quo intrat nullitas, *c. 1. de iuram. calumn. in 6. Rot. decis. 2. eod. tit. in antiq.* Nec obstat si dicatur huiusmodi iuramentum fuisse præstitum in terminis substantialibus, quod sufficit, vt fuit dictum in Romana assecurationis dotis 12. Decembris 1605. coram D. meo Marcomontio Vbi aliæ decisiones referuntur, illud enim allegari non potest in hoc casu, in quo nunquam aliquis comparuit, qui doceret de legitimo mandato.

4 Secunda vero sententia videbatur etiã nulla, quia confirmauit primam nullam, & pro parte D. Aurelii fuerat protestatum quod prius super nullitate pronunciaretur. *Paris. consil. 106. n. 16. lib. 4. Surd. dec. 289. n. 10. Cæsar de Grassis, dec. 11. num. 3. & 4. de re iud. Put. dec. 72. lib. 3.* Nec est locus Clement. vt calumniis de re iudic. quando nullitas patet ex eisdem actis, vel de illa datur contra vltimam sententiam, *Gabriel. de exequutione rei iudic. conclus. 1. num. 8. decis. Pedemont. 142. num. 39.*

5 Vlterius, quia D. Gemmarius secundæ instantiæ iudex, & cuius authoritate, ad exequutionem, & subhastationem fuit deuentum, fuit allegatus suspectus, & cum Tiburtini vtantur statuto Vrbis, in quo habet locum ius ciuile, omnia gesta post dictam suspecti allegationem, & recusationem fuerunt nulla *gloss. in leg. apertissimi, in verbo recusare, Cod. de iudic. & de magis communi testatur Alex. cons. 89. nu. 3. lib. 1. decis. pedem. 44. nu. 5. Bursat. alios adducens consil. 21. nu. 20. lib. 1.* Ex quibus sic fuit conclusum.

R. P. D. PIROVANO.

Romana Domorum. Veneris 20. Maij 1611.

ARGVMENTVM.

Monitus dimittere possessionem comprobatur a monente possessor. Item sententia iudicis vna cum ex expulsione priuat possessionem tam ciuili, quam naturali possessione, nisi sententia sit nulla, vel iniusta, quod tamen debet ab allegante nullitatem, seu iniustitiam probari, & interim stat præsumptio pro sententia.

SVMMARIVM.

Possessio probatur ex monitorio obtento pro dimittenda possessione in præiudicium eius, qui monitorium obtinuit, num. 1.

Possessio tam ciuilis, quam naturalis amittitur per expulsionem vigore sententiæ iudicialiter factam. n. 2.

Possessio non amittitur per sententiam Iudicis nullam, & iniustam. nu. 3.

Declara, quod interim donec probatur iniustitia, seu nullitas sententiæ, præsumptio stat pro sententia, & onus probandi nullitatem spectat ad eum, contra quem fuit lata sententia, nu. 3. & nu. 4. respondetur ad decisionem in contrarium allegatam.

DECISIO CCCLXVII.

1 ET si dubitandum non videatur de anteriori possessione sororum de Pirardis, quæ sufficiat ad effectum manutentionis tam ex instrumento possessionis captæ, quam ex locationibus, & solutionibus subsequutis, & ex tacita confessione, quæ resultat ex actione intentata pro parte Martiæ ad hoc vt bona dimitterentur, quod facere non poterant, nisi possiderent, vt fuit resolutum in Anconitana bonorum 16. Februarii 1609. coram R. P. Domino Ludouisio.

2 Tamen cum ab ea per sententiam iudicialiter expulsę fuerint, & consequenter omnem possessionem tam ciuilem quam naturalem perdiderint. *Ang. in l. clam possidere. §. qui ad nundinas, nundinas, nu. 2. in fine. vbi etiam Ias. nu. 20. ff. de acq. poss.* Rota coram bo. mem. Cardinale Seraphino, inter impress. 802. par. 1. & nouissime in Augustana Hospitalis coram R. P. D. Vbaldo. Domini censuerunt, non esse dandum mandatum de manutenendo memoratis sororibus.

3 Non obstat, quod nunquam habuerint se pro spoliatis, nec iudex nulliter, & indebite procedendo potuerit eas sua possessione priuare. Quia fuit responsũ obiectum procedere, quando probassent sorores indebitam expulsionem, interim autem stare præsumptionem, quod rite, & recte iudex processerit, *l. ab ca parte, ff. de probationibus. Alc. de præsumption. reg. 3. præsumpt. 9. cum alijs allegatis per Surd. cons. 39. nu. 7. vol. 1. & dec. 106. nu. 9.* sorores autem cum non probauerint indebitam expulsionem, neque acta integra transportauerint, ex quibus de alleg. defectu constare posset frustra videntur contendere, se non babuisse pro spoliatis, vt fuit dictum in allegata Augustina Hospitalis in qua aliæ Rotę decisiones allegantur.

4 Nec obstat Decisio Romana Domus de Crescis, coram bon. me. Litta 28. Februarii 1603. quæ videtur præsupponere onus ex parte eius, qui nititur iudiciali possessione probandi, quod iudex rite, & recte processerit alias possessorem non priuat suo iure. Quia fuit responsum ex deductis in ea decisione non apparere in actis de mandato A. C. neque illud fuisse exequutioni de mandatum, quod erat præcipuum, vt ex inde inferri posset ad præsumptionem recti iudicii. In casu autem de quo agitur, non est quæstio super non existentia sententiæ, nec super illius executione, merito donec pro parte sororum, quę petunt mãdatum

tum de manutenendo non doceatur de iniustitia illius, præsumptio bene operatur ad conseruandam validitatem actus.

DECISIO CCCXLVIII.

Solernitana Parochorum. Mercurij 1. Iunij 1611.

Impressa Apud Ludouisio.

DECISIO 504.

R. P. D. VBALDO.

Romana dotis. Lunæ 6. Iunij 1611.

ARGVMENTVM.

Melioramenta facta in re emphyteotica veniunt in generali bonorum emphyteutæ obligatione, etiam stante pacto de non alienando, & etiam si sint inseparabilia ab ipsa emphyteusi.

SVMMARIVM.

Melioramenta facta ab emphytauta super re emphyteotica transeunt ad hæredes, & successores quoscumque, & possunt hypothecari veniuntque in generali bonorum obligatione, adeo vt pro ijs competat Saluianum. nu. 1.

Amplia etiam non obstante pacto de non alienando, quod non intelligitur pro melioramentis. nu. 4.

Amplia secundo vt non obstet prohibitio legalis, de qua in l. fin. C. de iur. emphyt. quia illa non impedit quo minus res comprehendatur sub generali bonorum obligatioue. numer. quarto.

Amplia tertio etiamsi melioramenta sint inseparabilia quia nihilominus illorum æstimatio venit sub generali bonorum obligatione. nu. 5.

Confessio præiudicat confitenti, & habenti causam ab eo, etiamsi fuerit facta enunciatiue. nu. 2.

Producens scripturam videtur fateri omnia in ea contenta. num. 3.

Confessio vnius alteri non nocet. nu. 6.

DECISIO CCCXLIX.

FRanciscus Zaffettus post receptas dotes à Domina Septimia eius Vxore, pro quarum restitutione obligauit omnia bona sua præsentia, & futura acquisiuit Domum emphyteoticam sub proprietate Reuerendorum fratrum Sanctæ Mariæ de Populo Vrbis sibi venditam à Francisco Fante, qui eandem Domum habuerat eodem titulo à Georgio Gamborino à fratribus inuestito sub tali pacto, vt non posset dictam Domum in totum vel in partem vendere, aut alienare alienationis latissimo sumpto vocabulo, sine consensu dictorum fratrum, quam Domum idem Zaffettus qui in instrumento consensus à fratribus præstiti obligauit se ad omnia, & singula pacta, & cōditiones ante à Georgio adiectas à fundamentis, vt dicebatur, de nouo à se extructam donauit Ioanni Henriquez, qui fuit postea ab eisdem fratribus inuestitus ad tertium genus aucto canone, & alijs pactis, de quibus in instrumento inuestituræ ipsius.

1 Mortuo Zaffetto Septimia egit pro recuperatione suarum dotium in vim Saluiani interdicti contra Ioannem possessorem dictæ Domus, & causa in Rota introducta dubitaui, an intraret hypotheca ad fauorem Septimiæ, non obstante pacto de non alienando, & cum dubium proponeretur, die 29. Aprilis huius anni, fuit dictum non liquere, sed denuo eo proposito, sub die 6. Iunij eiusdem anni, quia dubium poterat habere duas partes, altera erat circa Domum ipsam, altera circa melioramenta, Dominis placuit intrare hypothecam respectu melioramentorum, cum reseruatione, vt de reliquis videretur. Ratio fuit, quia melioramenta sunt proprta emphyteotæ, & transeūt ad quoscunque hæredes, & successores, & possunt hypothecari, veniuntque in generali obligatione bonorum, adeo vt pro ijs competat Saluianum, *Clar. in §. emphyteusis quæst. 45. num. 2. Bero. in cap. potuit. num. 452. & sub num. 98. vers. & hæc conclusio de locat. & in capit. 1. nu. 32. de in integrum restit. & quæst. 19. nu. 3. Doct. in l. Senat. §. Marcell. vbi Bald. & Ang. ff. de leg. 1. Paris. cons. 28. nu. 1. & seq. & cons. 55. nu. 24. lib. 3. Gozad. cons. 20. in fin. Garzias de expens. & melioram. cap. 6. num. 20. & cap. 23. nu. 32. Bursat. cons. 76. nu. 36. lib. 1.* & fuit dictum in vna Romana Castri Marciliani, 19. Iunij 1587. coram Seraphino vers. 3. coadiuuantur, & in vna Bonon. Sancti Apollinaris 2. Aprilis 1582. quæ est decisio 720. nu. 8. par. 1. diuers. & in Bononiensi Bonorum 2. Decembris 1583. coram Aldobrandino, quæ est decisio 186. nu. 6. parti 2. diuers. & in puncto fuit resolutum, in Romana Saluiani coram me. 10. Ianuarij huius anni.

2 Nec dicta melioramenta videbantur posse controuerti, cum in ipso instrumento donationis domus Franciscus asseruerit dictam domum à se fuisse à fundamentis erectam, que confessio videbatur præiudicare posse non solum Francisco, si viueret, sed etiam habenti causam ab eo *l. si superatus, in princ. vbi Bart. ff. de pign. Bald. cons. 364. num. 2. vers. 3. quia, lib. 2.* & fuit dictum in Romana fideicommissi de Goris 16. Nouembris 1598. coram Gipsio, & in Perusina nullitatis exequutionis 1. Februarij 1608. coram Domino Caualerio, etiamsi confessio fuerit enunciatiua. *Aymon. de antiq. temp. 1. par. vers. ampliatur, nu. 22. & seqq. & cons. 29. num. 1.*

3 Quod etiam coadiuuatur ex assertione, facta in instrumento inuestituræ ipsius Ioannis, in quo narratur deuentum fuisse ad prædictam inuestituram pretextu melioramentorum ad notabilem Summam in dicta Domo factorum, præsertim cum dicta instrumenta donationis inuestituræ fuerint producta ab ipsis hæredibus Ioannis, quo casu videntur fateri omnia contenta in istis *l. publia. §. vltimo. ff. depositi, & cap. cum olim. de cens. Dec. in cap. cum venerabilis. nu. 122. de except. Surd. cons. 5. nu. 37. & cons. 28. num. 47. lib. 1.* & fuit dictum in Bonon. census 7. Februarij. 1601. coram Domino Decano.

4 Non obstat pactum de non alienando, quia illud fuit appositum rei emphyt. non autem melioramentis, quæ sunt diuersa, *Valasc. de iur. emphyt. quæstione 2. numer. 19.*

Nec dicatur prohibitionem legalem, de qua *in l. fin. C. de iur. emphyt.* extendi etiam ad melioramenta, quia illa non impedit quo minus res comprehendatur sub generali obligatione bonorum, vt fuit dictum in Romana Saluiani. 12. Nouembris 1592. coram Decano.

5 Non obstat, quod talia melioramenta sint inseparabilia, & eiusdem iuris censeantur cum re ipsa ad *cons. Gabr. 168. q. 6. nu. 88. & seqq. lib. 1.* quia non sequitur, quin saltem illorum æstimatio sit propria ipsius meliorantis, & potuerit hypothecari, vel illud procedit respectu directi dominij, sed respectu vtilis durante emphyteusi, Gabr. non negat, quin melioramenta sint eius, qui fecit, & quo ad obligationem, quod sint separabilia, & patronus per se stare tenetur. *Valasc. dict. dec. 2. num. 21.* Non obstat, quod prohibitio de non alienando hypothecam, & obligando videatur respicere etiam melioramenta, vt in concessione facta ante, vt in summario Domini de Herriquez. nu. 1. quia Zaffectus non se obligauit ad pactum ante, sed Georgij, vt in eodem Summario. nu. 3. in cuius obli-

obligatione nihil dicitur de melioramentis.

6 Non obstat, quod dicta melioramenta duarum facta de pecunijs Ioannis, quia hoc non legitur in instrumento donationis, quam fecit Zaffectus, ideoq; varia sunt, quæ dicuntur de confessione indiuisibili, sed in instrumento inuestituræ Ioannis, cuius assertio non potuit nocere Zaffeto absenti, & consequēter Septimiæ argumentū *l. certum §. si quis absente vbi Doct. ff. de confess. & per Gabr. de confess. concl. 1. in princ.* & ita fuit decisum.

DECISIO CCCL.

Lauretana Bonorum. Lunæ 6. Iunij 1611.

Impressa Apud Ludouisio.

DECISIO 505.

REVERENDISS. P. DOMINO MANZANEDO.

Bononien. Prioratus. Veneris. 10. Iunij 1611.

ARGVMENTVM.

Beneficij valor quando plene, & concludenter probari debet, & quando sufficiat probatio per publicam vocem, & famam.

SVMMARIVM.

Fama censetur probata per testes deponentes ita publice dici audiuisse, num. 1.

Valor beneficij censetur probatus per duos testes deponentes de publica voce & fama, num. 2.

Beneficij valor probandus est, plene, & concludenter, nec sufficit probatus per publicam vocem & famam, quando agitur de perpetuo beneficio, nu. 7.

Beneficij valor exprimi non debet in vnione n. 7.

DECISIO CCCLI.

1 IN decisionibus coram Domino meo Lancellotto in ista causa factis 4. Iulij 1607. & 15. Maij 1609. fuit resolutum, istam gratiam non esse iustificatam quo ad valorem, & ex eo fuit deuentum ad sententiam ad fauorem religionis. Vnde causa appellationis mihi commissa fuit concessa remissoria Capitulo, & noui testes examinati quibus attentis, & iuribus de nouo compulsatis dubitaui hodie an prædictus valor iustificaretur, & domini affirmatiuam sunt amplexi, & præcipuum fundamentum desumebant ex duobus testibus, primo nempe remissoriali altero vero examinato in curia qui de isto valore per non excessum de publica voce, & fama deponunt.

Primus enim qui fuit Secretarius, bon. me. Cardilis Paleotti, & archiuista scriptutarum Ecclesiarum diœcesis Bononien. postquam deposuit de dicto valore de auditu interrogatus à quibus audiuerit, respondet de publica voce & fama. Alter autem examinatus in curia dic it, quod quando iste prioratus fuit vnitus Sacristiæ Cathedralis Ecclesiæ publice dicebatur fuisse adhibitam magnam diligentiam pro habendo illius vero valore, & quod effectualiter non ascendebat ad maiorem summam quam Scutorum 300. monetæ Bononiæ & fama probatur per testem dicentem quod publice dicebatur. *Cassad. dec. 3. nu. 7. de probat. Veral. dec. 7. par. 2.*

2 Cum igitur habeamus duos testes de publica voce & fama deponentes, dicendum, est valorem esse probatum. *Put. dec. 29. lib. 1. Bellamer. decision. 674. Verall. decision. 277. num. 8. par. 1. Cæsar. de Grass. decision. 3. num. 7. de probat. Rot. diuers. decision. 184. part. 3. lib. 2.* & fuit dictum in Brixien. Cappellaniæ 15. Iunii 1587. coram bon. mem. Cardinale Pamphilio, & in alia Roman. Cappellaniæ 7. Nouembris 1605. coram me & alias sæpe.

3 Nec obstat, quod in dictis decisionibus contra primum testem consideratur, nempe quod non concludat de tempore vnionis. Nam contrarium Dominis fuit visum, cum dicat, *ho sempre vdito dire*, & cum deponat de diligentiis factis pro habendo valore, de tēpore vnionis, & de auditu ab aliis personis videtur satis concludere, de prædicto tempore.

4 Prout nec etiam obstat, quod deducat eius auditum à rectoribus, & visitatoribus, & sic interessatis cum potius deponat etiam de auditu à Rectorib. qui tenuerunt Ecclesiam ante vnionem qui nō possunt dici in hoc casu interessati atque etiam visitatores ecclesiarum deputati ab Archiepiscopo, antequā fieret vnio, & deputati non simpliciter ad visitandū hunc prioratum, sed omnes Ecclesias ciuitatis non videtur quod dici debeant personæ suspectæ.

Minus obstat, quod iste testis nesciat redditus ipsius prioratus, hoc enim nihil refert, quia non fit fūdamentum in eius scientia, sed in publica voce, & fama, de qua deponitur, & stant simul scire per publicā vocem, & famam, quod prioratus non excedat illum valorem & nescire particulariter, quibus in rebus ille valor consistat, & eodem modo videtur respondendū ad obiectū quod iste testis se refert ad listam, quæ tamen non probat cum debeat considerari quod testis credulitas seu scientia non refertur ad listam, sed vlterius absque dicta relatione deponit de publica voce, & fama, & quo ad illam, nec se refert, nec potuit referre ad listam.

5 Minus obstat, quod in dictis decisionibus contra testem examinatum in curia notatur, nēpe deponere quod non potest affirmare quos introitus, haberet Ecclesia ab anno 1570. vsque ad 1577. & quod nescit onera, & expensas Ecclesiæ. Hoc enim tollitur, quia deponit tantum respondendo ad interrogatoriū nescire fructus istius ecclesiæ ascendere de illis annis ad Scuta 600. annuatim quæ ignorantia est de dicta sūma annuorum Scutorum 600. non autem de valore Ducatorum 250. Sed etiam quod nesciat istum valorem, non ideo tollitur, quin publice illum audiuerit, vnde intrat consideratio in primo, teste superius deducta.

Et eadem ratio facit, vt non obstet, quod ignoret onera, & expensas Ecclesiæ: Vltra quod quando agitur de probando valore, per non excessum non est necesse scire onera cum illa potius valorem minuant quam excedere faciant, vt ex se patet.

6 Quibus accedunt alii duo testes in simul cum aliis adductis saltem pro adminiculis deseruientes, quamuis in illis non possit fieri magna vis cum non percutiant tempus vnionis, Nec etiam videbatur obstare listam, iuxta quam valor ascendit ad annuos Ducatos 250. & tamen extant alia bona extra listam prout sunt domus, hortus, & viridarium, hæc enim non reddunt fructuum, & deseruiunt pro habitatione, & aliqua recreatione Rectoris, nec sufficit dicere, quod prout prædicta fuerunt omissa potuerint & alia bona omitti, cum nihil de ali is omissis probetur.

7 Nec etiam obstat, quod agatur de perpetuo præiudicio religioni inferendo ex ista vnione, vt fuit consideratum in vltima decisione corā Domino meo Lancellotto, quasi ex hoc valor plene esset probandus, quia respondetur, quod cum valor beneficii in vnione non veniat exprimendus, *gloss. in verb. vel alteri, in Clement. 1. de præbend. & ibi Ital. numer. 73. & Imol. n. 12.*

Felin. alios adducens in c. ad aures, nu. 4. vers. 2. conclusio. de rescript. & ad illius expressionem in vnionibus tantum obliget regula Cancellariæ 21. & illi in hac vnione sit derogatum videtur illius expresio non necessaria & per consequens quod Pontifex in illa non se fundauit sed in paupertate & in tenuitate redituum dictæ sacristie quo casu sufficit semiplena probatio, cum agatur de verificatione narratiuę in qua Papa non se fundauit. *Ægid. dec. 113. & 114. Rota decision. 268. nu. 3. & 4. par. 1.* & tunc incidenter ad effectum euitandæ subreptitionis probatur valor quo casu leuior probatio sufficit ex pluribus adductis, per *Rotam dec. 34. nu. 18. & 19. & seq. par. 2.* Quæ magis procedunt, cum Pontifex vniendo dictam præceptoriam satis sibi constaret, de perpetuo præiudicio religioni causando, & nihilominus prædictæ regulæ 21. derogauit. Ex quibus sic conclusum fuit.

DECISIO CCCLII.

Neritonen. Pensionis. veneris 10. Iunij 1611.

Impressa Apud Ludouisio.

DECISIO 507.

REVERENDISSIMO P. D. MANZANEDO.

Maceraten. Spolij. Lunæ 13. Iunij 1611.

ARGVMENTVM.

Ex nouiter deductis receditur à prima sententia.

SVMMARIVM.

Ægidianæ constitutioni quando sit locus, num. 1.
Fides periti per ipsum subscripta, & postea per eum cum iuramento recognita facit fidem, num. 2.
Perito in arte creditur dum attestatur de pertinentibus ad suum officium, nu. 2.
Confessio facta in libello nocet confitenti. num. 2.
Dictio, in circa, operatur in modico, nu. 3.
Solutionem allegans, illamque non probans dubium agnoscit numer. 3.
Protestatio facta cum facultate addendi, & minuendi quid operetur, num. 3.
Iurium productio potest fieri de nouo, ad spolium excusandum, nu. 4.

DECISIO CCCLIII.

1 PRoposito dubio 4. Iunij 1610. An esset locus Ægidianæ, domini affirmatiuam partem sunt amplexi, ex eo quod sententia redintegratoria A.C. fuisse valida, & nullitates oppositæ non obstarent, ex adductis in dict. decisione, Tum & quia fuerat iusta quod eliciebatur ex iniusta subhastatione præcedenti, à qua procedebat spolium. Iniustitia autem istius subhastationis ex eo potissime deprehendebatur, quod ad illam fuit processum instante Hieronyma prætensa creditrice Pelicani cuiusdã residui pretij eiusdem possessionis, ad cuius exequutionem deueniri non poterat, nisi præuia mensuratione prædij cum illud fuisset venditum pro Florenis 360. pro qualibet salma, cuius pretij certitudo, & liquidatio dare non poterat nisi mensuratio prædij præcessisset ex latè in dicta decisione congestis.

2 Et hodie super eisdem causa reproposita ex nouiter deductis per Adrianum Domini à decisis recedẽdum duxere. Fuit enim producta nouiter mensuratio istius predij facta de partium consensu per Dominicum Testam publicum Agrimensorem de anno 1597. & sic antequam Pelicanus fuisset expulsus, & iudicium contra ipsum intentatum. Cũ hæc euenerint de anno 1603. Et de prædicta mensuratione cõstat ex fide eiusdem Dominici Agrimensoris per ipsum subscripta, & cum iuramento postea recognita cui videtur standum iuxta *text. in leg. 2. ff. si mens. fals. mod. dixerit Abbas in c. qnia indicante. in princip. de præscript. per illum text. Riminald. iun. cons. 273. nu. 9. libr. 3.* Maxime cum iste esset publicos Agrimensor, & illi creditur tanquam de suo officio testanti, Alberic. in suo Dictionario in verbo Mensori. vbi allegat Speculat. Tũ quia dicta mensuratio fuit reperta in actis eiusdem Notarij, qui fuerat rogatus de venditione istius prædij. Tum quia in Monitorio per Pelicanum coram A.C. dato dixit hoc prædium esse Salmarum septem in circa, quæ quantitas concordat cum relatione Agrimensoris, & confessio facta in libello nocet confitenti, *l. cum precum, C. de liberal. caus. l. 2. vbi Bal. nu. 3. & alij de instit. & substit. Dec. in l. edita nu. 10. C. de edendo. Socin. sen. cons. 244. nu. 11. lib. 2.* Nec obstat dictio in circa. Cum illa operetur in modico, *glos. in verbo circa in c. 1. §. penult. de offic. ordic. in 6. Menoch. de arbitrar. casu 46. num. 3.* Quæ iuuantur ex literis eiusdem Pelicani, quibus fatetur prædium istud fuisse mensuratum.

3 Accedit etiam quod cum Pelicanus in primo iudicio per Hieronymam sibi moto allegasset solutionem, eamque non probasset visus fuit agnouisse debitum. *gl. in verbo litis contestationem in §. suscepto vno vno libello, in Auth. de exhiben. Reis Salycet. in l. etiam in versic. Quæro 2. C. de exequut. reiud. Felyn. in capit. Cum venerabilis, num. 3. de except.* Tum etiam apparet quod quando Pelicanus fuit expulsus in deposito residui prætij penes Thesaurarium Marchiæ, fit protestatio per Adrianum cum facultate addendi, vel minuendi omne id quod posset importare verum pretiũ, quæ protestatio videtur tollere omnem scrupulũ circa mensuram *Socin. sen. cons. vlt. n. 3. vers. Non obstat quod secundo loco allegatur lib. 3.*

4 Ex quibus videbatur satis de precedenti mensuratione constare, & sic præcipuum fundamentum decisionis in facto cessare. Nec quidquam obstare, quod hec omnia non fuerint deducta coram A.C. Nam cũ hodie agatur de Iustitia sententiæ qua A. C. pronunciauit Pelicanum fuisse spoliatum, potest etiam ex nouiter deductis doceri de iniustitia sententiæ, & ad excusandum spolium potest fieri de nouo iurium productio. *Rot. diuers. 356. nu. 3. & seqq. lib. 3. p. 3.* Minus subsistit in facto vltimum fundamentum decisionis, quod de isto pretio debebat extingui quidam census cum ex deductis de nouo constet, Hieronymam iam ex suis pecunijs census extinxisse.

DECISIO CCCLIV.

Farfen. Fideicommissi. Lunæ 20. Iunij 1611.

Impressa Apud Ludouisio.

DECISIO 514.

DECISIO CCCLV.

Ianuen. Iurisdictionis. Lunæ. 20. Iunij. 1611.

Impressa Apud Ludouisio.

DECISIO 509.

REVERENDISSIMO P. DOM.

MANZANEDO.

Romana Vineæ. Lunæ 27. Iunii 1611.

ARGVMENTVM.

Melioramenta vtilia restituenda sunt bonæ fidei possessori etiam facta lite pendente, & circa eorumdem melioramentorum taxationem standum est peritis maxime de consensu partium dictis.

SVMMARIVM.

Melioramenta vtilia facta à bonæ fidei possessore sunt illi restituenda. nu. 1.

Melioramenta vtilia sunt restituenda bonæ fidei possessori, & quod fuerunt facta lite pendente. nu. 2.

Melioramenta probari possunt per peritos præsertim de communi partium consensu electos. nu. 3.

Peritis discordantibus super quantitate, & taxatione melioramentorum, quid faciendum. nu. 4.

DECISIO CCCLVI.

1 Domini dixerunt constare de melioramentis vtilibus, quæ debentur: habuerunt enim pro constanti Dominum Iulium esse possessorem bonæ fidei, & absque fraude ista melioramenta fecisse, quæ quamuis vtilia veniunt possessori bonæ fidei restituenda, cum ex illis vinea facta fuerit pretiosior, vt testes declarant, & ne cum aliena iactura Dominus Vineæ locupletetur. *l. impensæ, de verb. signifi. l. vel si vites, & l. impensa, de impensæ, de impens. in reb. dotal. fact. Castr. cons. 270. nu. 3. vers. si vero Monasterium. Roland. cons. 28. num. 26. & seq. lib. 1. Menoch. de recuper. remed. 15. num. 527. Late Ioseph. Ludouic. alios referens, dec. Perus. 24. num. 18. & seq. par. 1. & Rebuff. in d. l. impensæ. §. vtiles, vers. 4. impensas, de verb. signif.*

2 Nec obstat, quod lite pendente dicantur factæ, quia Dominis visum fuit hoc non probari, nec probatum releuare, cum melioramenta fuerint, & vtilia adnotata per *Lancel. de attent. par. 3. cap. 24. q. 29. num. 10.* quod autem ista melioramenta vtilia fuerint facta probant testes, & relationes Peritorum, quin ex euidentia facti, & notorietate rei idem resultat, nam cũ Iulius scassauerit vineam, & plantauerit vites, arbores & rosas, non est dubium quin prædium melius, & vtilius factum fuerit.

3 Vnde non obstat, quod dicitur debere constare de anteriori statu Vineæ ad dignoscendum an fuerit meliorata, vt late fuit dictum in vna Florentina meliorامentorum. 26. Iunij 1609. coram me, nam in hoc casu videtur satis de anteriori statu constare, ex quo vt deponunt testes, vinea non erat scassata, & vites erant antiquæ, & addunt, quod ex meliorationibus vinea fuit facta ex dimidia parte pretiosior, & magis in specie referunt Periti quid fuerit melioratum, & quantum importet melioratio, qui modus probandi melioramenta per relationem peritorum est legitimus. *Put. dec. 471. in fin. & dec. 474. par. 2.* maxime cum in hoc casu fuerint electi pro vtraque parte, & postea successiue tertius, & quartus fuerint de partium consensu deputati.

4 Ad quam vero summam ista melioramenta ascendant quamuis periti inter se discordent, & vnus de Scutis 65. pro qualibet petia vineæ scassata deponat, alius vero nempe peritus Domini Equitis Perini deponat de Scutis 60. alij vero non bene se declarent, visum fuit quamlibet petiam ex prædictis esse taxandam in Scutis 60. iuxta relationem periti Domini Equitis, cum quo alius peritus deponens de Scutis 65. venit concordandus cum in maiori summa contineatur minor, & iunctis insimul meliorationibus æstimatis per peritos videbatur, quod ratione istorum melioramentorum veniant restituenda Scuta 500. exclusis tamen Scutis 65. pro quibusdam mobilibus, quæ si Dominus Eques nolit habere, erit dicta summa Scutorum 65. minuenda ex dictis 500. Ex quibus sic fuit resolutum.

DECISIO CCCLVII.

Cæsaraugostana Pensionis. Veneris 1. Iulii 1611.

Impressa Apud Ludouisio.

DECISIO 516.

DECISIO CCCLVIII.

Cremonen. Prætensæ Confidentiæ. Veneris 1. Aprilis 1611.

Impressa Apud Ludouisio.

DECISIO 517.

R. P. D. MANZANEDO.

Florentina Melioramentorum. Veneris 1. Iulii 1611.

ARGVMENTVM.

Fructuum recollectio eorumque quantitas quomodo per testes probetur, an per coniecturas, & quas meliorامentorumque fructus, nec etiam à malæ fidei possessore restituendi sunt.

SVMMARIVM.

Testes probant collectionem fructuum, quando dicunt se fuisse præsentes dictorumque fructuum recollectione. nu. 1.

Fructuum recollectio, & eorum quantitas probatur per proximas coniecturas, per redditus vicinorum, & alias iudicis arbitrio. nu. 4.

Colonus partiarius tenetur domino partem fructuum reddere absque eo quod sibi soluantur aliquæ impensæ, numero tertio.

Fructus percepti ex melioramentis factis nec etiam restituendi sunt à malæ fidei possessore. numer. quarto. Declara vt num. 5.

Melioramenta perpetuo duratura quæ sunt. nu. 5.

DE-

DECISIO CCCLIX.

1 FVit resolutum 14. Martij currentis anni summã fructuum per Illustrissimum Cardinalem Detũ prætensorum integre ascendere ad Scuta 2441. Sed quia isti fructus diuiduntur inter Dominum, & colonum pro æquis portionibus, ideo medietas tangens Domino, de qua agitur, ascendit ad Scuta 1220. Baioch.50. Fuit autem reseruatum videre super fructibus procedentibus ex melioramentis, per authores Mariæ factis cuius ratione, & quia pars Mariæ prædictæ decisioni non acquiescebat sub prætextu, quod tunc non informauerat, ideo causam hodie reproposui, & Domini in decisis standum dixere ex rationibus in eadem decisione adductis.

2 Nec obstare, quod opponitur, testes non probare cum deponant simpliciter de auditu. Nam ex ipsis apparet quod potius probant de scientia, & de visu, & de publico, & notorio. Nec facit in contrarium. *Bal.in l.1. num.22. C.de fruct.& lit. expens.* vbi videtur dicere, quod testes non probant, nisi fuerint præsentes recollectioni fructuum, cum potius dicat, quod fructuum recollectio probatur per testes qui fuerint præsentes, sed non excludit alios modos probandi, immo statim subdit, quod fructus probantur per proximas coniecturas, vt per redditus vicinorum, quod & complacuit *in consil. 301. in fin. libr.3. & idem Bald. in l.si fundum.in fin. C.de rei vendic.dicit sufficere*, quod probetur consueuisse fundum tantum reddere, quin, & taxari possunt arbitrio iudicis *Ang.in leg. penult. ff.de rei vendic. Natt. cons.510.nu.7.& cons.536. n.6. Surd.infra referendus, n.26.& seq.* Vltra in hac materia non requiritur concludens probatio cum de facili haberi non possit, vt dixi in eadem decisione.

3 Nec obstat, quod testes Illustrissimi Cardinalis nõ deducant expensas, quia cum colonus partiarius, & pro cultura caperet dimidiam partem fructuum dominus, nihil impendere tenebatur, *arg.tex.in l.si cum duobus, §. si in coeunda, ff. pro Soc. & text. in c. tua nobis, de decim. vbi Innoc. & Ioan. Andr. numer. 3. & Panormit. in 3. notabil. Cyn. in leg.1. in fin. & ibi Bald.in 7. q. Cod. pro soc. late. Tiraq. de retract. lignag. §. 15. gloss. 1. numer.19.*

4 Quo vero ad fructus ex melioramentis per Mariã factis perceptos, quæ melioramenta, fuit resolutum coram me. 15. Decembris. 1610. ascendere ad Scuta 750. Domini hodie dixerunt, fructus perceptos ex dictis melioramentis spectare ad Maria, sicque non esse deducendos, nec deberi Illustrissimo Cardinali ad *text. in l. ceterorum, §. improbe.ff. de rei vendic. & ibi Bart. & Ang. tradit Afflict. dec.87.nu.6. Vinc. Franc, dec. 191. num.11. par.1.Rota diuers. decis.294. part.1. Bursatt, cons.85. num.37. lib.1. Surd.dec.282. nu.30.* alios adducens, quod in tantum procedit, vt & malæ fidei possessor non teneatur restituere fructus perceptos ex melioramentis, quæ fecit in re detenta. *Rom: sing.337. & Surd, vbi supr.d.nu.30.*

5 Quibus non obstat *dec.Cæs.de Grass.5.num.7. de reb. eccl. non alien.* tum quia ibi loquitur de plantationibus, & stercorationibus, & melioramentis, non perpetuis, & in re duraturis, sed potius factis pro vberiori fructuum perceptione, nos vero sumus in cannetis, & vineis, & arboribus ad perpetuum cõmodum prædij. Tum etiam quia dicta decisio Cæsar. de Grass. non facit ad rem, quia ibi agebatur, an sub prætextu talis meliorationis res possit retineri, in præsenti vero agitur de fructib. ex meliorationibus perceptis, qui sine dubio spectant, ad illum, qui plantauit maxime bona fide ante litem motam.

6 Ex quibus Domini concluserunt, fructus procedentes ex melioramentis deberi Dominæ Mariæ, sed quia non constat liquide ad quam summam ascendant isti fructus, fuit dictum, quod præcedente illorum liquidatione debeant deduci ex quantitate superius ad fauorem Illustrissimi Cardinalis liquidata ad summam Scutorum 1220. Baioch.50. ita vt tanto minus ex dicta summa Dominus Cardinalis recipiat quantum fructus Percepti ex melioramentis liquidabuntur. Et sic fuit resolutum.

R. P. D. VBALDO.

Tuden. Parochialis decimæ de valesæ. Lunæ 7. Nouembris 1611.

ARGVMENTVM.

Ius patronatus Priuatorum non admittit præsumptionem vsurpationis iuxta formam Sacri Concilij Tridentini, probaturque per antiquissimas enunciatiuas diuersorum instrumentorum, per formam per quasi possessionem plurium præsentationum effectuatarum præscriptione quadragenaria nedum immemorabili, & ex alijs adminiculis de quibus in Summario.

SVMMARIVM.

Ius patronatus priuatorum non habet præsumptionem vsurpationis ex forma Sacri Concilij Tridentini: Ideo eius probatio redigitur ad terminos iuris communis. nu.2.
Verba enunciatiua antiquissima in diuersis instrumentis apposita probant ius patronatus, nu.4.
Ius patronatus non probatur ex solis enunciattiuis, vel fama nisi adsint adminicula, nu. 5. & seqq. Vbi ponuntur plura adminicula.
Iuris patronatut quasi possessio probatur per plures præsentationes effectuatas vltra quinquagiuta annos, nu.6.
Iuris patronatus qualitas non tollitur ex noua prouisione facta ab ordinario, vel à Papa. nu.7. & num.14. in fine.
Præsentationis in iure patronatus effectuatio quomodo probetur, nu.7. in fine.
Ius patronatus censetur probatum ex possessione quadragenaria cum fama, num.8. & 9.
Ius patronatus maxime arguitur per visitationes in quibus sumuntur informationes à testibus asserentibus beneficium esse de iure patronatus, nu. 11.
Episcopi assertione probatur ius patronatus, nu.12.
Præscriptio immemorabili probatur per testes excedentes annos 54. nu.13.
Præscri ptione immemorabili probatur ius patronatus, & præsumitur titulus fundationis, nu.13.

DECISIO CCCLX.

1 MOrtuo Petro Gil. de mense Iulij 1584. vltimo possessore Ecclesiæ Parochialis Sanctæ Christinæ Tuden. Diocesis, & proposito de more edicto per Episcopum, Basilius Gil. excepit beneficium non vacare, tanquam sibi auctoritate Apostolica prouisum, per resignationem eiusdem Petri. Aluarus autem Gil. & alij litis consortes dederunt de iure patronatus ad se spectante; sed nihilominus cum Episcopus illud, vti liberum contulisset Ioanni Guinisio, ex alia parte, Dominicus Ribas de illo etiam auctoritate Apostolica prouisus, tanquam de reseruato, eius possessionem adeptus est: Tandem post varios circuitus, causa in Rota commissa, ad quã veniunt tam asserti patroni, quam Episcopus Basilius, & Dominicus possessor. Dubitaui an constare de iurepatronatus, & Rota vtraq; parte informante affirmatiue respondit.

Nam quia versamur in iure patronatus priuatorum, in quib. cessat præsumptio vsurpationis, & Sacrum Concilium Tridentinum nihil innouauit, per

cap. 9. de reformatione sess. 25. Ideo probatio iuris patronatus redigitur ad terminos iuris communis, vt sæpe censuit Rota,& signanter in causa Tuden. iuris patronatus.15.Iunii 1572.coram bon.mem.Cardinali Lancellotto,quæ est dec. 331. par.2. diuersorum,& in Taurinen.Beneficii.5.Martii 1584. coram bon.me. Orano,& in Tirasonen.iuris patronatus.5.Maii.1580. coram R.P.D.meo Decano,& nouissime in Romana de Cardellis iuris patronatus. 22. Aprilis huius anni coram eodem D. meo Decano.

3 Probatur igitur in primis dictum ius patronatus, ex duabus enunciatiuis antiquissimis duorum instrumentorum, in quorum altero de anno 1437. enunciatur,deberi quibusdam mulieribus, occasione patronatus dictæ Ecclesiæ singulis annis tres faneclas tritici, & vnam mensuram butyri; In altero vero de anno 1472. narratur prouisio ad fauorem Roderici Alfonsi, facta ad præsentationem patronorum eiusdem Ecclesiæ,quæ à Vicario Tuden. asserente,se informatum,& quod inuenit rem ita se habere confirmatam,vt latius *in Summario Basilij. nu.2.* quæ quidem enunciatiuæ,cum sint supra centum annos, & emanauerint à diuersis personis, & in diuersis instrumentis,probare videntur ius patronatus,*Achil.decis. 70.num.1.de iure patronatus, & dec.8.num.2. eod.tit. Put. dec.209.nu.1.lib.2.Crauet.de antiq.tempor.par.1.§. ampliatur.nu.14.& seqq.& cons.327.num.2. Mandell.cons.64. nu. 21.Ferret.cons.293.nu.6.lib.2.Bursatt.cons.324. nu.6. & 9. lib.3.Rota dec.684.num.1.par.1.diuers.* & dictum in causa Fesulana iuris patronatus.7.Februarii 1583.coram bon. mem. Bubalo,& in Mediolanen. iuris patronatus de Baradia. 2. Iunii 1589. coram Reuerendissimo Comitulo,& in Lugdunen.Parochialis.21.Maii 1610. coram D.meo Sacrato, & in Terasonen. iuris patronatus,alias Cappellaniæ.14. Decembris 1607. coram D.meo Pamphilio,& in Meliten.iuris patronatus.10. Mai.1608.coram Domino meo Caualerio,& in dicta Romana de Cardelis coram Domino meo Decano, & alias sæpe.

4 Quia talia verba habent vim famæ,*Crauett.d.§. ampliatur. num.* 8. & fuit dictum in Regien. Hospitalis. 26. Maii 1580. coram bon. mem. Canuccio, quæ est decis.130.num.1. part 2. in impress. & in Gerunden. Beneficii.15.Decembris 1599. coram bon. me. Cardinali Seraphino, quæ etiam fama optime probatur per plures testes datos,in dicto Summario. nu.1. qui testes deponentes de fama, vel de auditu admittuntur,in antiquis. *Iason.cons.* 225. *colum.2. vers. item cum istud.lib.2.Menoch.de Arbitr.casu* 475.*n.*10. *Bursat.d.cons.* 324. *nu.* 8. *lib.* 3.

5 Et quia solæ enunciatiuæ, vel fama non sufficiunt ad probationem iuris patronatus, sed requiruntur adminicula,secundum opinionem, quam *Rota tenet, vt in decis. Achil.6. de iure patronatus,ita intelligendo decis. Cassad. 2. num. 4. cod. titulo, & sentit. Rota dicta decisione 30. num. 2. part. 2. in impress. Put. decis.* 140. *in fin. libr.* 1. *Rota decis.* 792. *numer.* 1. *& seqq. part.* 1. *Decius. cons.* 117. *in fin.* præsertim quando Ordinarius est in causa, *Cassad. dec.* 1. *sub nu.* 1. *vers. nisi fama de iure patronatus*, adducebantur multa pro adminiculis probationis iuris patronatus.

6 Et ptimo possessio per spacium,vltra 50. annos,nã ex dicto instrumento anni 1472.apparet,Rodericum fuisse in possessione huius beneficii, tanquam præsentatum à patronis per acta Alphonsi Fernand. sed quia illa erant deperdita, petiit, & obtinuit à prouisore, tam per præsentationem dictorum patronorũ, quam omni alio meliori modo, se prouidere, & canonice instituit de beneficio,& idem deponit secundus testis nepos ipsius Roderici in dicto Summario. nu.1. & de effectuatione dictæ præsentationis, & institutionis, constat,tum ex aduerso instrumento, & teste,tum ex aliis testibus videlicet primo,& secundo super 3 art. in dicto Summario. nu. 7. qui deponunt per resignationem Roderici, fuisse prouisum Goraldum Aluarez,ex qua resignatione bene probatur effectuatio, vt fuit dictum in causa Reatina beneficij. 6.Aprilis 1576.coram Cardinali Seraphino, relata inter impress.dec.147.nu.1.par.1.& in causa Papien.Archipresbyteratus.19. Februarij 1601.coram Cardinali Pamphilio,& in Firmana iuris patronatus de Dorijs.15. Februarij 1610. coram D.meo Marcomontio, & in alijs allegatis per Informantes.

7 Quod autem Girardus obtinuerit hanc parochialem,ex dicta resignatione,ad præsentationem patronorum,deponit secundus testis *in d.Summario. nu.*1. & colligitur ex collatione postea illi facta ab Episcopo Triden.de anno 1524. de qua *in Summario Episcopi. nu.* 1. ex qua apparet, quod Goraldus, eo tempore iam habebat,& possidebat dictam Parochialem; quando autem fit noua prouisio ab Ordinario,vel à Papa alicui possidenti, ex aliquo titulo non propterea tollitur effectus primæ prouisionis nisi aliter constet de illius non iure,*ad dec. Achill. primam. num.4. de concess. præbend.faciunt dicta per Sarnen.ad reg.de subrog. q. vltima. in fin.* & fuit dictum in Maioricen. Sacristiæ. 26. Iunii 1602.coram Cardinali Pamphilio,quod eo magis hic videtur habere locum, cum Episcopus, vel eius Vicarius Gualdo fecerit collationem, sine præiudicio possessionis, quam habebat, vt legitur in dicta collatione. Effectuatio autem talis prouisionis Giraldi,probatur ex eo, quod per eius obitum de anno 1530. fuit ab Ordinario prouisus Laurentius *Sanchez,in d.Summario Episcopi.nu.1. iuxta cons. Oldrad.229. nu. 2.sæpius approbatum.*

8 Ex quibus constat,hanc Parochialem ab anno 1472. vsque ad annum 1530. fuisse prouisam, & possessam tanquam de iure patronatus, quæ possessio plus quã quadragenaria cum fama bene sufficit ad probandũ ius patronatus. *Put.dec.60.nu.5.& dec.140. in fin. lib.1. Achil.dec.6.de iure patronatus*,& fuit dictum in Mediolanen.iuris patronatus.21.Aprilis 1589. coram Reuerendissimo Comitulo in Lucana iuris patronatus 7. Maii 1604. coram D. meo Coccino in dicta Romana de Cardellis,coram D. meo Decano.

9 Accedit secundo prædicta fama probata per testes, *vt supradictum est, facit decisione Mohed. vltima de iure patronatus. in fin.* & fuit dictum in Taurinen. Beneficii. 5.Martii 1584. coram Orano, & in Pamplonen. Beneficii.10.Aprilis 1595. coram Illustrissimo Mantica,& in dicta Tuden.Parochialis coram Dom. meo Sacrato.

10 Tertio concurrit,pro adminiculo,exhibitio Prandii in die Sanctæ Christinæ, & solutio certæ annuæ quantitatis frumenti facta per Rectores dictæ Ecclesiæ patronis, in recognitionem iuris patronatus, vt deponunt testes *in Summario Basilij. nu.*1. 3. & 4.

11 Quarto accedunt quatuor visitationes, in quibus visitatores receperunt informationes a testibus, qui sub iuramento asseruerunt, esse de iure patronatus laicorum, *vt in dicto Summario. numer.* 6. quibus visitationibus plurimum esse deferendum dicit *Caput. decis.* 158. *par. secunda.* & in specie per eas probari ius patronatus, fuit dictum in dicta Fesulana iuris patronatus,coram Bubalo, in Lucana iuris patronatus. 14. Februarii 1605. coram Domino meo Coccino,& alias sæpe.

12 Quinto suffragatur edictum propositum à Moderno Episcopo Tuden.de anno 1584. quo anno vacauit dictum beneficium,per mortem Petri Gil. Vltimi possessoris,in quo edicto monuit omnes prætendentes habere aliquod ius, ad illius præsentationem *vt in d. Summario. num.*5. & sic videtur, non dubitasse de existentia iuris patronatus, de quo hodie agitur; sed tamen non fuisse certum de eius pertinentia, cui quidem assertioni Episcopi, videtur multum deferen-

ferendum, cum Ordinarij soleant esse difficiles in admittendo aliquod beneficium esse de iure patronatus, propter præiudicium, quod affertur coram libere collationi, *Rota dec.11.de iure patronatus in nouis.Put. dec.243.in fin.lib.2.*& fuit dictum in dicta Fesulana coram Bubalo in dicta Taurinen. coram Orano in Vercellen. Cappellaniæ.7.Maij 1600. coram D. meo Sacrato, & in Tuden. coram eodem.

XV Sexto adsunt etiam testes bene deponentes de immemorabili, in Summario Basilij.num.1. & cum omnibus requisitis, *iuxta gloss.fin.in cap.1.de præscr.lib.6.* & excedunt omnes ætatem.54. annorum, vt requiritur. *Caputaq.in dec.290.par.3.* & ex immemorabili certum est, probari ius patronatus, & præsumi Titulum fundationis. *Feder.de sen.consil.234.sub num.3.Gabr.consil.198.num.2.lib.2.Achill.dec.4.nu.6. de iure patronatus. Mohed. dec.3.eod.tit.Rota dec.717.lib.3.part.3.diuers.* & fuit dictum in dicta Romana de Cardelis coram D. meo Decano, & quatenus dicti testes paterentur aliquem defectum saltem.... inseruire possunt pro adminiculis probationis supradictæ.

16 Non obstant prouisiones ponderatæ pro parte Episcopi, tanquam de beneficio libero, quia ad primam de anno 1524. iam responsum est, supra in versiculo, quod autem Goraldus, &c. Aliæ collationes non obstant, quia fuerunt semper valde controuersæ & non potuerunt præiudicare iuri patronatus, de quo constat ex supradictis nec constituere Ecclesiam in statu libertatis iuxta tradita in causa Perusina Sancti Beueniatis. 13. Martij 1588. 17. Martij 1589. coram bon. me. Cardinali Pamphilio, nam per mortem Goraldi, prouisus ab Episcopo de anno 1530. qui fuit vt supradictum est Laurentius Sanchez, cessit ad fauorem Martini de Auella Nida, cum quo diu litigauit Alphonsius Gartia, à patronis, præsentatus, qui etiam possedit, *vt patet in Summario Basilij. nu.9.* & lite per concordiam finita Alphonsus resignauit ad fauorem Petri Gil; qui fuit prouisus à Sede Apostolica, & per eius obitum de anno 1584. vltimo loco beneficium vacauit, & data est occasio præsenti liti, quæ sane prouisio Apostolica maxime ex causa resignationis non mutauit statum beneficij, vt fuit sæpe decisum, & signanter in dicta Mediolanen. iuris patronatus de Baradia. 21. Aprilis 1589. coram Reuerendissimo Comitulo, & in Papien. Archipresbyteratus. 9. Aprilis 1601. coram Cardinali Pamphilio atque ita fuit decisum.

REVERENDISSIMO P. DOMINO

DAMASCENO.

Oxomen. Beneficij. Die Lunæ 24. Octob. 1611.

ARGVMENTVM.

De requisitis ad vnionem Beneficij, vt valida sit, quomodo probetur exactio seminarij, & de narratiua Papæ in facto proprio, quod plene probet etiamsi factum proprium sit mixtum cum alieno.

SVMMARIVM.

Episcopo gaudente alternatiua, Beneficium vacatum de mense Septembris dicitur reseruatum etiam non data residentia Episcopi. nu.1.

Papæ narratiua de facto proprio plene probat. nu.1. Vbi etiam quod narratiua dicitur de facto proprio Papæ, etiam quod factum Papæ sit mixtum cum facto alieno.

Reus excipiens in sua exceptione est actor, exceptionemque probare debet. nu.2.

Beneficij resignatio non suffragatur resignatario, nisi etiam probet publicationem necessariam ad illius validitatem. num.2.

Vnio, vt sit valida, quæ requirantur. nu.3. & 7.

Testis deponens per verbum citra, vt puta dicendo ab anno citra quomodo intelligatur. nu.4.

Seminarium, vt possit dici erectum, necesse est probare introductionem puerorum in eo. nu.5.

Tempus quando est de substantia alicuius actus illud debet expresse probari. nu.6.

DECISIO CCCLXI.

1 PRo Petro solo informante fuit tentum nempe constare de reseruatione. Nam de vacatione beneficij de quo agitur in mense Septembris deponunt duo testes quorum Summarium fuit datum, quo quidem mense Episcopo gaudente alternatiua est de reseruatis etiam non data residentia Episcopi, vt in dec. Sulmonen. alternatiue die 14. Maij 1610. Illustrissimo Lancellotto. Quod autem Episcopus tunc temporis gauderet alternatiua visum fuit probari ex literis in forma dignum concessis eidem Petro, in quibus Papa narrat acceptationem alternatiue factam ab Episcopo in Dataria quę narratiua cum sit de facto proprio ipsius Papæ plene probat. Clemen. de probationibus cum alijs cumulatis per *Gab.consil.2.eodem tit.& in prop.* dicitur factum Papæ etiamsi sit mistum cum facto alieno dummodo secum sit gestum, *Feder. de Senis consil.117.nu.2.Vittal.in d.Clem.1.nu.26.Gabr.vbi supra, nu.12.* nota in causa Salaman. iurisdictionis. 17. Maii 1576. coram bon. me. Cardinale Seraphino relata inter diuersas impress. dec. 171. nu. 10. p. 1.

2 Non obstat vnio prætensa à Seminario ante vacationem beneficii, de quo agitur, per quam vnionem fuisset impedita vacatio, & inde reseruatio, quia cũ Petrus habeat fundatam intentionem in obitu possessoris beneficii in mense reseruato Seminario excipiente de vnione cui incumbit onus illam probandi, & quidem validam, cum in sua exceptione sit actor. *l.1.ff.de excep.l.in exceptionib.ff. de probat.Bald.in l.frustra num.2.C.eod.tit.* & in simili quod non sufficiat docere de resignatione nisi etiam probetur publicatio necessaria ad illius validitatem, fuit dictum in causa Conchen de Veteta. 13. Nouembris 1579. coram bon. mem. Cardinale Seraphino in Cæsaraugustana Parochialis. 14. Nouembris 1583. coram Robusterio, relata *diu.impress.dec.190.num.2.par.2.in Hispalen. & Cordu-ben. beneficiorum. 14. Iunij 1600. coram Illustrissimo Lancellotto.*

3 Vnio autem producta pro parte Seminarij minime apparet, quod habeat duo præcipua requisita, primum quod tunc temporis Seminarium esset rectum quod est necessarium, cum alias Seminario nõdum erecto non possit fieri vnio. Rota in causa Genen. præstimoniorum. 15. Nouemb. 1593. & 27. Aprilis 1595. coram Illustrissimo Blanchetto, & in Corduben præstimoniorum. 7. Ianuarii 1601. coram bo. me. Litta. Facit *text.cum gloss.fin.in cap.ad audientiam, il 2.de Ecclesijs ædificandis.* Tantum autem abest vt probetur erectio de tempore vnionis, quia verba literum eiusdem vnionis potius innuunt contrarium, vt late ponderatur per Informantes pro Petro.

4 Neque testes de quib. in processu deponentes Seminarium fuisse erectum ab anno 1588. citra, de quo anno contigit vnio, aliquid probant, tum quia verbũ citra annum 1588. verificatur in eo quod fuit factum *iuxta Doct.Bart.in l.Celsus.num.23.ff. de vsucap.* sæpe approbatum in Rota nempe in causa Carpen. petitorij. 2. Aprilis 1593. coram Gipsio in Pacen. Decimarũ. 16. Nouembris 1594. coram Seraphino, & in aliis.

5 Tum quia non deponunt de introductione puerorum de dicto anno 1588. quæ introductio est necessaria, vt Seminarium possit dici erectum ad effectum

de quo agitur, vt in dicta Corduben. præstimoniorum.7. Februarij 1601.coram bon. mem. Litta,& potest esse quod ipsi pro fundatione Seminarij intelligant de Seminario materiali, hoc est ædificio in quo postea fuerunt introducti pueri.

6 Et denique etiamsi deponerent vere fuisse introductos pueros de anno 1588. adhuc nihil concluderent circa tempus vnionis, quia vnio fuit facta 5. Februarij dicti anni 1588.& illorum dictum posset verificari in mense Martij, & alijs subsequentibus vnionem, quando autem tempus est de substantia debet præcise probari. *l. matrem.cum ibi not.C. de probat.* Bald. *cons.106.num.1.vers.primum est.lib.1.Angel.cons.309. num. 3. Anch.cons.388.nu.8.Alex.cons.97.nu.5.l. 7.* & sic opus esset vt concluderent tempus ante diem 5. Feb. dicti anni.

7 Secundum requisitum iuxta Sacrum Concilium pro validitate vnionis est quod procedat dismembratio fructuum ipsius Cathedralis, & aliorum beneficiorum ipsis Diœces. vt in prædicta Corduben.coram Litta in Auersana beneficiorum.3.Iunij 1606.coram me. nouiss. in Nouarien. vnionis in mense Maij proximi coram R. P. D. Coccino.

DECISIO CCCLXII.

Leodien. Dominij. Lunæ 14. Nouembris 1611.

Impressa Apud Caualerio.

DECISIO 172.

REVERENDISSIMO P. D. DAMASCENO.

Cæsaraugustana Dismembrationis. Diæ 3. Decembris 1611.

ARGVMENTVM.

Clausula arbitrio operatur, vt fructus possint reseruari in fine litis attenta paupertate, & æquitate.

SVMMARIVM.

Clausula arbitrio est satis ampla, vbi concurrit æquitas. numer. primo.

Clausula arbitrio vbi rescribitur iudici alias iurisdictionem habenti est satis ampla, ne alias, si reducatur ad meros terminos iuris communis, reddatur inanis. nu. 1.

Dubietas æquiparatur ignorantiæ facti. nu. 2.

Iudex præsumitur scire ea, quæ pertinent ad eius officium. num. 2.

Fructus, & expensæ in spolio facto auctoritate iudicis stante clausula arbitrio fuerunt alias reseruati in fine litis, vt in casu relato. nu. 2.

Ecclesiæ inter se debent procedere cum æquitate omisso iuris rigore. nu. 3.

Paupertas est multum considerabilis ad effectum, vt fructus stante clausula arbitrio debeant reseruari in fine litis. numer. 3.

DECISIO CCCLXIII.

1 CVm omnes regulæ iuris circa purgationem attentatorum facerent pro Iacobo, etiam si per collegiatam fuisset obtenta commissio, quædabat facultatem illa reijciendi arbitrio Rotæ, Domini sub die vigesima tertia Ianuarij proximi resoluerunt non esse locum arbitrio. Cum autem Collegiata obtinuisset nouam commissionem, per quam dabatur facultas reseruandi restitutionem fructuum per eam attenta, te perceptorum vsque ad finem litis arbitrio Rotæ; Rursus dubitaui, an esset locus arbitrio, & quo ad medietatem fructuum negatiue fuit tentum ex deductis in prædicta decisione sub die 23. Ian. proximi, quæ visa fuerunt deseruire etiam ad propositum casum. Quo vero ad aliam medietatem visum fuit Domini vti facultate contenta in clausula arbitrio, quæ videtur satis ampla quandocumque concurrit æquitas, vt per *Crescent. dec. 4. num. 3. de test.* Item quando rescribitur iudici alias iurisdictionem habenti, ne si alias reducatur ad meros terminos iuris, commissio reddatur inanis, vt fuit dictum coram me in causa Romana Cottigij die 6. Martij 1606. post Fel. Dec. & alios ibi allegatos.

2 Æquitas autem suadere visa fuit, vt saltem pro medietate reseruarentur isti fructus vsque ad finem litis quia in effectu collegiato non ingressa fuit possessionem bonorum Parochialis propria auctoritate, & absque vllo iuris colore, sed in vim literarum Apostolicarum habentium clausulas amplissimas fuit immissa ab illarum exequutoribus; Et licet clausulę fuerint male intellectæ,& executores excesserint, vt fuit bis resolutum coram me in hac causa, attamen visum fuit Dominis, quod dubietas, de qua in prædictis literis, quæ æquiparatur ignorantiæ facti. *Alex. consil. 214.num.8.lib.6.Ruin.cons.128. num.11. volum.2. Gabriel. cons. 33.num.8.lib.1.* & auctoritas exequutorum, quos collegiales poterant præsumere scientificos pro expeditione eorum officij, ad tradita per *Abb. consil. 41. nu.4. vers. Item videtur mandata, lib.1. Alex. in l. sciendum num. 26. ff. de verbor. obligat. Dec. in cap. quoniam contra. num.42. in fin. de probat.* Illos excuset pro hac mediocri summa, & ad solum effectum dilatorium, vt fuit in terminis purgationis spolii quo ad fructus, & expensas stante clausula arbitrio, & auctoritate iudicis decisum in causa Cesenaten. de Aldinis nona Decemb. 1609. coram R. P. D. meo Coccino.

3 Tanto magis, quia agitur inter duas Ecclesias, quæ inter se cum omni æquitate, omissis iuris rigoribus, debent procedere. *cap.1. de dolo. & contumacia. cap. dilecti. de iud. cap. sæpe. de restit. spoliat.* & quia res est parui præiudicij, & datur magnus fumus paupertatis ex literis Papæ super dismembratione bonorum Parochialis, & applicatione ad collegiatam, in quibus asseritur dictam collegiatam esse pauperem, quę paupertas solet esse multum considerabilis in ista materia, ex notatis *in cap. olim, vbi gl. & Abb. in princ. 10. And. in fine. Butr. num.2. de restit. spol. cum alijs per Lancell. de attent. par. 3. cap. 31. nu. 146.*

DECISIO CCCLXIV.

Leodien. Fideicommissi. Veneris 9. Decembris 1611.

Impressa Apud Caualerio.

DECISIO 176.

R. P. D. MANZANEDO.

Segobien. Cantorum. Veneris 9. Decemb. 1611.

AR-

ARGVMENTVM.

In facultatiuis quomodo præscriptio, & obligatio inducatur fauore piæ causę, & de obseruantia subsequuta, quando sit interpres præcedentis dispositionis.

SVMMARIVM.

Obseruantia subsequuta interpretatur præcedentem dispositionem. num. 1. Vbi ampliatur, siue sit dispositio legalis, siue sit dispositio hominis.

Actus subsequens declarant præcedentes. nu. 1. in fin.

Obseruantia debet esse vniformis, quando agitur de interpretatione dubiæ constitutionis. nu. 2.

Ius exigendi acquiritur ex continuata solutione 40. annorum. num. 3.

Consuetudo præter ius, & ad fauorem piæ causæ inducitur spacio 10. annorum. nu. 4.

Præscriptio, & obligatio non inducitur in facultatiuis, præterquam quando concurrit fauor Ecclesiæ, & piæ causæ. num. 5.

Papæ rescriptio, & obligatio etiam inducitur in facultatiuis, quando voluntaria præstatio fuit diuturna, & per 40. annos. nu. 6.

DECISIO CCCLXV.

1 FVit conclusum sententiam Rotalem esse confirmandam cum quadam tamen reductione inferius declaranda ex eo, quod Cardinalis Riarius in ordinationibus suis, vt ex illarum proœmio apparet voluerit augumentum cultus diuini, & in decantatione officiorum magnifice, vt decet, ad Dei laudem, & pro delectandis Audientium Christi fidelium cordibus Cantores, & Musicos adesse, vnde inferebant Domini magnificam musicam, & sic formatam in ista Cappella Cardinalem desiderasse, & vt testes Musici, & periti in causa ista examinati deponunt musica formata tunc erit quando interuenerint duo contralti & duo tenores, & unus contrabassus, & unus bassus, & unus sopranus, & pueri cantantes aut illorum loco alter sopranus. Item & alijs testes deponant à 40. annis, & ultra uidisse in dicta Cappella omnes prędictos Musicos inseruijsse, & decantasse, & in parnticulari testes. 12. 16. & 20. pro parte Ecclesiæ examinati ex quibus omnibus in simul infertur, quod Cappellanus Maior, quæ pro tempore fuit istius Cappellæ, & in illa habuit prędictos musicos, & sic musicam formatam quibus, & sua stipendia soluit videatut hoc fecisse aut ex dispositione Cardinalis desumpta ex supradictis verbis, aut quatenus dicta verba aliquam dubitationem habeant illa ex subsequenti obseruantia per tot annos talem interpretationem recipiant. Certum est enim secundū obseruantiam subsequutam dispositionem interpretari. *cap. cum venisset. & ibi Butr. num. 12. & 21. & Imol. num. 19. de institut. Bart. consi. 59. num. 3. lib. 1. Corn. consi. 188. num. 10. lib. 4. Becc. cons. 101. num. 4.* Et hoc siue agatur de dispositione legali, siue hominis, vt post *Bero. & alios dixit Menoch. consil. 341. num. 5. & 23. lib. 4.* Ex his enim, quæ postea sequuntur declaratur, quid actum fuerit in præcedenti contractu. *l. Iulianus. §. proinde. ff. de Senatusconsul. Maced. Alciat. consi 107. nu. 4. lib. 8.*

2 Quibus non obstat, quod ex pluribus testibus appareat aliquo modo istam obseruantiam non fuisse ita vniformem prout requiritur ad interpretationem dubiæ constitutionis inducendam iuxta *Bart. in l. 2. in princip. ff. sol. matr. Corn. cons. 296. per totum. lib. 4. Dec. cons. 215. num. 2.* Quia respondetur quod quamuis plures testes de ista obseruantia deponentes non declarent de tot cantoribus, sed aliqui de minori numero, & circa illum etiam varij videantur non ex eo excluduntur supradicti tres testes vniformiter de dicta obseruantia deponentes per quadraginta annos, & amplius, & hoc sufficit.

3 Vlterius, quia ex eorumdem testium probatione quamuis non eliceretur dicta interpretatiua obseruantia (quod non admittitur) saltem elicitur Cappellanum maiorem ex dicta longæua obseuantia voluisse se obligare ad dictam Musicam formatam, & quo ab illam acquisitum fuisse ius isti Cappellæ, vt notat *Abb. in c. suam. num. 7. de simon. & Felin. in c. ad Apostolicam. num. 3. eodem titulo. Marsyl. singul. 193. incipien.* diuturna præstatio post *Paul. de Leazar. in c. literis. numer. 24. de restitut. spoliat.* quos refert, & sequitur decisio Illustrissimi Cardinalis Lancellotti in ista causa facta.

4 Et hoc magis procedit, cum ista diuturna præstatio Musicæ formatæ resultet in augumentum cultus diuini, & sic ad fauorem piæ causæ, tunc enim ad talem consuetudinem inducendam sufficerent decem anni, cum sit præter ius, vt notat *Felin. in c. ad Apostolicam. numer. 3. & Abb. in dicto cap. suam. num. 8. & Marsil. vbi supra. Gabriel. de præscript. conclus. 10. nu. 12. & Couar. var. lib. 1. cap. 7. num. 3. vers. quod si clerici.*

5 Et ex hoc fundamento cessat obiectum quod uersemur in facultatiuis in quibus non producitur obligatio, iuxta *Innocent. in cap. cum Ecclesia de caus. possess. & proprietat. & Bart. in l. cum de in rem verso. ff. de vsur. & DD. in l. si certis annis Cod. de pact.* illud enim cessat quando concurrit fauor Ecclesiæ, & piæ causæ ex Doctoribus supra relatis.

6 Vltra quod quamuis ab initio fuisset præstatio voluntaria ex diuturna consuetudine subsecuta fuit effecta necessaria. Quia & ipsimet Cappellani maiores ita faciendo per tot tempora uisi fuerunt uelle inducere talem consuetudinem, & obligationem in futurum, ut notat *Abb. in d. c. suam. nu. 7. & 8. per tex. in c. ex parte. de censib. & bene decis. Pedemont. 99. num. 19. & seq. & concordat. tex. in l. priuilegia. in fin. C. de sacrosanct. eccl. & ibi Bar. notat. in fin. & Bart. sequuntur Abbas & in cap. penult. num. 6. 7. & 8. de sepult. & Fel. in c. Ecclesiæ Sanctæ Mariæ. num. 97. & in c. cum M. num. 21. de const. in d. c. ad Apostolicam. num. 2.*

7 Quia tamen sententia Rotalis confirmat primam de partibus, in qua non fit mentio de musica formata, sed potius Cappellanus maior condemnatur ad tenendum in Cappella eius Magistrum, organistam, octo musicos cantores omnium uocum duplicatarū cum uno musico grosso, & quinque choristis, & quatuor Cappellanis, & duobus uestiarijs, ut in dicta sententia de partibus continetur quam confirmauit sententia Rotalis, & nihilominus cum testes ex animati pro Ecclesia deponant à quadraginta annis, & vltra vidisse in ista Cappella musicam formatam ex duobus contraltis, & duobus tenoribus, & vno contrabasso, & alio basso, & vno soprano, & quinque pueris cantantibus, & in illorum defectum alio soprano, & ex istis resultet musica formata, & ex dictorum testium depositionibus oriatur obseruantia interpretatiua, & obligatio Cappellani maioris ad istam musicam formatam visum fuit dominis sententiam esse reducendam ad septem uoces nempe ad dictos duos contraltos, & duos tenores, & unum contrabassum, & alius bassum, & unum sopranum cum pueris canentibus, & illis deficientibus ad alium sopranum, ita ut tali casu deficientię puerorum sint octo voces tantum, & cum reductione ad illos confirmandam esse prædictam sententiam.

REVERENDISS. P. DOMINO

COCCINO DECANO.

Constantien. Canonicatus. Veneris 9 Decemb. 1611.

A R.

ARGVMENTVM.

Canonicatus quando dicatur sacerdotalis, & quomodo hoc probetur.

SVMMARIVM.

Canonicatus an sit sacerdotalis probatur ex statuto Ecclesiæ, & testibus, nu.1.
Præbendæ sacerdotales quando vigore statuti esse debent numquid tunc habeant annexum onus sacerdotij, num.2.
Canonicatus non dicitur sacerdotalis etiam quod habeat annexum onus Missarum, num.2.
Canonicatus dicitur sacerdotalis quando statuto Ecclesiæ cauetur, vt Canonicus infra tantum tempus promoueri debeat, nu.3.
Canonicus electus an etiam possit habere præbendam, nu.4.
Canonicatu sublato censetur etiam sublata præbenda Canonicatui annexa, nu.4.
Canonicatus, & præbendæ simul factæ expressione an, & quando vno impetrato censeatur etiam impetratus alius, numer.5.
Episcopi consensus est necessarius quando agitur de disponendo super statu Ecclesiæ. nu.6.

DECISIO CCCLXVI.

1 PRo complemento iustificationis gratiæ Domini Seuerini dubitaui, an Canonicatus de quo agitur esset sacerdotalis, & quia hoc videbatur satis probatum ex statuto Ecclesiæ iunctis testibus, nempe quinto, & octauo super 6. *iux. not. per Io. Andr. in c. ei cui. nu.6. & per Franc. in gl.2. uu. 6. de præb. in 6.*

2 Pro Illustriss. D. meo Card. Gonzaga deducebatur primo quod cum statutum percipiat, quod duæ præbendę debeant esse sacerdotales, non inde sequebatur quod haberent onus sacerdotij annexum, vt *gl. in c. ei cui. in verb. nondum, de præben. in 6. Gemin. nu.11.* Contrarium tamen visum fuit Dominis, quia verba illa quod duę præbendę sint sacerdotales, sunt satis clara, & ostendunt annexionem ex *Ioan. Andr. & aliis supra alleg.* & colligitur ex ipso gl. Franco, & Geminiano, qui non videntur sentire contrariũ in casu isto, sed tunc quando onus Missarum solum esset annexum, quia tunc non astringitur celebrare per se ipsum, vt dixit Rota in causa Romana Capellaniæ 25. Ian. 1589. coram bon. mem. Card. Pamphilio, & in istis terminis loquitur decisio. Tuden. Canonicatus. 21. Aprilis 1608. coram bon. mem. Iusto.

3 Et cessat omnis difficultas, quia in dicto statuto cauetur, quod talis Canonicus debeat infra biennijũ promoueri, quod aliqui ex Dominis dicebant correctum per *Conc. Trid. sess.24. c. 12. §. neminem etiam de reform.* ita vt teneatur promoueri infra annum. Vnde aperte colligitur, quod Canonicatus est sacerdotalis, vt per *Ioan. Andr. & Franc. in dict. cap. ei cui locis præallegatis.*

4 Secundo deducebatur, quod statutum loquitur de præbenda, non autem de Canonicatu, quæ inter se differunt. *Innoc. in c. vlt. nu.1. circa fin. de cler. non resident. Abb. in c. cum M. Ferrar. num.31. de constit. sed isti Doctores disputant*, an & quando quis eligitur in Canonicum debeat habere præbendam, & respondent cum distinctione, qui non est casus noster, in quo cum præbendæ sint annexæ Canonicatibus sublato Canonicatu censetur, & sublata præbenda, *Ripa in c. cum M. Ferrar. nu.170. vers. nam ex quo quis est Canonicus, de constit. vbi etiam Felin. num.13. 14. & seqq.* & ideo non est facienda vis in eo, quod statutum loquatur de præbenda.

5 Neq; retragatur, quod fuerit narratum, Canonicatum, & præbendã sacerdotales, quia narratiua Canonicatus est intelligenda in ordine ad præbendam. Neque contrarium dicit. *Bal. in cons.472. num.3. vers. ad hoc respondeo, lib.2.* quia solum firmat, quod si exprimatur Canonicatus, & præbenda vnus non venit in consequentiam alterius, vt impetrato vno censeatur in consequentiam, & alius impetratus, sed vterq; principaliter est impetratus, quod etiam est verum in casu isto, sed narratiua presbyteratus respectu canonicatus fuit facta in Ordine ad præbendam.

6 Tertio deducebatur, quod prædictum statutum fuerat reuocatum, sed neque hoc placuit. Quia dicta reuocatio fuit post impetrationem Domini Seuerini, nec tenet cum fuerit facta absque consensu Episcopi qui erat necessarius, cum ageretur de disponendo super statu Ecclesiæ, *Anch. in c. statuimus, nu.1. de transact.*

REVERENDISS. P. D. DAMASCENO.

Bononien. Fideicommissi. Veneris 16. Decembris 1611.

ARGVMENTVM.

Instituto filio herede in re aliena debetur æstimatio ne alias testamentum reddatur nullum. Nec dicitur filius in patris testamento præteritus, cui iure institutionis aliquid etiam minimum relinquitur, & stante clausula codicillari, præteritus filius non nisi legitimam consequi potest, notabilis, & magistralis Decisio.

SVMMARIVM.

Filius non dicitur præteritus in testamento patris, qui iure institutionis, illi menstratim reliquit Scuta quinque. num.1.
Filius institutus à patre in minori summa eius quod importat legitima, potest petere supplementum legitimæ, num.1.
Filius non dicitur præteritus in testamento patris, si iure institutionis aliquid etiam minimum ipsi relinquitur, numer.2.
Hæredi instituto altero filio instituto in re aliena præstanda est æstimatio ab hærede vniuersali, præsertim quando institutus est filius in re aliena, & alias testamentum redderetur nullum, num.3.
Compensationi de re aliena locus non est, num.4.
Testatorem voluisse facere testamentum nullum præsumendum non est, nu.4.
Filius quando in testamento patris, in quo adest clausula codicillaris, præteritus est, instituto altero filio censetur rogatus, dempta sua legitima residuum fratri restituere, nu.5.
Filius præteritus non potest dare de nullitate testamenti paterni ex statuto Bononiæ, nu.6.

DECISIO CCCLXVII.

1 PRætendebant Informantes pro dominis de Barzallinis esse recedendum à decisione in hac causa facta coram me die vndecima Martij 1611. in qua fuit dictum, ipsos tanquam habentes causam à Camillo, qui cum consensu communis patris reportauit donationem successionis paternę à Ducio fratre suo non posse prætendere nisi legitimam ipsius Ducij ex quo prædicto Ducio non fuit de bonis paternis plus delatum. Fundamentum istorum Informantium erat, quod testamentum patris Ducij fuerat nullum ob præteritionẽ ipsius Ducij, & proinde cum pater reliquerit duos tantũ filios, népe ipsum Ducum donantem, & Camillum donatarium pars delata Ducio ex successione paterna fuit dimidia, non autem sola legitima, vt in prædicta decisione fuit

ne fuit dictum. Verum dominis in hac propositione uisum fuit in primis, non subsistere, quod Ducius u erit præteritus, si quidem pater illi iure institutionis Scuta quinque auri in auro menstrua reliqui, quod sufficit ne dicatur præteritus, & potuit Ducius petere supplementum legitimæ, *l. omnimodo. C. de inoffic. testament. vbi Bart. & alij Cras. in §. legitima. quæst. 32. nu. 2. Late Vasq. de succession. creat. l. 3. par. 2. §. 30. num. 79.*

2 Non obstat, quod pater non reliquerit simpliciter prædicta Scuta quinque menstrua, sed addiderat infra scripta verba promissa, & donata in instrumento rogato per N. & N. Notarios, duodecima. Decembris 1580. non animo duplicandi, sed compensandi, quod quidem instrumentum est illud quod continet donationem Ducij, ad fauorem Camilli. Vnde infertur nihil noui fuisse relictum Ducio, & consequẽter non posse euitari præteritionem, quia fuit responsum primo immo fuisse aliquid noui relictum, quia Scuta menstrua promissa in instrumento del 1580. erant monetæ, ista vero relicta in testamento sunt auri in auro, & ad effectum, quod filius non dicatur præteritus. Sufficit quod sibi aliquid modicum fuerit relictum cum habeat remedium prætendi supplementum legitimæ ex supra allegatis, & quod sufficiat minimum relictum, tradunt *Bald. in c. per tuas. num. 6. de prob. Corn. cons. 270. num. 2. vol. 4. Curt. Iun. cons. 148. nu. 3. Illustris. Mantic. de coniect. vlt. volunt. lib. 4. tit. 3. n. 26.*

3 Secundo fuit consideratum quod promissio de qua in prædicto instrumento de anno 1580. non fuit facta à testatore ipsi Ducio, sed à Camillo cum consensu tamen eiusdem testatoris, qui erat eorum communis pater. Vnde inferebatur, quod in hac institutione de re aliena venit æstimatio. *Bald. in l. scimus. num. 9. vbi Castr. num. 40. Salic. nu. 8. vers. quæro propter Ias. nu. 3. C. de inoffi. testam. Gomes. variar. resol. tom. 1. c. 10. nu. 16. in fin. Menoch. de præsumpt. lib. 4. præsupt. 116. num. 15. & 24.* quæ magis de plano procedunt, quando institutio est de filio, ad *glo. 2. in c. filius. de testam. Bal. in l. humanitatis. nu. 63. C. de impub. & alijs subst. Corn. cons. 32. nu. 3. lib. 1. Capr. concl. 106. nu. 2. de communi Crass. in §. legatum. q. 14. numer. 3.* & prædicta eo magis, vbi alias testamentum redderetur nullum si æstimatio non diceretur relicta. *Bal. in d. l. scimus. num. 9. vers. ego dico. C. de inoffi. testam. Ias. in l. cum alienam. nu. 6. vers. 5. limita. C. de legat. Menoch. dicta præsumpt. 116. num. 25.*

4 Neque videbatur dominis exclusum relictum æstimationis ex eo quod testator subdiderit se relinquere non quidem animo duplicandi, sed compensandi, quia fuit cogitatum testatorem ista verba addidisse non quia voluerit excludere relictum æstimationis, sed nec forte ob consensum præstitum obligationi factæ per Camillum Felium ad fauorem Ducijs prætenderet eum obligatum de proprio, & ideo eo casu noluit hæreditatem esse obligatam ad duas præstationes menstruas, & quod iste fuerit sensus testatoris colligitur ex illis verbis ibi sed animo compensandi quæ important quod Ducius aliquid receperit ab eo alias non fuisset locus compensationi de re aliena. *l. 1. l. id quod. ff. de compensat. l. eius. vbi Bald. & Salicet. in princip. & num. 3. Castr. num. 1. C. eodem tit. Soc. cons. 73. num. 10. lib. 1.* & etiam suadet natura negotij, quia potius sumitur interpretatio, quod testator voluerit relinquere æstimationem quam facere actum frustratorium & subijcere suum testamentum vitio nullitatis. *Bald. in dictam l. scimus. num. 9. C. de inoffic. testament.* cum alijs supra allegatis.

5 Secundo principaliter fuit dictum quod etiam si testamentum ex defectu præteritionis fuisset nullum adhuc Ducio non fuisset debita plusquam legitima si quidem quando testator sciens præterijt vnum filium, & instituit alium & in testamento adest clausula codicillaris tunc filius præteritus per clausulam codicillarem censetur rogatus dempta sua legitima residuum restituere fratri. *Bar. in l. 1. numer. 9. ff. de iure Codicill. Alex. in auth. ex causa. nume. 13. C. de liber. præter. Corn. consil. 298. num. 1. lib. 1. Dec. cons. 241. num. 2. de magis communi. Clar. in §. testamentum. quæst. 46. Crass. etiam in §. testamentum. quæst. 50. Put. decis. 7. de testam. Sarn. d. 87.* Rota in Ariminent. Legati. 10. Nouemb. 1597. coram bo. mem. Litta. Quicquid dicendum foret si præteritus esset filius, & institutus extraneus, *ex decis. Thesaur. 141. num. 15.*

6 Et placuit etiam aliquibus ex Dominis, & alij non contradicebant motiuum ex *statuto Bonon. Rubr. de success. liber. §. inter filios. lib. 4.* dum prohibet filio dare de nullitate ob præteritionem concedendo illi solum petere supplementum legitimæ.

R. P. D. PEGNA.

DECANO.

Capuana Rectoriæ. Veneris 27. Ianuarij 1612.

ARGVMENTVM.

Beneficium de iure præsumitur simplex, nisi concurrant signa contraria, & quem esse Rectorem Ecclesiæ, ex pluribus probatur. Item quæ requirantur ad mutationem status beneficij, & an ex non residentia arguatur Ecclesiam non esse Parochialem.

SVMMARIVM.

Beneficium de iure præsumitur simplex. nu. 1.
Dic id procedere in dubio; secus vbi concurrunt signa excludentia beneficij simplicitatem, & includentia parochialitatem. num. 1.
Beneficium in Ecclesia diuersum est ab ipsa Ecclesia. nu. 2.
Oblationes quæ fiunt in Ecclesia spectant ad rectorem. numero 2.
Rector Ecclesiæ dicitur ille qui sustinet omnia onera ad curam animarum spectantia. nu. 3.
Status beneficij, vt mutatus dicatur debent plura concurrere de quibus remissiue. nu. 4.
Status beneficij, vt mutatus dicatur, debet concurrere voluntas, & potestas superioris. nu. 4.
Parochialitas non excluditur ex eo, quod prouisi non resederint, quia id potius sonat in abusum. nu. 5.

DECISIO CCCLXVIII.

1 POst factas in hac causa duas decisiones vnam sub die. 12. Iun. 1609. super dubio tunc proposito, an gratia Pauli esset iustificata, in qua fuit resolutum non fuisse iustificatam in duobus videlicet in valore obtentorum, & in eo, quod hæc Rectoria esset beneficium simplex, & alteram sub die 15. Aprilis 1611. in qua fuit recessum à prædicta decisione, & dictam gratiam fuisse iustificatam non ad effectum definiendi, an hoc beneficium esset simplex nam de hoc articulo particulariter erat videndum, sed solum ad effectum iustificationis gratiæ ad euitandum subreptionem, quæ contingere potuisset ex narratiua simplicis beneficij. In hac propositione vtraque parte informante dubitaui de articulo illo præsentiali. An hoc beneficium esset simplex, vel potius curatum in hoc enim versabatur totius causæ pondus, & Rota beneficium Sancti Ioannis ad Curtim collatum Francisco Quarello esse curatum censuit ex rationibus deductis in prima dec. sub die 14. Iunij 1609. quæ DD. placuit, quibus accesserunt sequentes. Nam testes pro hac parte examinati non solum dicebant hoc beneficium esse curatum, sed deponebant etiam de requisitis ad Ecclesiam Parochialem, quæ fuerunt breuiter,

uiter, & singulatim ponderata in prædicta decisione. Vnde excludebatur illa præsumptio iuris, quod omne beneficium præsumatur simplex. *Ægid. dec. 675. incip. si impetrans.* id enim habet locum in dubio, secus vbi concurrunt signa excludentia beneficij simplicitatem, & includentia Parochialitatem. *Ægid. d. dec. 675.* vbi quod cum beneficium habet populum, quemadmodum hoc de quo agitur non præsumitur simplex, sed curatum.

2 Neque aliud suadebat consideratio Informantium pro Paulo, quod aliud sit benficium in Ecclesia & aliud ipsa Ecclesia, & quod hæc Rectoria sit beneficiũ in Ecclesia Parochiali Sancti Ioannis ad Curtim id enim non subsistebat in facto tum quia Paulus non obtinuerat sibi prouideri de Rectoria Sancti Ioannis ad Curtim, sed de Rectoria ipsius Ecclesiæ, quæ ex signis memoratis repperiebatur, esse curata, tum quia testes pro hac parte examinati deponebant Rectoriam esse ipsius Ecclesiæ non autem in Ecclasia & ad Rectorem spectare onus curę animarum, & expensarum ipsum Ecclesiæ, puod non contingeret si aliud esset Rectoria aliud Parochialis, tum denique quia ad solum Rectorem pertinent obligationes, quod fuit in ista Ecclesia, vnde satis euidenter inferebatur quod Rectoria non sit diuersa ab ipsa Ecclesia aliter enim obligationes ad Rectorem non expectaretur. cap. pastoralis vbi signanter *Abb. nu. 2. de his quæ fiunt a Prælat Fel. in c. dilectus nu. 1. & seq. de off. ord.* Minus suadebat beneficij simplicitatem collatio facta cuidam Liuio à Cardinale Sermoneta tunc Archiepiscopo Capuano per Synodum prouincialem tanquam de simplici, quia fuit responsum multis modis, & primo non constare de tali collatione nisi per relationem factam in quodam asserto instrumento possessionis per Liuium captæ quod non merebatur indubitatam fidem cum ex proccessu compulsoriali constaret scripturam asserti instrumenti non esse publicatam neq; authenticam sed folium volans nominato compulsanti exhibetur à tertia persona asserente illud inuenisse in fasciculo scripturarum cuiusdam Scipionis de Santinellis asserti nominatis, carebatq. signo, & subscriptione illius.

3 Secundo dicebatur, quod ex gestis tempore Liuij deprehendebatur ipsum vere fuisse Rectorem curatum huius Ecclesiæ, cum ipse sustineret omnia onera actiua, & passiua ad curam animarum spectantia excepto quod per Cappellanos Sacramenta administrabat.

4 Tertio dicebatur quod licet Cardinalis Sermoneta potuisset mutare statum Parochialis eamq. in simplex beneficium redigere, ex eius tamen collatione non poterat dici mutatus status cum non concurrerent requisita ad præcedentis status mutationem de quibus *Canonistæ in cap. eundem beneficio de præbendis lib. 6. Fel. in cap. in nostra. num. 4. vers. 2.* nota, & voluntas superioris ne dum potentis sed volentis etiam mutare status beneficij Rota in vna Perusina Sancti Beneueniatis die 17. Martij. 1589. coram bon. mem. Cardinale Pamphilio tunc Rotæ Auditore. Hic autem vtrumque deerat nam nondum erant elapsi 40. anni cum solum effluxissent. 39. cum dimidio, nec. voluntas Cardinalis talis fuisse deprehendebatur collatio ab illo facta de Rectoria seu simplici beneficio, & capta possessio Parochialis.

5 Quod Liuius nunquam resederit præterquam quódam ad abusum potius quam ad excludendum Parochialitatem pertinebat ex eius non residentia & culpa Ecclesia, non desierat esse Parochialis, præsertim cũ testes affirmaretur id ex abusu, & corruptela prouenisse quam emendare oportuit in illa Diœcesi in qua nimis fortasse inualuerat, & eundem Liuium post Synodum apud visitatores petitur, vt cogeretur ad resi dendum constitutionem Synodalem Cardinalis Sermonete vt deponebat primus testis super primo articulo. Denique omnis difficultas cessare videbatur, ex constitutione Synodali edita de anno 1567. qua præcipiebatur Rectoribus per se curam animarum exercere, aut in terminum assignandum cur id non facerent rationem reddere nullamque admittendum consuetudinem præter immemorabilem. Synodus enim satis agnouit curam istarum Rectoriarum in ea Diœcesi penes Rectores residere, & quod iniuste, & per abusum à tali cura se eximere nitebantur vnde multi bonam fidem agnoscendum curam animarum exercendum susceperunt alij vero licet in abusum perseuerantes Rectorias tanquam simplicia beneficia retinuerunt illis tamen vita functis ordinarius tanquam curatas contulit, vt affirmabant testes vnde non obscurè constitutionis Synodalis obseruantia eliciebatur, quam Fel. rec. Clemens Papa VIII. per suum diploma Apostolicum roborauit cum voluerit Synodum habere locum nedum in Rectoris quæ vacauerant, sed etiam in posterum vacaturis & Cappellanos esse coadiutores, non autem Curatos.

DECISIO CCCLXIX.

Cesenaten. Bonorum. Veneris 27. Ianuarijs. 1611.

Impressa Apud Ludouisio.

DECISIO 567.

DECISIO CCCLXX.

Romana Fideiussionis. Lunæ 30. Ianuarij 1612.

Impressa Apud Ludouisio.

DECISIO 554.

DECISIO CCCLXXI.

Ciuitatis Castelli Bonorum. Mercurij. 1. Februarij. 1612.

Impressa Apud Ludouisio.

DECISIO 578.

DECISIO CCCLXXII.

Corduben. Beneficiorum. Lunæ 6. Februarij. 1612.

Impressa Apud Caualerio.

DECISIO 184.

REVERENDISSIMO P. DOMINO COCCINO DECANO.

Romana Legitimæ. Veneris 8. Februarij. 1612.

ARGVMENTVM.

Magistralis est decisio, & ad eam in contingenti casu semper recurrere quando scire volueris, An substitutio facte filio Matrem ab eius legitima excludat.

SVM-

SVMMARIVM.

Pupillaris substitutio facta filio excludit matrem à legitima eiusdem filij, secus fideicommissaria. num.2.
Legitima debetur filio in bonis Patris, nec grauari potest fideicommissi onere. nu.2.
Substitutio compendiosa censetur, facta per appositionem verbi quandocunque. nu.5.
Substitutio pupillaris verbis communibus concepta numquid sit directa, ita vt comprehendatur in compendiosa, & matrem à legitima excludat, an vero sit omni tempore fideicommissaria, & matrem non excludat. nu.3. Vbi pro, & contra, & nu.4. Vbi quod est fideicommissaria matrem à legitima non excludens quando pro exclusione adsunt Testatoris coniecturæ, & nu.5. & seqq. Vbi plures enumerantur coniecturæ huiusmodi.
Huiusmodi dictio est repetitiua præcedentium. nu.6.
Relatum est in referente cum omnibus suis qualitatibus. n.6.
Legitima filij detrahi potest à Matre de fideicommisso vniuersali facto sub conditione mortis. nu.6.
Trebellianica nunquid censeatur probibita quando Testator voluit fideicommissarium succedere in tota, & integra eius hæreditate. num.6.
Trebellianica detrahi non potest de fideicommisso ad pias causas. Declara, vt nu.7.
Confraternitates habentes Ecclesiam dicuntur loca pia. nu.8. Vbi idem si exerceant opera pietatis.
Legatum vsusfructus relictum vxori dummodo seruauerit vitam vidualem, castam, & honestam dicitur legatum annum. nu.9.
Legatum quando est annum, tot iudicantur legata quot sunt anni. num.9.
Mater relicta vsufructuaria in bonis Testatoris Patris non potest eodem tempore dici hæres, & legataria. nu.9. in fin.
Testator magis præsumitur dilexisse animam suam quam vxorem. nu. 10.
Testatoris affectio erga loca pia ex quibus cognoscatur. nu.10.
Substitutio compendiosa quando resoluatur in pupillarem. num.11.

DECISIO CCCLXXIII.

1 TEstator reliquit vxorem vsufructuariam omnium & singulorum bonorum, ac totius suæ hæreditatis, hæredem vero vniuersalem instituit ventrem prægnantem, quatenus masculus nasceretur, quatenus vero femina voluit illam ali ex dicta sua hæreditate, & pro illa monachanda, vel nubenda reliquit Scuta 600. quæ si non sufficerent pro monachanda voluit augeri arbitrio tutorum, & isto casu. s. si femina nasceretur, instituit hæredes vniuersales Fratres Sancti Francisci de Paula in Monte Pincio, & Societatem Sancti Rocchi cum certis oneribus, prohibendo dictis locis pijs omnem, & quamcunque detractionem Falcidiæ & alterius cuiusuis portionis, si vero filius, vt supra dictum est, nasceretur, fecit substitutionem per hæc verba. Et insuper dicto suo filio masculo, & hæredi, vt supra institutio ex ventre vxoris nascituro quandocunque decedente sine filijs legitimis, & naturalibus, vel quod dictis venter fecisset abortum, quod Deus auertat, substituit, & in huiusmodi sua hæreditate succedere voluit supradictos fratres, & societatem cum eisdem oneribus.

2 Hoc stante cum ex ventre prægnante natus sit filius masculus, ille, in pupillari ætate decesserit, existente adhuc matre, dubitaui. An eidem deberetur legitima in prædicta hæreditate, & difficultas consistit in eo, an substitutio prædicta sit pupillaris, vel fideicommissaria, quia si pupillaris, legitima matri non debetur *c. si pater de testam. in 6. l. Papinianus. §. sed nec impuberis. ff. de inoff. testam.* si vero fideicommissaria, legitima quæ filio debetur ex bonis patris. §. 1. *in Auth. de trient. & semiss. Auth. nouissima. Cod. de inoffic. testam.* non potuit grauari fideicommisso. *l. cohæredi. §. cum filio. ff. de vulgar. & pupill. l. omnimodo & l. quoniam in prioribus. C. de inoff. testam.* & consequenter debetur matri, quæ filio succedit ab intestato. *auth. defuncto. C. ad Tertull.*

3 Vnde cum in ista substitutione adsit verbum quandocunque, versamur in substitutione compendiosa. *Odd. de compendio. part. 4. quæst. 1.* facta verbis communibus, quale est verbum, substituit, *l. cohæredi. §. cum filia. ff. de vulgar.* & est communis opinio *Galiaul. in l. centurio. nu. 511. ff. de vulgar. Alciatus in l. verbis ciuilibus. num. 8. ff. de vulgar. & pupill.* qui communiter recipitur vt dicit *Paris. cons. 18. num. 15. lib. 2.* Et propterea incidit illa quæstio. An substitutio pupillaris uerbis communibus sit directa, ita ut comprehensa in compendiosa excludat matrem etiam à legitima, uel omni tempore fideicommissaria, circa quam multi Doctores tenuerunt, quod compendiosa sit omni tempore fideicommissaria, quando mater est in medio, idque fauore matris, ne excludatur à luctuosa filij hæreditate, & hanc sententiam tenuerunt quam plures Doctores, quos allegat Illustrissimus D. meus Cardinalis Mantica de *coniect. vltim. volunt. lib. 7. tit. 3. num. 16. Surd. dec. 273. nu. 1.* contrariam vero sententiam tenuerunt multo plures, quos allegat idem Illustrissimus Mantic. *vbi supra vers. sed diuersam sententiam, & Surd. pariter loco alleg. nu. 2. & Gabr. in cons. 169. numer. 45. vol. 1. & cons. 120. vol. 2. per totum*, vbi subdit perspicuum esse, quod est verior, & communissima sententia.

4 Sed Domini in hac facti specie, omisso vt videatur in abstracto, quæ opinio sit tenenda, amplexi sunt secundam sententiam contra matrem, nam & prima limitatur quando extat verisimilis coniectura voluntatis testatoris *Bart. in l. Centurio. num. 27. in fine de vulg. & pupil.* vbi etiam *Ripa nu. 121. cum alijs quos allegat Surdus dicta dec. 273. nu. 4.* Illustrissimus D. meus Cardinalis Mantic. *de coniect. vltim. volunt. lib. 7. tit. 3. num. 18. vers. tamen debet vsque restringi*, & dixit Rota in causa Firmana bonorum 5. Nouembris. 1584. coram Bubalo, & ratio est, quia cum verbum commune habeat vtramque significationem, accipiendum esset in sensum directum, si talis fuisset mens testatoris, quinimo quando constat de mente testatoris, ne dum verbum commune, sed etiam obliquum trahitur ad directam significationem. *Bart. per illum text. in l. quærebatur nu. 3. ff. de milit. testam. Aret. in l. 1. num. 5. vers. vbicunque autem constat de coniecturis. ff. de vulgar.*

5 Hic autem concurrunt quam plures coniecturæ, & prima quia testator vsus fuit dictis verbis communibus substituit, & succedere voluit pro directis in alio casu, nempe in casu, quo venter fecisset abortum, quo casu substitutio fuit vulgaris directa, & ista est optima coniectura, quod etiam in isto casu voluerit directe substituere. *arg. l. si seruus plurium. §. fin. & l. qui filiabus, in princ. vbi DD. de legat. 1. Corn. cons. 152. nume. 23. lib. 2. & cons. 93. nu. 6. & cons. 138. nu. 9. ante finem, vers. & tamen illa expressio. lib. 3. Cuman. cons. 33. ante finem vers. porro Ripa in l. centurio. numer. 124. ff. de vulgar.* eoque magis, quia vna conceptione verborum est facta substitutio per dicta verba communia filio quandocunque morienti, & abortui quæ substitutio facta abortum sicut non potest se nisi directa, ita etiam videatur interpretanda in persona filij nascituri, vt sic pariter determinetur argumento *l. iam hoc iure. & l. lucius. ff. de vulgar. & pupil.* & ita in casu contrario arguit *Corn. d. cons. 93. nu. 5. lib. 3.* cuius dicta eo magis procedere debent ad interpretandam substitutionem directam, cui interpretationi iura magis fauent, vt dicit idem *Corn. in alleg. cons. 138. nu. 9.* in fine, maxime cum agatur de fauore primæ causæ, vt dicit Corneus vbi supra, & latius infra diceretur.

6 Secunda coniectura est, quia testator instituit vxorem in vsufructu omnium, & singulorum bonorũ suo-

suorum, ac totius suæ hæreditatis, &c. Et postmodum in substitutione dixit, substituit, & in huiusmodi sua hereditate succedere voluit, & propterea, cum dictio huiusmodi, sit repetitiua præcedentium, *c. nemo deinceps. vbi glos. in verb. huiusmodi. de elect. in 6. Felin. in cap. Apostolico. nu. 3. in fine vers.* quia dictio, de except. perinde est ac si substituisset in omnibus bonis suis, ac in tota sua hæreditate, vt supra dixerat in institutione vxoris, relatum enim est in referente cum omnibus qualitatibus suis *l. asse toto. ff. de hæred. instit.* & propterea oritur coniectura, quod pupillariter substituere voluerit, quia substitutus non potest omnia bona testatoris habere, nisi per pupillarem, nam per fideicommissum non potest, quia legitimus hæres filij de fideicommisso vniuersali facto sub conditione potest detrahere legitimã *c. Raynut. & c. Raynaldus de testamẽtis Ripa in alleg. l. centurio. n. 125.* vbi quod ista coniectura est multũ vtilis, & practicabilis, & licet *n. 235. vers. circa tertiũ afferat*, quod ista coniectura sit cõtrouersa, tamẽ in vers. veritas pendet ab hoc, an per illa verba totam, & integram, & similia in dubio testator intelligatur voluisse prohibere Trebellianicam, an vero facere directam substitutionem, nam si voluit facere directam, non videbitur prohibuisse Trebellianicam, quia ad alium finem fuerunt prolata, & est contra si dicatur, quod voluerit directo substituere, & propterea in hoc casu cessat omnis dificultas, quia cum de fideicommisso ad pias causas non detrahatur Trebellianica, vt est communis Doctorum sententia de qua per eundem Ripam vbi supra *num. 128. ante fin.* dicendum est, illa verba non fuisse prolata, vt prohiberet Trebellianicam, sed vt faceret directam substitutionem pupillarem.

7 Neque obstat quod ad effectum, vt Trebellianica censeatur prohibita, necesse est quod pia causa sit immediate substituta, vel mediate, modo fideicommissarius sit pure, vel in diem certam grauatus substituere, secus autem si sub conditione si sine filijs prout videtur casus noster, *Crassus qui alios refert in §. Trebellianica quæst. 6. num. 3.* Nam fuit responsum, quod ratio huius conclusionis est, quia in primo casu est certum, quod ecclesia est successura in secundo vero casu substitutus primo hæredi non potest impedire detractionem, nec minus etiam pia causa quia est incertum an sit successura. *Roman. cons. 206. nume. 7. Emanuel à Costa in c. si pater. verbo. Trebellianica. nu. 27. de testam. in 6.* sed non propterea sequitur, quod non censeatur prohibita Trebellianica, quicquid dixerit *Castren. in consil. 321. ante fin. vers. sed si contingat lib. 2.* quia hæres detrahens debet cauere, quod eueniente vltimæ substitutionis restituet id quod detraxit *Alex. in l. si cum dotem circa med. versic. circa vero limitationem. ff. ad l. Falcid. & in cons. 20. nu. 14. vers. & hoc sequutus sum. lib. 3. Bald. Nouel. inter consi. Socini sen. cons. 78. num. 1. in fi. vers. remanebit tamen vol. 1. Tiraquel. de priuil. piæ caus. priuil. 26. colum. 3. in princ. vers. subiungit tamen Alex.*

8 Minus etiam releuat, quod simul cum fratribus Summæ Trinitatis est substituta Confraternitas Sancti Rocchi, quia non potest negari, quin ista societas sit locus pius, cum habeat ecclesiam & in omnem euentum sufficeret, quod exerceat opera pietatis, vt notum est, quia priuilegium non datur loco, sed causæ, cui relinquatur. *Cestren. cons. 167. num. 2. lib. 2. Illustrissimus D. M. Cardinalis Mantica qui alios refert, de coniect. vlt. volunt. lib. 4. tit. 5. art. 6. num. 5. Gabr. de pia caus. concl. 2. num. 15.* & dixit Rota in causa Esina. fideicom. 3. Decembris 1604. coram me.

9 Tertia coniectura est, quia testator fecit vxori legatum annuum, reliquit enim ei vt supra dictum est, & vsumfructum omnium bonorum, dummodo seruaret vitam vidualem castam, & honestam, quod propter dictionem illam, dummodo, censetur annuum ex alleg. per *Surd. de alim. tit. 8. priuil. 25. num. 8.* & quando legatum est annuum, tot iudicantur legata, quot anni sunt. *Surd. in supradicto tract. tit. vltimo. q. 6. nu. 3.* & repetit. ad propositum in allegata *dec. 273. num. 9.* vbi vero testator aliquid vxori legat præstandum ab hærede pupilli, tunc videtur voluisse matrem excludere à successione pupilli, ex quo non potest eiusdem pupilli hæres esse & legataria *l. legatum. §. 1. ff. de leg. 1. Surd. vbi supra num. 12.* vbi dicit, quod non insisteret, si sola huiusmodi coniectura esset, sed cum alijs operatur.

10 Quarta coniectura est fauor animæ, quia testator præsumitur magis dilexisse animam suam, quam matrem, cum prima charitas incipiat à se ipso, ita ad propositum, & in simili allegat plures *Doct. Tiraquel. de priuileg. piæ causæ. priuil. 69. & quamuis Corn. allegatus per eundem Tiraquel.* videatur tenere contrarium, attamen ista sententia procedit in vtroque foro, vt probat *Fachin. controuers. iur. tom. 2. lib. 4. c. 42. col. 2. vers. controuersia etiam est*, vsque ad fi. qui licet proprie non loquatur in nostris terminis, optime tamen loquitur ad propositum, & in præsenti casu cessat omnis difficultas cum loca pia prætulerit filiæ feminæ quam voluit dotari in Scut. 600. quam dotem auxit, si non sufficeret pro monasterio, non autem si non sufficeret pro nubendo in seculo ex quibus maxime colligitur affectus testatoris erga loca pia Gabriel, qui loquitur in terminis compendiosæ *consil. 120. num. 14. lib. 2. Odd.* de compendiosa in præludio *par. 3. quæst. 7. num. 6. in quarta coniect. Crass. in §. substitutio. quæst. 31. num. 7.* qui loquitur in tacita pupillar.

11 Quinta coniectura est quod vt ex supradictis patet verbum substituit, refertur ad personam filij impuberis vnde substitutio compendiosa intelligitur pupillaris, *Illustrissimus D. M. Cardinalis Mantica de coniect. vltim. volunt. lib. 5. tit. 7. nu. 12. & 16. Surd. dec. alleg. 173. num. 6.* Et quamuis diceretur istam conclusionem esse veram, nisi substitutio sit restricta ad hæreditatem testatoris, tamen fuit responsum, quod quicquid sit de ista limitatione, quia est admodum controuersa nisi adsit dictio, tantum, *Odd. de compendiosa facta à pagano art. 3. num. 14. vers. hoc exemplum in casu isto cessat*, quia vt patet ex prima coniectura satis testator substituit etiam in bonis pupilli, cum substituerit in omnibus bonis, & hæreditate ipsius testatoris, & propterea non est facienda vis, quod testator substituerit in sua hæreditate, quia satis est, quod intellexerit de vniuersa, & tota absque aliqua diminutione, vt iam dictum est in d. 2. coniectura, quod apertissime comprobatur quia si fieret abortus, pariter substituit in huiusmodi hæreditate, quo casu non poterat dubitari, quin intellexerit de tota hæreditate absque aliqua diminutione, & propterea cum in eadem oratione substituerit etiam filio nascituro ita vt verba prædicta operentur tam si abortus fieret, quã si filius nasceretur, deberet eodem iure censeri si filius nasceretur ac si abortus fieret, per supradicta.

REVERENDISSIMO P. DOMINO MANZANEDO.

Papien. Iuris patronatus. Lunæ 17. Februarij. 1612.

ARGVMENTVM.

De probatione, & materia iuris patronatus plura notanda, de quibus.

SVMMARIVM.

Ius patronatus dicitur priuatorum, quando patroni non sunt Domini tẽporales loci, vbi fundatũ est Ius patronatus. n. 1.

Ius

Ius patronatus probatur secundum quod Ius commune disponit, & non secundum Concilium Tridentinum quando Patroni sunt Personæ priuatæ, & non Domini temporales num. 1.

Ius patronatus probatur præsumptionibus, & coniecturis, quando sumus in antiquis. nu. 2.

Ius patronatus in antiquis probatur per famam, & per enunciatiuam. nu. 4.

Enunciatiua vnius instrumenti non inducit plenam probationem, sed semiplenam. nu. 4. in fine.

Ius patronatus numquid censeatur probatum ex enunciatiua emissa in actu præsentationis. nu. 5.

Ius patronatus vbi probatum fuit alicuius Ecclesiæ præsumitur etiam quod de eodem iure patronatus sint Cappellæ & Beneficia in eadem Ecclesia contenta. nu. 6.

Ius patronatus probatur per inscriptionem sculptam in marmore quando sumus in antiquis. nu. 7.

Iuris patronatus antiquus status, vt censeatur mutatus, & sic vt ordinarius conferendi libertatem acquisiuerit, quæ requirantur. nu. 8.

Iuris patronatus an, & quando vltimus status attendatur. nu. 9. & 10.

DECISIO CCCLXXIV.

1 FVit resolutum constare de iure patronatus nobilium de Basilica Petri in beneficio, de quo agitur cum præsupposito, quod versamur in iure patronatus priuatorum, cum prædicti nobiles de Basilica Petri non sint Domini temporales istius loci, vt etiam fuit firmatum in alia Papien. Archipresbyteratus 19. Februarij 1601. coram bon. mem. Cardinali Pamphilio in terminis de eisdem nobilibus de Basilica Petri, vnde cessat præsumptio vsurpationis, & intrat probatio iuris patronatus iuxta terminos iuris communis, cum nihil in hoc Tridentinum Concilium innouauerit, *vt not. Gab. cons. 192. num. 1. lib. 2.* & Rota sæpius dixit, & signanter in causa Tuden. Iuris patronatus 1572. coram bon. mem. Cardinale Lancellotto, quæ est 331. part. 2. diuers. & vltimo loco in Romana iuris patronatus de Cardellis 22. Aprilis 1611. coram Domino meo Decano.

2 Probatio autem de iure communi sufficiens videbatur in nostro casu ex diuersis, quæ licèt forsan separatim, & de per se non sufficerent, attamen simul iuncta bene probare videntur istud ius patronatus, cum simus in antiquis, in quibus per indicia, coniecturas, & præsumptiones ius patronatus probatur, vt notat. *Bald. in l. cum super. C. de rei vendic. Dec. cons. 126. nu. 3. Lambert. de iure patr. par. 2. lib. 2. art. 4. decimæ quæstionis principalis. nu. 4. 11. & 14. Ferret. cons. 293. nu. 4. Menoch. cons. 241. nu. 7. 20. & seq. Acchil. dec. 7. num. 4. de iure patron. Mobed. dec. fin. num. 2. & 3. eod. tit. vt fuit sæpius in Rota firmatum.*

3 Sed sic est quod in primis dantur tres præsentationes effectum sortitæ, altera de anno 1485. & sic antiquissima ante centum annos, altera de anno 1530. & tertia de anno 1554. quarum prima fuit facta ad fauorem Petri Sertorelli, qui resignauit ad fauorem Hieronymi de Basilica Petri qui Hieronymus etiam resignauit ad fauorem Andreæ Sertorelli, per cuius obitum fuit præsentatus de dicto anno 1530. Bernardinus de Basilica Petri, per cuius obitum fuit præsentatus de anno 1554. Dionysius Filiodonus, vnde apparent effectuatæ, & intrat consilium Oldr. 229. passim in Rota seruari solutum. Et quamuis post vltimam præsentationem ad fauorem Dionysij de anno 1554. factam non constet de alijs subsequentibus præsentationib. verisimile est istam vltimam durasse per plures annos cum constet, tunc præsentatum fuisse institutum, & possessionem beneficij adeptum, & sic quamuis istæ præsentationes non appareant continuatæ per spacium 100. annorum, tamen vsque ad 80. videtur non posse negari, quin de illorum continuatione constet, & quod initium primæ fuerit ante centum annos, & sic quod simus in antiquissimis ad hoc vt concurrentibus alijs infra dicendis, adsit probatio istius iuris patronatus.

4 In cuius corroborationem ponderatur vna enunciatiua antiquissima facta in dicta prima præsentatione, & non est dubiũ quin tales enunciatiuæ æquipolleant famæ *ad not. per Crauet. de antiquit. par. 1. in section. incip.* ampliatur nunc. in princ. & per plures numeros, & ista fama in antiquis probat ius patronatus *Bald. vbi supra, & in cons. 310. circa fin. lib. 5. Ferret. vbi supra Cassad. dec. 2. nu. 4. de probat. Put. dec. 60. in fin. & dec. 140. in fin. lib. 1. Achil. dec. 6. de iure patr. Mobed. dec. fin. nu. 3. Quod etsi ex not. per Crauet. vbi supra à nu. 8. vsque ad decimum* quartum enunciatiua vnius instrumenti tãtum non inducat plenam probationem famæ, tamen semiplene probare certi iuris est ex ibi adductis, & hoc sufficit in nostro casu in simul cum alijs probationibus, quæ adsunt.

5 Non obstat istam enunciatiuam emissam fuisse in ipso actu præsentationis, cum etiam eo casu adiuuetur ex actibus subsequentibus nempe presentationibus effectum sortitis, *vt not. Put. dec. 149. lib. 3. Achil. d. dec. 7. in fin.* & fuit dictum in vna Pientina iuris patr. 28. Ianuarij 1608. coram Domino meo Coccino.

6 Et tandem fuit ponderatum pro maxima presumptione, quod istud beneficium est in ecclesia Archipresbyterali, de qua iam per duas decisiones coram eodem bo. me. Cardinali Pamphilio fuit resolutum, esse de iure patronatus Dominorum de Basilica Petri Vnde præsumitur Cappellam, & beneficia in dicta Ecclesia contenta esse de eodem iure patr. iux. *dec. 15. & 16. de iure patr. in antiq. & Fel. in cap. cum venerabilis. nu. 37. vers. tu vide de except.* & fuit resolutum in Bonon. Cappellæ 29. Februarij 1608. coram eodem Domino Coccino.

7 Quib. accedat inscriptio sculpta in marmore in dicta ecclesia de anno 1487. quę fuit ponderata in d. dec. Papien. Archipresbyteratus, & cum simus in antiquis maxime conducit ad probationẽ iuris patr. iux. *Bald. cons. 310. lib. 5. Imol. cons. 60. Calcan. cons. 99. nu. 8. Dec. cons. 135. in princ. Lamber. de iure patr. lib. 2. par. 2. art. 9. quæstionis principalis decimæ cum alijs congestis per Menoch. præsumpt. 59. nu. 2. lib. 2.*

8 Quib. nõ obstat, quæ dicuntur ex aduerso de mutatione status huius beneficij, & acquisitionis libertatis, cũ nec probetur tẽpus adhoc requisitum, & potestas conferentis, quin & voluntas tollendi statũ antiquũ, & nouũ inducẽdi, quib. opus est ad hũc effectũ. *Lap. in c. cum de beneficijs in princ. de præben. in 6. Fel. in c. in nostra. nu. 41. de rescript. Selua. de benef. part. 3. q. 11. nu. 124.* & fuit dictum in prædicta Papien. Archipresbyteratus 1601. & in alia Perusina S. Benueniati 13. Maij 1587. coram eodem bo. me. Cardinali Pamphilio.

9 Quo vero ad effectum huius dubij, an admisso ex supra dictis hoc beneficium esse de iure patronat. debeat propterea reuocari, vel non collatio facta à Reuerendissimo Episcopo tanquam de libero, cum pro illo adesset vltimus status, qui solet considerari ad effectum validitatis collationis *iux. cons. Ferret. 132. n. 10. & seq. Rot. dec. 14. de iure patr. in antiq.* Et quamuis hoc procedat concurrente bona fide, & alijs requisitis per *Calder. cons. 12. de iure patr.* & secus sit, stante mala fide, quia tunc quasi possessio non suffragatur, vt per *Abb. in c. consultationib. nu. 4. eod. tit.* & fuit decisum in causa Aquinaten. Monasterij 26. Ianuarij 1601. coram bon. mem. Cardinali Seraphino, & in Abulen. Parochialis 22. Iunii 1594. coram Illustrissimo Blanchetto.

10 Attamen cum hic non probetur aliqua mala fides Reuerẽdissimi Episcopi, quin potius pro illo stet presumptio bonæ fidei, cum habeat iuris assistentiam pro se, nec constet, quod de tempore prouisionis haberet

beret notitiam, quod istud beneficium esset de iure patronatus, inclinabant Domini collationem à dicto Reuerendissimo factam, non posse hoc die reuocari *iuxt. d. dec.* 14. de iure patronatus, & quod canonizatio istius iuris patronatus deseruiat pro alijs vocationibus. Attamen cum iste articulus non fuerit particulariter discussus, poterit super illo in particulari videri, hodierna enim disputatio præcipue respiciebat canonizationem iuris patronatus, pro qua ex supradictis sic fuit resolutum.

R. P. D. MANZANEDO.

Calaguritana Residentiæ de Enciso. Lunæ 17. Februarij 1612.

ARGVMENTVM.

Beneficia simplicia ecclesię data in titulum de iure communi residentiam requirunt. Contrarium de generali consuetudine, nisi huic generali consuetudini sit derogatum, per contrariam specialem consuetudinem, vel statutum, & quando hæc specialis consuetudo vel statutum per quod redimus ad ius commune valeat, & de materia.

SVMMARIVM.

Beneficia ecclesiastica data in titulum quantumcunq; simplicia de iure communi requirunt personalem residentiam, numer.6.

Beneficia simplicia ex generali consuetudine non requirunt residentiam, nisi adsit contraria consuetudo vel statutum, nu.9. & seq.

Capitulum potest facere statutum per quod redeatur ad ius commune non obstante contraria consuetudine circa residentiam beneficiorum, num.4. & 5.

Vicarius generalis Episcopi numquid possit sine speciali mandato facere statutum in rebus spectantibus ad ecclesiam, numer.6.

Statutum factum à beneficiatis sine Episcopi licentia contra iuris communis dispositionem in his quæ respiciunt mutationem status ecclesiæ non valet, nisi fuerit à Pontifice confirmatum, nu.6.

Statutum præsumitur confirmatum à Pontifice cuius beneplacitum fuit reseruatum ex lapsu 30. annorum, nu. 7.

Consuetudo, cuius ius commune non restitit spacio decem annorum inducitur, nu.8.

Beneficiati numquid iurare cogi possint in receptione beneficij de residendo personaliter sic statuto aut consuetudine dictante, nu.9. & 10.

Iuramentum super re licita, & concernente argumentum seruitij Dei, & cultus diuini seruandum est. num.10.

Pontificis authoritas, in quolibet iuramento exceptuata censetur, nu.12.

Iuramentum de non petendo absolutionem ab eo an, & quando validum sit. nu.12. & 13.

DECISIO CCCLXXV.

1 FVit resolutum pro confirmatione sententiæ Ordinarij Calaguritani, certi enim iuris est, quod omnia beneficia ecclesiastica data in titulum quantumcumque simplicia inspecto iure communi, requirunt personalem residentiam, *c. Sanctorum. 70. distinct. c. quia nonnulli, c. relatum, c. conquerente, cap. inter quatuor. c. final. & ibi Innoc. num.1. Hostien. num.5. Ioan. Andr. num.1. Anan. & Cardin. num.7. Abb. num.3. Butr. num.5. Imol. num. 9. Alexand. de Neuo. num. 8. de cleric. non resid.*

2 Et quamuis beneficia simplicia ex generali consuetudine non requirant dictam residentiam, iuxta *Innoc. vbi supra, & Card. d. num.7. & 16. & Imol. d. nu.9. & Alex. de Neu. d. nu.8. & Felin. in c. dilectus il 2. nu.1. de rescript. Alex. conf.1. num.2. lib.7. Rebuff. in praxi in tit. de dispensat. de non resid. nu.8.* Ita tamen generalis consuetudo cessat, & reuertimur ad ius commune stante alia speciali consuetudine, vel statuto talem residentiam requirente, iuxta Innoc. & alios supra relatos in dicto capite final. prædicta fuerunt firmata per Rotam in vna Calaguritana de Nauarete 20. Iunij 1598. coram bon. mem. Cardinale Pamphilio tunc Rotæ Auditore.

3 Sed sic est, quod in nostro casu, & in Ecclesijs de Enciso adest prædicta specialis consuetudo de residentia personali, quin & statutum eiusdem Ecclesiæ conditum ab anno 1474. & in nouatum de anno 1548. & verum de 1585. quo expresse disponitur quod beneficiati teneatur personaliter in dicta Ecclesia residere tum adest constitutio Synodalis eiusdem Episcopatus primo in ordine sub titul. de cleric. non resid. hoc expresse disponens, adestque prædicti statuti, & constitutionis Synodalis obseruatio tam ante statutum, quam post illud conditum, de quo appa-ret ex proemio dicti statuti, vbi dicitur illud fieri cōformando se cum iure communi, & constitutionibus dictæ dioecesis, & cum consuetudine immemorabili dictarum Ecclesiarum de Enciso. Item & probatur ex testibus, & pluribus actibus datis, in quibus Beneficiati recipiendi iurarunt de residendo iuxta formam statuti, & non residentes fuerunt ex ea causa priuatis suis beneficijs, & alij filij naturales de illis prouisi Ex quibus visum fuit Dominis optimo iure prædictam sententiam Didacum, & Consortes ad residentiam personalem condemnasse, & eo maxime quia vt eadem constitutio Synodalis in fine dicit dicta beneficia sunt seruitoria.

4 Vltra quod prædicti statuti innouatio de anno 1548. in sui proœmio reddit rationem finalem, qua statuentes moti fuerunt, nempe ad hoc vt Dei seruitium, & cultus diuinus augeretur, vnde in sic statuēdo, nihil aliud fecerunt, quam declarare dictam immemorabilem consuetudinem specialem in illis Ecclesiis vigere ab antiquo derogantem prædictæ generali, & in totum circa dictam personalem residentiam voluerunt stare iuri communi, & constitutionibus Synodalibus, quod cum esset redire ad ius cōmune, & sic contra consuetudinem de non residendo, potuit optimo iure Capilulum statuere. *Abb. in c. cum omnes notab.2. de constit. & ibi Dec. num.3. & Felin. num.7. vers. sed forte in casu isto And. ab Exea. num. 4. vers.3. notvt, idem Abb. in c. cum M. in 2. notab. eodem tit. Card. in Clem. ne Romani. q.4. de elect. Idem Dec. cons.194. numer.3. in fine versicul. & ideo istud Aymon. consil. 97. nu.41. & seq.* & reddunt rationem, quia per remotionem consuetudinis de non residendo status Ecclesiæ reuertitur ad ius commune, de quo supra, & sic ad maiorem perfectionem.

5 Vnde Domini inferebant Beneficiatos dictarum ecclesiarum de Enciso teneri ad personalem residentiam regulatam, tamen à prædicta constitutione Synodali, & à dicto statuto, nempe quod non residens absque legitima causa amittat fructus, quin & si perseuerauerit, procedatur contra ipsum vsq; ad priuationem, prout de iure, & quod non possit apponere Cappellanum sine consensu conbeneficiatorum.

6 Quibus non obstat, quod dictum statutum appareat à Vicario Generali de anno 1585. confirmatum, qui non habet facultatem statuendi. *Federic. de Sen. cons.264. versic. item authoritas Vicarij Roman. sing. 700. Franc. in cap. fin. num.5. de offic. Vicar. in 6.* præcipue si ad id talis Vicarius non haberet speciale mandatum, tamen nec hoc videbatur obstare, nec alia, quæ cōtra istud statutum opponebantur, nempe quod fuerit factum per beneficiatos sine Episcopi licentia, & quod non

non potuerit statuere in concernentibus mutationē status Ecclesiæ, & quod statutum contineat plura contra dispositionem iuris communis, ita vt nec ipsi beneficiati, nec etiam ipse Episcopus potuerint circa illa statuere, quia non est rationabile, dum tollit excusationem non residentiæ prouenientem ex iuris dispositione, & sic à rationabili impedimento, Dicebatur enim quod ad omnes istas oppositiones vnica tantum responsio videbatur sufficere nēpe quod cū istud statutum fuerit factum sub beneplacito Sanctissimo placuerit per illius confirmationem cessant prædictæ oppositiones *Butr. in d. c. cum M. num. 12. in fin. per illum text. Felin. in d. c. cum omnes nu. 9. vers. sufficeret tamen confirmatio Papæ.*

7 De ista autem confirmatione apparet ex beneficio temporis, ex quo illa presumitur ne dum intra centū annos prout lapsi sunt ab anno 1474. sed intra 30. *text. iuncta gl. in cap. peruenit de empt. & vendit. Cassad. qui ad hoc dicit illum text. singularem, & alios eiusdem sententiæ refert in dec. 3. nu. 1. de procurat. Felin. in c. Albericus, nu. 4. de testib. Put. dec. 365. nu. 4. & 7. lib. 2. Rota diuers. 179. p. 2.* Maxime stante obseruantia predicti statuti de qua supra.

8 Nec etiam obstare dicebatur, quod prædicta consuetudo non fuerit spacio 40. annorum præscripta. Quia quamuis de hoc in facto possit optimo iure dubitari, nihilominus etiam admisso, cum in nostro casu non solum ius commune huic consuetudini nō resistat, sed potius assistat ex tex. in d. c. quia nonnulli, cum alijs supra relatis, sufficit de iure canonico decennalis possessio iuxta *gl. in verb. consuetudo in cap. final. de consuetudine in 6. Felin. in cap. statuimus, num. 5. vers. attende dum dicit Abbas. de Maioritat. & obed. Balb. de præscript. 5. part. quintæ part. principalis quæst. 12. num. 2. & communiter Canonistæ n cap. fin. de constitut.* & fuit deductum in vna Valentina emolumentorum 1585. coram bon. mem. Lauretano, & in dicta Calaguritana de Nauarrete.

9 Minus obstat impugnatio statuti facta ratione iuramenti ad quod obligat de residendo personaliter quasi ad illud non debeat arctare, ex quo iura illud non introduxerunt, nec exposcunt, *arg. text. in c. dilecti, & cap. legebatur. de maioritate, & obed. & cap. clericos de cohabitat. cleric. & mulier.* Respondetur, enim quod cum hoc iuramentum non reperiatur à iure improbatum, vt notat *Abb. in c. ex parte il 2. nu. 2. & ibi Alex. de Neuo. numer. 1.* videtur, quod debuerit præstari, facit *tex. in eodem cap. ex parte, & in capit. significatum de præbend.* potissime quia iuramentum præstitum in receptione Beneficiati super dispositis de iure communi est licitum, vt notat *Butr. in dict. cap. ex par. num. 2. Imol. numer. 5. & vt ibi notat. Cardin. numer. secundo*, cum de iure teneatur residere potest per iuramentum adstringi.

10 Eo magis cum in istis ecclesijs adsit dicta consuetudo, & statutum, quin & dicta constitutio Synodalis Tunc enim nulli dubium quin receptus ad beneficium possit cogi ad tale iuramentum præstandum, vt notat *Card. d. c. ex parte. il secondo, & ibi Abb. num. 2. & de mente Doctor. tradit Alex. de Neuo ibidem, numer. 2.* & fuit resolutum in prædicta Calaguritana de Nauarrete. Quę confirmantur ex eo, quod istud iuramentum cadit super relicta, & concernenti augumentum seruitij Dei, & cultus Diuini, prout in eodem statuto expresse dicitur.

11 Et non obstat, quod non sit verisimile Papam voluisse sibimet præscribere regulam non concedendi priuilegia de non residendo, respondetur enim ex prædicta confirmatione non impediri Pontificem dispensare contra dictum statutum, licet ad dispensandum difficilior redderetur, ne cultus diuinus, & seruitiū Dei, quæ statuto dederunt causam diminuerentur, ex qua ratione etiam potest pręsumi Pontificem motum fuisse ad dictum statutū confirmandū.

12 Nec quicquam obstat iuramentum de non petendo illius relaxationem, nec dispensationem, cum certum sit, quoties agitur de re concernendi ad summū Pontificem, prout est dispensatio de non residendo censeri in quolibet iuramento authoritas Pontificis exceptuata *iuxt. text. in c. venientes, de iureiur. & in cap. constitutus, & ibi gl. verb. iuramento, & Abb. nu. 8. & Imol. num. 10. & Felin. nu. 9. & 15. de rescript. Host. in d. c. ex p. il 2. nu. 4. de Cler. non resid. Ægid. dec. 171. num. 5.*

13 Tum etiam quia iuramentum de non petendo relaxationem illius, tunc non esset validum, quando ex eo impediretur maius bonum, *Archid. in cap. si aliquid 22. q. 4. Abb. in c. si vero, nu. 3. Felin. ibi nu. 4. & 5. & in c. debitores, nu. 9. de iureiur.* ergo si tale iuramentum non impediat maius bonum, sed potius inuitet ad maiorem perfectionem, & ad obseruantiam iuris communis, prout est istud de personaliter residendo sequitur à contrario sensu, quod tale iuramentum erit validum, & seruandum.

14 Quo vero ad nullitatem oppositam contra dictam sententiam ex defectu citationis ad illam, cum post conclusionem in causa fuissent aliqua iura producta & admissa & sic conclusio & citatio remaneret circūdata. Respondebatur quo d cum recursum fuisset ad signaturam pro dicta nullitate sananda fuit rescriptum, quod causa committeretur eidē Auditori Rotæ, vt ex integro illam cognoscat refectis per oratores expensis arbitrio Rotæ, & omni appellatione remota, vnde cum ex integro causa cognoscenda, & decidenda committatur, videbatur de dicta nullitate non curandum. Ex quibus ita fuit resolutum.

REVERENDISS. P. DOMINO DAMASCENO.

Romana Saluiani de Rusconibus. Veneris 17. Februarij 1612.

ARGVMENTVM.

Immissio in Saluiano non conceditur postquam conuentus fatendo debitum suscepit terminum ad soluendum. Item dilatio seu terminu s debet conce. di per A.C. etiam pro debitis non habentibus obligationem Cameralem.

SVMMARIVM.

Immissio in Saluiano non datur contra possidentem stante confessione debit. & termino suscepto per pisum ad soluendum. nu. 1.

Debitori debet de iure concedi modica dilatio ad soluendum num. 1. vbi quod iudex denegando huiusmodi dilationem dicitur grauare.

Verbum videbitur importat arbitrium boni viri. nu. 1.

Stylus facit ius nu. 1.

Limitatio debet probari per habentem contra se regulam. numer. 2.

Saluiano agens licet principaliter dirigat iudicium contra rem ex cuius fructibus petit satisfieri, attamen non debetur illi principaliter res sed creditum. num. 2. & num. 3. vbi quod res debetur incidenter, & quatenus creditum non offeratur.

Saluiano conuentus offerendo creditum liberatur. num. 2.

Dilatia maior debet concedi ei qui damnum petitur ex aliena culpa. nu. 3.

Dilatio seu terminus debet concedi etiam prodebito, non habente obligationem Cameralem. nu. 4.

Iuramentum obiectum obligationi de soluendo operatur, vt vt iurans videatur se obligasse soluere præcise die conuento, num. 4.

Appellatio non admittitur in iudicio Saluiani. nu. 4.
A. C. non solet interloqui super terminis susceptis ad soluendum. nu. 5.

DECISIO CCCLXXVI.

1 Domini perstiterunt in decisis coram me, & in hac causa sub die 28. Nouembris proximi. Et tutissimum visum fuit fundamentum, quod post confessionem debiti & terminum susceptum per Angelam ad soluendum non debeat dari immissio. Et vltra alias ponderata in decisione ad ostendendum quid verbum videbitur, de quo in Constitutione Pij V. super Tribunali A. C. importet necessitatem, fuit consideratum quod etiam de iure communi debet concedi debitori ad soluendum modica dilatio. *Io. de Anan. in cap. quærenti. nu. 3. Butr. nu. 11. Imol. nu. 7. de offic. deleg. Bart. in l. si cum exceptione §. quatenus. nu. 5. Bald. nu. 5. Odofred col. 2. vers. sed denuo. ff. quid met. cauf. Idem Bart. in l. in fideicommissis. num. 4. Bald. num. 7. ff. de vsur. Iacob. de Sancto Georg. in l. si debitori. nu. 19. ff. de Iud.* & Iudex delegando huiusmodi delationem dicitur grauare, *Rip. in l. 2. num. 20. ff. de re iud. Roman. conf. 261. nu. 6. vers. modo sic.* Et proinde cum verbum videbitur importet arbitrium boni viri, *Bart. in extrauag. ad reprimen. verb. videbitur.* cum alijs in prædicta decis. alleg. immo arbitrium iudicis ordinarij *l. vir bonus. ff. iudic.* solui concludebatur omnino debuisse dari prædictum terminum stante etiam notorio stylo A. C. in illo dando, qui stylus facit ius. *Abb. in cap. ex literis. nu. 6. de constit. Dec. conf. 699 nu. 5. Thesaur. dec. 1. nu. 9. late Euer. in loco à stylo Curiæ. nu. 1. & per totum.*

2 Nec mouit Dominos fides aliquorum Notariorum asserentium non vidisse dari terminum, quando quis conuenitur in Saluiano, Nam præter quod non concludit in verbis, quia potest esse quod fuerit datus, & ipsi non viderint, & cum Angela habeat regulam pro se, debet limitatio ex aduerso plene probari. *Ias. in l. cetera. num. 3. & 4. ff. de leg. 1. Anchar. conf. 308. num. 3. Gemin. conf. 25. nu. 8. Rolan. conf. 81. nu. 5. & 6. lib. 1.* illi Notarij sic asserentes conuincuntur de mala informatione ex quo pro parte Angelæ fuerunt dati casus particulares in quibus etiam conuento ex Saluiano fuit datus terminus, & dicebatur militare eandem rationem in vtroque casu. Nam & si agens Saluiano principaliter dirigat iudicium contra rem ex cuius fructibus petit satisfieri, attamen non debetur illi principaliter res sed creditum Rota in causa Rauennaten. Saluiani 20. Iunij 1607. coram R. P. D. Ludouisio. vnde possessor offerendo dictum creditum liberatur *l. Paulus in fin. ff. quib. mod. pign. vel hypoth. Rolan. conf. 14. num. 9. & 10. lib. 1. Menoch. de adipisc. remed. 3. num. 181.* Rot. in causa Senogallien. Prædij 1583. coram Bubalo, & in Bononien. Saluiani 21. Iunij 1599. coram Illustriss. Cardin. Lancellotto.

3 Et proinde non applicantur quæ dicuntur de actione reali, & de eo cui debetur res, quia si debetur res in casu Saluiani, idest secundario & incidenter hoc est quatenus creditum non offeratur, immo iste tertius possessor, qui est in bona fide & non commisit moram in soluendo debito à se contracto sicut fecit principalis debitor est dignus maiori priuilegio, & sic multo magis debet illi concedi dilatio, quam principali debitori, cum patiatur ob alienam culpam ad *l. si fideiussor §. si necessaria, & ibi Bart. in princip. ff. qui satisd. cog. Bald. in l. de die §. tutor. ff. eod. tit. Glos. in leg. fin. verb. generando. C. si tut. vel Cur. interu. Archid. in cap. peruenit. in fin. 18. distinct. Innoc. in cap. cum inter numer. 1. Fel. nu. 11. de except.*

4 Circa aliud quod terminus non datur nisi pro debitis habentibus obligationem Cameralem, nec talis limitatio visa fuit alicubi probari & rationem esse potius in contrarium, quia si datur obligato strictiori obligatione prout est ille qui se obligauit in forma Cameræ & contra formam iuramenti contenti in dicta obligatione per quod iurans videtur se obligasse precise soluere die conuento, *iuxta not. per gloss. in leg. si pecuniam. verbo necesse. ff. de condict. caus. dat. Butr. in cap. fin. num. 4. Ne Prælat. vices suas Alexand. conf. 89. num. 5. lib. 7. Iason. conf. 9. num. 10. lib. 1. Socin. conf. 90. num. 10. lib. 4. Gozad. consil. 24. num. 9. Guidop. dec. 627.* quanto magis debet dari tertio qui taliter se non obligauit, nec iurauit, & quod replicatur hoc ideo esse propter citam essequutionem quam trahit secum obligatio Cameralis, vt scilicet debitor habeat tempus parandi pecunias quod non est necessarium in iudicijs, in quibus proceditur per tres, & aliquando per quatuor instantias, fuit dictum dictum in omnem euentum non applicari conuento iudicio Saluiani, cui non conceduntur istæ tres instantiæ, sed denegatur appellatio. *Bart. in l. 1. num. 4. ff. de Salu. interdict. Corn. conf. 190. num. 2. lib. 1. Thesaur. dec. 175. num. 3. Veral. dec. 106. par. 3.* Rot. in causa Romana seu Amerina domus 8. Iunij 1576. coram Cantuccio relata inter diuers. impres. dec. 34. nu. 3. par. 2. & in Rom. Saluiani interd. 26. Nouembr. 1605. coram R. P. D. Manzanedo.

5 Ad aliud quod iudex non dederit terminum, sed Angela illum sponte susceperit in actis Notarij confitendo debitum, placuit responsio ex notorio stylo quod A. C. non solet interloqui super istis terminis super quo etiam fuerunt dati actus particulares in quibus ita fuit seruatum. Et cum prædicta viderentur sufficere Domini non aggressi fuerunt aliud caput decisionis, an scilicet exequutio fuerit excessiua.

DECISIO CCCLXXVII.

Fauen. Saluiani. Lunæ 27. Februarij. 1612.

Impressa Apud Ludouisio.

DECISIO 563.

R. P. D. MANZANEDO.

Pampilonen. Iuris sedendi. Vener. 16. Martii. 1612.

ARGVMENTVM.

Ex Summario sume argumentum.

SVMMARIVM.

Existens in possessione ædificii videtur etiam esse in possessione vsus ipsius edificii. nu. 1.
Possessionem qui habet alicuius sepulturæ, censetur etiam habere possessionem vsus d. sepulturæ. nu. 1.
Testes super negatiua ad hoc, vt probent, quomodo debeant deponere. nu. 2.

DECISIO CCCLXXVIII.

1 Domini dixerunt, dandum esse Domino Ioanni mandatum de manutenendo in quasi possessione iuris sedendi in scamno, de quo agitur, moti ex eo, quod cum manutentio fuerit illi concessa quo ad dictum scamnum, vt in decisione coram me. 20. Nouembris 1609. & in mandato tunc expedito, videtur quod in necessariam consequentiam veniat etiam manutenendus in iure sedendi in dicto scamno, prout videmus cum quis reperitur in possessione

sione ædificij videtur esse etiam in possessione illius vsus, ad quem ædificium est destinatum, *vt in decis. 222. nu. 6. & seq. par. 1. diuers.* & qui reperitur in possessione sepulturæ, dicitur etiam esse in possessione illius vsus, vt fuit resolutum in vna Abulen. sepulturæ. 20. Februarij. 1611. coram Domino meo Decano idque optima ratione ne inutilis reddatur dicta quasi possessio scamni, contra dispositionem, *text. in leg. pen. ff. de vsu, & habitat. & in leg. si quando, de leg. 1.* cum non in alio consistat vsus istius scamni, quàm in sedendo, & ideo istud commodum debeat spectare ad possessorem.

2 Vlterius quia ex pluribus testibus examinatis vigore remissoriæ apparet de quasi possessione Ioannis sedendi in dicto scamno scientibus, & patientibus aduersarijs, & bene testificantur quod sederit solus, & quod aliud non viderint, & quod fieri non potuisset quin si alij sedissent, ipsi non vidissent iuxta tradita per *gl. in §. hinc nobis, in auth. de hæred. & Falcid. & per gloss. magn. in fin. in leg. 1. §. hoc interdicto, de itiner. actuque priuat. Roman. cons. 295. circa finem Alex. cons. 108. num. 10. libr. 2.*

Quibus non obstat, dictam quasi possessionem sedendi esse attentatam, quasi factam post appellationem, & inhibitionem, quia respondebatur quod cum in prædicta decisione coram me in ista causa facta, fuerit dictum, actum exequutionis sententiæ Ordinarij Barbastren. & appositionem scamni non fuisse attentatum ex rationibus ibi adductis, & quasi facta in exequutionem dictæ sententiæ precedentis, videtur consequenter dictam sessionem in dicto scamno non esse attentatam cum sine illa appositio scamni fuisset elusoria, quod magis procedere videtur, cum in dicta sententia narratur, quod Ioannes solebat sedere ante constructionem Sastristiæ in Cappella, & sedili quod ibi habebat, & quod constructa Sacristia ipse priuaretur sua sede, & ideo mandat, vt habeat vnum scamnum in dorso prædictæ Cappellæ, cuius rei exequutio fuit demandata Hospitalario Pampilonen. vnde per dictam mutationem loci non videtur Ioannes priuatus quasi possessione sedendi, sed potius videtur illam continuasse, & qui continuat, non attentat, & eodem modo videbatur respondendũ ad inhibitionem, quæ reliquit inhibitum in statu, in quo reperitur. Vnde non affecit Ioannem, qui ex supradictis reperiebatur in dicta quasi possessione sedendi. Ex quibus ita fuit resolutum.

R. P. D. MANZANEDO.

Bononien. Quaternæ. Veneris 23. Martij 1612.

ARGVMENTVM.

Debitor an teneatur ad recambia absque aliqua interpellatione stante facultate concessa creditori recambiandi vsque ad integram satisfactionem, & quid si creditor aecepit pecunias ad cambium à se ipso.

SVMMARIVM.

Recambia debentur creditori qui ea petit non tanquam creditor, sed tanquam negotiorum gestor, siue mandatarius actione mandati, quando in mandato fuit data facultas recambiandi toties, quoties donec esset satisfactus integre, nu. 1.

Dispositio uon intelligitur de primo actu, quando non consummatur effectus in illo actu, num. 1.

Cambia vbi debentur vsque ad integralem satisfactionem debentur etiam recambia, nu. 1.

Personam duplicem repræsentare quis potest videlicet mandatarij, & creditoris, nu. 2. vbi de eo qui accepit pecunias ad cambium a se ipso.

DECISIO CCCLXXIX.

1 Fvit in hac causa resolutum sub die 22. Iunij præteriti coram Illustrissimo Cardinali Lancellotto quo ad recambia non fuisse necessariam intimationem. Cui decisioni cum pars DD. de Pepulis, & Maluetijs non acquiesceret hodie ego in locum eiusdem Illustrissimi Cardinalis suffectus causam super eisdem proposui. Et Domini in decisis standum esse dixerunt moti ex eo, quod cum iam fuerit decisum sub die 22. Aprilis coram eodem Illustrissimo Lancellotto Pepulum, & Maluetium absque alia interpellatione teneri ad cambia, ex eo quod Scappi non petunt hoc interesse tanquam creditores propter moram debitoris, sed tanquam mandatarij actione mandati contraria iuxta notata *in dec. Ianuen. 125. nu. 2. & 3.* Eadem ratione videtur dicendum teneri etiam ad recambia, cum in mandato etiam illa comprehendantur ibi, *& questo tante volte quante vi piacerà, che ne sarete rimborsati di tutto con le spese di vostra prouisione, & altri cambi, che vi concorrerano*, quæ verba non nisi in recambijs verificari possunt, cum enim in principio Pepuli, & Maluetij mandatum dedissent accipiendi ad cambium non erat opus dare aliam facultatem cambiandi, vnde dictas facultas cambiandi tante volte &c. Intelligitur de recambijs, præcipuè iunctis sequentibus verbis, *che no sarete rimborsati di tutto, & d'altri cambi, che li correranno*, alias dicta verba essent superflua. Et Scappi non possent integre satisfieri, si facultas cambiandi restringeretur ad vnam vicem *Dec. cons. 562. in princ.* cum integra satisfactio hoc casu consistat in recambijs, *decis. Ianuen. 134. nu. 4.* Item & sequeretur, quod Scappi non recambiando cogerentur re proprijs pecunijs prima cambia soluere, quod non est credendum, ipsos, qui sunt Mercatores acceptasse.

2 Quibus non obstat prædicta procedere si Scappi accepissent pecunias ab aliis. Sed cum illas acceperint à se ipsis fuerunt effecti Creditoris ipsorum mandãtium, qui propterea de hoc erant certiorandi mediãte intimatione. Quia vltra quod hoc negatur in facto, dicebatur quod cum in mandato fuisset data facultas accipiendi ad cambia, etiam à se ipsis id potuerunt facere absque alia interpellatione, & hoc casu repræsentabant duplicem personam mandatarij scilicet, & creditoris dantis pecunias ad cambium, quod non est nouum, *l. 1. ff. de off. consult. cum alijs adductis per Surd. consil. 183. num. 42. libr. 2.* Ad alia vero, quæ in contrarium placuerunt Dominis responsiones datæ per Informantes, & in dicta decisione sub 22. Aprilis.

DECISIO CCCLXXX.

Ariminen. Fideicommissi. Lunæ 26. Martij 1612.

Impressa Apud Ludouisio.

DECISIO 551.

R. P. D. PAMPHILIO.

Romana Dotis de Ballis. Lunæ 26. Maij 1612.

ARGVMENTVM.

Pactum factum à socero cum genero post dotis constitutionem ante matrimonium sequens de dote restituenda casu quo filia moriatur sine filijs, valet saltem in eo, quod legitimam excedit.

SVMMARIVM.

Iniustitia sententiæ est causa sufficiens restitutionis in integrum pro dotis restitutione. nu. 1.
Iniustitia sententiæ etiam si non sit notoria est sufficiens causa restitutionis in integrum pro restitutione dotis. numer. primo.
Iudex non potest ferre sententiam contra formam pacti conuenti à iure approbati. nu. 2.
Pactum restitutionis dotis, post dotem constitutam appositum, ante matrimonium tamen valet. nu. 3.
Pactum restitutionis dotis potest etiam apponi in instrumento traditionis possessionis. nu. 3.
Maritus post dotis constitutionem saltem in sui præiudicium potest facere nouam conuentionem. nu. 3.
Dos ex statuto Vrbis succedit loco legitimæ. nu. 4.
Legitima debet dari libera, & ab ea deduci omne onus. num. quarto.
Pactum de dote restituenda factum, ex quo dos succedit loco legitimæ saltem valebit pro eo, quod dos est vltra legitimam. nu. 4.

DECISIO CCCLXXXI.

1 PRo Angelo informante dixerunt Domini constare de causis restitutionis in integrum ex iniustitia sententiarum, quæ est sufficiens pro restitutione: *Rot. decis. 1. de restitut. in integr. in nou. & decis. 5. & eodem titulo in antiq. Mohed. decis. 78. in fine Caput. decisione 94. part. 3. & fuit alias sæpe in Rota resolutum etiamsi iniustitia non sit notoria, Cæs. de Graff. decisione 10. numer. 12. de re iudic.* & fuit dictum in causa Auximana dotis 14. Martij 1575. coram bonæ mem. Cardinale Seraphino.

2 Iniustitia autem dd. sententiarum clara colligitur ex pacto per quod Michael pater decedente Iulia eius filia sine filijs legitimis, & naturalibus sibi suisque hæredibus dotis restitutionem stipulatus fuit, quia casus cum euenerit, non potuit iudex absoluere Ludouicum maritum à restitutione huius dotis quæ ad Angelum hæredem Michaelis reuerti debebat vigore dicti pacti à iure approbati, per *text. in leg. quoties. ff. sol. matr. & trad. Cum. consil. 125. num. 2. versic. vnde si pater.*

3 Nec obstare quod pactum fuerit appositum post dotis constitutionem in instrumento traditionis possessionis factæ marito, quia fuit dictum quod ante sequutum matrimonium huiusmodi pactum potest valide apponi etiam ex interuallo post dotis constitutionem. *l. quoties. in fin. ff. solut. matrimon. Bal. in l. legem quam. num. 2. versic. alia lex dicit, C. de pact. Doct. in l. post dotem. vbi Bolog. num. 41. ff. solut. matrimon. Butrig. in tract. de dot. num. 6. Odofred. de dot. restitut. num. 5.* & in terminis quod possit apponi in instrumento traditionis possessionis tradit *Bart. in dict. l. quoties in Summario, ff. solut. matrim.* maxime quod istud pactum fuit appositum de consensu ipsius Ludouici mariti, qui etiam post dotis constitutionem saltem ad sui præiudicium potuit facere nouam conuentionem *ex trad. per Doct. in l. post dotem, vbi Bartol. num. 7. vers. si scientem, & Iason. num. vigesimo nono, vers. contra istam lecturam. ff. solut. matr. Campeg. in tract. de dot. in 3. part. quæst. 138.*

4 Minus obstare quod stante statuto Vrbis exclusiuo feminarum dos succedat loco legitime à quo omne onus reijcitur. *leg. quoniam in prioribus. vbi Doct. C. de inoffic. testament.* & quod propterea Iulia de ea potuerit testari ad fauorem mariti, quia fuit dictum quod quicquid sit in terminis statuti vrbis an dos succedat loco legitimæ saltem huiusmodi pactum sustinetur in eo quod excedit legitimam, *ex leg. fin. §. filiæ vbi Bartol. Bald. & Castrens. ff. de leg. 2. Cagnol. in l. fin. num. 102. ver. quando autem mulier. C. de pact. idem Castrens. consil. 59. nu. 1. par. 2. finem vers. si vero per statutum lib. 1.*

5 Quod autem in casu isto domus cum apotheca Iuliæ in dotem data fuerit vltra legitimam optime deducebatur ex calculo dato per Informantes cum quo Domini transierunt & ita decisum.

DECISIO CCCLXXXII.

Theatina Iurisdictionis. Lunæ 26. Mar. 1612.

Impressa Apud Caualerio.

DECISIO 193.

REVERENDISSIMO P. D.

DAMASCENO.

Barchinonen. Parochialis. Lunæ 26. Martij 1612.

ARGVMENTVM.

Lis super beneficio, an finiatur per cessionem, & quid ad effectum, vt Ordinarius conferre valeat, vel ne, & quando per cessationem à lite spacio decennij lis dicatur deserta.

SVMMARIVM.

Lis super beneficio non finitur per cessionem vnius ex litigantitibus. num. 1. Vbi maxime si cedens sit in possessione, quia tunc ne dum titulus resignatarij remanet litigiosus, sed etiam possessio.
Dic id non procedere ad effectum, vt ordinarius non possit conferre. nu. 2. & 5.
Fallit, quando is, cuius ius ordinarius conferre intendit, habet causam à collitigante. nu. 5.
Lis dicitur deserta per cessationem à lite per decennium, & minori temporis spacio si adsint coniecturæ pro desertione. nu. 2. & 3. vbi quod quando non est lapsum decennium requiruntur actus positiui, & n. 4. vbi examinantur, quædam coniecturæ.
Dic procedere si ex actis appareat de non iure deferentis litem, alias secus. nu. 3.
Permutans beneficium amittit omne ius, quod habebat super beneficio permutato. nu. 2.
Desertio appellationis dicitur renunciatio proprij iuris. numero 3.
Renunciatio proprij iuris non præsumitur, nisi coniecturæ sint vrgentes. nu. 3.
Beneficium primum non tenetur quis dimittere donec habeat pacificam possessionem secundi incompatibilis. numero quarto.

DECISIO CCCLXXXIII.

1 DOmini perstiterunt in decisis coram me die prima Februarij proxime præteriti, rationibus, de quibus in decisione desuper extensa. Ad illud,

illud, quod non probetur lis de tempore mortis Valentini vltimi parochialis, de qua agitur possessoris, fuit responsum, imò probari, quia lis, quæ pendebat inter Ioannem Caluum, qui resignauit Valentino ex vna, & Iacobum modo aduersarium Petri ex altera transiuit in prædictum Valentinum, etenim lis non finitur per cessionem vnius ex litigantibus. *Put. decis. 80. num. 2. lib. 3.* Rota in causa Conchen. Archipresbyteratus 27. Februarij 1589. coram Illustrissimo Blanchetto, maxime, quando resignans, vt in proposito erat in possessione, quo casu nedum titulus resignatarij remanet litigiosus, sed etiam possessio, vt latius fuit dictum in decisione in hac causa facta coram R.P.D. Coccino per *decis. Mohed. 8. vt lit. pendent.*

2 Non obstat, quod quicquid sit quo ad alios effectus, ad effectum, vt teneat collatio ordinarij facta Petro post mortem Valentini, sufficiat, quod Iacobus ante mortem prædicti Valentini habuerit litem pro deserta. *glos. in Clem. 1. §. si vero verb. prosequatur, vt lit. pendent. Milis in repert. verb. lit. pendent. quo ad litigantem vers.* ad Ordinarium cum alijs allegatis, & lis possit dici deserta nedum per cessationem à lite per decennium iuxta *decis. Put. 15. vt lit. pendent.* Verum etiam minoris temporis spatio, si alias adsint coniecturæ pro desertione, vt in Conchen. Archipresbyteratus 17. Februarij 1599. coram Illustrissimo Platto, & coniecturę non desint in hoc casu ex eo, quod Iacobus non appellauit à mandato de manutenendo concesso Ioanni Caluo, sicut per tres anteriores annos non molestaueret dictum Ioannem Caluum, & insuper retinuit penes se beneficia, quæ prius permutauerat cum dictu Ioanne Caluo occasione parochialis, de qua agitur, quod facere non poterat stante validitate permutationis, quia super illis amiserat omne ius. *Bisignet. decis. 3. de rerum permutat.*

3 Quia Domini admittebant conclusiones, de quibus supra, quod stante desertione, ordinarius non sit impeditus cōferre, & quod minoris temporis spacio, quam decennij possit stantibus coniecturis dici deserta lis, si tamen concurrat, quod ex actis appareat de non iure descerentis litem, cum alias nec lapsus decēnij sufficiat, vt per *Acchil. decis. 3. vt lit. pend. Put. decis. 15. eod. tit. late Lancell. de attentat. par. 2. c. 4. in præfation. nu. 326. cum plurib. sequen.* sed in proposito negabatur constare de non iure Iacobi ex ijs, quæ fuerunt deducta in dicta decisione coram Domino meo Coccino facta, & vlterius dicebatur coniecturas non esse sufficientes pro desertione præmittendo, quod cum illa sit species renunciationis proprio iuri, contra quam stat præsumptio *l. cum de indebito. ff. de probat. requiruntur coniecturæ admodum vrgentes. Crauett. cons. 747. nu. 17. vers. 3. respondetur Dec. cons. 21. nu. 76. lib. 1.* & præcipue, quando non est lapsum decennium, desiderantur actus positiui, vt per *Achil. dec. 7. num. 4. vt lit. pend.*

4 Quod autem Iabobus non appellauerit à mandato de manutenendo concesso Ioanni Caluo, nihil est, quia potuit agnoscere bonam fidem in possessorio, non propterea dimittendo animum prosequendi litem in petitorio, quod non contradixerit resignationi factæ ad fauorem Valentini, non obstat, quia sciebat, ius suum saluum fore, quod per tres annos non molestauerit Ioannem Caluum, & per quinque Valentinum, non nocet, cum alias requiratur saltem lapsus decem annorum, & quod ex actis constet de non iure desistentis à lite, vt patet ex supra allegatis, & notum est homines vel propter deficientiam pecuniarum, vel occupationes per aliquod tempus dimittere lites, quod non propterea deponunt animum aliquando prosequendi ius suum ad illud, quod Iacobus retinuerit penes se beneficia permutata, fuit dictum, quod cum Ioannes Caluus recusaret tradere parochialem non tenebatur Iacobus gratis dimittere sua beneficia, sed illa poterat retinere penes se, donec videretur quemnam exitum habitura esset lis, sicut dicimus de primo beneficio, quod non tenetur quis dimittere, donec habeat pacificam possessionem secundi incompatibilis cum illo. *cap. licet Episcopus, & ibi Franc. num. 4. Gemin. nu. 2. de præbend. in 6. Gemin. cons. 78. n. 3. & 4. Imol. in Clem. gratiæ. num. 4. de rescript.* Rota in causa Tirasonen. Canonicatus 9. Ianuarij 1598. coram bon. mem. Cardinale Seraphino.

5 Circa illud, quod cum Valentinus non fuerit molestatus à Iacobo, non fuit prohibitus ordinarius propter litem, quæ erat inter Ioannem Caluum ex vna, & Iacobum ex altera, conferre ius, quod vacabat ex persona Valentini, per *cons. Oldrad. cons. 299. n. 5. Mohed. decis. 8. vt lit. pendent. Gomez de triennal. quæst. 41.* responsio patet ex supradictis, & ex prædicta decisione in hac causa facta coram R.P.D. Coccino, nempe conclusionem non habere locum, quando iste, cuius ius intendit conferre Ordinarius, habet causam à collitigante. Nam lis, quæ erat cum colligitante, transit in istam. Vnde est idem, ac si Iacobus cœpisset litem cum Valentino, & ius, quod intendit conferre ordinarius, est illud super quo lis pendebat inter Ioannem Caluum ex vna, & Iacobum ex altera, & si Ordinarius illud conferret, impediret se de iure litigioso, vel esset quasi ferre sententiam super iure non superstitis, quod non licet Ordinario, vt bene per *Oldrad. dicto cons. 299. nu. 5. vers.* aut impetrat, & ita conclusum.

DECISIO CCCLXXXIV.

Bononien. Fideicommissi de Mazzolis. Veneris 30. Martij 1612.

Impressa Apud Ludouisio.

DECISIO 556.

R. P. D. MANZANEDO.

Perusina Fideiussionis. Lunæ 2. Aprilis 1612.

ARGVMENTVM.

Constitutio Marchiæ de contractibus minorum an comprehendat contractum minoris filijfamilias, & an comprehendat casum, quando minor contrahit cum patre, vel cum patris interuentu, & an tunc sit necessaria insinuatio, & an minor de iure communi, & iuxta dictam Constitutionem possit se obligere absque solennitatibus pro dote, & liberando patre à carceribus, & an insinuatio requisita à dicta Constitutione suppleatur per iuramentum.

SVMMARIVM.

Statutum loquens de minoribus non comprehendit minorem filiumfamilias. nu. 1. Contrarium. nu. 2.

Filiusfamilias minor non potest contrahere absque solennitatibus à iure requisitis. nu. 2.

Patria potestas non tollit defectum ætatis. nu. 2.

Statutum requirens in contractu minorum interuentum proximiorum consanguineorum vel affinium, non excludit casum quando filiusfamilias contrahit cum interuentu patris. n. 3. vbi tamen subditur quod interuentus consanguineorum non est necessarius, vbi filius contrahit cum patre vel cum ipsius interuentu.

Pater venit appellatione consanguineorum. nu. 3.

Insinuatio contractus requisita à statuto vltra solennitates est necessaria etiam quando filiusfamilias minor contrahit cum

cum patre vel cum ipsius interuentu, num.3.

Casus mixtus comprehenditur in dispositione loquente de casu simplici, quando in eo militat ratio dispositionis. num.4. Vbi quod procedit etiam in pœnalibus, & odiosis.

Statutum quod in contractibus minorum requirantur certæ solennitates est fauorabile. nu.4.

Casus mixtus in fauorabilibus continetur sub simplici. numero 4.

Statutum quod contractus minorum adhibitis certis solennitatibus sint validi non excludit solennitates adhibendas extra contractum. num. 5. vbi de statut. Perus. & statut. Vrb.

Insinuatio non debet per necesse fieri in ipsa celebratione contractus sed potest adhiberi post celebratum contractum ex interuallo, & manu alterius Notarij. num.5.

Constitutio Marchiæ habet locum in omnibus contractibus minorum. num.6.

Dispositio quando emanauit ad diuersum effectum non potest dici, quod emanauerit ad correctionem alterius. nu.6.

Statutum requirens in certis contractibus insinuationem si non loquitur taxatiue non excludit illam in alijs contractibus, de quibus loquitur constitutio Marchiæ. nu.6.

Minor de iure non potest pro dote se obligare, nec dotare sororem absque solemnitatibus. nu.7.

Statutum quod minor non possit contrahere absque solennitatibus comprehendit etiam casum quando minor obligatur pro dote. nu.7.

Statutum de contractibus minorum absque solennitatibus habet locum etiam in obligatione minoris facta pro liberando patre à carceribus. nu.8.

Insinuatio non suppletur per iuramentum, quando statutum vtrumque requirit. nu.9.

DECISIO CCCLXXXV.

1 Domini perstiterunt in decisis sub die 26. Nouembris præteriti, quod si licet fideiussio facta per Ludouicum tunc minorem sit nulla ex defectu insinuationis à constitutione Marchiæ in omnibus contractibus minorum requisita per rationes in dicta decisione allegatas, quibus non obstare dixerunt in contrarium in hac positione deducta, & primo constitutio loquens de minoribus, non comprehendit minorem filiumfamilias qualis tunc erat Ludouicus.

2 Quia fuit responsum, quod Constitutio generaliter loquitur ideo debet habere locum etiam in filiofamilias minore in quo requiruntur solennitates, quę generaliter in minorib. à iure sunt requisitæ vt per Castren. *in l. si seruus* 141. §. *Pupillus. nu.4 ff. de verbor. oblig.* Nam patria potestas non tollit defectum ætatis. *d. §. pupillus*, nec fuit inuenta ad illum supplendum vt per *Castren. ibidem. num.3.* Et in specie quod statum requirens certas solennitates in contractibus minorum habeat etiam locum in minoribus filijsfamilias fuit decisum in vna Beneuentana Census 28. Nouembris 1608. coram Reuerendissimo Attrebaten.

3 Nec in contrarium facit, quod constitutio requirat etiam interuentum proximiorum consanguineorum, vel affinium, quod non videtur conuenire, vbi filiusfamilias contrahit cum interuentu patris, quia fuit responsum non ideo ex hoc posse dici hunc casum fuisse à constitutione exclusum, immo inclusum, ex quo pater venit appellatione consanguineorum, vt per *Castren. consil.421. circ. med. vers. & statutum loquen. lib.2.* Præterea fuit dictum, quod insinuatio nihil commune habet cum interuentu consanguineorum qui dato quod non sit necessarius vbi filius contrahit cum patre, vel cum ipsius interuentu, *iux. trad. per Bal. in l. pactum. q.21. nu.16. C. de collat.* est tamen necessaria insinuatio. *l. Lata alias data. Cod. de donationibus cum alijs in alia decis. allegatis.*

4 Neque visa fuerunt applicari ea, quæ dicebantur de casu mixto, qui non comprehenditur in dispositione loquente in casu simplici, quia iste casus non potest dici mixtus ex quo vt supra dictum est de iure communi in minore filio familias sicut in alio minore solennitates requiruntur, vltra quod etiam si versaremur in casu mixto, attamen in eo haberet locum ista constitutio, quia ratio imbecillitatis ab eo considerata militat in vtroque. *Alex. in l. si extraneus. in fi. ff. de condict. ob caus. cum alijs allegatis per Surd. consi.33. n.29.* dicente hoc procedere etiam in pęnalibus, & odiosis, quo fit vt multo magis debeat procedere hoc casu, qui est fauorabilis iuxta receptiorem sententiam, de qua per *Lambert. de contract. mulier. in præfat. num.4.* in fauorabilibus enim generale est quod sub simplici contineatur casus mixtus. *l. si ita scriptum in princ. & ibi notat. ff. de liber. & posthum. & l. serui s vrbanis. §. fina. ff. de leg.3. Ias. in §. omnium. nu.30. inst. de action. Paris. consil.114. sub nu.13. lib.4.*

5 Secundo non obstare quod statutum Perusinu in contractibus minorum requirat certam solennitatẽ, & ea seruata declaret contractus esse validos & exequutioni demandandos, quia fuit dictum hoc non excludere quin tales contractus sint insinuandi, cum insinuatio non sit de ijs quę requiruntur in celebratione contractus, de quibus loquitur statutum prædictum, sed de ijs quæ post celebratum contractum adhiberi solent, vt in alia decisione dictum fuit, & possint fieri ex interuallo. *l. fina. §. similique modo. C. de donat. ante nupt. Abb. cons.4. num.49.* & manu alterius Notarij. *Ant. de Cana. in tract. de insinuat. par.1. nu.49.* Et hoc comprobatur ex *statuto Vrbis lib.1. c.151.* vbi de donat. minor. & mulier. loquitur eodem modo quo statutum Perusinum, & tamen clarum est, quod in dictis donat. vltra solennitates ibid. requisitas, debet etiam seruari præcedens statutum loquens de insinuatione.

6 Nec tertio loco visum fuit in contrarium vrgere aliud statutum Perusinum loquens de insinuatione in certis contractibus ibi enunciatis adhibenda, inter quos iste non enumeratur, quia fuit responsum dictum statutum non loqui cum aliqua dictione taxatiua, ita vt dicatur excludere, quin in alijs habeat locum Constitutio Marchiæ, quæ vt fuit resolutum habet locum in omnibus contractibus minorum, presertim cum statutum Perusinum requirat insinuationem in casibus in quibus dubitatur de fraude ratione dispositionis lucratiuę, quod propterea comprehendit omnes personas. Constitutio autem illa requirit in muliere vel minore propter dubium fraudis quam, suspicatur ratione personæ propter imbecillitatem sexus, vel ætatis, ideo non potest dici quod vna dispositio emanauerit ad correctionem alterius, dum emanarun ad diuersos effectus.

7 Minus etiam refragari quod quarto dicebatur constitutionem non comprehendere casum dotis, & eximendi patrem ab imminenti carceratione, quia quo ad dotem cum simus in minore, qui de iure sine solennitatibus, nec pro dote potest se obligare. *gl. in l. promittendo. in verbo conditionis. ff. de iur. dot. Simoncell. de decret. minor. lib.3. tit.8. numer.98.* Vbi quod nec sororem dotare potest sine decreto, & per consequens in hoc casu, dos de iure non sit priuilegiata remanet firmum eius obligationem sub dicta constitutione comprehendi, vt per *Lamberteng. d. tract. de contract. mulier. gl.21. nu.9.* & fuit decisum in Anconitana dotis 27. Nouembris 1598. coram Illustrissimo Cardinale Lancellotto, & in Bononien. Census 20. Februarij 1609. coram R.P.D. Marcomontio.

8 Quo vero ad casum liberandi patrem à periculo carcerationis visum fuit difficultatem cessare ex decisionib. factis in dicta Bononien. census coram R.P.D. Marcomontio, tam sub die 20. Febrb. 1609. quem ex alia præcedenti sub die 17. Martij 1608. in qua fuit resolutum obligationem factam à minore pro liberando patre à carceribus sine solennitatibus statuti esse nul-

se nullam, & inualidam, & ita fuit dictum non applicari decisionem in alia Bononien. Pecuniaria 19. Iunij 1603. coram Illustrissimo D. meo Bononien. in contrarium allegata, quia ibi fuerunt seruatæ solennitates statuti Bononien. vt in ea dicitur.

9 Quod autem vltimo loco dicebatur defectum insinuationis tolli ex iuramento, cessat ex eo quod constitutio vtrumque requirit nempe iuramentum & insinuationem, vt fuit decisum in Toletana donationis 17. Martij 1596. coram Illustrissimo Cardinale Arigonio. Et ita resolutum.

REVERENDISSIMO P. D. MANZANEDO.

Vercellen. Dismembrationis. Lunæ 2. Aprilis 1612.

ARGVMENTVM.

Argumentum habes in Summario.

SVMMARIVM.

Clausula vacatis vocandis facit exequutorem mixtum qui propterea tenetur partes iudicis assumere, & litigantes citare. nu. 1.

Dispositio hominis primo actu consumpta dicitur secus dispositio legis. num. 2. in fine, & num. 3. vbi quid si primus actus sit nullus.

DECISIO CCCLXXXVI.

1 INstantibus Eremitis reproposui istam causam super decisis in ea quinta Decembris anni proxime elapsi, vbi pro manutentione Monachis Sancti Michaelis de Clusa concedenda fuit conclusum, & domini vtraque parte informante in decisis standum dixere ex adductis in decisione præcipue, quia cum literæ habeant clausulam vocatis vocandis, & executor ex illis censeretur mixtus, & teneretur partes iudicis assumere, vt in dicta decisione firmatur debuit vocare pro dismembratione facienda Monachos, quod cum non fecerit nulliter processit, & sic non priuauit Monachos sua possessione, qui nec pro spoliatis vnquam se habuerunt. Vnde stante illorum anteriori possessione, & retentione ciuilis veniunt manutenendi prout latius hæc iure comprobantur in prædicta decisione.

2 Eremitæ tamen principaliter impugnabant reuocatione mandati in decisione admissam ex eo, quod ab initio tantum fuisset supplicatum Sanctissimo pro applicatione fructum ad aliquot tempus, non vero pro dismembratione vnde mandatum pro illa obtinenda datum cum de illa actum non fuisset videatur durare quasi illo non fuerit vsus procurator vsque nunc quando vltimo loco dismembratio fuit petita, & obtenta, & illi per procuratorem in dicto mandato constitutum consensus adhibitus quo stante non erat opus nouum consensum à Monachis requirere prout in literis dismembrationis particula exposcitur, & requiri iubetur.

3 Cui obiectioni respondendum videbatur semper verum esse quod ab initio fuit Sanctissimo petita dismembratio, & Sanctissimus renut illam concedere, & tantum fructuum per octo annos applicare Eremitis voluit, & licet ex supplicatione Sanctissimo porrecta tantum appareat de petitione fructuum applicationis ex eo est, quia prius fuerat omnimoda dismembratio, & vnio denegata, & de illius anteriori petitione ex circumstantijs fatis constare videbatur, tũ quia ab initio non de applicatione tẽporali fructuum sed de omnimoda dismembratione, & vnione fuit actum, vt apparet ex dicto mandato tunc per Monachos concesso ad petitionem Serenissimi Ducis Sabaudiæ mediantibus illius literis, tum etiam constare videtur ex eo, quod Reuerendissimus Germonius procurator in dicto mandato constitutus 8. Octobris 1605. dismembrationi expresse consensum præstitit nulla mentione facta de dicta applicatione fructuum quod si de illa tantum ageretur frustra adhibendus fuisset consensus dismembrationi, & vnioni fuit tamẽ adhibitus, vt facilius Pontifex animum inclinaret d. dismembrationi & vnioni & concessioni cui cum Sãctissimus tunc non annuerit præstatio dicti consensus non fuit sortita effectum, ex quibus & alijs videbatur satis apparere de petitione dismembrationis de tempore dicti consensus illi per Dominum Germonium adhibiti, & per consequens per illum actum extinctum, & consumptum fuisse dictum mandatum, quin & reuocatum censeri ex adductis in dicta prima decisione, & ex subsequenti fructuum applicatione rem iam non posse dici integram, sed potius illius statum mutatum ex quo etiam ad dictam reuocationem infertur, ad tradita per *Soc. cons. 112. nu. 12. libro 1. & per Dec. in l. rogasti. §. si fugitiuus. num. 5. ff. si cert. pet.* & cum simus in dispositione hominis videtur illa primo actu consumpta ad *tex. in l. boues. §. hoc sermone*, & ibi notatur de verb. signif. & per *tex. in l. vlt. §. fin. & ibi Cyn. ff. de eden. Soc. cons. 117. nu. 5. vers. hoc etiam aperte. lib. 1.* quod secus esset in dispositione legis. *Tiraquel. in dicto §. hoc sermone. limitatione 15. num. 10.*

3 Et quamuis prædicta non procedant in primo acta nullo, & inualido, iuxta *Soc. in l. hæc conditio filiæ. nu. 5. ff. de cond. & demonstr. per illum tex. & per l. qui per salutem, & ibi glos. de iureiur.* hoc non applicatur casui nostro in quo primus actus nempe primus consensus per dictum Germonium præstitus huic dismembrationi non fuit nullus, sed potius validus quamuis non fuerit sortitus effectum quo casu consumitur dispositio hominis etiam in primo actus ualido non tamen effectum sortito, ut notat in terminis. *Tiraq. d. §. hoc sermone. limitatione 9. nu. 6.*

4 Ex quibus plures ex Dominis pro reuocalione mãdati tenebant non tamen defuit qui diceret hunc articulum ad petitorium esse remittendum & sic resolutio pro dicta manutentione potissime fuit capta ex primo capite quod stante clausula uocatis uocandis executor mixtus processerit Monachis non uocatis, & sic nulliter ut supra, & in prima decisione latius deducitur.

REVERENDISSIMO P. DOMINO MANZANEDO.

Messanen. Pensionis. Veneris 6. Apr. 1612.

ARGVMENTVM.

Non retardatur solutio pensionis per clausulam arbitrio, &c. quando pensio fuit reseruata, & confirmata authoritate Apostolica, & quid si opponatur de contracto matrimonio, adhuc solutio non retardatur in iudicio exequutiuo.

SVMMARIVM.

Pensionis solutionis retardatio fieri non debet, quando pensio fuit confirmata authoritate Apostolica nec isto casu est locus arbitrio. nu. 1.

Quasi possessio exigendi pensionem probatur per instrumentum solutionis illius. num. 2.

Pensio non expirat per contractum matrimonij quando illa fuit reseruata alicui non tanquam clerico, sed tanquam benemerito pro seruitijs prædictis. nu. 3.

Pen-

Pensionis solutio non retardatur in iudicio exequutiuo per exceptionem requirentem altiorem indaginem. nu. 4.

DECISIO CCCLXXXVII.

1 Domini dixerunt non intrare arbitrium pro retardatione solutionis pensionis constitutæ ad fauorem Domini Georgij Sybillę per Aleranum olim Priorem Prioratus Missanen. Hospitalis Sancti Ioan. Hierosolymitani. Quæ pensio cum deinde fuerit authoritate Apostolica per bo. mem. Clementem Octauum confirmata in ea est procedendum sine retardatione solutionis illius, *Cassad. dec. 10. num. 8. de rescript. Gig. de pension. q. 35. num. 9. Couar. lib. 2. var. resol. cap. 1. num. 9. in fin. arbitrium enim de iure est regulandum. Rot. diuers. 348. num. 4. par. 1.*

2 Nec obstat quod confirmatio Apostolica habeat conditionem si Prior tunc illam soluerit, quia obiecto fuit satisfactum per instrumentum solutionis dictæ pensionis factę Georgio per ipsum Priorem, quo ne dum fuit purificata conditio, sed etiam fuit Georgio acquisita quasi possessio exigendi contra Martellum Modernum Priorem, quia ius metitur ex persona actoris. *l. 1. ff. si pars hæreditatis petat. Rot. dec. 99. num. 11. par. 1.* & fuit resolutum in Campanien. pensionis. 20. Iunij 1611. coram Reuerendo Pat. Domino meo Vbaldo, & in vna Cæsaraugustana pensionum 4. Iulij 1608. coram me.

3 Prout non releuat quod Georgius matrimonium contraxerit, quia ista pensio non fuit reseruata Georgio tamquam clerico, sed tanquam benemerito, & donato religionis Hierosolymitanæ, qui vti persona Ecclesiastica non est incapax pensionis. *gloss. in capit. duo sunt genera. 12. quæst. 1. Rot. decis. 8. de iur. patronat. in antiq. Abb. in consil. 53. num. 3. lib. 1.* præsertim pensionis pro benemeritis, & seruitijs illi reseruatæ, quod non expirat per contractum matrimonij *Card. in Clem. 1. num. 19. de reb. eccles. non alien. Gig. de pension. q. 54. nu. 1.*

4 Et in omnem euentum exceptio huiusmodi tamquam requirens altiorem indaginem non admittitur in iudicio de sui natura exequutiuo, sed est reijcienda ad petitorium *Veral. decis. 320. part. secunda.* Et ita resolutum.

REVERENDISSIMO P. DOM. MANZANEDO.

Romana Pecuniariæ, seu Cambiorum. Lunæ 9. Aprilis 1612.

ARGVMENTVM.

Librum rationum approbans in parte intelligitur approbare in totum, maxime quando partitæ debiti, & crediti sunt connexæ, & vna tendit ad qualificationem alterius.

SVMMARIVM.

Librum rationum approbans in parte, intelligitur approbare in totum. nu. 1.

Liber rationum quando à petente approbatur in parte, tunc facit fidem pro scribente. nu. 1.

Libri rationum partita quoties habet relationem ad quietantiam, non facit fidem nisi quietantia, vel ordo crediteris ostendatur. nu. 1.

Annexæ dicuntur partitæ, quando vna tendit ad extinctionem, vel qualificationem, vel peremptionem alterius. num. 2.

Partitæ tam crediti, quam debiti, quando sunt creatæ sub eodem die signum est vnam venire ad peremptionem alterius. numer. secundo.

Approbata dicitur illa partita, quæ erat tempore solidationis computorum, & fuit visa, ea non reprobata. nu. 3.

Fraudis suspicio cessat, quando probatur confidentia actoris in re maioris momenti. nu. 3.

Liber rationum si reperiatur fidelis in maiori parte partitarum præsumitur talis in aliis, maxime si concurrant actoris taciturnitas, cursus temporis, mors ministrantur. nu. 3.

DECISIO CCCLXXXVIII.

1 In decisione facta in ista causa 20. Maij an. proximi præteriti fuit reseruatum videre de partita Scu. 1424. 90. Vnde super illa proposito dubio an esset adscribenda ad creditum Illustr. Card. 2. Decemb. eiusdē anni, & cum tunc resol. non fuerit capta hodie dubio proposito Domini dixerunt dictam partitam non esse adscribendum ad cred. D. Card. Ex eo quod D. Car. pro reuocando mercato exequutiuo Scut. 1614. institerit exhiberi libros Herrerę, & Costę, & partitas extrahi, prout extractæ fuerunt ab ann. 1586. ad effectū vt dignosceretur D. Card. remanere creditorem DD. Herreræ, & Costæ, vt sic dictum mandatum exequutiuum impediretur, & cum D. Card. ad probandum suum creditum nihil præ manibus haberet, sed totū fundamentum desumeret ex dictis lib. exhibitis, in quibus partita de qua in dubio notatur in creditum D. Card. quin & ibidem notatur soluta Cypriano Magistro Domus eiusdem Card. quamuis de ordine ipsius vtraq; adnotatio videtur admittenda, & attendenda, cum vtraq; procedat ex eadem causa, & ex eodem libro, sine quo pro vt D. Card. non poterat suam iustificare intentionem, ita ad hunc effectum librum approbando, videtur, & illum approbasse quo ad annotationem debiti prędictę summæ sibi datur à dicto libro, cum petens, aut in totum approbare, vel reprobare debeat. *tex. in l. etiam. §. 1. ff. de minor. Bald. in l. quidam numularius. nu. 2. vers. Vnde puto, & ibi Ang. nu. 3. vers. sequitur in gl. ff. de eden. Ias. in repet. l. admonendi. nu. 129. & ibi Ripa. num. 124. in fin. de iureiur. idem Ang. in l. sumptus. vers. in quantum minori velit. ff. de administr. tutor. Corn. cons. 81. nu. 9. lib. 4. Paris. cons. 90. nu. 2. & 25. lib. 1. Surd. dec. 199 nu. 5. post Crauet. cons. 275. nu. 2.* Et sic fuit resolutum in Romana lignorum. 8. Mar. 1602. coram Illustr. Lancellotto, & prius in Rom. Pecuniaria. 19. Febr. 1596. coram Illustr. Mantic. Vbi stante isto fundamento receditur à regula quod liber rationum non faciat fidem pro scribente, ad *text. in l. exempla. C. de probat.* & ab alia regula, quod quoties partita habet relationem ad quietantiam prout in nostro casu habet relationem ad ordinem D. Card. non faciat fidem nisi quietantia, vel prædictus ordo ostendatur, Authen. si quis in aliquo, & ibi *Doct. C. de eden. Pred.* enim regulas censuit ibi Rota non intrare in casu supradicto, & quando istæ partitæ debiti, & crediti sunt inter se annexæ prout in nostro casu esse videntur cum vtraque procedat ex eadem causa, nempe à fructibus officij dicti Card. existentes in capite D. Octauij.

2 Et sunt connexę etiam quatenus tendit vna ad qualificationem, vel perceptionem alterius prout in nostro casu partita data in debitum. Tendit ad extinctionem alterius datę in creditum D. Card. Item quia si inuicem respiciunt, & vna est facta contemplatione alterius vt ex ipsis apparet, dicuntur in prædictis casibus annexæ. *Abb. in cap. peruenit il 2. num. 4. vers. sed tu dic clarius de iureiur. Roland. & alii quos citaui in supradicta decis. in ista causa facta* 20. Maii 1611. Facit pro eodem connexione, quod partitæ tam crediti quam debiti fuerunt creatæ sub eadem die 17. Iunii 1589. quod etiam denotat vnam venire ad peremptionem alterius *Mathesil. singul. 78. Surd. decisione 258. numer. 5. & 12.*

3 Vlterius facit solidatio computorum inter Illustr. Card.

Card.& D.Octauium facta de omnibus datis & receptis ab anno 1585. vsque ann. 1596. & inter partitas dicti temporis reperitur ista de qua hodie agitur, de qua soliditate visis libris,& partitis dicti temporis testantur mercatores periti, & quod ex illis d.solidatio iux.stylum mercatorum desumitur, quæ quidem denotat istam partitam fuisse agnitam & acceptatam per D.Card. Facit pro hac parte legalitas D.Octauij,& illius fides approbata per Illustriss. D.Card. dum penes illum retinuit confidentialiter officium maximi valoris à quo descendit ista partita controuersa. Item & facit quod reliquæ partitæ usque ad summam Scutor. 60. mill. & ultra, uerificantur quo casu etiam & ista præsumitur uera, concurrit etiam longinquitas temporis, & taciturnitas D.Card. & obitus illius Magistri domus quin & Capserij D. Octauij quibus concurren.magis procedunt conclusione, supra firmatæ.

4 Ex quibus etiam cessare uidebatur suspicio opposita contra appositionem istius partitæ indebitum D. Card. duplici, & diuerso modo, & sic stornationem prætensam fieri non potuisse. Quia respondebatur ex lectura earundem partitarum solutionem obiecti desumi, apparet enim ex ipsis ad quem effectum ista duplicatio, & stornatio fuerit facta, nempe ad apponendam istam partitam in faciem D. Octauij in suo computo particulari structuum istius officij, quos pro d. Card. exigebat, prout uere debebant adnotari non autem in computo currenti D.Card.in quo fuerant adnotati, & non debeatur adnotari. Vlterius, cum in una partita ex istis duplicatis fuisset dictum D. Octauium habuisse ista Scut. 1424.90. à Caspare Mercato pro fructibus quinque mensium dicti officij, fuit optime factum in duplicato istius partitæ declarare quid debetur debitum D. Cardin. pro istismet Scut.1424.positis ad suum creditum, & poni non debebant, & redditur ratio, quia et si dictus Octauius fecerat prædictæ summæ quietantiam Caspari Mercato ueritas erat quodam dictus Cyprianus dictam partitam realiter receperat à dicto Mercato, quæ declaratio potius inducit fidelitatem in duplicatione DD.partitarum, quam ualeat generare aliquam suspitionem contra D. Octauium. Ex quibus sic resolutum fuit.

REVERENDISS. P. DOMINO DAMASCENO.

Leodien.Fideicommissi de Rinesse. Lunæ 9. Apr.1612.

ARGVMENTVM.

Exceptio non implementi regulariter non habet locum in ultimis uoluntatibus. Cetera uideas in Summarijs.

SVMMARIVM.

Exceptio non implementi non habet locum, nisi quando agitur vigore contractus vltro citroque obligatorij. nu.2.

Exceptio non adimplementi non obstat, quando actor est obligatus erga conuentum ex alio contractu, siue ex diuerso iure. num.3.

Legata de sui natura sunt omnia reuocabilia, nisi testatur illum non reuocare promiserit. nu. 4.

Consensus præstitus semper præsumitur secundum naturam actus, cui adhibetur. num.4.

Correspectiuitas quandoque etiam datur in vltimis voluntatibus,& sic etiam exceptio non implementi procedit in vltimis voluntatibus. Declara, vt nu.5. & 6.

Testatoris voluntati conueniens non incurrit pœnam caducitatis, quando agitur de tenuitate patrimonij. num.7.

Leuis causa qualibet excusat à dolo, & à caducitate hæreditatis propter controuentione voluntatis testatoris. numero 8.

Pœna caducitatis ob contrauentionem voluntarij testatoris mutua contrauentione compensatur. nu.9.

DECISIO CCCLXXXIX.

1 Svb die 19. Nouembris 1610. & 2. Maij 1611. fuit in hac causa resolutum factum esse locum fideicommisso q. Ioannis ad fauorem Domini Federici, sub die vero 12. Decemb. eiusdem anni 1611. fuit resolutum quondam Concordiam initam vsque de anno 1577. in prædictum Federicum, & fratres minime importare renunciationem prædicti fideicommissi. Post hæc Informantes pro Domino Renato Iuniore cœperunt prætendere, quod fideicommissum Ioannis non valuerit sine consensu Renati senioris à quo ipsi habent causam, & quod prædictus Renatus senior consenserit prædicto fideicommisso Ioãnis propter multa legata, & alia quæ ad sui fauorem disposuit Ioannes in eodem testamento, & quod ista sic ad sui fauorem disposita non fuerint à dicto Renato seniore impleta,& successiue,quod Domino Federico modo agenti ad recuperationem bonorum fideicommisso subiectorum contra Dominum Renatum iuniorem habentem causam à supradicto Renato seniori obstet exceptio non adimplementi super quo dato per me particulari dubio Rota negatiuam partẽ amplexa fuit. Omisso enim, an dictus consensus Renati fuisset necessarius, in quo Domini inclinabant pro negatiua, & cessante necessitate consensus cessaret omnis difficultas ex alijs domini dixerunt exceptionem non adimplementi non obstare Federico.

2 Primo, quia prædicta exceptio non habet locum nisi quando agitur vigore contractus vltro citroque obligatorij,etenim lex præsumit, quod Conuentus se obligauerit conditionaliter, & correspectiue ad sibi in eodem contractu promissa, & consequenter cessante implemento ex parte agentis facit cessare consensum & inde obligationem ex parte Conuenti, vt patet ex cumulatis per Scribentes in *l.Iulianus. §.offerri.ff.de act.empt.& per Alex. in l.cum proponas la 2.num.2. Dec.nu.6.C.de pact.Butr.in c.peruenit il 2.num.6.de iureiur.*

3 Hinc est quod si agens est obligatus erga conuentum ex alio contractu siue ex aduerso iure non obstat sibi exceptio non adimplementi. *Fel. in d.c. peruenit, il 2.nu.5. Abb.nu.2.vers.quandoque enim. de iureiur. Alex.in d.l.cum proponas. nu.2.vers.quod vltimum.C.de pact.Natt. cons.133.num.5.Cephal. cons.48. nu.4.Surd.cons.101.nu.25.* fuit dictum in causa Bonon.demolitionis molendini 23. Febr. 1579. coram Cantuccio relata inter *diuers. impress.decis.97. parte 2.*

4 Ex prædictus inferendo ad propositum casum dicebatur, quod Ioannes in testamento cui consensit Renatus, & cuius vigore agit Federicus nihil promisit præstare Renatũ nec ad aliquid erga illũ se obligauit, & licet fecerit illi plura legata non propterea promisit illa non reuocare, & proinde remanserunt reuocabilia vsque ad mortem, iuxta notata toto *tit. ff. de adim.vel transfer.legat.§.vnic.inst.de adempt.leg.l.fideicom. missa.§. si rem.ff.de leg.3. glos.in l.si ita sit adscriptum.verb. ipso iure. ff.de lega.1. cum concordant.* Nec consensus Renati mutauit naturam prædictorum legatorum,quia consensus præstitus secundum naturam actus cui adhibetur. *Anch.consi.76.nu.4. & seq.Alex.cons.43.num.23. vers.ita est proposito lib.4.Crauet.cons.186. nu.5. & 6.*

5 Non obstat, quod & in vltimis voluntatibus detur correspectiuitas, vt in Ciuitatis Castelli coram bon. mem. Cardinale Seraphino relata inter *diuers. impress. decis.542. nnmer.9.p.1.* quia ibi aderat expressa conditio per quam imponebatur necessitas causatiua non reuocandi testamentum, vt patet ex lectura dictæ decisionis *sub d.num.9.* hic autem Renatus nullam imposuit

fuit testatori necessitatem, nec etiam causatiuam non reuocandi legata. Vnde non applicatur decisio.

6 Hinc sequitur non posse dici Renatum consensisse conditionaliter, & correspectiue, vt in recompensam haberet prædicta legata, cum super hoc nulla obligatione sibi cauerit sicut fecisset si consensisset animo tantum habendi prædicta legata, & non aliter consensurus, & consequenter cessat ad sui fauorem exceptio non adimplementi, & licet non negetur, quod mortuo testatore absque eo quod mutauerit voluntatem ipse debuerit habere sua legata, non propterea sequitur, quod illi competierit exceptio non adimplementi, quia aliud est, quod ad aliquid sim obligatus erga conuentum, aliud est, quod mihi opponi possit per viam exceptionis non adimplementi, vt patet ex prædictis.

7 Secundo principaliter fuit dictum quod dato etiam quod Renato competierit exceptio non adimplementi, adhuc illæ non suffragaretur Renato iuniori etiam si ab illo causam habeat, quia fuit remissa per prædictum Renatum antequam moreretur, etenim de prędicto anno 1577. deuenit ad concordiam cum Federico, & alijs fratribus in eodem testamento Ioannis communis patris vocatis in qua multa fuerunt mutata de his quæ continebantur in testamento paterno quod non est dubium potuisse facere cum in re sua quilibet sit moderator, & arbiter. *l. in re mandata. l. mandati.* Et quatenus ex hoc prætenderetur contrauentio testamento paterno, & inde caducitas in Federico, respondetur contrauentionem non adfuisse stante tenuitate patrimonij testatoris per quam licuit reducere disposita ab illo, ad not. *in l. in testamento quidam, in fine. ff. de condit. & demonstr. Roman. cons. 409. nu. 10. Dec. cons. 50. num. 1. Crauet. cons. 1. nu. 5. Illustriss. Mantic. de coniecturis vltimarum voluntatum. lib. 3. tit. 3. nu. 6.*

8 Et ex hoc capite saltem intraret excusatio pro qua sufficit quælibet leuis causa, per quam excludatur dolus. *l. igitur. versic. & generaliter. ff. de libera. caus. Angel. in l. 1. in princip. num. 5. ff. de eo per quem factum est. Socin. iun. consil. 45. num. 16. lib. 1. Curt. iun. cons. 19. nu. 5. lib. 1. cum alijs per Honded. consi. 68. nu. 2. lib. 2.*

9 Et in omnem euentum mutua contrauentione eiusdem Renati compensaretur. *l. quidam Titium, & ibi glo. verb. postulabit. ff. si quis omiss. caus. testam. l. cum pater. 79. §. libertis prædium. ff. de leg. 2. l. si duo, vbi gl. verb. non agent. ff. de dol. l. si ambo. ff. de compens. l. viro atque vxore. cum ibi not. ff. solut. matrim. Bald. consi. 402. numer. 1. in fi. vers. sed si omnes contrauenissent. lib. 1.*

REVERENDISSIMO P. D.

MANZANEDO.

Romana de Paluzzellis. Lunæ 9. Aprilis 1612.

ARGVMENTVM.

De probatione legitimitatis filiorum ad effectum succedendi plura notanda, de quibus in Summario.

SVMMARIVM.

Legitimitas filiorum probatur leuioribus probationibus, quando non agitur principaliter de fædere matrimonij, sed incidenter ad effectum succedendi. nu. 1.

Filio imputari non potest, quod sibi non prouiderit de concludenti probatione matrimonij, cum adhuc natus non esset. num. 2.

Parocho affirmanti se aliquos per verba de præsenti desponsasse, iuxta formam, & solennitatem traditam à Concilio Tridentino est maxime deferendum. nu. 3.

Legitimitatis filiorum sufficientem probationem faciunt cohabitatio maris, ac feminæ publica, reputatio eorum, vt coniugati, & baptismus filiorum ortorum ex ijs tanquam coniugibus, ac eorumdem in actibus iudicialibus nominatio, vt coniugum. nu. 4.

Matrimonium non annullatur per omissionem denunciationum in Ecclesia faciendarum, antequam sponsi per verbum de præsenti contrahant. nu. 5.

Matrimonij solennitas requisita à Concilio Tridentino de contrahendo coram Parocho sufficienter adimpletur, si coram Parocho in habitatione sponsorum, vel alterius ipsorum, matrimonium celebretur. nu. 6.

Verborum interpretatio facienda est secundum communem sensum, & significatum in illis partibus, vbi prolata sunt numero 7.

DECISIO CCCXC.

1 Dubitaui an Franciscus, & fratres de Paluzzellis dicantur legitimi in casu, & ad effectum, de quo agitur, qui cum sit ad succedendum, visum fuit Dominis affirmatiue ad dubium respondendum esse cum in isto casu non principaliter de fœdere matrimonij, sed incidenter ad dignoscendam legitimitatem filiorum, qui succedere volunt, agatur quo casu leuiores probationes sufficere communis Doctorum sententia tenet per *glo. in c. lator. qui fil. sint legitim. & tex. in c. per tuas. eod. tit. Bal. in l. filium. in 2. lect. n. 4. ff. de his qui sunt sui, vel alien. iur. Salic. in l. non nudis. nu. 6. vers. sin autem incidenter. C. de prob. Abb. in d. c. lator. n. 8. & Fel. in cap. illud. n. 13. de præsumpt. Butr. in c. transmissa. n. 7. qui fil. sint legitim. Geminian. in cons. 27. n. 8. Ferret. cons. 49. nu. 1. Paris. cons. 57. num. 41. lib. 4. Put. decis. 82. lib. 1. Rot. apud Cæsar. de Gras. decis. 6. qui fil. sint legitim.* & fuit dictum in vna Colon. statuis 20. Feb. 1581. coram bon. mem. Robusterio, quæ est inter impressas 340. p. 2. & in vna Vratislauien. Matrimonij. 27. Nouembris 1609. coram Reuerendo Pat. Dom. meo Caualerio.

2 Ratio est, quia tunc agitur de fauore legitimitatis sine animæ periculo, item quia filio nihil imputari potest, quod sibi non prouiderit de concludenti probatione matrimonij, cum adhuc non esset natus, quam adducit *Abb. in c. ex p. nu. 22. de rest. spoliat.*

3 Vnde cum adsit in nostro casu fides Parochi attestantis desponsasse Alexandrum, & Martiam per verba de præsenti, & coram tribus testibus iuxta formá Tridentin. illi videtur maxime deferendum, cum attestetur de facto proprio, & de his, quæ spectant ad ipsius officium, ad *tex. in cap. cum inhibitio. de clandestin. dispensat. Ias. in repet. l. admonendi. nu. 132. ff. de iureiur. Crauet. de antiq. tempor. §. 4. limitatur. p. 1. n. 62. & seqq. & dicitur in d. Colonien. status.* Item adest eiusdem Parochi depositio iurata.

4 Item & cohabitatio. DD. coniugum, & quod fuerunt habiti in Vrbe tanquam coniuges, & eorum filij, baptizati tanquam procreati ex dictis Alexandro, & Martia coniugibus, prout enunciatur in partitis libri Parochi, qui illos baptizauit, & in actibus iudicialibus in Capitolio pro coniugibus fuerunt nominati, & habiti, prout in actibus datis in Summario, ex quibus elicitur quidam tractatus, & reputatio, præcipue iuncta publica cohabitatione in Vrbe istorum coniugum. Quæ omnia simul iuncta visa fuerunt Dominis inducere sufficientem probationem legitimitatis istorum fratrum ad dictum effectum prout apud DD. supra relatos omnia hic considerata specialiter ponderantur.

5 Quibus non obstat omissio denunciationum. Nam vltra quod adfuit licentia Auditoris bon. mem. Card. Paleotti prædicta omissio non annullat matrimonium, nec reddit prolem illegitimam. *Nau. in Manual. c. 22. n. 70. vers. 3. aduertendum, & in cons. 17. nu. 4. de spons. Hippcl. Rimin. cons. 691. num. 34. lib. 6. Gutierez. de iuram. confir. 1. p. c. 51. num. 25. Caualcan. decis. 29 de iudi. nu. 18. part. 1. Sanc. de matrim. lib. 3. disp. 5. n. 3.* & in resoluit Sacra Congre-

gregatio Illustrissimorum Interpretum sacri Conc. Trid. & sequuta est Rota in Leodien. Matrim. 27. Iun. 1605. coram bon. mem. Iusto.

6 Minus obstat non fuisse contractum istud matrimonium in Vrbe coram Parocho coniugum, qui supponuntur Romani cum satis fuerit contractum fuisse in loco vbi habitabat, & corã Parocho habitationis coniugum, vel alterius ipsorum. *Nauar. in d. Manual. c. 25. nu. 144. Ledesma de matrim. q. 45. art. 5. dub. 3. vers. de quo sit secunda conclusio. Salced. in prax. Canonic. c. 73. vers. 14. Sanchez vbi supra disp. 19. nu. 4.* & ita extat ab eadem Sacra Congregatione declaratum.

7 Nec obstat dictio, Arrhata, in fide Parochi apposita, cum in illis partibus dicatur sonare in desponsationem per verba de præsenti. Reliqua visa fuerunt non vrgere, & illis satis per Informantes responderi.

R. P. D. PAMPHILIO.

Beneuentana Domus. Veneris 4. Maij 1612.

ARGVMENTVM.

In possessorio, & in remedio executiuo quando concedatur appellatio, habeatque locum Ægidiana. De nullitate, & iniustitia sententiæ nonnulla notanda, de quibus in Summario.

SVMMARIVM.

Executio facta pendente termino ad appellandum reuocanda est. nu. 1.

Legatarius pro consequutione legati, via exequutiua agere non potest. nu. 2.

Appellari potest de iure canonico à quocumque grauamine etiam in possessorio. num. 3.

Appellare licet in remedio executiuo quod datur pro vltimis voluntatibus. nu. 4.

Appellationis probibitio vigore Ægidianæ non habet locum quando agitur de rebus Ecclesiæ. nu. 5. Vbi etiam quod sufficit Ecclesiam esse Actricem, licet reus sit laicus.

Ægidiana non habet locum stante nullitate, & iniustitia sententiæ. nu. 6.

Sententia dicitur nulla defectu citationis, quando quis est citatus generaliter ad comparendum, & non specifice ad sententiam. nu. 5.

Stylus non præsumitur; ideo probandus per allegantem. n. 7. in fine.

Legatæ rei identitas concludenter probanda est antequam legatarius in illius possessionem immittatur. nu. 8.

Sententia sine actis non attenditur in Rota quæ semper gustare solet de illius iustitia. nu. 9.

Appellationi renunciare quis non potest in præiudicium siue fideiussoris, seu defensoris. nu. 10.

Nullitas exequutionis non sanatur per subsequentem actum. num. 10.

DECISIO CCCXCI.

1 DIxerunt Domini exequutionem esse reuocandam, quia fuit facta pendente termino ad appellandum. *c. non solum. de appelat. in 6. Guid. Pap. decis. 74. in prin. Cæs. de Graff. decis. 2. numer. 5. de appell. Modern. de attent. pend. term. ad appellan. part. 2. cap. 11. in princip. & per tot.*

2 Nec obstare, quod sententia fuerit lata in possessorio, ex quo fuit actum via executiua, quo casu, neque de iure ciuili, neq; vigore Ægidianæ, licet appellare, quia preter id, quod secundũ opinionem quã seruat Rota pro legato non competit via executiua, vt fuit pluries resolutum, & signanter in causa Hortana domus 24. Ianuarij 1605. coram Reuerendissimo Domino meo Bonon. & in causa Romana spolij. 9. Iunij 1606. coram Illustriss. Card. Lancellotto.

3 Fuit etiam dictum de iure Canonico, quod in ciuitate Beneuentana est seruandum, dari appellationem à quocunque grauamine etiam in possessorio. *Clem. 1. in fin. de sequestr. poss. & fruct. cap. cum ad sedem, vbi late. Abb. de rest. spoliat. Afflict. decis. 269. nu. 2. Couar. pract. q. c. 23. nu. 8. vers prima conclusio.*

4 Et in remedio exequutiuo, quod datur pro vltimis voluntatibus *Contard. in l. vnic. n. 6. limit. 3. C. de mom. poss.* fuit dictum in causa Mediolanen. legati. 30. Octobris 1585. coram bonæ mem. Cardinale Pamphilio quod procedit etiam ad effectum suspensiuum. *Contard. in d. l. vnic. limit. 3. numer. 2. C. de mom. poss.* & fuit dictum in causa Imolen. Legati. 24. Maij 1595. coram Orano, & in causa Rauennaten. Attentatorum, vigesima Maij 1611. coram Reuerend. Pater Domino Coccino.

5 Quo vero ad Ægidianam fuit responsum, illam non habere locum in casu isto, ex quo agitur de rebus ad Ecclesiam spectantibus, vt fuit dictum in causa Romana Saluiani interdicti. 12. Iun. 1589. coram Bubalo, & in dicta Imolen. Legati. 24. Maij 1595. coram Orano. Et ad hunc effectum sufficit, quod Ecclesia sit actrix, licet reus sit laicus, metimur enim ius ex parte actoris, *Hond. cons. 20. num. 12. vers. 2. dicimus, & n. seq. lib. 2.* qui refert plures decisiones Rotæ, & fuit dictum in dicta Romana Saluiani interdicti. 12. Iun. 1589. coram Bubalo.

6 Præterea fuit dictum, Ægidianam non habere locum stante nullitate, & iniustitia sententiæ. *Corn. cons. 10. numer. 2. vers. nisi forte diceretur. lib. 4. Natt. consil. 172. num. 4. & in specie de Ægidiana. Contard. in d. l. vnic. limit. 9. num. 22. Put. decis. 4. de Ægid.* & fuit dictum in causa Romana Saluiani. 14. Decemb. 1598. coram Illustriss. Cardinale Lancell. & in Senogall. Spolij. 10. Ianuarij 1600. coram bon. mem. Pacen.

7 Nullitas autem clara deducitur ex defectu citationis ad sententiam, quæ fuit simpliciter ad comparendum, non autem specifice ad sententiam prout requiritur. *Glos. in Clem. sæpe. verb. ad id, vbi Card. nume. 9. Imol. num. 81. de verb. signif. Rota. decis. 17. nu. 2. de re iudic. in nou.* & fuit decisum in causa Aretina Cappellaniæ 5. Martij 1610. coram Illustriss. Cardinale Lancellotto. Nec videtur posse sustineri ex contrario stylo illarum partium pro Ecclesia allegato, quia non probatur prout probari deberet ab Ecclesia quæ illum allegat, *Soc. cons. 46. nu. 51. vers. & ideo lib. 4. Dec. cons. 402. num. 11.*

8 Iniustitia vero ex eo colligitur, quia præterquam, quod vt dictum est, pro legato non competebat via executiua fuit dictum non fuisse in actis probatam identitatem rei legatæ prout plene, & concludenter probari debet, antequam ad immissionem deueniri possit. *Corn. cons. 144. num. 11. lib. 4. Aym. cons. 198. numer. 4. Menoc. cons. 507. nu. 4. lib. 6.*

9 Minus obstare ea quę de notorio bono iure Ecclesiæ dicebantur ex sententia lata in iudicio criminali, quæ transiuit in rem iudicatam, & quod propterea appellatio, tanquam friuola in casu isto non esset admittenda, quia fuit responsum non constare de iustitia dictæ sententiæ ex quo est sine actis, & tamen de eis constare deberet cum Rota non soleat attendere sententias aliorum iudicium nisi gustata illarum iustitia maxime quod dicta sententia fuit lata in iudicio criminali, in quo agebatur principaliter de falsitate.

10 Nec demum obstare, quod Mariella contra quem fuit lata sententia appellationi renunciauerit, quia non poterat illi renunciare in preiudicium authoris, & defensoris sui, quia ante renunciationem venerat in causam, & iudicium in se susceperat, ex trad. per Fe-

lyn. in c. ex parte, il 2. num. 5. de rescript. & in omnem euentum, executio fuit facta ante renunciationem, quæ propterea non potest suffragari ad euitandam nullitatem iux. *decis. Cæs. de Grass. 2. numer. 5. de apellat.* & fuit dictum in causa pampilonen. beneficij, de Tolosa. 16. Nouemb. 1607. coram Reuerend. Domino meo Bonon. & alias sæpe.

REVERENDISSIMO P. D.

COCCINO DECANO.

Miranden Pensionis. Lunæ 7. Maij. 1612.

ARGVMENTVM.

Ad solutionem pensionis agi non potest, non ex peditis literis super illius reseruatione, quando hoc verum sit, bene in hac decisione declaratur

SVMMARIVM.

Literis non expeditis super reseruatione pensionis agi non potest ad illius solutionem. nu. 1.

Regula XXVI. Cancellariæ de non iudicando iuxta formam supplicationis non procedit in possessorio retinendæ Declara, vt nu. 2.

Possessio defuncti de iurecommuni non continuatur in heredem. nu. 2.

Possessio cedentis iuuat cessionarium in incorporalibus. n. 3

Fideiussori competunt omnes exceptiones, quæ competunt præsentiali. num. 4.

Obligatio de libere soluendo, & sine aliqua exceptione non excludit exceptionem iustam. nu. 4.

DECISIO CCCXCII.

1 PLacuit R. P. D. Matthæo Buratto Locumtenenti Reuerendiss. D. Auditoris Cameræ consulere Rotam me proponente super eo, an esset relaxandum mandatum ad fauorem hæredum pensionarij defuncti pro terminis decursis in vita ipsius pensionarij, cōtra Mercatorem qui se obligauerat soluere libere, & absque alia exceptione. Et Domini negatiue resoluerunt; quia cum literæ pensionis non fuerint expeditę, obstat dictis hæredib. reb. 26. Cancellariæ S. D. N. de non iudicando iuxta formam supplicationis, & notat *Cassad. decis. 1. sup. reg. Mohed. dec. 3. n. 1. de refer. & dec. 2. n. 2.* de *priuil. & in terminis pens. dicit Gigas de pens. q. 34. num. 10.*

2 Neque releuat, quod Bernardinus pensionarius erat in quasi possessione exigendi. Regula aūt prædicta non procedit in possessorio retinendæ, Licet secus sit in alio possessorio, in quo requiritur tit. coloratus, nedetur viciosus ingressus, vt declarando verba regulæ dixit Rota in causa Anconitana pens. 15. Iunij 1587 coram Illustriss. D. Card. Platto, & in alia Toletana pensiones. 5. Decemb. 1603. coram bon. mem. Iusto. Nam fuit responsum quod obiectum procederet, si dictus Bernardinus hodie veniret, & ageret remedio retinendæ, sed cum hodie ipse non viuat, neque agat, sed ipsius hæredes sunt illi qui agunt, non possunt iuuari summarijssimo possessorio ex persona pręfati Bernardini, cum possessio defuncti non transferatur in hæredem sine noua apprehensione. *l. cum hæredes. vbi Doct. ff. de acq. poss.* & quod sit suus heres. *Bal. in l. fi. n. 2. C. de edict. D. Adr. toll. Alber. in l. 1. §. hoc interdictum. nu. 2. ff. quorum bonorum. Natt. cons. 439. nu. 5. Paris. cons. 13. num. 84. lib. 1. Alex. cons. 37. post med. vers. saltem in casu nostro lib. 1.* vbi quodam ista est comunis conclu. & hanc opinionem Rota seruat, vt sępiss. fuit resolutū.

3 Neque applicatur, quod cum versemur in incorporalibus possessio cedentis iuuat cessionarium. *Natt. cons. 398. nu. 38. Menoc. de retin. pos. remed. 3. nu. 259. & seqq.* & fuit resolutum in cā Bonon. pens. 17. Maij 1593. coram Illustriss. D. meo Card. Mellino, & in causa Rom. ceusus 4. Mar. superioris anni coram Reuerendiss. D. meo Decano. Quia hic non sumus in cessionario, sed in hærede quo casu possessio non transfertur, sed requiritur noua apprehensio per supra dicta.

4 Neque est verum, quod prædicta non possint cōsiderari ad fauorem Mercatoris, qui se obligauit sola vere libere, & absque aliqua axceptione, quia isti Mercatori tanquam fideiussori competunt omnes exceptiones, quæ cohærent rei, licet non personæ principalis debitoris, *Hippolyt. Marsil. in Rubrica de fideiussor. nu. 313. & 314. qui iura*, & Doctores allegat, & obligatio de soluendo libere, & sine aliqua exceptione non excludit exceptionem iustam, qualis est ista, de qua agitur, vt patet ex prædictis, vt in puncto dicunt. *Rom. in cons. 211. nu. 2. col. 2. circa med. vers. non enim obstat dicere. Ias. in l. 1. nu. 7. in 1. lect. C. de sacros. eccles. Felin. in cap. causam quæ, num. 22. de rescript. Hipp. Marsil. in d. rub. de fideiussor. nu. 319. & sing. 332. & in prax. crim. §. vltima quæ. numero 2. Gambar. in repet. c. 1. nu. 8. vers. 3. nota, de rerum permutat. Tiraq. in l. si vnquam. in præfat. nu. 121. C. de reuoc. donat.*

R. P. D. PEGNA.

DECANO.

Mediolanen. Attentatorum. Veneris 18. Maij 1612.

ARGVMENTVM.

Attentatum dicitur, quod lite pendente mutauit statum, & in hoc sufficit sola detentatio.

SVMMARIVM.

Attentatum dicitur, quod fuit lite pendente factum. nu. 1.

Detentio sola, seu status, in quo quis tempore attentationis reperiebatur sufficit, vt competat restitutio. nu. 1.

Attentata vt reuocentur, sufficit, quilibet status, non considerato, an status sit bonus, vel malus. nu. 1.

Attentata vt reuocentur, sufficit sola litis pendentia absque alia probatione. nu. 1.

Attentata in rebus mobilibus commissa, vt reuocentur sufficit sola detentatio. nu. 2.

Spolium vt adesse dicatur, sufficit status, ad quem competit restitutio. nu. 3.

DECISIO CCCXCIII.

1 PRoposui dubium; An constaret de ablatione quatuor candelabrorum argenteorum sicut prætendebant Canonici Ecclesiæ S. Ambrosij, quæ esset attentata, vel spoliatiua, & Rota vtraque parte informante attentatam, & spoliatiuam esse censuit. Quia cum ex testibus, & ex literis Clemen. VIII. & decretis S. Caroli Borromæi Archiepiscopi Mediolanen. constaret, Cimiliarcham, qui est in ea Ecclesia antiquior Canonicus, ab antiquissimo tempore solitum retinere in sua custodia cum clauibus obserrata vasa argentea, candelabra, ornamenta, & sacra supellectilia, & Sacristam maiorem vnum videlicet ex Canonicis accipere consueuisse à cimiliarcha supradicta ornamenta, & argentea, & ea per custodes, & clericos Capituli exponi facere in diuinis officijs, quibus celebratis in Sacristia Canonicorum sub claue custodiuntur, consequenter in ferebatur, quod cum Monachi lite pendente ex maiori altari aureo pretiosissimo acceperint quatuor prædicta candelabra argentea, & ad propriam Monasterij Sacristiam asportauerint, prædictam asportationem fuisse attentatam, & spo-

& spoliatiuam, & propterea faciendam esse restitutionem, & reductionem ad eandem detentionem, & statum, in quo antea erant, nam sola detentio, seu status sufficit, vt competat restitutio, & repositio, in quo quis tempore attentationis reperiebatur *Rota decisi. 11. incip. nota. quod vbi aliquis in princip. de caus. possess. & propriet. & decis. 10. incip. nota*, quod vbi post appellationem. *num. 1. de appellat. in antiq. Lancell. de attenta. p. 3. cap. 24. de reo, & exception. contra attentata competen. q. 8. num. 7. vers. 4. quia, & cap. 26. de probat. attent. num. 29. & 31. & p. 2. c. 4. de attenta. lite penden. limit. 1. num. 37.* & pro reuocatione attentatorum sufficit quilibet status non considerato, an status ille sit bonus, vel malus. *Lancell. d. q. 8. num. 9. & d. cap. 29. num. 26.* pro sola enim detentatione competit officium iudicis. *Neuizan. consi. 80. incip. pro Michaele de Adamo num. 3.* & pro reuocatione attentatorum sufficit sola litis pendentia absque alia probatione iuris *Franc. in cap. 1. num. 5. vt lite pendente. lib. 6.* & fuit dictum in causa Parmen. status die 30. Aprilis 1610. coram Domino Alexandro Ludouico nunc Archiepiscopo Bononiensi.

2 Nec ad rem pertinebat prætensio Monachorum, quod ipsi essent Domini, vel Ecclesiæ, vel possessores, vel quod altare aureum, & illius ornamenta spectarent ad Abbatem, vel quod Canonici solum essent nudi ministri, quoniam præterquam quod idem prętendebant Canonici contra Monachos, & ista potius spectabant ad petitorium, dicebatur etiam considerari in hoc casu statum, in quo factum istud reperiebatur. Verum enim erat penes Cimiliarcham, quæ priuata auctoritate, nec mutari, nec perturbari debuerat, quia res mobiles pendente lite non possunt auferri ex potestate, seu manibus detentatoris sub prætextu dominij, vel interesse, vel conseruatione possessionis ciuilis, cum pro reuocatione attentatorum ista rerum detentatio sufficiat. *Lancell. d. cap. 4. de attenta. lite pendente, limit. 1. num. 37.*

3 Fuit etiam ista ablatio candelabrum spoliatiua, quia pro spolio sufficit status, ad quem competit restitutio. *c. querelam. vbi Abbas. n. 12. de elect. Mohedan. deci. 8. incip. Bononien. spolij. nume. 1. & decis. 22. incip. licet in decisione, in fin. tit. de restitu. spoliat.* Denique non excusabat attentata illa prætensio Monachorum, quod candelabra essent communia, quia præterquam, quod id non apparebat sufficienter probatum pro parte Monachorum, solus ille status, & detentatio sufficiebat pro vitio attentatorum, & pro illorum reuocatione.

REVERENDISSIMO P. DOMINO DAMASCENO.

Romana Donationis. Veneris 18. Maij 1612.

ARGVMENTVM.

Fructus non consistentes communiter apud omnes in pretio, sed tantum apud aliquos, prout sunt oblectamenta alicuius Vineæ, quando percipiens restituere teneatur.

SVMMARIVM.

Fructus Vineæ non solum consistunt in his, quæ sunt destinata ad vsum, vel potum; sed etiam in alijs, quæ quodammodo conferunt ad vsum vitæ humanæ, prout est oblectamentum d. Vineæ. nu. 1. Declara vt num. 2. & seqq. & per tot. decis.

Fructuum duplex est species, Prima est eorum, quæ communiter apud homines sunt in pretio, & commercio, prout vinum, oleum, frumentum, & similia. Altera est species fructuum, quæ non est in pretio apud omnes, sed apud aliquos. nu. 2. & 3.

Fructus percipiens ex fundo alieno tenetur restituere Domino fundi, nisi percipiens illos consumpserit bona fide. numero 2.

Donans rem alienam dicitur esse in mala fide. numero 2. in fine.

Fructus, qui apud omnes non sunt in pretio, sed apud aliquos tantum, quando is qui illos percepit restituere teneatur. nu. 3. & 4.

DECISIO CCCXCIV.

1 Blasius qui donauit suis Nepotibus Vineam, quæ deductis expensis nullum commodum bursale reddit, sed deseruit tantum ad oblectamentum, post donationem habitans cum prædictis Nepotibus se transferebat ad Vineam, prout prius ante donationem & ita continuauit, donec vixit, post illius mortem cum essent facienda quædam computa inter creditores eiusdem Blasij ex vna, & prædictos nepotes ex altera, occurrit dubitare, an Blasius propter vsum d. Vineæ remaneret in aliquo debitor erga nepotes. Et pro affirmatiua dicebatur, quod oblectamentum Vineæ est res pretio æstimabilis, vt late per *Gab. consi. 74. num. 5. & 6. lib. 1.* etenim fructus non consistit in illis solum, quæ sunt destinata ad esum, vel potum, sed etiam in alijs, quæ quodcumque conferunt ad vsum vitę humanę. *l. in fructu. ff. de vsuf. Late Menoc. cons. 66. num. 1. cum plurib. seqq. lib. 1.*

2 Verum istis non obstantibus Rota censuit nihil deberi in proposito casu, & pro fundamento fuit præmisum, quodam duplex species fructum considerari potest, prima est eorum, quæ comuniter apud homines sunt in pretio, & commercio prout sunt vinum, oleum, frumentum, & similia, & in istis, qui illos percipit ex fundo alieno semper tenetur, quia vere fit locupletior cum iactura illius, ad quem spectant contra *l. nam hoc natura. ff. de cond. indeb. l. iure natural. ff. de reg. iur. cap. locupletari eod. tit. in 6.* quod procedit nisi percipiens alias illos consumpsisset cum bona fide. *§. si quis à non domino. vbi gl. verb. non potest. inst. de rerum diu. §. et si hæreditas vers. si vero inst. de off. iud. l. certum, & ibi gl. verb. extantes. C. de rei vendic. gl. in l. ex diuerso verb non habendum vers. de consumptis. ff. eo. tit. Cuman. cons. 110. n. 4.* quæ bona fides non posset considerari in Blasio, qui certo sciebant Vineam non suam iux. *not. in l. item veniunt. §. petitam, & in l. sed & si §. si ante litem. ff. de petit. hæredit. in l. qui scit. ff. de vsur.*

3 Secunda species fructuum est illa, quæ comuniter non est in pretio apud oēs, sed apud aliquos tantum, & in ista videtur, quod qui illos percepit non teneatur simpliciter, sed ita demum si præcessit conuentio expressa, prout quando quis conducit rem, quæ illos reddit pro certa pensione, vel tacita, & præsumpta prout quando percipiens talem fructum erat solitus conducere, & dominus rei solitus locare exemplum in seruitio præstito, in qua materia solet distingui, aut ille, qui præstitit seruitium erat solitus locare operas suas, & ille qui recipit conducere, & tunc debetur salarium alias secus nisi fuerit expresse conuentum ita distinxit Rota in causa Romana mercedis 16. Iunij 1570. coram Binarino relata inter diuers. impres. decis. 519. p. 1. in alia Rom. mercedis 19. Februarij 1593. coram Illustriss. Arigonio, & 27. Iun. 1594. coram Corduba, & in Romana Pecuniarie, siue mercedis 15. Febr. 1599. coram Orano. Ratio quod percipiens non teneatur simpliciter in hac secunda specie est, quia non probatur eo ipso quod effectus sit locupletitor, vel alius habuerit iacturam cum ista species fructuū non sit communiter in specie apud homines, nec probetur percipientem aut illum, qui permisit percipi, illam habuisse pro tali.

4 Ex prædictis inferendo ad propositum casum dicebatur,

batur, Blasium ad nihil teneri. Nam quod habuerit fructus primæ speciei non prætenditur. Quod autem ad secũdam speciem fructuum, licet Blasius oblectatus fuerit Vinea, attamen cum non probetur, quod ipse alias fuisset conducturus Vineam pro solo oblectamento vel nepotes locaturi, concludebatur eum non teneri per prædicta à qua distin. non discrepat *Gab. d. consil.74.* quia ibi ex circumstantijs apparebat quod oblectamentum ex tacita conuentione partium erat deductum in pretium, vnde *sub. num. 33.* considerat Gab. quãti ille, qui oblectatus fuit, esset verisimiliter conducturus, & pro hoc quod quis simpliciter nõ teneatur ex oblectamento percepto afferebat vnus ex Dominis meis fabellam de Caupone pretendente pecuniam ab hospite, qui manducauerat panem ad odorem carnis assatę per Cauponem, quam refert Host. & Abb. Panor. in c. ad nostram. de consuetud. quę tãto magis visa fuerunt procedere in hoc casu stante quod vnus ex nepotibus Donatarijs, & alij quoties accedebant ad Vrbem habitabant cum Blasio, & vtebantur Vinea prout illis placebat, vnde contra omnem æqualitatem videtur prætendere à patruo, & à Donatore, & à Contubernali pretium oblectamenti, & ita tentum. &c.

REVERENDISSIMO P. DOM. COCCINO DECANO.

Romana Restitutionis Dotis, Lunæ 21. Maij. 1612.

ARGVMENTVM.

Dos filię spurię constituta mortua filia sine filijs reuertitur ad dotantem, vel eius hæredes, nisi fuerit per iudicem constituta secundum taxationem, & valorem alimentorum, quia tunc non transit ad hæredes Patris, sed ad hæredes filiæ.

SVMMARIVM.

Dos filiæ spuriæ constituta mortua filia sine filijs reuertitur ad dotantem, vel eius hæredes, nisi fuerit per Iudicem constituta secundum taxationem, & valorem alimentorum, quia tunc non transit ad hæredes patris, sed ad hæredes filiæ. nu.1. Declara, vt nu.4.

Alimentorum taxatio filiæ spuriæ debitorum, Iudicis Religioni remittitur. nu.2.

Argumentum de alimentis ad dotem valeat quando est eadem ratio. nu.3.

DECISIO CCCXCV.

1 Licet verum sit, quod dos filiæ spuriæ debeat reuerti ad dotantem vel eius hæredes ex late congestis per *Surd. de alim. & 5. quæst.7. numer. 3. tamen hæc conclus.* non procedit in casu isto, quia cum per iudicem fuerit constituta dos ad Scut. mille, quæ secundum taxationem de qua in *l. hæreditatum. ff. ad l. Falcid.* non excedit valorem alimentorum, quæ deberent in singulos annos præstari, propterea d. dos non debet transire ad hæredes patris, sed ad hęredes filiæ *Bald. consil.448. num. 5. lib.1. Couar. in epit. de sponsal. part.2. c. 8. §.6. num.15. in fin. Diaz ad Lupum in cap. per vestras. §. 23. fol.354. Menoch. de arbit. consil. 170. numer. 25. & 26. vbi de magis comuni lib.2. centur. 2. Turret. consil.31. num. 27. Petr. Caball. consil.154. numer.21. vers. secus vero, & habetur in quodam tract. de ure fis. lib. 3. tit. 18. numer.77. vers. limita cum res spurio. Surd. de alim. loco alleg. numero 54.*

2 Quod autem dicta quantitas non excederet modum alimentorum iuxta taxationem de qua in *d. leg. hæreditatum.* satis patet cum agatur de hæreditate excedente summam Scutorum 50. mill. & de annis 30. cum spuria non excederet annum 20. in hac enim taxatione defertur multum religioni iudicis. *Couar. de spons. par.2. c.8. §.6. num.7. Molin. de primog. Hispaniar. lib.2. c.15. num.55. in fine versic. circa quod.*

3 Neque obstat quod præd. DD. loquantur in alimentis quia non refert, cum valeat argumentum de alimentis ad dotem, quando militat eadem ratio. *Euerard. in centuria loc. legal.* loco ab alimentis ad dotem, & ferre in istis terminis *Bart. in l. fin. numer.7. ff. de his quibus vt indig. & in auth. ex complexu. C. de incest. nupt.* & fuit dictum in causa Portuen. bonorum 26. Februarij 1580. & in specie in terminis dotis loquuntur *Cabal. loco præcit. Surd. loco alleg. num.54.* dum dicit dictum *Bero in consil.165. numer.22.* qui loquitur in dote, posse habere locum in casu predicto & expresse hoc colligitur, quia procedit declarando conclusionem, quod dos data filiæ spuriæ redeat ad patrem, & ibi ponit quintam declarationem, & comprobatur optima ratione, quia taxatur id quod pro illis annis deberetur pro alimentis, & datur in dotem, vnde sicut si daretur pro alimentis, non deberet restitui, quia vnica vice datur pro toto tempore, ita nec debet restitui si datur pro dote, quia datur vnica vice id quod debetur pro pluribus annis pro alimentis, licet detur in dotem.

4 Neque facit quod prædictæ non possunt subsistere, cum nunquam dos filiæ spuriæ debeat excedere modum alimentorum. c. cum haberet. de eo qui duxerit in matr. & si excedit reuocatur viro defuncto. *Surd. vbi supra, num.11.* Quia pro responsione considerabatur, quod si simpliciter dos est iuxta quantitatem alimentorum, procedit obiectum, sed quando in taxatione fuit habita ratio ad terminos prædictæ l. hæreditatum, pro vt fuit factum in casu isto, dos transit ad hæredes mulieris, non autem ad patrem, vel patris hæredes, quia, vt dictum est, videtur facta taxatio, vt vnica vice deberetur, quod in pluribus annis debitum fuisset pro alimentis, & illud fuit datum pro dote. Et ita conclusum.

R. P. D. MANZANEDO.

Calaguritana de Amuzzio Veneris 25. Maij. 1612.

ARGVMENTVM.

Plura recensentur requisita ad validitatem appellationis, & an contra verum contumacem tempus ad appellandum currat à die scientiæ, vel à die sententiæ.

SVMMARIVM.

Appellatio interposita post decem dies non dicitur legitima. num.1.

Tempus ad appellandum contra verum contumacem currit a die sententiæ, non autem à die scientiæ. nu.1.

Sententiæ notitia arguitur ex receptione alicuius rei vigore sententiæ. nu.2.

Appellatio debet fieri coram iudice. nu.3.

Paria sunt non appellare, vel minus legitime appellare. num.3.

Apostolorum petitio est de substantia appellationis. numero 3.

DECISIO CCCXCVI.

1 Dubitaui, an constaret de legitima appellatione, & de illius legitima prosequutione. Et Domini negatiue quo ad vtramque partem dubij responderunt. Cum appellatio fuerit interposita post decem dies. Vnde non fuit legitima *cap. Romana. §. si vero.*

si vero. de appellation. Nec obstat quod processum fuisset per contradictas, & sic in contumacia. Vnde decem dies essent computandi a die habitæ notitiæ sententiæ. Quia respondetur, quod cum personaliter fuissent citati beneficiati, & œconomus fabricæ & decuriones Populi, & alij Ciues ad prosequutionem causæ non comparendo fuerunt effecti veri contumaces, quo casu decem dies ad appellandum currunt à die sententiæ, non vero scientię, prout *Rota obseruat vt in decis. 16. circa finem de dol. & contum.in nou. Felin.in cap.frequenter.num.19.in fin.vt lit. non contestat.*

2 Vltra quod videbatur, quod verisimiliter potuissent habere notitiam d.sententiæ de anno 1605. propter intimationem exequutorialium, & propter receptionem summæ Ducatorum 809. quos habuerunt vigore d.sententię, & de quibus dederunt quietantiam Rectores Beneficiati, & Capitulum d. Ecclesiæ nec non Prætor, decuriones, & reliquæ personæ Regiminis dict. Loci. Nec non D. Maria Saenz de Venero Vidua quorundam Ioannis de Varcitia, & Martinus de Ayala, Dominus domus de Saoria, & multi alij incolæ d.loci pro se, & nomine fabricæ Ecclesiæ, & vti illius administratores.

3 Vlterius quia prædicta appellatio non fuit facta coram iudice, prout fieri debuit, ad *text. in cap. vt debitus honor. ibi coram eodem iudice & cap. fin. de appellat. capit. appellatio. eodem titul. in 6. Specul. eodem titul. §. qualiter numer. octauo, Socio. consil. 45. nu. 1. lib. 1.* Vnde habetur, ac si interposita non fuisset, cum paria sint non appellare, vel minus solenniter appellare, vt fuit dictum coram Domino meo de Vbaldis. in vna Mediolanensis, de Alepardis. 16. Ianuarij præsentis anni. Tum etiam quia nec Apostoli fuerunt petiti, qui sunt de substantia appellationis *Rot. decisione 50. numero tertio, de appellatio. in nou.* Ex quibus sic fuit resolutum.

REVERENDISSIMO P. DOMINO

MANZANEDO.

Tirasonen. Iuris interessendi de Capitulo. Lunæ 18. Maij 1612.

ARGVMENTVM.

Portionarij quando dicantur de Capitulo, & habere vocem in Capitulo, & ex quibus id probetur.

SVMMARIVM.

Portionarij non dicuntur de Capitulo, nec in illo habent vocem. nu.1.

Declara quod de consuetudine seu alio iure speciali Portionarij possunt ingredi Capitulum, & habere vocem in aliquibus actibus. nu.2.

Portionarios esse de Capitulo, & habere vocem in Capitulo probatur ex interessentia, & voce data in quam pluribus actibus Capitularibus. nu.2.

Mandatum de manutenendo debet dari existenti in quasi possessione. nu.2.

Possessio præsumitur continuata, & solo animo retinetur. num. 2.

Actus præiudiciales quando pluries fuerunt reiterati, non præsumuntur facti ex gratia. nu.3.

DECISIO CCCXCVII.

1 PRætendentibus Portionarijs Ecclesiæ Tirasonen. ingressum Capituli, & in illo ipsos habere vocem & quo ad hæc esse manutenendos, & e contra Canonicis eiusdem Ecclesiæ asserentibus sibi solis de iure competere assistentiam, & vocem in Capitulo, & in hac possessione esse, & in illa priuatiue ad Portionarios manutenendos fore, & non semel super præmissis causa proposita fuit per Dominos ordinatum, quod videretur particulariter de bono iure ad effectum tamen manutentionis petitæ. Vnde hodie super isto bono iure dubio proposito fuit dictum, Portionarios esse manutenendos in quasi possessione interessendi, & vocandi in actibus in quibus probant interfuisse, & votasse, de quib. in eorum summario. Et Domini fuerunt moti ex eo, quod quamuis verũ sit de iure communi Portionarios non esse de Capitulo, nec in illo habere vocem, iuxta *text. in c. penult. & ibi glos. in verb. assisios de cleric. non residen. & ibi Butr. nu. 8. & Abb. nu. 9. in fin. idem Abb. in c.1. nu. 11. de election. & in cap. cum dilecti. in primo notabil. de maioritate, & obedient. & in cap. cum olim. num. 8. de re iudic. & ibi Felin. num. 4. Geminian. in capit. final. num. 6. de præbend. in 6.* Vnde appellatione Capituli soli Canonici comprehenduntur *Abb. in cap. scriptum. num. 4. de election. & Dec. in cap. eam te de rescript.* & non semel dixit Rota, vt in vna Salamantina Optionis 18. Maij 1586. coram Fel. re. Clemente VIII. tunc Rotæ Auditore, quæ est inter impressas 411. nu.5. & 6. par.1. & in alia Abulen. Iurisdictionis 17. Aprilis 1589. coram bo. mem. Cardinale Pamphilio.

2 Nihilominus etiam est verum, quod de consuetudine, vel statuto, seu alio iure speciali possunt portionarij Capitulum ingredi, & ibidem habere vocem in ijs, quæ docebunt illam habuisse, aut sibi concessam fuisse iuxta *Abb. & Felin. in d. cap. cum olim. supra adducto per text. in cap. cum Ecclesia Sutrina de caus. possess. & propriet. & in d. cap. scriptum. & capit. Cumana. de election.* sed sic est, quod per plura instrumenta docuerunt Portionarij de ingressu, & assistentia in Capitulo, & quod in diuersis rebus ibi suam vocem dederunt, ex quibus instrumentis cum sint acta Capitularia probatur ista quasi possessio interessendi in Capitulo, & in eo vocandi in rebus contentis in dictis actis iuxta notata *in l. non idcirco. vbi Bald. in princip. C. de fid. instrum. Bart. in l. prædia. num. 11. ff. de acquir. possess.* & tenuit Rota in vna Gerunden. iuris interessendi in Capitulo 6. Nouembris 1609. coram Domino meo Coccino, & per consequens intrat dispositio iuris quod veniant manutenendi in prædicta quasi possessione, *vt in §. retinendæ Instit. de interdict.* Præcipuæ cum ista quasi possessio censetur continuata vsque ad tempus litis motæ, cum certum sit animo retineri ad *tex. in l. si licet. C. de acquir. possess. Abb. in cap. cum ad sedem. nu. 13. de restit. spoliat.*

3 Actus autem, in quibus Domini censuerunt, dictos Portionarios esse manutenendos, sunt illi, de quibus docuerunt, & continentur in suo Summario, qui omnes in expeditione mandati de manutenendo particulariter specificabantur. Quibus obstare non videtur, quod si Portionarij interuenerunt in Capitulo illud fuerit semper ex gratia, & voluntate Canonicorum, quia hæc toties multiplicata gratia non præsumitur, presertim in sibi tam præiudicialibus, argumento *text. in l. cum de indebito. de probat.*

4 Minus obstat quod non sufficiat ista quasi possessio sine ostensione tituli, quia cum illa sit antiquissima interessendi, & vocandi in prædictis actibus, non est opus ostendere titulum, presertim ad effectũ manutentionis, de quo agitur, quia stante dicta antiquitate titulus presumitur *Menoch. de retinend. remed. 3. num. 593. Cassad. dec. 2. de caus. possess. & propriet. Rot.* in nostris proprijs terminis in vna Hispalen. iuris vot. 16. Martij 1575. coram Cantuccio, quæ est inter impressas 4. num. 7. & 8. part. 2. diuers. Nec etiam obstant plures actus congesti pro Canonicis, in quibus ipsi soli interfuerunt sine Portionarijs, quia processus, vnde sumpti sunt, non est productus in actis.

Et tandem non obstat motus proprius Calixti, quia in eo cauetur, vt vocentur ad Capitulum omnes Canonici existentes in Ciuitate, non temen propterea excluditur, vt debebant etiam interuenire portionarij in prædictis casibus. Ad alia vero placuerunt Dominis responsiones datæ per Informantes.

R. P. D. PIROVANO.

Vercellen. Optionis. Lunæ 28. Maij 1612.

ARGVMENTVM.

Statutum dicitur publicatum, & vsu receptum ex pluribus de quibus in summario.

SVMMARIVM.

Statutum factum à Capitulo circa rem licitam & confirmatum ab Episcopo, est validum. nu.1.
Statutum factum à Capitulo dicitur publicatum, quando fuit editum à Capitulo congregato, & ab eodem acceptatum, ac ad eiusdem instantiam ab Episcopo confirmatum. num.2.
Statuti vsus probatur ex eo quod statutum est insertum in volumine statutorum. nu.2.
Statuti vsus probatur ex effectuatione aliorum quæ sub eodem Capitulo statuti leguntur. nu.2.
Statutum non dicitur reformatum ex conditione quod posset reformari in eius acceptatione apposita. num.3.
Factum & ea quæ sunt facti non præsumuntur. nu.4.
Voluntatis mutatio in continenti non præsumitur. nu.4.
Statutum reformationes dicuntur noua statuta. nu.4

DECISIO CCCXCVIII.

IN resolutionibus factis coram R. P. D. Cauallerio in prima instantia, & coram me in secunda fuit præsuppositum, quod membra, de quibus agitur, sint separata, & distincta à canonicatibus, & præbendis Ecclesiæ Vercellen. ita vt non venirent in prouisione Camilli ad impediendam opinionem antiquiores Canonici, nec eo casu obstaret statutum eiusdem Ecclesiæ contrarium disponens, vbi nec promulgatum, nec vsu receptum, sed adhuc sub censura, & correctione Illustris. Cardinalium repositum. Ceterum, quia in vltima resolutione coram me, solo Michaele Informante, dictum fuerat sententiam Rotalem esse confirmandam, placuit Dominis, vt causa proponeretur super eisdem, quod factum fuit die 2. Aprilis 1612. non tamen capta fuit aliqua resolutio, sed Domini voluerunt videre, an adesset aliqua reformatio statutorum in casu, de quo agitur, & dubio reproposito secundum mensem dominorum, dictum fuit non constare de reformatione.

1 Pro certo namque habuerunt, statutum de coadiutoribus, in quo disponitur, quod non sit locus optioni in casu coadiutoriæ vti factum à capitulo circa rem licitam, & confirmatum ab Episcopo esse validũ *cap.2.§.ceterum, & ibi glos. in verbo statutum de verb. signif. in 6. Oldrad. consi.259. num.4. in fin. Innoc. & Hostien. in c. cum omnibus. de constit. in princ. Feder. de sen. consi.108. n.2.* dicens id licere absque licentia superioris, quæ tamen non fuit omissa etiam in vim concordiæ ex Breui Sanctissimæ memoriæ Sixti V. in quo legitur facultas condendi, & reformandi statuta accedente consensu capituli, & Episcopi.

2 Nec visum est obstare, quod statutum prædictum non fuerit publicatum, nec vsum receptum, quia loco publicationis sufficit, quod editum fuerit à Capitulo congregato, & post missam publice acceptatum, & exinde Capitulo instante ab Episcopo confirmatum, secundum *Angel. in §. fin. in auth. de non eligendo secundo, nubentes*, quem sequuntur *Alex. & alij relati per Rolan. consi.99. nu.37. lib.2. Alciat. consil.2. num.30. lib.9.* Quo vero ad vsum, vltra quod est insertum in volumine statutorum, quod pariter ad probandum vsum sufficere videtur, *vt dixit Rota decis.301. part.2. diuers.* & fuit firmatum in Romana concordiæ 13 Nouembris 1609. coram R.P.D. Cauallerio, probatur etiam vsus, & effectuatio, cum sub eodem titulo de Coadiutore plura alia statuantur, quæ ab eodem capitulo fuerunt vsu recepta, vt non mirum si etiam quo ad optionem vsus præualeat *Put. decis.309. num.3. lib.3. Rota diuers. decis. 139. num. 12. par.2.*

3 Nec etiam aliquam vim faciebant Domini, quod statuta prædicta, à capitulo, & Episcopo simul fuerint acceptata cum expressa conditione, quod possent infra sex menses corrigi, emendari, & reformari, ac illis addi, & minui, si, & prout Episcopo, & Canonicis visum fuerit, cum clausula non aliter, nec alio modo, quia non per hoc in ferebatur statuta esse reformata, aut sublatam eorum substitutionem in cap. de coadiutoribus.

4 Et hinc Domini dixerunt non constare de reformatione tum ex prædicta ratione, quia verba erant facultatiua, & relatiua ad mutuum consensum Episcopi, & capituli, nec suspendebant virtutem statutorum, quæ mutuo consensu acceptata erant, tum etiam quia pro parte Michaelis expresse non docebatur, de reformatione, quæ regulariter non præsumitur, vt quid facti, vulgata *l. in bello. §. facta. ff. de captiu. & postlim. reuers. Menoch. de præsumpt. libr.6. præsumption.14.* nec mutata præsumitur voluntas statuentium in continenti, & in eadem scriptura. *cap. maiores. in fin. de baptism. cap. licet de procurat. in 6.* Vnde visum est Dominis difficilis probationis, nisi doceatur de reformatione per scripturam ipsam, prout probantur ipsa statuta, cum dicantur istæ reformationes noua statuta. *Berou. cons.41. num.8. lib.1.* Non obstat, quod confirmatio prædictorum statutorum fuerit petita à Sede Apostolica, quæ consultis Illustrissimis Cardinalibus Pamphilio, & Mellino fuerit limitata ad statutum de coadiutoribus secundum dispositionem decisionum Rotalium. Quia fuit responsum ad decisiones Rotales, & maxime *Veralli 281. part.2.* non loqui de coadiutoribus, quin possint habilitari, vt succedant in Canonicatu etiam quo ad membra, de quibus est controuersia, nec aliquid determinatum potuit colligi ex liberculo per Illustrissimum Cardinalem Mellinũ mihi ponenti transmisso. Demum non obstat declaratio Canonicorũ in Summario Michaelis data in qua attestantur Canonici illi congregati *cap.6. de coadiutoribus* nunquam fuisse vsu receptum, sed esse recedendum ad formam decisionum Rotalium, prout fuerat annotatum in apostillis ad dicta statuta per Illustrissimos Cardinales Pamphilium, & Mellinum. Fuit enim responsum, quod dicta declaratio fuit facta lite pendente scilicet die 28. Aprilis anni præsentis, multo post litem motam, ac etiam post vltimam propositionem, quæ contigit die 2. Aprilis huius anni. Præterea habent etiam relationem ad instrumentum, de quo non constat, & postremo forma decisionum Rotalium, ad quam pariter se refert attestatio dictorum Canonicorum, non iustificatur in casu, de quo agitur, & ex prædictis omnibus visum fuit non constare de reformatione. Ceterum, quia pro parte Michaelis contendebatur vigore illius clausulæ, quod statuta possent reformari intra sex menses, vt exinde suspensa remaneret virtus dictorum statutorum vsq; ad nouam reformationem, seu confirmationem, Domini reseruarunt videre de eorum suspensione.

REVE-

REVERENDISSIMO P. DOMINO MANZANEDO.

Toletana Iuris præsentandi. veneris 1. Iunij 1612.

ARGVMENTVM.

Ius patronatus castro annexum an veniat in venditione Castri, & quid iuris sit si in venditione fuit facta expressio iuris patronatus.

SVMMARIVM.

Decimæ, & primitiæ non veniunt in generali dismembratione vniuersitatis, nu.1.

Ius patronatus venit appellatione pertinentiarum Castri vbi est annexum, & accessorium Castro, nu.2.

Ius patronatus transit cum vniuersitate vendita, quando non fuit in venditione exceptuatum, nu.3. vbi maxime si in venditione de illo fuit facta mentio.

Ius patronatus an transeat cum vniuersitate vendita, quando fuit facta illius expressio in venditione referũtur hinc inde opiniones, num.4. & num.5. Vbi quod expressio non impedit quo minus veniat ius patronatus quando fuit facta ad declarandum, quod illud etiam continebatur in venditione, & transibat in emptorem.

DECISIO CCCXCIX.

1 PRoposito dubio, an ex venditione loci de Valdepennas sit translatum ius patronatus, seu ius presentandi Rectorem ad Parochialem eiusdem loci in Excellentissimũ Marchionem de Sancta Cruce. Domini affirmatiue respondendum censuere. Dominus enim Marchio habuit titulo venditionis à Catholico perpetuæ me. Rege Philippo II. istud oppidum de Valdepennas cum dominio, & Vasallis, & cum omnibus suis terminis, & iurisdictione superiore, & inferiori, mero, & mixto imperio, & si militet vt ipse Marchio, & illius successores possent eligere, & prouidere personas pro Prioratu curam habente, & beneficijs, & cappellanijs, & seruitijs Ecclesiarum, & gaudere iure patronatus illarum, & qualiter ipse Rex tanquam Magister, & admiuistrator perpetuus ordinis de Calatraua illud facere poterat Ad quam venditionem sic faciendam, & istius loci dismembrationem à prædicta militia de Calatraua habuit idem Rex Catholicus plenam facultatem à Sanctę me Pio V. vt ex literis Apostolicis super hoc expeditis apparet, in quibus Regi datur facultas dismembrandi à prædicta militia aliqua oppida, loca, arces fortalitia, iurisdictiones, Vasallos, & alia memora, saltus, & pascua ad huiusmodi militiam spectari. item, & illorum fructus, & prouentus etiam si in decimis, & primitijs consistant, & vt oppida predicta sic dismembrata posset idem Rex illam libere vendere cui voluisset tanquam bona propria eiusdem Regis cum suis Vasalis, iurisdictione, & alijs iuribus, & pertinentijs.

1 Qua dismembratione sequuta, & loco bonorum dismembratorum alijs in maiori quantitate assignatis iuxta originem eiusdem Põtificis in prædicta sua facultate Rex deuenit ad huiusmodi venditionẽ modo, & forma prædictis, in quo istud ius patronatus includi videtur tam ex amplissima dismembrandi, & vendendi facultate à Pontifice Regi concessa, quam ex eo quod prædicta concessio Apostolica extenditur expresse ad decimas, & primitias, & sic ad casum magis dubitalem cum non veniant in generali dismembratione vniuersitatis. *Innoc. in c. ex literis de iure patronatus in princ.* ergo multo magis extendi dicendum est ad ius patronatus tanquam casum minus dubitabilem.

2 Secundo in dicta facultate vendendi exprimuntur iura, & pertinentię quarum appellatione venit etiam ius patronatus tanquam annexum, & accessorium Oppidi *Abb. in d.c. ex literis, nu.1.*

3 Tertio & principaliter quia stante dicta venditione Regis in vim prædictæ facultatis Apostolicæ trãsiuit istud ius patronatus cum ista vniuersitate, & Oppido, cum in tali venditione ius patronatus non fuerit exceptatum *iuxta text. in dict. c. ex literis, & in cap. cum sæculum, de iure patronatus, & ibi Innoc. in princ. Io. Andr. nu.3. & Dominic. in c. vnic. eodem tit. in 6. Abb. idem Ioan. Andr. in d. cap. ex literis idem Abb. in cap. illud. num.4. eodem tit. Paul. de Cittad. de iurepatronatus part.9. q.3. Roch. eodem tract. in verb. ipse, vel is à quo, in 22. q. 25. Lamber. 2. part. lib.1. art.11. q.5. principali. nu.2. & 3.* vbi de communi omnium Doct. sententia testatur *Bart. in l, si mercedem, §. si eum fundum, ff. de act. empt. Couar. var. libr. 2. capit. 18. num. 8.* Quanto ergo magis in isto casu prædicta iura, & communis opinio procedent cum non solum fuit in venditione oppidi exceptatum ius patronatus, quin & potius ex tenore venditionis apparet de illo expresse factam fuisse mentionem.

4 Quibus non obstat prædicta expressio iuris patronatus in venditione oppidi facta, nam quamuis dubitetur per Doctores an data tali expressione iuris patronatus illud transeat cum vniuersitate vendita, & sint qui teneant negatiuam ex eo, quod cum in venditione vniuersitatis interueniat pretium, videtur quidem pars illius sit pro iure patronatus, quod non licet. Vnde istam quæstionem ad partes disputat *Io. Andr. in cap. vnico eodem tit. in 6. & ibi Caldar.* distinguit inter expressionem factam declaratiue, vt tunc transeat ius patronatus, & expressionem factam coniunctiue, & tunc non transeat, & eandem disputant *Roch. de Curt. post alios, quos refert vbi supra q.25. numer. 46. & Lambert. vbi supr. art.20. 5. part. principalis à nu.1. cum plurib. sequent.*

5 De qua tamen quicquid dicendum fuisset, Domini dixerunt in nostro casu prædictam expressionem nullatenus impedire quo minus ius patronatus in vẽditione vniuersitatis, & istius oppidi venerit, non enim fuit facta mentio illius ad effectum illud in specie alienandi, sed potius ad declarandum quod illud etiam continebatur, & transibat in emptorem vna cum dicta vniuersitate, & oppido, & sic intrat dicta distinctio Calder, vt etiam in terminis notat *vbi supra d. num.8. vers. his* vero rationibus, & verba expressionis istius iuris patronatus in venditione contenta, & superius relata satis, hoc in se indicant. Ex quibus ita fuit conclusum.

R. P. D. MANZANEDO.

Calaguritana Residentiæ de Enciso Veneris 1. Iunij 1612.

ARGVMENTVM.

Expensæ, quæ debent refici ob nullitatem sententię vigore commissionis mandantis causam ex integro cognosci refectis expensis, arbitrio Rotæ debent referri respectu sententiæ tantum non autem respectu processus, quando ille fuit valide fabricatus.

SVMMARIVM.

Arbitrium moderatur iuris rigorem, num.1.

Expensæ debent refici quoad sententiam tantum quando illa est nulla, non autem quo ad processum, quando ille fuit valide

lide fabricatus, num. 1. & num. 2. Vbi declarantur decisiones contrariæ.

DECISIO CCCC.

1 PEndente ista causa in Rota coram me, fuit pro parte Didaci, & litis Consortum oppositum de nullitate sententiæ in partibus latæ ex eo capite, quod non præcessisset citatio, & quamuis realiter aderat conclusio in causa, & sic citatio ad sententiam illa tamẽ dicebatur circumducta ex quibusdam actibus subsequutis. Vnde pars Capituli adiuit signaturam pro sanatione istius nullitatis, quę rescripsit causam ex integro cognosci refectis expensis arbitrio Rotæ. Vnde dubitaui an intraret d. arbitrium. Et Domini dixerunt intrare pro non refectione dd. expensarum, & quamuis verba d. rescripti denotent primã sententiam circumscribendam venire, & nullam illius habendam esse rationem, & per consequens expensas refici debere, quasi pars fuerit grauata litigare in iudicio nullo, & hoc videatur magis iuri consonum. Nihilominus cum clausula arbitrio Rotæ rigorem iuris temperet, Crescent. dec. 4. de testib. ille rigor videbatur temperandus, & d. arbitrium intrare tum ex eo quod processus fuit valide instructus, & sola sententia patiebatur d. nullitatem, vnde expensæ reficiendæ tantum respiciunt sententiam, non vero processum iuxta *dec. 129. lib. 3. p. 3. diuers.* & expensæ sententiæ in partibus factæ sunt tenuissimæ, ita vt de facili non veniant in consideratione. Et quæque illæ fuerint fuerunt solutæ per Capitulum quod obtinuit d. sententiam fauorabilem. Vnde non est quid reficiendum appareat parti aduersę.

2 Tum etiam quia ex decisione in ista causa coram me facta constat de iustitia prædictæ sententiæ, & de bono iure Capituli, quod valde iuuare solet pro prędicto arbitrio. Quibus non obstant decisiones Cathanien. Quartæ portionis 12. Februarij 1610. coram D. meo Decano, nec alia Segobiuen. Pensionis 24. Aprilis 1606. coram bon. mem. Iusto cum illa Catanien. potius videatur facere in contrarium, quatenus in ea dicitur, quod vigore illius iudicii, & sententiæ circumscriptæ non poterant de iure peti expensæ. In illa autem Segobien. non fuit actum de expensis reficiendis, cum iam fuissent refectæ, & sic non applicatur nostro casui, in quo ex supradictis sic resolutum fuit.

REVERENDISS. P. D. PEGNA DECANO.

Barchinonen. Canonicatus, & Camerariæ die veneris 1. Iunij 1612.

ARGVMENTVM.

Subrogatus gratiose vt immittatur, quæ debeant probari, & quid si reseruatio deducitur ex appositione manus Papæ super certo corpore beneficij ad fauorem certæ personæ, & quid si gratiosa subrogatio non fuit expedita ad partes sed vna cum gratia principali.

SVMMARIVM.

Beneficium ex gratia præuentiua super certo corpore beneficij remanet affectum ad fauorem eius cui fuit concessa gratia, nu. 1. & nu. 2.

Subrogatus gratiose debet immitti in possessionem, vbi constat de reseruatione beneficij clericatu prouisi, & obitu prædecessoris in possessione, n. 1. vbi n. 2. multo magis si reseruatio deducitur ex affectione super certo corpore beneficij ad fauorem certe personæ.

Amplia nihil referre an subrogatio sit expedita ad partes, vel vna cum gratia principali. nu. 3.

Reseruatio maioris potentiæ est appositio manus Papæ, quã reseruatio deducta ex reseruationibus generalibus, numero 2.

Possessio præsumitur continuata vsque ad obitum, nu. 4.

Confessione aduersarij nulla maior probatio, num. 4.

Obitus probatur ex libro Parochi & ex confessione partis, numer. 4.

Clericatus probatur ex literis patentibus ordinarij, numero 4.

DECISIO CCCCI.

1 CVm die 23. Ianuarii proxime præteriti fuisset in hac causa decisum Francisco Roig. fuisse dandam subrogationem, consequenter dubitaui an eidem esset danda immissio in possessionem canonicatus, & camerariæ, de quibus agebatur, & Rota Francisco solum informante dandã censuit vigore subrogationis in literis coadiutoriæ cum futura successione, quia ex ista gratia præuentiua ista beneficia ex vacatione per obitum Antonii remanserunt affecta ad fauorem Francisci. Vnde concurrentibus tribus reseruatione, vel affectione clericatu, Francisci, & obitu Antonii in possessione concedenda erat immissio vigore gratiosæ subrogationis absque alia narratiuæ iustificatione, vt sæpe Rota censuit, & signanter in causa Conchen. Archipresbyteratus die 16. Nouembris 1588. coram Domino Cardinale Platto tunc Rotæ Auditore, & in causa Burgen. Beneficii de Pancorno die 24. Octobris 1588. coram bon. mem. Gipsio & copiosius coram me in causa Miranden. Parochialis die 17. Maii 1600.

2 De reseruatione etiam speciali per obitum Antonii cõstabat ex prædicta gratia pręuentiua super certo corpore beneficii, & ad fauorem certæ personæ de vacaturo cum decreto annullatiuo futurarum prouisionum, & ex appositione manus Pape, quæ est maioris potentiæ, quam reseruatio generalis de beneficiis vacaturis, vnde si ob reseruationem generalem datur immissio vigore subrogationis sine iustificatione narratiuæ, multo magis dari debet ob reseruationem, seu affectionem super certo corpore beneficii ad fauorem certæ personæ. *Simonet. de reseru. q. 58. nu. 8. & 9. & q. 64. nu. 10.*

3 Nec ideo minus in hoc casu competebat immissio vigore gratiosæ subrogationis, quia Franciscus non expediuerat gratiam subrogationis ad partes, sed vna cum coadiutoria cum futura successione, quia siue expediatur ad partem, siue vna cum gratia principali indistincte sic constat de reseruatione, & obitu in possessione, & clericatu prouisi datur immissio absq; alia narratorum iustificatione, vt signanter fuit resolutum in dicta causa Miranden. Parochialis coram me.

4 De possessione Antonii tempore mortis constabat quia probata possessione in vita, de qua dabatur publicum instrumentum, præsumebatur continuata, & in possessione decessisse. *Rot. decis. 4. incip. si probetur de probat. in nouis.* Accedebat etiam confessio Ludouici aduersarii quia nulla maior probatio, *l. 1. C. de confessis l. cum precum. C. de liberal. caus.* De obitu Antonii constabat ex fide libri Parochi, & ex confessione Ludouici Aduersarii, qui concurrebat petendo similem subrogationem per obitum Antonii *Put. dec. 171. incip. in causa Eugubina. nu. 1. lib. 3.* Demum clericatus apparebat sufficienter probatus literis patentibus ordinariis *Rolan. cons. 4. incip. in causa inquisitionis nu. 5. lib. 1. Rebuf. in praxi beneficiali p. 1. in formula literarum tonsuræ, n. 22. Grammat. dec. 81. incip. in causa, num. 1. Cæsar. de Graff. dec. vnica. nu. 5. de præsumpt.*

RE-

REVERENDISSIMO P. D. DAMASCENO.

Toletana Decimarum de Daymiez. Lunæ 4. Iunij. 1612.

ARGVMENTVM.

De iure, seu quasi possessione Episcopi exihendi decimas infra limites, suæ diœcesis.

SVMMARIVM.

Episcopus in exactione decimarum pro sua portione Pontificali infra limites suæ diœcesis habet intentionem fundatam. nu. 1. vbi etiam quæ dicatur Pontificalis portio.
Quasi possessio exigendi decimas releuat exigentem ab onere probandi ius exigendi eas. nu. 2.
Quasi possessioni exigendi decimas non censetur præiudicatum per mutationem seminis, aut modi colendi agrum. num. 3.
Qualitas quando est causa, quod quis aliquid obtineat, debet expresse probari. nu. 4. Vbi ampliatur etiam quod consistat in negatiua.
Tempus vbi est de substantia, debet expresse probari. nu. 5.
Præsumitur de statu præsenti in præteritum. nu. 5.

DECISIO CCCCII.

1 Domini fuerunt concordes, quod sententia Rotalis adiudicans tertiam partem decimarum D. Archiepiscopo in loco controuerso debeat confirmari, etenim cum loca controuersa sint diœcesi d. D. Archiepiscopi, ipse habet fundatam intentionem in despositione iuris communis, quod sibi debeatur sua portio Pontificalis. *cap. de his. cap. decernimus.* 10. *quæst. 1. cap. conquerente. & ibi Hostien. num. 15. Ioan. Andr. num. 40. Imol. num. 8. Butr. num. 4. de offic. ordin. Alber. in cap. 1. nu. 3. de decim. Rebuff. tract. de decim. q. 7. nu. 11.* Rot. in causa Caurien. seu Nullius iurisdictionis 27. Iunij 1576. coram Cantuccio, relat. in diuers. impress. dec. 31. par. 2. & in Caurien. Decimarum 22. Aprilis 1602. coram R. P. D. meo Decano, quæ ex generali consuetudine huius diœcesis potuit ascendere ad tertiam partem decimarum *cap. possessiones. §. illud. cum ibi not.* 16. *q. 1. Innoc. in cap. conquerente. nu. 4. de offic. ord. Couar. in cap. officij. nu. 1. de testam. Petr. de Vbald. tract. de canon. portion. cap. 2.* fuit dictum in Turritana tertia. 16. Nouembris 1596. coram bo. me. Cardinale Seraphino.

2 Iuncta maxime quasi possessione illam exigendi tam vniuersali, nempe in alijs locis diecesis, quæ sufficeret ad *trad. per Bald. in l. 2. num. 49. C. de Seru. & aq. Bart. in l. 1. §. si quis hoc interdicto. ff. de itin. actuque priu. Felin. in cap. auditis. num. 16. de præscr.* Rot. in causa Cordouen. decimarum. 25. Octobris 1593. coram bon. me. Card. Seraphino. quam particulam nempe in loco controuerso territorio, scilicet de Daniel cuius vigore fuit sibi concessum mandatum de manutenendo, vt in duabus decisionibus, coram Illustrissimo Lancellotto factis quæ quidem possessio liberat D. Archiepiscopum ab omni onere probandi *Butr. in cap. cum venissent. num. 12. Imol. num. 11. de instit. Alex. cons. 219. nu. 20. lib. 6.* Rot. in causa Vercellen. pensionarij 26. Iunij 1592. coram Illustrissimo Mantica, & in Pampilonen. pension. 14. Maij. proximi. coram me.

3 Nec per mutationem seminis, aut modi colendi agrum censetur in aliquo dicto iuri aut quasi possessioni exigendi decimas præiudicatum, *cap. commissum de decim. Abb. cons. 71. nu. 1. Bald. de præscr. par. 2. prin. q. 2. num. 17. Rebuff. de decim. q. 6. num. 34. & quæst. 4. num. 18. Couar. var. quæst. cap. 37. nu. 5.* Rot. in causa Ispalen. iuris votandi 6. Februarii 1576. coram Cantuccio relata inter diuers. impress. decis. 17. part. 2. Et late in Placentina Castanearum 23. Februarii 1598. coram bon. mem. Litta.

4 Non obs. concordia anni 1474. in qua fit totum fundamentum pro parte Magni Magistri, & militiæ quia fuit ponderatum, quod concordia in ea parte, quæ facit ad rem, habet tria capita Primum ibi insuper quod omnium &c. in quo statuitur, quod de terris ruptis, de noualibus, & de aliis de nouo ad culturam reductis soluatur decima Archiepiscopo & Capit. & illud sine dubio non suffragatur militiæ cum respiciat commodum Archiepiscopi, imo potius suffragatur Archiepiscopo, vt fuit consideratum, in decis. coram Illustr. Lancellotto Secund. caput ibi item pro quanto in qua statuitur quod cum per militiam captum, seu vsurpatum fuerit à minus 40. annis citra. & quotidie vsurpetur ex terminis, & campis, seu agris communibus consilii locorum siue oppidorum locorum existentium in magistratu, & Dominio Magni Magistri dictique agri fuissent facta prata, & pascua de Lessa nunciata, quod ex talibus agris, & campis captis seu occupatis seu de cetero capiantur, & vsurpentur soluatur integra tertia pars decimarum Archiepiscopo, & neque istud caput concordiæ suffragatur militiæ, cum totum tendat ad fauorem & cautelam Archiepiscopi. Tertium caput concordiæ est ibi ceterum quod prata &cæt. & in hoc habetur quod Pascua antiqua de Lessa vulgariter nuncupata quorum decimas percipit militia & de quibus nunquam accepit Archiepiscopus nec ad præsens percipit, remaneant prout nunc existunt nulla noua innouationem circa illa facta quo vero ad pecora quæ in dictis locis duxerint pastores, & quæ in illis procreata fuerint non intelligatur per hoc capitulum præiudicatum Magno Magistro, & militiæ in iure, & possessione, quam dicunt habere percipiendi omnẽ decimam quam debent pastores Serrani &c. Hactenus tertium caput quod nec ipsum videbatur suffragari Magno Magistro & militiæ tum quia in effectũ nil nouim disponit ibi remaneant prout nunc existunt, sed expresse præseruat iura vtriusq; partis ibi nulla innouatione circa illa facta. Ideoque cum Archiepiscopus habeat fuudatam suam intentionem, vt patet supra in princ. dictis debet magnus magister & militia probare quod nunc vel saltem de tempore concordiæ habeat aliquod ius quod ibi fuerit sibi præseruatum per concordiam, vel etiam quatenus concordia tribuerit sibi decimarum Lessa antiquarũ & de quibus Archiepiscopus nunquam percepisset decimas deberet militia probare vtramq; qualitatem nempe quod locus de cuius decimatione agitur tũc temporis esset de Lessa antiqua, & quod ex illa Archiepiscopus nunquam percepisset decimas, etenim quando qualitas est causa quod quis obtineat debet præcise probari. *Curt. iun. cons. 124. nu. 1. Paris. cons. 152. nu. 5. lib. 4. Socin. iun. cons. 22. nu. 11. lib. 1. Cephal. cons. 256 in fin. cum aliis per Tiraq. tract. de retract. lignag. §. 8. gloss. 7. in princ.* etiam quod in negatiua consistat, *gl. vnica in l. 2. vers. negatiua qualitatis. ff. de prob. Anch. cons. 254. num. 3. Alex. cons. 39. in princ. lib. 2. Crau. cons. 112. num. 6. Pedem. dec. 174. nu. 5.*

5 Et de tempore concordiæ cum tempus in hoc casu sit de substantia *l. cum te l. matrem vbi Bald. Castr. & alii C. de prob. Fel. in cap. præsentia. nu. 17. eod. tit. Alex. cons. 97. nu. 3. lib. 7. Soc. cons. 98. nu. 6. lib. 4. Ruin. cons. 67. nu. 5. lib. 1.* & predicta eo magis stante moderno statu contrario &c. quo de facili præsumitur in præteritum *Salic. in l. ex persona. nu. 2. C. de probat. Alciat. de præsumpt. reg. 2. præs. 21. nu. 15.* quarum qualitatum nulla visa fuit Dominis probata pro parte Magni Magistri, & militiæ.

RE-

REVER. P. D. MANZANEDO.

Romana Fideicommissi de Paluzzellis. Veneris 8. Iunij 1612.

ARGVMENTVM.

Deficiente secundo substitutionis gradu, quando succedant substituti in tertio gradu, & quando etiam fideicommissum alicui dicatur nominatim relictum.

SVMMARIVM.

Agnatorum appellatione in fideicommissis veniunt etiam filij. num.2.

Filij possunt Patri succedere ex triplice capite, nempe tanquam filij, tanquam Agnati, & tanquam Cognati. numer.3.

Filijs ad agnoscendum successionem Paternam datur annus, siue succedant ex capite liberorum, siue ex capite agnatorum, vel cognatorum, nu.4.

Filij in conditione positi vigore statuti vrbis numquid censeantur vocati, per fideicommissariam substitutionem solum, an vero etiam per vulgarem, num.5. & seqq. & numer.14.

Substitutus vltimo loco quando succedat primo substituto deficiente nu.6. & seqq.

Fideicommissum dicitur nominatim relictum, quando commissarius fuit nomine proprio vocatus, numer.7. & sequentibus.

Filij positi in conditione quando dicantur expresse vocati. numer.10.

Substitutionis primo gradu deficiente admittuntur alij in sequenti gradu vocati, num.11.

Substitutus in secundo gradu dicitur succedere instituenti, & non substitutio defuncto. nu.12.

Fideicommissum relictum a 2. substituto deficiente ipso 2. substitutio, remanet penes primum cum onere restituendi 3. Substitutio. nu.13.

DECISIO CCCCIII.

1 DVbitaui vigesimo octauo Februarij. Milesimo sexcentesimo vndecimo. An constaret de fideicommisso ad fauorem fratrum de Palluzzellis, & Domini affirmatiue responderunt. Attamen cum huic resolutioni Domini de Massa non acquiescerent, super eisdem hodie causam reproposui. Et acriter vtraque parte informante Domini in decisis steterunt, ex rationibus, & iuribus in prima decisione adductis, & ex alijs infra dicendis. Et cum prędicta decisio duabus potissimum conclusionibus consisteret, altera quod isti fratres filij Alexandri fuerunt positi in conditione sub verbo agnatis, sub quo filij comprehenduntur.

2 Secunda vero conclusio erat, quod licet caducata fuisset substitutio Alexandri prædefuncti Laurentio nihilominus intrat gradus subsequens, & sic filij Alexandri in illis comprehensi, quarum duarum conclusionum, vtramque Scribentes pro Dominis de Massa impugnare curarunt, quorum impugnatione Dominis visæ fuere non obstare.

3 Et in primis contra primam insurgebant dicentes, quod statutum Vrbis disponens filios positos in conditione censeri vocatos, non loquitur de agnatis, sed de filijs quorum appellatione agnati non veniunt, & sic quando filii, vt agnati vocantur, non censentur vocari tanquam filii; sed tanquam diuersa persona, quod nullatenus visum fuit Dominis admittendum, ex iuribus claris, & rationibus in decisione adductis. Quibus additur auctoritas *Paul. de Castr. in leg. qui se patris, num.8. C. vnde liber,* vbi concludit ex illo text. quod inter patrem, & filium per emancipationem tollebatur ius agnationis, & probatur *in l. tutelas, ff. de capit. diminut.* Sed quia hodie per constitutiones Imperatoris Iustiniani pater in bonis filii habet ius legitimæ successionis, *vt instit. de legitim. agnat. success. §. fin.* & è conuerso filius emancipatus succedit ad similitudinem suorum etiam de iure Codicis, *vt in l. meminimus, Cod. de legitim. hæredit.* infert tunc *Paul.* quod post quam habent pater, & filius eundem effectum, debent habere, & nomen agnatorum, & quod tenuerunt *gloss. in l. legitimis in fin. ff. vnd. cognat. & melius gloss. in leg. quem filius. ff. de adopt.* quas *Paul. Castr. vbi supra sequitur.*

3 Vlterius quia licet filii possint succedere ex triplici capite nempe tanquam filij, & tanquam agnati, & tanquam cognati hoc est illis indultum ratione filiationis, quia tractatur de successione parentum, quæ est debita filiis omni iure *l. cum ratio. ff. de bon. damnat.* ideo cum esset introductum successorium edictum de capite in caput, & de gradu in gradum, vt de capite liberorum in caput agnatorum, & de gradu agnatorum in caput cognatorum, & in eodem capite liberorum in diuersos gradus, puta de filiis in nepotes pronepotes, & deinceps, vt in toto *tit. ff. & C. de succes. edict.* fuit etiam istud edictum inductum in eadē persona filii scilicet, vt si vocatus ex primo capite, nēpe liberorum fuisset ab illo exclusus tempore vel repudiatione posset rursus admitti ad eandem successionem paternam tanquam agnatus, & tanquam cognatus, *l.1. §. sed videndum. ff. de success. edicto.*

4 Et quamuis filiis ad agnoscendam successionem paternam de iure prætorio detur annus, extraneis vero dentur centum dies, *vt in d. l.1.* tamen filius siue succedat ex capite liberorum, siue ex capite agnatorum, vel cognatorum semper habet annum iuxt. tex. in eadem *l.1. in §. largius tempus,* ibi, largius tempus parentibus, liberisque petendæ bonorum possessionis tribuitur in honorem sanguinis, videlicet, quia arctandi non erant qui pene ad bona propria veniūt idem probatur in eodem textu *in fin. & in l.4. vers. filius,* ibi, filius non solum si tanquam filius, sed & si tanquam agnatus, vel cognatus ad bonorum possessionem vocaretur annuum spacium habet, *ff. quis ordin. in bonorum possess. seruet.* signum euidens, quod licet filius ex secundo, vel tertio capite agnati, vel cognati admittatur, semper tamen remanet sub consideratione filii, qui venit ad successionem Patris sibi pene debitam, imo dicitur venire ad bona propria, quando succedit patri, cum in eo continuetur dominium *leg. in suis de liber. & posthum.* Vnde cessat, quod in contrarium adducebatur, nempe quod filiis venientibus ex secundo, vel tertio capite centum dies tantum concedebantur, tanquam extraneis ad agnoscendam hæreditatem, cum totum contrarium ex supra dictis deprehendatur, vnde semper videtur verum, quod appellatione agnatorum in nostro casu veniunt filii, & appellatione filiorum in dicto statuto Vrbis veniunt filii considerati etiam tanquam agnati.

5 Secunda vero conclusio ex eo potissime impugnabatur, quia in decisione dictum fuit, istos fratres intrare in locum primi substituti per vulgarem comprehensam in compendiosa, quasi prædicta compendiosa desumpta ex mentione mortis in illa indefinite facta potius respicere videatur Hospitali Diui Iacobi dell'Incurabili substitutum Alexandro decedenti sine agnatis. Tum quia cum isti fratres positi in conditione contendat se vocatos vigore dicti statuti, non possunt venire per vulgarem tacitam, cum statutum tantum modo censeat filios in conditione positos censeri vocatos per fideicommissariam quod desumebatur, per Informantes, pro Dominis

minis de Massa ex verbis statuti sic se habentibus, filij positi in conditione fideicommissi censeantur ad fideicommissum tacite vocati, quasi ista geminata mentio fideicommissi per statutum facta excludat dictam vacationem per vulgarem admittendo illam tãtummodo per fideicommissariam.

6 Pro quorum satisfactione, & aliorum ad exclusionem tacitæ vulgaris in contrarium adducebantur, Domini considerarunt, quod decisio dixit, istos fratres intrare per vulgarem contentam in dicta compendiosa, quo casu semper admittitur secundus, quãuis fuerit substitutus primo nominatim, & tunc hæres semper censetur grauatus restituere huic vltimo substitutio iuxta communem doctrinam *Bartol. in leg. quamdiu. num. 10. vers. item facit. ff. de acquir. hæred.* de qua latius in decisione, quæ istam doctrinam adduxit ad exclusionem fundamenti tunc adducti contra prædictam secundam conclusionem, quo dicebant conclusionem non procedere, quoties fideicommissum fuit nominatim relictum ab eo, in cuius persona substitutio fuit facta caduca, cui tantum secundus fuit substitutus, non vero primo instituto, vnde relictum à primo substituto, in quo caducitas euenit, non censetur repetitum ab eius sustituto. *l. Celsus. §. quod alicuius. de leg. 2. cum Bart. Ruin. & Peregr. in decisione adductis*, quod tamen fundamentum dixit decisio intrare tantum, quando secundus fuit substitutus primo nominatim per fideicommissariam, secus tamen si per vulgarem, vt in decisione.

7 Vnde hodie ad prædictum contrarium motiuum aliter respondetur nempe, quod licet motiuum in se sit verum, nihilominus non applicatur nostro casui, in quo non potest dici fideicommissum nominatim relictum ab Alexandro, in cuius persona substitutio fuit facta caduca, cum testatrix tantum dixerit, cui Alexandro morienti sine agnatis masculis, aut feminis substituto venerabile Hospitale &cæt. Ex quibus verbis non potest elici fideicommissum ab ipso Alexandro nominatim fuisse relictum, tunc enim diceretur nominatim relictum, quoties testator substituto Titio illum nomine proprio designando, rogasset dare centum Seio, vel rogasset hæreditatem restituere Caio, & hoc est quod voluit *tex. ex aduerso adductus in d. l. Celsus. §. quod alicuius. in illis verbis*, quod alicuius hæredis fidei nominatim committitur, potest videri ita demum dari voluisse, si ille extitisset hæres, vbi pondero, verba, quod hæredis fidei nominatim committitur, quasi tunc dicatur nominatim ab hærede relictum, quando ipsum hæredem nomine proprio designatum testator rogauit legatum aliquod dare alteri, vel illi hæreditatem restituere.

8 Idem desumitur ex text. etiam ex aduerso adducto *in l. si plures, de leg. 3.* ibi, itaque si quis velit non omnes hæredes onerare legatorum præstatione, sed aliquos ex his nominatim damnare debet *vbi gl. fin.* notat tunc illos nominatos teneri, non vero alios. Ad idem est bonus *text. in l. Titia. de ann. legat.* vbi Mæuio vsufructuario proprio nomine grauato de alimentis præstandis Pamphilio, & alijs, defuncto Mæuio, & vsufructu reuerso pleno iure ad hæredem respondet consultus hæredem non teneri ad prestationem istorum alimentorum, cum à Mæuio vsufructuario fuissent relicta, & est etiam *tex. in l. si ab eo. ff. de vsufruct. legat.* & ita procedit fundamentum contrarium, & Bart. pro illo adductus, qui melius se declarat *in d. l. Titia, & in d. l. si ab eo.* In nostro vero casu testator non grauauit nominatim Alexandrum de aliquo legato, nec de hæreditate alicui restituenda, sed tantum illi decedẽti sine agnatis Hospitale substituit.

9 Quibus non obstat *Ruin. cons. 99. num. 16. lib. 2.* vbi testator nepotibus institutis nominatim, deinde dixit vltimo eorum sic decedenti substituo &cet. tenet Ruin. nominatim illis substituisse. Nihilominus *Peregr. in decisione adductus articul. 15. num. 26. & seq.* tenet in casu *Ruin.* non posse dici nominatim fideicommissum relictum, sed potius illa verba vltimo eorum decedenti substituo &cet. posse optime exponi, id est in locum vltimi, pono cum substituere nihil aliud sit, quam alium loco illius supponere. *l. fin. C. de hæred. instit. Curt. iun. cons. 73. num. 7.* Vnde cessante fundamento principali ex aduerso adducto, quasi non applicetur nostro casui, parum interest disputare de responsione in decisione ad dictum fundamentum adducta, & an isti fratres veniant per vulgarem comprehensam in compendiosa, cum & illis sufficiat venire per fideicommissariam.

10 Vlterius & principaliter fuit responsum, quod isti filij positi in conditione perinde est ac si verbis dispositiuis vsa testatrix sic dixisset: Alexandro si de tempore mortis filios habuerit, isti succedant, sin minus filios non habuerit Venerabile Hospitale succedat existimantur enim isti filij respectu substituti esse in conditione, vt illum excludant, respectu autem proprio, & ad propriam vtilitatem esse in dispositione, vt notatur per *Bart. in l. à testatore. nu. 3. vers. sed quo ad aliud. de condit. & demonstr. Gabriel. cons. 115. num. 11. lib. 1.* Non enim testatrix illos in conditione posuit potissime, vt substitutum excluderent, quem ipsa testatrix non vocando excludere poterat, sed vt ipsi filij bona haberent, ad quæ pater vocabatur, vt dicit *gl. in l. filiusfamilias. §. cum quis. verbo extiterint de leg. 1.* ex quo fit, vt isti filij admittantur ad partem, quæ eorũ fauore substituto non datur, & consequenter non solum excludant Hospitale substitutum, verum etiam actionem habeant ex testamento sicut si fuissent dispositiue vocati, Præcipue stante dicto statuto Vrbis vt declarat *Bar. in l. 2. §. videndum. nu. 2. ff. ad Tertul. Curt. iun. cons. 96. nu. 5. vers. cum igitur.*

11 Nec obstat, quod Alexander pater prædecesserit ante purificationem fideicommissi ad sui fauorem, non enim isti filij agunt de substitutione, vt per illam patri succedant, nec iure transmisso, sed vt iure proprio testatrici per mortem Laurentij sine filijs succedant, cui Laurentio deficiente Alexandro videntur substituti, cum per præmorientiam Alexandri patris, & sic per substitutionem in illius gradu caducatam, fuerit factus filijs locus, & ipsorum vocationi, & successioni aperta via: perempto enim præcedenti gradu admittitur sequens. *Bart. in l. quamdiu, la 3. nu. 10. de acquir. hæred.* quem alij sequuntur teste *Gabriel. cons. 119. num. 16. lib. 1. Socin. iun. cons. 42. nu. 24. lib. 1. Gabriel. d. consil. 115. num. 10. & seqq.* & sequuta fuit Rota in vna Cesenaten. Hæreditatis 12. Februarij 1596. coram bon. me. Orano, & peremptis præcedentibus substitutionibus non perimuntur sequentes, quin illis via aperitur, vt fuit *dictum in prima decisione iuxta Bald. & Paul.* ibi adductos, & ita gradus istorum filiorum ex sequenti fit prior, vt declarat *Imol. d. leg. quamdiu, la 3. nu. 3. & Paul. cons. 269. nu. 2. lib. 2. & Corn. cons. 35. in fin. lib. 2.* & admittitur iure proprio, & ex gradu suo non ex perempto, vt declarat *Ias. cons. 148. nu. 21. lib. 2.*

12 Vnde isti filij Alexandri, quamuis expresse ipsi patri substituti fuissent admitti debent ex communi, de qua per *Bart. & DD. in d. l. quamdiu, & in l. cohæredes in princ. de vulg.* de qua testatur *Gabriel. d. cons. 119.* ante numerum decimum nonum. Vbi refert, quod illa doctrina, quæ tenet illum, qui alicui per fideicommissum substituitur, in eum tantum casum vocari, in quo is, cui substituitur emolumentum accepit ad *tex. in l. sed & si sic. §. fin. de leg. 3.* tunc tantum esse veram, quando onus restituendi, de quo agitur illi soli, cui alter substituitur iniunctum est non vero alteri ante ipsum, quod si idem onus hæredi, vel alii substituto præcedenti adiunctum fuerit, qui emolumentum consequuti sint, tunc fideicommissum debetur vocatis in vlteriori gradu, quamuis præcedentes sint extin-

extincti, & is à quo vltimo loco relinquitur, nihil emolumenti senserit, sed potius ipsius substitutio fuerit caducata, & hic est casus noster, quia licet isti filij sint vocati post Alexandrum illorum patrem, & ipse tanquam premortuus nihil emolumenti habuerit ex hoc fideicommisso, nihilominus onus restituendi fideicommissum non solum ipsi fuerat iniunctum, sed prius ipsi Laurentio hæredi institutio si sine liberis decessit, prout casus euenit.

13 Et ratio est, quia fideicommissum relictum à secundo nempe ab Alexandro, si iste gradus deficiat, prout defecit, remanet penes primum, nempe penes Laurentium cum onere restituendi tertio, nempe istis filijs, *per text. in prima decisione adductum in l. 1. §. pro secundo, C. de caduc. tollen. Bart. in d. l. quamdiu. in fin. Bald. in d. cons. 83. lib. 4. & cons. 279. lib. 1. Alciat. in d. l. & hæredes in princ. num. 10. versic. quod si primus. Paul. cons. 152. num. 1. vers. secundum casum. libr. 1. Gabriel. vbi supra. num. 20. & seqq.* Vnde quamuis isti filij non intrarent per aliquam vulgarem comprehensam in cõpendiosa, venirent admittendi ad istud fideicommissum tanquam intrantes gradum peremptum patris & per cuius peremptionem fuit illis aperta via succedendi ex supradictis.

13 Nec oppositio de statuto, quod non vocet filios positos in conditione per vulgarem, sed per fideicõmissariam fuit visa alicuius momenti tum quia non videtur admittendum quod dictum statutum veli filios positos in conditione censeri vocatos tantum per fideicommissariam ex geminata mentione de fideicommisso in statuto facta, nam illa fit ad docendum, quod filij in conditione fideicommissi positi non excensentur vocati ad tale fideicommissum, & non expressit statutum, an per vulgarem, an vero per fideicommissariam, quod reliquit iuris communis dispositioni, nihil aliud intendens statutum, quam dirimere quæstionem *glos. in leg. Lucius, de hæred. institut.* an positi in conditione censeantur vocati, vel non, de qua stante dicto statuto non licet iam hodie dubitare inter Romanos, qua autem vocatione censeantur vocati hoc erit desumendum ex verbis testamenti cuiuslibet testatoris. Et ex his alijs omissis responsione non egentibus sic fuit decisum, & in decisis standum resolutum.

15 Obiectum vero per DD. de Massa in hac positione adductum de *text. in l. hac edictali, C. de secundis nuptijs* cum nec de illo in prima positione, & decisione fuerit actum, visum fuit Dominis, nec in hac positione de illo agendum poterit autem si pars DD. de Massa voluerit particulariter de illo videri.

R. P. D. MANZANEDO.

Bononien. Pensionis. Veneris. 8. Iunij 1612.

ARGVMENTVM.

In summarijssimo possessorio conceditur manutentio, & concessa reuocatur, secundum quod constat de vnius, aut alterius possessione. Pensionisque non soluendæ quasi possessio non acquiritur per lapsum decem annorum, nisi probetur illam fuisse denegatum, & denegationi pensionum non acquieuisse.

SVMMARIVM.

Numeratio pecuniæ probata censetur, quando Notarius asserit illam fuisse actualiter solutam, & exbursatam, numer. 1.

Confessio extraiudicialis de æquitate Canonica probat contra confitentem. nu. 2.

Mandatum de manutenendo in possessorio summariissimo potest dari in 2. instantia, etiam quod in prima plenarii possessoris iudex contra manutentionem iudicauerit. numero 3.

Mandatum de manutenendo in possessorio summariissimo concessum à iudice reuocatur, quoties constat de non possessione vnius detegiturq; possessio alterius, & c. contra num. 4. & 5.

Beneplaciti Apostolici reseruatio intelligenda est quatenus beneplacitum sit nece sarium, nu. 6.

Pensionis non soluendæ quasi possessio non præscribitur lapsu decem annorum nisi probetur illam fuisse denegatam & denegationi pensionarium acquieuisse. nu. 7.

DECISIO CCCCIV.

1 Visum fuit Dominis Dominum Bartholottum venire manutenendum in possessione exigendi istam annuam pensionem Scutorum 25. monetæ ad quæ in concordia inter partes inita pensio fuit redacta ex eo potissimo fundamento, quod apparet ex eadem apocha concordiæ non solum de dicta reductione, sed etiam de duobus terminis solutis nempe Natali Domini anni 1598. & Sancti Ioannis Baptistæ anni 1599. qui termini leguntur ibi soluti his verbis pro quibus dictus Iosephus actualiter soluit & exbursat dictis dominis libras centum quæ verba satis probant pecuniæ numerationem *Bald. consil. 28. num. 1. & 2. libr. 1. Soc. consil. 143. numer. secundo, & quarto libro primo.*

2 Quæ iuuantur ex depositione testium de auditu, quorum vnus deponit de auditu ab ipso Iosepho, cuius propria confessio licet fuerit extraiudicialiter facta, tamen de æquitate canonica probat contra confitentem. *Gabriel de confes. conclus. 1. num. 46. in quarta limitatione.*

3 Quibus non obstat fuisse per R. P. D. Castaneum pronunciatum contra manutentionem. Respondebatur enim quod quamuis prædicta sententia fuisset lata in plenario possessorio cum fuerit ab ipsa appellatum, potest iudex ad quem insummarijssimo possessorio, de quo hodie agitur concedere mandatum de manutenendo, ad tradita per *Roland. cons. 8. num. 24. & seq. lib. 4.*

4 Quod magis procedit in casu quo pronunciatum fuisset in isto summarijssimo possessorio in quo Rota assueuit mandatum de manutenendo reuocare quoties constat de non possessione vnius aut detegitur possessio alterius, & denegata semel manutentione conceditur de nouo docendo de possessione, vt fuit dictum in vna Romana Vineæ 21. Iunij 1581. coram bon. mem. Oriolen. & in alia Pistoricen. pensionis 3. Iunij 1606. coram Domino meo Ludouisio.

5 Et ratio est, quia in isto iudicio summarijssimo nõ intendit aliud, quam manutenere possessorem siue detentorem in statu, in quo reperitur, vt non detur occasio spoliis, & scandalis. In ceteris vero præseruantur parti omnia iura tam in possessiorio plenario quam in petitorio iuxta *l. 2. §. merito. ff. pro socio. cum aliis per Sarnen. in regula de iur. quæsit. quæst. 2. num. 5. Decis. consil. 541. numer. 17. Rota. decision. 641. numer. 8. part. prima.*

6 Nec etiam obstat, quod in dicta concordia, & apocha reductionis fuerit reseruatum beneplacitum, Apostolicum, Talis enim reseruatio intelligitur, quatenus illud sit necessarium, *Gabriel. consil. 92. numer. 5. lib. 2.* & in casu nostro non videbatur necessarium, cũ pensionarius esset cõtentus dicta reductione & quilibet possit fauori suo renunciare. Minus obstat clausula dummodo remaneant centum pro rectore quia illa respiciet petitorium.

7 Nec etiam lapsus decem annorum visus fuit obstare, tum quia ex dictis testium videbatur potius con-

contrarium apparere, tum quia pensio nunquam præsumitur derelicta nisi probetur denegatio cum acquiescientia pensionarij, & quod alius fuerit in possessione naturali illius. Regula enim quod præsumptio continuationis non duret vltra decennium *iuxta Bart. in l. siue possidetis. num.8. de prob.* procedit quando alius possessionem naturalem occupauit, quia tunc præsumptio continuationis possessionis ciuilis non militat vltra decennium, secus vero prout in nostro casu, quando ab alio non fuit naturalis possessio occupata Tunc enim etiam post decennium præsumitur illius continuatio, & animi retentio, *iux. Guid. Papam, dec.629. Couaru. in reg. possessor. 2. par. §.1. nu.3. vers. at si constet* & tenuit Rota in vna Turiten. tertiariæ 13. Aprilis 1592. coram Illustrissimo Mantica, & in alia Aquilegien. pensionis 21. Maij 1610. coram me, tam in terminis pensionis, quam mandati de manutenendo.

8 Oppositio autem de prædictæ concordiæ non recognitione fuit sublata ex eo, quod constat de dicta recognitione non solum per testes etiam instrumentales, sed & per confessionem eiusdemmet Iosephi, de quibus iam hodie constat in actis.

REVERENDISSIMO P. DOMINO DAMASCENO.

Leodien. Fideicommissi. Veneris 15. Iunii. 1612.

ARGVMENTVM.

Licentia disponendi an consumatur in prima dispositione, & an postquam dispositio fuit facta, illa declarari seu confirmari possit, & quid iuris sit, quando non est satisfactum per primam dispositionem menti disponentis.

SVMMARIVM.

Facultas disponendi concessa alicui consumitur in prima dispositione. nu.1.
Fallit quando ab initio non fuit plene satisfactum menti disponentis. nu.1.
Declarans nihil de nouo facit. nu.1.
Confirmans nihil de nouo facit. nu.1.

DECISIO CCCCV.

CVm agentes pro Domino Renato pluries citati non offerrent separatos ad informandum, fuit pro parte D. Federici porrectum memoriale in Rota, cuius vigore fuit mihi ordinatum, vt etiam vna parte informante proponerem dubium alias sub scriptum. An Federico obstet donatio per quondam Ioannem Patrem facta, quondam Renato in casu, & ad effectum, de quo agitur, prout proposui sub hac die Veneris 15. Iunij. Et pro Informante fuit resolutum donationem scilicet non obstare, idque ea ratione, quod testamentum Ioannis, in quo se fundat Federicus, non est contrarium donationi, sed vtrumq; simul stare potest, etenim donatio facta quondam Renato non fuit simplex, sed ex causa matrimonij, & pacto adiecto, quod separato matrimonio si nulla, vel nullæ remaneant proles, aut ea, vel eæ moriatur, aut moriātur nullis relictis vlterioribus prolibus, quod dicto casu prædicta coniugum bona redibunt, & pertinebunt ad latus, siue latera vnde processerunt, testamentum autem continet quantum ad eadem bona donata de quibus modo agitur, quo testator vult ea manere in familia sua, & quod Renatus non possit illa hypothecare, vendere, aut alienare, nisi in certis casibus, qui non euenerunt, sed post eius mortem deuoluentur ad liberos eius, quemadmodum dictus Renatus eade re statueret, & casu quo dictus Renatus non relinquat legitimos liberos, aut ijdem liberi moriantur nō relictis vlterius legitimis liberis, tunc ad prędicti Renati fratres, & sorores aut in eorum defectu, ad eorum liberos, aut liberos liberorum, prout id iuxta iura patriæ, aut iura feudorum Prouinciæ, sub qua ea sita sūt & forum sortiuntur fieri oportebit Ex qua facti serie apparet, quod moriente Renato sine filijs, prout mortuus est, respectu successionis transuersalium, de qua agitur, non est differentia inter donationem, & testamentum, cum in donatione Ioannes voluerit, quod deficientibus liberis Renati, bona redeant ad latus siue latera, vnde processerunt, quod nihil aliud videtur importare, quam familiam paternam, à qua mediante donatione bona deuenerunt in Renatum Donatariū. In testamento autem Ioannes hoc idem expressit, dū in defectum liberorum Renati voluit bona peruenire ad Renati fratres, & sorores, qui nihil aliud sunt, quā latus paternum, à quo processerunt bona donata, & ad quos Ioannes in donatione voluit, quod bona redirent, & proinde Federicus frater dicti quondam Renati, qui modo agit, ex testamento, nihil habet, quod sibi obstet in donatione.

1 Atque hinc cessat, quod dicitur Ioannem non potuisse disponere de istis bonis tanquam feudalibus sine licentia Comitis Lossen. & quod licentia, quæ fuit à dicto Ioanne obtenta, fuit consumpta in donatione facta ad fauorem Renati *iuxt. notat. in l. boues. §. hoc sermone. ff. de verbor signific.* & proinde, quod non potuit postea Ioannes facere nouem dispositionem testamētariam super bonis donatis. Nam omisso an licentia Comitis Lossen. tanquam gratia Principis concepta per amplissima verba expirauerit in primo casu, de quo late per Informantes pro Domino Federico, cessare visa fuit difficultas ex prædictis, nempe quia Ioānes in testamento quo ad bona, de quib. agitur, minime fecit nouam dispositionem, sed ad summum melius declarauit factam in donatione, siue confirmauit, vel etiam in aliquo ampliauit, quæ omnia facere potuit non obstante *reg. l. boues*, quia declarans non dicitur facere de nouo. *l. hæredes palam. §.2. ff. de testam. Oldrad. cons.224. nu.10. Anchar. cons.7. nu.3. Roman. cons.482. nu.8. sicut nec confirmans l. Aurelius. §. testamento. ff. de liber. reg. Bal. in cap.1. n.2. tit. per quos fiat inuestit. Ias. in l. more. nu.41. ff. de iurisd. omn. Iud. Alex. cons.122. nu.17. vers.2. principaliter. lib.4. Crau. cons.668. nu.2.* sicut etiam ampliari potest non obstante dicta reg. l. boues. quæ non habet locum quando ab initio non fuit plene satisfactū menti disponentis *Tiraq. in d. l. boues. §. hoc sermone. limit. 6. per tot.* & fuit nouissime dictum in Cesaraugustana dismembrationis, coram me. Et ex his etiam cessare visa fuerunt, quæ alias dicebantur, quod consensus Renatis adhibitus in testamento Ioannis non fuerit formalis, & solennis, quia, vt ex ijs patet, dictus consensus minime fuit necessarius. Et ita conclusum fuit.

R. P. D. VBALDO.

Firmana Altaris Sancti Matthæi. Veneris 15. Iunii. 1612.

ARGVMENTVM.

Plures adducuntur causæ, ex quibus Rota solet denegare remissoriam.

SVMMARIVM.

Tempus datum ad præsentandum non currit nisi à die scientiæ. nu.1.

Remissoria non datur, quando super iisdem testes fuerunt alias examinati, quia credendum est, partem tunc induxisse testes magis idoneos, & fecisse meliorem, & pleniorem probationem, num.2.
Remissoria non conceditur, vbi alias fuit concessa. num. 2.
Remissoria non datur ei, contra quem adest rei iudicata, numer.2.
Remissoria denegatur propter timorem subornationis, numero 2.
Remissoria denegatur vbi articuli sunt irreleuantes, num.3.
Confessio extraiudicialis debet probari saltem per duos testes numer.3.

DECISIO CCCCVI.

1 DOmini dixerunt, remissoriam non esse dandam ad probandam scientiam mulierum patronarum obitus Lepidi, per cuius mortem vacauit beneficium, de quo agitur, & ipsæ patronæ præsentarunt post tres dies à lapsu quadrimestris. Vnde beneficium tanquam eo nomine deuolutum fuit à Domino Ricciotto impetratum præsentato se defendente ex eo, quod mulieres dicti obitus notitiam statim non habuerunt, & certum est, tempus ad præsentandum patronis non currere, nisi à die scientiæ, *cap. quia diuersitatem, de concess. præbendæ, & notat. in cap. nulla, eodem tit. cap. licet de supplenda negligentia Prælator.*

2 Fundamentum autem denegatæ remissoriæ fuit, quia fuerunt examinati plures testes in alijs instantijs ad eundem effectum, & eorum dicta reiecta tanquam irreleuantia, vel minus concludentia, & tamen credendum est, Ricciottum tunc induxisse testes, quos habuit magis idoneos, *Ægid. dec.* 38. *post princip.* & fecerit meliorem, & pleniorem probationem, quam potuerit. *Aymon. consil.* 134. *num.* 3. Imo cum annis elapsis addidisset tres alios testes, quos examinati fecit super dicta prætensa scientia, illos etiam concludenter probare Rot. censuit 10. Maij 1606. coram Reuerendo patre Domino meo Decano, & propter similem causam, videlicet propter testes alias examinatos, vel remissoriam alias concessam, fuit denegata remissoria in causa Veneta illegitimitatis. 23. Iunij 1589. coram Illustrissimo Platto, in Caputaq. Vnionis 20. Maij 1594. coram Reuerendo patre, Domino meo Decano in Pampilonen. Decimarum 15. Iunij 1598. coram bon. mem. Orano, quæ causæ ad effectum remissoriæ erant profanæ. Vnde tanto magis videtur deneganda in causa ista beneficiali, præsertim stante re iudicata post tres conformes latas contra Ricciotum, quo casu remissoria denegatur. *Caputaq. decision.* 51. *par.* 3. & stante timore subornationis, cum testes alias inducti in hac causa fuerint confessi, falso se disposuisse, & vti tales fuerint condemnati, vt dicitur in dicta decisione in hac causa facta coram Domino meo Decano, qui timor viget etiam in futurum, & ibidem remissoria denegatur. *Caputaq. dec.* 50. *nu.* 4. *&* 6. *par.* 3.

3 Accedit irreleuantia articulorum, cum fuerit articulatum, quod quædam mulier Laura nomine audiuit Felicem vnam ex dictis patronis, dicentem ipsam, & sorores statim fuisse certioratas de obitu Lepidi, quæ confessio extraiudicialis per vnicum testem probata, nihil facit, cum requirantur saltem duo testes secundum communem opinionem, de qua *Hieronymus Gabriel. consil.* 40. *num.* 57. *lib.* 2. & alias frustra petitur remissoria ad probandum id, quod probatum non releuet lege ad probationem, *C. de probat. Cassad. decision.* 2. *de dilat. Caputaq. decis.* 68. *numer.* 2. *part.* 3. *& ita decisum.*

DECISIO CCCCVII.

Romana Fideicommissi de Pinis Veneris 15. Iunij 1612.

Impressa Apud Ludouisio.

DECISIO 575.

DECISIO CCCCVIII.

Perusina Fideicommissi de Alpbanis. Veneris 15. Iunij 1612.

Impressa Apud Ludouisio.

DECISIO 565.

DECISIO CCCCIX.

Cesaraugustana Dedicationis. Mercurij 20. Iunij 1612.

Impressa Apud Ludouisio.

DECISIO 569.

REVERENDISSIMO P. D. MANZANEDO.

Maceraten. Dotis. Mercurij 20. Iunij 1612.

ARGVMENTVM.

Ex Summario sumas Argumentum.

SVMMARIVM.

Lucrum dotis non debetur vxore moriente infra annum ex statuto Maceratæ, nu.1.
Donatio facta à minore sine solennitatibus statutarijs non valet, num.2.
Transactio non dicitur facta vbi lis non procedit, aut timor litis num.3.
Pecuniæ connumerantur inter bona mobilia, nu.3.
Sententia latæ ad fauorem mortui valet, quando est lata ad fauorem D. litis effecti nu.4.

DECISIO CCCCX.

1 NOn constare de causis restitutionis in integrum, & sententiam esse exequendam fuit resolutum sententiæ enim tam de partibus, quam illa Auditoris Cameræ ad fauorem Syluij Claudiani, & illius heredum, ac Domini Aloisij Cappelli domini litis effecti latæ, visæ fuerunt iustæ, cum Augustinus decedente vxore intra octo menses à die matrimonii contracti, prout casus euenit, non posset aliquod lucrum habere, iuxta statutum Maceratæ de lucr. dot. rubr. trigesima tertia. Clare hoc ita dispo-nens.

nens. Vnde tenebatur dotem integram, quam habuit restituere.

2 Nec obstat apocha per Syluium sibi facta, in qua illi promisit de dote recepta vsque ad quantitatem Scutorum 500. quod nihil per ipsum, nec illius hæredes ab Augustino peteretur quin illa semper essent & remanerent Augustini, & illius hæredum, & hoc in euentum, quod Syluia Augustini vxor, & Syluij neptis sine filijs decederet, & in omni casu, quo Augustinus teneretur restituere dicta Scuta quingenta fecit illi donationem irreuocabilem dictæ quantitatis. Quia apocha siue in sui principio consideretur remissio prædictæ quantitatis, siue in sui fine donatio irreuocabilis illius, semper erit contra Constitutionem Marchiæ de alienat. & contract. minor. cap. 25. & contra statutum Maceratę de donat. rubr. 34. per quæ iura tales remissiones, seu donationes fieri prohibentur absque solennitatibus, & in dictis Constitutione, & statuto desideratis, & contentis, quæ cum non interuenerint in dicta apocha, videtur nulla, *ad tex. in cap. cum dilecta, & ibi Felin. nu. 6. vers. modo ponenda est regula. de rescript. Verall. dec. 250. nu. 2. par. 1. Rot. diuers. dec. 226. nu. 2. par. 1.*

3 Nec Domini admiserunt hanc apocham potius esse transactionem, vt ex aduerso dicebatur, cum nec lis verteretur, nec de illa aliquis timor immineret, vt requiritur pro transactione facienda. *Purpurat. in leg. cum propona. num. 25. Cod. de transaction. Roman. cons. 371. num. 1. Surd. consil. 451. num. 11.* Quin nec locus dubitandi erat stantibus prædictis statutis, & Constitutione, vbi quamuis agatur de remissione, seu donatione rerum mobilium, & immobilium, tamen non est dubium quin, & pecuniæ contentæ in apocha inter mobilia computentur *iuxta text. in Authent. de nupt. in §. & quia parum*, ibi, forte in pecunijs, & aut in alijs mobilibus rebus, & ibi notat *Ang. ad idem est text. in l. si chorus. §. 1. de leg. 3. Tiraq. de retract. consang. §. 1. gloss. 7. num. 103. Thessaur. dec. 160. num. 1. Surd. consil. 26. numer. 7. lib. primo.*

4 Nec curandum videbatur de nullitatibus oppositis cum illa de defectu mandati contra sententiam Auditoris Cameræ fuerit sublata ex legitimo mandato, de quo constat in persona dicti Aloisij. Prout & tollitur alias nullitas contra eandem sententiam ex eo, quod fuisset lata, mortuo dicto Syluio pro assertis illius hæredibus absque illorum legitimatione, cum pro parte Augustini fuisset appositum, nihil fieri nisi legitimatis personis, respondebatur enim dictam sententiam fuisse latam etiam ad fauorem dicti Aloisij domini litis effecti, quod sufficit. Ex quibus sic fuit resolutum.

REVERENDISSIMO P. DOMINO PEGNA DECANO.

Mediolanen. Attentatorum. Mercurij 27. Iunij 1612.

ARGVMENTVM.

Elicitur ex Summario Argumentum.

SVMMARIVM.

Attentata debent plene probari, cum attentare sit delictum. num. 1.

Attentatum non dicitur, quod fuit ante litem factum. numer. secundo.

Attentatum non dicitur, quod fuit factum lite pendente auctoritate Apostolica. nu. 2.

Sedium ordo debet in choro fieri secundum decentiam. num. secundo.

Attentare non dicitur, qui continuat. nu. 3.

DECISIO CCCCXI.

1 Propositum fuit dubium, an constaret de attentatis pro parte Canonicorum super sedilibus, per ipsos, vt prætendebatur amotis, de anno 1595. à parte Meridionali, & Rota vtraque parte informante, non constare de attentatis censuit, quia cum attentare sit delictum, *Bellam. dec. 18. incip. oneratio conscientiæ. num. 1. Lancell. de attent. in præfat. nu. 104. & 105.* & delicta concludentes probari debeant. *cap. super his. vbi Felin. num. 17. de accusat. Put. decis. 440. incip. Franciscus de Ayala. numer. 3. part. 3.* pro parte Monachorum non edebatur sufficiens probatio illicitæ amotionis sedilium à Canonicis factæ.

2 Quia aut agebatur de prima sedilium amotione vigore decreti editi à Sancto Carolo ante constitutionem Pij V. & illa non erat attentata, quia fuit facta ante motam litem, quæ fuit introducta de ann. 1587. *Cassad. dec. 6. incip. voluerunt Domini. num. 2. super reg.* & fuit dictum in vna Albarazinen die 17. Decembris 1574. coram bon. mem. Cantuccio. Tum etiam, quia cum esset indecorum, quod adessent sedilia ita collocata, vt sedentes verterent terga ad Sanctissimum Sacramentum, & alia indecora orientur contra prædictam Constitutionem Pij V. incip. cum primum Apostolatus officium, editam anno 1566. consequenter amotio sedilium isto casu etiam lite pendente facta auctoritate Constitutionis Papalis, & Decreti Sancti Caroli non poterat dici attentata. *Bero. cons. 66. incip. in causa Domini Hieronymi. num. 10. lib. 3.* In ista enim materia decentia multum inspicitur, vt in causa Calaguritana præeminentiarum, die septima Iulij 1603. coram bonæ mem. Alexandro Iusto,

4 Aut agebatur de secunda amotione facta de anno 1595. quo tempore erat iam lis introducta inter Canonicos, & Monachos, neque ista visa fuit attentata nam cum lite pendente non potuissent Monachi innouari apponendo noua sedilia circa columnas, cum iam esset facta legitima amotio vigore Decreti Sancti Caroli, & in Ecclesia adsit particulare officium super stantiæ nuncupatum, ad quod exercendum ex Decreto eiusdem Sancti Caroli censetur electus Canonicus Sacrista Maior, quo Canonico mediante Capitulum est in possessione prouidendi in Ecclesia circa statum fabricæ, & sedilium ad vsum Populi, consequenter absque vitio attentatorum potuerunt amoueri sedilia per Monachos lite pendente renouata. Id enim non erat attentare, sed continuare statum, & possessionem in qua Canonici reperiebantur. *Lancell. de attentat. par. 2. cap. 4. de attenta. lit. pendent. limit. 1. num. 27. in sexta ampliat. & nu. 33. vers. 7.* etiam, & sic non fuit actio attentata, sed continuata, & consequutiua vigore prædicti decreti Sancti Caroli. Nec refragabatur oppositio deducta ex defectu iurisdictionis Sancti Caroli, quia præterquam quod Carolus erat Archiepiscopus ad quem vniuersalis directo, & compositio Ecclesiarum seu Archiepiscopatus pertinebat, potuit facere prædictum Decretum, & Ordinationem vigore prædictæ Constitutionis Pij V. iubentis, ne quis auderet verso tergo ad Sanctissimum Sacramentum sedere. Rursus non obstabat quod vltima attentata venirent purganda, quia fuit responsum, Canonicos non attentasse, cum id fecerint vigore legitimi decreti, & pro eius confirmatione, &c.

REVERENDISS. P. D. PEGNA

DECANO.

Paduana Iuris patronatus. Mercurij 27. Iunij 1612.

ARGVMENTVM.

Plura adducuntur ad excludendam probationem iuris patronatus.

SVMMARIVM.

Ius patronatus ex priuilegio reuocatur per Concil. Trident. num. 1.
Productio tituli inualidi operatur, vt non possit alius titulus produci. nu. 2.
Narratiua Papæ super facto alieno non probat. nu. 3.
Ius patronatus Domino loci vbi est beneficium præsumitur quæsitum ex vsurpatione. nu. 4.
Iuris patronatus reseruatio, postquam fuerit factum augumentum redditunm in tertia parte, vt habeat locum, requirit probationem valoris beneficij. nu. 5.

DECISIO CCCCXII.

1 Rota censuit, non constare de iure patronatus, quod suffragaretur Dominis de Borromeis prętendentibus habere ius patronatus super duabus Ecclesiis Parochialibus inuicem vnitis, Sancti Ioannis loci de Lisario, & Sancti Michaelis loci de Arselago Paduan. Diœcesis. Promotor enim fiscalis mensæ Episcopalis asserendo prædictas Ecclesias esse liberæ collationis melius probat suam intentionem, sicut iam pro eo fuerat resolutum die 1. Iulii 1601. coram bon. mem. Don Andrea de Cordoua, tunc Rotæ Auditore.

1 Nam pro libertate faciebat primo dispositio Concilii Tridentini sess. 25. cap. 9. reuocantis omnia iura patronatus, quæ non sunt ex fundatione, & dotatione, & iura etiam patronatus ex priuilegio. Vnde non suffragabatur Borromæis concessio Pii IV. de anno 1562. & sic duobus annis ante publicationem Concilii Tridentini, quia per superuenientem dispositionē Concilii, ius patronatus, si quud Borromæis competebat, fuit sublatum. Nec suffragabatur Borromæis dicere, quod Pius IV. non tam concessit, quam conseruauit antiquum ius patronatus, quia fuit responsū ex verbis concessionis eiusdem Pontificis, illis videlicet reseruamus, constituimus, & assignamus, & ex aliis subsequentibus à Rota ponderatis patere Papam auctoritate Apostolica, & vigore illius suæ concessionis de nouo reseruasse ius patronatus, quod ostendebant etiam illa verba tenore præsentium.

2 Narratiua autem Borromæorum, quod ipsi iam antea in prædictis Ecclesiis habebant hoc ius patronatus ex multis non suffragabatur, & primo, quia cum ipsi pro suo titulo in primis allegauerint hanc reseruationem Pii IV. vix poterant hodie allegare alium titulum anteriorem, vt in eisdem terminis respondit Rota in vna Valentina Parochialis de Carlet. sub die 4. Maii 1601. coram Domino Cardinale Lancellotto tunc Rotæ Auditore.

3 Secundo quoniam cum Domini de Borromeis voluerint vti hac reseruatione Pii IV. & ista reseruatio fuerit facta ex priuilegio de beneficio iam erecto, vltra quod fuit sublata per Concilium, licet fortassis non esset iustificanda ad effectum solius illius reseruationis Apostolicæ, cum tamen principaliter ageretur de isto prætenso iure patronatus, narratiua cum esset de facto alieno non probabat *Paris. consil. 114. incip. cum reseruatio præcedat. num. 22. lib. 4.* quem refert, & sequitur *Gabr. de probat. concl. 2. nu. 60. limit. 8. Imol. in clemen. 1. nu. 9. vers. 2. casu. de probat.*

4 Tertio quia tametsi Domini de Borromæis vellent vti antiquo illo iure patronatus, quod sibi competere prætendebant, adhuc eis obstabat Concilium Tridentinum præcit. loco. Nam cum in narratiua Pii IV. diceretur, quod Borromæi erant Domini in temporalibus prædictorum locorum, consequenter eorum prætensionem impugnabat idem Concilium, quatenus fiebat locus præsumptioni, quod ius patronatus fuisset eis acquisitum per vsurpationem. *Crescen. dec. 1. de iure patronatus.*

5 Præterea, quia fuit etiam consideratum, quod reseruatio Pii IV. non fuerat pura, sed postquam fuisset factum augumentum in tertia parte. Vnde non poterat dici fuisse satisfactum prædictæ clausulę, nisi fuisset probatus verus valor beneficii, & augumenti in tertia parte, vt iam fuerat consideratum in prædicta decisione coram bon. mem. Corduba. Demum ex veritate facti patebat, reseruationem Pii IV. fuisse subreptitiam, cum in illa præsupponeretur, duo ista beneficia curata fuisse simul vnita cum tamen constaret de contrario ex resignationibus distinctè factis à Philippo de Borromæis. Et ex his fuit conclusum non constare de iure patronatus, quod Dominis de Borromæis suffragaretur, &c.

R. P. D. VBALDO.

Maceraten. Retractus. Mercurij 4. Iulij 1612.

ARGVMENTVM.

Simulatio contractus non præsumitur, nisi probatur efficacibus, dilucidis, & expressis probationibus cum præcedenti causa simulandi, quæ sit probabilis, sufficiens, & verisimilis.

SVMMARIVM.

Simulatio regulariter non præsumitur, nisi probetur. nu. 1.
Simulatio vt intelligatur probata, debent esse probationes efficaces, dilucidæ, & expressæ cum præcedenti causa simulandi. nu. 1.
Permutatio est licita ad effectum excludendi vicinum, vel alium. nu. 2.
Simulatio ad effectum excludendi vicinum est cautio à lege permissa, & prudens consilium. nu. 2.
Dolo non facit, qui vtitur suo iure. nu. 2.
Fraudis suspicio tollitur ex realitate rei. nu. 2.
Limita quando sunt coniecturæ fauorem, & simulationem suadentes. nu. 2.
Simulatio non præsumitur in instrumento publico facto cum iudicis interuentu. nu. 2.
Testes nulliter examinati nihil probant. nu. 3.
Depositio testis si discordat à prima eiusdem testis depositione non attenditur, sed attenditur prima. nu. 3.
Simulatio non probatur per eum, qui deponeret de propria turpitudine. nu. 3.
Confessio contrahentium post contrarium facta non nocet. numer. 3.
Multa tractantur quæ postea non perficiuntur. nu. 4.
Contractum ante confectum instrumentum non attenditur, sed conclusum. nu. 4.
Dubius actus non debet nocere, neque inducere simulationem. nu. 5.
Dotalis fundus datus æstimatus viro fit ipsius viri, quasi illum emerit. nu. 6.
Æstimatio augetur aliquando ex emptoris affectione. num. 7.

DE-

DECISIO CCCCXIII.

1 FVit dictum non probari simulationem permutationis de qua agitur, quia regulariter simulatio non præsumitur, nisi probetur, lege quamuis. Vbi *Bald. Cod. si quis alt. vel sibi. Aym. cons.*145. *num.*2. *Caputaq.dec.*165. *num.*2. *&* 3. *par.*3. & fuit dictum in Romana fideicommissi coram Bubalo, quæ est decisio. 219. num.2. par.2. diuers. & in Romana simulationis 14. Maii 1601. coram bon. mem. Iusto. Probationes autem debent esse efficaces, dilucidæ, & expressæ cum præcedenti causa simulandi quæ sit probabilis, sufficiens, & verisimilis, *Bart. cons.*65. *num.*4. *lib.*1. *Alban.cons.*9. *num.*1. *&* 7. *& cons.*97. *num.*24. *&* 28. *Honded. cons.*41. *num.*28. *libr.*2. *Caputaq.d. decision.*163. *numer.* 5. Rota in Romana restitutionis apud Cantucium decis.69. num.2. par. 2. diuers. Et fuit dictum in causa Mediolanen. Pecuniariæ 17. Maii 1599. coram bon. mem. Pacen. in Romana donationis 27. Aprilis 1592. coram D. meo Decano, & in Romana Bonorum de Ceulis 28. Aprilis 1595. & in Bononien. Bonorum de Monterentiis vigesima septima Iunii anni præteriti coram eodem.

2 In proposito autem casu nulla videbatur subesse causa simulandi. Nam licet diceretur facta permutatio ad effectum excludendi D. Iacobum Philippum, à retractu partis domus de qua agitur, tamen illa nõ videbatur causa sufficiens cũ de iure licitum sit etiã ad effectum vt vicinus, vel alius excludatur à retractu rem permutare, nec propterea dicatur simulatio vel fraus interuenire, vt per *Tiraq. de retract. lignag. in præfat. num.*78. *& seq. Decian. in terminis nostris cons.* 23. *num.*19. *libr.* 2. sed sit cautio à lege permissa, & prudens consilium, *l. at qui natura. §. sed cum me absente. ff. de neg. gest. l. cum pater. §. Titio, in fin. de l.*2. *l. si pupillus post princ. de acquir. hæred. Tiraq. vbi supra num.*80. *Dec. d. cons.*23. *num.*20. *subÿciens enim seq.* non videri dolo facere eum qui iure suo vtitur l. nullus videtur dolo Vbi *Dec. & alij ff. de reg. iur.* Et hæc in præsenti casu procedunt, quod constat de vera, & reali permutatione, eo facilius, cum vtraq; pars reperiatur in possessione rei, sibi in permutationem date, ex quo tollitur omnis suspicio fraudis, vt scribit *Tiraq. de retract. lignag. §.*1. *glos.*14. *num.*35. Et post eum *Decian. d. cons.* 23. *nu.*14. *&* 18. licet prædicta soleant limitari quando adsunt coniecturæ fraudem, & simulationem suadentes, vt per *Tiraq. de retract. lignag. in præfat. num.*81. In quo in proposito adducebantur, non videbantur sufficientes presertim contra publicum instrumentum cum auctoritate, & interuentu iudicis confectũ *Caput. d. dec.*163. *nu.* 6. *par.* 3. & fuit consideratum in d. Romana simulationis coram Iusto.

3 Nam circumscriptis exceptionibus oppositis contra testes ex quorum dictis coniecturæ eliciuntur videlicet, Primo quod sint nulliter examinati, & ideo nihil probant. *l. si quando, Cod. de testibus cap.*2. *eod. tit.* fuit dictum in causa Burgen. iuris patronatus 18. Aprilis 1597. coram Gipsio. Secundo quod eorum depositiones sint contrariæ primo examini coram A. C. & sic videretur standum primo dicto, iuxta not. communiter in cap.. cum in tua. vbi *Felyn. numer.* 4. *vers. secundo conclud. de testib. Rota dec.*19. *eod. tit. in nouis* Tertio quod sunt iidem qui contractum permutationis fecerunt, & sic non probant simulationem, tum quia alias detegerent propriam turpitudinem, *l. cum profitearis, C. de reuocat. donat. cum alus per Tiraq. de retract. lign. §.*1. *glos.*2. *num.*16. *Rota dec.*116. *num.*11. *par.*2. *diuers.* Tum quia eorum confessio, vel depositio vti facta post contractum non nocet. *Bart. in lege facta. §. si hæres. ff. ad Treb. Bero cons.*187. *nu.*5. *l. b.* 1. *Natt. cons.*152. *nu.*21. *Rolan. cons.*85. *num.*6. *lib.*2. Hisce igitur circumscriptis.

4 Prima coniectura desumpta ex preambulo tractatus venditionis non nocet, quia multa tractatur quæ postea non perficiuntur, & potius atteditur id quod est conclusum, quam quod est actum ante contractũ. *l. si voluntate. vbi Bald. & Salyc. in primo notab. Cod. de rescind. vendit. Alex. cons.*28. *num.*3. *libr.*1. *Dec. cons.*488. *num.*10. & fuit dictum in causa Bononien. Pecuniarie. 14. Martii 1604. coram Reuerendiss. Bonon.

5 Secunda coniectura deducta ex æstimatione domus non videbatur releuans cum potuerit fieri non ad effectum, vt ea faceret emptione, sed ad dignoscendum, quis teneretur refundere alteri. *Affl. in tract. de iur. protomiseos, §.*3. *nu.*14.

6 Tertia coniectura ex qualitate fundi dati in permutatione, nec videbatur attendenda cum diceretur non esse verum quod fundus esset Pulixenæ, quia ei fuerat datus in dotem æstimatus, & sic fuit contracta emptio, & dominium, fundi transiuit in virum, lege quoties, l. cum dotem, *l. si inter C. de iur. dot. Socin. cons.* 69. *num.*15. *libro quarto Couar. practic. quæst. capit.*28. *numero primo, versic. secundo apparet*, & fuit decisum in causa Interamnen. fundi dotalis. 20. Februarij 1589. coram Illustrissimo Cardinale Platto, & in Montis Falisci fideicommissi. 12. Martii 1603. coram bon. memor. Cardinale Pamphilio. Et in Romana societatis officii. 15. Iunii 1602. coram R, P. D. meo Decano.

7 Quarta demum coniectura ex disparitate valoris rerum permutatarum non vrget, nam valor rei porit augeri ob commoditatem recipientis rem ipsam ex causa permutationis, & in simili de permutatione beneficii tradit *Anchar. cons.*388. *num.*5. *versic. præterea*, & tertio præterquam quod prædicte coniecturæ possent producere in proposito, in quo tam ex verbis quam ex aliis supra deductis constat contrahentes voluisse facere contractum permutationis. Et ita fuit conclusum.

R. P. D. PAMPHILIO.

Bononien. Portoni. Lunæ 12. *Nouemb.* 1612.

ARGVMENTVM.

Remissoria non conceditur post litem finitam per transactionem etiam factum per procuratorem habentem mandatum cum libera.

SVMMARIVM.

*Transactio ipso iure extinguit lites, processus, & probationes, nu.*1.
*Transactio nihil aliud est quam recessus à lite, nu.*1.
*Transactionis est exceptio finitæ litis & impedit litis ingressum, nu.*2.
*Transactio habet vim rei iudicatæ. nu.*2.
*Remedia non dantur post rem iudicatum, nu.*2.
Procurator habens mandatum generale non potest transigere numero 3.
*Pactum in contractu appositum ad fauorem alicuius operatur solum ipso volente, num.*4.
*Remissoria non datur ad probandum id, quod dicitur factum per scripturam, nu.*5.

DECISIO CCCCXIV.

1 COncluserunt Domini non esse Comiti Iulio dandam remissoriam, quia super causa quæ coram. me pendebat inter Marchionem Cæsarem, & dictum Comitem Iulium super iuribus, Portoni de quo agitur, de mense Nouembris præsenti inter dictas partes inita fuit transactio per quam lis, pro-

processus, probationes, & iura omnia fuerunt ipso iure extincta. *cap. 1. de transact. l. fratris, & ibi Iason. num. 2. C. eodem tit. Mohed. dec. 3. de transact.* Transactio enim nihil aliud est quam recessus à lite. *l. 1. ff. de transact. l. 2. & leg. si pro fundo. C. eod. tit. & dicit Corn. consil. 167. post num. 15. lib. 2.* & tam à lite futura quam præterita, vt fuit dictum in causa Romana de Celsis 19. Ianuarij 1607. coram Reuerendissimo D. Archiepiscopo Bononien. Vnde D. Comes non est amplius audiendus ex quo sibi obstat exceptio transactionis, quæ cum sit exceptio litis finitæ, impedit litis ingressum. *d. leg. fratris, & ibi Dec. num. 1. & alij. C. de transact. l. eleganter. §. si quis. ff. de condict. indeb. cap. 1. de lit. contest. in 6. Cardin. Mantic. de tacit. & ambig. conuentionibus. libr. 26. titul. 1. num. 8.*

2 Maxime quod transactio habet vim rei iudicatæ. *l. non minorem, & ibi omnes. C. de transact. Cephal. conf. 210. num. 71. & conf. 228. num. 24 lib. 2. Roland. conf. 28. numer. 17. lib. 4.* Ideoque sicut post rem iudicatam non dantur remedia. *Verall. dec. 51. par. 3.* & fuit dictum in causa Gerunden. Statuti. 9. Mar. 1592. coram Illustrissimo Cardinale Mellino, & alias sæpe, ita denegari debet post transactionem.

3 Non obstat, quod dicebatur de defectu mandati illorum, qui interuenerunt in dicta transactione pro Comite Iulio, quod si licet haberent mandatum generale, sub quo non venit facultas transigendi, *ex leg. mandato generali. ff. de procurat.* quia fuit responsum mãdatum esse specialiter ad transigendum super quacũque lite, quod sufficit ex quo transactio potest fieri etiam ab habente mandatum cum libera *iux. notat. per gl. in l. transactionis, verb. derogauit. Cod. de transact. & per Bart. in d. l. mandato generali. num. 1. vers. oportet ergo. ff. de procurat.*

4 Minus obstat pactum resolutiuum appositum in instrumento transactionis in euentum in quem D. Marchioni non adimpleantur ad vnguem omnia promissa in alio instrumento transactionis paulo ante inter contrahentes celebrato, quia pro responsione fuit dictum quod huiusmodi pactum intelligitur quatenus D. Marchio eo vti velit. *l. 2. ff. de leg. comm.* Et fuit dictum in causa Tiburtina Castri Vicarij 19. Februarij 1596. coram bon. mem. Cardinale Pamphilio, nam cum fuerit appositum fauore Marchionis non potest D. Comes illo iuuari, nisi D. Marchio declarauerit eo vti velle, *Ruin. conf. 35. num. 31. lib. 1. & consil. 93. num. 8. lib. 3. Cephal. conf. 27. num. 10. lib. 1. Tiraq. in leg. si vnquam verb. reuertatur. nu. 10. C. de reuoc. donat.* quod non solum D. Marchio non declarauit quod, immo potius declarauit contrarium, postquam opposuit de ista transactione ex *tex. in cap. cum venerabilis. §. intellexerit. & ibi Abb. num. 8. de except.* & ita etiam in dubio est, ex quo pro adimplemento potest agere ex prima transactione absque eo, quod impugnet secundum.

5 Nec demum refragatur, quod dicebatur remissoriam esse concedendam ad probandum reuocationem mandati ad transigendum, quia vltra quod idem non articulatur, huiusmodi reuocatio allegatur facta ex literis missiuis, & propterea non posset dari remissoria ad probandum idem de quo agitur facta scriptura, *Aegid. dec. 9. & 384. & 496. Rot. dec. 6. de prob. & dec. 10. nu. 6. de offic. deleg. in nou.*

6 Præterea quatenus huiusmodi literæ Missiuę exhiberentur, non esset standum illarum datis in preiudicium D. Marchionis, *ex deductis in decisione 1. nu. 2. de probat. in nouis. Et ita decisum.*

R. P. D. PAMPHILIO.

Pacen. Portionis. Lunæ 19. Nouembris 1612.

ARGVMENTVM.

Spoliatus possessione beneficij si medio tempore contingat casus optionis alterius beneficij, dum restituitur ad beneficium, debet restitui ad ius optandi medio tempore delatum.

SVMMARIVM.

Spoliatus absque causa debet haberi, ac si dicto tempore possedisset, & ad ipsum pertinet omnis vtilitas, quæ sibi obuenit pendente iudicio spolij. nu. 1.

Beneficium de iure præsumitur perpetuum. nu. 2.

Electio facta absque vlla temporis præfixione præsumitur perpetua, vel saltem censetur durare quousque valide reuocetur. nu. 2.

Constitutio, vt liget debet constare, quod sit publicata, & vsu recepta. nu. 3.

Collatio seu electio nihil operantur, nisi probentur effectuatæ. nu. 4.

Verba indulti, seu constitutionis debent intelligi, prout de iure. nu. 5.

DECISIO CCCCXV.

1 Fuit resolutum portionem, de quo agitur esse adiudicandam Sebastiano, cui tanquam antiquiori Cappellano erat debita vigore indulti Innocentij VIII. Non obstat, quod tempore vacationis huius portionis Sebastianus non reperiretur in possessione Cappellaniæ, quia cum per Capitulum fuerit ab illa minus legitime expulsus, & postea per Rotam ad eam redintegratus perinde haberi debet, ac si semper possedisset, & medio tempore spoliatus non fuisset. *l. si quis vi, & ibi gloss. verb. possidere. ff. de acquiren. possess. Sarn. in regul. de annal. quæstio. 13. numer. 2. versic. nam sicut pro possessore. Ruin. consil. 161. num. 13. lib. 1. Afflict. decis. 403. numer. 21.* Ideoque debet sibi restitui optio istius portionis tanquam vtilitas, quæ sibi obuenit pendente iudicio spolij, *gloss. in cap. significauerunt. verb. recursum, de testibus, & in cap. cum super verb. restituendum de cau. possess. & propriet. Surd. conf. 166. num. 1. Rota dec. 7. de caus. possess. & propriet. in antiq.* Quod autem Sebastianus fuerit per capitulum iniuste priuatus, visum fuit satis constare ex decisionibus in hac causa factis, in quibus fuit firmatum non probari huiusmodi Cappellanias esse manuales, vel annales; Ideo censeri perpetuas, prout de iure præsumuntur. *Lap. allegat. 9. numer. 8. Franci. Marc. dec. 107. part. 1.* cum alijs allegatis coram Domino Caualerio sub die 2. Iunij 1609. maxime quod electio Sebastiani in Cappellanum fuit simpliciter facta absque vlla præfixione temporis, quo casu præsumitur perpetua ex deductis coram Illustrissimo Cardinale Lancellotto sub die 2. Iunij 1610. vel saltem censetur durare, quosque valide reuocetur *Felin. in capit. ex literis. numero nono, versic. si autem de constit.*

2 Non obstat constitutio Ecclesiæ disponens eligi debere singulis annis in festo Sancti Ioannis Baptistæ nouem Cappellanos, ex qua prætenditur probata manualitas istarum Cappellaniarum, quia fuit responsum constitutionem istam non esse in forma probanti, cum sit exemplum exempli, nec reperiatur insertum in volumine statutorum, siue constitutionum Ecclesiæ: Vnde ad effectum, vt liget, constare debet quod fuerit publicata, & vsu recepta *Caputaq. decision. 203. num. 1. & seqq.* & in terminis dictum coram Domino meo Caualerio in causa Vercellen. optionis 19. Ianuarii 1611. & cum vsus huiusmodi non præsumatur *Menoch. præsumpt. 2. numer. 2. lib. 2.* per allegantem est probandus *Caputaq. dicta decisione 203. numer. octauo, par. pri-*

part.1. Neque obseruantia prædictæ constitutionis deducta ex quatuor electionibus productis pro parte Laurentij visa fuit dominis obstare, quia non constat de illarum effectuatione, prout constare debet *Calder. cons. 12. de iure patronatus. Ripa in cap. cum Ecclesia Sutrina. num.93. vers.5. requiritur de caus. possess. & propriet Roch. de iure patro. verb. competens. num. 35. vers.2.* requiritur neque de scientia relectorum, de quorum præiudicio agebatur, immo de illis in obseruantia apparet ex eo, quod Sebastianus obtinuit collationem suæ Cappellaniæ de mense Nouembris, non audi tem in festo Sancti Ioannis Baptistæ, prout loquitur dicta constitutio.

3 Non obstat, quod indultum Innocentij non possit suffragari Sebastiano qui de tempore vacationis fuerat saltem de facto priuatus Cappellania, sed solum illi remaneat actio ad damna, & interesse contra Capitulum spoliantem, quia placuit responsio, quod ante spolium Sebastianus vere de iure dicebatur Cappellanus, & verba indulti, sicut etiam cuiuslibet alterius dispositionis sunt intelligenda prout de iure. *Anchar. cons.6. nu.8. vers. omnis enim dispositio*, quod sine difficultate procedit in casu isto, ex quo Sebastianus fuit redintegratus ad possessionem, & consequenter ad fructus, & vtilitates ipsius. Et ita fuit decisum.

REVERENDISSIMO P. DOMINO

MANZANEDO.

Neapolitana Iuris Conferendi. Sabbati 16. Nouembris 1612.

ARGVMENTVM.

Episcopus debet manuteneri in iure conferendi ex sola assistentia iuris communis, etiam quod alius doceret se esse in quasi possessione conferendi vnum beneficium, quia d. quasi possessio non extenditur.

SVMMARIVM.

Episcopus habet fundatam intentionem de iure communi super collatione omnium beneficiorum suæ diœcesis. nu.1.
Mandatum de manutenendo debet dari habenti assistentiam iuris communis pro se etiam alio non probato. n.1.
Mandatum de manutenendo debet dari ei qui est in quasi possessione. nu.1.
Scriptura quæ non fuit legitime compulsata non probat. numero 2.
Collatio non effectuata non releuat. num.2.
Quasi possessio vnius actus non extenditur ad alios actus sub eadem specie comprehensos quando possidenti ius resistit. nu.2.

DECISIO CCCCXVI.

1 VAcante Beneficio Primiceriatus nuncupati in Ecclesia Sancti Thomæ in Capuano diœces. &c. Neapolitan. Illustrissimus, & Reuerendissimus Dominus Archiepiscopus illud contulit Didaco Genuino, Rector autem eiusdem Ecclesiæ prætendens ad se illius collationem pertinere illud contulit Fabricio Gazellæ, & eidem Illustrissimo Archiepiscopo inhiberi curauit. Vnde dubitaui An D. Archiepiscopo sit dandum mandatum de manutenendo, & Domini eo solum informante affirmatiue responderunt, tum quia cum dicta Ecclesia, & Beneficium consistat intra eius diœcesim, ipse habet in iure communi fundatam intentionem *c. omnes Basilicæ. 16. q.7.* & fuit pluries resolutum, cuius vigore competit manutentio etiam alio non probato. *Verall. decis.203. p.2.* & in his terminis fuit dictum in vna Bononien. Sancti Petronij 28. Aprilis 1595. coram Illustrissimo Mantica, & in Portugallen. iuris præsentandi. 3. Nouembris 1599. coram bon. mem. Pacen. & in alijs sæpe. Tum etiam quia constat de pluribus collationibus dicti Illustrissimi Archiepiscopi, eiusque antecessorum de Beneficijs sitis in eadem Ecclesia Sancti Thomæ, & vltimo statu, ex quibus cum sit in quasi possessione iuris conferendi illi competit manutentio ad *tex. in §. retinendæ. instit. de interdict. cum simil.*

2 Nec obstat quædam admissio resignationis facta per Rectorem, quia vltra quod non est in forma probanti, nec legitime compulsata, ideoque non probat. *Rot. dec.36. & dec.42. de prob. in antiq.* non probatur effectuata, quo casu non releuat. *Put. dec.136. in fin. lib. 3.* & fuit resolutum in Bononien. Sancti Petronij. 28. Aprilis 1595. coram Illustrissimo Mantica. Et quamuis de dicta admissione legitime constaret, non obstaret quin Domino Archiepiscopo sit danda manutentio in alijs, quia cum Rectori ius resistat quasi possessio inducta per illum actum non extenderetur vltra illud Beneficium resignatum, vt in terminis. *Put. decis.310. num.1. lib.2.* & fuit dictum in vna Rauennaten. Bonorum. 21. Iunij 1596. coram bon. mem. Cardinale Pamphilio, & in supradicta Bononen. Sancti Petronij.

DECISIO CCCCXVII.

Cremonen. Pensionis. Lunæ 10. Decembris 1612.

Impressa Apud Caualerio.

DECISIO 227.

REVERENDISSIMO P. D.

MANZANEDO.

Romana Dotis de Sfortia. Veneris 14. Decembris 1612.

ARGVMENTVM.

De copia instrumenti originali non reperta quando credatur. Breuis sed notanda est Decisio.

SVMMARIVM.

Copia instrumenti semiplene probat constito de tenore originalis, & de illius amissione. nu.1.
Testis instrumentarius deponens pro instrumento semiplene illud probat. num.2.
Instrumentum præsumitur rogatum ab illo Notario, quando illud repertum fuit in sacculo Rogitum dicti Notarij. num.3.
Instrumentum etiam sine subscriptione, & signo Notarij probat, quando illud scriptum reperitur inter alios Rogitus eiusdem Notarij. nu.4. Vbi præsertim, quando instrumentum habet annum, diem, & numerum testium,
Instrumentum præsumitur occultatum ad instantiam eius, de cuius, interesse, & vtilitate agitur, vt occultetur. num.5.
Copia instrumenti licet sine originali non credatur, creditur tamen arbitrio iudicis concurrentibus adminiculis, & coniecturis, nu.5.

DE-

DECISIO CCCCXVIII.

1 Resolutione facta 4. Iulij præteriti in hac causa coram bon.mem.Pegna, quod constabat de existentia declarationis factæ per q.Dominum Ionn.Baptistam de Comitibus circa suum testamentum, & reseruato dubio discutiendo nempe an copiæ declarationis prædictæ esset adhibenda fides ad illud hodie propositum Domini responderunt affirmatiue ex eo, quia constat originale prædictæ declarationis fuisse repertum in Archiuo Vallis Montone Castelli subiecti Excellentissimo Domino Duci,& inter protocolla Mariani Casarchiæ Notarij, qui de dicta declaratione fuerat rogatus, & constat quod amplius non reperitur in dicto Archiuo, vt patet ex diligentis pro illo reperiendo factis, vt testantur Archiuista, & Notarius causæ, quin & constat de tenore prædictæ scripturæ, & quod concordet cum copia, de cuius fide quæritur, quæ fuit in actis exhibita per Adamum Procuratorem Domini Ducis, qui primo reuelauit metu excommunicationis,& deinde formiter examinatus deposuit habuisse talem Procuratorem copiam ab Archiuista tenoris, vt in ipsa, & constando de tenore, & de amissione scripturæ resultat semiplena probatio,vt notat *Bart.in l.sicut iniquum. in 1.lect. nu.1.vers.quandoque probatur. C.de fid.instrum.*

2 Quibus accedit depositio Iacobi Gauiliæ testis testamentarij deponentis, quod Marianus Casarchia Notarius fuerat rogatus de dicta declaratione,& quodam tunc ipse testis illi se subscripsit, prout scriptus reperitur in copia, de qua agitur, qui testis testamentarius de visu semiplene probat, *ad tex.in c. ex insinuatione de procurat. & ibi tradunt glo. & Scribent.in l.in bonæ fidei.C.de reb.credit.& glos.in l.admonendi, & ibi Bar.num. 36.& Ias.num.178.& seq.ff. de iureiur.* & dicit communem. *Paris.loquens fere in nostris terminis. consi.57.nu.22. lib.1. Surd. consi.12. num.55.*

3 Accedat quod testes deponunt dictam declarationem fuisse repertam in sacculo rogituum dicti Mariani Notarij, ex quo sequitur probatio, quod ille fuerit de illa rogatus. *Curt. iun. conf.162. numer.1. vers. confirmant præmissa. lib.2.Ruin.consi.159.num.12.in fin.lib. 4. Rot. diuers.250. numer.3. p.* 1. iuncto adminiculo Archiui, iuxta *Auth. ad hæc. C. de fid. instrum. Aymon.cons. 158. num.5.Gabriel.de probat.concl.5. num.1.*

4 Et ex hoc tollitur obiectū de defectu subscriptionis, & signi Notarij, cum nullum istorum sit necessarium, quando scriptura reperitur inter alios rogitus eiusdem Notarij, iuxta prædictam decisionem 250. num. 3. par. prima. Vltra quod. cum habeat annum, diem, & numerum testium, non requiritur præcise signum, & sub scriptio, præsertim cum illa esset matrix, & Notarius obierit, & ideo ista non requirunt. *Roland. consil. 44. numero 40. in fi. & seq. lib. primo. Curt. iun. dicto cons. 162. nume. 1. vers. tamen nemo negat.*

5 Vnde non obstat regula desumpta, & *Auth. si quis in ali quo. C. de eden.* & ibi DD. copiæ instrumenti non esse adhibendam fidem, cum hoc limitetur concurrentibus adminiculis, & coniecturis sufficientibus ad inducendum animum iudicis ad illi credendum, vt dixit Rota apud *Verall. decis.234.part.1.* & Domini ex prædictis iudicarunt satis adhibendam esse fidem isti copiæ, maxime cum D.Ducis intersit,ne originalis reperiatur, & tunc intrat præsumptio, de qua per *Bar.in l.fin. nu.5. ff. de qq.* quæ quamuis contra Dominum Ducem non possit admitti, posset tamen intrare in hoc sensu, quod aliquis cogitans D. Duci rem gratam facere, dictam scripturam occultauerit. Ex quibus omnibus simul iunctis ita fuit conclusum.

DECISIO CCCCXIX.

Romana Census de Celsis. Veneris 17. Decembris 1612.

Impressa Apud Ludouisio.

DECISIO 489.

REVERENDISSIMO P. DOM. MANZANEDO.

Conchen. Decimarum del Campillo. Lunæ 17. Decembris 1612.

ARGVMENTVM.

Attentata quando causentur per appellationem ab interloqutoria, & per appellationem nullam.

SVMMARIVM.

Attentata non causantur per appellationem ab interloqutoria, nisi subsequuta inhibitione iudicis ad quem.nu.1.
Attentata non dicitur sententia lata post appellationem ab interloqutoria, si iudex ad quem non inhibuit. nu.1.
Appellatio dicitur deserta,si appellans non petijt Apostolos. num.2.
Appellationis renunciatio inducitur per reditum ad iudicem à quo. num.2.
Attentata non causantur ex appellatione nulla. num.3.

DECISIO CCCCXX.

1 Proposito dubio, an sententia de partibus sit attentata. Domini amplexi fuerunt negatiuam, cum ex ea attentata prætenderentur, quia fuerat lata post appellationem interpositam pro parte Capituli à quodam decreto à Prouisione. Conchen. facto super decimis consignandis Tertiario deputato pro parte D.Episcopi, quæ appellatio à prædicto decreto interposita visum fuit, non potuisse operari,quod dicta sententia sit attentata. Tum quia tale decretum fuit quædam simplex interloqutoria à qua licet de iure Canonico detur appellatio, tamen illa non causat attentata, nisi subsequuta inhibitione iudicis ad quem iuxta *text.in cap.non solum. de appellat. in 6.* Ratio est,quia non suspendit iurisdictionem iudicis à quo, & sic talis sententia post d.appellationem non dicitur attentata. *Verall. decis.34. part.1. Lancell.de attent.2.part. cap.12. limit.1.num.1.& 24.*

2 In nostro autem casu non apparet emanasse vllam inhibitionem à iudice ad quem, immo nec iudicem à quo constat appellatione expresse, vel tacite detulisse vlterius, quia nec appellans petijt Apostolos, nec pro illis fuit reuersus. Vnde appellatio fuit saltem deserta. *c.1.Vbi glos.in verbo Apostolos,& cap.ab eo de appellatio.in 6.Clement.quamuis. eodem tit. l. eos.§.Apostolos.Vbi Bar.C.eodem tit.Marant.de ord in.iudiciar.6.par. in verb. & quandoque appellatur.num.208.& Rol.decis.50.* de appellatio. in nou. & fuit resolutum in vna Perusina de Vbaldis.13.Iunij 1588.coram bon.mem.Cardinale Pamphilio, & in causa Foroliuien. de Torellis. 7.Nouembris 1607. coram Reuerendiss.Lugdunen.& in Romana Pecuniaria. 27. Iunij 1611. coram D.meo Vbaldo. Tum etiam quia idem Procurator, qui appellauerat, postea redijt ad eundem iudicem à quo. Vnde inducitur renunciatio appellationis ad notata in *cap. Gratum*

tum de offic. deleg. Put. decis. 380. lib. 1.

3 Tandem facit, quod prædicta appellatio fuit omnino nulla, cum fuerit interposita. 27. Augusti, & decretum fuisset factum septima eiusdem. Vnde appellatio venit post 20. dies elapsos à decreto, & sic post tempora data ad appellandum, & ex eo non potuit causare vitium attentati in sententia postea emanata. *cap. non solum, & ibi glos. in verbo infra decenium de appellatio. in 6. Lancellotto, vbi sup. p. 2. c. 12. limit. 50. nu. 1. & 47.*

REVERENDISS. P. DOMINO MANZANEDO.

Treuertin. Monasterij. Lunæ 17. Decembris 1612.

ARGVMENTVM.

In iure patronatus Domini temporalis loci, in quo situm est beneficium, an cadat præsumptio vsurpationis, & quæ probatio requiratur, & ex quibus probetur, & an ius patronatus acquiratur ex sola constructione, & dotatione absque reseruatione.

SVMMARIVM.

Ius patronatus Domini temporalis loci in quo situm est beneficium præsumitur ab ipso Domino vsurpatum, & in eo probando requiritur probatio requisita à Conc. Triden. sess. 25. cap. 9. nu. 1.

Ius patronatus acquiritur ex sola constructione, & dotatione absque alia reseruatione. nu. 2.

Fallit in beneficio regulari, nisi adsit priuilegium Apostolicum. nu. 2.

Fallit secundo vbi ius patronatus fuit remissum. nu. 2.

Narratiua Papæ emanata ad supplicationem partis non probat. nu. 3.

Ius patronatus secundum terminos concilij requirentis immemorabilem cum continuatis præsentationibus effectum sortitis, non probatur per solam assertionem Episcopi. nu. 3.

Episcopi assertio non præiudicet Ecclesiæ vel successoribus. num. 3.

DECISIO CCCCXXI.

1 FVit resolutum vna tantum parte informante, non constare de iure patronatus, quia cum Princeps Sancti Boni, ad quem prætenditur illud pertinere sit Dominus temporalis loci, in quo est ista Abbatia, seu Monasterium Sanctæ Mariæ de Niue intrat præsumptio vsurpationis. *Put. decis. 57. nu. 1. lib. 1. Caputaq. decis. 128. nu. 1. p. 2.* Ideoque ex dispositione *Concilij Trid. sess. 25. de reform. cap. 9.* requiritur plenior, & exactior probatio ipsius juris patronatus, quæ tamen nec etiam ordinaria & in personis priuatis sufficiens in casu nostro adesse, vissum fuit Dominis, cum potius constet de libertate Ecclesiæ ab initio fundationis, & constructionis factę vsque de anno 1027. Pandulpho Comite Cattalupi cum donatione bonorum libera, & absoluta absque vlla reuocatione iuris patronatus, cui accedit alia similis donatio facta à Comite Rogerio de Ecclesia Sancti Quiriti de anno 1112. etiam sine aliqua reseruatione, quæ donationes fuerunt postea confirmatæ per Rogerium Siciliæ Regem.

2 Et licet sola constructio, & donatio regulariter soleat esse sufficiens ad acquirendum ius patronatus absque alia reseruatione. *Rot. decis. 167. nu. 4. p. 2. diuers. Lambert. de iure patronatus. li. 1. p. 5. art. 2. quæst. principalis. nu. 12.* tamen in præsenti casu sumus in beneficio regulari, in quo non acquiritur ius patronatus ex sola fundatione, & dotatione sine particulari priuilegio Apostolico. *cap. hic etenim 16. q. 1. Glos. in c. nubis. in verbo nisi aliter vers. vel expone, & ibi DD. de iure patr. Mohed. decis. 10. nu. 5. eod. tit. Put. decis. 366. lib. 2.* & fuit dictum in vna Region. Prioratus. 24. Maij 1585. coram bon. mem. Cardinale Pamphilio. Vltra quod ius patronatus, si quod adesset, fuit expresse remissum in prædicta donatione facta à Comite Rogerio, quo casu fundatio, & donatio non attenditur dicta *decis. 167. nu. 4. & Lambert. vbi supra dicto num. 12.*

3 Non obstant narratiuæ Bullarum Pij V. Gregorij Decimitertij, & Clementis Octaui, quia sunt de recenti, & ad supplicationem partis emanatæ, quæ non probant. *Oldrad. cons. 258. num. 6. Gabriel. cons. 192. num. 9. lib. 1.* Minus obstare visum fuit, assertionem Episcopi in institutione facta ad fauorem Ghezzij declarantis Abbatiam esse de iure patronatus Principis, tum quia illa non probat ius patronatus secundum terminos Concilij requirentis immemorabilem cum continuatis præsentati effectum sortitis, vt fuit dictum in vna Albanen. iuris patronatus. 22. Iunij 1592. coram bon. mem. Gipsio, tum etiam quia dicta assertio Episcopi non potest præiudicare Ecclesiæ, vel successoribus *Caput. decis. 128. nu. 3. q. 2. part. 2.*

REVERENDISSIMO P. D. MANZANEDO.

Meliten. Nauis. Veneris 11. Ianuarij 1613.

ARGVMENTVM.

De euictione, quando res vendita transijt per plures manus, & fuit euicta vltimo emptori, an possit secundus emptor agere contra suum venditorem antequam patiatur molestias ab eo, cui ipse rem vendidit.

SVMMARIVM.

Quando res vendita transijt per plures manus, & fuit euicta vltimo emptori ita demum secundus emptor poterit agere contra suum venditorem si dictus emptor molestias patiatur ab eo, cui ipse rem vendidit. nu. 1.

Limita non procedere quando emptor non subuendidit simpliciter, sed aliquod ius sibi reseruauit in re vendita, tunc enim potest emptor sequuta euictione agere contra illum, qui sibi vendidit etiam si non molestetur ab eo cui postea vendidit, & à quo res fuit euicta. nu. 1.

Declara limitat. debere intelligi de euictione iusta. nu. 2.

Limita secundo non procedere vbi emptor stipulatus pro se, hæredibus, & successoribus, quia tunc potest agi de euictione etiam si res non sit euicta primo emptori. n. 4. Vbi tamen declaratur.

Negatiua debet probari per eum cuius fundamentum in negatiua consistit. nu. 2.

Venditor non tenetur de euictione nisi quatenus propter euictionem emptor careat re euicta. nu. 2.

Causæ secundariæ, & extrinsecæ non dabentur in consideratione. nu. 3.

DECISIO CCCCXXII.

1 FVit confirmata decisio in hac causa coram me facta sub die 16. Nouembris 1611. Ad primum motiuum decisionis, quod scilicet Nauis non fuerit euicta Magno Magistro emptori, sed cuidam Girulfo, qui emerat à Ioanne, cui vendidit Magnus Magister & proinde non possit magnus Magister agere contra Commendatarium Spinolam, qui sibi vendidit Nauem, nisi molestetur à Ioanne, ex *Bar. & Angel. in l. si pro re. §. si pro euictione. ff. de euict. cum alijs in decis. alleg.* respondebatur pro parte Magni Magistri, quod illa conclusio non habet locum, quando emptor non simpliciter subuendidit, sed aliquod ius sibi reseruauit in re vendita, tunc enim potest emptor, sequuta euictione agere contra illum, qui sibi vendidit etiam

si non

si non molestetur ab eo, cui postea vendidit, & à quo res fuit euicta, *vt in dicto.§. si pro euictione.Bar.Bald.Vbi etiam add.ad glo.verbo agere. Alex.cons.67.num.5. lib.2.* in proposito autem casu Magnus Magister vendidit Nauem Ioanni habita fide de pretio cum obligatione omnium bonorum ipsius Ioannis, pro complemento contentorum in emptione, sub qua obligatione omnium bonorum Ioannis venit & ipsa Nauis, & consequenter videtur, quod Magnus Magister donec fuisset sibi solutum pretium reseruauerit sibi ius reale super dicta Naui.

2 Verum ista responsio non placuit Dominis ex pluribus, primo quia non apparet Magnum Magistrum minime consequutum fuisse pretium à Ioanne, quæ negatiua est per illum probanda, cum sit fundamentum eius intentionis ad cumulata per *Gabr. titul. de prob.concl.6.num.1.cum pluribus seqq.* Secundo quia non sufficeret probare minime solutum pretium, nisi appareret facta diligentia de illo habendo, vt quod Magno Magistro alibi, quam super ista Naui satisfieri potuerit, cum enim Magnus Magister sibi non reseruauerit particulare ius super ista Naui, ita demum ex euictione Nauis videtur pati damnum, si aliunde sibi satisfieri non potest. Tertio quia Doctores in contrarium allegati deberent intelligi de euictione, iusta ad *l.4.§.condemnatum.ff.de re iudic.* etenim ex euictione iniusta non patitur damnum Magnus Magister, cum remaneat sibi salua sua hypotheca super Naui vbicumque illa sit, euictio autem, de qua agitur, fuit iniusta, cum Commendatarius iam soluisset debitũ, pro quo fuit euicta Nauis, vt fuit firmatum in alijs decisionibus in hac causa factis. Quarto dicebatur per aliquos ex Dominis, quod dato, & non concesso, quod euictio fuisset iusta, ad huc non teneretur Cõmendatarius ex hoc solum, quod per Ioannem non satisfiat Magno Magistro de pretio Nauis, etenim carentia pretij in Magno Magistro non prouenit ob euictionem Nauis, sed à proprio facto, quia habuit fidem de pretio emptori minus idoneo ad soluendũ ignorando illius conditionem, contra not. *in l.qui cum alio.ff.de reg. iur.* venditor autem non tenetur de euictione, nisi quatenus propter euictionem emptor careat re euicta. *tex.est in l.si seruus.§.idem Iulianus.ff.de euict.*

3 Et licet posset dici, quod si Nauis non fuisset euicta Magnus Magister facilius consequeretur suũ pretium, attamen videbatur, quod istæ causæ tanquam secundariæ, siue extrinsecæ non sint habendæ in consideratione ad not. *in l.verum. la 2.ff. de furt.in l.socium qui in eo.in fin.ff.pro socio.gl.in fi. in c.quamuis .de pactis.in 6.Bal.in l.ex placito.nu.1.C.de rer.permut.Felyn.in c.quæ in Ecclesiarum. num.4. de constit.Sarn. ad reg.de iur.quæs.non tollen.quæst.3.in princ.* vltra quod obiectum quo ad omnia tollitur ex facto, quia Commendatarius recuperauit Nauem, & illam restituit Girulfo, cui vendiderat Ioannes. Vnde non potest Magnus Magister allegare, quod per euictionem Nauis patiatur damnum in recuperatione pretij.

4 Secundo contra idem primum motiuum dicebatur, quod non habet locum, quando emptor stipulatur pro se, hæredibus, & successoribus, quia tunc potest agi etiam si res non sit euicta primo emptori, vt in Mediolanensi bonorum.24. Ianuarij 1596. coram Illustrissimo Arigonio, sed ad hoc fuit responsum, quod illa decisio non dicit, quod primus emptor possit agere pro euictione sequuta in persona successoris antequam à predicto successore molestetur, sed tantum dicit, quod singularis successor in casu euictionis potest agere contra primum venditorem, si primus emptor stipulatus fuit non solum pro se, sed etiam pro successoribus. Verum iste non est casus, quia non est Girulfus successor, à quo Nauis fuit euicta, sed ipse Magnus Magister primus emptor, qui agit. Vnde conclusio non applicatur, vltra quod, & ad hoc obstaret recuperatio Nauis facta per Commendatarium, de qua supra. Contra alia motiua decisionis nihil fuit deductum, quod Dominis non videretur sublatum per responsiones ibi datas. Vnde etiam ex illis permanserunt in decisis.

R. P. D. PIROVANO.

Romana Sancti Thomæ, Lunæ 14. Ianuarij 1613.

ARGVMENTVM.

Quasi possessio conferendi beneficia acquiritur per vnicam collationem effectuatam, & etiam factam vigore resignationis. Et de Cardinale Titulario quando habeat ius conferendi Beneficia in sua Ecclesia alio existente in possessione conferendi eadem Beneficia.

SVMMARIVM.

Quasi possessio conferendi beneficium per vnicam collactionem effectuatam requiritur. nu.1.

Quasi possessio conferendi beneficia acquiritur per vnicam collationem effectuatam, etiam quod d. collatio fuerit facta in vim resignationis. nu.2.

Cardinalis Titularius habet de iure ius conferendi in sua Ecclesia. Hæc tamen iuris assistentia non sufficit quando probatur alium esse in possessione. nu.3.

Clausula decreti irritantis non operatur, quando non est opposita super certo corporo beneficij. nu.5.

Clausula sublata non operatur suum effectum nisi postquam fuit cognitum intrare dispositionem, in qua est apposita d. clausula. nu.5.

Clausula Beneficij facta sine scientia, & patientia illius ad quem beneficium spectat quando valida sit. nu.6.

Possessorium non potest expediri sine petitorio, quando possessio recipit fomentum à petitorio, & ab eo necessariam cognitionem requirit. nu.7.

DECISIO CCCCXXIII.

1 Fvit resolutum dandum esse Illustrissimo D. Cardinale Montalto mandatum de manutenendo in possessione conferendi Ecclesiam S. Thomæ in Parione. Quia constat de eius possessione ex collatione per eum facta, & effectum sortita est de d.Ecclesia in persona Angeli vsque de anno 1592. quæ etsi vnica sufficit ad acquirendam possessionem *cap.cum Ecclesia Sutrina.de caus.poss.& propriet. vbi Rip.nu.52.& 53. Abb. nu.23.Dec.cons.215.nu.50.*

2 Et quamuis doceatur de effectuatione per resignatarium per quam Rota aliquando non adhæsit, *Old.in consil.229.* cum potuerit resignare, seu cedere ius, quod habere prætenditur, vt fuit dictum in Taruisina die 26. Febr.1586. coram Cantuccio, & in Albanen.Prioratus 29. Nouembris 1586. coram Orano. Tamen postea illa opinio non fuit recepta, & contrarium firmauit in pluribus alijs causis, signanter in Reatina beneficij coram bon. mem. Seraphino 10. Iunij 1577. & in Papien. Archipresbyteratus 19. Februarijs 1601. coram bon.mem.Cardinale Pamphilio, & allegatæ decisiones coram Cantuccio, & Orano videntur loqui, quando resignans non est possessor, dum dicunt, quod potest non possessor resignare, sed cum Ang. resignans acceperit possessionem, vt ex instrumento quod datur, & permutauit Parochialem cum beneficio simplici, vtique effectuatio ostenditur tam per resignationem, quam per obitum, vt in Pientina iuris patronatus. 28. Ianuarij 1608. coram R. P. Domino Coccino.

3 Non obstat, quod Ecclesia S.Thomæ sit titulus Illustris-

Illustrissimi Cardinalis Madrucij, cui propterea competit ius conferendi de iure communi. *cap.his, quæ vbi Abb.nu.1. de maiorit. & obed.* Nec enim iuris assistentia sola non est sufficiens ad obtinendum mandatum de manutenendo, quando probatur alium esse in possessione. *Capic.dec.189.nu.1.& 3.Rot.dec.81.par.1.diuers. num.1.* & fuit dictum in Constant. iurisdictionis coram Reuerendiss. Attrebaten. Mercurij 18.Maij 1611. ac in causa Montis regalis coram R. P. D. Decano 4. Nouembris 1598. vltra quod ad effectum collationis non attenditur proprietas, sed possessio, cum collatio vti fructus ad possessionem pertineat. *Rot. dec.14. de iure patr. in antiq.*

4 Nec suffragatur indultum eiusdem Card.Madrucij cum clausula sublata, & decreto irritanti, quia indultum non est in specie de Ecclesia S. Thomæ in qua Illustriss.Card.Montaldus est in possessionem vti Titularis S.Laurentij in Damaso, sed in genere ratione Ecclesiæ, quæ prima vice, vel deinceps illius loco assignabitur, & sicuti per erectionem in titulum Cardinalibus de dicta Ecclesia non censetur factum præiudicium tituli S.Laurentij *c.2.Vbi gl.& Abb. de relig.dom. & in extrauag. Ioan.22. in vers.quia igitur,& ibi gl.in verb. obtinebant.de concess.præb.Put.dec.264. in fin.lib.2.*

5 Ita nec per superuenientiam indulti plus iuris censetur translatum quam in erectione fuerit concessum, & ideo cessat virtus decreti irritantis tanquam non appositi super certo corpore beneficij. *Gab. de clauf.conclus.7.numer.15. Rot.diuers.dec.56. lib.2. par.3.* & clauf.sublata tunc demum operatur suum effectum, postquam fuerit cognitum intrare dispositionem, & consequenter ius conferendi. *Gab.de clauf.concl.3.num. 82.* & Rot. sæpe declarauit signanter in causa Parmen. prioratus coram Orano 16.Febr.1598. & coram me in Leodien.Canonicatus. 22. April. 1611.

6 Ex quibus tolluntur etiam quæ dicuntur de scientia, & patientia ipsius titularis, quia dum non constat, quod collatio ad eum spectet non etiam requiritur eius patientia, & scientia ad acquirendam quasi possessionem. Ripa post alios. *in c. cum Ecclesia. nu.64.in 2. & 3.fallent.de caus.poss.& propriet.*

7 Demum non obstat, quod propter necessariam cognitionem maritorum possessio non videatur manutenibilis, sed vtrumque terminandum simul, & semel vt alias fuit resolutum in Bracaren. de Iansij coram Reuerendiss. Damasceno. 15. Iunij 1604. in qua aliæ decisiones allegantur. Hæc enim conclusio procederet si possessio titularis S. Laurentij in Damaso præsupponeret necessariam cognitionem meritorum propter qualitatem possessioni inhærentem, vt consideratur in allegata decisione, secus est, vt in casu de quo agitur, vbi possessio non recipit Conuentum à petitorio, sed est de per se releuans ad effectum manutentionis.

R. P. D. VBALDO.

Romana Fideicommissi de Vldonis. Veneris 16. Ianuarij 1613.

ARGVMENTVM.

Linea posita in conditione, vbi est vocata, censentur vocati omnes descendentes tam ex masculis, quam ex feminis, maxime concurrentibus coniecturis, quarum plures enumerantur, & tunc tales descendentes succedunt iure proprio, non autem iure transmissionis, & an ex verbis Ancorche, &c.

SVMMARIVM.

Verba, quæ suspendunt dispositionem in aliquod futurum tempus, incertam faciunt conditionem. num.1.

Lineæ appellatione veniunt omnes descendentes, etiam ex feminis. nu.1.

Positi in conditione ex statuto Vrbis censentur vocati. nu. 1. & 2.Vbi maxime concurrentibus coniecturis, quarum plures ibi recensentur.

Dictio, ancorche est implicatiua, aliquando tamen habet implicitam conditionem, quando suspendit conditionem ad aliquod tempus futurum incertum, quia tunc videtur stare pro quando. nu.3.

Positi in conditione, quando sunt vocati, censentur vocati iure proprio, non autem iure transmissionis, nec attenditur, an ij, qui eos præcedebant, decesserint ante grauatum, num.4.

DECISIO CCCCXXIV.

1 PRobata descendentia Andreæ, & Magdalenæ à Io. Antonio, testatore ad cuius bona à tertijs possessa prætendunt se vocari, nec non probato obitu personarum, qui ante ipsos vocabantur, vt fuit resolutum in decisione in hac causa facta die 20.Iunij præteriti. Hodie proposui dubium super effectum restitutionis bonorum in illa decisione reseruatum. Et Domini vtraque parte informante dixerunt esse locum dictæ bonorum restitutioni ad fauorem dictorum Andreæ, & Magdalenæ filiorum Lucretiæ neptis ex filia testatoris, qui quidem vocatis prius filijs masculis, deinde feminis, earumque filijs superstitibus tempore testamenti, demum vocauit locum pium, sed cum præambulo horum verborum. *Et anchorche fosse scorta questa linea, voglio, &c.* Et sic lineam posuit in conditione. Quandocumque enim verbum, vel aduerbium suspendit dispositionem in aliquod futurum tempus incertam facit conditionem. *l.sufficit.in fin.ff.de condict. indeb.Bart.in l.1.nu.15.& 17.ff. de condict.& demonstr. Alexand.numer.2. lib.1.conf.109. num.5.lib.7.* Lineæ autem appellatione veniunt omnes descendentes. *Anchar. conf.95.num.7. Bursat.conf.243. nu.4. lib.3. Bald.conf.344. num.9. & seq. lib.3.* Et cum non fuerit à testatore qualificata nominando lineam paternam, maternam, vel auctam, non videtur dubitandum, quin filij etiam Lucretiæ dicantur de linea testatoris, vt fuit consideratum in causa Auximana hæreditatis quarta Iunij præteriti Reuerend. Pat. Domino meo Pirouano, & consequenter vocati tanquam positi in conditione *ex statuto Vrbis. lib.1.c.142.Gabr.conf.115.num.1.& 2.lib.1. Menoch.præsumpt.76.nu.83.lib.4.*

2 Tanto magis concurrentibus alijs coniecturis, videlicet substitutione loci pij, quæ censetur facta vltimo morienti, de dicta linea, quæ propterea censetur vocata, *Anchar.conf.74. nu.2. in fin.Ruin.conf.139 nu.7.& seq.lib.3.* cum præsertim agatur de descendentibus testatoris. *Tut. decis.215. nu.1.lib.3.Illustrissimus Mantic.de coniect.vlt.volunt.lib.11.tit.3 numer.1.* Accedit degressio ad plures gradus substitutionum. *Thesaur.decis.96.n.15. & seq.Menoch.d.præsumpt.76. nu.53.* Vbi quod habet locum concurrente alia coniectura quamuis leui. Præterea adest etiam prohibitio alienationis. *Mantic. vbi supra num. 14.* cum clausula omni meliori modo. *Put. d.decis.215.in fin.lib.3.*

3 Non obstat, quod illa verba, Ancorche fossi scorta questa linea, non videantur importare conditionem, sed potius esse implicatiua. *Corn. conf.42. num.10. lib.3.* cum alijs allegatis. Quia fuit responsum, Doctores allegatos asserere naturam illius dictionis, Ancorche vel quamuis esse implicare casum maiorem, vel parem, sed non impugnant quin possit habere implicatam conditionem, quando suspendit conditionem ad

nem ad aliquod tempus futurum incertum. Quo casu videtur stare pro quando, & sic importat conditionem. *Bart. in d. l. 1. nu. 17. ff. de cond. & domonstr.* alias si sic implicaret, vt de dictione etiam tradunt communiter Doctores, *in l. qui se patris, C. vnd. lib.* sequeretur absurdum, vt pia causa erat vocata, & linea non extincta qui esset casus implicitus.

4 Non obstat, quod substituti in testamento nominati decesserint omnes ante Dominicum vnum ex hæredibus institutis, & sic videatur caducata substitutio, quia admisso, quod filij Lucretiæ tanquam positi in conditione censeantur vocati ex supradictis, illi dicuntur vocati etiam iure proprio non solum iure transmissionis, & ideo non attenditur, quod qui eos præcedebant decesserint ante grauatum, vt optime declarat *Gabr. cons. 115. numer. 10. & seq. lib. 1. Paris. cons. 66. num. 75. & seq. lib. 3. Modern. in tract. an, & quando lib. condit. posit. in procem. num. 4. Mantic. de coniect. lib. 11. tit. 20. num. 7. Modern. de fideicommis. Art. 28. num. 25. versic. sed ego.* Vltimo vnus ex Dominis considerabat cessionem factam à loco pio substituto ad fauorem Andreæ Magdalenæ, de qua constat per publicum instrumentum. Vnde inferebat, quod prædicti aut sunt vocati ex supra allegatis, & debetur sibi immissio, aut non sunt vocati, & cum sit factus locus substitutioni ad fauorem loci pij, competit ei immissio vigore dictæ cessionis. Et ita fuit conclusum Andreæ, & Magdalenę bona esse restituenda, de quorum identitate satis constat ex testibus in Summario decisis.

R. P. D. PIROVANO.

Romana Affictus. Mercurij 23. Ianuarij 1613.

ARGVMENTVM.

Partitarum multiplicatio non præsumitur, & qui eam allegat probare debet, & quid si summa est eadem, & eadem causa.

SVMMARIVM.

Quietantiæ solutionis pecuniarum quotquot sunt solutiones probant, nu. 2.

Quietantiarum duplicationem allegans, illam probare debet, nu. 3. & 4. in fin.

Præsumptionum multiplicatio euitari debet, numero 3. in fine.

Multiplicatio partitarum præsumitur quando concurrit, identitas summæ, & identitas causæ, nu. 5.

Excipiens debet plene, & concludenter, non autem præsumptiue probare suam exceptionem, nu. 6.

DECISIO CCCCXXV.

1 Dominus Tancredus Petrucius vti conductor Casalis della Bottachia Dominorum Francisci, & Laurentii fratrum de Bisciis in causam sui Affictus soluit summam Scut. 2317. 50. conflatam ex octo partitis inter quas aderat vna Scutorum 34. pro pretio rubrorum decem hordei, & altera Scutorum 205. 50. pro pretio rubrorum sexaginta pariter hordei, sub data diei 3. Septembris 1607. die autem 4. eiusdem mensis solus Franciscus quietauit Tancredum pro pro summa Scutorum 518. 30. pro extinctione mutui, & die 5. immediate sequenti Franciscus, & Laurentius aliam quietationem fecerunt pro Scutis 1800. asserentes, quod in illis Scutis 1800. computabantur sexaginta rubra hordei prædicti. Et cum Tancredus solicitaretur pro paga, seu termino Augusti ad docendum se non esse debitorem, calculauit ex conflatis summis eas, quę per manus nummulariorum solute reperiebantur & pro quibus aderant confessiones de recepto ipsorum fratrum ac etiam eas Scutorum 518. 30. & 1800. Ceterum quia prædictæ duæ partitæ videbantur esse eiusdem quantitatis cū illa Scutorum 2317. 50. ita vt intraret præsumptio duplicationis, fui contra Tancredum vigore obligationis Cameralis relaxatum mandatum quod Rota fratribus solum informantibus, sub die decima sexta Martii præteriti censuit esse exequendum.

2 Dubio per me iterum proposito strictè An partita Scutorum 2317. 50. comprehenderet duas quietantias Scutorum 518. 30. & Scutorum 1800. negatiue fuit responsum. Habet enim Tancredus fundatam intentionem in quientantiis, quæ quotquot sunt, tot solutiones probant. *l. quinquaginta. in fine. ff. de probat. l. si is qui ducenta. in princip. ff. de rebus, dub. leg. cum centum. ff. de adim. leg. gloss. in l. non casu. Cod. de discuss. libr. 10. quod maxime firmant Bart. Ias. & Alex. in l. triticum, ff. de verb. obligat. Crauet. consil. 282. numer. secundo, Menoch. post alios de arbitr. casu 213 num. 11. & seqq.* quando non concurrit eadem causa, prout est hęc causa affictus, quæ dicitur multiplicabilis respectu terminorum, & quando summę non conueniunt cū quietantiæ octo partitarum diuersas summas contineant ab eis quæ sub diebus 4. & 5. Septembris 1607. expressæ fuerunt.

3 Ex quibus sequitur asserentes duplicationē quietantiarum teneri id probari iudici, vt dicit *text. in d. leg. quinquaginta, in fine, ff. de probat.* quam fratres de Biscijs probasse non videntur. Nam probatio, quæ deducebatur ex conuenientia summarum visa est admodum incerta, ęquiuoca, ac diuinatiua, cum pro ea firmāda pręsupponeretur ex libro Tancredi, & schedulis in eorum libro repertis, ac recognitis constare octo partitas fuisse restrictas in Scutis 2317. 50. & eandem summam super parua schedula fuisse transcriptam, & diuisam in duobus numeris videlicet 515. & 1802. 50. quæ conueniebant quietantiis mutui Scutorum 518. & 30. ac Scutorum 1800. diebus immediate sequentibus per dictos fratres firmatis. Huic inquam ponderationi fuit dictum primo obstare, quod illæ schedulæ non videbantur tales, vt ex eis posset haberi certa veritas illorum numerorum, ac eorum subtractionum, & ex qua causa id factum fuisset. Secundo respectu mutui Scutorum 518. 30. summa decrescit in Iuliis 23. quia scriptum est 515. respectu autem Scutorum 1800. summa augetur, quia annotatum est 1802. adeo quod neutra conueniebat, & quamuis pro expensis mandati posset saluari in quietantia mutui, in qua fit mentio de impensa mādati, quod idem dici non potest in quietantia Scutorum 1800. quæ præsupponit augumentum, & nullū verbum de expensis mandati, & propterea cum ad saluandum difformitatem in vna esset præsumenda remissio expensarum mandati, in alia exactio, necessario admittēda veniebat multiplicatio præsumptionum, quę tamen solet euitari, vti regulis iuris contraria, *l. 1. C. de dot. promiss. Ruin. cons. 151. num. 19. libr. 4. Menoch. lib. 1. præsumpt. 43. nu. 6.*

4 Tertio videbatur Dominis magis conuenire interpretatio, quę per Tancredum afferebatur numeris prædictis, dum asserebat ea de causa diuisisse numerum 2317. 50. in numeros 1802. & 515. vt separaret solutiones factas per nummularios pro quib. aderat confessiones ipsorum fratrum, à solutionibus per ipsummet factis quę sine cautione remanebant, vt inde ex eis, cum aliis soluendis vsque ad numerum Scutorum 1800. quietantiam reciperet, nam in aceruo octo partitarum colligebantur quatuor summę sine cautione in totum Scutorum 559. quibus in alijs calculis fuit detracta partita Scutor. 34. pro decem rubris

bris hordei, & alia Scuta 12. pro diminutione pretii illorum sexaginta rubrorum hordei, ita vt cum impensa Iuliorum 20. facta per Tancredum pro vectura consignationis dicti hordei remaneret in puncto sūma concordata in Scutis 515. Postremo obstabant verba ipsiusmet quietantie Scutorum 1800. legitur naque confessio Scutorum 1800. computandosi rubbia sessanta d'orzo hauuti per seruitio di casa nostra: hæc autem inclusio partitæ erat ex octo supranarratis, & arguit exclusionem alterius rubrorum decem pariter inter eas comprehensæ, vulgata *l. ait prætor. de iudic. l. statuliberum, §. Stichum, de l.2.* vltra quod per Tancredū concludenter probatur de dictis rubris decem habitam fuisse rationem in aliis calculis, ergo si non est comprehensa oritur difformitas magna, quæ saluari non potest ad sustinendam duplicationem, quod est principale fundamentum ipsorum fratrum adhuc nō firmatum, prout necessari o tenebantur *l. 1. & 2. de except. l. 2. ff. de prob. cum vulgar.*

5 Ceteræ autem presumptiones visæ sunt Dominis admodum leues. Et prima quod quietantiæ non loquantur de vera numeratione, sed de recepto, ita vt facilius comprehendere præsumantur partitas paulatim solutas, ex *Bart. & alijs in l. triticum, ff. de verb. oblig.* fuit dictum præsumptionem posse deseruire, si concurreret paritas summæ, & eadem causa, quia tunc confessio staret in vim probationis non autem pro dispositione vt dicit *Bar. sub numer. 4. & bene declarat Zasius in dict. leg. triticum. numer. 13. & 15.* secus vero quando prædicta cessant, prout cessare supra fuit dictum.

8 Aliæ vero coniecturæ, nempe solutio in causam certam pro duobus terminis decursis, & ad computum termini, decurendi, quod arguat solidationem de prætterito, quæ cessaret, nisi admittatur duplicatio item annotatio omissa de partita Scutorum 1800. in libro Tancredi, cum tamen aliȩ omnes fuerint descriptæ, item qualitas ipsius Tancredi pauperis, & susceptio termini pro dilatione consequenda arguens necessitatem, & restringens liberalitatem anticipatæ solutionis, visæ sunt Dominis ex facto sublatȩ, vltra quod contra Tancredum, qui plene probauit suā intentionem, non videbantua sufficientes, cum illæ similiter debuissent plene probare exceptionem ipsorum fratrum. *Ægid. dec. 617. nu. 2. Rota diuers. 628. nu. 3. p. 1.* & in Firmana Beneficii coram bon. mem. Cardinale Pamphilio 13. Maii 1596.

R. P. D. MANZANEDO.

Romana Fideicommissi de Paluzzelis Mercurij 23. Ianuarij 1613.

ARGVMENTVM.

De facultate alienandi bona fideicommisso subiecta quandò possit alteri cedi.

SVMMARIVM.

Fideicommissaria bona alienari non possunt, & alienata vendicantur ab emptoribus, nu. 1.

Alienandi causa cessante cessare etiam debet ipsa alienatio, numer. 2.

Cessio non tranfert iura cedentis in cessionarium qui ad soluendum debitum proprium erat obligatus, nu. 3.

Cedere quis non potest ius quod non habet, nu. 4.

Dictio solum excludit omnem aliam personam, nu. 5.

Alienandi facultas data alicui personæ alteri cedi non potest numer. 5.

DECISIO CCCCXXVI.

1 FActa resolutione per binas decisiones constare de fideicommisso ad fauorem Francisci, & fratrum de Paluzzellis, cum illi instarent pro immissione in possessionem Casalis della Serpentara dicto fideicommisso suppositi, & ex aduerso Domini de Massa opponerent de illius venditione ipsis facta per Laurentium hæredem grauatum, dedi dubium, an dicta venditio Francisco, & fratribus obstaret, cui hodie proposito Domini negatiue respondendum esse censuerunt, namque stante dicto fideicommisso bona illi subiecta alienarinō poterant, *l. Marcellus, §. res quæ ff. ad Trebellian. l. 2. §. sed quia, & Auth. res quæ. C. commun. de legat.* & alienata possunt per fideicommissarios ab emptoribus vendicari. *Roland. consil. 71. num. 1. lib. 2. Honded. consil. 70. numer. 16. libr. 2. Menoch. cons. 105. num. 88. libr. 1.*

2 Quibus non obstat licentia alienandi concessa à testatrice, quia illa fuit solummodo concessa Alexandro eius marito ad effectum, vt posset sibi satisfacere de suo quarto dotali, de quo tamen fuit aliunde satisfactus, quia dictum Casale ob minus dispendium hæreditatis, & Laurentij pupilll fuit per tutores locatum ad nouennium, & conductor anticipate soluit Scuta 1200. quæ habuit Alexander pro dicto quarto. Vnde post illius satisfactionem non potuit Laurentius Casale vēdere prætextu dictæ licentiæ, quæ cessante eius causa amplius suffragari non poterat *l. peto Luci Titi. §. prædium. ff. de legat. 2. Bald in l. 1. §. & ideo videtur. nu. 3. ff. de offic. e ius. Tiraq. in tract. cessan. caus. par. 1. nu. 103. Surd. dec. 173. nu. 11.*

3 Nec obstat, quod Alexander cesserit iura, & sic dictam licentiam ad fauorem Laurentii, quia fuit responsum, quod cum Laurentius tanquam Isabellæ hæres teneretur ad satisfactionem Alexandri de dicto quarto, dicitur soluisse proprium debitum, & per consequens cessio facta ad eius fauorem non potest operari translationem iurium, cum pro dicto quarto non possit sibi ipsi esse obligatus, sed solummodo habet vim quietationis, & liberationis, *Salic. in leg. 1. nu. 27. C. de act. & oblig. Ruin. cons. 88. nu. 6. libr. 5. & cons. 17. num. 8. lib. 4. Peregr. de fideicom. art. 52. num. 34. Rot. diuers. 123. nu. 8. par. 2.*

4 Vltra quod in cessione prædicta facultas alienandi nullo modo comprehenditur, cum fuerit data Alexandro ad effectum sibi satisfaciendi de dicto quarto, de quo cum tempore cessionis iam esset satisfactus illam amplius non habebat, nec consequenter cedere poterat. *l. nemo plus. iuris. ff. de reg. iur. l. Modestinus, vbi Bart. num. 4. & Castrens. num. 6. ff. de solut. Surd. decision. 308. num. 8.*

5 Præterea facultas alienandi concessa Alexandro fuit personalis, & restricta ad eius personam, cum in ea tantummodo de dicto Alexandro fiat mentio, & eius solum fauorem respiciat. *Natt. consil. 163. num. 7. Bursat. cons. 281. num. 27. lib. 3.* iuncta dictione, solum, quæ omnem aliam personam præter Alexandrum excludit. *l. his solis. C. de reuoc. donat. Soc. cons. 198. num. 1. vol. 2.* & propterea cedi, & in alium transferri non potuit, *l. qui hæredem in princ. ff. de cond. & demonstr. leg. Stichum, §. vsumfructum. ff. de solut. Ias. in l. si stipulatus fuerim. 76. in princ. in 1. notabil. & ibi Doctor. & Angel. numer. 2. ff. de verb. oblig. Tiraquel. de retract. lignag. §. 26. gloss. 1. num. 60. & seq.*

6 Quod autem dicebatur, Laurentium potuisse alienare dictum Casale ob varia credita, quæ habebat in hȩreditate Isabellȩ, & occasione suȩ legitimȩ, Domini reliquerunt particulariter videndum.

R. P. D. VEROSPIO.

Lucana Molendini. Mercurii. 24. Ianuarii. 1613.

ARGVMENTVM.

Potest iudex, quando articuli sunt distincti, pronunciare super vno reseruato alio, & ita etiam Rota facere consueuit.

SVMMARIVM.

Sententia potest ferri super vno articulo, reseruato alio, quādo articuli sunt inter se distincti. nu. 2. & 3.
Sententiæ tot dicuntur, quot sunt Capitula. nu. 2.
Rota non solet multiplicare sententias diffinitiuas, sed simul, & semel totum negotium terminare. Declara, vt numer. 3. & 4.

DECISIO CCCCXXVII.

1 QVidam de Brauijs habebant in emphyteusim perpetuam Molendinum Ecclesiæ S. Miniati, quod corruit de anno 1603. sicut pariter anno sequenti domus extra aquam illi annexa pro vsu, & habitatione Molendinarij cecidit. Vnde cum fuisset coram bon. mem. D. Pegna triplici decisione firmatum, dictos de Brauijs teneri ad primum damnum, & sic ad Molendini refectionem non habita tunc respectu ad ipsam domum, postea collapsam, ego in locum D. Pegnæ subrogatus, dubitaui an stantibus DD. decisionibus esset ferenda sententia supradicta ruina anni 1602. reseruato iure cognoscendi super alia de anno 1603. & DD. affirmatiue responderunt, ex eo moti, quod istæ ruinæ sunt omnino separatæ tanquam diuerso tempore, & ex diuersa causa subsequutæ, vt deponunt testes, quod euidentius apparet cum hodie reperiantur oblatores qui velint dictum Molendinum pro eodem pretio conducere, in ea tantum parte reaptatum, quæ corruit de anno 1602. absque eo, quod domus de anno 1603. diruta reædificetur. Vnde infertur vnam ruinam esse ab alia separatam, & sic vnam partem posse refici absque altera tanquam ab illa diuersam.

2 Ex quibus intrare videtur conclusio recepta, quod plures articuli quando sunt inter se omnino distincti si de vno liquet potest super illo ferri sententia, alio reseruato, vt per *Imol. in cap. cum inter. il 1. num. 3. de elect. Butr. ibid. num. 31. Felin. in cap. cum inter. num. 6. vers. fallit primo de re iud. vbi Bald. nu. 8. in fin. vers. tamen si capitula. Zabar. nu. 2. cap. fin. versic. aut sunt separata. Bellam. num. 10. versic. si separata Innoc. num. 3. vers. si plura Capitula. Bart. in leg. 1. num. 1. vers. quid dicemus. C. si aduersus rem iudic. Vbi Paul. de Castr. num. 8. vers. sed si ex diuersis causis. Angel. num. 1. versic. & istud est verum. Salic. num. 3. vers. quandoque Iudex. Iacob. de Sancto Georgio. num. 2. versic. Fallit tamen. Cyn. num. 4. Iacob de Aren. num. 1. versic. si vero sunt* plura capitula, quia tot dicuntur sententiæ, quot sunt *Capitula. Zabar. loco supra citato. Bellam. Ibidem. nu. decimo, Castrens. in dict. leg. prima, num. 8. Cod. si aduers. rem iudic. vbi Salicet. num. 3. Iacob. de Aren. num. 1.* Ideo cum ruina. anni 1602. sit ab alia sequenti anni diuersa poterit secunda omissa, super prima tantum ferri sententia.

3 Nec vero obstare, quod Rota non soleat multiplicare sententias diffinitiuas, sed simul, & semel totum negotium terminare. Id enim procedit, quando articuli sunt inter se ita connexi, vt vnius terminatio pareat in aliis exceptionem rei iudicatæ. *Capic. dec. 122. in fin. Lancellot. de attent. cap. 4. limit. 2. nu. 88.* In causa autem nostro licet feratur sententia pro refectione Molendini quo ad ruinam anni 1602. non tamen quo ad aliam anni 1603. pariet ex suprascriptis exceptionem rei iudicatæ, cum ex diuersis de vno ad aliud nō inferatur. *l. fin. & ibi. not. ff. de calumniat. l. neque natales. C. de probat.*

4 Vltra quod Rota etiam consueuit à dicto stylo recedere ex aliqua rationabili causa. Primo in casu nostro, in quo de maximo. Ecclesiæ detrimento agitur. Hæc enim à multis annis nullum habuit redditum ex d. Molendino, & cum articulus de anno 1603. non facile possit expediri, & hodie reperiuntur qui refecto solum damno primi anni sed obligente ecclesiæ eundem redditum soluere. Visum fuit Dominis posse super ruinam tantum anni 1602. pronunciari.

R. P. D. PAMPHILIO.

Bononien. Legati. Lunæ 28. Ianuarij. 1613.

ARGVMENTVM.

Legatum dotis vbi debetur etiam ingredienti monasterium, tunc demum debetur, si illud monasterio quæratur, ita vt non possit per legatariam in alium transferri.

SVMMARIVM.

Testatoris mens potius, quam verba attendi debet. nu. 1.
Legatum conditionale non debetur, nisi purificata conditione. nu. 2.
Legatum conditionale non potest in alium transferri. num. 2.
Legatum dotis debetur, etiam si legataria monasterium ingrediatur. nu. 3.
Dic tunc demum id habere locum si legatum quæratur monasterio alias non potest legatum ad extraneum transmitti. n. 3. & nu. 6.
Legati conditionalis dominium purificata conditione statim in legatarium transfertur. nu. 4.
Fallit in legato dotis, quod purificata conditione nuptiarum, nisi conuertatur in causam dotis in alium cedi non potest. num. 4.
Filiæ præsumuntur magis dilectæ, quam neptes. nu. 5.
Legatum dotis filiæ integrum debetur, licet filia fuerit nupta à fratre cum minori dote. nu. 6.

DECISIO CCCCXXVIII.

1 POst resolutiones in hac causa factas coram Reuerendissimo Domino Bononien. sub die 16. Martij, & 17. Decembris 1607. nempe legatum dotis Scutorum duorum millium auri factum à Matthæo Amorino filiabus Iulij Cæsaris, & Alexandri ipsius ex fratre nepotum esse conditionale, si filiæ nupserint, nec deberi, nisi secutis nuptijs illudque deberi dictis filiabus non solum in casu nuptiarum temporalium, sed etiam spiritualium per ingressum Monasterij, & professionem in eo emissam fuit pluries per bon. me. D. Pegnam propositum dubium, an huiusmodi legatum debeatur etiam, si in causam dotis non conuertatur, ita vt parentibus, vel aliis potuerit cedi, & nunquam resolutum. Vnde cum per illius obitum fuerim in causa subrogatus supradicta die idem dubium proposui, & Domini resoluerunt legatum non potuisse cedi. Ratio autem præcipue resolutionis fuit, quia dictum legatum Scutorum duorum millium fuit factum in causam dotis, & omnia alia bona testator arctissimo fideicommisso supposuit pro conseruatione agnationis, vt expresse legitur in eius testamento, ex quo arguitur, mentem testatoris fuisse, quod legatum non possit in extraneos transmitti ex alia causa, quam matrimonii, nec debeatur, nisi in causam dotis conuertatur, quæ mens in hac materia potius, quam verba

verba attendi debet *l. pater Seuerinum, in princ. vers. respondi. ff. de condit. & demonstr. & primum locum obtinet l. in conditionib. in princ. ff. eod. tit. Corn. cons. 41. nu. 150. libr. 3. Socin. iun. cons. 110. num. 10. lib. 3.*

2 Id eoque cum huiusmodi legatum sit conditionale nec debeatur, nisi purificata conditione, vt firmauit Rota sub dicta die 17. Decembris 1607. hinc sequitur quod nec etiam possit in alium tranferri. *l. vnica. §. sin autem aliquid sub conditione, C. de caduc. tollend. Bero cons. 28. nu. 5. lib. 1. Card. Mantic. de coniect. vlt. volunt. libr. 11. tit. 22. num. 48. & seq.*

3 Nec obstat, quod huiusmodi legatum dotis debeatur etiam si dictæ, filiæ contrahant nuptias spirituales per ingressum monasterij. *§. sed & hoc præsenti. auth. de Sanct. Episcop. auth. nisi rogati. C. ad Trebell. cum alijs adductis per Men. hac in causa consil. 555.* & coram Reuerendissimo Domino Bonon. sub die 16. Martii 1607. quia fuit responsum, id procedere ex dispositione legis, *in d. §. sed & hoc præsenti. auth. de Sanct. Episcop. Laderch. Imol. consil. 152. num. 3.* quæ tunc demum habet locum, si legatum quæratur monasterio, cuius fauore emanauit *Paul. de Castro in d. auth. nisi rogati. nu. 5. vers. item quæro, & ibi Bald. num. 20. vers. item quæro, quod si ingrediens, C. ad Trebellian. Card. Mant. de coniect. vltim. volunt. dict. lib. 11. tit. 7. num. 14. Dec. consil. 259. num. 6. in fin. vers. & remoto, vbi de communi. Menoch. de præsumpt. libr. 4. præsumpt. 83. num. 72.* Vnde fit, quod cessante fauore Monasterij nullo modo possit legatum per filias ad extraneos transmitti, neque cedi, ad *l. cum Patronus ff. de leg. 2.*

4 Minus obstat, quod dicebatur, legatum secutis, nuptijs per ingressum Monasterij fuisse effectum patrimonium mulieris, ex quo purificata conditione statim in legatarium dicitur translatum domium rei legatæ, de qua propterea ad libitum disponere potest. *l. à Titio. ff. de furt. §. illud autem. de Monach. Bero. consil. 40. num. 3. & 4. libr. 1.* quia id non procedit in casu isto in quo legatum est factum in causam dotis, & sub cōditione, si filiæ nupserint, quod propterea cedi non potest tam attenta dispositione legis, quam testatoris. Nam ex dispositione legis, licet dos debeatur etiam in casu nuptiarum spiritualium, tamen hoc procedit quatenus applicetur Monasterio ex proprio illius priuilegio, quod alteri non prodest, vt dictum, est secundum vero dispositionem testatoris dicendum est, quod aut testator in casu isto ingressus Monasterij nō disposuerit. *Laderch. Imol. d. cons. 152. numer. 3.* aut ex quo voluit bona conseruari in agnatione censetur etiam voluisse, quod si dictę filiæ efficiantur Moniales ex dictis bonis, detrahatur solum dos congrua, & necessaria, & quod reliquum remaneat in hæreditate non autem quod dotes huiusmodi possint cedi ad euersionem fideicommissi.

5 Quod etiam suadetur, quia testator neptibus ex filijs, quæ in aliquo Monasterio Moniales fient, reliquit tantum Scuta 500. pro dote congrua, & necessaria, & Ludouicæ propriæ ipsius filiæ, quæ in Monasterio Sancti Ioannis Baptistę Monialis effecta fuit, dedit pro dote Scuta 250. tantum. Vnde verisimile, neptibus quoque ex fratribus in casu Monachationis dotes, tantum congruas, & necessarias dari voluisse, cum neptes minus dilectę præsumantur quam filiæ *l. cum acutissimi. C. de fideicom. Card. Mantic. de coniect. vltim. vol. lib. 12. tit. 17. nu. 27.*

6 Et hoc modo responderi etiam potest *ad l. cum pater §. pater certam. ff. de legat. 2.* nam ideo ibi legatum dotis filiæ integrum debetur, licet fuerit nupta à fratre cum minori dote, quia legatum ibi debetur ex dispositione testatoris facta contemplatione filiæ in casu autem isto matrimonij spiritualis dos debetur ex dispositione legis, quæ emanauit fauore monasterii tantum, & potius videtur detrahi præter, vel contra voluntatem testatoris, postquam, vt dixi, tendit ad destruendum fideicommissum, vel quatenus esset, posset dici legatum, in casu isto deberi ex voluntate testatoris, qui censetur se voluisse conformare cum dispositione iuris, vt tradit *Menoch. d. cons. 555. nu. 8.* ista erit voluntas limitata per iuris dispositionem, quatenus scilicet quæratur Monasterio iuxta opinionem *Paul. de Castr. in d. auth. nisi rogati. nu. 5. vers. item quæro. C. ad Trebel. cum alijs supr. allegatis.* Et sic patet dispositionem dicti §. pater certam casui, de quo agitur, applicari non posse. Cetera bene fuerunt sublata, in secunda parte discursus bon. mem. Pegnæ, facti de ordine sub die 12. Maij præteriti, cum aliis adductis per Informantes, cum quibus Domini transierunt.

R. P. D. PIROVANO.

Clusina Postæ Puteoli. Mercurij 23. Ianuarij 1613.

ARGVMENTVM

Confirmatio non auget, nec extendit confirmatum, vltra quod in eo continetur, & quid si in confirmatione adest clausula, & pro potiori cautela de nouo concedimus, & quid de clausula in omnibus & per omnia, præsertim relatiua ad aliam dispositionem.

SVMMARIVM.

Confirmatio de sui natura non extendit, neque auget confirmatum, vltra quod in eo continetur, num. 1.

Clausula relatiua operatur, vt dispositio, in qua est apposita sit limitanda, & restringenda, ne plus contineat, quam & expressum est, in relato, nu. 12.

Clausula in omnibus, & per omnia est relatiua, relationemque inducit absque aliqua differentia, nu. 2. & 3. Vbi de materia eiusdem clausulæ.

Relatio quantumuis vniuersalis intelligi debet referendo singula singulis, num. 3.

Princeps non præsumitur in concessione aliquid nouare in sui præiudicium admittendo nouas personas, nisi per hoc expresse dixerit, nu. 4.

DECISIO CCCCXXIX.

1 Fvit per Dominos resolutum Breue Iulii III. non obstare intentioui fundatæ per D. Marchionem à Cornea. In toto enim illius tenore nihil aliud agit Pontifex ille, quam prenarratis Indultis priuilegiis & Inuestituris per Paulum III. Cardinali Guido Ascanio, & fratribus, ac toti domui Sfortiæ concessis ea ex certa scientia, & Apostolicæ potestatis plenitudine approbare, & confirmare, & ideo cum neque ex verbis motus proprii, neq; ex confirmatione colligatur extensio ad personas in prima inuestitura nō expressas, sequitur dicendum, quod sicuti non obstat D. Marchioni tenor primæ inuestituræ DD. de Sfortiis, ita nec obesse poterit illius confirmatio, quæ de sui natura non extendit, nec auget confirmatum vltra quod in eo continetur, *l. Aurelius, §. 1. ff. de liber. leg. Bald. in l. nominationes, Circa finem, versicul. illud etiam certum est. Cod. de appellat. & in l. aduersus in fin. C. si aduersus rem indic. Dec. in rubr. de confirm. vt il. vel inutil. sub numer. 1. Surd. post alios consil. 330. numer. decimooctauo vol. 3.*

2 Neque visum fuit obstare clausulam, & pro potiori cautela de nouo concedimus iisdem modo, & forma in omnibus, & per omnia, ita vt Guido Ascanius Cardinalis, fratres, & sorores, & alii prædicti illa omnia tam in genere, quam in specie possidere, eisque vti, & gaudere possint, quasi videatur extensa concessio ad illius Postæ tertiam generationē eorumdem fratrum, prout concessum ad eandem tertiam genera-

X 2 tio-

tionem reperiebatur Cardinali prædicto, ita, vt cum inter fratres adesset Comes Sanctæ Floræ Pater Illustriss. Cardinalis Sfortiæ moderni, & Marius auus paternus D. Ducis Sfortiæ, sequi videatur dictam concessionem transire ad D. Ducem, tum ex persona Aui tum ex persona D. Cardinalis vigore vniuersalis donationis. Ad prædicta enim fuit responsum, quod etsi respectu nouæ concessionis clausula possit deseruire, si non valet vt confirmatio, valeat vt concessio, tamē quia concessio illa est restricta ad antiquas, & apparentes Pauli III. concessiones per verba relatiua, prout, & vniuersalia, in omnibus, & per omnia, ideo hæc noua concessio erit limitanda, & restringenda, ne plus contineat, quam in antiquis sit expressum, *Bart. in extrauag. ad rep. in verb. prout sub num. 2. Dec. cons. 63. num. 5. versic. & hoc modo, Grammat. decis. 59. nnmer. 7. & 8. Menoch. consil. 1. num. 83. & consil. 191. num. 47. Paris. consil. 22. num. 10. lib. 1.* quod etiam fuit dictum in vna Rauennaten. domus coram Cantuccio, quæ est inter impressas 27. nu. 2. part. 2. diuers. & quando est dictum in omnibus, & per omnia, quod intret relatio absque aliqua differentia est *text. in l. 1. vbi Ripa. num. 2. Ias. num. 20. Marian. Socin. num. 2. de leg. 1. Cephal. cons. 438. num. 7. in fin. volum. 3.*

3 Nec dicatur, quod immo verba illa, in omnibus, & per omnia, diseruiunt intentioni D. Ducis, vt iam dictum est. Quia Dominis non placuit huiusmodi sensus, & interpretatio, posteaquam Papa in præcedentibus capitibus discretiue loquutus fuerat de pertinentibus ad fratres, & sorores Cardinalis, nampe de Iocalibus, & alijs mobilibus, de priuilegijs ciuilitatum Vrbis, & Parmæ, & Placentiæ, & aliarum Ciuitatum, & demum de immunitatibus, & exemptionibus, sed nullum verbum de successione eorum in Posta Clusij Perusini: Vnde & ipsa relatio quamuis vniuersalis intelligi debet referendo singula singulis, vt dicit *text. in l. quoties C. famil. ercisc. & confirmant Dec. cons. 180. sub nu. 4. vers. 4. considerandum est, & cons. 646. in fin. Paris. consil. 97. nu. 92. lib. 1. Gabr. cons. 18. nu. 13. l. b. 2. & Menoch. consil. 177. nu. 26. vol. 2.*

4 Et hoc maxime etiam suadetur, quia relatio ita concepta non potest generaliter referre dicta in præcedentibus capitulis, tum quia non conueniebat fratribus vxoratis, ac matri, & sororibus, vt Episcopatibus, & facultate promouendi Clericos potirentur, prout fateri necessarium esset, si relatio vniuersalis admittenda esset, tum etiam quia non præsumitur Principem velle nouare in sui præiudicium admittendo nouas personas, nisi expresse hoc dixerit, *Menoch. de præsumpt. lib. 3. præsumpt. 92. nu. 2. & 4. Corb. de caus. priuat. ob lin. finit. nu. 8. & 29.* Atque ita quo ad Breue Iulij III. fuit resolutum: De aliis autem reseruarunt particulariter videre.

R. P. D. PAMPHILIO.

Lucana Bonorum. Lunæ 11. Februarii 1613.

ARGVMENTVM.

Alienatio rei Ecclesiæ requirit solennitatem, & causam, quæ causa debet esse vel necessitas, vel vtilitas, nec vtilitas dicitur ad esse, si alienetur res habita fide de re in cambium danda, & plura alia circa materiam.

SVMMARIVM.

Alienatio rei ecclesiæ, vt sit valida requiruntur copulatiue solennitas, & causa. nu. 1.

Alienatio rei Ecclesiæ facta vltra facultatem concessam nulla est. nu. 2.

Alienatio rei Ecclesiæ, vbi fuit effectuata spatio 30. annorum præsumuntur omnia solennia interuenisse. nu. 3.

Fallit vbi ex tenore instrumenti apparet fuisse excessum in facultate alienandi. nu. 3.

Causa pro sustinenda alienatione rei Ecclesiæ, est vel necessitas, vel euidens vtilitas. nu. 4.

Vtilitas pro validitate alienationis rei Ecclesiæ debet esse clara, & indubitata. nu. 4.

Alienatio rei Ecclesiæ non dicitur vtilis, vbi Ecclesia dimittit bona propria habita fide de re sibi in cambium assignanda. nu. 4. & 5.

Rei melius est incumbere, quam actioni. nu. 4.

Alienatio rei Ecclesiæ non dicitur vtilis, vbi Ecclesia recipit tantum, quantum dimisit. nu. 6.

Alienatio rei Ecclesiæ facta per Rectorem in consanguineum præsumitur facta in fraudem. nu. 7.

Alienatio rei Ecclesiæ absque causa, & solennitate non sustinetur ex eo, quod res alienata fuerit eodem tempore acquisita Ecclesiæ, quia sufficit, quod momento temporis fuerit in eius dominio. nu. 8.

DECISIO CCCCXXX.

1 Fvit resolutum concessionem, de qua agitur fuisse inualidam tanquam factam sine solennitate, & causa, quæ duo in alienationibus rerum Ecclesiæ copulatiue requiruntur, *cap. 1. de rebus Ecclesiæ non alienand. in 6. Clem. 1. eodem tit. Dec. in auth. qui rem. nu. 21. C. de Sacrosanct. Eccl. & cons. 142. num. 4. in princip. Couar. var. resolut. lib. 2. cap. 17. nu. 2.* & fuit dictum in causa Mediolanen. bonorum 7. Februarij 1597. coram bon. mem. Cardinali Pamphilio, & alias sæpe.

2 Quod defecerit solennitas clare constat ex eo, quod ista concessio fuit facta auctoritate Vicarij Lucani in vim breuis Sixti IV. emanati de anno 1482. quod est restrictum ad bona valoris quatuor Florenorum, & tamen bona alienata, vt patet ex instrumento ipsius concessionis longe excedebant istum valorem, ideoque. Vicarius non potuit hanc concessionem authorizare ex tradit. per *Paris. cons. 85. nu. 45. lib. 2.* & in istis terminis fuit late deductum coram me in alia Lucana bonorum. 26. Martij 1610.

3 Non obstat, quod concessio fuerit effectuata spacio triginta annorum, & vltra, quo casu præsumuntur omnes solennitates necessariæ, *vt per Doctor. in capit. ea noscitur de his quæ fiunt sin. cons. Capit. cum allegat.* Quia cum Vicarius se expresse restrinxerit ad dictum Breue, vt apparet ex tenore instrumenti ipsius concessionis, cessat præsumptio alterius facultatis, quæ alias posset oriri ex cursu temporis *Castr. cons. 81. nu. 3. vers. & si dicatur il 1. lib. 2. Aym. cons. 134. sub nu. 44.* cum alijs adduct. in dicta causa Lucana bonorum 26. Martij 1610. coram me. Præterea pro parte Rectoris datur magnus fumus, quod huiusmodi concessio non fuerit facta à legitimo Rectore, cum fuerit facta de anno 1549. & Bernardinus de Sbonis, qui illam fecisse dicitur, non acquisiuit Rectoriam nisi de anno 1556. mediante resignatione Gregorij.

4 Sed vlterius omnis difficultas visa fuit Dominis cessare, quia huiusmodi concessio fuit facta etiam sine causa, quæ est vel necessitas, vel euidens ecclesiæ vtilitas *dicto capit. 1. de rebus eccles. non alienand. in 6. clement. 1. eod. titul.* de necessitate autem nullibi constat. Vtilitas vero, quæ pro validitate alienationis debet esse clara, & indubitata capi sine exceptione ibi, quod non sit dubium *12. quæst. 2. & ibidem Bellamer. in princ. versicul. quod non sit dubium, præpos. numer. tertio, Bald. consil. 156. circa med. versic. præterea. lib. 1. Barbat. cons. 40. num. 1. part. 1.* & fuit dictum in causa Romana Casalis Tunicellæ coram Cantuccio relata inter impress. diuers. 65. numer. 19. part. 2. in casu isto excluditur ex instrumento ipsius concessionis, in quo non legitur,

tur, quod ecclesiæ fuerit aliquid datum in cambium, sed solum fuerunt illi promissæ tot terræ, quæ ascenderent ad valorem Scutorum 90. auri, & ex quibus annuatim ad minus perciperentur Staria 14. grani, & donec dictæ terræ assignarentur, interim soluerentur dicta staria 14. grani quolibet anno, qui modus contrahendi iudicatur Ecclesiæ inutilis, Tum quia per huiusmodi contractum Ecclesia dimisit bona propria habita fide de re sibi in cambium assignanda, quod per administratores Ecclesiæ fieri non potest, vt fuit resolutum in causa Lucana terrarum 16. Maij 1603. coram Reuerendissimo Bononien. Vtilius enim est Ecclesiæ incumbere rei, quam actioni *l. plus cautionis. ff. de reg. iur. Oldrad. cons. 68. circa med. versic. & valde melius.* Quæ ratio militat etiam stante promissione de soluendo interim staria 14. frumenti quolibet anno, cum ex huiusmodi promissione nihil aliud Ecclesiæ acquiratur, quam actio pro illis consequendis absque illa idonea seueritate.

5 Tum quia non potuit Vicarius Iudex commissarius ferre sententiam super accidenti Ecclesiæ vtilitate, nisi facta prius reali assignatione bonorum, illisq; visis, & cognito, quod re vera ascenderent ad valorē Scutorum nonaginta auri, eaque fuisse apta reddere annuatim staria 14. grani, vltra quod ecclesia poterat etiam lædi in eo, quod qualitas prædij assignandi remanebat arbitrio contrahentis, vt fuit resolutum in alia Lucana nullitatis alienationis 27. Iunij 1605. coram Illustriss. Cardinali Lancellotto.

6 Præterea considerabant Domini, quod ista bona, quæ ecclesia dimiserat, fuerunt eodem die sibi data in satisfactionem Scutorum 90. auri. Vndi ex recompensa terrarum assignandarum eiusdem summe, non poterat considerari aliqua maior ecclesiæ vtilitas, prout requiritur ex *Bellamer. in dict. c. sine exceptione in princ. vers. quod non sit dubium, & ibi Gemin. num. 2. vers. in hac q. Imol. in c. ad aures, nu. 2. vers. item nota quod vbi. de reb. eccles. non alienand.*

7 Et in hanc sententiam eo libentius domini venerunt, quia ista concessio fuit facta per rectorem Philippo eius fratri germano, quæ propterea in dubio præsumitur potius in fraudem, quam in vtilitatem ecclesiæ, auth. quibuscunq; & ibi *Doctor. Cod. de Sacrosanct. eccles. Alciat. præsumpt. reg. 1. præsumpt. 29. num. 1. & 3. Cæsar de Grass. dec. 4. nu. 24. de reb. eccles. non alienan.* & fuit dictum in causa Bononien. Sancti Appollinaris 2. Aprilis 1582. coram bon. mem. Cardinali Seraphino, & in causa Romana Casalis Tunicellæ 10. Martij 1578. coram Cantuccio relata inter impressas diuersis, *dec. 720. nu. 1. p. 1. & dec. 65. nu. 18. p. 2.*

8 Non obstat, quod terræ, de quibus agitur, fuerint emptæ per hæredes cuiusdam Matthæi, à Philippo Sbarra, & eodem die, & loco coram eisdem Notario, & testibus fuerint assignatæ Ecclesiæ pro implemento alterius contractus celebrati de anno 1536. & rursus ecclesia per contractum, de quo agitur, illas concesserit eidem Philippo. Quia placuit Dominis responsio, quod licet dictæ terræ fuissent prius Philippi, non tamen propterea postquam transiuerant semel in dominium ecclesiæ poterant ab ea alienari absque solennitate, & causa ex supra deductis.

DECISIO CCCCXXXI.

Firmana hæreditatis. Lunæ 23. Februarij 1615.

Impressa Apud Buratto.

DECISIO 101.

REVERENDISSIMO P. DOMINO DAMASCENO.

Carpentoraten. Fideicommissi. Veneris 1. Martij 1613.

ARGVMENTVM.

Feminæ quando censentur vocatæ in fideicommisso, Magistralis declaratio.

SVMMARIVM.

Feminæ in fideicommisso non censentur vocatæ, vbi de illis in testamento nulla est facta mentio, nu. 2. & 3.

Feminæ in fideicommisso non expressæ, & non nominatæ, non censentur vocatæ, quando in alia testamenti parte fuerunt nominatæ, & expressæ, nu. 3.

Fæminæ non censentur vocatæ in fideicommissa quando apparet testatorem voluisse bona perpetuo conseruari in familia. nu. 4.

Agnatio non conseruatur per feminas, nu. 4.

Feminæ quod non censeantur vocatæ in fideicommisso probatur ex pluribus coniecturis simul iunctis. nu. 4.

Feminæ an veniant sub nomine agnationis generis, aut lineæ masculinæ, masculis deficientibus, nu. 5. & 6.

Verba consequutiua, & per modum redditionis rationis prolata non ampliant præcedentem dispositionem, nu. 5.

Sic dictio de sui natura est declaratiua præcedentium, numero 6.

Extraneum præferri descendentibus testatoris absurdum videtur, nec præsumendum est. Declara, vt nu. 7.

DECISIO CCCCXXXII.

1 DVbitaui, an sententia Rotalis esset confirmanda, vel infirmanda, & difficultas reducebatur ad illud, an fæminæ descendentes testatoris essent vocatæ ad fideicomm. verba testamenti sunt, item hæredem instituit Margaritam vxorem suam, rogando eam, vt post mortem suam, hæreditatem suam restituat Stephano, & Francisco filijs suis legitimis, & naturalibus, & ei, qui tunc superesit, & liberis prædefuncti si masculos reliquerit ita quod superstes: si autem filias reliquerit iure institutionis cuilibet earum legauit mille Florenos, & eo casu, quod bona, & hæreditas prædicti testatoris, ad predictos suos liberos in modum supradictum deueniant, prohibuit eis, & cuilibet ipsorum, ne aliquid de bonis, & hæreditate suis alienent, quia vult in agnatioue sua omnia conseruare, & semper ad proximiorem, de genere sine aliqua detractione quartæ deuenire, & transire, sic quod vbi defuerit linea masculina alterius dictorum Stephani, & Francisci Renoardi, vel suorum descentiū, bona ipsius testatoris reuertantur ad lineā masculinā alterius, & suorum descendentiū in futurum, sic tamen quod eorū filię habeant iure institutionis mille florenos, vt dictum est, per solutiones honestas, ita qui de fructibus colligi possint, & si filiæ ipsæ decederent sine liberis, vel earū descendentes, voluit quod dicti mille floreni reuertantur ad agnatos suos, ad quos pertinebit hæreditas iā dum testatoris, & pariter voluit, quod si contigerit aliquem dictorum Stephani, & Francisci attentare aliquid alienare quod ipso facto, ac incontinenti dominium, & possessio in non alienando transeat, & quod non possit mutuo alienationi consentire, quod si fecerit, voluit testator quod bona transeant ad proximiores suos descendentes per lineam masculinam. Ita quod nullo modo huiusmodi substitutio deficiat.

2 Rota censuit feminas minime esse vocatas, & pro

fundamento assumpsit, quod nullibi legitur talis vocatio, quod sufficit dicere, *Socin. sen. cons. 63. num. 14. lib. 3. Socin. iun. consil. 64. nu. 14. lib. 3. Decian. cons. 287. nu. 7. Gozadin. cons. 21. nu. 8. Syluan. cons. 64. num. 25. Decian. consil. 55. nu. 9. volum. 3.*

3 Quinimo adsunt coniecturæ pro non vocatione. Primo quia testator in aliquibus partibus testamenti fecit de illis intentionem, vnde fecisset de illis mentionem in vocatione ad fideicom. si illos voluisset, iuxta notata *in l. vnica. §. fin autem. lib. 3. Alex. cons. 170. vol. 5. lib. 5. Anan. cons. 22. nu. 3. vers. est etiam multum. Gozad. cons. 29. nu. 16. Ant. Gabr. tit. de verb. signif. concl. 6. num. 64.* Quem modum discretiue loquendi ponderant in specie *Soc. sen. d. cons. 63. nu. 15. lib. 3. Socin. iun. consil. 1. nu. 37. lib. 3 1. Ruin. cons. 22. num. 8. lib. 3. Paris. conclus. 6. nu. 36. de verb. signif. Menoch. cons. 215. nu. 70. Molin. de Hisp. primog. lib. 3. cap. 5. nu. 55.*

4 Item quia secundum lecturam Informantium pro ipsismet mulieribus, testator voluit bona perpetuo conseruari in familia, ad quam perpetuitatem parum conferunt feminæ, ex quo cum illarum vita finitur agnatio quam rationem, licet in diuerso casu, ponderant *Molin. d. cap. 5. nu. 2. & 69. Socin. sen. cons. 63. nu. 14. lib. 3. Ruin. cons. 24. nu. 7. & 8. volum. 2. Crauet. cons. 307. num. 5. Menoch. cons. 197. num. 48. & seq. Surd. cons. 96. nu. 27. & 28. late Illustriss. Mantic. de coniect. vlt. volunt, lib. 8. tit. 12. nu. 9. & in indiuiduo Gabr. cons. 132. num. 38. cum pluribus seq. iuncto. num. 57. lib. 1.* Sed nec etiam viuentes illam bene conseruant, ex quo vt plurimum, vel mediante matrimonio transeunt in alienas familias, vel sese in monasterijs recondunt: vnde soliciti de agnatione parũ de illis solent curare, vt animaduertit *Illustrissimus Mantic. vbi supra.*

4 Tertio quod testator in proposito casu feminas paruipenderit, colligitur, quia nec illis dotes ex proprietate, sed ex fructibus reliquit, nec relictum fuit simplex, sed cum onere restitutionis in casum quod deficerent sine liberis. Et prædictæ coniecturæ eo magis valent simul iunctæ, *iuxta notata per Bald. cons. 224. num. 1. vers. 4. lib. 3. Alexand. cons. 88. num. 7. lib. 7. Dec. cons. 470. num. 9. in fin. Alciat. cons. 64. num. 10. lib. 5. Crauet. cons. 149. nu. 1. Illustriss. Mantic. de coniect. vlt. volunt. lib. 12. tit. 17. nu. 16.*

5 Non obstat, quod testator vocauerit agnationem, genus, lineam masculinam, & similia, quorum appellatione veniunt feminæ agnatæ, saltem deficientibus, prout deferunt in proposito casu, masculis, ex late cumulatis per Informantes pro dominabus mulieribus: nam omissis multis distinctionibus quę dari possent in hac materia, & cum illa verba, quia vult in agnatione stent consequutiue, & per modum redditionis rationis, ita vt non amplient præcedens fideicommissum ad solos masculos restrictum, iuxta *vulg. cons. Dec. 636. nu. 7.* sæpe à Rota approbatum, visa fuit cessare difficultas ex coniecturis, de quibus supra, & ex modo dicendi testatoris, qui non vocauit simpliciter genus, vel agnationem, sed addidit illa verba, sic quod vbi defuerit linea masculina, bona testatoris reuertantur ad lineam masculinam alterius: sic tamen quod eorum filiæ habeant iure institutionis. Ex quibus apparet, quod testator sub nomine agnationis, vel generis, aut lineæ masculinæ, minime intendebat comprehendere feminas etiam agnatas.

6 Illa enim dictio sic, de sui natura est declaratiua præcedentium, vt considerauit Rota in hac eadẽ causa die decima septima Martij 1668. coram Illustrissimo D. Lancellotto. & facit *tex. in cap. 1. in princip. de restitut. spoliat. in 6. Socin. sen. cons. 62. num. 4. in fin. lib. 3.* & de simili dictione ita notatur *in cap. cum M. Ferrariensis in fin. de constit. Paris. cons. 22. num. 39. lib. 3. Socin. iun. cons. 69. nu. 33. Rota in causa Romana domus, quarta Maij 1609. coram me.*

7 Minus facit quod secundam istam lecturam sequeretur absurdum, quod extraneus præferretur descendentibus testatoris, quia absurdum esset, si iste extraneus veniret ex vocatione testatoris: sed cum veniat tanquam habens causam ab vltimo masculo, in quo finiuit fideicommiss. nullum sequitur absurdum, quia eius successio, sublato nexu fideicommissi, prouenit ex dispositione vltimi grauati, non autem ipsius fideicommittentis.

R. P. D. PIROVANO.

Anconitana Bonorum Sancti Appollinaris. Veneris. 1. Martij. 1613.

ARGVMENTVM.

Spoliatus redintegrandus est non obstante, quod spoliator ponat se creditorem ex aliqua causa, nec ei propterea datur retentio rei, quando presertim creditum non est liquidum, & quando dicatur liquidum.

SVMMARIVM.

Spoliator regulariter audiendus non est spolio non purgato num. 1.

Creditori nulliter in possessionem bonorum debitoris misso datur retentio, donec sibi creditum suum soluatur. num. 1. Vbi declaratur hoc procedere quando creditum est liquidum, aliter secus.

Solutio non præsumitur, & negans solutionem fundatam habet intentionem absque alia probatione. Declara, vt num. tertio.

Compensationi locus non est, nisi parte opponente. Declara, vt num. 4.

Debitum potest esse liquidum respectu obligationis, & non liquidum respectu quantitatis. nu. 4.

Frumentum, seu triticum post triennium durare non præsumitur, sed bene præsumitur consumptum. nu. 5.

DECISIO CCCCXXXIII.

1 POstea quam in hac causa fuit resolutum, Leonios esse redintegrandos, tum quia extrema in actione spolij fuerunt probata, tum etiam quia iudex, qui eos possessione priuauit, nulliter, & iniuste processit, exinde subortum est aliud dubium. An rectori sit danda retentio bonorum pro canonibus decursis, & non solutis in rationem Salmarum 15. grani, pro quolibet anno, & negatiue fuit responsum. Regulare enim est, quod spoliator non est audiendus nisi purgato spolio vsque ad obolum. *Bald. in cap. conquerente nu. 1. de restit. spol. Ias. cons. 162. nu. 7. vol. 4. & 172. nu. 4. vers. Item spoliatus. eod. volum. Rot. in nouiss. dec. 319. quæ est 15. de restitut. spol.* cum alijs allegatis per *Gabr. de restit. spol. concl. 1. nu. 11. vers. 2. amplia.*

2 Et quamuis in spolio iudiciali contendatur aliter dicendum, quando scilicet inordinate fuit processum & minus solenniter, vt contingit in præsenti, & tunc liceat creditori retinere bona, donec fuerit satisfactus *Bald. in l. fundus, qui Lucii Titii. in antiqua lectura. nu. 5. ff. de rescind. vend. per illum tex. & gloss. & ex l. si non sortem. §. si centum. ff. de condict. indebiti. Neguf. de pignor. 3. par. membr. 2. nu. 20. Surd. dec. 46. nu. 7. & seqq.* Tamen etiamsi hæc opinio esset admittenda, retentio nihilominus non datur nisi probetur creditum certum, & liquidũ prout erat in casu dict. l. fundus. eo. enim casu res erat obligata ob vectigal Reipub. quæ illam vendidit, propterea datur retentio emptori, donec sit ei restitutũ pretium solutum per eum Reipub. ad vtilitatem debitoris. Idem præsupponitur in d. §. si certum, & optime firmat *Surd. d. dec. 46. in fine dicens*, ea propter Senatum denegasse retentionem, & iussisse sententiam exequi.

3 Cre-

3 Creditum autem Rectoris D. pro certo, & liquido non habuerunt, nam quo ad substantiam etsi intentio Rectoris sit fundata in sola negatiua solutionis canonis, *Socin.iun.cons.111. num.15. lib.2. Ias.in l.2. nu.132. C.de iure emphyt.Surd.post alios. cons.86.sub.num.1.* & alio non probato iustificetur prætensio Rectoris in salmis 175. grani pro canone annorum 11. ad rationem Salmarum 15. pro quolibet anno, tamen cum probatio probationem non excludat, *Ægid.decis.624.nu.2.* adhuc quantitas Salmarum certa non est, quia potest probari contrarium dum de ea non constat per rem iudicatam, vel partis confessionem.

4 Præterea turbida etiam remanebat prætensio Rectoris, siue iure proprio, siue ex iure cesso illam deducat, nam cum Leonij bonis emphyteuticis priuati fuerint de anno 1605. ex decreto bon. mem. Iusti de immittendo, ac etiam possessione vinearum, pro quibus quartam Ecclesiæ respondebant, exinde intrat exceptio compensationis pro fructibus eorundem bonorum per Rectores perceptis, cum salmis grani prætensis ab anno 1592. vsque ad annum 1605. per *l. constat.de compens.Sur.decis.117.nu.1.* & per totum, & creditum Rectorum etiam magis turbitum redditur, cũ pro Leonis contendatur remansisse priuatos possessione bonorum vsque de anno 1593. mense Martij ex instrumento, & testibus datis in Summario, & iõ cum ex longo interuallo prætendatur, Rectores per tempora exegisse magnam fructuum quantitatem, & sic debitum illorum de Leonijs sit indubitatum respectu obligationis soluendi Salmas 15. grani quolibet anno, non tamen respectu quantitatis dici potest certum, & liquidum, donec pendet determinatio quantitatis fructuum per rectores perceptorum. *Bal.in l.acceptan. num.19.vers.6.oppono,C.de vsur.Alex.cons.49.sub.num.2. vers.& præsertim.vol.2.Afflict. decis.205. num.1.*

5 Ex alio etiam creditum Rectorum erat illiquidum, nam cum triticum esset debitum ab anno 1605. retro, & sic extra triennium & post dictum tempus à lege præsumatur consumptum, cum vlterius durare non præsumatur. *l.1.cum gl. C.si aduers. vsuc. Ang.in §.si quis a non domino.* paulo ante finem vers.fin aũt clarum esset. instit. de rer.diu. cum alijs allegatis per *Alba. cons. 182.nu.27. & Caual.de tutore.num.227.* In primis erat liquidandum pretium tritici, & exinde ad subhastationem bonorũ pro pretio liquidato deueniretur, quod cum factum non fuerit adhuc illiquidum est creditũ grani, & consequenter interim non est admittenda retentio ad impediendum redintegrationem à lege in hac parte priuilegiatam. Et ita fuit resolutum, &c.

R. P. D. VBALDO.

Romana Pretij grani. Lunæ 14. Martij. 1613.

ARGVMENTVM.

Arbitrio Rotæ data facultas cognoscendi cãs tam coniunctim, quam diuisim quomodo intelligatur.

SVMMARIVM.

Arbitrium regulatur à iure communi. nu.1.

Causæ non coniunctim, sed diuisim expediendæ sunt, quando vna non est alteri præiudicialis, nu.1.

Causa vna alteri præiudicialis non dicitur, quando sententia lata in vna parit exceptionem rei iudicatæ in altera. n.1.

Causæ non coniunctim, sed diuisim expediendæ sunt, quando non sunt ita connexæ, vt vna sine altera esse non possit. nu. 1. in fine.

Iudex coram quo plures summæ petuntur, non potest vnam summam petitam terminare, & alteram indecisam relinquere. Declara, vt nu.2.

Clausula arbitrio Rotæ non potest impedire rem iudicatã. n.3.

DECISIO CCCCXXXIV.

1 D. Franciscus Caluus, qui frumentum vendiderat Fratribus Hospitalis S.Ioann. Colauitæ, vel eorum minstris, illud de eorũ mãdato consignauit Dominico eorum pistori, qui dietim illis panem subministrabat, post plures annos egit Franciscus pro pretio consequen.tum contra Fratres vigore instrumenti, quod cum ijs celebrauerat, tum contra Domini cũ cui frumentum tradiderat, sed Pistor extra Rotam sententias absolutorias reportauit, cã quo ad fratres indecisa manente. Interim causa deuoluta fuit in Rotam quo ad omnes, & fuit rescriptum cum facultate procedendi coniunctim, vel diuisim arbitrio Rotæ. Vnde proposito dubio an intraret arbitrium, Domini pro Dominico negatiue resoluerunt, arbitrium, enim regulatur à iure. *Cæs.de Grass.dec.7.nu.7.& dec.8.in princ.de re iud.Rot.* 248. nu.4. p.1. de iure autem non videbantur coniunctim causæ istæ posse expediri, tum quia vna non est præiudicialis alteri cum sententia lata in vna non pareret exceptionem rei iudicatæ in altera, iuxta *l.fundi, & l.fundum. vbi Bar. ff.de except.DD. in l.edita.vbi Bar.num.14.C.de edend.* tum quia non sunt ita connexæ, vt vna sine altera esse non possit, iuxta ea, quæ post alios trad. *Menoc.de arbitr.cas.95.nu.8.* quinimmo Fratres & Dominicus diuersas habent exceptiones, & causas defensionum. *Afflict. decis.354. num.13.*

2 Nec videbatur applicari, quod dicit *Bald.in l.1.nu. 4.quem sequitur ibi Salic. C. si aduersus rem iud. C.quod non potest* per iudicem vna pars summæ petitæ per sententiam terminari, & altera relinqui indecisa quia rõne partis indecisæ refricaretur etiam, & denuo ventilaretur pars decisa quia id procedit quando ab eadem persona, & ex eadem causa petitur, vt bene declarat *Paul.de Castr.in d.l.1.num.8.& ibi Iacob.de S.Georg.num.2.* hic autem fuerunt conuentæ diuersæ personæ, vt patet, & ex diuersa causa videl. Fratres ex instrumento, Dominicus autem ex consignatione frumenti.

3 Quibus accedit quod Dominicus habet pro se duas fides, vt supra, quæ merentur exequutionem ex forma statutorum Vrbis, quæ non videtur impediri posse per d.Clausulam arbitrij, vt dictum fuit in Vrbeuetana Castrorum 12. Decembris 1567. coram Seraphino, & in alijs alleg. per Informantes, & de earum iustitia non videtur posse dubitari cum D.Franciscus non contraxerit cum Dominico, sed cum Fratribus, vt patet ex instrumento, in quo promisit consignare frumentum ad omnem requisitionem dd. fratrum, & cum accepit mandatum de consignan. Dominico, prout consignauit, distraxit potius obligationem suã quam eam contraxerit ex parte Dominici vt in simili est *text. in §.1.inst.quib.mod.re contrab. oblig.& §.penult.de oblig.* ex quasi contr. Vnde videtur sine actione egisse contra Dominicum, *l.si pupilli.§. videamus, cum ibi not. ff.de neg.gest.* Et ita fuit decisum &c.

REVERENDISSIMO P. DOM. MANZANEDO.

Papien. Iuris patronatus. Veneris 8. Martij. 1613.

ARGVMENTVM.

Quasi possessio conferendi sufficit ad effectum validitatis collationis, nisi constet de proprietate, & quæ probatio proprietatis ad hunc effectum requiratur.

SVM-

S V M M A R I V M.

Quasi possessio conferendi acquiritur ex vnica collatione. num.1.
Quasi possessio conferendi attenditur ad effectum validitatis collationis. num.1.
Beneficia omnia præsumuntur libera. nu.1.
Scientia patroni in collatione facta ab ordinario præsumitur si per 30. annos non contradixit. nu.1.
Quasi possessio conferendi non præiudicat in sequenti vacatione. nu.2.
Quasi possessio conferendi acquisita per Episcopum antecessorem suffragatur etiam successori. nu.2. non autem suffragatur Capitulo. nu.3.
Quasi possessio conferendi non attenditur, vbi constat de proprietate. nu.4.
Fallit, quando probatio proprietatis fuit facta post collationem. nu.4.
Fallit secundo vel potius declara, quod de proprietate ad hunc effectum debet constare per confessionem partis, vel rem iudicatam, vel per publicum instrumentum. nu.4. vbi quod non sufficit probatio iuris patronatus resultans ex multiplicatis præsentationibus, ac alijs coniecturis.

DECISIO CCCCXXXV.

1 FVit die 17. Februarij 1612. in hac causa resolutum, constare de iure patronatus Dominorum de Basilica Petri in beneficio, de quo agitur, & reseruatum videri, an illud suffragaretur ad effectum reuocandi collationem factam ab Episcopo tanquam de libero, super quo hodie causa proposita, Domini dixerunt illam non esse reuocandam, quia Ordinarius est in quasi possessione conferendi istud beneficium vti liberum per collationem factam de anno 1579. Cæsari Molle, ex qua licet vnica fuit ei acquisita quasi possessio. *Ripa in c. cum Ecclesia Sutrina. num. 91. de caus. poss. & propriet. Alex. conf. 74. num. 16. lib. 4. Ferret. consi. 132. n. 11.* quæ quidem quasi possessio est attendenda ad effectum validitatis collationis. *cap. consultationibus. de iure patr. & ibi Abb. num. 9. Rota decis. 14. versic sed omnes, de iure patr. in antiq. & decis. 167. n. 9. par. 2. diuers. Put. decis. 206. lib. 1. Mohedan. decis. 8. de priuil. Ferret. d. cons 132. num. 10.* Præsertim stante bona fide Episcopi, causata ex iuris assistentia, qua inspecta omnia beneficia præsumantur libera. *Menoch. de præsumpt. lib. 3. præsumpt. 130. nu. 2. & 3.* & concurrente scientia patronorum, quæ præsumitur ex effectuatione dictæ collationis per 30. annos, quo tempore, nisi nunquam contradixerit *Rot. diuers. decis. 147. in fin. & decis. 166. part. 1.*

2 Prædicta confirmantur ex eo, quod in casu nostro non agitur de præscribenda mutatione status beneficij, sed de sola quasi possessione illud conferendi, quæ est modici præiudicij, & perpetuo non duratura, sed deducitur solum modo ad effectum sustinendi collationem, de qua agitur, ita vt postea in sequenti vacatione patroni non prohibeantur ad libitum præsentare eodem c. consultationibus. in vers. ex hoc ei, qui de iure debet habere, nullum in posterum præiudicium generetur.

3 Non obstat, quod moderno Episcopo non possit suffragari quasi possessio antecessoris, *ex Gabr. consil. 185. n. 17. lib. 2.* quia loquitur de possessione Archiepiscopi transferenda in Capitulum, nos autem sumus in Episcopo conferente rõne dignitatis, quo casu quasi possessio acquirit Ecclesiæ, & ideo transit etiam successorem. *Abb. in c. cum super. numer. 21. circa med. vers. si vero clericus. de caus. possess. & propriet. Ripa in c. sæpe. nu. 57. de restit. spol. Rota diuers. decis. 390. part. 1.*

4 Minus obstat, quod fuerit decisum, constare de iur. patron. & ideo cum constet de proprietate, non esse attendendam quasi possessionem, quia fuit responsum. Primo, quod cum probationes iuris patronatus fuerint factæ in Rota post collationem Episcopi, illa non imitatur tanquam facta ab eo, qui erat in quasi possessione conferendi *Abb. in c. consultationibus. num. 9. de iur. patron. Ripa in d. cap. cum ecclesia Sutrina. num. 130. Rota dicta decis. 167. num. 10. p. 2.* Secundo, quod de iure patron. non constat per confessionem patris, vel rem iudicatam, prout requiritur ad effectum, vt proprietas præferatur possessioni *Rota decis. 269. nu. 6. & 7. p. 2.* nec per publicum instrumentum, vt in illa Lucana iuris patronatus 23. Ianuarij 1612. coram bon. mem. Pegna, sed illud solummodo probatur ex aliquibus enunciatiuis, multiplicatis præsentationibus, & alijs coniecturis ponderatis in decisione facta dicta die 17 Februarij 1612. coram me ex quibus non oritur talis probatio iuris patronatus, vt de contrario doceri non possit. Et ita pro validitate collationis Episcopi fuit conclusum.

DECISIO CCCCXXXVI.

Romana Societatis officij. Veneris 8. Martij. 1613.

Impressa Apud Caualerio.

DECISIO 239.

R. P. D. PIROVANO.

Romana Fideicom. de Veccijs die 8. Martij. 1613.

ARGVMENTVM.

Colligitur ex Summario.

S V M M A R I V M.

Scriptura si sit reperta inter notas authenticas certi Notarij præsumitur ab eo publicata, & Notarius de ea agitur. num.1.
Scripturæ Notarij de mortui debent de iure remanere penes illius hæredes. nu.2.
Dictio etiam stat augumentatiue. nu.3.

DECISIO CCCCXXXVII.

1 CVm sub die 27. Nouembris. anni præteriti proposuissem dubium. An scriptura, de qua agitur probet, & effectus dubij esset, vt posset recognosci per comparationem literarum, de qua comparatione videbatur frustratorie, & inutiliter agendum, nisi prius cognosceretur de virtute scripturæ productæ, & quia contra eam multi defectus obijciebantur Domini restringendo disputationem voluerunt videre in quo loco scriptura esset reperta, & inter quas scripturas, quia si inter notas authenticas eiusdem Notarij fuisset collocata, signum erat, quod de ipsa fuit rogatus, & quod fuit publicata, prout Rota considerauit in Roma na Donationis coram Sanctæ memoriæ Clemente Octauo, tunc Rotæ Auditore, quæ legitur inter impressa, 250. numero terio, parte prima diuersor.

2 Hodie igitur dubio Proposito secundum restrictionem Dominorum decisum fuit scripturã fuisse repertam penes successorem Petri Pauli Amodei, & consequenter in loco legali, & non suspecto, Nam P. Paulus dicitur rogatus de ea scriptura vsque de Anno 1528. De anno autem 1541. defuncto Notario, & testatore, fuit ad instantiam Latij hæredis transportata coram Correctoribus Curiæ Capitolij, & ita compulsus

sius Marcus Antonius filius, & hæres D.P. Pauli, & Notarij, illam exhibuit, penes quem vti hæredem solent remanere Protocolli imbreuiaturæ, & omnes Scripturæ Notarij de mortui, inspecto vtroque iure tam municipali *ex statuto Vrbis c. 35.* quam etiam iure communi, *vt per Alex. in l. si quis ex argentarijs. nu. 5. Vbi Ias. num. 14. ff. de edend. Guido Papæ decis. 118. nu. 1. Specul. de instrum. edit. §. 4. num. 16. Abb. in c. cum P. Tabellio. de fid. instrum. num. 2.* Mortuo Marco Antonio, de Anno 1575. & Francisco eius fratre pariter Notario de Anno 1580. ambobus sine filijs, scripturæ P. Pauli, in eius hæreditatis diuisione decurrerunt ad Gregorium Panigarolam eorumdem Nepotem, & Notarium, vt ex transactione, quæ data fuit in Summario, vnde postquam ista imbreuiatura de Anno 1592. fuit reperta penes Gregorium, satis dicitur reperta penes successorem Pater Pauli Notarij rogati, & inter illius scripturas Authenticas, maxime accedente fide Correctorum, qui in transumptione de Anno 1541. dixerunt hanc scripturam fuisse repertam inter libros, seu Protocolla, & Matrices P. Pauli Amodæi, quod etiam crederetur d. Gregorio si hodie assereret scripturam illam fuisse inuentam inter notas authenticas Petri Pauli, præsertim ex adminiculo fidei producto, per quam probatur existentia aliarum scripturarum. *Dec. cons. 302. nu. 15. Roland. consil. 32. nu. 25. volumin. 2.* Non obstat argumentum ab inclusione scripturarum, & imbreuiaturarum Notariorum demortuorum in Archiuo Capitolino, vigore motus proprij Felic. record. Pij IV. emanati de Anno 1562. quo tempore P. Paulus erat mortuus, vt inde inferatur nō remansisse alias scripturas penes hæredes, inter quas potuerit reperiri præsens de cuius fide controuertitur, & consequenter transactionem probare quidem pertinentiam scripturarum in Archiuo existentium sed non firmare, quod aliæ extarent extra Archiuum, quæ possent dare robur, & supplementum scripturæ controuersæ.

3 Fuit enim responsum edictum illud non importare necessitatem probationis, quæ ad existentiam omnium scripturarum P. Pauli in Archiuo neque consequentiam, si pro parte fuit edicto paritum ergo in totum, vt inde probetur, quod aliæ scripturæ non remanserint penes illius hæredem, potuit enim contingere, quod omnes in Archiuo non fuerit delatæ, prout ex successu temporis apparuit, vel etiam potuerunt hæredes pęnam contemnere, & ex ipsa transactione innuitur, quod aliæ scripturæ aderant præter reconditas in Archiuo, dum Gregorio assignantur protocolla, & aliæ scripturæ etiam penes Archiuistam existentes, qua si maior pars consideretur extra Archiuum propter illam dictionem, etiam, quæ stat argumentatiue *c. vnico. ne sede vacan. in 6. lib. 2. C. de testibus l. etiam. C. si. tutor, vel Curator. Dec. consilio. 466. nu. 17.*

R. P. D. PIROVANO.

Romana Legatorum. Lunæ 11. Martij. 1613.

ARGVMENTVM.

Agitur, an Falcida possit prohiberi verbis generalibus, & æquipollentibus, & an censeatur prohibita ex pluribus coniecturis relatis in decisione.

SVMMARIVM.

Falcida prohiberi potest ne dum expresse, sed etiam verbis generalibus, & æquipollentibus, quæ aliud commode significare non possint. nu. 1.

Fallit quando verba æquipollentia aliud importare possint num. 3.

Falcidia debet detrahi ab hærede iure institutionis, vbi legatum fuit vltra dorantem. num. 3.

Falcidia censetur prohibita, vbi fuit prohibita diminutio legatorum. nu. 3.

Legata plura esse censentur, quando plures res distinctæ exprimuntur. nu. 4.

Vbi maxime si ab vno verbo non regantur.

Falcidiæ detractio fit à lege contra testatoris voluntatem. numero 4.

DECISIO CCCCXXXVIII.

1 NOn est dubium, quin hodie Falcidia prohiberi possit nedum expresse. Auth. sed cum testator. C. ad leg. Falcid. §. si vero expressim, in Authent. de hæredibus & Falcid. sed etiam verbis generalibus, & æquipollentibus, quæ aliud commode significare non possint. *Alex. Ias. & Aret. in l. 1. ff. de vulg.* cum alijs allegatis per *Gabr. ad Trebel. concl. 2.* vbi refert attestantes de comuni. Propterea cum testator in præsenti casu instituerit Demophontem Ferinum suum hæredem vniuersalem, legaueritque non nulla loca mōtium Georgio, & Elisabethæ coniugibus, non tamen expressis verbis prohibita Farcidia, sed alijs generalibus verbis vsus fuerit, ex quibus dicti coniuges prætendunt hæredem non posse Falcidiam detrahere, ideo dubitaui, An sit locus Falcidiæ.

2 Et esse locum Falcidiæ Domini affirmarunt, quia vbi vltra dodrantem fuit legatum, à lege datur facultas resecandi quartam iure suæ institutionis. *l. 1. ff. ad leg. Falcid. Mich. Graff. de succes. ab intest. §. Falcid. concl. 1. in princ.* Vnde ex parte coniugum remanet onus probandi prohibitionem, vel verbis expressis, vel generalibus, per quæ ad prohibitionem necessario inferri possit. Neutrum tamen visum est probatum, nam verba expressa non leguntur in testamento, generalia autem alium sensum, quam prohibitionem inferre possunt.

3 Non obstat, quod testator mandauerit hæredem succedere in tota hæreditate exceptis supradictis legatis, quasi interdicta sit diminutio legatorum quo casu remanet prohibita Falcidia *Bal. in l. precib. num. 60. C. de impub.* & aliis substit. *Angel. in auth. sed cum testator. sub nu. 2. vers. si tamen testator. C. ad leg. Falcid. Gabr. tit. ad Trebel. concl. 7. Ad hoc. n.* fuit responsum, quod exceptio est relatiua numeri legatorum, non autem quantitatis, cum loquutus fuerit, de tutti li sopradetti legati, propterea legata omnia debentur sine diminutione personarum, quibus fuerut relicta, non autem sine diminutione quantitatis, ad quam generalitas illa non accommodatur, & consequenter cessat effectus æquipollentiæ verborum. *Bertrand. cons. 144. n. 14. vers. præterea supposito. p. 2. vol. 3. Gabr. d. tit. ad Trebel. conclus. 3. in fine numeri primi.*

4 Non obstat alia consideratio deducta ex illis verbis, quod hæres debeat de suo proprio consignare legatarijs schedulas locorum montium absque alio sūptu arguendo à maioritate rationis, quod si testator voluit onerare hæredem de proprio, multo magis dicendum est, voluisse loca montium integra, & sine diminutione præstari. Quia non ideo visa fuit per ista verba prohibita Falcidia, sed potius additamentum oneris hæredi transiens in aliam speciem legati, cum aliud sit legatum quantitatis, & aliud impensa pro consequendo legato, & sic videntur esse plura legata, quando plures res distinctæ exprimuntur. *leg. quoties, la 2. ff. de legat. 2.* & maxime, vt in præsenti, quando sub vnica oratione, & ab vnico verbo non reguntur. *Surd. post alios decis. 88. nu. 21. & seqq.* & propterea non bene ex diuersis infertur ab exemptione expensarum ad exemptionem de falcationis Falcidiæ, vna enim est inducta à testatore, altera à lege contra testatoris voluntatem. *l. Titia vbi Alex. num. 5. ff. ad leg. Falcid. Abb. in c. Raynaldus. nu. 16. Vbi etiam Couar. §. 3. n. 6. vers. nempe ex eo. de testamentis.*

R.P.D.

R. P. D. PIROVANO.

Burgen. Seruitij. Veneris 15. Martij 1613.

ARGVMENTVM.

De relaxanda declaratoria ob non paritionem executorialium nonnulla notanda, de quibus in Summario.

SVMMARIVM.

Declaratoria ob non paritionem exequutorialium dari solet contra contumaces, & inobedientes. num.1.
Sententia stricte ad actus in ea expressos interpretari debet. num.2.
Expræsam sub generalitate verborum dicitur specificatum. num.2.
Sententia declaratur secundum acta. nu.3.

DECISIO CCCCXXXIX.

1 SEntentiæ condemnant dignitate habentes Canonicatus ad subeunda omnia munia spectantia ad Canonicos prout fruuntur possessione omnium iurium canonicalium, *iux. decis.* in hac causa factas, & declarationes Sacri Conc. Trid. Vnde cum ipsis dignitatib. exequutoriales fuerint intimatę, & reproductę seruatis terminis substantialibus, nec docuerint de paritione, sed potius de actuali inobedientia appareat, & de renitentia tam respectu contentorum in sententia, quam etiam respectu expensarum, visum est Dominis nisi intra mensem paruerint, dandam esse declaratoriam quæ solet contra contumaces, & inobedientes concedi, *cap.1. in fin. vt lite non contest. Mohed. decis.1. de sent. excom.* & sæpissime fuit firmatum signanter in Burgen. iurisdictionis pręeminentiarum 8. Iunij 1587. coram bon. mem. Cardin. Seraphino, & in Pamphilonen. de Iansi 14. Decembris 1598. coram Litta.

2 Non obstat, quodam non paritio, quæ prætenditur per Capitulum, versetur duntaxat circa assumptionem capparum, portandi mitram, & exercendi officium punctatoris, quæ munia in sententia non comprehenduntur, ideo dignitates ad paritionem vigore exequutorialium non tenentur, cum illæ sint relatæ ad tenorem, & virtutem sententeentiæ quæ stricte ad actus expressos debet interpretari & restringi. *Crauet. de antiq. tempor. in 4. p. princ. num.64. Rol. cons.79. nu.10. lib.3. Menoch. cons.210. nu.22. lib.2.* Ad hæc enim fuit responsum, verba sententiæ esse clara & aperta ita vt comprehendant omnia seruitia canonicalia, condemnantur namque dignitates non solum ad suscipienda seruitia ibi specificata, sed etiam aliud quod cunque incumbens ratione Canonicatuum seu portionum. Ideo cum deferre mitram, assumere cappas, & punctare sit de pertinentibus ad manus Canonici vel Portionarij non minus dicuntur expressa in sententia, quam si in indiuiduo vnumquodque eorum fuisset specificatum. *Socin. sen. in l. Gallus. §. forsitan. sub nu.6. vers. habebat etiam ff. de lib. & posth. loquens de verbo vbi ad Socin. cons.3. num.17. lib.3. Menoch. post alios consil. 17. lib.1. & cons.210. nu. 34. lib.3.* vltra quod huiusmodi interpretatio quo ad effectum paritionis & in casu claro non pertinet ad partes dictas, vt fuit consideratum in Calciaten. decimarum, coram R.P.D. Pamphilio.

3 Nec dicatur quod in processu videtur actũ de seruitiis ad officium hebdomadarij, qualia sunt capitulare, benedicare, aspergere, & incensare, & sic ea dumtaxat esse attendenda in condemnatione, *l. 2. C. de iudicibus Paris. consil.102. num.15. lib.2. cum alij allegat.* Quia & si in aliqua parte processus ista fuerint expressa tamen pretensio Capituli non fuit ad ea restricta, quod declarare in decisionibus in hac causa factis quæ fundantur, & in dispositione iuris comunis, iuxta quam dignitates habentes canonicatus distinctos tenentur ad ea omnia, ad quæ tenetur Canonicatus ac etiam in declaratione Sacri Concil. Trid. in istis terminis emanata.

4 Non obstat quod dignitates talia non prætendant tanquam exemptæ de iure comuni, sed vigore concordiæ quo ad delationem capparum, & quo ad delationem mirtæ, & officium punctatoris ex consuetudine inueterata illius Ecclesiæ, fuit enim dictum non esse super his insistendum posteaquam ex decis. Rotalibus, apparent omnia sublata, quæ hodie repetuntur, & in specie respondetur quod concordia non restringit seruitium istarum dignitatum, ad quatuor illa capita, sed illa explicat, & alia præseruat ad consuetudinem Ecclesiæ de qua cum in actu non constaret fuit dictum esse attenden. ius comune, vt in decis. coram Corduba 8. Iunij 1598.

REVERENDISSIMO P. DOMINO MANZANEDO.

Elboren. Iuris conferendi. Lunæ 18. Martij 1613.

ARGVMENTVM.

Nullitates quando sanentur per commissionem sanatoriam cum clausula arbitrio, & in specie de nullitate ex defectu mandati, & ex quibus præsumatur mandatum.

SVMMARIVM.

Nullitates quoties sunt turbidæ sanantur per commissionem Sanatoriam cum clausula arbitrio. nu.1.
Ratificatio processus facti per procuratorem non habentem mandatum in ducitur ex prosequutione iudicij per illum cœpti. nu.2.
Recusatio iudicij vti suspecti potest fieri per non habentem mandatum dummodo per principalem ratificetur. nu.2.
Iurisdictionis defectus non potest opponi per eum qui consensit iurisdictioni. nu. 3.
Canonicus non potest esse iudex in causa sui Episcopi. nu.3.
Iurisdictio iudicis firmatur eo ipso, quod is se iudicem competentem declarauit & à tali pronuncia non fuit appellatum. num.4.
Mandatum probatur conecturis & præsumptionibus. n.5.
Mandatum præsumitur ex enunciatiua Notarij. num.5.
Mandatum præsumitur ex eo quod quis plures actus fecerit, quos non fecisset absque mandato, cum nemo præsumatur solicitus in alienis litibus. nu.6.
Mandatum præsumitur ex impensa, etiamsi sit impensa vnius ducati. nu. 6.
Mandatum præsumitur ex productione scripturarum, ad causam facientium. nu.7.
Clausula arbitrio minuit iuris rigorem. num8.

DECISIO CCCCXL.

1 LAta sententia in prima instantia ad fauorem Religionis militaris de Aua fuit pro parte Archiepiscopi Elboren. ab ea appellatum, & obtentum Breue à Fel. rec. Gregorio XIII. directum tribus iudicibus cum clausula, vt omnes vel duo, vel vnus ex illis causam cognosceret, & illud præsentauit Didaco Vasconcellos, qui ad aliquos actus in causa processit, sed postea fuit pro parte religionis recusatus suspectus, & vtilitatis ab arbitris declaratus. Indeque Procurator Religionis dictum Breue præsentauit Francisco Rouelles, à quo sententiam secundam fauorabilem repor-

reportauit. Verum quia causa ad Rotã deuoluta cõtra prædictas sententias plures opponebantur nullitates, ideo super illis fuit causa proposita per bon. me. Cordubam. die 8. Februarij 1599. & resolutum eas non obstare, vt in decisione tunc facta, reseruato tamen, vt videretur, an duæ nullitates oppositæ contra secundam sententiam obstarent. Vna nempe quod non constaret de speciali mandato Procuratoris Religionis ad recusandum suspectum Didacum Vasconcello, altera vero de defectu mandati eius, qui in dicta causa comparuit pro Archiepiscopo. Pro quibus sanandis cum pro parte Religionis fuisset habitus recursus ad signaturam, fuit rescriptum arbitrio Rotæ. Vnde dedi dubium an illud intraret pro sanatione dictarum nullitatum. Quo hodie proposito Domini affirmatiue respondendum esse censuerunt, quia quoties nullitates sunt turbidæ intrat arbitrium pro illis sanandis. *Lancellot. de attentat. p.3. c.24.q.19.num.5. Rota diuers.dec.120.in princ. par.1.* & fuit dictum in vna Vicen. Parochialis 10. Decembris 1608. coram me, & in casu nostro satis turbidæ reddi videntur.

2 Nam quo ad primam de defectu mandati specialis ad recusandum suspectum, fuit dictum, illam tolli ex eo quod Religio, d. recusationem ratificauit, ex quo fuit prosequuta iudicium coram D. Rouelles, & ab eo sententiam fauorabilem obtinuit ad notata per *Innoc. in c.ex parte decani. n.1.& 3.de rescript. Paris.cons.48.nu.6. lib.1. Rota decis.38. in princ.de procurator. in nou. Gabriel de iudic.concl.3.nu.16.* quod sufficit ad istum effectum. *gl. in cap.per tuas. in verb. ratum haberi. de arbitr. Imol.in l.per procuratorem.nu.4.vers. non obstat. de acquir. hæredit. Borgnin.decis.31.nu.261. cum seqq. par.2.*

3 Secundo cum huiusmodi nullitas deducatur ad infirmandam iurisdictionem secundi iudicis, qui sententiam tulit, visum fuit Dominis, illam cessare, quia procurator Archiepiscopi consensit in iurisdictione d. secundi iudicis petendo per eum reuocari sententiam latam ad fauorem religionis, & alios actus positiuos, coram illo faciendos, per quos videtur adhæsisse dictæ recusationi, & eius iurisdictionem approbasse *c.inter Monasterium. vbi gl. verb. subeundo iudicium. vers. super hoc dicunt quidam. de re iudicat. & ibi Abb.nu.8. & 9. Rota decis.563. nu.4. part.1. diuers.* maxime quia dicta recusatio erat ista, cum recusatus esset Canonicus Elboren. qui non poterat esse iudex in causa sui episcopi. *Francisc.Marc.decis.495.nu.5.part.2.* & fuit dictum in supradicta decisione in hac causa facta, & illa fuit approbata ab arbitris, à quorum sententia appellatum non extitit.

4 Præterea cum secundus iudex declarauerit se competentem, & mandauerit ad vlteriora procedi, & pro parte Archiepiscopi non fuerit appellatum, dicta interloquutoria transiuit in iudicatum, & ipsius iurisdictionem firmauit *DD. in c.super literis. Vbi Feli.num.4. de rescript. Gabriel.de except. concl.1. nu.5.*

5 Quo vero ad secundam nullitatem de defectu mandati eius, qui interuenit in causa pro Archiepiscopo multo magis visum fuit intrare arbitrium. Cũ enim mandatum probetur ex coniecturis, & præsũptionibus. *Gozzadin.consi.11.nu.13. Cæs.de Gras.decis.2.nu.5. de reb.Eccles.non alienand. Rot.diuers.decis.187. num.1.p.1.& decis.32.nu.2 p.2. Illustriss. Mantica de tacit.& ambig.lib.7. tit.6.nu.1.* & fuit dictum in vna Bononien. Fideicommissi de Mauris 16. Ianuarij 1609. coram Illustrissimo Lancellotto multæ in casu nostro concurrere videntur, ex quibus redditur verisimile, Franciscum Mendez habuisse mandatum. Fuit namque primo enunciatus procurator à Notario asserendo eum fuisse substitutum à procuratore Archiepiscopi, quæ assertio Notarij multum facit ad præsumendum mandatum *Put.decis.342.lib.3. Gabriel de procurat.concl.1.num.9. Menoch.de præsumpt.lib.2.præsumpt.33.nu.25. Cassad.decis.3.n.4. de procur.*

6 Secundo dictus Franciscus à sententia secundi iudicis appellauit, & inhibitionem Rotalem obtinuit, quam iudici intimari curauit, & alios actus relatos per Informantes pro Religione in huiusmodi causa fecit, quos verisimiliter non fecisset, nisi fuisset procurator, cum nemo præsumatur solicitus in alienis litibus. Item impensas in huiusmodi causa fecit sportulas ascendentes ad Scuta 10. deponendo, vnde oritur non leuis præsumptio mandati. *l. cum de indebito. C.de prob. Rot.decis.2. de caus. possess.& propriet.in antiquis. Soc.cons.86.nu.3.lib.3. Gabriel. vbi supra n.6.& Mantic.ibid. n.3.& 4.* & fuit dictum in Cesaraugustana pensionis.4. Iulij 1608. coram me, quæ impensa Scutorum 10. ad hunc effectum videtur notabilis, cum impensa etiam vnius ducati in priuato dicatur notabilis. *Put. decisi. 339. lib. 2.* & fuit dictum in vna Burgen. Abbatiæ de Salas 12. Maij 1612. coram D. meo Vbaldo.

7 Tertio cum Franciscus habuerit in manibus scripturas Archiepiscopi, easque produxerit in actis præsumitur habuisse mandatum *Bart.in leg. vulgo.in fi.ff.de administr.tutor. Ias.in l.1.sub n.12.vers.item vltra.C.de procurat. Cassad.d.decis.3. sub n.5. vers. & si apud aliquem. Caputaq.decis.185.nu.3.d.2.* & fuit dictum in Pampilonen. Parochialis de Arozol. 20. Iunij 1612. coram eodem Domino meo Vbaldo.

8 Quæ facilius procedere videntur in casu nostro stante clausula arbitrio Rotę, quę remittit iuris rigorem. *Crescen.decis.4. nu.3. de testib.* Alias autem nullitates adductas contra dictas sententias, Domini non habuerunt in consideratione, cum optime fuerint sublatæ in prædicta decisione bon. mem. Cordubæ, in qua solummodo supra relatæ fuerunt reseruatæ, & pro quibus tantum sanandis fuit obtenta commissio arbitrio Rotæ, quod ex supradictis intrare fuit resolutum. &c.

REVERENDISSIMO P. DOM.

PAMPHILIO.

Mediolanen. Decimarum. Lunæ 18. Martij. 1613.

ARGVMENTVM.

Decimæ prediales ad quam rationem debeantur, & an consuetudo circa diminutionem quotę decimarum probetur per solutiones, de quibus in decisione, & quæ requirantur ad hoc vt dicta consuetudo suffragetur.

SVMMARIVM.

Decimæ prædiales integræ debentur. nu.1.
Consuetudo circa diminutionem quotæ decimarum non inducitur per solutiones, quæ non sunt vniformes, nec vniuersales, sed factæ à singularibus personis vigore transactionum. nu.2.
Consuetudo non probatur, nisi probetur, quod actus qui pro consuetudine adducuntur, fuerint facti in vim ipsius consuetudinis. nu.2.
Consuetudo circa quotam decimarum debet esse legitime præscripta. nu.2.
Decimæ debentur etiam ex locis, ex quibus soluuntur primitiæ, & ex dispositione loquente de primitijs non potest inferri ad decimas. nu.3.

DECISIO CCCCXLI.

1 FVit ex pluribus decisionibus in hac causa firmatũ, decimas locorum Rancatij & Cliuesij spectare ad matricem Ecclesiam S. Iuliani, tam ante, quam post dismembrationem anni 1583. Ideo supradicta die dubitaui, ad quam rationem, & de quibus fructib. debeantur decimæ tam dd. Locorum, quam etiam loci Colonij

lonij sub dismembratione non comprehensi, & quia agitur de decimis prædialibus. Domini dixerunt, illas integras deberi *c. commissum. cap. peruenit. cap. non est cap. tua nobis. de decimis. Et de omnibus fructib. cap. nuncios. d. cap. non est. Et ibi Abb. n. 3. eo. tit. Rebuff. de decim. q. 8. n. 1.* Et fuit dictum in causa Sabin. decimarum *6.* & 28. Maij 1597. coram bon. mem. Gipsio.

2 Neque per solutiones decimarum, quæ dantur in processu de partibus censeri inductam aliquam consuetudinem, per quam possit dici diminuta quota decimarum iuxta opinionem, quam post *Rebuff. Balb. & Couar. allegatos* tenuit Rota in causa Sabinen. Decimarum. 8. Frebruarij 1602. coram bon. mem. Cardinale Pamphilio, & in alijs sæpe, quia præterquam quod prædictæ solutiones non sunt vniformes prout requiritur ad hoc vt ex illis inducatur consuetudo. *l. nemo. §. temporalis. ff. de reg. iur. Alex. consil. 5. num. 7. lib. 5.* & in istis terminis fuit dictum in alia Mediolanen. Decimarum. 5. Decembris 1597. coram Illustrissimo Cardinale Mellino, sed quædam ex illis maiorem, & quædam minorem summam continent, nec sunt vniuersales, sed sunt factæ à nonnullis singularibus personis pro bonis particularibus vigore transactionum & locationum ad certum tempus, quæ propterea non possunt dici factæ in vim consuetudinis. *iuxta. consil. Decij 402. num. 15. vers. vnde licet Aym. cons. 171. num. 14. vers. 4. pro hac, & cons. 197. nu. 12. vers. optime facit.* Pro responsione fuit etiam dictum, quod huiusmodi consuetudo non probatur legitime præscripta, & cum omnibus alijs requisitis quibus per *Abb. Imol. & alios in c. final. de consuet. & Rebuff. de Decimis quæst. decima tertia, num. 53. & seq.*

3 Neque obstare Decretum, cuius copia datur pro parte Parochi Ecclesiæ Sancti Ambrosij, quod Primitiæ quæ dictæ Ecclesiæ post illius erectionem in Parochialem solutæ fuerunt, etiam in posterum persoluantur, quia cum loquatur de primitijs, non potest ex illis inferri ad Decimas, quæ debentur etiam ex locis, ex quibus soluuntur primitiæ. *c. 1. vbi Abb. nu. 8. de Decimis.* cum alijs adductis in causa Mediolanen. Rescissionis permutationis. 22. Martij 1599. coram bon. mem. Cardinale Pamphilo.

REVERENDISS. P. DOMINO MANZANEDO.

Romana Dotis. Veneris 22. Martij 1613.

ARGVMENTVM.

Commissa causa super iure offerendi an censeatur commissa causa super liquidatione crediti.

SVMMARIVM.

Oblatio quæ fit à secundo creditore creditori excedenti possessione pignoris debet fieri pro integro credito. nu. 1.
Liquidatio est necessaria in quocumque iudicio, & absque ea exequutio fieri non potest. nu. 1.
Causa censetur commissa etiam super eo, sine quo ipsa causa principalis cognosci non potest. num. 1.
Liquidatio dicitur accessoria ad negotium principale. nu. 2.
Extensio non fit in accessorijs. nu. 2
Dictio tantum excludit diuersa, & separata, non autem connexa, & pertinentia ad dispositionem expressam. numero 3.

DECISIO CCCCXLII.

1 Felix de Leonardis agens pro recuperatione suæ dotis obtinuit ab Auditore Cameræ mandatum exequutiuum contra bona quondam Liuij Fulchi sui Mariti, quod exequi fecit super quadam Domo possessa per Laurentium anteriorem dicti Liuij creditorem, quem Felix prætendebat esse satisfactum de suo credito, & propterea causam eius possessionis esse finitam, & quatenus in aliquo remaneret creditor obtulit ei satisfacere, & adita signatura Sanctissimi, obtinuit rescribi eidem Auditori Cameræ, vt procederet super iure offerendi, tamen cum voto Rotæ, quacunque appellatione remota, cum autem antequam deueniatur ad ius offerendi sit prius liquidandum creditum dicti Laurentij, & ille neget pro hoc adesse aliquam iurisdictionem, hodie dubitaui an liquidatio dicti crediti sit comprehensa sub prædicto rescripto Sanctissimi, & Domini affirmatiue responderunt moti ex eo, quod oblatio debet fieri pro integro credito. *l. cum prior. ff. de distract. pign. Rip. in l. quod te. num. 22. ff. si cert. pet. Mandel. cons. 469. num. 19. & seq. Tiraq. de retract. conuent. §. 4. glos. 6. sub nu. 24. & seq.* & integrum creditum sciri non potest, nisi præcedente liquidatione, quæ in quocunque iudicio est necessaria, cum illa non præcedente exequutio non detur. *Bar. in l. proinde. §. notandum. ff. ad legem Aquil. Barbat. cons. 15. sub nu. 6. lib. 1. decis. Pedemont. 129. num. 6.* Vnde commissa causa super iure offerendi censetur etiam in necessarium antecedens cōmissa liquidatio, sine qua illa cognosci non potest. *ad l. 2. vbi Ias. num. 2. de offic. deleg. Felin. in cap. super literis. num. 20. septimo facit de rescript. Mandos. de commiss. forma prima, ad fin. versic. aliqua facienda.*

2 Non obstat, quod rescriptum non sit extendendum tanquam derogans Ordinariæ iurisdictioni. Quia cum liquidatio, & ius offerendi sint connexa, ex quo liquidatio dicitur accessoria ad negotium principale *Afflict. decis. 35. numer. 4.* nulla videtur fieri extensio, maxime stante clausula cum omnibus incidentibus, connexis, & quam, & quas, &c.

3 Minus obstat, quod in secunda parte commissionis dicatur super iure offerendi tantum. Quia illa dictio excludit diuersa, & separata, non autem connexa, & pertinentia ad dispositionem expressam. *Clem. exiui. §. cum autem natura. de verb. signifi. Roman. consil. 114. num. 5. & consi. 456. num. 2.* Et ita conclusum.

REVERENDISSIMO P. DOMINO DAMASCENO.

Lucana Cappellaniæ. Veneris 22. Martij 1613.

ARGVMENTVM.

Agitur de pluribus, concurrentibus iustificationem gratiæ, & in specie de iustificanda, narratiua valoris.

SVMMARIVM.

Gratia, vt non dicatur iustificata quo ad valorem excessus, debet esse in sexta parte. nu. 1.
Valor quando fuit narratus per nom excessum non sufficit narratiua de ascensu. nu. 1.
Liber priuatus non probat. nu. 1.
Testes examinati absque citatione dicuntur nulliter examinati. nu. 1.
Iustificatio gratiæ debet percutere tempus datæ. nu. 2.
Quasi possessio præsentandi attenditur ad validitatem præsentationis. nu. 3.

Præsentatio facta per procuratorem, vt sit valida, debet produci infra quatuor mẽses mandatum datum ad præsentandum. nu. 3.

Vocem integrã habere dicitur in præsentatione, qui habet maiorem partem eorum, qui vocem constituunt. nu. 4. & 5.

DECISIO CCCCXLIII.

Dictum fuit, gratiam non esse iustificatam precipue circa duo, primum nempe, quod illius valor non excedat Ducata centum de Camera, secundum, quod Camillus orator fuerit presentatus à medietate patronorum existentium in quasi possessione præsentandi.

1 Et quantum ad velorem licet ex quibusdam notulis, & testibus deducatur fructus Cappellaniæ reddere staria 152. grani, sex libras olei, barilia tria vini, & detur tabella Curiæ Episcopatus Lucani, per quam prætenditur cumulatis decem annis pretium grani asendisse ad rationem bonenorum 67. pro stario, & Proinde staria 150. grani importare Scuta monetæ 134. quæ summa non ascendit ab Ducata centum de Camera, barilia vero tria vini, & libras sex olei esse notorium non valere Ducatorum sexdecim de Camera, ita vt possint facere excessum in sexta parte valoris narrati, prout requiritur ad effectum, vt gratia dicatur non iustificata quo ad valorem *Verall. dec. 338. par. prima, in manuscript. Rota in causa Calaguritana Archidiaconatus coram Fabio relata inter diuers. impress. decis. 64. nume. 3. lib. 3. par. 3. & in Lodien. Canonicatus. 27. Febr. 1612. coram me.* Nihilominus fuit consideratum, quod istæ probationes non concludunt, nisi per ascensum ad prædictum valorem, quod non sufficit, quando narratiua est de non excessu. *Alex. cons. 64. nu. 7. lib. 2. Felyn. in c. ad aures. numer. 4. de rescrip. Ripa in l. si constante. nu. 18. in fi. ff. solut. matrimon.* Rota in causa Caputaq. beneficij 16. Iunij 1600. & in Catanien. quartæ portionis. 27. Iunij 1604. coram me. Vltra quod partitæ sunt extractæ ex Libro priuato qui non probat, vt late per Scribentes in *l. admonendi. ff. de iureiur. Fely. in cap. 2. num. 32. de fid. instrum. Verall. decis. 157. & 334. par. 2.* & testes dicuntur examinati sine citatione ad videndum iurare, & sic nulliter. *Butr. in cap. significauit. nu. 2. de testib. Cum. cons. 102. num. 5. Viu. opin. 966. numero quarto. Verall decis. 274. num. 3. par. tertia.*

2 Quantum ad præsentationem à medietate patronorum existentium in quasi possessione presentandi, dictum fuit, non esse iustificatam, si quidem præsentationes Camilli, quæ dantur, sunt posteriores data, & tamen certum est, iustificationem debere percutere tempus datæ *c. cum te. vbi Felin. nume. 18. de rescript. Imol. in Clem. fin. nume. 20. eodem tit. Anch. cons. 188. nu. 4. Gig. tract. de pension. quæst. 22. nume. 16. & seq. Rota decis. 28. nu. 2. de rescript. in antiq.* Non obstat decisio in causa Collen. Parochialis. 15. Decembris 1595. coram bo. me. Cardinali Seraphino. Nam quicquid sit de illa, ibi saltem constabat de consensu patronorum stante mandato iam dato ad præsentandum, in proposito autem casu non constat de tali consensu tempore datæ gratiæ.

3 Item fuit dictum non esse iustificatum, quod feminæ quæ præsentarunt Camillum tempore datæ gratiæ essent in quasi possessione præsentandi, & non est dubium, quin ista narratiua mouerit, cum ad validitatem præsentationis attendatur quasi possessio præsentandi iuxta notata in cap. consultationibus. de iure patronatus. Item cum illæ feminæ præsentauerint per procuratorem fuit dictum, debuisse produci mandatum infra quatuor menses datos ad presentandum, alias præsentatio non valuit. *Roch. tract. de iure patron. verb. honorificum. nu. 26. Lambert. eodem tractat. lib. secundo, quæst. prima, art. vigesimo primo, num. primo. Lap. allegat. 22. in princ. & ibi Abb.*

4 Præterea fuit dictum, nec Camillum habere medietatem patronorum, quo ad proprietatem, siquidẽ ius patronatus spectat ad descendentes Petri, & Iacobi de Ghiuizanis, omnes autem descendentes tam à Petro, quam à Iacobo præsentarunt Franciscum excepto Nicolao descendentes à Petro, qui tamen non impedit, qui Franciscus dicatur habere totam vocem descendentium à Petro *Imol. in Clem. plures. numer. 7. & Cardin. num. 3. de iure patron. Roch. de iure patr. verb. ipse. num. 6. & 7. Lambert. lib. 1. d. 1. quæst. 1. artic. 25. nu. 12. & 19. Ruin. cons. 50. n. 7. lib. 5. Cass. decis. 2. nu. 1. de iur. patr.*

5 Nec facit, quod Camillus sit etiam præsentatus à quatuor feminis descendentibus à Petro, nam omisso, an feminæ comprehendantur sub hoc iure patronatus, cessat difficultas, quia non fuit doctum in tempore de mandato Nicolai, qui tanquam illarum procurator præsentauit, sicut etiam, cum idem Nicolaus præsentauerit tanquam tutor Iosephi alterius descendentis à prædicto Petro, & sic cum Camillus non habeat medietatem vocis Petri, sed potius Franciscus habeat maiorem partem descendentium Petri, vox Petri dicitur esse apud Franciscum, non autem apud ipsum Camillum. *Imol. in dicta Clem. plures. nu. 7. de iure patron. cum alijs supra allegatis, &c.*

R. P. D. PIROVANO.

Hispalen. Pensionum. Veneris 22. Martij 1613.

ARGVMENTVM.

Valor beneficij affirmatiue expressus per ascensum in gratia reseruationis pensionis debet concludenter probari, quando hoc verum sit, & quomodo etiam testes debeant deponere super velore beneficij, vt ex illorum depositionibus oriatur concludens probatio. Magistralis decisio, & digna tanto viro.

SVMMARIVM.

Valor beneficij debet concludenter probari, quando fuit expressus affirmatiue in gratia reseruationis pensionis. num. 1.

Narratiua gratiæ quando ex causa concessionis, vel cessionis debet plene, & concludenter probari, nec sufficit leuior probatio. nu. 2.

Valor beneficij expressus in gratia quando dicatur fundamentum ipsius gratiæ, & causa concessionis gratiæ.

Testis de auditu à multis, & de fama publica super valore beneficij probat semiplene. nu. 4.

Valor beneficij debet probari de illo tempore, quo fuit gratia concessa. nu. 4.

Valor beneficij non censetur probatus per testes, nisi etiam deponant de dicto valore deductis oneribus. nu. 4. in fin. Declara, vt nu. 5.

Probatio magis adminiculata præfertur probationi non adminiculatæ. nu. 6.

Valor beneficij censetur talis, qualis fuit expressus in alijs antecedentibus gratijs. num. 6.

DECISIO CCCCXLIV.

1 Fvit resolutum, gratiam reseruationis pensionis Duc. 1100. quo ad valorem non esse iustificatam, quia debuisset concludenter probari valor beneficij, dum affirmatiue per ascensum fuit expressus Rota in Pamphilonen. beneficij coram bon. mem. Cardinale Blanchetto inter impress. 381. *num. 2. part. 1. diuers.* & in Rauennaten. pensionis 20. Iunij 1597. coram bon. mem. Litta, & in Asculana pensionis 28. Iunij 1593. coram Orano, non poterat ad tantam pensionem reseruandam, nisi certus fuisset de valore beneficij, cum non soleat reseruare pensiones vltra ter-

tiam,

tiam, aut dimidiam partem fructum, *Gig. de pens. q. 9. num. 1.* Præsertim quia iam antiqua pensio Duc. 500. reperiebatur reseruata super eodem beneficio, ita vt ex expresso valore tanto magis Papa fuit motus ad reseruandum secundam pensionem 1100.

2 Propterea quando narratiua est causa, vel fundamentum concessionis non sufficit leuis probatio, sed concludens semper requiritur. Rota in Marsicana beneficiorum inter impress. 268. nu. 4. p. 1. diuers. & in Casalen. Prepositurae. 21. Apr. 1597. coram Gipsio, & decisio, quæ in contrarium allegabatur in Burgen. pensionis. 10. Februarij 1585. coram Gipsio visa est Dominis non applicari, quia ibi erat quæstio. An valor beneficij esset exprimendus in pensione sine causa ad effectum euitandi subreptionem, sed fuit expressus, & affirmatiue ibi non diuiditur, quod sufficiat leuior probatio, & quamuis ex eo, quod quis non tenetur exprimere valorem, si exprimat, videatur obligari ad leuiorem duntaxat probationem, cum illa non solum requiratur pro iustificatione narratiuæ ad effectu euitandum subreptionis. *Cæs. de Grass. decis. 3. de probation. num. 7.* tamen quando narratiua est causa, vel cessionis, vel concessionis, sub ea quantitate, vt in præsenti, tunc non sufficit illa leuis probatio, sed requiritur plene, & concludens, vt fuit dictum in allegata decisione Marsicana beneficiorum inter impress. 268. *nu. 4. p. 1. diuers.*

3 Non obstat, quod huiusmodi expressio valoris non fuerit narratiua Papæ pro restitutione gratiæ, cum clausula dummodo, vel alijs importantibus conditionem, vt exinde cognoscatur, quod Papa voluerit se fundare in valore, vt fuit dictum in Pampilonen. beneficij de Canar. 13. Ianuarij 1578. coram Rubeo. Quia non minus dicitur fundamentum gratiæ valor per ascensum affirmatiue expressus, quando si conditionaliter, & restrictiue cum vtroque casu illa narratiua sit fundamentum concessionis, vel conditionalis, vel sub illa forma, & quantitate.

4 Ceterum talis concludens probatio non affertur. Nam testes examinati in Curia deponunt nisi de auditu à multis, & de fama, quod isti Canonicatus ascendunt ad Ducatos 2300. monetæ illarum partium, quæ semiplenam duntaxat facit probationem. *Cassad. decis. 2. in princ. de probat. Fely. in c. veniens. il 1. numero 7. de testibus.* & vlterius in hac semiplena probatione nō videtur concludens eorum testimonium. Tum quia vnus ex eis nempe quartus interrogatus de anno 1606 quo gratia fuit concessa, respondit nihil scire, & cum non percutiat tempus gratiæ, nihil probat. *Old. cons. 58. Cassad. decis. 19. in fi. super reg. Felyn. in c. eam te. col. fin. num. 22. vers. fallit quinto. de rescript.* Tum etiam quia non deponunt deductis oneribus, prout necesse est ad iustificatienem veri valoris per ascensum. *Fely. in c. ad aures. nume. 13. vers. 12. conclusio. de rescript. Sarnen. in reg. de valore. q. vlt.* & fuit dictum in Aretina beneficij. 16. Maij 1592. coram bon. mem. Cardinale Blanchetto.

5 Et quamuis in decisione Neritonen. pensionis. 3. Iunij 1606. coram Reuerendiss. Bononien. dicatur, quod fructus dicantur deductis oneribus, & ideo testes secundum iuris dispositionem sint intelligendi: Tamen ad hoc fuit responsum, intelligendum esse respectu expensarum in fructibus recolligendis, de quibus verisimiliter testes possunt esse informanti, non autem de alijs oneribus beneficij, quæ ab extra imponuntur, de quibus non loquitur *l. in fundo. ff. de rei vendic.* quæ allegatur in dicta decisione Neritonen. Testes autem examinati in partibus non videntur attendendi, cum fuerint nulliter, & attentate examinati. Quo vero ad notulam quantitatis frumenti, & aliorum fructuum, quę fuit data per computatorem, & si videatur attendenda, tamen iuxta calculum Periti non attendit ad valorem monetæ Hispaniarum 1800. vt in calculo, qui datur pro Thoma.

6 Postremo prædictæ omnes probationes videntur conquassari ex propationibus adductis per Thomam, ex quibus patet, quod isti Canonicatus non solent exprimi vltra valorem Duc. 1500. prout expressit D. Gaspar, quando per obitum Petri Rodriquez de Leon fuit illi prouisum de huiusmodi beneficio, nec valent vltra valorem 1800. illarum partium, vt ex supputatione decem annorum currentium ab anno 1595. ex fide computatoris, & ex testibus pro maiori parte Canonicis, & præbendatis illius Ecclesiæ. Et ista probatio in concursu tanquam magis adminiculata videtur præferenda. *Natt. cons. 373. num. 44.* Probationes enim meliores, & efficaciores ita obscurant, & debilitant minus efficaces, vt minus veræ credantur. *l. ob carmen. §. vlt. ff. de testibus. Menoch. de retin. poss. remed. 3. num. 718.*

REVERENDISSIMO P. D. DAMASCENO.

Barchinonen. Parochialis. Mercurij 27. Martij 1613.

ARGVMENTVM.

Monachus quando possit esse procurator, & quando requiratur intimatio in exequutione mandati, de immittendo, & quando executor debeat esse in dignitate constitutus.

SVMMARIVM.

Monachus non potest esse procurator extra res sui Monarij, nisi concurrat licentia sui superioris. nu. 1.
Citatio seu intimatio est necessaria in executione mandati de immittendo. nu. 2.
Fallit si articulus executionis fuerit bene discussus, & relaxatum mandatum citata parte. nu. 2.
Executoriales debent parti intimari. num. 2.
Executoriales continent tantum monitorium. nu. 3.
Mandatum de immittendo continet præcisam monitionem, quod quis inducatur in possessionem. num. 3.
Clausula intimetis, &c. quæ solet apponi in mandatis de immittendo non debet intelligi, vt intimatio præcedat executionem mandati de immittendo, sed quod sit facienda intimatio post exequutionem pro notitia eius, qui tenetur parere. nu. 3.
Mandata iudicialia debet intelligi prout de iure. num. 3.
Declaratoria est danda postquam sunt seruati quatuor termini substantiales. num. 4.
Attentate non causantur ex possessione instrumentali, quæ non habuit effectum. nu. 4.
Venisse non dicitur, qui non stetit. nu. 4.
Factum non videtur quod factum non durat. num. 4.
Momentaneum non habetur in consideratione. nu. 4.
Executor merus non requiritur quod sit in dignitate constitutus. num. 5.

DECISIO CCCCXLV.

Domini permanserunt in decisis sub die 28. Nouembris 1612. quod scilicet danda esset declaratoria contra Petrum, ob non paritionem mandati de manutenendo iuribus, & rationibus, de quibus in decisione desuper extensa. Quibus non obstare visum fuit, quod mandatum de immittendo fuerit nulliter executioni demandatum, & consequenter possessio illius vigore capta fuerit nulla, atque inde male decretum mandatum de manutenendo, & proinde minime veniat declaran. Petrus, si non obediuit mandato iniusto, quia negabant Domini

mini mandatum de manutenendo fuisse iniuste relaxatum.

1 Et dum primo pro hoc deducebatur, possessionem in vim mandati de immittendo fuisse nomine Iacobi captam, per quendam Monachum, qui de iure non potest esse procurator extra res sui Monasterij. Clem. religiosus. de procurat. Fuit responsum, conclusionem non procedere concurrente, prout concurrit in hoc casu, licentia superioris dicti *Monachi. glo. in c. Monachi. il 2. verb. Abbate. 16. q. 1. & in dicta Clem. religiosus. verb. licentiæ. vbi Card. num. 8. Vitalin. nume. 22. & 23. de procurat. Innoc. in cap. cum I. & A. numer. 2. in fine, & nu. 3. de sent. & re iud. Butr. in c. 1. numer. 16. vers. per hoc. de syndic. Dec. in cap. decernimus. numer. 7. vers. an autem è contra. de iudic. Rom. singul. 278. incipien. monachus. num. 2. Cæpol. consi. ciuili. 21. numer. 7. Rot. decis. 2. de procurat. in antiq. Achil. decis. 5. de procurat. & de communi testantur. Felyn. in d. c. cum I. & A. numer. 21. vers. & illud not. de sent. & re iud. Addent. ad Roman. d. singul. 278.* quicquid in contrarium dixerint *Io. Andr. in reg. in argumentum. de reg. iu. in 6. Abb. in c. sopitæ. n. 3. de cens. Anch. cons. 57. nu. 1. & 2.* cum prædicta opinio sit communis, vt patet ex allegatis.

2 Dum secundo loco opponebatur defectus intimationis mandati de immittendo tam de iure communi, ad notata in *l. meminerint. C. vnde vi.* & simile de executorialibus intiman. *Cassad. decis. 6. num. 10. de caus. poss. & propr.* quam ex forma ipsiusmet mandati. ibi intimetis, &c. fuit responsum quod quando articulus executionis, fuit in iudicio bene discussus citato possessore, & relaxatum mandatum tunc in executione prædicti mandati, minime est necessaria alia citatio. *Abb. in c. fin. n. 13. vers. 2. casus. de præsump. Imol. in c. pastoralis. §. quia vero. num. 19. de offic. deleg. Felyn. in c. de cetero. nu. 4. & 5. Surd. cons. 301. nu. 68.*

3 Nec applicatur materia executorialium, quia illæ continent tantum monitionem, non autem precisam comminationem, quod quis inducatur in possessionem, prout continet mandatum de immitendo. *Mandos. de commiss. 30. verb. loco literarum vers. Item executoriales. Vestr. in prax. lib. 8. cap. vlt. num. 16.* quantum vero ad verba mandati ibi, intimetis, &c. Fuit dictum, quod illa verba non erant intelligenda, vt intimatio deberet præcedere executionem mandati de immittendo, sed post illius executionem est faciend. talis intimatio pro notitia illius, qui tenetur parere. Ita vt si non paruerit possit declarari, alias ipse tanquam ignarus executionis non posset dici contumax, & istum sensum esse sumendum, cum verba mandatorum debeant intelligi prout de iure. *Alex. consil. 46. numer. 2. lib. 5. Anch. consi. 6. numer. 7. Castr. consi. 270. n. 2. lib. 2.*

4 Dicebatur etiam quod dato, quod possessio fuisset nulliter capta, attamen ex quo mandata Rotalia fuerunt non semel, sed pluries Petro intimata, & ipse non docet de aliqua paritione, immo constat de cōtrario, postquam seruati sunt quatuor termini substantiales, potest nihilominus deueniri ad declratoriam ex allegatis in decisione. Nec obstare, quod prædicta possessio tanquam nulliter capta fuerit attentata, & huiusmodi attentata de iure veniant purganda, priusquā possit procedi ad declaratoriam, vel aliud. Quia fuit responsum, quod ex quo illa possessio fuit vere instrumentalis, & naturalis, fuit per Petrum semper tenta, vel statim recuperata, non adest, quod purgetur perinde, ac si capta non esset, vt in Seguntina coram bo. mem. Litta, sub die secunda Iunij 1603. & faciunt iuris regulæ, quod non dicitur venisse, qui non stetit. *cap. si postquam, vbi glos. verbo mente. de elect. in 6. Ruin. consil. 112. ad finem. lib. 5.* nec videtur factum, quod factum non durat. *l. si pro parte. §. versum. ff. de in rem verso. l. item eorum. §. quod si, & ibi glo. verbo durat. ff. quod cuiusque vniuersitatis nomine*, & quod momentaneum minime habetur in consideratione. *l. fin. C. de bonis quæ liberis. c. ip. nam & ego, & ibi glo. de verb. sign. Abb. consi. 73. in prin. lib. 2. cum similibus.*

5 Circa illud, quod opponebatur, executionem minime fuisse in dignitate constitutum, fuit responsum, quod ex quo illi fuit commissum nudum ministeriū, dicebatur merus executor, & consequenter non fuit opus, vt esset in dignitate constitutus. *Rot. decis. 29. & 31. num. 1. de rescript. in nou. Archid. in cap. statutum. nu. 11. vers. secus tamen est. eod. tit. in 6. Card. consi. 103. nu. 10. Feder. de Sen. consil. 115. num. 2.*

REVERENDISSIMO P. DOMINO COCCINO DECANO.

Miranden. Pensionis. Mercurij 27. Martij 1613.

ARGVMENTVM.

A. C. potest non obstante regula Cancellariæ de non iudicando iuxta formam suppositionis, etiam literis non exhibitis, procedere executiue contra pensionarium.

SVMMARIVM.

A. C. habet facultatem procedendi summarie, & simpliciter sola facti veritate inspecta, & manu Regia absque alia terminorum obseruatione. nu. 1.

Clausula manu Regia operatur, vt iudex possit procedere de facto, & sine vllo iuris ordine. nu. 1.

Clausula sine strepitu, & figura iudicis operatur, quod iudex nulla data sententia potest iubere rem capi, & distrahi. nu. 1. in fine.

Instrumentum quando habet executionem paratam debitor habetur pro condemnato. nu. 2.

DECISIO CCCCXLVI.

1 Licet conclusiones firmatæ in decisione facta sub die 7. Maij 1612. visæ fuerint verissimæ: attamen cum causa pendeat coram A. C. & contra Mercatorem, visum fuit esse recedendum à dicta decisione, & concludendum hæredem pensonarij posse agere contra Mercatorem, qui se obligauit soluere terminos absque eo, quod ostendant literas pensionis fuisse expeditas. Nam inter, & contra Mercatores A. C. potest procedere vigore suarum facultatum summarie, & simpliciter sola facti veritate inspecta, & manu Regia absque obseruatione terminorum. Vnde stante clausula manu regia, censetur data facultas procedendi de facto, & sine vllo iuris ordine, vt per *Natt. in Clem. sæpe. §. non sic tamen. ver. visis supra scriptis. num. 95. Maranta in Speculo de ordine iudic. p. 4. dist. 9. num. 8.* & in puncto quod possit procedi executiue absque vlla sententia dicit *Bar. in extrauag. ad reprim. in verb. figura, in fine*, vbi dicit, quod ille qui habet facultatem procedendi sine strepitu, & figura iudicij, potest nulla data sententia iubere res capi, & distrahi, licet hoc sit magis de natura executionis, quam condemnationis, quia talia ante ius ciuile manu regia expediebantur.

2 Non obstat regula 26. Cancellariæ, de non iudicando iuxta formam supplicationis, quia cum vigore facultatum A. C. & personæ contra quam agitur, procedendum sit executiue, iudex non condemnat, sed præcipit debitori, vt soluat, & ratio est, quia quādo instrumentum habet executionem paratam, debitor habetur pro condemnato. *Castrens. consil. 319. col. 2. post principium, vers. & hoc ideo. lib. 1.* vbi quod in iudicijs ordinarijs præcedit cognitio, & sequitur executio, in executiuis vero è conuerso, & propterea, cum

cum agentur in iudicio ordinario, poterunt hęc omnia opponi, secus vero in isto iudicio executiuo, & hoc idem sentit. *Bar. loco superius allegato*.

3 Minus est verum, quod probetur non effectuatio reseruationis pensionis, quo casu obligatio Mercatoris cessat ex defectu causæ, quia allegata bene concludunt, sed non applicantur ad factum, quia talis non effectuatio non probatur. Et ex prædictis Domini recesserunt à resolutis, quia considerata in prima decisione bene procedunt, si ageretur in iudicio ordinario, non autem in executiuo.

R. P. D. VBALDO.

Bononien. Census. Veneris 26. Aprilis 1613.

ARGVMENTVM.

Transactio impedit litis ingresum, nisi in ea contineatur læsio.

SVMMARIVM.

Transactio est exceptio litis finitæ, & impedit litis ingressum. num. 1.
Transactio nihil aliud est quam recessus à lite, & actione mota, vel mouenda. nu. 1.
Transactio dicitur quasi transitus ab actione. nu. 1.
Transactio fit de re dubia. nu. 2.
Transactio valida est etiam ex eo, quod imminet litis periculum. nu. 2.
Transactionis natura est, vt aliquid vtrinque remittatur. num. 2.
Deliberatio pignorum in executione captorum solet fieri pro viliori pretio. nu. 3.
Renunciationis generalitas amplissima se refert ad omnia quæ possunt quoquo modo comprehendi. nu. 4.
Dictio respectiua antecedens repetit, & refert omnes præstantiores præcedentes. nu. 5.
Relatum est in referenti cum omnibus suis qualitatibus. num. 5.
Pactum resolutiuum in euentum ratificationis, habet locum, quando ille in cuius fauorem factum est, non vult vti illo pacto. nu. 6.

DECISIO CCCCXLVII.

1 FVerat pro parte Illustrissimorum Comitum Alexandri, & Iulij fratrum de Pepulis obtentum, committi causam in Rota peremptionis census olim impositi à bon. mem. Romeo eorum Patre ob prætensam inundationem terrarum, super quibus census erat constitutus, & rescriptum emanauerat sine præiudicio legitimæ exequutionis, quam cum fecisset Illustrissimus Marchio Cæsar etiam de Pepulis, hodiernus Dominus census super pluribus bonis per dictos DD. fratres possessis pro sorte principali, nec non fructibus decursis, & non solutis, fuit deuentum inter partes ad transactionem, sed cum nihilominus Comes Iulius mortuo iam Alexandro fratre vellet dictam causam peremptionis prosequi in Rota, fuit obiectum de dicta transactione. Vnde fuit datum dubium, an obstaret transactio, quo proposito die 23. Ianuarij præteriti, eiusque resolutionem dilata. Tandem hodie DD. dixerunt transactionem obstare, cum regula sit vulgaris, transactionem esse exceptionem litis finitæ, & impedire litis ingressum. *l. fratris, & ibi Bar. & alij. Cod. de transact. cap. 1. de lit. contest. in 6. l. eleganter. §. si quis. ff. de condict. indeb. Roland. consil. 28. nu. 16. lib. 4. Neuis. consi. 10. numer. 28. Illustrissimus Mantic. de tacit. & ambig. lib. 26. tit. 1. numer. 8.* & fuit dictum in causa Bononien. Portoni 12. Nouembris præteriti, coram R. P. D. meo Pamphilio, cum nihil aliud sit transactio, quam recessus à lite, & actione mota, vel mouenda, & ideo dicitur transactio quasi transitus ab actione secundum *Bar. in l. siue apud acta num. 22. C. de transact.* vel quasi transiens actio secundum. *Bal. in l. 2. ff. de iureiur.*

2 Nec visum est obstare, quod ista de qua agitur, non videretur transactio, cum transactio fit super re dubia. *Ias. in rubr. numer. 15. ff. de transact.* iura autem D. Marchionis videbantur clara propter mandatum exequutiuum ab eo obtentum exequutionem factam subhastationem, & deliberationem bonorum ipsi Marchioni decretam, quia fuit responsum, immo materiam fuisse dubiam, ex quo commissio super peremptione census erat iam præsentata in Rota tempore transactionis, vt supra dictum est, quæ causa peremptionis fuit comprehensa in transactione, vt infra dicetur. Immo sufficit ad validitatem transactionis imminere periculum litis, licet non sit de præsent. *C. de transact.* fuit dictum in causa Romana de Celsis. 19. Ianuarij 1607. coram Reuerendissimo Bononien. & in dicta causa Bononien. Portoni, & in dicta transactione fuerunt prolata huiusmodi verba, & ita communi Voto & animo lites omnes versas inter eos, & quæ in dies augeri posse dubitabantur transactione inita dirimere, & totaliter extinguere statuerunt.

3 Nec obstat, quod de natura transactionis sit, vt aliquid vtrinque remittatur. *l. transactio nullo dato. Cod. de transact.* quia etiam pro parte Marchionis videbatur aliquid remissum ex quo renunciauit subhastationi, & deliberationi bonorum in exequutionem iudicati captorum, quæ deliberatio pro viliori pretio vt notum est fieri solet, & loco pecuniarum sibi debitarum accepit in solutum bona cum pacto affrancandi intra quinquennium, vt legitur in ipso instrumento transactionis.

4 Non obstant quæ dicuntur de insufficientia mandati, quia quo ad Comitem Alexandrum nulla potest esse dubitatio, cum fecerit mandatum speciale aduersus transigentes cum Marchione Cæsare super omnibus litibus, super eos vertentibus, quo vero ad Comitem Iulium, adest etiam mandatum amplissimum etiam ad transigen. quod fuit canonizatum in dicta Bononien. Portoni inter easdem partes, coram R. P. D. Pamphilio.

5 Non obstat, quod in transactione non fuerit renunciatum liti super peremptione huius census, quia contrarium videbatur Dominis colligi ex narratiua ipsius transactionis, qua dicitur quod nõ obstan. pluribus prętensionibus, & remediis in vtraque signatura gratię, & iustitię pro parte DD. Comitis Iulij, & Alexandri propositis, & intentatis, fuerat per A. C. seu D. Spadam ab eo deputatum deuentum ad exequutionem mandati, & paulo infra, & ita communi voto, & animo lites omnes, & controuersias hactenus inter eos versas, & quæ indies magis augeri, & multiplicari dubitabantur concordia, & transactione infrascripta dirimere, & totaliter extinguere statuerint. Inter prędictas autem prętensiones vel lites, absque dubio reperiebatur hæc peremptio census, quæ non solum fuerat introducta per viam exceptionis coram D. Spada deputato ab A. C. vt in Summario vltimo loco dato pro parte D. Marchionis nume. 3. sed etiam per speciale rescriptum signaturæ fuerat commissa in Rota vt supra, vnde cum partes postea in transactione dicant se velle omnes lites, & controuersias extinguere, vt proxime dictum est, etiam inferius renunciauerint antedictis litibus, & causis, & omnibus etiam quibuscumque iuribus, & prętensionibus contra præmissa deductis propositis, & allegatis, & alijs quibuscunque, quæ in contrarium directe, vel indirecte aut alias quomodolibet dici, deduci, proponi, & allegari possent, finemque & perpetuum silentium illis impofuerint, nec amplius illis vti, nec ad illa reuerti promisse:

miserint, & conuenerint, non videtur dubitandum, quin etiam fuerit renunciatum dictæ prætensioni peremptionis census, tum ex vi generalitatis renunciationis, quæ est amplissima, *l.1. §. generaliter, ff. de l. præst. & in terminis transact. Honded. consil. 49. num. 8. & 24. lib. 1. Surd. decision. 217. num. 11. & seq.* tum ex virtute dictionis repetitiuæ antecedentis, quæ repetit, & refert omnes prætensiones præcedētes inter quas erat etiam ista prætensio peremptionis ex iam deductis, cum relatum sit in referente cum omnibus suis qualitatibus, *leg. asse toto, ff. de hæred. instituen. Aymon. cons. 45. nu. 4.*

6 Non obstat protestatio emissa à Comite Iulio contra dictum instrumentum transactionis, quia vltra quod non est in actis, stante sufficientia mandati non releuat, & clausula quod Comes Iulius deberet ratificare, fuit apposita ad cautelam, vt ibi patet, & pactū resolutiuum in casu non ratificationis fuit ad fauorem Marchionis, & habet locum eo volente illo pacto, vti vt etiam ibi expresse legitur, & fuit in similibus terminis consideratum in dicta Bononien. Portoni, coram D. meo Pamphilio.

7 Alia etiam adducebantur contra dictum instrumētum per Informantes pro Comite Iulio, veluti quod peremptio esset clara ob inundatione sequutam de anno 1590. quod census esset extinctus propter relaxationem mandati quo ad sortem de anno 1603. Item quod dicta tranſactio contineat multa pacta, quæ sapere videntur donationem, quæ donatio fuit expresse prohibita in mandato Comitis Iulij, ex quibus ipse prætendit, se fuisse maxime læsum in dicto instrumento. Vnde Domini, vt maturius circa hoc deliberarent, concluserunt transactionem obstare ex prædictis, nisi tamen adsit læsio, de qua mandarunt, vt particulariter videretur.

R. P D. VBALDO.

Romana Vsusfructus. Veneris 26. Aprilis 1613.

ARGVMENTVM.

Maritus relinquendo vsumfructum vxoris alicuius certæ quantitatis de bonis, in Vrbe existentibus, desumendum non debet fieri taxatio ad rationem septem Scutorum, cum dimidio, secundum dispositionem statuti Vrbis lib. 1. cap. 137. sed secundum fructuum locorum montium non vacabilium vrbis, vel bonorum immobilium, quæ solent reddere quinque pro centenario.

SVMMARIVM.

Statutum Vrbis lib. 1. cap. 137. loquatur licet in dote, habet tamen locum in donatione propter nuptias, & alijs lucris nuptialibus. num. 1.

Statutum Vrbis lib. 1. cap. 137. habet locum in donatione recompensatiua, vel subrogata in locum lucri dotalis, numer. 1.

Statutum Vrbis lib. 1. cap. 131. permittit coniugibus inuicem posse renunciare lucris dotalibus. nu. 2.

Locus vbi debet fieri solutio si ponitur in oratione, tunc restringitur, & limitatur dispositio, nu. 3.

Auth. præterea. dispositio succedit loco alimentorum, num. 4.

Alimenta secundum statutum Vrbis libr. 1. c. 137. taxantur ad rationem septem cum dimidio pro centenario, nu. 4.

Auth. præterea. C. vnde vir, & vxor. habet locum in muliere omnino indotata, ne in vilipendium mariti cogatur mendicare. nu. 4.

Mulier, quæ habuit in dotem duo millia, non potest dici incongrue dotata. nu. 4.

DECISIO CCCCXLVIII.

1 PRætendebatur pro parte D. Victoriæ sibi fuisse donatum à Ioan. Baptista suo viro vsumfructum Scut. mille, de quo agitur in recompensationem duplicis renunciationis ab ea factæ, videlicet lucro quarti dotalis, & beneficio *Auth. præterea. Codic. vnd vir. & vxor.* & pro inde d. vsumfructum taxari debere ad rationem Scut. septem cum dimidio, pro quocunque centenario, & anno ex dispositione statuti Vrbis, *lib. 1. c. 137.* quod licet loquatur in dota, tamen habet etiam locum in donatione propter nuptias, vel alijs lucris dotalibus, iuxta *consil. Bald. 58. num. 7. versic. super quarto lib. 2.* quem secutus est Senatus Pedemont. apud *Thessaur. decis. 45. num. 3. vers. sed cum iterum*, & fuit resolutum in Romana fructuum. 10. Aprilis 1600. coram Illustrissimo Mellixo, & in alijs, & consequenter in hac donatione vsusfructus recompensatiua, vel subrogata in locum dicti quarti dotalis, *ad leg. si eum, §. qui iniuriarum, ff. si quis caut.* Et propterea recedendum à decisione in hac causa facta 16. Nouembris præteriti, in qua fuit dictum sententiam extra Rotam latam, in qua taxatio prædicta fuit facta, esse reuocandam.

2 Verum Dominis visum fuit, hoc fundamentum non subsistere, & tolli ex facto ipso, quia quo ad quartum dotale illi fuit tam à Piccinardo ad fauorem Victoriæ, quam à Victoria ad fauorem mariti renunciatum, vt apparet ex instrumento ibi, insuper D. Victoria cum decreto iudicis, & cum præsentia supradictorum eius consanguineorum, & D. Io. Baptistæ in solidum renunciarunt quartæ eis iuxta formam statutorum Vrbis quomodolibet competenti, ideo nulla erat opus recompensa, cum renunciatio fuisset reciproca, quam facere potuerunt præmittente statuto Vrbis, *lib. 1. c. 137. in fine.*

3 Quo vero ad renunciationem Auth. præterea. dicebatur in primis illam fuisse factam ex eo, quod Piccinardus non erat alias matrimonium contracturus cum D. Victoria, vt apparet ex ipso instrumento in princ. & ibi. Et versa vice. Et quatenus in dicta donatio vsusfructus esset facta correſpectiue ad d. renunciationem, nō inde sequitur, vt vsusfructus debuerit taxari ad rationem septem cum dimidio pro centenario, cum ex dispositione donantis debeat percipi super ipsius bonis, in Vrbe consistentibus ad electionem Io. Baptistæ, vel eius hæredum. Vnde Dominis videbatur taxandus ad ratione fructuum locorum montium non vacabilium, vel bonorum stabilium, quæ nō excedunt quinq; pro centenario, ex allegatis in decisione in hac casa facta, quæ etiam hodie Dominis placuerunt, & faciunt, quæ not. *Bart. in leg. inter stipulantem, §. sacram. num. 6. ff. de verb. oblig.* quod vbi locus in eadem oratione ponitur, vt hoc tunc restringit, & limitat dispositionem, & sequitur *Surd. de al m. tit. 4. q. 26. num. 5.*

4 Non obstat, quod dispositio d. Auth. præterea succedat loco alimentorum, *Surd. d. tract. tit. 7. q. 12. numer. 10.* quæ alimenta taxantur ad rationem septem cum dimidio ex statuto Vrbis, *libro 1. capit. 137.* Quia id procederet circumscripta conueutione contrahētium quæ ex prædictis videtur clara. Vltra quod dispositio illius Auth. habet locum in muliere omnino indotata, ne cogatur mendicare in dedecus viri præmortui. *Bald. Salic. Alex. & alij in dicta Auth. præterea. Rol. post relatos cons. 15. num. 5. lib. 3.* Vbi de communi, *Natta. consil. 648. in princip. libr. 4. Deciad. resp. 70. num. 10. & seqq. lib. 2. cum alijs per Surd. de alim. tit. 9. & q. 37. nu. 7. & seqq.* Hæc autem mulier habuit in dotē Scuta duo millia, vt constat ex instrumento, & sic non potest dici incongrue dotata, *Surd. vbi supra num. 16.*

5 Ex quibus, & alijs adductis per Informantes censue-

fuerunt Domini, sententiam extra Rotam latam tum ratione taxationis dicti vsusfructus, tum ratione anticipatæ solutionis, esse reuocandam, & consequenter standum in decisis.

REVERENDISSIMO P. D.

COCCINO DECANO.

Motulen. Congruæ. Veneris 26. Aprilis 1613.

ARGVMENTVM.

Congrua, cui quando, & quanta, & de quibus fructibus debeatur.

SVMMARIVM.

Fructuum appellatione veniunt distributiones quotidianæ, quando præbendæ sunt distinctæ in Ecclesia, bona possidentur in communi, & postea singulariter certo anni tempore distribuuntur. n.1.
Congrua à Canonicis debetur Archiepiscopo quando penes ipsum residet cura animarum fuitque receptus, vt curatus. nu.2. & 3.
Congrua debetur Rectori, & curato. nu. 3.
Congrua debetur à Parochianis quibus Sacramēta ministrantur. Declara, vt num. 4.
Congrua assignata Rectori ipse Rector contentus esse debet, nisi fuerit ita tenuis, vt cum ea non possit viuere, & sustinere onera Ecclesiæ, quia tunc restituitur in integrum. nu. 5.
Fructus inserti non computantur in congruam. nu. 6.
Vbi etiam an in assignatione congruæ habeatur ratio obuentionum spiritualium.
Congrua Rectori assignanda quanta esse debeat. nu.7.

DECISIO CCCCXLIX.

1 ARchiepiscopus Massafræ petebat congruam à Canonicis, qui possident bona in cummuni, quæ postea certo anni tempore singulariter tantum cuilibet distribuuntur qui redditus proprie dicuntur fructus grossi. *gl.fi.in vers.plus dico in c. vni.de cleric.non resid.in 6. Prob.ad Monach.ibid.nu.60. Fel.cons.18.nu.6.vers.* modo ijs. *Io.de Anan.cons.87. num.5. in addit.vers.* ex his etiam. qui fructus succedunt loco præbendæ *Im n.in c. dilectus.il 1. de preb. & in c.ex parte. de concess.preb.Prob. ad Mon.loc. alleg. Bologn. in addit. ad Io. de Anan. d.consil. 87.num.5.*

2 Vnde dubitatum fuit, an dicto Archiep. deberetur congrua, & Rota censuit affirmatiue respondendum, probatur enim curam animarum residere penes ipsum nedum, quia vti de Curato fuit prouisus, & vti talis receptus à Canonicis, verum etiam & eius antecessor, vti de tali fuit prouisus, & concurrunt insuper duæ visitationes, vna de anno 1536. & alia moderna de anno 1610. in quibus capta informatione refertur curam residere penes Archiepiscopum, quæ omnia cum non dubitetur de existentia curæ, sed de pertinentia, negari non potest quin sufficiant, cum alias admittantur ad hunc effectum leuiores probationes, vt pluries fuit resolutum.

3 Cum igitur vna resideat penes dictum Archiepiscopum, ei debetur congrua *c.extirpandæ c.de Monachis de præb. c.1. eod. tit.in 6. Rebuff. in tract.de congr.q.4.in princ. Cæs.de Graff.dec.6.nu.11.& 13.de preb.Rot.dec.16.n.1.p.1.* & fuit resolutum in vna Pamphilonen. Congruarum. 29. Ianuar. 1590. coram Reuerendiss Perusino, & in alia Pamphilonen. Congruæ 27. Octob. 1594. coram Illustriss. D. meo Card. Mellino, & hæc quidem congrua debet præstari ex fructibus dictæ massæ grossæ, quia cum sint fructus comunes, & Archiepiscopus habeat maius onus, maiorem etiam partem hoc est congruam debet habere ex supra deductis.

4 Neque facit quod congrua debetur a Parochianis quibus sacramenta administrantur, *c.omnis Christianus. de consecr.d.1. Abb.in c.de Rectoribus.n.6. de cler.ægr.Surd. de alim.tit.1. q.60. num. 2.* quia fuit responsum, conclusionem esse veram, sed non applicari nam procederet quando Parochiani ex aliquo priuilegio non soluerent decimas, vel si Ecclesia esset sacramentalis, & non prædialis, & ex consuetudine non perciperet decimas, vel si decimæ spectarent ad Episcopum, quia ante erectionem Parochialium ei fuisset ius quæsitum, *gl. in c.statuimus.de decim.Rebuff.de decim.q.7.n.8.& 9.Verall. decis.340.p.3.* & fuit resolutum in causa Conchen. Decimarum de Villanoua. 5. Maij 1600. coram bon. mem. Cardinale Pamphilio, non autem in casu ista, quia Archiepiscopus petit congruam ex massa comuni, & ex communibus redditibus.

5 Minus etiam facit, quod cum congrua fuerit assignata à principio Archiepiscopo, illa debet esse contētus, vt fuit resolutum in causa Tullen. congruæ, 26. Iunij 1596. coram bon. mem. Cardinale Seraphino. Nam fuit responsum distinguendo, quod aut congrua est tenuis Rector tamen potest viuere, & sustentare onera Ecclesiæ, & isto casu intrat prædicta conclusio, quod sibi debet imputare, si tenue beneficium acceptauit. *gl. in c.1. in verb. necessitatem.20. q.2. Rebuff. de congr.q.12. nu.92.* & fuit resolutum in causa Astoricen. Congruę. 23. Mar. 1588. coram Illustriss. Mant. & in dicta causa Tullen. aut vero congrua est ita tenuis, vt Rector non possit viuere, & sustinere onera Ecclesia, & isto casu saltem per viam restitutionis in integrum succurritur Rectori aduersus assignationem congruæ, & isto casu Rector acceptando non dicitur sibi pręiudicasse cum non agatur de pręiudicio suę personę tantum, sed ordinis Clericalis. *Rebuff. de congr. q. 12.nu.91.* & fuit consideratum in causa Pacen. Congruę. 8. Iunij 1612. coram Reuerendissimo D. meo Sacrato Archiepiscopo Damasceno.

6 Neque obstat, quod Archiepiscopus habeat fructus incertos nempe obuentiones, quia isti non computantur in congruam. *Rebuff.tit.de congr.nu.83.& 86.Rot. dec.5.num.3.& seq. par.2.* & fuit dictum in alleg. decis. Pamphilonen. coram Illustris. Mellino, & Comitulo, & in dicta causa Pacen. 8. Iunij, & 3. Decemb. 1612. Nam etiam si in assignatione congruę habetur ratio omnium obuentionum spiritualium. *Abb. in c.cum sicut. nu.4. vers.* & adde opinionem Vincentij de consecr. Ecclesi. vel alt. non tamen obuentiones prędictę computantur in congruam, ita vt dicendum sit habet oblationes ergo non debet habere congruam, sed in assignatione habetur ratio illarum qua ratione habita ex qualitate personarum, & loci visum fuit DD. Ducatos 25. non constituere congruam sufficientem pro Archipresbytero capite Collegiatę.

7 Quanta autem debeat esse congrua cum hoc pendeat ex quantitate redditiuum, qualitate personarum, & loci DD. censuerunt cum Canonici habeant Ducat. 25. monetę illarum partium Archiep. deberi per congrua Ducatos 50. similes non computatis tamen obuentionibus. & alijs emolumentis extraordinarijs, eoque magis, quia ista quantitas videtur conformis taxationi de qua in Bulla Pij V. 46. in Ordine, quę licet non loquatur de congrua assignanda Rectoribus. *Rot. dec.5.p.2.Cæs.de Graff.decis.117.nu.12.& seq.* sed de congrua assignanda Vicarijs Ecclesiarum piis locis vnitarum, attamen visum fuit in hoc casu in quo Ecclesia est Collegiata, & cura residet penes Archiepiscopum bene adaptari rationem dictę Bullę, cum alii Canonici habeant tantum Ducatos vigintiquinque.

R.P.D.

R. P. D. MANZANEDO.

Camerinen. Donationis. Lunæ 13. Maij 1613.

ARGVMENTVM.

Arbitrium an intret pro sanatione nullitatis prouenientis ex iniustitia, & an debitum hæredis extinguatur per aditionem hæreditatis creditoris.

SVMMARIVM.

Arbitrium non intrat pro sanatione nullitatum, vbi constat de iniustitia. nu.1.
Nullitates prouenientes ex iniustitia Papa non solet sanare. num. 1.
Clausula constito de bono iure solet apponi in commissionibus sanatorijs. nu.1.
Arbitrium moderatur iuris rigorem. nu. 1.
Arbitrium à iure regulatur. nu.1.
Aditio hæreditatis creditoris facta per debitorem operatur extinctionem crediti pro rata, pro qua debitor est hæres. num. 2.
Cedere ius quod non habet nemo potest. nu.3.
Cedere nemo censetur iura competentia contra se ipsum. numer. 3.
Persona loquentis semper intelligitur excepta in generali sermone. nu.3.

DECISIO CCCCL.

1 QVamuis aliquæ nullitates oppositæ viderentur alias sanabiles, nihilominus visum fuit Dominis arbitrium non intrare pro illarum sanatione, cum constet de iniustitia mandati, quo casu cessat arbitrium ad dictum effectum, vt fuit dictum in Salernitan. Rectoriæ 4. Aprilis 1588. coram bon. mem. Cardinale Blanchetto, & alias. Papa enim non solet sanare defectus ex iniustitia prouenientes, non enim vult cuiquam tollere ius quæsitum ad *tradit. per Abb. in cap. 4. circa fin. de re iud. & per Staphil. de lit. iustitiæ. §. commissio an non detur superualidat. process. num. 15. vers. vlterius.* Vnde & in commissionibus sanatorijs solet apponi clausula constito de bono iure, cum autem in nostro casu constet de iniustitia prædicti mandati cessat arbitrium quantumcumque alias moderetur aliquo modo rigorem iuris, *Crescen. dec. 4. nu. 3. de testib.* tamen à iure, & secundum illud venit regulandum. *Bartol. in extrauag. ad reprimendum in vers. videbitur*, & pluries fuit dictum.

2 De prædicta autem iniustitia clare apparet respectu Scutorum 100. pro quibus mandatum fuit relaxatum vigore cessionis factæ per Io. Baptistam ad fauorem Ersiliæ, & Corneliæ de omnibus iuribus, & actionibus, quæ sibi competebant, & competere possent in & super parte, & portione eidem Ioanni Baptistæ obueniente ex bonis, & hæreditate q. Iulij, & in & super portione hereditatis, & bonorum quondam Ioannis Mariæ Calcalarij eius nepotis, vnde cum ipse Ioannes Baptista esset debitor eiusdem Ioannis Mariæ in dictis Scutis 100. & postea à Ioanne Maria institutus æque cum Matthæo eius fratre adiuisset illius hæreditatem, remanserunt actiones, & iura, quæ Ioãnes Maria habebat contra Ioannem Baptistam saltem pro dimidia parte dicti crediti extincta, quod operatur aditio per debitorem hæreditatis sui creditoris. *Paris. cons. 16. nu. 49. lib. 2. Afflict. dec. 237. nu. 4.*

3 Et sic stante dicta extinctione non potuit Ioannes Baptista cedere contra se ipsum ius, quod non habebat super dicta hæreditate tam ex regula *l. nemo plus iuris. ff. de reg. iur.* quam ex alia, quod nunquam censeatur quis cedere iura competentia contra se ipsum. *l. si peculium. §. 1 ff. de pecul. leg. Bald. in l. 2. C. an ser. ex suo fact. Alex. cons. 149. nu. 5. lib. 2. Rol. cons. 86. nu. 44. lib. 1.* in generali enim sermone semper intelligitur excepta persona loquentis. *l. inquisitio. C. de solut. cap. quisquis. de præben. Gozad. cons. 76. nu. 14. Surd. cons. 152. nu. 45. lib. 2.* Non obstat Ioannem Baptistam in inuentario hæreditatis Ioannis Mariæ descripsisse istud creditum cõtra se ipsum, & sic videatur noluisse illud extinguere, quia quamuis concedatur Ioannem Baptistam illud descripsisse, tamen respondetur illud fecisse ad effectum diuidendi hæreditatem cum Matthæo cohærede, vt posset sciri quanta pars vnicuiq; tangeret, qui effectus quo ad cohæredem non excludit quo ad ipsum Ioannem Baptistam effectũ extinctionis dicti crediti pro medietate, & sic excessiuitas, & iniustitia mandati clare detegitur, vt ex ea visum fuit arbitrium nõ intrare.

R. P. D. PIROVANO.

Toletana, seu Almerien. Decimarum. Mercurij 14. Maij 1614.

ARGVMENTVM.

Procurator cum potestate substituendi, substituere non potest antequam mandatum acceptauit, & quando dicatur acceptasse mandatum, sententiaque defectu citationis nulla respectu vnius, quando sit etiam nulla respectu alterius, & an conclusio in causa suppleat defectum citationis, & quando etiam ex duobus iudicibus delegatis vnus sine altero iudicare possit.

SVMMARIVM.

Procurator cum potestate substituendi non potest alium substituere, antequam mandatum procuræ acceptauit. num. 1. Declara, vt nu.2.
Procurator ex quibus actibus censeatur mandatum acceptasse. nu. 3.
Procurator constitutus cum potestate substituendi vnum vel plures non desinit esse Procurator altero substituto. num. 4.
Declarationes, & appellationes intelliguntur quatenus subsistant. Interim autem non est admittenda citatio ad effectum præiudicij. nu.5.
Sententia est indiuidua, & ideo respectu vnius nulla ex defectu citationis dicitur etiam nulla ex defectu alterius, qui fuit citatus, præsertim ratione connexitatis. nu.6. Declara, vt num. 7.
Prælatus solus potest comparere pro Ecclesia, ipso autem negligente comparere potest Thessaurarius, seu Oeconomus. num. 8.
Sententia defectu citationis nulla, quando valida reputetur per conclusionem in causa. nu.9. & seqq.
Conclusio in causa censetur circumducta per nouam iurium productionem, & admissionem. nu.11.
Iudices duo quando sunt delegati, vnus sine alio pronunciare non potest, & quid si vnus iudex est absens. nu.12.
Iudicis assertioni regulariter non statur pro iustificatione actus, per ipsum gesti. nu.12.

DECISIO CCCCLI.

1 FVndamenta decisionis die 15. Nouembris præteriti in hac causa factæ, placuerunt Dominis si in tertia instantia fuit sufficienter oppositum de nullitatibus, quod reseruarunt particulariter disputare. Dicebatur enim in prima decisione sententiam Prouisoris Almerien. fuisse nullam ex defectu citationis, quæ fuit exequuta in stratis contra principales, & tamen citandus erat Procurator constitutus, & hæc ipsa nullitas non videtur sublata ex responsione, quod

Ioannes

Ioannes Carasco Procurator constitutus nunquam ipse comparuit in actis causæ, nec substitutio Antonij Barnal ad certos, & particulares actus videatur concludere acceptationem, cum actus non fuerint penes acta Notarij, & deinde substitutus comparuerit in actis, & eos præsentauerit, quia nihilominus ad hunc effectum requiratur, quod Procurator ante substitutionem acceptauerit, *iuxta decisionem 7. de proc. in nou. Vestr. in prax. lib. 4. cap. 5. nu. 5.*

2 Nam decisionem prædictam & Vestr. Domini intellexerunt quando Procurator antequam ad eũ perueniant litteræ mandati substituit cum eo casu non possit exercere facultatem, quam ignorabant, secus vero quando ad eum peruenit mandatum, quia tunc dicitur mandatum acceptasse, & certus de suo iure potuisse subsistere, *Clem. 1. & ibi gl. verb. receptis, & verb. assensum, vers. verum est, de Proc. Mil. in verb.* Procurator non dicitur, nec censetur. *num. 42. Vant. de nullit. ex defect. mand. nu. 103.* & eundem sensum habuerunt addentes ad d. decisionem septimam.

3 In casu autem præsenti nedum Carasco receperat mandatum ante substitutionem, quod sufficeret, sed & ad exercitium illius vltra substitutionem processit componendo protestationem ad effectum illam producendi per substitutum afferendo se mandatum suũ exhibere, quæ omnia tanquam consecutiua facultatis citra mandati acceptationem contingere non potuerunt, *d. Clem. 1. cum gl. de Procur. Crau. cons. 106. num. 3. Abb. cons. 18. nu. 7. vers. 2. dixi, lib. 2.*

4 Nec datur Carascum acceptasse mandatum solum ad effectum substituen. ita vt facta substitutione consummatus remanserit actus susceptionis mandati, & potuisse procedi per contradictas Procuratore legitimo non comparente. Quia & hoc ipsum ex processu non iustificatur, sed contrarium legitur, dum substituit ad effectum præsentandi protestationem restrictiue, & non ad alium actum, quo casu non era dicatur facultas semel per acceptationem acquisita, & omne quod non transfertur remanet penes Procuratorem, *cap. is qui. de Proc. in 6.* Vltra quod mandatum Carachi erat datum cum clausula substituendi vnum vel plures, per quam non desinit esse Procurator altero substituto. *Bart. in l. quod si forte. §. quid ergo. nu. 3. in fin. ff. de solut. Rot. dec. 14. & 30. de Procur. in nou.* & maxime in Procuratore generali, prout fuit Carascus. *Fran. dec. 465. nu. 4. cum sequentibus.*

5 Et ex eo, quod Carascus declinauerit iurisdictionem prouisoris, appellando ab vlteriori processu, dixeritq; nolle amplius comparere, non propterea erat omittenda citatio, aut per contradictas, vel in stratis citandus principalis, quia declarationes, & appellationes intelliguntur quatenus subsistant. Interim autem non est omittenda citatio ad effectum præiudicij, *Franc. d. dec. 465. nu. 3. in 2. limit.*

6 Releuantem autem aliqui ex Dominis existimabãt nullitatem contra eandem sententiam in hac secunda positione excitatam, dum sententia legitnr lata ad fauorem Martini Arrendatarij, & Ecclesiæ Almerien. & tamen Ecclesia non erat in causa nec monitorio nominata, nec pro Ecclesia comparens mandatum habebat, & ideo sententia nedum remansit nulla respectu Ecclesię ad cuius instantiam non fuit citatio trãsmissa pro audienda sententia, sed etiam Arrendatari propter indiuiduitatem ipsius sententiæ, vt dicit *Cæs. de Graff. dec. 5. nu. 2. & 3. de re iud.* & multo magis propter connexitatem, quia ius Arrendatarij pendebat à iure ipsius Ecclesiæ decimandi, & non constito de fundamento Arrendatarius non potuit superædificare propter carentiam sui iuris. *Abb. in cap. cum inter. nu. 24. vers. & per hanc rationem. de re iud.* qui post alios in his terminis loquitur.

7 Nec responsiones datæ satisfaciebant, quod scilicet in connexis, & in inseparabilibus sententia lata pro vno suffragetur alteri, nam id procedit in consequẽtiam quo ad iustitiam, si sententia valide est prolata, secus vero vbi Ecclesia prætendit directe iuuari ex eadem sententia, quæ corruit ex defectu citationis, & è conuerso, dum dicebatur, quod si sententia lata contra Ecclesiam corruat defectu nullitatis, non trahit secum inualiditatem sententiæ Arrendatarij, id pariter procedit quando causæ sunt separabiles, vt dicunt *Fel. in cap. cum inter. num. 10. vers. nec est verum, de re iud. & Gabr. cons. 56. num. 16. vol. 1.* secus vero quando interesse est connexum, & omnes sunt nominati in sententia, quia tunc sententia quo ad vnum valida, & quo ad alterum inualida esse non potest, ex rationib. *Affl. dec. 218. alleg. per Cæs. de Graff.*

8 Nec obstat, quod comparuerit Barnabas Thesaurarius, seu Oeconomus, & Procurator quia in facto bene non iustificatur, nec est verum, quod ex iure vniuersali pro Ecclesia comparere posset, quia id non nisi Prælato negligente videretur admitten. *cap. cum olim, de testib. vbi DD. Rot. dec. 13. de iud. in antiq.*

9 Secundo principaliter dicebatur in 1. dec. secundam sententiam esse nullam ex defectu pariter citationis, & hæc nullitas ex responsionibus datis non euitatur. Nam quod pro validitate sententię sufficiat sola conclusio in causa absq; alia citatione hoc posset procedere, data consuetudine illius fori, & nisi à iudice certa forma fuisset tradita, de qua consuetudine non docetur, & contraria forma legitur in decreto, quæ debuit obseruari, & non probata præsumitur omissa. *Abb. cons. 84. nu. 1. lib. 1. & præiudicat. Put. dec. 168. secundum nouam impress. lib. 1. Verall. dec. 322. nu. 3. par. 2.*

10 Nec obstat, quod intimatio decreti conclusionis in causa de forma non esset necessaria, ex quo decretum non mandat intimari conclusionem, sed citari partẽ ad deferendum acta, quod sufficere videtur etiam pro intimatione à iudice reseruata, *Caputaq. dec. 322. num. 4. par. 2.* cum alijs allegatis. Quia ex ipso decreto tollitur obiectum, in quo citatio non legitur restricta ad deferen. acta, & informan. sed ad omnia contenta in decreto, & consequenter respectu conclusionis ex quo indefinite dicitur, vt citentur partes.

11 Cessat etiam alia ratio desumpta ex præcedenti cõclusione in causa, cum illa fuerit circumducta per nouam iurium productionem, & admissionem, & per plura hinc inde gesta, quæ sunt contra intentionem concludentium *Rom. cons. 176. nu. 9. Afflict. dec. 272. nu. 1. Rot. dec. 1. n. 1. de testibus in nou.* quod etiam fuit dictum coram me in causa Conchen. Decimarum de Castayon, die 5. præsentis mensis.

12 Vnus etiam ex Dominis approbabat nullitatem nouiter ponderatam ner Informantes contra d. sententiam Cantoris, quod cum causa antea esset instructa coram Molina in solidum cũ Cantore deputato Granaten. non poterat alius iudex citra vitium nullitatis se intromittere, cap. cum plures & ibi *Doct. de offic. deleg. in 6.* nec impedimentum absentiæ poterat suffragari ex sola iudicis pronũciantis assertione, cui regulariter pro iustificatione facti non statur *cap. prudentiam. de offic. deleg. Franc. in d. cap. cum plures, nu. 3. vers. sed vbi, &c. quoniam contra, vbi Felin. nu. 34. de prob.*

13 Et defectus ille non poterat sanari ex tacito partis consensu, & comparitione coram secundo iudice, cum non esset in sua facultate dare iurisdictionem nõ habenti. *Butr. post alios quos alleg. in d. cap. cum olim, il 1. nu. 9. eod. de offic. deleg. vbi not. omnes. Felin. in cap. 1. & G. nu. 11. eod. tit. Guid. Pap. q. 285. nu. 2. Mohed. dec. 3. nu. 1. de appellat.* & huic nullitati ex aduerso nihil fuit responsum, quare vt dictum est in initio, si sufficienter oppositum est de nullitatibus, prædictæ influunt etiam sententiam quæ, vti eodem vitio nullitatis laborans, sustineri non potest. Et ita, &c.

RE-

REVERENDISSIMO P. DOM. COCCINO DECANO.

Aretina Bonorum. Veneris 17. Maij 1613.

ARGVMENTVM.

Alienatio rei Ecclesiæ non validatur per beneplacitum Apostolicum, in quo habetur relatio ad instrumentum, si instrumentum appareat factum post beneplacitum, & quando productio vnius tituli excludat præsumptionem alterius, & an falsa narratiua vitiet gratiam.

SVMMARIVM.

Confirmatio alienationis rei Ecclesiæ relatiua ad instrumentum, quod præsupponitur celebratum nihil operatur, vbi instrumentum postea celebratum appareat. nu. 1.
Præsumptio alterius tituli non iuuat eum, qui alium titulum produxit. nu. 2.
Factum antecessoris præiudicat successori. nu. 3.
Fallit in his, in quibus antecessor non habet liberam facultatem disponendi. nu. 3.
Narratiua falsa in gratiosis vitiat gratiam, vbi fuit facta dolose, & fraudulenter, & dicitur dolosa, & fraudulenta, quando est talis, quæ verisimiliter induxit Papam ad facilius concedendum. nu. 4.
Extende etiam quod falsa expressio fit ex simplicitate, & ignorantia, quia nihilominus vitiat gratiam. nu. 4.

DECISIO CCCCLII.

1 Placuit Dominis decisio in hac causa facta, in qua fuit resolutum, locationem non sustineri, cum fuerit facta contra formam *extrauag. ambitiosæ. de rebus eccl. non alien.* nempe ad nouennium, non enim iuuatur ex beneplacito Apostolico, quia cum in eo præsupponatur instrumentum tunc fuisse celebratum, ibi, Nos igitur instrumenti tenorem, &c. & contrarium appareat, quia pars ipsa exhibuit instrumentum postea celebratum, sequitur, quod dicta confirmatio non sustineatur, vt in puncto vltra allegatos in prima decisione dicunt *Specular. de instrum. edit. §. nunc autem videndum. num. 1. & 2. Ias. in auth. si quis in aliquo. nu. 8. C. de eden. Roman. consil. 336. num. 2. Socin. sen. consil. 258. num. 9. lib. 2. Bellon. consil. 36. num. 10.* vbi quod idem est, quando est insertus tenor ad petitionem partis, non autem ex certa scientia.

2 Neque obstat quod productio instrumẽti non tollit præsumptionem alterius instrumenti per antea facti, quia hoc posset considerari, si Papa ex certa scientia confirmasset, hic autem cum simpliciter confirmasset, & in genere, & ad postulationem partis, cum pars ipsa produxerit instrumentum posterius, in data confirmationis Apostolicæ non potest se iuuare præsumptione alterius instrumenti, immo debet producere aliud instrumentum, si adest. *Ægid. cons. 10. num. 20. Aym. cons. 134. nu. 44. vers. pro hoc Rota dec. 731. nu. 19. par. 1.* hinc Rota non solet dare in istis terminis remissoriam ad hoc probandum per testes, cum possit probari per scripturas.

3 Neq; obstat confirmatio antecessoris Commendatarij, quæ videtur præiudicare successori ex *dec. 141. n. 4. part. 2.* quia decisio loquitur de confessione facta in iudicio, & quæ habet præsumptionem iuris pro se, hic autem neutrum conuenit, & propterea sequitur, quod antecessor Commendatarius non potuit præiudicare confitendo successori cum non habeat liberã facultatem disponendi. *Ias. in d. auth. si quis in aliquo. nu. 9. C. de eden. post Bart. & Bald.* quos allegat *Dec. cons. 474. nu. 2. & seq. Ægid. dec. 695. num. 1. & 2.*

4 Neque facit, quod in omnem euentum ista falsa narratiua non retraxisset Papam à concessione, quia, vt fuit dictum in alia decisione etiam, quod Papa aliter concessisset, nihilominus falsa narratiua in gratiosis vitiat gratiam, *ex dec. Put. 380. lib. 1.* Et quamuis replicaretur hoc esse verum, quando dolose, & fraudulenter fuit facta, *ex dec. Ægid. 4. num. 1. ad fin. vers. Ego tamen existimo.* attamen ipsemet Ægid. nu. 2. ibidem declarat esse dolosam, & fraudulentam, quando est talis, quæ verisimiliter deberet inducere Principem saltem ad facilius concedendum, qualis est expressio, de qua agitur, & cessat omnis difficultas, quia etiam quod expressio facta sit ex simplicitate, vel ignorantia, causat eundem effectum *Mandos. super reg. 32. q. 25. nu. 7.* Ex quibus, & alijs deductis in prima decisione Domini censuerunt locationem non sustineri.

REVERENDISS. P. DOMINO MANZANEDO.

Maceraten. Hæreditatis. Veneris 24. Maij 1613.

ARGVMENTVM.

Fideicommissum sub conditione relictum conditione non impleta, aut deficiente, locum non habet, & quando conditio deficere dicatur. Cetera videas in Summario.

SVMMARIVM.

Successiue dictio denotat ordinem, & continuationem ad præcedent a præcedentiumq. qualitatum repetitionem inducit. nu. 1. in fine.
Fideicommisso facto ad fauorem aliquorum dummodo assumant arma, & insinia testatoris, factus locus non est, si sic cum conditione vocati conditionem non implent. nu. 2.
Substitutus si sine filijs decesserit, excluditur per solam existentiam filiorum, quamuis filij non sunt hæredes. nu. 3.
Conditio intelligenda, & adimplenda est prout iacet quia in conditionibus inspicitur merum, & nudum factum. num. 3. in fine.
Fideicommissum sub conditione relictum conditione deficiente locum non habet. nu. 4.
Filiæ feminæ non dicuntur de linea testatoris, sed sunt principium lineæ. nu. 5.
Deficere non dicitur id, quod nunquam fuit. nu. 6. Vbi declaratur hæc conclusio.
Deficere verbum non solum importat mortem, sed etiam non existentiam. nu. 6.
Qualitas adiecta in gradu præcedenti non censetur repetita in gradu sequenti separato. num. 7. vbi ampliatur hæc conclusio etiam quod adsit copulatiua.
Copulatiua dictio inter orationes perfectas non repetit qualitates præcedentes. nu. 7. in fine.
Orationes plures distinctæ, & separatæ censentur continuatæ vna in aliam quando habent inter se aliquam correspectiuitatem. nu. 8.

DECISIO CCCCLIII.

1 Rota censuit præsuppositis decisionibus factis in ista causa pro Ascanio factum esse locum fideicommisso ad fauorem eiusdem Ascanij Vici cum ipse sit masculus transuersalis descendens à fratre Matthæi testatoris, vt fuit resolutum coram bon. memor. Iusto. 28. Maij 1608. & coram me 17. Februarij 1609. & sic veniat vocatus in locum deficientis lineæ femininæ, de cuius deficientia videbatur constare, ex quo tantummodo ad hoc fideicommissum fuerunt vocatæ feminæ agnatæ nempe filiæ testatoris, & filiæ filio-

filiorum, & descendentium masculorum quæ futuræ erant de agnatione testatoris, vt fuit dictum. 20. Febr. 1598. coram bon. mem. Cardinale Pamphilio, & 17. Decemb. 1610. coram me, quarum agnatarum vocatio, cum cum cœperit à die purificati fideicommissi per obitum vltimi masculi, vt fuit resolutũ coram eodem Iusto 10. Maij 1606. & coram me. 18. Iunij 1610. & cum de illo tempore istæ feminæ agnatæ extarent, quia præmortuæ fuerant masculo vltimo morienti nempe Capitaneo Francisco Vico, nec adimpleuissent onus sibi per testatorem iniunctum, assumendi cum suis Maritis nomen, & insignia testatoris, cessauit vocatio illarum, & per consequens masculorum cognatorum successiue descendentium ab illis, maxime ponderata illa dictione successiue, in vocatione dictorum descendẽtiũ ab istis feminis apposita, quæ denotat quendam ordinem, & continuationem ad præcedentia. *l. auia. in princ. vbi gl. ff. de condit. & demonstr.* quin & præcedentium qualitatum repetitionem inducit. *Honded. cons.* 49. *num.* 19. *lib.* 2. *Surd. cons.* 365. *nu.* 9. *lib.* 2.

2 Et deficiente vocatione istarum agnatarum ex nõ existentia illarum de dicto tempore purificati fideicommissi, ad quam fuit restricta illarum vocatio, & ex non assumptione cognominis, & insignium testatoris non solum cessauit vocatio prædictorum descendentium ex ipsis agnatis, nempe illorum de Ritijs, & litis consortium, vt fuit resolutum coram Iusto 18. Iunij 1607. sed etiam deficit linea feminina proueniens ex dictis agnatis, nam eodem modo, quo est verum Ritios, & Consortes realiter descendere à dictis agnatis filiabus testatoris, & sic à testatore per lineam femininam, & esse de illa, nihilominus non esse vocatos à testatore, quia nec ipsæ agnatæ à quibus descendunt, fuerunt vocatæ non existentes de dicto tempore obitus vltimi masculi, ita ex eadem ratione cessauit vocatio lineæ femininæ procedentis à dictis agnatis, quia & defecit ipsa linea, nempe ad effectum, quod sit factus locus transuersalibus masculis substitutis in casu deficientiæ dictæ lineę femininæ, vnde non sufficit Ritijs pro existentia dictæ lineæ femininæ probare ipsos esse de dicta linea tanquam descendentes ab agnatis filiabus testatoris, nisi probent dictas agnatas superuixisse vltimo masculo & assumpsisse nomen, & insignia testatoris, ad quas qualitates fuit restricta vocatio istarum agnatarum, & successorum illarum, & sua linea feminina in conditione apposita, alias non potest dici constare de duratione, & existentia, & nõ deficientia dictæ lineæ.

3 Ex quibus cessat obiectum, quod quamuis istæ agnatę non existentes de tẽpore purificati fideicommissi non fuerint vocatæ, nec descendentes ex illis ex supradictis; Tamen ad effectum excludendi purificationem conditionis deficientiæ lineæ femininæ, satis est existentiæ prædictæ lineæ, quamuis non esset vocata, *l. filiusfamilias, §. cum quis rogatus erit. de l.* 1. *vbi gl. & Curt. & Salic. num.* 2. *& Castr. in l.* 1. *num.* 7. *C. de cond. insert. Ruin.* hanc dicens communem *cons.* 81. *num.* 15. *lib.* 2. *Crauet. alios referens, cons.* 62. *nu.* 2. *Ias. in l. precibus, nu.* 6. *C. de impub. & alijs, & Illustriss. Mantic. de coniect. vlt. vol. lib.* 11. *tit.* 6. *nu.* 14. Vltra quod in conditionib. inspicitur merum, & nudum factum, & prout iacet conditio est intelligenda, & adimplenda, *l. qui hæredi, & l. Meuius, ff. de cond. & demonstrat. Alberic. in d. l. filius familias, d. §. cum quis, nu.* 10. *&* 11.

4 Tum etiam quia positi in conditione non sunt qui excludunt substitutum, ideo non requiritur illorum vocatio, sed conditionis defectus, qui illos excludit, *Rip. in l. ex facto. §. ex facto. num.* 10. *vers. & dixeris, & in l. hæredes mei. §. cum ita. num.* 120. *vers.* 2. *respondetur. ff. ad Trebell. Alciat. respons.* 56. *num.* 3. *in fin. & num.* 4. *lib.* 9. *Mantic. d. d. tit.* 6. *num.* 15. *vers.* 2. *respondetur.* Quæ confirmantur ex decisione Bonon. fideicommissi de Canobijs 8. Iunij 1601. coram Illustriss. Lancellotto, vbi firmatur, quod non dicitur conditio deficere, sed purificari fideicommissum ex non existentia lineæ femininæ, ergo eodem modo videtur dicendum deficere, & cessare fideicommissum ex sola existentia prædictæ lineæ, vt idem operetur oppositum in opposito, quod propositum in proposito. Respondebatur enim adducta in contrarium procedere, sed non applicari, cum predicta linea feminina, quam testator posuit in conditione nõ extet, sed defecerit per deficientiam vocationis istarum agnatarum ex non super existentia illarum de tempore purificati fideicommissi ex supradictis.

5 Minus obstat, quod relatio lineæ femininæ ad dictas agnatas cesset, quoties proprieta verborum illam non patitur. *Old. cons.* 152. *nu.* 3. *vers.* & si eum læditur *Alex. cons.* 226. *num.* 5. *lib.* 6. & alijs citatis notat *Peregr. vbi supr. art.* 16. *nu.* 42. prout in præsenti videtur illam non pati, cum supradictæ agnatæ vocatæ, cum sunt filiæ testatoris, non sint de linea, sed faciant initium lineæ femininæ, & ipsæ sint de linea masculina ex *Castr. in l. maritus, nu.* 5. *vers. si etenim, C. de procur. & melius in cons.* 190. *nu.* 1. *lib.* 2. *Gab.* 90. *nu.* 32. *& seq. lib.* 1. *Peregr. de fideic. art.* 26. *nu.* 27. *& seq.* Respondetur verum esse istas agnatas esse principium lineæ fæmininæ prouenientis ab ipsis, & ex eo resultare, quod cessante vocatione ipsarum, & ab ipsis descendentium ex rationibus, supra, & in alijs decisionibus adductis deficiat, & dicta linea ex supra ponderatis.

6 Nec etiam obstat, quod ista linea feminina, cum nunquam fuerit, nec incœperit ex supradictis, non potuit dici, quod defecerit, *ad text. in l. non potest videri desiisse. ff. de reg. iur. l. si extraneus, ff. de cond. caus. dat. l. Litio vsusfr. ff. de cond. & demonstr.* Quia respondetur contrarium esse verius, quia verba deficiente linea feminina comprehendunt tam casum mortis filiarũ præmorientium, quam non existentium, aut quia præmortuæ, aut quia nunquam natæ *ad text in l. vni. §. vbi autem cum gl. & in §. sin autem ad deficientes, C. de cad. toll.* & deficere non solum importat mori, sed etiam deesse, siue non esse, *vt in l.* 1. *C. de indict. viduit. toll. l. petitionem, C. de aduoc. diuers. iud. ex quib. ita tenet Bero cons.* 66. *nu.* 16. *& cons.* 102. *nu.* 18. *lib.* 2. *& Alciat. cons.* 41. *nu.* 11. *& seq. lib.* 9. *& Soc. iun. cons.* 181. *nu.* 23. *&* 25. *libr.* 3. *Dec. cons.* 227. *per totum. Sim. de pret. de interpret. vlt. vol. lib.* 3. *solut.* 11. *nu.* 48. *& seq. fol. mihi* 291. qui late hanc partem tuetur, quam etiam tenet *Surd. in dec.* 37. *nu.* 26. & hanc sententiam approbauit Rota in supradicta Bonon. fideicommissi de Canobijs coram Illustrissimo Lancellotto.

7 Minus obstare videtur, quod ista clausula transuersaliũ stat de per se, & continet substitutionẽ separatã à præcedentib. vnde intrat regula, non fieri repetitionẽ qualitatis adiectæ præcedenti gradui separato in seq. *Par is. cons.* 58. *n.* 23. 24. *& seq. lib.* 2. maximè stante diuersitate personarum in vtraq; substitutione, *vt in d. n.* 25. & etiam si adsit copulatiua, vt in *n.* 26. & sequitur *Dec. respon.* 17. *num.* 34. *lib.* 1. & tunc separatim de illis iudicatur, nec infertur de vna ad aliam. *Bar. in l. iam hoc iure. §. fin. circa fin. & Castr. ibi. nu.* 7. *ff. de vulg. & pupil. Gabr. cons.* 95. *n.* 2. *lib.* 1. *Honded. cons.* 78. *n.* 48. *lib.* 1. *& cons.* 48. *n.* 49. *lib.* 2. & facit regula, quod copula inter orationes perfectas non repetit qualitates præcedentes *leg. qui fundum de contrah. emption. leg. Seiæ. §. Gaio, & ibi Bartol. ff. de fund. instruct. Rip. in capit. ex part. num.* 56. *de rescript.*

8 Quia respondetur quod in substitutionib. quamuis factis de diuersis personis, & indistinctis, & separatis orationib. tamen quia vna substitutio fit in defectum alterius omnes habent inter se aliquã correspectiuitatem, & censentur continuatæ vna ad aliã stante copula, & quæ legitur in ista clausula. *Rebuf. in l. coniunctionẽ* 29. *vers.* 7. *de verb. signif. per text. in l. & quia, de iurisd. omn. iud.*

iud. & tunc qualitates expressæ in prima oratione, & substitutione censentur repetitæ in secunda, *iux. Bal. in consil. 17. lib. 2. & Anch. consil. 361. nu. 2.* & alijs relatis fuit dictum coram me in Florentina fideicommissi. 3. Decembris 1607.

9 Quo vero ad ea, quæ ex aduerso adducebantur circa cassationem vocis masculinæ, respondebatur non obstare, quia potuit fieri de mandato testatoris ad euitandam superfluitatem, maxime cum remaneat idem sensus ex supradictis. Ex quibus sic fuit resolutum.

R. P. D. MANZANEDO.

Neapolitana Alimentorum. Veneris 31. Maij 1613.

ARGVMENTVM.

Ecclesia patronum non tenetur alere, quando vltra necessaria ad Dei cultum, & ministrorum alimenta aliquid non superest, & patronus aliunde potest alimenta habere.

SVMMARIVM.

Ecclesia tenetur succurrere patronis ad inopiam vergentib. num. 1.

Ecclesia debet dare alimenta patrono pauperi si superest vltra id quod necessarium est ad Dei cultum, & ministrorum supra alimenta. nu. 2.

Ecclesia non tenetur alere patronum, qui alias habet vnde possit ali. nu. 3.

Frater fratri in egestate constituto debet alimenta præstare. num. 3.

Equites Hierosolymitani sunt vere religiosi, & faciunt vota substantialia. nu. 3.

Religio monachum admittens, tenetur eidem præstare alimenta. nu. 3.

DECISIO CCCCLIV.

1 MOnasterium Montis Oliueti Neapolitan. non teneri ad alimenta præstanda Domino Equiti Ianuario Oliriæ Domini resoluerunt, quia quamuis Gurellus Oliria fundauerit hoc Monasterium de anno 1411. & Ecclesia teneatur patronis ad inopiam vergentibus succurrere, *per text. in cap. quicunque 16. quæst. septima, & in cap. nobis. de iure patronatus.*

2 Nihilominus Dominus Eques Ianuarius non probat descendentiam à dicto fundatore, & licet illam probasset, non constat de requisitis à iure ad hoc, vt à Monasterio, alimenta sint illi ministranda. Requiritur namque quod Patronus ad egestatem peruenerit, & quod Ecclesiæ supersit, nempe quod primo ministri Ecclesiæ alantur, & necessaria ad seruitium Ecclesiæ suppeditentur, quibus ministratis, si bona Ecclesiæ supersint ab illa patronus erit alendus, *iuxta gl. fin. in dict. cap. quicunque, & Abbas in d. cap. nobis. num. 6. & ibi Butr. nu. 22. Lambertin. de iurepatr. lib. 3. artic. 2. tertiæ quæstionis principalis. nu. 2. Petr. de Citadin. eod. tract. 6. par. art. 4. nu. 3. & 5. cum seq. Roch. eod. tract. in verb. & vtile. num. 1. & 2. Rolan. cons. 2. num. 33. lib. 3. Cassad. dec. 3. nu. 2. de iurepatr. Surd. de aliment. tit. 7. quæst. 32. num. 1. & 2. cum seq.* sed sic est quod de dicta egestate Domini Ianuarij non constat cum aut habeat annuos Ducatos 360. sibi à fratre Carolo assignatos, aut habeat bona sibi ab eodem Carolo retrocessa, vtcunque sit, non potest dici ita egenus, vt prædicta alimenta à Monasterio habere debeat, ad tradita *in dicta gl. fin. in dicto cap. quicunque quam sequitur. Bal. in l. fin. C. de reuocan. donat. & ad tradita à Lambert. dicto lib. 3. art. 3. tertiæ quæst. principalis. nu. 2. cum seq. & à Citadino vbi supra. num. 5. & à Surd. vbi supra tit. 1. q. 54. à num. 15.*

Tum etiam quia detractis impensis necessarijs pro alimentis 24. Monachorum, & familiæ, eidem Monasterio seruientium, & pro cultu diuino, & reparatione Ecclesiæ necessarijs, non constat superesse bona ex quibus Monasterium possit Dominum Ianuarium alere.

3 Tum etiam quia Ecclesia non tenetur patronum alere si ipse alias habeat, à quo ali debeat. *Surd. d. tit. 1. q. 54. num. 16.* Dominus autem Ianuarius, quamuis esset patronus habet dictum fratrem, qui fratri Ianuario in egestate constituto, tenetur alimenta ministrare *gl. fin. in l. qui filium. ff. vbi pupill. educ. deb. Cyn. in l. 2. num. 2. C. de alen. liber. & ibi Albericus. istam dicens communem. nu. 1. late. Surd. vbi supra titul. 1. quæst. 25. in princ.* vlterius cum Dominus Eques Ianuarius, sit Eques Sancti Ioannis Hierosolymitani, quam ingredientes tria vota substantialia emittunt, & per consequens dicuntur veri religiosi, ex *Mobed. decis. 10. de caus. poss. & propr. & Rota dec. 436. nu. 2. par. 3. lib. 3. diuers.* Vnde religio quæ illum admisit tenetur ad alimenta eidem præstãda cum Monasterium teneatur alere Monachum, quem ad religionem admisit. *Castr. cons. 76. nu. 1. lib. 1.* qui mouetur duabus rationibus quas refert & sequitur *Surdus, vbi supra tit. 1. q. 75. nu. 1. & tit. 9. q. 27. nu. 10.*

R. P. D. PAMPHILIO.

Gerunden. Hebdomadariæ. Lunæ 3. Iunij 1613.

ARGVMENTVM.

Petitorium quando dicatur commune deductum, & de nullitate vnionis sine consensu Capituli, & non citatis interesse habentibus plura notanda, de quibus in Summario.

SVMMARIVM.

Gratia si neutri non suffragatur nisi constito quod beneficium sit litigiosum. nu. 1.

Beneficium satis dicitur litigiosum ex commissione causæ appellationis, ex citatione cum inhibitione, & illius exequutione. nu. 1.

Clausula quam, & quas apposita in commissione possessorij facit vt etiam petitorium deduci possit. nu. 2.

Petitorium quibus verbis censetur in commissione deductum & intentatum. nu. 2. in fine.

Producens instrumentum censetur fateri etiam in eo contenta. nu. 3.

Confessio impetrantis facta in supplicatione probat contra impetrantem, & supplicantem. nu. 4.

Negatiua ex reuolutione actorum probatur. nu. 4.

Vnio facta per ordinarium sine consensu Capituli non valet, & de huiusmodi inualiditate dare potest non solum Capitulum, sed etiam quilibet alius cuius interest inualiditatem apponere. nu. 5.

Vnio dicitur nulla, quando in ea non fuerunt citati interesse habentes, nu. 6.

Clericatus, & Presbyteratus ex literis ordinarij probatur. num. 7.

Valor Beneficij per non excessum probatur per testes de publica voce, & fama. nu. 8.

DECISIO CCCCLV.

1 PRo Ioanne informante dixerunt Domini gratiam si neutri esse iustificatam, quod enim beneficium sit litigiosum prout in huiusmodi gratia necessario requiritur, *iuxta decis. Rot. 24. de rescript. in nou. & dicit Sarn. in regul. de annal. quæstio. 28. numer. tertio, versic. præterea. Verall. decis. 34. numer. secundo, & sequent. par. secunda*, satis constat ex commissione in vim appellationis pro parte Ioannis Bassols obtenta, & ex citatione,

ne, cum inhibitione illius vigore emanata, & legitime in partibus exequuta, vt per *Ægid. dec.* 545. *& Cassad. dec.* 1. *nu.* 4. *vt lit. pend.*

2 Non obstat, quod sententia exequutoris à qua fuit pro parte dicti Ioannis Bassols appellatum lata fuerit in possessorio, quia placuit responsio, quod cum in commissione adsit clausula, quam, & quas poterat illius vigore deduci etiam petitorium, vt fuit dictum in causa Mediolanen. Cappellaniæ tertia Iulii 1595. coram bon. mem. Card. Pamphilio, & in alijs causis. In casu autem de quo agitur petitorium, bene censetur deductum ex quo Ioannes in articulis pro eius parte datis dicit sibi adiudicandum esse beneficium cum omnibus suis iuribus, & pertinentijs, vigore primæ gratiæ, & illud ad se pertinere declarandum, quæ verba cum non referantur ad nudam possessionem, censetur ex illis deductum etiam petitorium. *Contard. de moment. poss. quæst.* 13. *nu.* 24. *& seq.* maxime, quia verbum pertinere, est latissimum, & aptum comprehendere tam petitorium, quam possessorium. *l. verbum illud. ff. de verb. signific. Rot. dec.* 9. *nu.* 1. *de caus. poss. & prop. in nou. Felin. in rubr. de rescript. nu.* 7. *vers. hoc autem.*

3 Quantum ad vacationem per obitum Gabrielis de ea constat ex instrumento vnionis pro parte Ioannis Francisci producto, ex qua productione resultat confessio omnium in eo contentorum. *capit cum olim. de censibus. Soc. sen. cons.* 11. *nu.* 1. *in princ. lib.* 3. *Surd. cons.* 5. *nu.* 37. quæ sufficit ad effectum iustificationis gratiæ. *Ægid. dec.* 268. & fuit sepissime decisum.

4 Narratiua quod neutri ius competat satis iustificatur respectu impetrantis ex propria ipsius confessione, vt tenuit Rota in causa Aquinaten. beneficij vigesimo primo Februarij 1603. coram Reuerendissimo Bononien. & in causa Vicen. Parochialis Castri Tertiolis septima Maij 1612. coram Reuerend. Pat. Domino meo Manzanedo, respectu vero Ioannis Francisci ex reuolutione actorum ex quo enim huiusmodi narratiua coarctatur loco eo ipso quod non apparet ex actis de iure dicitur iustificata, vt fuit resolutum in dicta Aquinaten. beneficij coram Reuerendissimo Domino Bononien. & in causa Pamphilonen. Parochialis. 7. Iunij 1610. coram Reuerendiss. D. At trebaten. & in alijs causis.

5 Non obstat, quod Ioannes Franciscus sit rector Parochialis Ecclesiæ de Castro Follito, & possideat huiusmodi hebdomadariam tanquam vnitam prædictæ suæ Ecclesiæ, quia ista vnio per sententiam exequutoris fuit declarata nulla, & de illius nulliiate appellat ex quo fuit facta per ordinarium sine consensu Capituli, qui tamen erat necessarius. *Clement. vltim. & ibi Doct. de rebus eccles. non alien. Petr. de Vbald. de vnion. capit. quinto, numero decimo quinto, quæstione septima, Rebuff. post Bald. & alios quos allegat in prax. super regul. Cancell.* 21. *de vnion. gloss. vndecima, numero secundo*, & cum solennitas huiusmodi consensus fuerit inducta fauore Ecclesiæ de illius defectu nedum Capitulum, sed etiam quilibet alius cuius interest opponere potest, ex adductis in causa Vercellen. vnionis. 26. Aprilis 1610. coram Illustrissimo Cardinali Lancellotto.

6 Præterea placuit etiam Dominis alia nullitas ex eo, quid hebdomadaria de qua agitur fuit ab ordinario dismembrata ab Ecclesia Parochiali de Monte acuto quæ regitur per tres portionarios hebdomadarios nuncupatos, & vnita prædictæ Ecclesiæ de Castro Follito quo casu debebant citari etiam duo alij portionarij, de quorum interesse agebatur, quia cum non fuerint citati, vnio dicitur nulla tam attenta dispositione iuris communis. *Petr. de Vbald. de vnion. dict. capit.* 5. *in princip.* quam etiam ex forma *Concil. Trident. sess.* 7. *cap.* 6.

7 Presbyteratus Ioannis probatur ex literis sui ordinarij. *cap.* 2. *vbi Abb. in* 1. *notab. de cleric. peregrin. Felin. in cap. post cessionem. nu.* 3. *&* 15. *de probat.* & fuit dictum in causa Sorana beneficij 16. Nnuemb. 1594. coram bo. mem. Card. Pamphilio.

8 Valor quod non excedat Ducat. 60. sufficienter probatur ex testibus deponent. pro non excessu, & de publica voce, & fama, vt per *Put. dec.* 29. *lib.* 1. *Veral. dec.* 277. *nu.* 7. *par.* 1. & fuit sæpe decisum.

REVERENDISSIMO P. DOMINO DAMASCENO.

Romana Census. Lunæ 10. *Iunii.* 1613.

ARGVMENTVM.

De immissione ex Saluiano interdicto, quando concedenda, & quomodo impediatur.

SVMMARIVM.

Saluianum interdictum competit creditori cum hypotheca cōstito de credito, & de possessione rerum hypothecatarum tempore obligationis. nu. 1.
Cessionarius agere potest ex iure cesso contra debitores cedentis. nu. 2.
Fideiussor, qui diu stetit in obligatione potest à principali debitore petere liberationem dictæ obligationis. nu. 3.
Impugnare nemo potest actum à se alias approbatum. nu. 4.
Legitimæ grauamen imponi non potest. nu. 5.
Census impositio dicitur alienatio. nu. 5.
Exceptio requirens altiorem indaginem in Saluiano interdicto. nu. 6.

DECISIO CCCCLVI.

1 PRo Informante fuit tentum, dandam esse similiter immissionem ex Saluiano D. Abbati Cardello, etenim constat de illius credito cum hypotheca & de possessione illorum, qui se obligarunt ad fauorem d. Cardelli, quibus duabus concurrentibus competit Saluianum. *Bart. in l.* 1. *nu.* 2. *ff. de Salu. interd. Castrens. in l. rem alienan. nu.* 11. *ff. de pign. actio. Roland. cons.* 14. *nu.* 13. *lib.* 1. *Put. dec.* 207. *num.* 2. *lib.* 1. in causa Esina Saluiani, Iulij 1605. coram me.

2 Creditum iustificatur ex instrumento impositionis census factæ per DD. de Cuppis vsque de anno 1554. cum accessione q. Ioannis Petri Cardelli etiam promissionis cum hypotheca bonorum de releuando indemnem d. Cardellum factæ per dictos de Cuppis iunctis pluribus solennibus fructuum dict. census factis tam per d. q. Io. Petrum, quam D. Abbatem eius filium, & hæredem cum reportatione cessionis iuriū à censuarijs, ex quibus resultat creditum D. Abbatis ex triplici capite. Primo ex releuatione indemnitatis sibi siue Io. Petro eius authori promissa, ex quo tanquam fideiussor plures pecuniarum summas soluere fuit coactus.

Secundo quia tanquam cessionarius censuariorum quibus soluit, repræsentet personas & iure cesso potest agere contra res censui suppositas *iuxt. not. per Bal. in l.* 1. *num.* 5. *Aret. num.* 20. *Dec. in fin. ff. si cert. pet. Idem Bal. consil.* 63. *in princip. lib.* 2. *Ruin. cons.* 209. *num.* 16. *lib.* 1. *Boer. dec.* 10. *nu.* 2.

3 Tertio quia tanquam fideiussor, qui diu stetit in obligatione poteit petere liberationem tam ex statuto Vrbis lib. 1. cap. 157. quam ex dispositione iuris communis, de quo *in l. Lucius Titius. §. fin. vbi gl. & scrib. ff. mandati. Bald. in l. si pro ea. num.* 4. *in fin. C. eod. tit. Affl. decis.* 241. *nu.* 3. *Guido Papæ dec.* 117. *in princ.* prout egit etiam supea hoc & obtinuit duas conformes, quæ ex *statuto Vrbis lib.* 1. *cap.* 18. faciunt rem iudicatam.

4 Possessio predictorum de Cuppis in Palatio Agonis de

de quo agitur est notoria, & probatur ex alijs in facto relatis, & signanter ex eo, quod Vrsini modo possessores fuerunt tanquam creditores eorundem de Cuppis ex eodem remedio Saluiani immissi, vnde nō possunt negare possessionem prædictorum de Cuppis iuxta tradita per *Alex. cons. 133. nu. 11. lib. 6. Gozad. cons. 3. nu. 19. Crauet. cons. 188. nu. 5.*

5 Non obstat, quod Palatium sit subiectum fideicommisso alias facto Cardinali de Trano, quia sustinetur ratione legitimæ illorum, qui imposuerunt censum, in qua legitima minime potuerunt grauari, *l. quoniam in prioribus, Cod. de inoffic. testam.* & palatium censetur electum in legitima eo ipso, quod prædicti de Cuppis deuenerunt ad illius alienationem *Bald. in l. iubemus, num. 3. Cod. ad Trebell. Aret. cons. 18. numer. 5. Paris. cons. 44. num. 46. libr. 2. Guido Papæ decisio. 609. in princ. Cephal. cons. 189. num. 19. Gabr. tit. de legit. conclus. 4. num. 9.* impositio enim census dicitur alienatio vt fuit coram me dictum in causa Romana restitutionis dotis 17. Martij 1600.

6 Et in omnem euentum ista exceptio tanquam requirens altiorem indaginem non admitteretur in Saluiano, *l. fin. C. quorum bon. Rip. in rubr. ff. de pig. nu. 19. prope fin. cum alijs per Menoch. de adipiscend. remed. 3. nu. 180.* Rota in causa Romana Saluiani interdicti, 3. Martij 1608. coram bon. mem. Pegna.

REVERENDISSIMO P. D. MANZANEDO.

Viterbien. Legionis. Lunæ 3. Iunij 1613.

ARGVMENTVM.

Læsio vltra dimidium iusti pretij, non præsumitur quando venditio est facta cum iudicis decreto, nisi adsint veræ, & concludentes probationes.

SVMMARIVM.

Iudicis decretum habet præsumptionem pro se. nu. 1.
In dubio debet iudicari pro reo, & pro possessore, nu. 1.
Vltimus status rei debet attendi, nu. 2.
Pretia rerum tempore variantur, nu. 2.
Ex præsenti præsumitur præteritum, quando non intercedit longa distantia, nu. 2.
Æstimatio domus rusticæ non debet fieri principaliter, sed accessorie, & in quantum reddit vtilius vel deterius prædium. nu. 3.
Prædium emphyteoticum est minoris valoris ratione Canonis, & periculi caducitatis, nu. 4.

DECISIO CCCCLVII.

1 VIsum fuit Dominis sententias esse infirmandas, quia ratione læsionis, vltra dimidiam iusti pretij, declarant venditionem nullam, & condemnant emptorem ad restituendum prædium, de quo agitur, vel supplendum iustum pretium, & tamen nullibi constat de læsione, quæ erat plene, & concludenter probanda ab allegante, præsertim contra venditionem, facta præuia subhastatione, & deliberatione habenti iudicis decretū pro quo semper præsumitur. *Corn. cons. 98. nu. 7. lib. 1. Alex. cons. 92. num. 14. libr. 5. Socin. cons. 115. libr. 1.* Vnde cum illa non fuerit probata, potius erat absoluendus emptor tanquam reus, & possessor, *l. qui accusare. C. de edendo.* Quod autem d. Læsio non fuerit probata apparet ex eo, quod duæ æstimationes prædij subhastati ex quibus illa deducitur patiuntur plures defectus, & ideo non videntur attendendæ. Prima enim fuit facta extraiudicialiter, & non constat de tempore, quo fuit facta.

2 Secunda vero de Anno 1609. fuit facta à septennio post subhastationem, & sic non percutit tempus illius deliberationis sequutæ de Anno 1601. quod debet attendi ad istum effectum *l. si voluntate, in fine C. de rescind. vendit. Tiraquel. de retract. conuent. in præfation. num. 24. Gabr. de empt. & vend. conclus. 1. num. 47. Cagnol. in l. 2. nu. 164. de rescind. vend.* & nimirum cum pretia rerum tempore varientur. *l. pretia rerum ff. ad l. Falcid. l. 3. §. Diui ff. de iure fisci.* & licet præsenti aliquando præsumatur in præteritum, quando intercessit longa temporis distantia. Tamen quicquid sit de ista præsumptione in casu nostro cessat difficultas ex testib. deponentibus terras plus valere hodie, quam à septē Annis citra, & in specie de malo statu Prædii estimati de tempore subhastationis, & de meliori de præsenti, cum enim constet de causa extrinseca propter quam alteratio prætii potuit contingere, non est locus d. presumptioni. *Castr. in d. l. 2. ad finem, & ibi Cagnol. d. num. 264.*

3 Vlterius Domus rustica existens in d. prædio fuit æstimata, tanquam Vrbana, cum tamen deberet æstimari cum diminutione, saltem tertiæ partis iusti pretii ipsius, ex quo huiusmodi domorū ratio non habetur principaliter, sed tantum accessorie, & in quantum reddit vtilius, vel commodius prædium, vt fuit resolutum in vna Anconitana Terrarum 28. Nouembris 1588. coram Illustrissimo Cardinali Platto, & in alia Viterbien. Prædii 28. Iunii 1600. coram bo. mem. Seraphino.

4 Quibus accedat, prædium fuisse æstimatum tanquam liberum, cum tamen sit emphyteoticum, quod ideo est minoris valoris, nedum ratione Canonis, Sed etiam periculi caducitatis, *leg. final. §. final. vers. ne auaritia. vbi Gl. & Doct. C. de iure emphyteotico. in l. pretia rerum §. nonnulla, num. 2. ff. ad l. Falcid. Cagnol. in d. leg. 2. nu. 243. Dec. cons. 167. col. 2. vers. secundum respondetur. Crauett. cons. 145. nu. 9.*

DECISIO CCCCLVIII.

Ciuitatis Ducalis Donationis extra Rotam. Mercurij 5. Iunij 1613.

Impressa Apud Buratto.

DECISIO 7.

DECISIO CCCCLIX.

Romana euictionis. Veneris 6. Iunij 1613.

Impressa Apud Ludouisio.

DECISIO 119.

DECISIO CCCCLX.

Viterbien. Pecuniaria extra Rotam Lunæ 10. Iunij 1613.

Impressa Apud Buratto.

DECISIO 9.

R. P. D. VEROSPIO.

Firmana pecuniaria. 10. Iunij 1613.

ARGVMENTVM.

De ſtatuto excludente feminas propter maſculos quã do dicatur fundatum in ratione conſeruationis agnationis,& per illud an frater Vterinus Vterinam ſororem excludat. In caſu præſertim ſtatuti Firmani,de quo in deciſione.

SVMMARIVM.

Caſus in ſtatuto omiſſus remanet ſub diſpoſitione iuris communis. nu.3.

Filij tam maſculi, quam feminæ vtriuſque matrimonij æqualiter ad hæreditatem matris admittuntur. nu. 3.

Statuta iuris communis correctoria interpretari debent, vt minus quam fieri poſſit,illud lædant. nu.4.

Statum excludens feminas propter maſculos fundatur in ratione conſeruandæ agnationis. nu.5.

Frater vterinus vterinam ſororem non excludit vigore ſtatuti excludentis feminas propter maſculos. nu.6.& 7.

Statutum excludens feminas propter maſculos, tunc in conſeruatione agnationis ſe fundaſſe præſumitur quando feminæ excluduntur pro cippi familiæ conſeruatione. nu. 8.

Statuti vna pars aliam declarat. nu.8.

Dictio vt ſupra eſt repetitiua omnium qualitatum præcedentium. nu.9.

Referenti non creditur, nec illud attenditur non conſtito de relato. nu.9.

DECISIO CCCCLXI.

1 CAtharina de Adamis mortuo primo viro ſuperſtite Calidonia communi filia ſecundo nupſit cum dote Scutorum trium millium Iulio de Nobilibus,ex quo ſuſceptis pariter duobus maſculis,cum inteſtata deceſſiſſet dicta Catherina,litem in partibus inſtituit contra Iulium vitricum pro conſecutione tertię partis dotis per matrem illi ſolutæ, & duas ſententias ad ſui fauorem obiecit vnde cauſa vigore appoſitionis ad Rotam deuoluta,& mihi commiſſa,dubitaui,an dictæ ſententiæ confirmandæ eſſent, vel infirmandæ.

2 Et Dominis viſum fuit,eas eſſe confirmandas, non obſtante Firmano ſtatuto de reſtit, dotium lib. 3. cap. 44.in quo duo caſus exprimuntur.Alter quando vxor viro prædecedit, relictis filijs & filiabus communibus,& tunc ad ſucceſſionem bonorum dotalium primo loco maſculi vocantur, & eis non extantibus feminæ. Alter caſus eſt, quando pariter viro prædecedit mulier ſuperſtitibus ex vtroque matrimonio liberis, & tunc dos inter maſculos, vel feminas, vt ſupra capita præcedentis, & ſequentis matrimonij ſecundum æqualiter diſtribuitur vigore dicti ſtatuti, prætendebat Iulius aperte Calidoniam excludi, cum in ſecundo caſu diſponatur, prout ſupra in primo, vbi expreſſe feminæ propter maſculos excluduntur.

3 Hoc tamen fuit dictum non obſtare cum iſte caſus in ſtatuto non includatur. Nam in dicta ſecunda parte ſolum diſponitur vbi maſculi,tam ex primo, quam ex ſecundo matrimonio ſuper ſunt. Tunc enim feminæ ſunt excluſæ, non autem quando feminæ ſolum ex primo, & maſculi tantum ex ſecundo matrimonio reperiuntur, vt hic. Vnde iſte caſus tanquam omiſſus remanet ſub iuris communis diſpoſitione. *l. qui extraneus.ff.ſolut.matrim. Doctores communiter in leg.ſi cum dotem.ff.eod.Gab.conſ.*154. *num.24. lib.1.* De iure autem communi tam maſculi, quam feminæ vtriuſque matrimonij æqualiter ad Matris hæreditatem admittuntur §.*ſi quis igitur,auth.de hæred.ab inteſt.auth. itaque, C.de communia de ſucceſſ.*

4 Non obſtat, quod ex identitate rationis etiam feminæ primi matrimonij à maſculis ſecundi viri per ſtatutum excluſæ intelligantur, nam vltra quod hic non militat eadem ratio, vt dicetur, cum huiuſmodi ſtatutum ſit iuris communis correctorium,ita debet interpretari, vt minus quam fieri poſſit, illud lædat. *l.C.de noxal.action.Vbi Salicet.Curt.iun.conſil.7.nu.8.Socin.iun.conſ.122.nu.5.lib.2.Crauet.conſ.259.num.2.*Minus autem corrigitur, ſi per maſculos eiuſdem matrimonij tantum, non autem diuerſi feminæ excludantur.

5 Quod autem in caſu noſtro eadem ratio, non vigeat quæ in prima parte ſtatuti, quando videlicet ex eodem matrimonio maſculi adſunt, & feminæ ſatis colligitur,ex quo regulariter ſtatutum feminas propter maſculos excludit pro agnationis conſeruatione.*Ioan. Andr.in addit.ad Specul.in Rubr.de ſucceſſ.ab inteſt.colum. 1.Cin.Alberic.Salicet.& alii in l.1. C.de adulter. Paulus. de Caſtro.conſ.40.num.1.lib.2.Fulgoſ. conſ.77. num.1. & 2. Roma.conſil.20.num.5.Menoch.conſ.6.num.11.& conſ.95.num. 60.Paulus de Monte Pico conſil.85.num.34. & ſeqq. vbi de communi,Curt.iun.conſil.21.numer.22.lib.1.Alber. Brun. de ſtat. Quod ſtantibus maſculis. articul. 12. numer. 252. cum ſeqq. quæſtio.18. Non. conſil. 12. colum. quinta*, ideo non debet d. Sororem excludere,cum inter ipſos non militet ratio agnationis, propter quam femina dicitur à maſculis excluſa.

6 Et in terminis,quod frater vterinus vterinam ſororem non excludat vigore ſtatuti feminas propter maſculos excludentis tradunt *Bald. conſil.316. lib.2. Socin. conſil.84.num.2.& ſeqq.lib.1.Idem conſil.241.num.9.lib.2.& in l.cum vir.num.2.ff.de condit.& demonſtr.Socin. iun.conſ. 1.nu.51. & ſeqq. Thob.Non. conſ.121. Paul. de Monte Pico conſ.85.num.34. Brun. de ſtat. quod ſtantibus maſculis art.1. num.250.cum ſeqq.quæſt.18.Natta de ſtatutis excluſiuis feminarum. q. 3.principali. num. 62. Gabr. de ſtatut. concl.7. num. 78.*

7 Et licet *Gabr.conſ.15.num.40.& ſeqq.lib.1.& conſ.18.num. 44.lib.2.Honded.conſ.1.num.17.lib.2.* contrariam opinionem amplectantur. Prima tamen Baldi, & Socini videtur magis communiter recepta, quando præſertim ſtatutum ratione conſeruandæ agnationis eſt conditum, vt in caſu noſtro. Tunc enim omnes Doctores communiter Baldum, & Socinum ſequuntur, vt fatentur etiam *Gabr.& Honded.loco ſupra alleg.Bald.conſil. 30.num.4.lib.1.Ang.conſ.118.& conſ.282. colum.1. & ſeqq. Caſtrenſ. conſil. 348. lib. 2. Alex. in l. ex facto.num.45.ff.de vulg. & pupil.*

8 Quod autem hoc ſtatutum pro conſeruatione agnationis emanauerit vltra deducta per Informantes, patet etiam ex eo, *quod in rubrica 49. de ſucceſſ. ab inteſt.* & feminæ propter maſculos excluduntur pro cippi, familiæ conſeruatione,quæ verba idem videntur importate, ac ſi de agnatione ſpecialiter facta fuiſſet mentio, *Anchar.conſil.27.& conſil.152.in primo dub. Cornel.conſ.55.num.6.& conſil.88.num.1.lib.1.Cephal.conſ.571. num.47.Crauet.conſ.800.num.5.Socin.iun. conſ.94. num.9. & 103.n.19.volum.2.*Et cum ad d.Rubricam ſtatuentes in hac noſtra ſe referant, dicendum eſt hic pariter eos agnationis rationem habuiſſe, cum vna ſtatuti pars per aliam declaretur,*Socin.conſ.9. num.9. volum. 3. Curt. iun.conſ.1.nu.42.lib.1.Surd.dec.43. num. 14. Gabr. conſil.11. num. 21. lib. 1.*

9 Nec releuat, quod hac ratione, ſicut in prima parte ſtatuti feminæ propter maſculos excluduntur, ita excluſæ intelligerentur in ſecunda parte,cum ibi ſtatuentes voluerint fieri diuiſionem,vt ſupra, quæ dictio,vt ſupra,repetitiua eſt omnium qualitatum. *leg. 1. §. ex hoc edicto. ff. de poſtulan.* Nam reſpondetur primam partem,ad quam fit in ſecunda relatio, expreſſe loqui de filijs eiuſdem matrimonij,& cum non ſtatuatur

tur in ea, quod à masculis diuersi matrimonij feminę excludantur, vtique referens non debet attendi non constito, de relato, *leg. si quis fundum, de contrah. empt. Innocent. Abb. & alii in cap. inter dilectos, de fid. instrument. Bald. in leg. 1. numer. 8. Cod. de Episc. & Cler. & in c. 1. de feudo Guardiæ, vbi Affl. n. 8. ver. sedquid diceret.*

R. P. D. PAMPHILIO.

Perusina concordiæ. Lunæ 10. Iunij 1603.

ARGVMENTVM.

Arbitro electo per partes, non acceptante non resoluitur contractus de æquitate canonica, sed recurritur ad arbitrium iudicis.

SVMMARIVM.

Instrumentum publicum dicitur probatio probata. nu. 1.
Contractus compromissi dicitur resolutus, si vnus ex arbitris, in quem fuit relatum arbitrium, noluit acceptare. numer. 2.
Arbitro electo non arbitrante de æquitate canonica non dissoluitur compromissum, sed recurritur ad arbitrium iudicis, numer. 2.
Electa vbi est industria persouæ, non potest recedi à persona nominata, num. 3.
Clausula formam inducens operatur vt forma non seruata remoueatur contractus, nu. 4.
Persona electa ad declarandum aliquam qualitatem contractus, non declarante, non receditur à contractu. sed recurritur ad iudicem, nu. 4.
Clausula non alias in contractu, quomodo intelligatur, nu. 5.
Actore non probante reus absoluitur. nu. 6.
Contractus secundus, qui se non compatitur cum primo facit præsumi nouationem, nu. 7l
Contrahentes qui se inuicem quietauerunt, nulla facta mentione fructuum, censentur etiam fructus remisisse, numero 7.
Æqualitas semper est seruanda, nu. 9.
Transactio fit super re dubia. num. 9.

DECISIO CCCCLXII.

1 FVit dictum deberi D. Virginiæ expensas, & damna passa. Constat enim de obligatione D. Bernardinæ ex instrumento concordiæ, quod dicitur probatio probata. *Bald. in l. interest in vlt. not. C. de solutio.* Et facit rem manifestam, *Bart. in l. 1. nu. 8. & ibi Ias. nu. 10. de oper. noui nunciatione.*

2 Nec obstare, quod prædicta obligatio Bernardinę non fuerit facta simplex, sed de soluendis pecunijs, expensis, & damnis ex causa Angeli eius filijs passis, iuxta declarationem faciendam à duobus arbitris, per ipsas partes communiter electis, quo casu, cum declaratio non fuerit sequuta ex defectu vnius ex arbitris, qui huiusmodi onus suspicere recusauit, contractus censeatur resolutus iuxta *text. l. si quis arbitratui, & l. seq. ff. de verb. oblig. cum alijs allegatis*, quia placuit responsio alias data in decisione sub die 2. Maij 1611. quod dispositio d. l. si quis arbitratu. cum similibus, non procedit de æquitate canonica, secundum quam receditur à persona electa non arbitrante, & recurritur ad arbitrium iudicis de cuius ordine huiusmodi declaratio hodie fieri poterit. *Socin. in d. l. si quis arbitratu. numer. 28. versic. postremo, ff. de verbo oblig. cum alijs ibi adductis, & tenet Ruin. consil. 142. num. 3. libr. 4.*

3 Nec Dominis visum fuit in casu de quo agitur applicari posse id, quod dicebant informantes pro Bernardina, quod scilicet censeatur electa industria personæ, ex quo arbitri fuerunt per partes nominati, quo casu à persona nominati recedi non potest, ex *Ruin. in d. l. si quis arbitratu, nu. 15. ff. de verb. obl.* Maximè quia vt in instrumento legitur partes dixerunt quod omnes dictę expensę soluerentur quotiescumque fuerint declaratæ, & liquidatæ à dictis arbitris, communiter electis, & non alias, &c.

4 Quasi quod huiusmodi clausula inducat formam, qua non seruata remouetur consensus ab actu. *Socin. iun. consf. 181. num. 5. & num. seq. libr. 2.* Quia vltra quod Dominis magis placuit opinio, quod immo nisi aliũde appareat arbitros electos habere aliquam particularem notitiam non censeatur electa industria personæ, & consequenter de æquitate canonica ab illorum persona recedi possit, vt per *Socin. & alios supra citatos.* Fuit etiam responsum, quod partes in casu isto videntur habuisse contractum pro perfecto ex quo omnibus alijs iuribus & prætensionibus expresse renunciarunt, & in omnibus alijs capitibus contractũ ex nunc effectum habere voluerunt. Et quamuis deuenerint ad electionem arbitrorum pro declaratione dictarum expensarum. Id tamen fecerunt non super substantia contractus. Ita vt contractus ipse resolui debeat, sed sub liquidatione expensarum, & sic super quadam illius qualitate, quo casu persona electa non arbitrante receditur ab ea, & recurritur ad arbitrium iudicis, iuxt. not. per glos. magnam communiter approbatam *in l. in vendentis, vers. accidentale autem, C. de contrahen. empt. Bart. in d. l. si quis arbitratu, num. 5. in fin. & ibi Alex. num. 23. ff. de verb. oblig. Roman. cons. 502. nu. 4. Dec. cons. 404. num. 14. Natt. cons. 390. nu. 3. vers. ego tamen. & nu. seq. lib. 2.*

5 Ad dictam vero clausulam, & non alias &c. fuit pariter responsum, quod illa non respicit proprie personas contrahentes, vel substantiam ipsius contractus, sed tantum solutionem faciendam præcedente declaratione, vel per arbitros electos, vel ipsis non arbitrantibus per iudicem, qui succedit loco arbitrorum ex supradictis.

6 Quod eo facilius procedit in casu isto, quia licet dicti arbitri essent aliqualiter informati de prædictis expensis, & damnis, etiam iudex & alij de ipsius ordine deputandi, poterunt de illis ex scripturis, & alijs probationibus se bene informare, & cum onus probandi dictas expensas fuisse factas ex causa Angeli incumbat Virginiæ, nisi id ipsa legitime probauerit illas repetere minime poterit, *ad text. in l. qui accusare, Cod. de eden.*

7 Minus refragari quod Virginia de prædictis omnibus pecunijs, expensis, & damnis satis redintegrata censeatur ex fructibus, quos per plures annos percepit Io. Baptista illius pater ex bonis, quæ vigore cõcordiæ initæ de anno 1596. debebantur Bernardinæ, quia placuit responsio, quod per secundam concordiam initam de anno 1604. quæ non se compatitur cum prima, censetur inducta nouatio. *Bald. in leg. fin. num. 4. vers. in glos. in verbo naturalibus. Cod. de nouat. & cons. 318. num. 4. vol. 1. Gabr. de nouat. concl. 1. num. 60. & seq.* & sic cũ in ea partes nullam de dictis fructibus medio tempore perceptis rationem haberint, & preter expressa omnibus alijs prætensionibus hinc inde renunciauerint, censentur etiam dicti fructus Virginiæ remissi, *iuxt. text. in l. à procuratore, C. mandati. l. si a plurib. ff. de leg. 1.*

8 Præsertim quia iuxta tenorem dictæ Concordiæ, Virginia tenetur restituere tantum bona, prout ex nunc quod ex eo clare colligitur, quia Bernardina non assumit in se onera supradicta, nisi prout ex nunc & de censu Scut. 1025. apparet ibi, *Come da hora il d. Signor. Lodouico à detto nome s'auolla, & ibi, promette pagare li frutti da decorrere per l'auenire dal presente giorno, & paulo infra ibi, & se fussero censi. se l'auolli detta Signora Bernardina dal presente giorno, &* propterea fructus antea percepti, non veniunt, in hu-

in huiusmodi restitutione. Vltra quod non est verisimile, quod Virginia teneatur restituere prædictos fructus, quia alias Bernardinæ non promisisset eidem soluere dictas pecunias, & expensas, sed illas cum fructibus compensasset.

9 Et ex his cessat quod secundum hanc lecturam sequeretur inæqualitas, quod scilicet Virginia siue illius pater habuerit fructus, & onus spectauerit ad Bernardinam, quia nisi habuisset Virginia recompensationem onerum per Ioann. Baptistam pro Angelo solutorum forte non restituisset totam partem Angeli, quam prætendebat ad se pertinere vigore testamenti Octauiani aui paterni, & licet dicta prætensio fuisset dubia, id tamen non repugnat, immo deseruit vaditati transactionis, quæ semper fieri debet de re dubia, alias non valet. *Ang. consil. 94. num. 6. versic. pro hac parte. Aym. consil. 152. num. 9. versic. 6. dubitatur. Et num. seq. Abb. consil. 12. num. 5. libr. 2.* Et ita decisum, expensas, & damna passa deberi. Quæ autem, & quanta debeantur, placuit DD. quod particulariter videatur.

REVER. P. D. DAMASCENO.

Leodien. Fideicommissi. Lunæ 10. Iunij 1613.

ARGVMENTVM.

Donatarius consentiendo quod testator disponat in testamento de re donata an sibi præiudicet, & ex quibus colligatur talis consensus, & an facultas disponendi per viam testamenti consummatur in prima vice, vel potius fit reuocabilis, iuxta naturam testamenti.

SVMMARIVM.

Donatarius consentiendo quod donans per viam testamenti disponat de consentiendo re donata, sibi præiudicet, numero 1.

Consentiens alium testari de re sua sibi præiudicat, nu. 1. vbi quod sequuta morte testantis, non potest amplius consensum reuocare.

Consentire dicitur, qui est præsens, & tacet, nu. 2.

Notarij assertioni standum est, nisi contrarium probetur, numer. 2.

Consentire dicitur testamento alterius, qui se subscripsit, ac illud proprio sigillo signauit. nu. 2.

Obseruantia subsequuta est valde potens ad declarandum, numer. 2.

Metus non præsumitur, sed debet probari per allegantem, numer. 3.

Metus reuerentialis vt probatus dicatur debet probari quod pater dominatus fuerit, & quod sit solitus exequi minas numer. 3.

Metus excluditur ex gestis postquam cessauit causa metus numer. 3.

Legitimæ non censetur renunciatum, nisi expresse, nu. 4.

Legitima non debetur ex bonis feudalibus, nu. 4.

Facultas disponendi concessa alicui consumitur in prima dispositione, nu. 5.

Fallit in facultate disponendi collata ad tempus mortis, quia est reuocabilis iuxta naturam vltimæ voluntatis, numero 6.

Fallit secundo in actu de sui natura reuocabili. nu. 6.

Tertius non potest opponere de defectu consensus Domini in alienatione rei feudalis, num. 5.

DECISIO CCCCLXIII.

1 SVb die 19. Nouembris 1610. fuit in hac causa resolutum, factum fuisse locum fideicommisso Ioannis ad fauorem Domini Federici, quæ decisio fuit confirmata sub die 2. Maij 1611. Verum quia pro parte Domini Renati allegabatur donatio facta per dictum quondam Ioannem, Renato seniori filio suo qua stante dicebatur, non potuisse prædictum Ioannem disponere de bonis donatis per viam testamenti, cum amplius non essent bona eiusdem donantis, fuit sub 15. Iunij proxime disputatum, an prædicto fideicommisso obstet dicta donatio, & pro negatiua resolutum, cumque Informantes pro Domino Renato institissent super eisdem audiri, Rota sub hac die 10. Iunij 1613. stetit in decisis. Nam consensus Renati donatarij, præstitus testamento donantis, visus fuit tollere omnem difficultatem, etenim quod Donatarius consentiendo quod donans per viam testamenti, disponat de rebus donatis sibi præiudicet est clarum, vt in terminis adnotarunt, *Dec. consil. 253. num. 2. versic. vltimo non obstat. Curt. iun. consil. 54. num. 1. cum duob. sequentibus. Paris. consil. 2. num. 20. & 21. & consil. 33. num. 78. & 80. lib. 3. Menoch. 1095. num. 23.* cum alijs, per Dominum Aduocatum Beltraminum allegatis, & est regulare, quod consentiens alium testari de re sua sibi præiudicat. *l. sicut. §. venditionis, ff. quibus mod. pign. & hypoth. Bartol. in l. cum quis decedens, num. 5. ff. de leg. 3. Bald. in leg. si tibi decem, §. de pignore numer. 6. versic. quod si testatur, ff. de pact. Ias. in l. cum proponas la 1. num. 11. C. eodem tit. Menoch. dict. consil. 1095. num. 23. & consil. 58. num. 24. & 25.* & sequuta morte testantis non potest amplius consensum reuocare ad leg. post mortem, *ff. de adoption. Bald. in leg. nec fratris in princ. Cod. de donat. caus. mort. late Suarez in repet. leg. quoniam in prioribus, limit. quinto, numer. 13. Codic. de inoff. testamento.*

2 Quod autem Renatus Donatarius consenserit videbatur esse extra omnem ambiguitatem, quandoquidem non solum fuit præsens, & tacens quod secundum aliquos sufficeret, vt per *Paris. consil. 2. num. 34. libr. 3.* Verum etiam in principio testamenti expresse legitur, ipsum consensisse. Ideoque tali assertioni Notarij standum est, nisi contrarium probetur vt in terminis consensus est *text. in cap. tertio loco, de probat. Abb. in cap. ea noscitur, numer. 9. versic. aut enim. Butr. num. 17. de his, quæ fiunt à Prælatis, Redoan. de rebus eccles. non alien. rubr. 28. cas. 11. num. 4.* Vlterius se subscripsit testamento non tanquam testis illudque proprio sigillo subsignauit, quorum vtrumque arguit consensum, vt de primo nempe de subscribente sunt latissime cumulati per *Anton. Gabr. tit. de præsumpt. conclusione tertia, & in hac facti specie Bartol. in l. cum quis decedens, num. 2. versic. secus vero. ff. de legat. tertio.* De apponente autem sigillum late tradit idem *Gabr. dicto tit. de præsumpt. conclus. 4. num. 1. & est bonus text. in l. fideiussor. §. pater. ff. de pignor.* Confirmatur prædictus consensus ex multis in facto relatis per Informantes pro Domino Federico, ex quibus patet, Renatum nedum ante mortem Ioannis verum etiam post illius mortem approbasse testamentum paternum, quæ obseruantia subsequuta est multum potens ad declarandum animum Renati circa gesta tempore prædicti testamenti. *ad not. in l. si de interpretatione, ff. de legibus. Cæsar de Grass. decisione secunda, numero tertio, de elect. Crauett. consil. 201. numer. 11. Honded. consil. 91. nu. 40. libr. 1.*

3 Non obstant, quod Renatus consenserit propter metum reuerentialem Patris, quia metus non præsumitur. Vnde est probandus per Dominum Renatum iuniorem, qui metum allegat. *leg. cum te. leg. metum, & vtrobiq. scribend. Cod. de his, quæ vi, vel met. caus. fiunt. Innoc. in cap. causam matrimonij numero primo, de offic. delegat. Paris. consilio quinto, numero 168. libr. quarto. Menoch. consilio primo, numero 288. Vetal. decision. 223. numero primo, parte secunda, & quidem cum qualitatibus, de quibus in leg. interpositas, cum ibi notat. Cod. de transaction. in leg. ad inuidiam, vbi Bartol. & alij, Codic. quod met. causa. Alexandr. in lege si cum dotem.*

dotem.§.eo autem tempore,num.11.ff.solut. matrimon. Veral. dec.223.num.9.part. 2. nempe quod pater minatus fuerit,quod sit solitus exequi minas,cum similibus,quorum nullus datur fumus, ne dum probatio,pro parte dicti Domini Renati. Quinimo excluditur metus ex gestis per Renatum post mortem Patris, de quibus supra ad not.per Alex.cons.98.num.7.lib.3.Corn.consil. 41. nu.9.lib.2.Paris.cons.10 nu.56.lib.1.Crauet.cons.114.num.8. Roland.cons.83.nu.39.& seqq.lib.3.Menoch.cons.100.nu.88.

4 Minus facit, quod consensus Renati in eo, quod concernit legitimam,minime fuerit expressus, prout requiritur ad effectum renunciationis legitimæ, ad l. si quando.§.& generaliter.C.de inoff.test. nam fuit responsum, quod consensus Renati non includebat renunciationem legitimæ, cum vltra bona,quæ subijciebat Ioannes fideicommisso, cui consentiebat Renatus supereßentialia, in quibus poterat Renatus sibi ipsi satisfacere de sua legitima,item fuit dictum,quod cum ista bona, quæ Ioannes subijciebat fideicommisso essent feudalia, non debebatur ex illis legitima filijs: Card.cons.64.ante finem,ver.item ex quo.Castr.cons.244.nu. 4.lib.2.Ægid.consil.48.num.3. Gul. de Bened. in cap.Rainutius.verb.in eod.testam.in primo.nu.145. de test. Guido Papæ.dec.476.nu.1.Capic.dec.2.num.1. Tiraq.de iur.primog.q. 5.nu. 1.& 2.

5 Circa illud, quod non potuerit Ioannes sine consensu Domini directi subijcere bona, de quibus agitur fideicommisso, cum essent feudalia, & quod facultas illis disponendi semel sibi concessa fuerit consumpta in prima vice, quando scilicet Ioannes donauit Renatio iuxta notat.in l.boues.§.hoc sermone.ff.de verbor. signific. Fuit responsum primo, quod hoc est dare vt dicitur de iure Tertij. Nam quantum ad Renatum & ab illo causam habentem,prout habet Renatus iunior,sufficit prædictus consensus.Dec.cons.18. num. 11. Ruin.cons.2.num.7.lib.1.Roland.cons.57.num.9.lib.3.Crauet. cons.913.nu.1.Ceph.cons.3.nu.118. Mandel.cons.67. num.7. Surd. cons.1. nu. 85. & seq.

6 Secundo fuit dictum quod dato sine veri præiudicio, quod donatio facta Renato minime contineret fideicommissum ad fauorem descendentium in casu testati,sed tantum in casu intestati,iuxt.doctr.Petr. Pech.tract.de testam.coniugum.lib.1. cap. 6. & consequenter, quod testamentum Ioannis aliquid noui contineat, adhuc non obstare.d.l.boues.§.hoc sermone idque ea ratione,quod istæ dispositiones,quæ conferuntur ad tempus mortis contrahentium sunt mutabiles,seu reuocabiles. Magis enim accedunt ad naturam vltimarum voluntatum,quam contractuum, vt in terminis trad. Elbert.Leonius Doctor illarum partium,cons.32. nu.8. & consequenter cessat dispositio d.l.boues.§. hoc sermone. Quia non habet locum,quandocumque actus,qui geritur,est de sui natura reuocabilis. Bald.in capit. 1. in princ.nu.21.vers.deinde quæro.de pact.Consentit Tiraq.in d. §.hoc sermone.limit.17.Couar.in cap. cum in officijs. nu.8. de testam. Et ita tentum.

REVERENDISS. P. DOMINO MANZANEDO.

Maceratenen. Spolij. Lunæ 10. Iunij 1613.

ARGVMENTVM.

Subhastatio potest fieri habita fide de pretio de consensu interesse habentium, non sufficit tamen consensus vnius tantum.

SVMMARIVM.

Subhastatio debet fieri præsente pecunia. nu.1.
Fallit, quia de consensu interesse habentium potest haberi fides de pretio. numer. primo.
Scriptura quæ probat contra aliquem, probat etiam contra habentem causam ab eo. nu.2.
Partitæ aliquæ vnius computi seu libri iustæ,& reales inducunt præsumptionem, quod aliæ etiam partitæ eiusdem libri sint iustæ. nu.2.
Creditoris vnius factum alijs non nocet, maxime stante protestatione. nu.3.
Agens absque actione nulliter agit. nu.4.
Implementi exceptio repellit agentem. nu.4.

DECISIO CCCCLXIV.

1 IN decisione vltima in ista causa facta 13. Februarij 1612.ex duplici motiuo Domini steterunt in decis. 13. Iunij 1611. nempe quia non constabat de excessu mandati exequutiui. Et quia, & si non præsente pecunia subhastatio fuisset facta contra dispositionem text. in leg. à Diuo Pio. §. si emptor. ff. de re iudicata. nihilominus potuisse fieri, & fidem haberi de pretio,prout fuit habita de consensu creditorum interesse habentium, prout pluries Rota censuit, ex ibi adductis.

2 Et quo ad primum motiuum deducebatur non excessiuitas mandati ex eo, quod debitum in totum ascenderet ad Florenos 2714.ex quibus apparebant tantum soluti Floreni 1400. Vnde creditum remanebat in Florenis. 1753. & per consequens cum mandatum fuisset relaxatum pro Florenis 1163. non solum non videbatur excessiuum, sed potius continere minorem summam debiti.Attamen hodie causa reproposita super eisdem fuit pro parte Pellicani doctum de solutione aliarum duarum quantitatum, vnius Florenorum ducentorum, & quadraginta, alterius Florenorum 194. insimul constituunt summam Florenorum 434. Et iustificantur ex quodam computo manu Adriani scripto, & quamuis huic computo præcedens decisio respondeat apparere esse computum partis, & ex eo potuisse ab Adriano copiari,ad effectum videndi illius veritatem, & ex eo non posse operari confessionem Adriani, sed tamen huic responsioni fuit hodie replicatum, quod istud computum fuit productum à Pellicano non ad effectum eliciendi ex eo confessionem Adriani, sed tanquam cumputum Bernardæ principalis creditricis Pellicani, à qua Antonius causam habet.Vnde sicut probaret contra Bernardam debet etiam probare contra Antonium habentem causam ab ea. Ruin.consil.50 num.13.lib.1.Rot.diuers. dec. 776. num. 11.part. 1. inter impressas. Præsertim cum aliæ partitæ dicti computi sint iustæ,& reales,& non controuersæ,ita etiam præsumendum videtur, quod istæ duæ sint iustæ. Aymon.consil.158.numer.6 & 198. numer. sexto. Gabriel de præsumpt. conclusio. quinto numero primo. Quæ roborantur ex quietantia Iulij de dictis Florenis centum, & nonaginta quatuor, ipsi solutis à Pellicano mediante Banco Mercatoris. Vnde adiunctis istis duabus partitis Florenorum 434. cum partita soluta Florenorum 1400. constituunt in totum Florenos 1834. & cum pretium prædij, & sic debitum esset Florenorum 27. 14. remanebat Pellicanus debitor in Florenis 880. Et per consequens ex prædictis nouiter deductis videtur, quod dictum mandatum relaxatum pro Florenis 1163. fuerit clare, & aperte excessiuum.

3 Quo vero ad secundum motiuum de non interuētu pecuniæ, quod potuerit fieri de consensu creditorum,quamuis in se,& in iure sit verum, tamen hodie fuit doctum per Pellicanum,quod non subsistat in facto, cum nullus alius creditor interuenerit in dicta subhastatione,nec cōsenserit preter Bernarrdam.imo alij creditores habita notitia subhastationis comparuerunt per Procuratorem, protestando nihil fieri,

 nisi

nisi ipsis citatis super quo iudex decretum interposuit. Vnde sola Bernarda consentiente, & fidem habente de pretio non potuit alijs præiudicari ad *text. in l. licet. C. de procurat.* potissime stante dicta protestatione. *l. si debitor. §. 1. ff. quib. mod. pign. vel hypothec. soluatur.* Ex quibus nouiter deductis visum fuit Dominis, recedere à dicta vltima decisione.

4 Accedebat quod Bernarda videtur egisse sine actione contra *text. in l. si pupilli. §. videamus, vbi gl. Bart. & alij ff. de negot. gest.* Quia cum fuisset conuentum inter ipsam, & Pellicanum in instrumento venditionis predij, quod antequam Pellicanus posset cogi ad solutionem finalis, & integri residui pretij, debebat esse extinctus census, & Pellicanus liberatus à fideiussione, qua se obstrinxerat in dicto instrumento census, nihilominns Bernarda egit pro dicto residuo pretij, antequam docuisset de extinctione census, & liberatione Pellicani, & sic vel egit sine actione, vel obstitit sibi exceptio non implementi pro parte sua. *Ad text. in l. Iulianus, §. offerri de actio. emption.* & per consequens dictum mandatum relaxatum contra Pelicanum, videtur fuisse excessiuum, nullum, & spoliatiuum, & merito fuit postea per Auditorem Cameræ pronunciatum ad fauorem Pellicani. Ex quibus ita fuit resolutum.

DECISIO CCCCLXV.

Vrbeuetana Bonorum de Sauinis. Veneris 14. Iunij 1615.

Impressa Apud Caualerio.

DECISIO 255.

R. P. D. DVNOZETO.

Ferrarien. Affictus. Lunæ 17. Iunij 1613.

ARGVMENTVM.

Examinantur plures nullitates oppositæ contra examen testium remissoriale.

SVMMARIVM.

Remissoriæ forma ad vnguem seruari debet, nu. 1.
Citari non debet vti absens qui habet domicilium, nu. 1.
Citatio vigore remissoriæ facienda ad valuas Ecclesiæ non dicitur recte facta, si fuerit facta ad valuas Palatij, nu. 1.
Legitimatio personarum est ante omnia in iudicio facienda, numer. 2.
Fides Notarij non facit sufficientem probationem, num. 3.

DECISIO CCCCLXVI.

CVm dubitatum esset in causa pendente inter Illustris. & Reuerendiss. D. Cardinalem Estensem, & Communitatem Bagnacaualli, vtrum testes examinati vigore remissoriæ Rotalis ad instantiam dictæ Communitatis essent recte, & rite examinati, proposito dubio Domini nemine discrepante dixerunt, testes nulliter fuisse examinatos, & ex multis nullitatibus adductis per Informantes pro d. Illustris. Cardinale duas potissimum nullitates inducere iudicarunt.

1 Harum prima, quia forma Remissoriæ non fuit seruata, quæ ad vnguem obseruari debuit, & præteriti non potuit, *c. vt statutum de rescript. in 6. l. aut qui aliter in princ. & ibi Bart. ff. quod vi aut clam*, aliter necessario nullitas inducitur. *Veral. decision. 111. par. 1. Rota decis. 8. de dol. & cont. in nouis. Achil. decis. 14. capit. tit.* Et inter multa, quæ deducuntur in specie, hoc videtur circa modum citandi. Nam iuxta formam remissoriæ debebat citari Illustrissimus Cardinalis ad valuas maioris Ecclesiæ, & tamen citatus fuit ad valuas Palatij, quia locus præscriptus in dicta remissoriali succedebat loco domicilij, & ideo vti absens non debuit citari. *clem. causa. §. quod si forsan. de elect. gloss. in clem. 1. de iudic.* Vnde non potuit mutari locus destinatus *Castr. cons. 22. num. 2. l. 1. Boccac. de lit. remiss. c. 6. nu. 8. & cap. 8. num. 4.* Addi & potest forte locum fuisse à Rota prefixum, quia maior verisimiliter in cursus est Populi in Ecclesia maiori, quam in Palatio. *Achil. dec. 19. de dol. & contum.*

2 Secunda nullitas visa fuit Dominis ex defectu legitimi mandati tam pro parte eius, qui pro Communitate petijt exequutionem remissoriæ, quam pro parte dicti Illustrissimis Cardinalis, quia de neutro saltem legitimo mandato constat in processu, nam ante omnia legitimande erant personæ comparentium. *Ias. in l. 2. num. 4. C. de edict. Diui Adr. toll. Alex. cons. 59. nu. 2. lib. 2.* Nec obstat, quod dicitur eum, qui pro parte Communitatis comparuit fuisse Syndicum, & Antianum, sed hoc non iustificatur, & licet id non fuerit oppositum à dicto Cardinale considerandum est nullum tunc temporis comparuisse, qui hoc obijcere posset, deinde idem, prætensus Syndicus in exequutione vltimi testis comparuit cum legitimo mandato quod prius facere non poterat.

3 Nec etiam constat, quod adducitur comparuisse quendam substitutum à procuratore habente sufficiens mandatum à dicto Cardinali, vt attestatur Notarius, non placuit Dominis, fidem in hoc casu adhiberi assertioni Notarij. Nam ex eo sufficiens non inducitur probatio. *Dec. consil. 58. num. 3.* Ponderata est etiam ab vno ex Dominis alia nullitas ex eo, quod non fuit relicta copia citationis cum insertione totius tenoris. *Put. dec. 27. libr. 2. in nou. imp. Guido Papæ dec. 1. tit. de citat.* Ex quibus, & alijs deductis fuse per Informates pro parte Illustrissimi Cardinalis extensis, ita fuit decisum.

R. P. D. PIROVANO.

M. Arsicana Cappellæ Veneris 21. Iunij 1613.

ARGVMENTVM.

Fides Notarij de actu coram se gesto facit fidem.

SVMMARIVM.

Possessio instrumentalis sufficit pro manutentione. nu. 1.
Fides non facit fidem, etiamsi Notarius attestetur de instrumento a se rogato, nu. 2. Declara, vt nu. 3.
Literis testimonialibus scriptis à Notario vna cum subscriptione testium credendum est, nu. 3.
Notarius dicitur testis iuris. nu. 3.

DECISIO CCCCLXVII.

1 AMico de Amicis Domini censuerunt dandum esse mandatum de manutenendo, quia de eius anteriori possessione constat ex attestatione Notarij facta cum testium subscriptione, & signo eiusdem Notarij, quę videtur sufficere ad probandum Amicum accepisse possessionem instrumentalem pro manutentione sufficientem. *Caputaq. decision. 173. part. 3. & decis. 333. part. 2. Mohed. decision. 12. alias 149. de restit. spoliator.*

2 Non obstat, quod fides prædicta anterioris possessionis sit fides, quæ non facit fidem de instrumento

narrato etiam si ab eodemmet Notario fidem faciente rogatum esset. *Afflict. decis. 48. nu. 2. Guido Papæ decis. 19. Rolan. cons. 15. nu. 21. lib. 1.* cum aliis allegatis.

3 Quia fuit dictum, non esse fidem rogitus instrumenti de præterito, à quo pendet substantia probationis, & in quibus terminis procedunt allegatæ auctoritates, sed fidem facti coram se gesti, nempe apprehensionis possessionis per actus possessorios, & deferentes per pulsationem campanæ aperiendo, & claudendo portas, & similium, quæ ad huiusmodi actum fieri solent, pro cuius facti iustificatione Notarius dedit literas testimoniales, quibus testes se subscripserunt, & credendum est vti scriptis à Notario, qui est testis iuris, vt dicunt *Bald. in l. si quis Decurio. num. 6. C. ad leg. Cornel. de fals. Ias. consil. 62. numer. 9. vol. 1.* & habentibus testes adscriptos, vt desiderat *glos. in §. si vero absunt. vers. quantum ad hoc. auth. de hæred. & Falcid. Abb. post But. in cap. 1. sub nume. 3. vers. nemo. de fid. instrum. Becc. cons. 6. num. 27. vol. 1.*

3 Omissio uero iuris inquilinatus, pro quo fuerunt oblata Scuta 80. non uidebatur releuans, tum quia de eo non constat, nisi ex quadam protestatione aduersarij, quæ non probat ad sui fauorem, tum etiam quia de tempore confecti inuentarij, huiusmodi ius non apparebat esse alicuius considerationis, cum oblatio fuerit facta longe post dictum inuentarium. Prout nec pariter facit omissio descriptionis scrinii, in quo erant repositę multę scripturæ cuiusdam causæ Magni Ducis Hetruriæ, quia illæ non erant hæreditariæ, sed tantummodo fuerant depositæ penes patrem pupillæ nominatum per bon. mem. Cardinalem Pamphilium. Vltra quod possessionem scripturarum Notariatus Rotæ statim mortuo Notario solet accipere Collegium aliorum Notariorum, & illæ non remanent penes hæredes.

4 Domini tamen uoluerunt, quod Iacobus reddat rationem tutelæ personæ nominandæ per Rotam, ex qua resultabat quantitas bonorum istarum pupillarum, & respectu illius alimenta, quæ illi erunt præstanda.

REVERENDISSIMO P. D. MANZANEDO.

Romana Tutelæ. Veneris 21. Iunij 1613.

ARGVMENTVM.

Tutor quando possit vti suspectus remoueri ex eo, quod pupillo alimenta denegauerit, vel in inuentario non descripserit omnes res hæreditarias.

SVMMARIVM.

Tutor denegando alimenta pupillo potest suspectus allegari, si ad illa præstanda citatus non compareat, & sui copiam non faciat. nu. 1.

Tutor omittens describere in inuentario aliquas partitas, non est in dolo, si quam primum de illis notitiam habuit, eas descripserit. num. 2.

Dolus non præsumitur, ideo ab allegante probandus est perspicuis indicijs. nu. 2.

Tutor non tenetur describere in inuentario nisi res hæreditarias. num. 3.

DECISIO CCCCLXVIII.

1 Domini dixerunt sententiam Illustrissimi Vrbis Vicarij esse iustam, cum non constet de aliqua legitima causa suspicionis, ex qua tutor veniat remouendus. Prima enim causa deducta ex eo, quod alimenta denegauerit pupillæ, non videbatur sufficiens, cum ita demum ob denegata alimenta tutor remoueatur, si citatus ad illa præstanda non compareat, & sui copiam non faciat, vt est *text. in l. 3. §. tutor qui alimenta. ff. de suspect. tutoribus. §. si quis tutor. Instit. eod. tit.* quod tamen perraro, & diligenti habita inquisitione faciendum est, vt inquit *text. in l. impuberibus. §. final. ff. eod.* Vnde cum Iacobus in termino citationis sibi factæ pro dictis alimentis comparuerit, & postea fuerit in carceribus detentus, non videtur latitasse, & consequenter nec etiam remouendus.

2 Secunda vero causa deducta ex eo, quod non confecerit legitime inuentarium, cum omiserit multas partitas in eo describere, non videbatur applicari casui nostro. Quia licet aliquas partitas omiserit describere, tamen vbi primum de illis notitiam habuit, eas in inuentario apposuit, vnde venit excusandus, cum non fuerit in dolo, qui non præsumitur, sed perspicuis indicijs ab allegante probari debet. *l. dolum. ff. de dol. l. quoties. §. qui dolo. ff. de probat. Dec. cons. 109. num. 26. Surd. decis. 222. num. 11.*

R. P. D. PAMPHILIO.

Bononien. mandati. Mercurij. 26. Iunij. 1613.

ARGVMENTVM.

Mandatum ad emendum ex certa pecunia, an censeatur reuocatum ex reuocatione mandati ad exigendum dictam pecuniam.

SVMMARIVM.

Mandati actio cessat, reuocato mandato. nu. 1.

Mandati reuocatio operatur perinde ac si mandatum non fuisset datum. nu. 1.

Mandati ad exigendum reuocatio operatur reuocationem mandati ad emendum, quando ex pecunijs exigendis erat facienda emptio. nu. 3.

Mandati fines non potest procurator excedere. nu. 2.

Actus præsumitur gestus eo modo, quo valide geri potuit. num. 3.

Emens proprio nomine de alienis pecunijs sibi acquirit. num. 3.

DECISIO CCCCLXIX.

1 Resolutum fuit D. Comitem non teneri docere de emptione possessionis, quia mandatum ad exigendum pretium negotiationis artis sericæ, & ad emendam possessionem illi datum à Bartholomæa Sensaria fuit per ipsam reuocatum, prout constat ex reuocatione de anno 1609. & quidem reintegra ante emptionem, ut ex confessione ipsius D. Sensariæ facta in positionibus pro parte ipsius datis, subsequenti anno 1610. Ideoque comes non tenetur docere de implemento, quia stante illius reuocatione cessat actio mandati. *l. si vero. §. si mandauero. ff. mandati,* & perinde haberi debet ac si mandatum non fuisset datum, *ad textum in l. cum quis. in princ. & §. 1. ff. de solution. Boer. decis. 274. num. 6.*

2 Nec subsistere, quod reuocatio debeat intelligi respectu exactionis pecuniarum tantum, non autem respectu emptionis possessionis, quia placuit respõsio, quod reuocatio ad effectum exigendi pecunias operatur reuocationem etiã ad effectum emendi, ex quo de istis pecunijs, & sine illis emptio fieri non poterat. ad *text. in l. illud. ff. de acquir. hæred.* Et tanto minus Com. teneri docere de implemento, quia mandatum fuerat limitatum ad emendam possessionem à creditoribus Carthi, dummodo pretium illius non excederet libras quadraginta octo mille, & tamen D. Sensaria in

ria in suis positionibus fatetur supradictam possessionem fuisse valoris librarum quinquaginta duarum millium, quo fit vt D.Comes non posset illam emere, ne excederet fines mandati, contra text. in *l.diligenter. in principio. ff. mandat. & in cap. cum dilecta. de rescript. cum simili*. Et quia ad manus Comitis, non deuenerunt, nisi libræ quadraginta quatuor mille, vt patet ex confessione eiusdem D.Sensariæ, in reuocatione mandati.

3 Præterea dum Comes constitutus fuit procurator à D.Sensaria tam nomine suo, quam etiam nomine Bartholomææ iunioris, pro qua promisit de rato, vnde cum ante reuocationem Bartholomæa iunior mãdatum huiusmodi ratificauerit, ac aliud simile fecerit, quatenus Comes emisset possessionem, censeretur illam emisse nomine Bartholomeæ iunioris eius vxoris vigore mandati validi, non autem de mandato Sensariæ reuocato, cum actus præsumatur gestus eo modo, quo valide geri potuit. *Bart. in l. Titium, & Mæuium. §. altero. num. 2. vers. si vero dubitatur. ff. de administr. tut. Aret. cons. 23. num. 10. in fin. vers. ex capite autem.* Nec refragari quod emptio fuerit facta de pecunijs Sensariæ exactis ex pretio artis sericæ. Fuit dictum quod adhuc possessio censeretur quæsita, vel hæredibus Bartholomææ iunioris, cuius mandatum non fuit reuocatum, vel Comiti eius viro ementi, nomine proprio de pecunijs alienis *l. 1. & l. multum interest. & ibi Bal. & alij, & l. qui aliena. C. si quis alteri. vel sibi*. Et ex his quo ad possessionem satis Dominis visum fuit, constare D. Comitem non teneri docere de illius emptione, & minus teneri illam consignare, licet enim pecuniæ exactæ pertinerent ad Sensariam ratione suarum dotium vsusfructus, vel alia ex causa, nihilominus ad istum effectum stante reuocatione mandati cum alijs supra deductis id non releuaret. Quo vero ad aliam partem dubij, an scilicet D. Comes teneatur restituere pecunias exactas vna cum damnis, & interesse, quia multa per Informantes pro vtraque parte deducebantur, DD. voluerunt, quod de hoc particulariter videatur. Et ita decisum fuit.

REVERENDISSIMO P. DOM. DAMASCENO.

Romana Alimentorum. Veneris 28. Iunij 1613.

ARGVMENTVM.

Maritus qui dotem non habuit, non tenetur dare alimenta vxori, quoquo modo diuerterit, neque litiganti debent præstari alimenta, quando res, de qualis est, non est fructifera, vel alias ipse, à quo petuntur, est pauper.

SVMMARIVM.

Vxori quæ non diuertit sua leuitate, sed culpa viri debentur alimenta, etiam extra domum viri. nu. 1.

Sententia fauorabilis facit præsumptionem boni iuris pro eo, qui eam reportauit. nu. 1.

Dotis solutio non probatur ex instrumento dotis, quando testes deponunt contrarium, & contra instrumentum sunt alia adminicula. num. 3.

Maritus non tenetur sine dote alere vxorem nec in propria domo. num. 4.

Maritus qui habuit dotem, tenetur alere vxorem extra propriam domum, perinde ac si esset in domo, & ad eius obsequia parata. nu. 4.

Pauperi litiganti, & danti fumum de bono iure debentur alimenta. nu. 5.

Pauper non dicitur filius artificis industrij, cui pater potest alimenta subministrare. num. 5.

Filio artificis non admittitur exceptio paupertatis, cum ei non sit indecorum proprijs manibus laborare, vt possit se ipsum in totum alere. nu. 5.

Alimenta litiganti non debentur, si res de qua litigatur non est fructifera. nu. 6.

Thori separatio non cadit sub æstimatione. nu. 6.

Pauper non tenetur dare alimenta alteri pauperi litiganti. num. 7.

DECISIO CCCCLXX.

1 Licet pro parte Marthæ proponeretur regula, quod sibi tanquam illi, quæ non diuertit ex sua leuitate, sed culpa viri, debeantur alimenta extra domum viri. *Bar. in tract. de aliment. nu. 48. Imol. in l. si cum dotem. §. sin autem in sæuissimo. nu. 24. ff. solut. matrim. Crauet. cons. 31. nu. 6. Thessaur. decis. 130. num. 2. Surd. de aliment. tit. 1. q. 32. num. 17.*

2 Et ad effectum consequendi alimenta lite pendente, (de quo modo agitur) satis probatum diceretur, quod ipsa non diuerterit ex propria leuitate, ex quo habet sententiam super separatione Thori ad sui fauorem, quæ facit præsumptionem boni iuris. *l. si instituta. §. de inofficioso. ff. de inoff. testamen. Alciat. de præsumpt. reg. 3. præsump. 9. num. 8. Cephal. consi. 127. num. 3. Couar. pract. quæst. c. 6. num. 6.* Et fuit in specie dictum in causa Bononien. separationis Thori. 11. Februarij 1608. coram bon. mem. Pegna.

3 Nihilominus Domini in proposito casu fuerunt contra Martham, quia non bene probatur solutio dotis. Licet enim adsit instrumentum confessionis Marci Antonij Mariti, quod illam receperat à Simone patre Marthæ, & dictæ dotis promissore, attamen in cõtrarium dantur testes instrumentarij, qui dicunt pecunias fuisse asportatas a Thoma Berettario altero ex prædictis testibus, qui illas ad hunc effectum accommodauerat, quibus multum adminiculatur, quod cum maritus in curia capitolina petijsset fructus dotis à prædicto fratre, ipse non allegauit solutionem dotis, sed quod ad illos non tenebatur, ex quo maritus non sustinebat onera matrimonij, & res etiam videbatur verisimilis, ex quo tam ex ætate dicti Marci Antonij viri, quæ tunc temporis erat sexdecim tantum annorum, quam ex alijs circumstantijs apparet, quod istud matrimonium fuit potius contractum per virum ex feruentia amoris erga Martham, quam ex alio.

4 Hoc stante, quod solutio dotis reddatur multum turbida, dicebatur, quod sicut Marcus Antonius nõ teneretur sine dote alere Martham vxorem in propria domo. *Glos. in auth. de non elig. secundo nubent. §. fin. verbo onera. Bald. in l. fin. num. 3. C. de neg. gest. Ias. in l. si donatarius. §. si quis indebitam. numer. 3. ff. de condict. ob causam. Natt. consil. 15. num. 9. Boer. decis. 22. in princ. Guid. Pap. decis. 439. numer. 1. Crescen. decis. 8. de iudic. Surd. de aliment. tit. 7. quæst. 17. num. 1. 2. & 11. vbi de communi.* Ita nec tenetur illam alere extra, etiamsi non diuertisset ex propria culpa, quia isti duo casus æquiparentur à Doctoribus, dum dicunt maritum teneri ad alimenta perinde ac si vxor esset in domo, & ad illius obsequia, de quo per relatos à *Surdo de alimen. tit. 1. quæst. 32. num. 17.*

5 Et quatenus replicabatur quod etiam si Martha non soluisset dotem adhuc sibi deberentur alimenta, sicut debentur cuilibet pauperi litiganti, qui dat fumum de bono iure, prout dat Martha per sententiam ad sui fauorem latam, de quo per *Guid. Papam decis. 561. Crauet. consil. 164. numer. 1. Cephal. consil. 127. num. 10. Decian. consi. 66. numer. 2. lib. 2. Late Surd. d. tit. 1. q. 120. nu. 1. & 7.* fuit responsum in primis non constare de paupertate Marthæ cum habeat patrem industriosum, & artificem, qui tenetur supplere, quatenus ipsa quæ est iuuenis, & cui tanquam filiæ artificis nõ est in

est in decorum proprijs manibus laborare, non possit se ipsum in totum alere, *iuxt. notat. in l. si quis à liberis. §. sed si filius ff. de liber. agnosc. Ang. Aret. cons. 140. in princ. Guid. Pap. dec. 439. num. 1. Surd. de aliment. tit. 7. quæstio. 1. num. 4. & 16.*

6 Secundo fuit dictum, quod quæ in contrarium adducuntur loquantur, quando litigatur de re fructifera vel alias pretio æstimabili, vnde in decernendis alimentis datur pro regula, vt perpendantur fructus rei super qua litigatur, per *Ang. in l. quibus bonis. num. 2. ff. de cess. bonor. Bald. in l. voluntatis num. 4. C. de fideicom. Roman. cons. 110. num. 31. versic. Præterea, Alex. 77. num. 5. lib. 5.* & proinde, cum in proposito casu litigetur tantum de separatione Thori, & sic de re quæ non cadit sub æstimationem, satis dubium videtur, an applicetur prædicta conclusio.

7 Tertio ex testibus datis pro parte Marci Antonij viri apparuit, res eius esse ad eum statum reductas, vt vix possit ex proprijs bonis seipsum alimentare. Vnde succedit conclusio, quod pauper non teneatur alere alium pauperem, de quo *in l. non quemadmodum in fine. ff. de liber. agnosc. Gloss. in leg. si quis à liberis. §. si mater. verbo necessario. ff. eod. titul. §. si vero authent. neque virum. Alexand. consil. 100. num. 7. lib. 1. late Surd. de aliment. tit. 7. quæst. 8. num. 1. cum pluribus seqq. & tradit in specie Cephal. cons. 127. nu. 11.* Et ex prædictis rationibus fuit dictum Marcum Antonium virum nec etiam teneri ad expensas litis, &c.

R. P. D. PAMPHILIO.

Perusina Sponsalium. Veneris 28. Iunii. 1613.

ARGVMENTVM.

Sponsalia ex instrumento promissionis dotis, in quo nulla fit mentio sponsalium, non probatur, cum in eis requiratur mutuus consensus.

SVMMARIVM.

Sponsalia inducuntur ex mutua promissione. nu. 1.
Sponsalia non probantur ex instrumento promissionis dotis, si in eo nulla fiat mentio sponsaliorum. nu. 2.
Dotis promissio facta censetur sub conditione, si matrimoniũ sequatur. nu. 2.
Matrimonium an probetur per instrumentum dotis. nu. 3.
Consensus præstitus sub conditione si sequatur matrimonium nullam inducit promissionem. nu. 4.
Sponsalia etiam nutis, & signis possunt contrahi. nu. 5.
Fides simplex non probat, nec est attendenda. nu. 5.

DECISIO CCCCLXXI.

1 DIxerunt Domini sententiam de partibus esse iustam. In ea enim declaratur inter Suetonium, & Diamantem sponsalia non extare, quod satis remanet iustificatum, postquam in actis non apparet probata mutua promissio, quæ ad inducenda sponsalia requiritur. *leg. 1. & 2. ff. de sponsal. leg. sponsio. ff. de verbor. signif. Sanchez de matrim. libr. 1. tit. de spons. disput. 5. nu. 1. & seq.*

2 Non obstat instrumentum promissionis dotis D. Suetonio factæ pro matrimonio contrahendo, quia huiusmodi promissio non probat sponsalia, de quibus in ea nulla est facta mentio. ex *Bald. in leg. vnic. num. 9. vers. 1. casu. C. de priuileg. dot.* Ratio autem est, quia huiusmodi promissio dotis censetur facta sub conditione si matrimonium sequatur *l. promittendo. l. si stipulationem. & l. dotis promissio. ff. de iur. dotium. & dicit Bald. in d. cap. vnic. nu. 9. vers. idem si ab extraneo. Cod. de priuileg. dot.*

3 Minus obstat instrumentum consensus præstiti per D. Suetonium pro ratificatione alterius instrumenti in quo enunciatur dictus Suetonius vir, & D. Diamantes eius vxor, quia cum de hoc principaliter dubitatur, an scilicet D. Diamantes sit vxor D. Suetonij, & an inter illos extent sponsalia illa enunciatiua, id non probat ex adduct. *per Alex. cons. 21. nu. 4. l. 1. Fel. in cap. illud. nu. 5. de præsumpt.*

4 Maxime, quia dictus consensus legitur per D. Suetonium præstitus secuto matrimonio, inter ipsum ex vna, & D. Diamantem ex altera, & non aliter nec alio modo, vnde satis Dominis constare videbatur domini consortium fuisse præstitum sub eadem conditione, si matrimonium sequatur, & consequenter nullam ex eo resultare promissionem, de contrahendo matrimonio, neque de præsenti neque de futuro, & quamuis ex dictis instrumentis aliqua posset colligi voluntas dictæ D. Diamantis de matrimonio contrahendo: illa tamen non sufficit, sed requiritur mutua promissio, ex sumptis de qua in casu isto nullibi constat.

5 Ex his cessat, quod dicebant Informantes pro D. Suetonio, sponsalia posse etiam contrahi nutu, & signis, quia placuit responsio, quod in casu isto nulla apparent signa ex quibus dictus mutus consensus ad istum effectum requisitus colligi possit. Fides enim de traditione annuli, de tractatu, & de donatiuis, & alijs similibus non est de actis, & est simplex fides, quæ propterea non probat, nec est attendenda. Et ita decisum, &c.

DECISIO CCCCLXXII.

Beneuentana Saluiani. Veneris 28. Iunij 1613.

Impressa Apud Buratto.

DECISIO 16.

REVERENDISSIMO P. DOMINO COCCINO DECANO.

Nicien. Nullitatis Contractus. Lunæ 1. Iulii 1613.

ARGVMENTVM.

Beneplacitum Apostolicum oppositum in commissione super confirmatione alienationis rerum Ecclesiæ cum conditione si in euidentem, &c. mortuo Pontifice qui beneplacitum dedit, expirat.

SVMMARIVM.

Possessio rei conuentæ probatur ex sustentatione litis, numer. primo.
Spoliatus culpa de facto suo restituendus non est. nu. 2.
Episcopus potest intentare spolium si alienatio rei Ecclesiæ facta per suum antecessorem fuit nulla. nu. 2.
Alienatio bonorum Ecclesiæ requirit solennitatem, & vtilitatem, sed beneplacitum Apostolicum supplet solennitatem num. 3.
Beneplacitum Apostolicum appositum in communione super confirmatione alienationis rerum Ecclesiæ cum conditione si in euidentem, &c. mortuo Pontifice qui beneplacitum dedit expirat. nu. 3.
Rescripta executoria gratiæ non pereunt morte mandantis, secus rescripta quæ causæ cognitionem committunt. num. quarto.

DE-

DECISIO CCCCLXXIII.

1 FVit per Dominos resolutum Ecclesiam Nicien. restituendam esse ad possessionem bonorum de quibus agitur, constat enim de primo extremo ex concessione facta in emphyteusim, de secundo vero sustentatione litis cum alijs adminiculis, nempe commissione causæ, manutentione obtenta à iudice laico, & similibus. *Cæs. de Grass. dec. 4. numer. 2. de rest. spol. Ant. Anguianos in epit. tit. de vtroq. extremo. §. 5.* & fuit resolutum in causa Bononien. Præceptoriæ. 24. Nouemb. 1604. coram bon. mem. Litta.

2 Neque releuat, quod alienatio fuit facta ab Episcopo, & propterea cum Ecclesia ceciderit facto suo, non est redintegranda. *Rip. in cap. sæpe. num. 27. qui de commoni. de rest. spol. Cassador. decis. 4. num. 6. eodem titulo*, quia fuit responsum, hic agi nomine Ecclesiæ per Episcopum successorem, qui potest intentare spolium, si alienatio antecessoris fuit nulla. *Abb. in c. accedens. il primo, nume. 19. vt lit. non contest. Rip. in d. c. sæpe. num. 14. Dec. cons. 142. col. 2. vers. & secundum istam regulam. Verall. decis. 170. part. 3.* & fuit resolutum in causa Sublacen. bonorum 14. Martij 1603. coram bon. mem. Litta. Et in alia Papien. tenutæ. 26. Martii eiusdem anni, coram Domino Bononien.

3 Quod autem alienatio fuerit nulla satis patet, quia ad eius validitatem requiritur solennitas, & vtilitas. *c. 1. de rebus eccl. non alien. Clem. 1. eod. titulo*, & hodie per extrauagantem ambitiosæ, requiritur beneplacitum Apostolicum, quod supplet solennitatem, & quicquid dicendum sit de vtilitate, solennitas non adest, quia licet fuerit obtentum beneplacitum Apostolicum à Clemente VIII. cum illud non fuerit præsentatum viuente illo Pontifice, non suffragatur, quia concessio alienationis non fuit facta per viam gratiæ, sed per viam commissionis, & ideo expirauit per obitum Papæ. *Dec. in cap. relatum. num. 22. de off. deleg. Compilat. decis. 12. de off. deleg. in nou. post princip. vers. ego vero dicebam.* Vbi eleganter ad propositum, & in propriis terminis de commissione si in euidentem, &c. Adest decis. 128. Ludouici à Peguera, qui mouetur ex prædictis rationibus, *& dicit Marcus Anton. Genuen. in praxi curiæ Archiepisc. Neapolitanæ*, & fuit resolutum in causa Romana Horti. 17. Decembris 1588. coram Illustrissimo D. meo Cardinale Mantica, & in alia Terdonen. bonorum 15. Decemb. 1610. coram Reuerendissimo Attrebaten. & nouissime in alia causa Romana alienationis situs. 26. Nouembris præteriti coram Reuerendissimo D. meo Sacrato Archiepiscopo Damasceno.

4 Non obstat, quod cum versemur in executore ad gratiam exequendam, eius officium non expirauit re integra per obitum Papæ. *c. si super gratia. de offic. deleg. in 6. Federicus de Senis. cons. 78. circa med. vers. circa quod Gabr. de præbend. concl. 1. in 2. ampliat.* quia fuit responsum, quod licet verum sit, quod rescripta executoria gratiæ non pereunt morte mandantis, secus autem est in rescriptis, quæ causæ cognitionem committunt, prout est casus noster, cum commissio sit in euidentem vtilitatem Ecclesiæ, &c. quia pereunt morte mandantis re integra, vt distingit. *glo. d. c. si super gratia. in verb. principalis circa med. vers. & non obstat, & Dec. in d. c. relatum. num. 22. iuncto num. 20. & 21. de off. deleg. Rota d. decis. 12. loco alleg. Gemin. in d. c. si super gratia. vers. sed pone. quod Papa. Gab. qui alios refert, conclus. 1. de præben. num. 13.* & ita respondit Rota in alleg. causa Romana Horti, coram Illustrissimo Cardinale Mantica, &c. & bene declarat *Peguera loco supra allegato.*

REVERENDISSIMO P. D.

COCCINO DECANO.

Foroliuien. Emphyteusis. Lunæ 1. Iulij 1613.

ARGVMENTVM.

Hæc decisio Magistralis est, & Magistraliter docet an, & quando parte non opponente sententia nulla possit confirmari.

SVMMARIVM.

Citationis defectus tollit defensionem, quæ est de iure naturæ. nu. 1.

Nullitatis defectus ob non citatam partem non sanatur per arbitrium Rotæ datum. nu. 1.

Clausula arbitrio, &c. remittit solum aliquid de iuris vigore, non autem tollit ipsum ius naturæ. nu. 1.

Sententia non lata in scriptis, & non publicata est prorsus nulla, & inualida. nu. 2.

Episcopus, & Vicarius constituunt idem tribunal. num. 3.

Sententia numquid requirat iudicis subscriptionem. numero 3.

Sententia nulla etiam defectu iurisdictionis potest confirmari parte non opponente, quando secunda sententia confirmare transitum fecit in iudicatum ob non interpositam appellationem, secus commissa causa appellationis in tempore, quia tunc quandocunque ante rem iudicatam potest dari de nullitate sententiæ. num. 4. & per totum.

Sententias aliorum tribunalium Rota nunquam exequitur, nisi earum iustitia gustata. nu. 8.

Doctoris dictum intelligendum est secundum auctoritates, quas allegat. num. 9.

Iudex bonus non debet fingere sententiam validam, quæ est nulla. nu. 11.

Appellationis causa commissa numquid possit dici de nullitate. num. 12.

DECISIO CCCCLXXIV.

1 DOmini dixerunt non intrare arbitrium ad sanandum nullitatem de qua agitur, quia est ex defectu citationis, qui quidem defectus tollit defensionem, quæ est de iure naturæ. *Bar. in extrauag. ad reprim. in vers. & figura. nu. 6. glos. in Clem. sæpe in verb. defensiones de verb. signifi. Dec. cons. 603. num. 10. & 12. late Vant de nullit. ex def. cit. num. 9.* arbitrium autem solum remittit de iuris rigore. *Cresc. decis. 157.* hic autem non esset remittere rigorem iuris, sed tollere ipsum ius naturæ, & ideo arbitrium non debet operari. *Cæs. de Grass. dec. 7. num. 7. & seqq. & decis. 8. num. 2. & 6. de sent. & re iud. Paris. consi. 8. numer. 21. lib. 4. & 56. num. 5. lib. 1. Soc. iun. consi. 49. nu. 16. lib. 2.*

2 Quod autem sententia sit nulla ex defectu citationis patet, quia Episcopus pronunciauit, prout in schedula, & nullam tunc exhibuit, sed post quatuor menses deputauit Vicarium ad aperiendum schedulam, quam etiam ipse Vicarius subscripsit, signum euidens, quod de tempore pronunciationis Episcopi nullam in actis exhibuit schedulam. Vnde omisso quod sententia Episcopi si qua fuisset, cum non fuerit lata in scriptis, neque publicata in die prolationis, vitio nullitatis subiaceret. *leg. 2. & 3. C. de sent. ex breui. recit. cap. fin. vbi Franc. numero 1. de sent. & re iudic. Angel. in cons. 250. num. 3. vers. nunc de secundo. Vant. de nullit. tit. de defec. process. numer. 69.* & fuit dictum in causa Pharen. Archidiaconatus coram Paleotto, & in alia Fauentina successionis 12. Nouembris 1601. coram bon. mem. Pacen. in casu isto nulla potest dici lata sententia, quia nulla fuit exhibita schedula in actis, vt dictum

dictum est, & propterea cum in die subscriptionis schedulæ factæ per Vicarium, nulla caderet citatio, indubitate sequitur, quod ista sententia fuerit nulla ex defectu citationis.

3 Neque obstat, quod Episcopus, & Vicarius constituant idem tribunal, & quod sententia non egeat subscriptione, vt per *Verall. decis. 139. p. 3.* quia quicquid sit de istis conclusionibus, essent considerandæ si Episcopus protulisset in scriptis sententiam, vel si Vicarius prosequendo processum incœptum coram Episcopo seruatis de iure seruandis promulgasset sententiam, sed cum nulla sententia fuerit lata ab Episcopo, nec tunc publicata, non meretur nomen sententiæ, & quatenus illud mereretur, prætensa aperitio schedulæ facta à Vicario fuit sine citatione partis, vt dictum est, & propterea ista nullitas non potest sanari.

4 Minus etiam facit, quod parte non opponente sententia nulla potest confirmari, etiam quod sit nulla ex defectu iurisdictionis. *Alex. cons. 111. lib. 5. Achill. dec. 4. de re iud. Put. decis. 60. lib. 3.* Nam fuit responsum, prædictam conclusionem esse veram in casu suo, sed non applicari, procedit enim inter alia, quando secunda sententia confirmans transitum fecit in iudicatum ob non interpositam appellationem, secus autem commissa causa appellationis in tempore, quia tunc quandocunque ante, rem iudicatam, potest dari de nullitate. *Alex. d. cons. 111. numer. 3. vers. tamen. fallit. Franc. in cap. dilecto. nu. 107. vers. tunc si à tali sententia. & vers. aliquando & 3. & n. 108. vers. nam si est pronunciatum, de appellat. Vant. de nullitat. tit. qual. & quib. mod. sent. & proces. nu. 25. vers. vel pone exemplum,* & in specie fuit resolutum in causa Vlixbonen. fructum. 16. Decembris 1594. coram Illustrissimo Mantica.

5 Neque est verum, quod idem sit, etiam quod sententia confirmans non fecerit transitum in iudicatum ex *Felin. in c. ea quæ, nu. 2. vers. à qua etiam si appellaretur, de sent. & re iudic.* & videbatur decisio Finetti in causa Viterbien. recissionis contractus prima Iulij 1569. *Rot. dec. 7. de sentent. & re iud. in antiquis, Achil. decis. 4. eod. tit. Bar. in l. si expressim. num. 3. ff. de appell. & in l. 1. num. 9. C. quando prouoc. non est nec.* & sunt aliæ duæ decisiones moderniores. Respondebatur enim huic motiuo quod Felin. solum dicit, quod si prima sententia est nulla, & secundus iudex est competens, & eius sententia transiuit in rem iudicatam, non impugnatur amplius prima, quia ex ea non tuetur se victor, sed ex secunda, à qua etiam si appellaretur non nocebit ei incompetentia primi, sed aliquis alius defectus, secundum *Ang. de Aret. in l. si expressim. colum. 36. versr. quæro an etiam actor. Hæc ille.*

6 Ex quibus apparet, quod Felin. presupponit secundam sententiam fecisse transitum in iudicatum, & sic bene procedit conclusio de qua supra per Alexand. Franc. & alios, & licet Felinus subdat à qua etiam si appellaretur, non nocebit ei incompetentia primi ex serie verborum apparet Felinum intelligere, si appellaretur postquam secunda sententia transitum fecit in iudicatum, quod suadent verba illa, non impugnaretur amplius prima, quia ex ea non tuetur se victor, sed ex secunda, & clare colligitur dictum *Felin. cum alleget. Angel. de Aretio, dicta col. 36. mihi nu. 56. colum. 26.* qui nihil tale dixit, sed solum, quod parte confirmari, & confirmatio tenet, si sententia transitum fecit in iudicatum.

7 Non obstat etiam dicisio Finetti, cum solum dicat, quod postquam sententia fuit confirmata non est amplius agendum de nullitate, sed videndum de bono iure, est enim intelligenda si secunda sententia transitum fecerit in iudicatum, non enim reperitur Doctor qui dicat contrarium, sed comunis sententia est, quod sententia nulla potest confirmari parte non opponente, & cõfirmatio tenet, si sẽtẽtia à cõfirmatoria nõ fuerit appellatum. Solum autem disputant DD. an per confirmationem imponatur robur primæ sententię nulli quod tenet *Inn. in c. de confirmat. vtil vel inutil. num. 2. vers. solutio* dicimus modo secunda sententia transitum fecerit in iudicatum, vel victor agat tantum ex sententia, quæ transitum fecit in iudicatum, quod tenet *Angel. Aret. in d. l. si expressim. num. 56. ante finem. de appell.*

8 Nec facit, quod decisio Finetti dicat, quod post confirmationem sententiæ non est amplius agendum de nullitate, sed videndum de bono iure, quæ cognitio super bono iure repugnat rei iudicatæ, quia hoc est regulariter verum, sed non habet locum in Rota, quæ nunquam exequitur sententias aliorum Tribunalium, nisi gustato de eorum iustitia. *Put. decis. 401. libro primo. Chissan. decis. 179. & est notorium, & tritum in Rota.*

9 Minus obstat decisio Rotæ septima, de sent. & re iud. in antiq. & *Achill. 4. eod. tit.* quia istæ decisiones sunt intelligendæ secundum *Doct. quos allegant iuxta vulg. reg. de qua per Bar. in l. non solum. §. liberationis verbo. ff. de liberat. leg. Decisio autem Rotæ in antiq. allegat Inn. qui loco supra citato* disertis verbis loquitur, quando sententia confirmans transitum fecit in iudicatum. *Achill. ver. dec. 4. allegat Alex. in alleg. cons. 111. lib. 5.* qui vt supra relatum est, loquitur, quando secunda sententia transitum fecit in iudicatum.

10 Minus etiam facit doctrina *Bart. in d. l. si expressim. de appell. & l. 1. C. quando prouoc. non est neces. quia Bar. loquitur in terminis,* quando commissa est causa appellationis, & nullitatis, & tangit articulum, quando iudex videatur reijcere nullitates, & isto casu vult, quod post iudicatum non possit dari amplius de nullitate, non autem dicit quod simpliciter confirmata sententia nulla non possit dari amplius de nullitate, & quod iste sit sensus Bart. satis patet, cum dicat post iudicatum, quod verbum denotat post tres conformes, vel post rem iudicatam ob non interpositam appellationem. *l. 1. & tot. tit. C. si in cau. iudic. l.* si & iure iudicatum, vbi *glos. secunda. ff. qui pot. in pig. hab. & quia allegat Clem. 1. de re iudic. & l. cum qui. Cod. de inoffi. testam.* quæ loquuntur post rem iudicatam, quæ iura licet alleget ad alium effectum, tamen ex illis satis colligitur mens ipsius Bar.

11 Et videtur cessare omnis difficultas, quia coram secundo iudice fuit oppositum de nullitate primæ sententiæ, & propterea eius partes erant reuocare dictas nullitates. *l. cum quærebatur. num. 4. ff. de re iud. Rot. dec. 2. de lit. contest. in antiq. & 8. de restit. spoliat. in nou. Cæs. de Grass. decis. 9. de caus. possess. & propr. Put. dec. 72. lib. 3.* non debet enim bonus iudex fingere sententiam validam si est nulla. *Bal. in l. 1. colum. 3. vers. caueant tamen iudices. C. si à non comp. iudic. Thom. Fastol. caus. 4. dub. 14. Contard. de moment. poss. limit. 7. num. 14.* nisi nullitas cadat in dubium, ex quo negotium sit intricatum, quia si apparet iusta etiam parte opponente de nullitate, potest confirmari, vt fuit resolutum in causa Assisien. beneficij 26. Februarij 1567. coram Gropperio, & in alia Interamnen. bonorum 14. Nouembris 1613. coram D. Archiepiscopo Bononien.

12 Neque obstat, quod tam in primo, quam in secundo casu ad effectum, vt possit dici de nullitate, necesse fuisset committere causam nullitatis, *vt per glo. in l. 1. in verb. non obtinebit. C. quan. prou. non est neces.* quæ loquitur cum certa denunciatione, quia in contrarium est *glos. in leg. si expressim in verb. præscriptio, ff. de appellat.* ea ratione, quia errando in appellando, cum nullam potuisset dicere sententiam, sibi non preiudicauit, sed non est opus ingredi istam difficultatem, quam conciliat, & declarat *Bar. in d. l. si expressim. numer. 2. vers. mihi videtur dicendum, & Alber. ibidem. num. 5. & 6.* Nam hic fuit commissa æque principa-

cipaliter causa appellationis, & nullitatis per clausulam appellationis, & appellationum nullitatis, & nullitatum, vt declarat *Mandos. in formula* 17. commissionum, in clausula nullitatis, & nullitatum, vbi alios allegat.

R. P. D. MANZANEDO.

Perusina Redintegrationis. Lunæ 1. Iulij 1613.

ARGVMENTVM.

Statutum excludens feminas quousque masculi extabunt, non verificatur in momento temporis, sed requirit perseuerantiam masculorum, quibus deficientibus successio reuertitur ad feminas.

SVMMARIVM.

Dictio quousque in statuto feminarum exclusiuo propter masculos, operatur earumdem exclusionem ad tempus, id est quamdiu masculi extabunt. nu. 1.

Permissum ad tempus, facit post tempus esse prohibitum, & è contra. nu. 1.

Statutum excludens feminas quousque masculi extabunt, non verificatur in momento temporis. nu. 3.

DECISIO CCCCLXXV.

1 PRoposito dubio an Moniales Monasteriorum Sanctæ Mariæ Magdalenæ de Perusio, & S. Bernardini de Viterbio, sint redintegrandæ ad bona paterna, & materna q. Ioannis Antonij Vibij, & Leontiæ coniugum de Perusio mediantibus personis Eusebię, & Gismeniæ suarum filiarum, & postea Monialium in dictis Monasterijs. Domini in affirmatiuam sententiam venerunt. Nam cum ex prædictis coniugibus remanserint filij masculi Vincentius, Cesar, Fabricius, Mutius, & Camillus, & feminæ prædictæ Eusebia, & Gismenia, & ex istis omnes decesserint sine liberis, & sic masculi non extant. Vnde prædicta Monasteria ex persona DD. Eusebiæ, & Gismeniæ intentarunt dicta redintegrationem ad prædicta bona paterna, & materna vigore statuti Perusiæ, quod excludit feminas à successione parentum propter existentiam masculorum, quousque masculi extent, illis vero deficientibus, feminas redintegrari vult, quod statutum ad fauorem dictorum Monasteriorum pro d. redintegratione bene intrare visum fuit, cum prædicti omnes masculi defecerint, & statutum non in perpetuum feminas excludat, sed ad tempus, nempe quousque masculi extabunt, quod operatur illa dictio quousque, vt notat *Bar. in l. final. §. quando nu. 1. ff. ad Tertull. per tex. in l. 1. §. finali. ff. de vent. in poss. mit. ten. & in l. siue. §. tamdiu. de condict. furtiua.* Et facit, quia permissum ad tempus, intelligitur post tempus prohibitum, & è contra *l. Imperatores. ff. de postuland. l. statuliber à ceteris. ff. de stat. homin.*

2 Ex quibus talia statuta sic intelligenda dixit Bar. vbi supra affirmando, quod ista est veritas, *& Bal. in l. quibus. numer. 3. C. de secund. nupt. & Anch. in consil. 120. numer. 2. & Capr. alijs relatis cons. 71. per totum. & Franc. Aretin. hanc dicens communem, in consi.* 144. & plurimos pro hac sententia congerit *Albert. Brun. de statut. excl. femin. art* 10. *num. 67. 68. & seq. & vt Bal. vbi supra,* notat, istud statutum loquitur per verba, quæ non possunt verificari momento temporis, sed quæ requirunt perseuerantiam liberorum, ad hoc vt feminæ axcludantur, quo casu potius est quædam temporalis suspensio, quam præcisa exclusio, & ideo cessante d. temporali suspensione per deficientiam masculorum, successio redit ad feminas temporaliter tantummodo exclusas, & quousque masculi extarent, argumentum *textus in Authent. de non eligend. secundo nubenti. §. Gregoria. & in Auth. de nupt. §. quoniam infirman.* & in terminis istiusmet statuti Perusię illud ita intelligendum resoluit Rota coram bonæ mem. Pegna in vna Perusina redintegrationis. 6. Nouembris 1595. Ex quibus ita resolutum fuit.

REVERENDISSIMO P. DOMINO COCCINO DECANO.

Reatina Bonorum. Lunæ 1. Iulij 1613.

ARGVMENTVM.

Iudex nulliter, & iniuste procedens spoliat, & spoliato competit actio spolij.

SVMMARIVM.

Spolio agens quæ dabeat probare. nu. 1.

Actio spolij est in rem scripta. nu. 2.

Actio in rem scripta competit successori, & contra successorem nu. 2.

Iudex nulliter, & iniuste procedens dicitur procedere, vt priuatus, & spoliat. nu. 3. & 5.

Mandatum eius, qui comparet vt procurator, non præsumitur, & debet apparere. nu. 4.

Subhastatio, vt sit valida quæ requirantur. nu. 4.

DECISIO CCCCLXXVI.

1 MArius Colella tenquam Procurator Paulæ sororis, egit ad bona, de quib. agitur, contra Io. Bernardinum filium dictæ Paulæ, & Virgilium pariter dictæ Paulæ sororium, & Patruum dicti Bernardini, quæ fuerunt subhastata ad fauorem Rutilij Perrinæ, qui cessit ea postmodum ad fauorem dicti Marij, vt in decisione in hac causa facta quarta Martij huius anni, cumque obierit dictus Virgilius substituta herede Isabella Masella vxori, quæ ex persona dicti Virgilij, & pro eius portione egit spolio contra prædictum Marium. Dubitaui an intraret dictum spolium, & Domini affirmatiue responderunt, constare de antiquiori possessione Virgilij ex subhastatione contra ipsum obtenta per Marium Colellam procuratorio nomine, & iuniore dicti Marij, & Rutilij eius auctoris, & ipsamet subhastatione, quæ duo extrema requiruntur, & probanda sunt ab agente spolio *Innoc. & Docto. in c. sæpe. de restit. spoliat. Abb. in c. si diligenti. de præscript. Dec. cons. 252. nu. 1. vers. est ergo solum videndum. Alex. cons. 6. num. 5. lib. 3. Grat. cons. 70. num. 22. lib. tertio, cum alys.*

2 Quod autem Isabella tanquam hæres Virgilij possit agere spolio contra dictum Marium successorem Rutilij dubitari non potest, cum actio spolij sit in rem scripta, quæ propterea competit successori, & contra successorem, *glos. in c. cum ad sedem. in verbo interdictum. Vbi Abb. num. 20. & 27. de restit. spol. Alex. in l. rem quæ nobis. num. 19. Ias. numer. 14. ff. de acquir. possess. Afflict. decis. 361. numer. 33. Cassad. decis. 3. de rest. spoliat Menoch. de recuperan. remed. 1. nu. 410. & ista decisio Tholomæi relata inter impress. lib. 3. par. 3. decis. 907.* Et fuit etiam dictum in causa Perusina spolij domus. 1. Februarij 1608. coram bon. mem. Pegna.

3 Non obstat, quod actor Marij possideat auctore Prætore, quia ex actis ipsius subhastationis in actis istius causę productis, constat, iudicem nulliter, & iniuste processisse, quo casu spoliat. *Ang. in l. clam. possidere. §. qui ad nundinas ff. de acquir. poss.* & fuit resolutum in causa Hispalen. Permutationis. 11. Maij 1586. coram bon. mem. Gypsio, & in alia Parmen. & Adrien. Beneficiorum. quarta Iulij 1584. coram Cantuccio.

4 Quod

Quod autem iudex nulliter notorie, & iniuste processerit, satis patet, (omissis alijs, quæ facile tolli possunt) quia in dictis actis non constat de credito Paulo, & propterea pro debito bona non poterant subhastari, sed rei erant absoluendi, *l. qui accusare*, *C. de edend.* Et in puncto dicit *Osasch. decis.* 170. *nu.* 4. Insuper non constat de mandato Marij, qui in iudicio subhastationis non comparuit tanquam frater, sed tanquam procurator, & ideo debet constare de mandato *Bald. & Salyc. in l.* 1. *C. de procur. Ias. in l. exigendi*, *col.* 4. *num.* 9. *vers.* 6. *fallit. C. eodem tit.* Præterea adest defectus citationis, & decreti de subhastando, & deliberando, quę omnia sunt necessaria pro validitate subhastationis, *l. à Diuo Pio*, §. 2. *& ibi gl. in verbo iubentur, ff. de re iud. l. creditor la* 2. *Cod. de distract. pignor. Affl. dec.* 338. *n.* 3. *& seqq. vbi Vrsill. numer.* 5. *Guid. Pap. decision.* 329. *Rebuff. de percon. & licit. act.* 7. *gloss. vnica à num.* 8. *vsque ad* 16. *ad Constitutiorem Galliæ. Tomo* 2.

5 Ex quibus sic congestis apparet, quod iudex non processit vti talis, sed vti priuatus, *Cæs. de Grass. decis.* 13. *sentent. & re iud. Dec. in leg. vt vim. num.* 26. *ff. de iustit. & iur. Gabr. conclus.* 1. *num.* 124. *& seq. de restit. spoliat. Ceph. cons.* 289. *n.* 14. *& seqq. lib.* 2. *Veral. dec.* 112. *p.* 2.

REVERENDISSIMO P. DOMINO

DAMASCENO.

Romana Saluiani. Lunæ 1. *Iulij* 1613.

ARGVMENTVM.

Saluianum vt competat quæ probari debeant, & an in casu decis. exceptio fideicommissi impediat immissionem vigore Saluiani.

SVMMARIVM.

Saluianum datur probata possessione debitoris, & credito actoris, nu. 1.

Fideicommissum potest alienari pro restitutione dotis, num. 2.

Feminæ exclusæ à statuto faciunt numerum ad augendam legitimam masculorum, num. 3.

Legitima, vbi filij sunt septem, est semis, nu. 3.

Legitima non comprehenditur sub fideicommisso, nu. 3.

Hæres adeundo hæreditatem videtur quasi contrahere cum creditoribus hæreditarijs, num. 4.

Saluianum non retardatur per exceptionem turbidam, num. 5.

DECISIO CCCCLXXVII.

1 FVit tentum esse locum Ægidianæ, quia sententia cantat in mero possessorio, nullitas non apparet, nec iniustitia, quia creditum Annæ actricis cum hypotheca probatur per instrumentum census empti, per q. Iubilæum, & Lauiniam Iugales super domo de qua agitur, possessio vero Dom. Leonis rei conuenti probatur ex testibus, quibus duobus concurrentibus locus est Saluiano, cuius vigore egit *Anna. Bart. in l.* 1. *num.* 2. *ff. de Salu. interd. Rolan. cons.* 14. *numer.* 13. *libr.* 1. *Put.* 207. *num.* 2. *lib.* 1. Rota in causa Romana, seu Amerina. 8. Iunij 1576. coram Cantuccio relata inter diuers. impress. decision. 34. parte secunda. Et in Romana Saluiani. 13. Ianuarij 1609. coram bon. mem. Litta. Nec videtur dubitandum, quod Anna non habeat causam à prædictis Iubilæo etiam Lauinia. Nam vt probatur ex publicis inhrumentis, Iubilæus fuit hæres testamentarius Lauiniæ, Catherina vero hæres hæres testamentaria dicti Iubilæi. Rursus Paulus fuit hæres istius Catherinæ, & ab isto Paulo fratre suo Anna actrix reportauit cessionem census, de quo agitur. Non obstat prætensio D. Leonis, quod scilicet ista domus sit subiecta fideicommisso q. Iacobi Galli purificato ad fauorem societatis Conceptionis Beatę Mariæ Virginis in Ecclesia Sancti Laurentij in Damaso, à qua Societate D. Leo mediante quadam transactione habet cessionem, quia obiectum visum tolli ex pluribus. Primo, quia non probatur, domum, de qua agitur, fuisse in bonis dicti fideicommittentis non ex quadam emptione per ipsum facta, quia non concludit de ista domo, cum non verificentur Confinia, non ex quodam inuentario, vt prætenditur per hæredes dicti Pauli confecto, quia extractum ex folio volante non rogato per aliquem Motarium. Non deniq; ex sententia liquidatoria fideicommissi lata per D. Perinum, quia tanquam inter alios lata minime nocet Annæ. tot. tit. res inter alios acta, &c.

2 Secundo, etiamsi probaretur domum fuisse in bonis fideicommittentis adhuc fuisset ab illo liberata per assignationem de illa factam à Sulpicio Gallo Lucretiæ suæ matri, & vxori Pauli pro restitutione suarum dotium, quod non est dubium potuisse fieri vigore *text. in* §. *quamobrem, auth. de rest tut. & ea quæ parit. & in auth. res quæ. Cod. commun. de legat. vt tradunt ibi glos. in verb. oblig. Bart. numer.* 2. *Bald. numer.* 3. *& alij Scribentes. Alex. cons.* 67. *nu.* 5. *lib.* 4. *Dec. cons.* 376. *nu.* 1. *Couar. var. resol. lib.* 3 *&* 6. *nu.* 10. *versic.* 4. *Surd. decis.* 62. *in princip.*

3 Tertio, cum filij Iacobi essent septem comprehensis feminis, quæ licet exclusæ à statuto faciunt partem ad fauorem masculorum, *Bald. in l. si defunctus, num.* 1. *C. de suis, & legit. Corn. cons.* 197. *nu.* 1. *lib.* 1. *Curt. iun. cons.* 268. *num.* 18. *cum pluribus sequentibus, Paris. cons.* 36. *nuner.* 29. *libr.* 2. *cum alijs per Crass. in* § *legitima. num.* 4. *vers. aut vero statutum.* Et fuit dictum in causa Romana de Lante. 1. Februarij 1567. coram Clemente Papa VIII. relata inter *diuers. impress. dec.* 266. *nu.* 2. *&* 5. *par.* 1. *legitima fuit. semis. auth. nouissima. de inoffic. testam.* §. *hæc nos versic. si vero vltra quatuor auth. de Trient. & Semiss.* potuit sustineri census super bonis fideicommittentis ratione istius legitimæ, cum portio illi subiecta sit libera, iuxta notat. in lege quoniam in prioribus, *C. de inoff. testam.*

4 Quarto, cum D. Leo sit hæres q. Vlyssis, qui imposuit censum, vt ex quietantijs per ipsum vti filium, & hæredem dicti Vlyssis factis Dominico Fructarolo, non potest euitare immissionem, quia adeundo hæreditatem patris, videtur quasi contraisse cum illius creditoribus, *l. apud Iulianum*, §. *finali vbi gl. vers. contrahere. Bart. nu.* 2. *qui bus ex caus. poss. eat.* §. *hæres, & ibi glos. verbo intelligitur. instit. de oblig.* quæ ex quasi contractu nascunt.

Quinto dicebatur, quod cum negari non possit, quin ex præfatis exceptio fideicōmissi reddatur multum turbida, quod hoc suffiiebat ad effectum, ne talis exceptio posset retardare immissionem ex Saluiano. *l. finali. C. quorum bonorum. Rip. in rubr. ff. de pignorib. nu.* 19. *prope finem, cum alijs, per Menoch. de adipiscen. remed.* 3. *num.* 180. Rota in supra allegata Romana Saluiani. 13. Ianuarij 1603. coram bon. mem. Litta, & in alia Romana Saluiani 3. Martij 1608. coram bon. mem. Pegna. Ex quibus fuit conclusum pro Anna, D. Leone citato, minime informante.

DECISIO CCCCLXXVIII.

Alerien. Beneficij. Lunæ 1. *Iulij* 1613.

Impressa Apud Buratto.

DECISIO 17.

REVERENDISSIMO P. D.

MANZANEDO.

Maceraten. Liquidationis fructuum. Mercurij 30. Octobris 1613.

ARGVMENTVM.

Fructuum liquidatio, & eorum valor quomodo probanda.

SVMMARIVM.

Fructuum liquidatio probatur per id, quod possibile, & consuetum est. nu. 1. & 2.
Præsumptiones, & coniecturæ sufficiunt in materia difficilis probationis. nu. 2.
Frumenti valor, & pretium probatur per æstimationes extractas ex publicis libris ciuitatis. nu. 3.
Frumenti valor quando diuersimode apparet per æstimationes librorum publicorum, medius valor attendendus est. num. 4.

DECISIO CCCCLXXIX.

1 PRoposito dubio, an constaret de liquidatione, Domini affirmatiue responderunt, quo ad granum, cum testes tam primi, quam secundi examinis deponant totam terram, de qua agitur, singulis biennijs fuisse seminatam ad granum, & illud, quid colligebatur fuisse pro equali diuisum inter Dominum, & Colonum, & fere omnes conueniunt, quod qualibet salma terræ solet ad minus percipi ad rationem quinque cum sex bottinellis, & reddunt optimam rationem, nempe quia practici, & vicini, que quidem probatio per possibile, & consuetum est sufficiens, quia cum in casu nostro constet de perceptione fructuum, circa eorum liquidationē admittitur probatio à possibili, & consueto. *Achil. dec. 22. de test. spol. Verall. decis. 30. par. 2.*

2 In hac enim materia, quæ reputatur difficilis probationis sufficiunt præsumptiones, & coniecturæ. *Bald. in l. prima, nu. 22. C. de fruct. & lit. expens. Natt. cons. 310. nu. 7.* & fuit in Rota sæpe decisum in vna Carpen. fructuum. 1. Iunij 1602. coram Illustrissimo Mellino, & in alia Romana liquidationis, 26. Octobr. 1592. coram Orano. Vnde cum tota terra sit salmarum 30. & ijdem testes dicunt fructus dicti grani vndecim annorum, quibus durauit spolium, nempe ab anno 1597. de mēse Octobris, quo fuit commissum vsque ad annum 1608. de mense Iulij, quo fuit redintegratus Iulius, videntur liquidandi ad rationem 5. salmarum, & sex bottinellorum pro qualibet, quam reductionem remiserunt Domini faciendam Perito illarum partium qui agnoscat istas mensuras.

3 Quo vero ad valorem dicti frumenti ille probat per æstimationes extractas vigore compulsorialium Rotalium ex libris publicis ciuitatis *Maceraten. & Firmanæ, Bart. & Alber. in l. finali. ff. ad legem Iuliam. Idem Alber. in tract. de statu. q. 69. Aman. cons. 38. numer. 3. Cæs. de Grass. dec. 5. num. 5. de restit. spol.* quæ quidem probatio in simili fuit admissa in Imolen. tutelæ. 27. Octobris 1595. coram bon. mem. Cardinale Pamphilio, & in alio Romana fructuum 7. Aprilis 1606. coram Reuerendissimo Lugdunensi.

4 Attamen, quia istæ æstimationes dd. librorum non concordant in totum, cum æstimatio Maceratæ sit minor, & pars D. Iulij acquiescat isti minori æstimationi, Ideo iuxta illam valor frumenti fuit iudicatus, nisi appareat in dictis ciuitatibus quolibet prędictorum annorum alias minores ęstimationes fuisse factas quod relinquendum censuere Domini dicto Perito eligendo in partibus super mensuris, qui etiam reuideat libros istarum ciuitatum pro inquirendo, an aliæ æstimationes minores datis reperiantur, quo casu eligenda erit mediæ via, ita vt nec maiores, nec maiores, nec minores, sed mediæ æstimationes attendantur, & iuxta illas iste valor taxetur, vt fuit alias per Rotam consideratum in vna Florentina liquidationis fructumm. 14. Martij 1611. coram me.

5 Circa vero paleam omnes prædicti testes considerant illam colligi ad eandem rationem, qua granum, & ideo videbatur, & liquidanda ad quantitatem, qua supradictum est de frumento. Sed quia dicebatur, possessores prædij de illo tempore habuisse, ibi sua animalia, quib. palea communiter deseruire solet, ideo pro nunc circa istius paleæ liquidationem nihil fuit stabilitum. Quo vero ad hordeum, & alia legumina, & ad animalia cum non afferatur sufficiens probatio, Domini nihil resoluerunt, & ipsamet pars Iulij de Nobilibus non curauit pro nunc in illis insistere.

R. P. D. PIROVANO.

Romana Legati. Veneris 4. Nouembris 1613.

ARGVMENTVM.

Valet Legatum maioris summæ factum à patre filiæ nubenti, quam si monialis efficiatur, & hæc opinio Religioni, aut vitæ contemplatiuæ contraria non est, nititurque æquitate, & communi obseruantia.

SVMMARIVM.

Legatum factum à Patre filiæ nubenti in sæculo plus quam si monialis efficietur, non valet secundum vnam opinionem. num. 1. Contrarium verius. num. 2. & per totam decisionem vbi respondetur contrarijs.
Testantium voluntates seruandæ sunt etiam, quod non faueant Monasterio, vel Religioni. nu. 3. & 4.
Moniales, quæ perpetuam vouent paupertatem non sibi, sed Monasterio acquirunt. nu. 4.
Matrimonij onera grauissima sunt. nu. 5.
Patris consilium pro filijs præsumitur bonum. nu. 5.
Consuetudo est optima legum interpres, & ab ea in iudicando recedendum non est. nu. 6.
Conditio vere, & non ficte in specifica forma adimpleri debet num. 7.
Conditio repugnans Religioni, & retrahens ingredientem Monasterium, reycienda est, allegato nu. 9.

DECISIO CCCCLXXX.

1 HOc dubium in resolutione diei 14. Decemb. 1612. reseruatum, an liceat patri plus relinquere filiæ nubenti in sæculo, quam si matrimonium spirituale contrahat, habet ab vtraq; parte rationes, & Doctores grauissimo attestantes etiam de communi. Nam pro negatiua referuntur opiniones disputatæ per Richardum Malumbram, & Thomam de Fromaginis, quos secuti sunt. *Io. And. in addit. ad Spec. in rubr. de stat. monach. circa medium.* Et alij plures relati per *Gabr. de leg. concl. 2. per Cottam in memor. in ver. conditio. Affl. dec. 348. per totam. Odd. cons. 19. num. 19. Illustrissimus Mantic. de coniect. lib. 11. tit. 18. Rolan. cons. 35. nu. 17. lib. 3.*

2 Affirmatiuæ auctor est *Bald. in l. Deo nobis. C. de episc. & cler. & in authent. nisi rogati. Cod. ad Trebell.* cum quo transeunt multi pariter relati per eundem *Gabr. tit. de leg. concl. 2. Illustrissimus Mantic. d. tit. 18. num. 28. & seqq. Couar. var. resol. lib. 1. cap. 19. num. 9. Menoch. consil. 169. num. 18. Simon de Pret. de interpret. vltim. volunt. libro quarto, inter-*

interpret. prima, dub.5. num. 19. Peregr. de fideicomm. art. 28. num.73. Sanch. de Matrim, disput.34. num. 11. & seq. Et hæc posterior opinio magis placuit Dominis, quæ fundatur in expressa morientium voluntate nec religioni. aut vitæ contemplatiuæ contraria probatur, nititurq; æquitate, & communi obseruantia.

3 Legibus enim constitutum non reperitur, quod fauor Monasterii, vel Religionis impedire debeat testantium voluntates, quinimo omnibus modis seruandæ sunt, *c. vltima voluntas, 13.q.2. l.1. C. de sacros. eccles. §. disponat. auth. de nupt. l. in conditionibus, primum locum in princip. ff. de cond. & demonstr. l. cum quæstio. in fine. C. de leg.* Merito igitur fauor religionis adeo præponderare non debet, vt destruantur morientium voluntates, quas singularibus priuilegiis, esse decoratas leges voluerunt.

4 Religioni autem, vel Monasterio contraria non est, quia ingressus non inuitatur ex eo ad relinquendum habitum suceptum, neque ingredienti ponit obicem, cum voluntas legantis non præsumatur ad hoc ordinata, sed ad pinguius patrimonium relinquendum in familia sua, & item à voluntate ingredientis alienum existimatur, vt cogitet de bonis cum perpetuam voueat paupertatem, nec ipsi, sed monasterio bona acquirantur, *cap. monasterium, de regul. auth. ingressi. C. de sacrosan. eccles. Dec. in cap. in præsentia. num. 59. de prob. Menoch. consil. 169. numer. 19. volum. 2. Couar. var. resol. libr. 1. cap. 19. numer. 10. vers. præterea. Rimin. iun. consil. 85. numero 25. volum. 1.* qui prædictas rationes bene ponderant.

5 Æquitas etiam est valde considerabilis, quia certũ est quod ingredientibus monasterium, & paupertatem profitentibus multo minus potest sufficere, quã si nupserint in sæculo propter onera matrimonii, quæ fuerunt, & sunt hisce præsertim temporibus grauissima, *l. pro oneribus, C. de iur. dot. c. salubriter, de vsur.* & ideo videatur licere Patri testando habere rationem ad vtrumque statum, tam sæcularem quam religiosũ, & moderare relictum ad indigentiam vtriusque status prudenti suo consilio, de quo lex multum confidit. *l. nec in ea. ff. de adult. Peregr. de fideicomm. artic. 34. num. 31.* & rationi prædictæ multum insistunt *Bald. in auth. nisi rogati. num. 11. Cod. ad Trebell. Dec. in capit. in præsentia. num. 59. vers. & ista opinio. de probat. Vrsill. ad Afflict. decis. 348. memb. 2. Sim. de Pret. de interpret. vltim. vol. lib. 4. interpret. 1. dub. 5. num. 19. Vasq. de success. titulo commun. de leg. lib. 3. §. 29. num. 23. vers. & prudens consilium. Menoch. cons. 169. nu. 20. & Rim. iun. cons. 85. nu. 18. & seqq. vol. 1.*

6 Consuetudo denique, & communis obseruantia quam per totum mundum vigere testantur *Castr. in l. Titiæ centum 8. Titiæ centum, in fin. ff. de cond. & demon. Illustrissimus Mantic. d. lib. 11. tit. 18. num. 19. & tota Italia Fulgos. consil. 53. num. 2. Rim. iun. consil. 85. num. 22. vol 1.* pro certa lege nobis deseruire debet, quæ propterea mutanda non est nec ab ea receden. tanquam ab optima legum interprete, capit. cum dilectus, de consuetud. *l. si de interpret. l. minime. ff. de legib.* & hæc interpretatiua consuetudo tantum potest, vt inde etiam possit affirmari, quod ita sit à iure constitutum, vt scribunt *Bal. Fulgos. Natt. & alij relati per Illustrissimum Mant. d. lib. 11. tit. 18. n. 34.* Vnde non mirum si & leges & rationes, quæ pro contraria opinione afferuntur distinctionem, & declarationem ab huiusmodi obseruantia receperunt.

7 Nam *text. in §. sed & hoc præsenti. in authent. de sanct. Episc.* tanquam exorbitans à regulis iuris communis volentib. conditionem debere impleri in forma specifica vere, & non ficte, *l. qui hæredi. l. Meuius, ff. de cond. & demonstr. Ias. in l. Gallus. §. quod si tantum, ff. de liber. & posth.* non debet extendi vltra casum, vel casus ibi expressos, nempe simplicis conditionis nuptiarum, vel liberorum, & ideo cum prouisio legis versetur in supplendo voluntatem testatoris, quando nõ cogitauit de ingressu religionis, vt eodem modo filia ingrediens monasterium consequatur relictum, ac si nupsisset in sæculo, non propterea videtur posse deseruire, quando de expressa testatoris voluntate constat legando, vt in præsenti certam quantitatem in vtroque casu, quem intellectum, vt dixi, potuit recipere obseruantia, cum non repugnat literalis sensus, & illum cum obseruantia probauerunt grauissimi auctores post *Bal. in l. Deo nobis de epis. & cleric. relati per Illustrissimum Mant. d. lib. 11. tit. 18. nu. 31. Peregr. & Sanch. supra allegatos.*

8 Similiter *ad text. in leg. si Titiæ, &c. non nupserit. ff. de cond. & dem. respondet. Bald. & alij supracitati*, quod in casu illius legis conditio erat apposita matrimonio, quod repugnabat publicæ vtilitati, sed in hoc casu opposita reperitur fauore matrimonii temporalis, & & non contra, nec argumentationem Bart. in illa lege à matrimonio temporali ad spirituale dicebant esse veram, quia non sic lege cautum reperitur dispositum contra voluntatem testatoris, quando agitur de matrimonio spirituali, prout est de temporali propter rationem publicæ vtilitatis, quam veteres leges considerabant propter liberorum procreationem in odium cælibatus.

9 Cessat deniq; ratio fundamentalis contrariæ opinionis, quod hæc conditio tanquam repugnans religioni, & retrahens ingredientem à monachatione sit reiicienda, quia Domini illam intellexerũt posse procedere, quãdo constaret in odium monasterii vel religionis fuisse appositam, veluti si presbyter, vel monachus non fiet, quia tunc reiecta tali conditione, vti improba, legatum deberetur, *l. conditione, ff. de condit. & dem. Abb. in c. in præsentia, num. 42. Dec. cons. 27. & 58. Felin. num. 66. Peregr. de fideicomm. art. 28. num. 75.* & in his terminis dixerunt procedere decisionem, *Mohed. 2. de consuetud. & 3. de test. 1.* quia conditio illa respiciebat actum recedendi ab ordine subdiaconatus pro conseruatione medietatis hæreditatis quæ alias conseruari non poterat, & consequenter tendebat in odium illius ordinis, vltra quod Domini valde etiam dubitant, nec illæ decisiones essent ex mente Rotæ extensæ, quia *Put. qui eandem decisionem extendit in libr. 2. decis. 87.* nullum verbum fecit de hac conclusione firmata per *Mohed.* & ex prædictis omnibus censuerunt Domini, Patrem sororis Theodoræ potuisse nomine dotis illi monasterium ingredienti minus legare, quam si iu sæculo nupsisset.

REVER. P. D. MANZANEDO.

Illerden. Portionis, de Bonauarre. Veneris 8. Nouembris 1613.

ARGVMENTVM.

Clericus, qui se ad Sacerdotium scienter promouere facit ante annum 24. est ipso iure suspensus, & celebrans efficitur irregularis, & à solo Papa dispensari potest.

SVMMARIVM.

Sacerdos antiquior non præfertur in concursu beneficij in quo solum acquirtur quod quis sit Presbyter, & idoneus, numer. 1.

Sacerdos promotus ante tempus debitum 24. annorum remanet suspensus, & celebrando incurrit irregularitatem, n. 2. & 5. Vbi vsq; ad quot tempus duret hæc successio.

Sacerdos, qui nullam patitur exceptionem præferri debet in concursu sacerdoti, qui aliquo modo suspectus est.

Liber baptismi probat natiuitatem, & ætatem, cum à communiter accidentibus soleant pueri baptizari post sex,

vel octo dies, à tempore Natiuitatis. nu. 4.

Ignorantia crassa, & supina suffragari non potest. nu. 6.

Ignorantia in facto proprio non præsumitur. nu. 6. in fine.

Sacerdotis ante tempus debitum promoti tolerantia Episcopi nihil operatur non data scientia eiusdem Episcopi. num. septimo.

Sacerdos ad Sacerdotium promotus ante tempus debitum suspensionem incurrit ipso iure, & celebrans efficitur irregularis, & à solo Papa est absoluendus. nu. 8.

Irregularitas an, & quando debeat concludenter probari, & quando sufficiat præsumptiua probatio. nu. 9.

DECISIO CCCCLXXXI.

1 Domini dixerunt, sententiam de partibus esse confirmandam, cum adiudicauerit purtionem, de qua agitur Francisco, qui est Presbyter oriundus ex oppido de Benauarre, & ex parentibus incorporatis in dicto oppido, habetque omnes alias qualitates requisitas à Bulla Iulij Secundi emanata super prouisione harum portionum, & licet eædem qualitates etiam concurrant in Alphonso, & ille tanquam antiquior sacerdos prætendat in concursu cũ dicto Francisco debuisse præferri. Tamen cum dicta Bulla requirat tantummodo quod quis sit Presbyter, & idoneus, & ad idoneitatẽ antiquius sacerdotium nihil conferat, dicta qualitas non videtur habenda in consideratione. *Rot. dec. 38. lib. 2. par. 3. diuers. Facit Put. dec. 105. nu. 1. lib. 3.*

2 Et omnis difficultas cessat ex eo, quod ipse Alphonsus fuit ordinatus ante legitimam ætatem. Natus enim fuit 28. Februarij 1572. vt constat ex libro Baptismi, & ad sacerdotium promotus. 22. Decembris 1595. & sic per dies quinquaginta octo, antequam compleuisset annum vigesimum quartum. Contra dispositionem iuris in *Clement. vlt. de ætat. & qualit. & Conc. Trident. sess. 23. cap. 12. de reforma.* Vnde iuxta Constitutionem Pij Secundi remansit suspensus, & celebrando incurrit Irregularitatem, propter quam reddebatur incapax ab obtinendum beneficia. *Caputaq. dec. 238. num. 4. par. 2. Paris. cons. 136. num. 40. & 41. lib. 4. Rebuff. de pacific. possess. nu. 226.*

3 Qua irregularitate, & inhabilitate stante, non merebatur præferri Francisco, cui nullus defectus obijci poterat, cum sola etiam suspicio sufficeret ad effectum illum excludendi in concursu alterius, qui nullam patiebatur suspicionem, vt in nostris terminis voluit *Calderin. cons. 9. de probat. & facit tex. in cap. omnipotens. de accusationibus.*

4 Quibus non obstat, quod liber baptismi non probet diem Natiuitatis cum potuerit esse, quod fuerit baptizatus illinc ad duos menses, quia Dominis non videbatur verisimile, illum tam longo temporis interuallo post Natiuitatem fuisse baptizatum cum à communiter accidentibus soleant pueri ad summum post sex, vel octo dies à tempore natiuitatis baptizati. *Menoch. lib. 2. præsumpt. 51. nu. 56. Mandos. reg. 18. q. 10. num. 4.* & ita seruari in illis partibus deponunt testes dati in *Summario Francisci. nu. 8.*

5 Minus obstat quod Alphonsus distulerit celebrare vsque ad completum annum 24. & ideo euaserit irregularitatem, cum suspensio duret vsque ad legitimam ætatem, *cap. vel non est compos. de tempor. ordinat. cap. fin. de cleric. coniug. Panorm. in cap. 1. de cleric. per saltum promotis, cum alijs.* Quia quicquid sit de iure communi, hodie stante dicta Constitutione Pij II. suspensio durat perpetuo, donec absolutionis beneficium impetretur. *Rebuff. in prax. benefic. part. 2. tit. de cleric. ad sacr. ordin. mal. promot. gloss. 4. numer. 3. Tolet. in summ. lib. primo, capit. 61. Quarant. in Summ. Bullarij. in verb. ordo. versicul. colliguntur,* ex dictis Pij II. Vltra quod in casu nostro non constat primam Missam fuisse celebratam post completum vigesimumquartum annum, cum hoc non probetur ex publico instrumento confecto super celebratione dictæ primæ Missæ, cum potuerit esse, Alphonsum multo ante celebrasse absente Notario, & testibus in dicto instrumento rogatis, qui propterea attestari non poterant, illam esse primam Missam.

6 Nec facit, quod ignoranter fuerit promotus ante legitimam ætatem, quia de contrario constat ex testibus deponentibus, de eius scientia & dolo, cum de tempore, quo ibat Illerdiam ad suscipiendam sacros ordines, fuerit admonitus ab amicis, quibus monitionibus non obstantibus, voluit ordinari, & plurimum facit illa insolita, & affectata diligentia, quam fecit, vt de prima Missa conficeretur publicum instrumentum. Vlterius de sua ætate poterat de facili certiorari à proprio Parocho, penes quem erat liber Baptismi, quod tamen facere noluit sciens suam fraudem, & dolum detegi posse, sed procurauit super ætate informationem fieri ab officiali, quem facilius sibi erat decipere, quam Parochum. Vnde ista ignorantia tanquam nimis crassa, & supina suffragari non potest. *l. nec supina. §. sed facti. ff. de iur. & fact. ignor. Roman. consil. 127. num. 2. Caualcan. dec. 14. nu. 41. par. 1. Bero. cons. 44. num. 52. lib. 2.* & cum sit de facto proprio, non est præsumenda. *l. vltim. ff. pro suo l. quanquam. ff. ad Senat. Cons. Velleian. Menoch. præsumpt. 23. nu. 32. lib. 6.*

7 Non obstat dispensatio desumpta ex tolerantia Episcopi per decem annos, quia cum non probetur illius scientia de huiusmodi mala promotione tolerantia nihil operatur. *Roman. consil. 216. num. 6. & 8. versic. mihi autem. Paris. consil. 136. num. 14. lib. 4. Gabr. cons. 189. nu. 1. & 4. lib. 1. dec. Pedem. 176. nu. 3. Bero. consil. 183. num. 25. lib. 3.*

8 Vltra quod ex dispositione dictæ Bullæ Pij II. suspensio incurritur ipso iure, & celebrans efficitur irregularis, & à solo Papa absoluendus. *Syluestr. in Sum. verb. irregularitas. §. 10. quæritur. Couar. in Clement. si furiosus prima par. relect. §. 1. num. 4. de homicid. Nauar. in Manual. cap. 25. nu. 70. & in cap. accepta oppos. 8. num. 34. de restitut. spoliat. Salced. in sua praxi crim. Canon. cap. 26. num. 20. Gregor. Lopez in leg. 28. tit. 6. par. 1. in verb. ex beneficio.* Vnde non videtur sufficere tolerantia Episcopi, qui cum eo dispensare non poterat. *Bero. d. consil. 183. sub nu. 25. lib. 3.*

9 Vltimo visum fuit non obstare, quod cum agatur de pœna irregularitatis, & de priuando Alphonsum beneficio probationes debeant esse plenæ, & concludentes. Quia in casu nostro Irregularitas contra illum opponitur non ad effectum, & imponendi aliquam pœnam, vel eum priuandi hac portione, quam nunquam habuit, sed tantum de maiori, vel minori idoneitate in iure quærendo in concursu cum Francisco, qui ad ostendendum se esse magis idoneum, & ideo præferendum excipit de dicta Irregularitate, quo casu sufficiunt leuiores probationes. *Card. in Clementin. vnic. §. fin. quæstion. 3. & ibi Anchar. num. 16. de concess. præb. Mohed. decis. 4. in fin. iuncto illius initius de probat.* Ex quibus pro confirmatione sententiæ fuit resolutum.

DECISIO CCCCLXXXII.

Nolana Primiceriatus. Veneris 8. Nouemb. 1613.

Impressa Apud Caualerio.

DECISIO 266.

R.P.D.

R. P D. VBALDO.

Romana locorum Montium. Mercurij 13. Nouembris 1613.

ARGVMENTVM.

Restitutio in integrum ex capite minoritatis,& quia donatio fuit facta sine causa non admittitur, nisi per petentem concludenter probetur minoritas tempore contractus quę non præsumitur,& quod vere nulla fuerit causa donandi.

SVMMARIVM.

Restitutio in integrum conceditur donanti sine causa. nu. 1.
Minorem se fuisse dicens tempore contractus debet hoc probare concludenter, quia contrarium præsumitur, nu.2.
Fides Parochi ad probandam negatiuam sine iuramento, & citatione non sufficit. num.2.
Natiuitatis probandæ modus primus est per testes, dicentes se fuisse præsentes dum nasceretur puer. nu.3.
Ætas non probatur per testes de auditu. nu.4.
Instrumentum ex quo non reperitur, non sequitur quod non sit factum, cum potuerit amitti vel non protocollari. numer.5.
Negatiua instrumenti non reperti non probatur ex diligentia ex aduerso facti.n.4.
Donatio facta ob seruitia, si non apparet quæ seruitia, intelliguntur ex qualitate personæ, & alijs adminiculis, numer.6,
Donatarius non valens agere ad rem donatam euictam,quia donator noluit teneri de euictione, potest tamen agere ad pretij illius restitutionem,num.7.
Ætas intrat contra eum, ad quem peruenit prætium rei alienæ, nu.7.
Donatio non dicitur facta sine causa, quando ex ea vtilitas aduenit donotioni. nu.8.
Fides iudicis attestantis de gestis coram se probat, nu.9.
Testes plures licet singulares circa tempus in re difficili iunctis adminiculis fidei iudicis, & mandare procuræ faciunt aliquam fidem, nu.9.

DECISIO CCCCLXXXIII.

1 POst factam resolutionem in hac causa constare de re iudicata contra D. Cleriam,vt apparet ex decisione sub die 25. Maij 1611. coram me. D. Cleria petijt audiri super causis restitutionis in integrum,quo dubio proposito, & non resoluto die decima nona Martij 1612. Hodie vtraque parte informante Rota censuit non constare de causis restitutionis in integrum, illa autem duo potissime prætendebantur per Cleriam. Prima cum ea ipsa tempore resignationis locorum Montium, de quibus agitur, esset minor. Altera quod fuisset læsa, tanquam resignasset sine causa, & ideo restituenda, *leg.1. & l. quidam si minor §. primo, ff. de minor. capit. 1. Vbi Abb. num. 3. de restitut. in integr.*

2 Sed neutra DD. videbatur iustificari. Nam quo ad minorem etatem illa erat plene,& concludenter probanda per Cleriam capite in præsentia, de probat. *L. si minor. C. de in integr.restit. Bald. cons.19. factum tale est num.4. versic. Vnde videtur libr. 1.* ætas enim præsumitur maior tempore contractus. Vnde qui venit cōtra contractum,tenetur probare ætatem minorem, *Bald. in l. de ætate.nu.4. vers. in ead.ff. de minor.* quæ probatio hic videbatur deficere. Nam liber Baptismi non loquitur de Cleria filia Cæsaris, sed de Venere filia Antonij,& quæ dicebantur de causis allatis ad iustifican. hanc nominis, & parentum diuersitatem DD. non placuerunt,nec visa est sufficere fides Curati sine iuramento, & citatione ad proban. negatiuam, quod non adsit alia baptizata sub dicto nomine.

3 Testes vero vltra quod sunt diuersi in tempore, & parentibus expressis in d. partita libri baptismalis in primis fatentur se non adfuisse natiuitati, & sic excludunt primum modum probandi natiuitatem per testes, de quo per *Bart. in dict. leg. de ætate. sub numero primo, versic. sed in probanda minori ætate, ff. de minoribus*, quam Theoricam sequuta est Rota in causa Parmen. status. 12. Februarij 1586. coram bon.mem.Cardin. Seraphino.

4 Præterea sunt testes de simplici auditu.Primus enim deponit de auditu ab vxore, secundus quæ est vxor primi, de auditu à Lucretia, & Cæsare, & sic non probant, capite tam literis, & ibi *glos. & Felyn. num.2. de testib. l.testium, & ibi gl. in verb.præsto, C. eod. tit. Dec. consil.220. in causa, nu.4. & in terminis proban.minoris ætatis Bart.cons.92. num.1. lib.1. Alex.cons.29. num.10. versic. deponit etiam,lib.7.Corn.*qui loquitur in terminis quan. agitur ad annullan. contractum, *consil.21. num.1. vers. tamen ista testis. Odd.de rest. in integrum, q.33. nu.70.vers. teneo igitur, & nu.71.*

5 Quo vero ad secundam restitutionis causam, satis videbatur DD. constare de causa resignationis, cum pro debito Scut.800. quo Vinc. Fantonus fuerat obstrictus Stephano, Cleria Vincentij hæres resignauerit quatuor loca montium valoris longe minoris, vt etiam fuit consideratum in prædicta decisione in hac causa facta. Nec obstat, quod instrumentum dictæ obligationis Vincentij enunciatum in apocha,nō reperiatur, quia vltra quod istud respicit probationem causę, non autem causam, vt considerabat vnus ex DD. fuit etiam responsum prout in dicta decisione ex eo quo instrumentum non reperiatur, non sequi quod non fuerit factum,cum poterit amitti vel subtrahi,vel non protocollari, vt dixit *Aymon. consil. 112. numer. 7. Hercul. de negat. numer. 173.* præsertim cum fuerit probatum per testes in officio eiusdem Notarij fuisse laceratas illas scripturas, & amissa multa instrumenta, nec diligentia ex aduerso facta videtur probare hanc negatiuam instrumenti non reperti præsertim absque citatione partis, *consil.170. num.23. lib.3.*

6 Accedit etiam quod potuit in d. apocha facile æquiuocari in nomine Notarij, & mensis cum extet aliud instrumentum donationis casalis eiusdem valoris Scut.800. factum à Fantono ad fauorem eiusdem Stephani eodem anno 1596. ob multa seruitia ab eodem Stephano recepta, quæ licet non exprimantur pro causarum patrocinio,tamen attenta qualitate personæ Stephani,& dicto secundi testis, & alijs infra dicendis. Et cum de alijs seruitijs non appareat, videtur dicendum obseruitia in patricinio præstita fuisse donatum, *l. quædam mulier.ff. de rei vendic. l.2. C. de acquir. possess.cum ibi notat. Alciat.præsumpt.reg.2.præsumpt.24. Aym. cons.18. nu.23.*

7 Nec obstat, quod dicta donatio fuisset resoluta propter pactum in ea appositū quod casu quo euinceretur Fontano census pactus cum Communitate Collis Veteris ipse donator habeat regressum ad dictum Casale, qui casus euictionis euenit, quia fuit responsum duobus modis, & primo, quod licet Stephanus non potuisset agere ad Casale, ex quo Fantonus noluit teneri de euictione,poterat tamen agere ad pretii illius restitutionem, *leg.ex empto.§.fin.ff. de action. empti.* Tanto magis cum Fantonus pro rata dicti pretii Casalis fuerit de suo credito satisfactus. Vnde cum ad eum peruenerit pretium rei alienæ intrabat æquitas, *leg. si cum seruum. vbi Bart. & alij.ff. si cert.petatur.*

8 Secundo fuit responsum, & hoc valde mouit DD. quod in dicto instrumento fuit expresse cautum, vt

secuta etiam euictione dictus census, donatio Casalis viros non habeat, sed suspendatur, & quousque donator recuperauerit dictum censum quem alias dictum creditum Scut. 2400. & illis recuperatis d. donatio vires suas recuperet, & effectum habeat, & sortiatur. Vnde cum hodie constet Cleriam hæredem Fantoni fuisse satisfactam de dicto credito illa donatio pro Scut. 800. reuiuiscit, & consequenter si ipsa resignauit pro dicta summa quatuor loca montium, quæ non tanti valet, dicitur gessisse actum sibi vtilem, & resignatio non potest dici sine causa.

9 Accedit vltimo, quod videbatur constare de patrocinio, & benemeritis Stephani tum ex fide Illustrissimi Cardinalis Cæsij, tunc præfecti Congregationis Baronum, in qua causa à Stephano agebatur pro Fantono, tanto magis cum attestetur de gestis coram se, Ægid. dec. 183. Tum ex testibus pro Rubeo examinatis, & ex dispositione Secretarij locorum Montium, de confessione Cosmi mariti Cleriæ qui licet possint videri singulares ratione temporis: Tamen iunctis adminiculis dictæ fidei, & mandati Procurator Fantoni in personam ipsius Stephani pro eadem causa in re præsertim difficilis probationis videtur facere fidem. *Cæs. de Grass. dec. tertia, nu. 6. de probat. Caputaq. decis. 271. par. 3.* Et fuit dictum in Hispalen. Matrimonij vigesima octaua Februarij 1608. coram Reuerendissimo Bononien.

10 Ex quibus, & alijs consideratis in decisione in hac causa facta, quæ etiam hodie DD. placuerunt, fuit conclusum non constare de causis restitutionis in integrum.

REVERENDISS. P. DOMINO COCCINO DECANO.

Vrgellen. Abbatiæ. Veneris 23. Nouembris, 1613.

ARGVMENTVM.

De clausula constito, & cæt. nec non etiam de clausula amotis, & cæt. aliqua notanda, de quibus in Summario.

SVMMARIVM.

Clausula constito, & c. apposita in literis vbi fuit iustificata literæ etiam exequendæ sunt. nu. 1.

Reseruationem de facto iustificare sufficit ad effectum, vt Breue possit exequi. nu. 1. in fine, & nu. 2. Vbi an hoc habeat locum quando ius est penes alium.

Clausula amotis, & c. in literis Apostolicis apposita dicitur personalissima, & in ea non habetur ratio aliquorum detentorum nisi ab eodem Pontifice prouisorum. nu. 2.

DECISIO CCCCLXXXIV.

1 Rota censuit Breue esse exequendum, nam pro illius verificatione sufficit iustificare clausulam constito, &c. *Anchar. in consil. 297. num. 8. vers. & proxime dicta, & num. 9. vers. si ergo,* & fuit dictum in causa Papien. Præpositurae, 30. Maij 1611. coram Reuerendissimo Attrebaten. & in alijs decisionibus in fine allegandis, prout fuit iustificata, cum solum debeat constare, quod Balthasar obtinebat in commendam Abbatiam, & quod obierit in possessione, vtrumque enim est probatum plene, & conclusum, & cum hoc sufficiat non est discutienda vnio, quæ hodie prætenditur, cum sufficiat iustificare reseruationem de facto ad effectum, vt Breue possit exequi ex allegatis, per *Modernum Glossatorem reg. 8. gl. 15. §. 1. numer. 6. & num. 8.*

2 Et quamuis diceretur, conclusionem non habere locum, quando ius est penes alium. *Rot. dec. 102. in fine lib. primo, par. 3. & dec. quinquagesima secunda, in fine. lib. 2. eadem par. 3.* tamen fuit replicatum, quicquid sit de validitate vnionis, sufficit quod Papa præseruauerit tantum prouisos ab ipsomet, vt patet ex clausula amotis, &c. non tamen à nobismet ipsis prouisionem habentibus, quæ est personalissima, & percipit, vt non habeatur ratio aliquorum detentorum, nisi ab eodemmet Summo Pontifice prouisorum, vt in causa Salamantina beneficij de Duenas trigesima prima Ianuarij 1596. coram Corduba, & in causa Vicen. beneficij vigesimasecunda Iunij 1597. coram Litta, & in causa Melicen. beneficij 6. Iunij 1607. coram Reuerendissimo Lugdunen. quæ videntur decidere præsentem articulum, &c.

DECISIO CCCCLXXXV.

Brundisina Pecuniariæ. Veneris 15. Nouembris 1613.

Impressa Apud Burattto.

DECISIO 20.

R. P. D. PIROVANO.

Toletana, seu Almerien. Decimarum. Veneris 15. Nouembris 1613.

ARGVMENTVM.

Agitur in hac decisione de pluribus nullitatibus aduersus sententiam oppositis, & inde plura eliciuntur notabilia, de quibus in Summario.

SVMMARIVM.

Sententia lata parte non citata est nulla. nu. 2.

Citari debet procurator constitutus in actis, & citatio facta tunc per contradictas non valeat. nu. 2. & 3. Vbi quid si procurator esset absens.

Citari non debet principalis, nec ad comparendum artari quando declarauit nolle comparere, nec litigare per se ipsum, sed per procuratorem constitutum in actis. nu. 3.

Decimarum causa cognosci debet à iudice ecclesiastico etiam quod agatur inter laicos. nu. 4.

Conclusio in causa habet vim citationis ad sententiam. nu. 5. & 6. vbi tamen quod conclusio in causa debet intimari parti, & non intimata, non supplet defectum citationis.

Stylus Curiæ in indiuiduo probandus est. nu. 7.

Citatio ad sententiam debet esse præcisa ad diffinitiuam audiendam nec sufficit monitio, quod lapso quodam termino iudex pronunciabit. nu. 7.

Citatio ad sententiam pro singulis diebus, & horis suffragatur si sententia sequatur in die sequenti, vel intra breuem terminum. nu. 7.

Iudicibus duobus existentibus, vno absente quando alter pronunciare possit. nu. 8.

Sententia nulla non potest confirmari, sed reuocanda est quando opponitur, & protestatur de nullitate. nu. 9.

DECISIO CCCCLXXXVI.

1 REuerendissimus Episcopus, & Capitulum postquam obtinuerunt tres sententias contra incolas Status de Seron, in quibus declaratur eos teneri ad soluen. decimas, & successiuè D. Marchionem

nem de Villena non posse Ecclesiasticos perturbare in earum quasi possessione; fuit per eundem Marchionem datum de nullitate sententiarum, & causa coram me introducta, dubitaui, an sententiæ prædictæ sint nullæ. Et Domini, vtraque parte informante examinatis nullitatibus contra sententias oppositis, dixerunt eas esse nullas.

2 Contra primam à Prouisore Almerien. latam, existimarunt esse releuantem, quæ deducitur ex defectu citationis ad sententiam *Clem. sæpe. vbi glo. in verb. ad id. de verb. signific. Rom. cons. 369. numer. 8. Alexand. cons. 105. num. 5. lib. 5. Felyn. in cap. consuluit. num. 16. de offic. deleg.* Et quamuis Prouisor habuerit causam pro conclusa sub die decima octaua Augusti 1597. & mandauerit citari partes ad sententiam pro singulis diebus, & horis, Tamen illud decretum non fuit intimatum Ioanni Carasco Procuratori incolarum, sed in stratis audientiæ ad instar iudicis contradictarum quod licere non videtur contra Procuratorem qui mandatum acceptauerat, & in actis produxerat, *Bellam. decis. 680. Verall. decis. 135. part. 3. Mohed. decis. vlt. de iud.*

3 Nec defectus ille visus est posse sanari ex nouo monitorio incolis transmisso, in quo citabantur ad omnes actus, etiam vsque ad sententiam inclusiue, alias stratæ Audientiæ designabantur, quibus non comparentibus dicebatur licuisse iudici taliter eos citare, ad sententiam *Rot. decis. 5. de iud. & de dol. & contum. decis. 6. in nou.* hoc enim posset procedere, si de absentia Procuratoris prius legitime constitisset, quod non iustificatur, & vt quid facti nec præsumitur, *vulg. leg. in libello. §. factæ. ff. de captiu. & postlimin. reuers.* Nec parti contrariæ est credendum. Vnde citatio non potuit arctare Dominum ad comparendum, qui declarauit nolle comparere, nec litigare per seipsum, sed per Procuratorem. *Bart. in leg. prima. numer. 9. Cod. de sent. & interloc. omn. iudic.* Fuit dictum in Oxomen. Pensionis 20. Maij 1598. coram bon. mem. Litta, quæ datur Rot. decis. 2. vbi addentes. nu. 4. de Procurat. in nou.

4 Nullitates vero ex capite recusationis Vicarij Episcopi, & ex eo quod sententia lata fuerit in die caden. citationis ad sententiam, Domini existimarunt posse defendi. Primam dixerunt non obstare, quia prouisor non fuit allegatus suspectus, sed declinata iurisdictio cum expressione causæ, quia esset cognoscenda coram iudice laico, ex quo rei erant sæculares, quam declinatoriam merito iudex attendere non debuit, cum causa esset super decimis, de qua inter laicos, Ecclesiasticus est iudex competens, *cap. peruenit, cap. tua. de decim. Rebuff. eod. tit. quæst. 10. nu. 2. 37. & 38. Gaill. obseru. 38. p. 1. nu. 1. Couar. pract. cap. 35. num. 2.*

5 Secundam vero dixerunt non nocere, quia præcesserat conclusio in causa habens vim citationis ad sententiam, *cap. auditis, vbi gl. in verb. ad illum, & Abb. num. 4. de Procur. Dec. consi. 603. numer. 3. Vant. de nullit. quibus mod. sent. null. repar. poss. num. 107.* quæ sufficeret data etiam nullitate posterioris citationis. *Vant. de nullit. defect. cit. num. 101. & 102.*

6 Contra secundam sententiam latam per Cantorem Granaten. opponitur similis defectus citationis ad sententiam, quam Domini censuerunt insanabilem, nam quamuis die 2. Decembris 1599. Iudex ad petitionem Ecclesiæ habuerit causam pro conclusa ad diffinitiuam, & ita conclusio operetur citationem ad sententiam, vt iam dictum est: Tamen opus erat, quod parti intimaretur iuxta decretum, quæ intimatio cum non legatur in processu, merito cessat illius effectus.

7 Nec suffragatur stylus allegatus illarum partium, quia stylus Curiæ Almerien. in indiuiduo est, probandus, non autem Burgen. de quo in dicta Burgen. residentiæ 30. Maij 1586. coram bon. mem. Card. Platto. Nec suppleri potest ex decreto Iudicis 16. Decembris eiusdem anni, in quo mandauit, quod intra 9. dies pars Marchionis informaret de sua iustitia, cum monitione, quod dictis diebus effluxis, determinauisset causam, quia & illud non operatur citationem ad sententiam, quæ debet esse præcisa ad diffinitiuam audiendum. *cap. sæpe cum glo. de verb. signif.* & aliis supra alleg. vel si admitteretur vt effectum citationis posset producere, nihilominus tanquam sine die post lapsum termini in decreto contenti, potuit deseruire sententiæ pro die sequenti, vel intra breuem terminum. *Put. decis. 207. secundum nouam impress. lib. 2.* non autem per quatuor fere menses post, prout legitur lata in die 7. sequentis.

8 Alia vero nullitas contra eandem sententiam ex defectu iurisdictionis cessare visa fuit, quia licet causa fuisset præoccupata per Molinam in solidum cum Cantore vti de Synodalibus delegato. Tamen propter absentiam eiusdem Molinæ considerabilem per sex menses potuit Cantor procedere, *cap. cum plures. de offic. deleg. in 6. vbi Archid. numer. 1. Felyn. in cap. sciscitatus, num. 16. de rescript. Vant. de nullit. defect. iurisd. num. 179.* nec per aduentum Molinæ debuit ab ipso causa reassumi, cum nec potuisset, quamuis voluisset, vt dicit *glos. in d. cap. cum plures. in verb. recusaret. vers. puto etiam.*

9 Tertia denique sententia Nuncij Apostolici eodem vitio nullitatis laborare visa est, quippe quæ notorie iniusta, dum lata fuit parte opponente, & protestante de nullitate, & petendum super ea principaliter pronunciari *Franc. in c. dilecto. numero 95. 42. quæst. de appell. Gabr. cons. 46. num. quinto, libro primo. Cæs. de Grass. decis. 9. numero 8. & 12. de caus. possess. & propr.* Et oppositiones de nullitatibus nedum contra sententiam Cantoris, sed etiam contra sententiam Vicarij Almericum dantur in Summariis, ex quibus cessat quod attenta confirmatione amplius contra eas dici non possit de nullitate, quia Rota Parisien. & alii alleg. per *Gabr. consi. 43. num. 5. & seq. lib. 1.* admittunt id procedere, dummodo de nullitate priorum sententiarum non fuerit dictum, & dummodo tertia sententia non fecerit transitum, quæ in præsenti non concurrunt, ex quo de oppositione, & de appellatione ab vltima sententia ex actis constat, quæ sufficit ne sententia confirmans transitum non fecerit in iudicatum, vt dictum fuit in causa Foroliuien. bonorum, coram Decano. 1. Iulii 1613.

R. P. D. PAMPHILIO.

Vicen. Prioratus. Mercurij 20. Nouemb. 1613.

ARGVMENTVM.

Possessio ad euitanda attentata presumitur capta post inhibitionem, si fuit capta eadem die, quo fuit præsentata inhibitio. Item plures referuntur causæ ex quibus testes vnius partis testibus alterius debeant præferri. Item quid requiratur, vt iudex dicatur certus de iurisdictione.

SVMMARIVM.

Mandatum de manutenendo datur ei de cuius anteriori possessione constat. nu. 1.

Possessio capta post inhibitionem Rotalem dicitur attentata, & non manutenibilis. nu. 2.

Possessio quando fuit capta eadem die, quo fuit præsentata inhibitio ad excludendum attentata præsumitur capta ante inhibitionem. num. 2.

Testes examinati contra formam remissoriæ dicuntur nulliter examinati. nu. 3.

Testes etiam nulliter examinati præstant adminiculum pro

excusandis attentatis. numero 3.
Clausula & cetera potest extendi per Notarium de instrumento rogatum, nu.4.
Testes instrumentarij vti melius informati & deponentes de facto proprio alijs præferuntur. nu.5.
Testes habentes iuris præsumptionem pro se alijs præferuntur. num.5.
Iudex vt dicatur certus de sua iurisdictione, sufficit quod literæ coram eo præsentatæ fuerint.num.6. Vbi quod postea non statur illius assertioni quod eas non legerit, quia id concernit laudem, vel vituperationem attestantis.

DECISIO CCCCLXXXVII.

1 PRoposui dubium, cui sit dandum mandatum de manutenendo, alias sub diebus 18. Iunij 1607. & 5. Iunij 1609. ad fauorem Monasterij resolutum, & Domini dixerunt mandatum de manutenendo dandum esse Monasterio, de cuius anteriori possessione de tempore motæ litis satis constat ex instrumento illius adeptionis, & alijs deductis in supradictis decisionibus,que comprobantur etiam per Testes denuo vigore remissoriæ examinatos.

2 Neque subsistere, quod possessio Monasterij fuerit capta post præsentationem inhibitionis Rotalis, & consequenter vti attentata non sit manutenibilis, quia vltra quod pro parte Petri Iacobi, & litis consortium,hoc non bene probatur,& alias vbi apparet, possessionem fuisse captam eodem die, quo fuit exequuta inhibitio pro validitate possessionis, & ad excludendum attentata præsumitur prius capta possessio, & postea inhibitio subsequuta. *Achil. decis. 37. de appellat. Crescen. decis. 1. de caus. posses. & propr. Lancell. de attent. post inhibitionem part. 2. cap.20. declarat. 2. per tot.* cum alijs adductis sub dicta die 5. Iunij 1609. Fuit etiam dictum ex deductis pro parte Monasterij satis constare, possessionem præcessisse, nam ipsemet Notarius,qui de instrumento adeptionis possessionis rogatus fuit, attestatur se fuisse requisitum à Benedicto Viader post captam possessionem,vt inhibitionem intimaret, quod etiam probatur ex alijs testibus vigore remissoriæ examinatis, qui bene deponunt, quod dictus Viader superuenit post traditam possessionem Prioratus Procuratori Monasterij, & tunc exhibuit quasdam literas inhibitorias, quas volebat per Notarium præsentari dicto procuratori, & subexequutori ibi præsentibus, Notarius vero, ex quo Viader non habebat legitimum mandatum, noluit illas præsentare, easque dicto Viader restituit, & omnes recesserunt.

3 Nec obstare, quod supradicti testes fuerint repetiti,& consequenter nulliter examinati contra formã remissoriæ pro examinandis testibus concessæ, ad *tex. in cap. cum dilecta.de rescript.* quia præterquam quod non subsistit, quod fuerit alias examinati formiter, sed solum ad perpetuam rei memoriam pro fumo, ad obtinendam remissoriam,quicquid sit de hoc,de possessione Monasterij in casu isto satis visum fuit constare, ex dicto instrumento illius adeptionis, & dicti testes solum adducuntur pro adminiculo ad excludendum exceptionem attentatorum iuxta *decis. Cass. tertiam. nu.2. de dilat.*

4 Neque refragari testes pro parte Petri Iacobi examinatos, deponentes possessionem fuisse captam post præsentationem inhibitionis, quia sunt nulliter examinati per Notarium, vti suspectum recusatũ à procuratore Monasterij, de cuius facultate dubitari non potest,stante extensione clausulę ceteratę facta a Notario rogato,qui illam facere poterat. *Doct. in l.Gallus §. idem credendum. vbi Ias. num.18. ff. de liber. & posthum. Decian.cons.57. nu.21. lib.2.* & fuit dictum in causa Romana bonorum.26.Iunij 1602.coram Reuerendissimo P.D. meo Decano.

5 Præterea in omnem euentum negari non potest, quin isti testes destruantur ex testibus pro parte Monasterij examinatis,qui in concursu sunt præferendi, tum quia vel sunt instrumentarij, & sic verisimiliter melius Informati,vel deponunt de facto proprio. *Aymon. consi. 2. numer.9. & consi.39. num.6. Tiraq. de retr.lignag.§. 1. glos.14. num.48. ad fin. vers. & alias semper. Menoch.de arbitr.cas.99. num.11.* tum etiam quia deponunt pro instrumento. *Cresc. decis. 1. de test. Menoch. dicto tract.cas.105. numer.11. & 27.* & habent iuris præsumptionem pro se, vt supra deductum est, tam respectu validitatis actus, quam exclusionis delicti, & attentatorum. *Innoc. in cap. auditis de præscript. Paris. consil.88. num.33. vol.3. Dec. in cap. licet. causam nu. 9. de probat.* & *fuit sæpe decisum.*

6 Nec demum releuare, quod subexequutor attestetur,se non legisse literas Apostolicas ante traditam possessionem, quia ad effectum, vt iudex dicatur certus de sua iurisdictione sufficit, quod literæ coram eo præsentatæ fuerint,iuxta *not. per glos. in c. tibi qui,& ibi Scriben. de rescr. in 6.Rot. decis. 25. de concess. præben. innou. Achill. decis.2. in princ. & nu.12. de offic.deleg.Put. decis.246. lib.3.* nec statur postea illius assertioni,quod eas non legerit *cap.quoniam contra. cum ibi not. de probat. Aym.cons.171. numer.7.* cum concernat laudem,vel vituperationem attestantis, vt in *decis. Tholom. relat.inter impress. 855. num.5. lib.3. p.3. diuers.& ita decisum.*

R. P. D. DVNOZETTO.

Ianuen. Census. Veneris 29. Nouembris. 1613.

ARGVMENTVM.

Depositum factum à non debitore ad effectum extinguendi censum alterius non obligat creditorem ad accipiendas pecunias oblatas, etiam si deponens constituerit se debitorem nomine principalis debitoris, quando nominis mutatio creditori non sit intimata, & alia requisita similis extinctionis non sunt seruata.

SVMMARIVM.

Mandatum relaxatum à iudice à quo, si constat de eius validitate & iustitia, debet executioni demandari. nu.1.
Depositum antecedens factum à non debitore non compellit creditorem ad retrouendendum sibi censum. nu.2.
Depositum antecedens ad extinguendum censum compellit creditorem ad extinguendum. nu. 2.
Nominis mutatio facta insciis creditoribus, illis non nocet. num.3.
Obligatio ad faciendum aliquid intra tempus, cum clausula annullatiua, si non impleatur in tempore præscripto, remanet extincta. nu.3.
Depositum factum ad effectum extinguendi censum non prodest sine disdicta. nu.4.
Depositum factum ad effectum extinguendi censum, post duos menses à die disdictæ censum non resoluit secundum Bullam Pij V. num.7.
Decretum iudicis impleri debet in forma specifica. nu.4.
Citatio præsumitur per comparitionem partis citatæ, non autem pro comparitionem partis citantis. nu.4.
Depositum factum ad effectum extinguendi censum cum conditionibus ad quas creditores non tenentur, non iuuat. num.5.
Creditori cui per stipulationem Notarij fuit acquiri ius irreuocabile intelligitur ad effectum vt qui se obligat an possit pænitere, non autem ad effectum vt tertius, si ratum non habeat efficiatur creditor. nu.6.

DE-

DECISIO CCCCLXXXVIII.

1 Domini dixerunt, mandatum relaxatum per A. C. pro fructibus census esse exequendum, quia de validitate illius nulla suberat dubitatio, & de iustitia constabat ex instrumento census, qui non fuit extinctus, nisi anno 1611. à D. Duce ab Altemps.

2 Nec visum fuit DD. releuare depositum anterius factum à Domino Duce Cæsio. Nam cum DD. de Auria non essent illius creditores nullo iure tenebātur pecunias per eum oblatas recipere & retrouendere censum, prout instabat D. Dux Cæsius, quicquid sit dicendum quando ageretur de sola illius extinctione,

3 Non ob. fuisse factum depositum ex quo dux Cæsius constituit se debitorem dicti census, nam preterquam quod hæc nominis mutatio facta fuit inscijs creditoribus illa obligatio remansit extincta, dum intra tempus præscriptum duorum annorum cum clausula resolutiua census non fuit extinctus. *l. 1. & 2. & tot. tit. de leg. commiss. Illustrissimus Mantic. de tacit. & ambig. conuent. lib. 4. tit. 29.* Et licet dici posset, hoc procedere Duce ab Altemps volente, tamen de eius voluntate satis constare visum fuit ex eo, quod postea ipse sciens volensque soluit fructus, censumque extinxit, cum alijs coniecturis ponderatis per Informantes.

4 Præterea depositum non potuit suffragari Domino Duci ad effectum extinctionis census, quia remanet sine disdicta ne dum ex eo quod illa facta fuerit à Domino Duce ab Altemps, & ab eodem reproducta ad retrouendendum sibi censum cum clausula, vt alias pecuniæ deponerentur penes Montem Pietatis, depositum vero diuerso modo factum fuit. sed ex eo, quod fuit factum post duos menses sicque contra expressa verba constitutionis fel. recor. Pij V. vt fuit decisum in Anconitana census 24. Maij præstiti coram R. P. D. meo Vbaldo. Et eo minus suffragari potuit quia decretum factum fuit cum intimatione pro certa die & hora intiman. & de tali intimatione nullibi constet. *Rol. cons. 63. nu. 13. lib. 3. Put dec. 174. lib. 1.* fuitq; dictum in dicta Anconitana census. Nec suffragatur comparitio Procuratoris Ducis allegantis contumaciam, quia comparitio partis citatæ non autem citantis facit vt præsumatur citatio, vt late fuit deductum in dicta Anconitana census.

5 Placuit etiam DD. aliud fundamentum depositum scilicet non fuisse purum & liberū sed appositis conditionib. ad quas dicti hæredes Auriæ vigore instrumenti census non tenebantur, & per consequens non suffragatur. *Salic. in l. acceptum. nu. 1. circa med. C. de vsur.* cum alijs allegatis in vna Farfen. pecuniariæ. 19. Decembris 1609. coram. Reuerendiss. Bonon.

6 Nec visum fuit posse obstare rescriptum motu proprio executionis Montis pro extinctione debitorum Ducis Cesij, in quo cauetur, vt creditores in receptione pecuniarum teneantur cedere iura ad fauorē montistarum, & vigore collationis Dux effectus fuerat debitor, & dicti hæredes creditores, cū illis fuerit acquisitum ius irreuocabile vigore stipulationis Notarij, ex *rubr. Alex. cons. 117. nu. 4. vers. et si dicatur. Ceph. cons. 33. nu. 13. & seqq. lib. 1.* cum alijs per Informantes. Nam responderunt DD. dictam conclusionem subsistere ad effectum, vt qui se obligat, non possit pœnitere, non autem ad effectum, vt tertius si id ratum non habeat efficiatur creditor. *Rot. diuers. dec. 683. nu. 4. par. 1.* & fuit dictum in Cesenaten. bonorum. 27. Ianuarij. 1612. coram Bonon. Vnde cum dicti hæredes non possint dici creditores, nec etiam Dux potest dici debitor, quia hæc sunt correlatiua sequitur non intrare rescriptū motu proprio. Ex quibus, & multis alijs adductis per Informantes ita fuit conclusum.

REVERENDISSIMO P. DOM.

MANZANEDO.

Casalen. Canonicatus. Veneris 29. Nouembr. 1613.

ARGVMENTVM.

Beneficia simplicia de generali consuetudine residētiam non requirere presumuntur, quando hoc verum sit bene in hac decisione declaratur.

SVMMARIVM.

Beneficia simplicia de generali consuetudine præsumuntur libera à residentia. nu. 1.

Pœna priuationis nunquam venit imponenda, nisi à casibus & iure expressis. nu. 2. in fine.

Beneficia simplicia etiam requirunt residentiam sic stante aliquo statuto aut consuetudine. nu. 2. Declara, vt nu. 3.

Titulorum pluralitas datur in beneficialibus. nu. 4.

DECISIO CCCCLXXXIX.

1 Bonifacius de Grassis fuit prouisus de canonicatu, & præbenda, de quibus agitur sub narratiua, quod cappellania, quam in eadem ecclesia possidebat non requireret personalem residentiam, quam narratiuam, cum Sebastianus prætenderet esse falsam eundem Canonicatum & præbendam à Sede Apostolica impetrauit vti vacantem adhuc per obitum Octauij Piri, literasque desuper expediuit, ad quarum exequutionem antequam deueniretur dedi dubium, an gratia Sebastiani esset iustificata, quo hodie proposito domini negatiue responderunt ex quo ille non probauit falsitatem dictæ narratiuæ Bonifacij, imo cum dicta cappellania sit simplex beneficium, ex generali consuetudine potius præsumitur libera à residentia. *Innoc. in cap. fin. & ibi Card. num. 16. Imol. nu. 9. Alexand. de Neu. nu. 10. de cleric. non resid. Fel. in cap. dilectus. il 2. nu. 1. de rescript. Alex. cons. 1. nu. 2. lib. 7. Rebuff. in prax. ff. de dispens. de non residend. nu. 8.*

2 Et licet talis consuetudo cesset, & reuertamur ad ius commune stante statuto talem residentiam requirente, vt fuit dictum in vna Calaguritana residentiæ de Enciso 17. Februarij 1612. coram me. tamen in casu nostro nō docetur de aliquo statuto quod inducat residentiam in dicta cappellania. Nam istud, ex quo Sebastianus in sua gratia narrauit induci residentiam, est statutum antiquum conditum de anno 1550. quod extabat de tempore, quo Bonifacius fuit prouisus de hoc canonicatu nempe de anno 1594. non autem nouum, quod fuit conditum de anno 1595. & dictum antiquum nihil aliud deponit, nisi quod cappellani ecclesiæ teneantur interesse horis canonicis, & dictę ecclesiæ in diurnis officijs inseruire ad mandatum Præpositi & Capituli alioquin secundum illorum discretionem puniantur, ex quibus verbis visum fuit Dominis resultare residentiam causatiuam, nempe si velint gaudere fructib. & emolumentis vel non incurrere in pœnas per Capitulum & præpositum imponen. non autem præcisam ad finem scilicet priuationis beneficij & eius tituli, tum quia data residentia est incerta cum illa solūmodo requiratur quando Præpositus & Capitulū ipsam iniungant, quod potest esse, & nō esse vel vno, vel alio modo, tū etiā quia cū pena imponenda non residentib. sit remissa arbitrio præpositi, non potest intelligi de pena priuationis tituli, quæ nūquā venit imponenda, nisi in casib. à iure expressis. *gl. verl. ex vi iuris patr. in cap. fin. de iure patr. vbi Abbas, nu. 8. Cresc. dec. 9. n. 1. de probat. Caput. dec. 98. n. 3. p. 3.* & fuit dictum in vna Asten. Fructuum. 27. Martij præteriti, corā me.

3 Vn-

3 Vnde cum narratiua Bonifacij, quod cappellania non requireret personalem residentiam, intelligatur de præcisa, non autem de causatiua respectu amissionis fructuum, quæ non causat aliquam incompatibilitatem. *Hoieda de benefic. incompatib. par. 1. c. 17. nu. 34.* non sufficit Sebastiano pro iustificatione suæ gratiæ statutum imponere residentiam nisi talis residentia sit præcisa, ex qua posset resultare incompatibilitas respectu tituli, cum canonicatu, de quo agitur. *Abb. in cap. fin. nu. 4. & ibi Butr. num. 6. & Imol. nu. 13. de cleric. non residen. Capr. in tract. regul. in reg. 90. nu. 110. Hoied. vbi sup. Rota decis. 483. nu. 2. par. 1. diuers. Modern. ad reg. 8. glos. 15. nu. 23. & seq.*

4 Vlterius gratia Sebastiani non videtur iustificata ex eo, quia non probauit Canonicatum adhuc vacare per obitum Octauij del Piro prout narrauit, quia cum in beneficialibus detur pluralitas titulorum, Bonifacius potuit habere alium mulierem titulum isto, ob cuius defectum Sebastianus canonicatum impetrauit, iuxta decisionem Cæsaraugustan. parochialis de Maella. 8. Nouembris 1599. coram bon. mem. Cardinali Pamphilio.

R. P. D. VBALDO.

Romana exequutionis Laudi. Lunæ 2. Decembris. 1613.

ARGVMENTVM.

Vsurariæ prauitatis exceptio non admittitur ad retardandum executionem obligationis Cameralis iuramento vallatæ nisi sit notoria, & expressa.

SVMMARIVM.

Obligatio Cameralis iuramento vallata, non potest retardari sub prætextu vsuræ, nisi sit ita apparens, quod tergiuersari non possit. nu. 1. & 2. Vbi etiam quod Cap. debitores. de iureiurand. habet locum secundum aliquos etiam quando vsura esset clara. 1

Contractum iuratum tenetur quis seruare etiam vsurarium, & Deo iuramentum reddere. nu. 2.

Vsura proprie cadit in mutuo, & non in transactione. num. 3.

Soluta in compensationem non inducunt vsuram. nu. 4.

Obligatio ad restituendum in fine locationis bona mobilia æstimata non inducit vsuram. nu. 5.

Vsurarum exceptio requirens altiorem indaginem non admittitur ad effectum impediendi exequutionem laudi iuramento & obligatione Camerali vallati. nu. 5.

DECISIO CCCCXC.

1 Cvm fuisset resolutum in hac causa die 26. Iunij præteriti, mandatum executiuum esse relaxandum, nisi obstaret exceptio vsurariæ prauitatis, de qua Domini reseruarunt particulariter videre, hodie proposui dubium super exceptione reseruata, & Rota censuit eam non obstare, ad effectum retardandæ executionis laudi iuramento partium, & obligatione Camerali vallati, cum ex deductis pro D. Vrsula, vel excludi videretur omnis vsuræ suspicio, vel saltem redderetur adeo dubia, & turbida, vt nullo pacto possit retardare d. executionem. *cap. debitores, vbi Doct. de iureiur. Grat. consi. 87. num. 21. vers. Præterea, lib. 1. Put. decis. 67. in fine lib. 3. Ang. in l. 4. §. condemnatum. num. 4. & ibi Imol. num. 9. in fine de re iud. Bero. consi. 85. num. 3. & 8. lib. 3. Surd. consil. 327. num. 14. versic. tertio, vbi etiam & cet. & num. 15. 16. & 17.* vbi plures allegat lib. 3. & fuit resolutum in Romana vsurariæ prauitatis 4. Iulii 1597. coram Peregrino, vt in copia, quæ data fuit, in qua dicitur non posse retardari exequutionem obligationis Cameralis, iuramento vallatæ sub præcextu vsuræ, nisi saltem ita apparens sit, vt tergiuersari non possit.

2 Imo nec desunt Doct. qui sentiunt etiam vbi Vsura est clara, esse tamen locum dispositioni *d. cap. debitores. vt ex mente glos. ibi, tenet ibidem Abb. colu. penult. vers. Aut. contractus. sub num. 4.* Quia tunc non agitur vigore promissionis, sed iuramenti, ex qua obligatione iurata aquiritur parti obligatio & actio. Cardin. ibi prope fin. versic. item ex eo, quod proxime dixi, quem ita intelligit, & sequitur *Felin. in d. c. debitores. col. 1. in fine, & col. 2. in princ. Surd. alios allegans d. consil. 327. num. 15. quibus adde Couarruu. in repetit. cap. quamuis 2. par. §. 3. sub numer. 2. versic. 5. ex his. de pactis. in 6.* & in propriis terminis laudi homologati cum iuramento. *Fulgos. consi. 160. incip. Io. & Ghoues. vol. 3. in fin. vers. postremo, & sequitur Anton. à Leutis consilio 18. sub numero 20. versic. propterea inter consil. crimit. Zilett. lib. 2.*

3 Tanto ergo magis prædicta procedunt stante probabili controuersia, an contractus sit vsurarius, necne, *Card. & Felin. in d. cap. debitores. Fulgos. & Ant. à Leut. in locis allegatis, & ita intelligi text. in d. c. debitores, Curt. iun. in l. creditori. in fine. C. de pact.* excluditur autem in hoc casu vsuræ suspicio, vel saltem illa redditur turbida, tum quia sumus in transactione, vt fuit iam resolutum in supradicta decis. in hac causa facta, non autem in mutuo in quo proprie cadit vsura. *Dec. in l. 2. §. creditum. in 3. notab. in fin. ff. si cert. pet. per Abb. consil. 62. in fin. part. 1. & consil. 39. sub num. 2. versic. 2. principaliter part. 2. Aym. consil. 145. num. 6. & 17. Surd. consil. 306. nu. 7. lib. 3. Rota decis. 197. nu. 3. par. 2. diuers.*

4 Tum quia verba laudi in quibus Barattellus fuit condemnatus ad soluendum Scuta 3150. pro rata durante nouennio expresse cantant, tam pro vtilibus, auiamento, inquilinatu, quam pro vsu rerum, quæ Baratello relinquebantur, & pro quacunque alia prætensione D. Vrsulæ, vnde arbitri illam quantitatem voluerunt solui pro recompensatione quadam quæ non est vsura *Bart. in l. 1. numer. 33. Cod. de Summa Trinit. cum alijs per Mantic. de tacit. & ambig. lib. 8. tit. 25. num. 29.*

7 Nec videbatur obstare, quod in fine nouennij Baratellus se obligauerit restituere bona mobilia, æstimata in Scutis 2154. vel eorum pretium, quia non propterea sequitur hanc fuisse vsuram, prout in similibus terminis fuisse iudicatum Mediolani, & Papiæ, testatur *Borgnin. decis. 13. de contractu. 2. part. nu. 66.* vel saltem negari non potest, quin allegata exceptio vsurarum requirat altiorem indaginem, & ideo non admittenda ad effectum impediendi exeqqutionem laudi iuramento, obligatione Camerali vallati. *Cassad. decis. vnic. num. 2. de mut. petit.* & fuit dictum in Romana Censuum. 30. Ianuarii 1606. coram Reuerendiss. Bononien. Et ita fuit decisum.

DECISIO CCCCXCI.

Giennien. Portionis. Mercurij 4. Decembris. 1613.

Impressa Apud Buratto.

DECISIO 23.

R. P. D. PAMPHILIO.

Romana Domus. Mercurij 4. Decembris. 1613.

AR-

ARGVMENTVM.

Damnatus ad triremes hodie non efficitur seruus pœnæ, & ideo contrahere potest. Notabilis est decisio.

SVMMARIVM.

Damnatus ad triremes etiam perpetuos, non amittit bona, nec libertatem, & propterea seruus pœnæ non efficitur numero 2.

Damnatus ad triremes non amittit ea, quæ Iuris gentium sunt, & propterea cedere, emere, & alios contractus, qui de iure gentium sunt, facere potest. numero 2. & seq.

Condemnatus ad triremes potest contrahere, & contrahendo acquirere. nu. 3.

Cessio ob pecuniam solutam facta dicitur emptio nominis, seu actionis. nu. 3.

Contractus emptionis dicitur contractus de iure gentium. num. 3.

Damnatus ad triremes sine confiscatione bonorum hodie, non æquiparatur mortuo. nu. 4.

Mandatum procuræ alteri factum non expirat ex eo, quod mandans fuerit ad triremes condemnatus. nu. 4.

Fideicommissum relictum post mortem alicuius non censetur purificatum per mortem ciuilem, & per damnationem ad triremes. nu. 4.

DECISIO CCCCXCII.

1 PRo Capitulo, & Canonicis Sanctæ Mariæ Rotundæ, in informatione dixerunt Domini, sententiam Illustrissimi Vicarij esse confirmamdam. Nam quo ad eius validitatem, de ea visum fuit, satis constare in inspectione actorum, ex quibus apparet, eam fuisse latam seruatis seruandis precedente iurisdictione, mãdato procuræ, & citatione, pro vt de iure requiritur. Iustitia vero, bene deducitur ex eo quia Canonici supradicti concesserunt in Emphyteusim Domum, de qua agitur, Angelo, Antonio, & Iuliæ coniugibus, ad vitam ipsorum Flaminiæ, & filiarum ipsius Flaminiæ tantum. Vnde cum Ioannes Dominicus filius Flaminiæ superuixerit post mortem matris, bene potuit vti comprehensus in inuestitura cedere Canonicis dd. directis ius, quod habebat super domo supradicta, & illud reconsolidare cum Dominio directo Canonicorum, iuxta formam instrumenti locationis.

2 Non obstat, quod Ioannes Dominicus de tempore obitus matris, & de tempore cessionis ad triremes perpetuo damnatus reperiretur, quia nihilominus de iure nouo authenticorum certum est, quod non solum restituitur ad bona, quæ ei iam fuerant cõfiscata, etiam libertatem, cum per illud cautum sit, quod nemo liber natus, qui per sententiam ad aliquod opus etiam in perpetuum damnatus, seruus pœnæ efficiatur, Authentica, sed hodie. *C. de donat. inter vir. & vxor. §. quod autem. Authentica de nupt. Rip. in l. ex facto. §. si quis rogatus 2, nu. 1. ff. ad Trebel. Boer. decis. 278. nu. 3. Peregrin. de iure fisci. lib. 3. tit. 4. nu. 9. & tit. sequenti sub. nume. 20. vers. & iure nouo.* Ideoque potuit facere supra dictam cessionem, cum his, qui hodiernis temporibus, de consuetudine ad triremes perpetuo, vel ad tempus damnantur, iuxta *decisionem Capicij. 153. nu. 3. cum alijs adductis per Clar. in pract. lib. 5. §. finali, colu. 3. sub vers. item damnati* in metallum non censentur amittere ea, quæ sunt iuris gentium, ad *text. in l. quidam. ff. de pœnis, & in istis terminis tradit Camil. Borel. cons. 52. num. 43. versic. vtcumque tamen sit. num. 46.*

3 Et sic ita damnatus potest contrahere, & contrahendo acquirere, iuxta *text. in l. si mandauero tibi. §. is cuius. ff. mand. Peregr. de iure fisc. dicto lib. 3. & tit. 5. num. 10. Menoch. cons. 271. num. 11. & 24. vers. præterea,* & secundo maxime quia huiusmodi cessio fuit facta per Ioannem Dominicum, mediante pecunia sibi per Canonicos soluta, quæ propterea dicitur quædam nominis, siue actionis emptio, *Angel. in l. Modestinus, sub num. 1. vers. est ergo. & vbi Imol. num. 3. versic. potest etiam notari. ff. soluto matrimonio.* Tenuit Rota in causa Romana, pecuniariæ de anno 1571. relata inter impressas *diuers. decis. 148. nu. 4. part. 2.* & sic contractus iuris gentium. *§. ius autem gentium. varsi.* & ex hoc iure, de iure naturali gent. *& ciuil. l. iuris gentium. in principio. ff. de pactis*, & quod ita damnatus possit etiam agere in tali contractu, qui est iuris gentium, ne alioquin sine effectu remaneat. Notat *Bart. in l. quidam. sub num. 1. vers. Secundo oppono. ff. de pœnis. & in l. si victum. ff. de re iud. Peregr. dicto tract. de iure fisci. lib. 3. tit. 5. nu. 10. vers. quinimo est, & tit. 7. nu. 39.*

4 Minus refragatur, quod Flaminia vigore facultatis nominandi in inuestitura sibi concessæ, in suo vltimo testamento nominauerit Gineuram eius filiam, quia cum huiusmodi facultas ei data fuerit, eo tantũ casu, quo filios masculos legitimos, & naturales non haberet, & eodem tempore obitus haberet supradictum Ioannem Dominicum, & nominatio ab ea facta, nullius fuit momenti, ex quo ita damnatus perpetuo ad triremes absque confiscatione bonorum, hodie ex supradictis non æquiparetur mortuo ad istũ effectum, prout in simili, quod per condemnationem istorum non expiret mandatum, ab eis alteri datum, ex deductis per Vant. de nullitat. ex defectu mandat. num. 175. Tenuit Rot. in Romana Census vltima Ianuarij 1597. coram Litta. Et quod non dicatur purificatum fideicommissum, post eorum mortem relictum, nisi subsequuta morte naturali, tradit *Boer. decis. 228. num. 3. Peregr. de tract. de iure fisci. tit. 4. nu. 9. in fin.* Et ita decisum fuit.

R. P. D. PIROVANO.

Toletana, seu Nullius iurisdictionis. Mercurij 4. Decembris. 1613.

ARGVMENTVM.

Episcopus an habeat fundatam intentionem de iure communi, & Concil. Trid. super visitatione Ecclesiarum militiæ S. Io. quæ curam habent animarum.

SVMMARIVM.

Inhibitio emanata contra formam rescripti est reuocanda. num. 1.

Episcopus in iure visitandi habet fundatam intentionem, tam de iure communi, quam ex Concil. Trid. vti Sedis Apostolicæ delegatus. num. 1.

Fallit in locis quæ præter exemptionem habent etiam iurisdictionem. nu. 5.

Fallit secundo in prioratibus militiæ S. Ioann. quia superioribus sui ordinarij visitari debent. nu. 5.

Manutentio super iure visitandi contra Episcopum datur ei, qui habet priuilegium Apostolicum vna cum præscriptione. nu. 2.

Visitationi, quæ alicui ex priuilegio ante Concil. Trid. competebat, fuit per idem Concilium derogatum. nu. 3.

Sententia, quæ non est in forma probanti, non facit aliquem gradum probationis. nu. 4.

Testes nulliter examinati non probant. nu. 4.

Declara fallentiam non procedere in ijs, quæ curam animarum illiusque exercitium concernunt. nu. 6.

Ordinariorum appellatione comprehenditur etiam Prior militiæ S. Ioann. licet inferior. nu. 5.

DECISIO CCCCXCIII.

1 FVit resolutum, standum esse in decisis. Fundamenta enim decisionis videntur bene procedere considerato rescripto commissionis obtentæ, per dominum Archiepiscopum, contra quem Papa noluit inhiberi, nisi causa cognita, ideo inhibitio emanata absque causæ cognitione tanquam contra formam rescripti sustineri non potest, sed omnino in primis venit reuocanda. *cap. cum dilecta. de rescript. Paris. consi. 39. num. 9. lib. 1. Mandos. de inhibit. q. 82. num. 2.* & ratio primæ decisionis bene conuenit, quia dum prætenditur exemptio à visitatione non est incipiendum ab inhibitione contra Episcopum, qui habet fundatam suam intentionem tam de iure communi, *cap. cum personæ. de priuileg. in 6.* & alijs in decisione allegatis, quam etiam tanquam delegatus Apostolicus vigore decretorum *Sacri Concilij Tridentini. cap. 8. sess. 7. c. 8. de reform. sess. 21. cap. 9. sess. 24. de reformatione.*

2 Nec obstat, quod ex dispositione c. cum personæ. Dominus Archiepiscopus iuuare se non possit, quia etsi nitatur assistentia iuris, concurrente tamen præscriptione, & priuilegio Apostolico Clementis VII. relato in Constitutione Pij IV. in ordine decima quarta, ne dum inhibitio est firmanda contra Dominum Archiepiscopum, sed manutentio ipsa esset danda ex eadem dispositione. *cap. cum persona, in vers. quod si talis &c. Put. decis. 3. lib. 2.* quod etiam videtur firmatum in Constantien. Iurisdictionis 10. Nouembris 1607. coram Reuerendissimo Attrebaten. & in Salamantica iurisdictionis 27. Iunij. & 17. Decembris. 1582. coram bon. mem. Cardinale Seraphino.

3 Quia fuit responsum, priuilegium prædictum, & eius confirmationem emanasse ante Concilium, & consequenter eis derogatum fuisse per idem Sacrum Concilium, quod etiam clarius apparet ex constitutione 139. Pij V. & 88. Gregorii XIII. quibus confirmantur priuilegia Clementis VII. reseruata tamen visitatione iuxta decreta Sacri Concilii in Ecclesiis, in quibus religio, & milites Episcopalem etiam, & temporalem iurisdictionem habent, & circa ea, quæ animarum curam, illiusque exercitium, & Sacramentorum administrationem respiciunt. Et quamuis Pius V. in dicta sua constitutione noluerit vllum afferri præiudicium iuri visitandi ecclesias parochiales, & alia beneficia curam animarum habentia, quod antea religioni, & militibus competebat, tamen Dominus Prior in hac reseruatione nullum potest constituere fundamentum, cum non docuerit de huiusmodi iure antea competenti.

4 Præscriptio autem allegata non etiam probatur, quia nec sententia anni 1544. vt dicitur producta, neque testes super immemorabili examinati faciunt aliquem gradum probationis, cum sententia non sit in forma probanti, & testes sint inualide, & nulliter examinati *cap. 2. de testibus. Vbi Doctores. Caputaq. decis. 266. part. 2.*

5 Non obstant responsiones datæ ad decreta Concilii supra allegata, videlicet, quod cap. 9. sess. 24. loquatur de ecclesijs sæcularibus, non autem de regularibus, & de locis exemptis non autem de his, quæ præter exemptionem habent etiam iurisdictionem, quales sunt ecclesiæ, de quibus agitur, & item concedat ius visitandi ordinario viciniori, qualem non constat Dominum Archiepiscopum esse. *Cap. autem. 8. sess. 7.* loquatur de ordinariis, quorum appellatione comprehenditur Dominus Prior, & si sit inferior iuxta resolutionem in Salamantina iurisdictionis 9. Maij 1580. Coram bo. me. Cardinale Seraphino, & cap. 8. sess. 21. non comprehendat Prioratus militum Sancti Ioannis, cum sint præceptores, & non Commendatarii, qui propterea à superioribus sui Ordinis non autem ab Ordinario debent visitari.

6 Prædicta enim tolluntur ex constitutionibus Pij V. & Gregorii XIII. supra allegatis, in quibus expresse conceditur Ordinariis vti Sedis Apostolicæ delegatis visitatio circa ea, quæ curam animarum, illiusque exercitium, & Sacramentorum administrationem concernunt. Præterea quod loca, de quibus agitur comprehendantur, vel non comprehendantur sub decretis Sacri Concilij, respicit petitorium, & altiorem requirit indaginem. Interim autem donec cognoscitur, non est incipiendum ab inhibitione, vt dictum fuit in prima decisione. Et ita ex prædictis Domini confirmarunt primã resolutionem quo ad visitationem.

R. P. D. VBALDO.

Romana Nullitatis Transactionis. Mercurij 4. Decembris. 1613.

ARGVMENTVM.

Testamenti conditio non adimpleta per hæredes non facit deficere fideicommissum quo ad substitutum.

SVMMARIVM.

Substitutionis verba debent stricte intepretari. num. 1.

Donatio licet reuocetur quo ad primum donatarium, non tamen censetur reuocata quo ad substitutos. nu. 1.

Fideicommissarius non implens præceptum testatoris substitutos non excludit. nu. 1.

Conditio adscripta hæredi vt assumat nomen, & agnomen familiæ testatoris, intelligitur adscripta fauore testatoris, & eius familiæ. nu. 2.

Conditio adscripta hæredi, vt assumat nomen, & agnomen familiæ testatoris, non dicitur fauorabilis neque hæredi, neque hæredi hæredis, qui non est de familia testatoris. nu. 2.

DECISIO CCCCXCIV.

1 COmmissa in Rota causa restitutionis in integrum, ad effectum rescindendi transactionem alias factam inter R. P. D. Cosmum de Torres, vel eius tutores, & Curatores ex vna, & Leonem Gallum ex altera parte. Et proposito dubio die tertia Iunii præteriti an esset locus dictæ restitutioni, restrinxerunt difficultatem, vt in primis videretur an constaret de iure Leonis, qua hodie proposita, fuit responsum pro D. Cosmo solum informante non constare de iure Leonis. Ratio præcipua fuit, quia licet tam donatio de domo facta à Gaspare Sanguineo ad fauorem descendentium Ferdinandi de Torres, quam legatum Apothecarum ab eodem relictum. D. Cosmo sit sub pluribus conditionibus, & præcipue assumendi nomen, & arma familiæ de Sanguineis hisque semper vten. absque vlla mixtura aliorum nominum, & insignium, & idem Gaspar instituit hæredem Portiam vxorem suam, & quod deinde instituit Leonem, tamen in casu in obseruantiæ, dd. Conditionum non vocauit hæredem, videlicet D. Portiam, sed id omisit. Et ideo respectu domus in donatione comprehensæ casus videtur decisus ad fauorem aliorum substitutorum in donatione per *leg. quoties. in secundo resp. Cod. de donat. quæ sub modo*. Vbi substituti in donatione habent vtilem actionem pro donatis à primo donatario qui placiti fidem non seruauit, etiam si sibi non fuerit stipulatus, & ibi hoc notant Rol. & communiter *Doctor. Et facit doctrina Pauli Castren.* quodam licet reuocetur donatio quo ad primum donatarium, non tamen censetur reuoçata quo ad substitutos. *consil. 384.*

fil. 384. *si quæritur. par.* 1. *quem sequitur Aym. conf.* 19. *sub.nu.* 8. *Respectu vero* Apothecarum in testamento relictarum D. Cosmo cum expressa relatione ad conditiones appositas in donatione, ijdem substituti in donatione sunt præferendi, *vt est textus auth.hoc amplius. C.de fideicommissis, & ibi Doct. omnes. Bart. in l. Paterfamilias. in fin. ff. de hæred.instituen. Ang.cons.*168.*nu.*4. *Alex.cons.*138. *nu.*14. *lib.*1. *de communi, Ias.in l.finali.§.finali.numer.*3. *ff. si cert.pet. Clar.in §.testamentum.q.*69.*vers. sed pone.cum alijs per Peregr. de fideicommissis.art.*5.*nu.*14. *& art.*11.*nu.*133. *& seq.* Vbi loquitur in legatarijs, & fidei commissarijs non implentibus præceptum testatoris, quod eo casu relictum vadat ad substitutos, si habent, & procedat *tex. in l. vnica. §. in primo, & §. pro secundo. C. de caducis tollendis.*

Accedit quod illa conditio assumendi nomen, & arma censetur adscripta fauore testatoris, & suæ familiæ de Sanguineis, & eius successorum quibus soli competebat ius reuocandi bona in casum inobseruantiæ *Thes.decis.*270.*num.*10. *vers.& quod testator.Surd. cons.*375. *num.*19.*lib.*3.*Molin.de Hispan.primog.lib.*2.*c.*6.*nu.* 1.*& seqq.* non autem Leoni, qui non est de dicta familia nec habebat interesse cum illa conditio non respiceret suum commodum, sed testatoris, vt dixit *Paris. cons.*15. *nu.*79. *& seq.& consi.*19. *nu.*52.*& seq. lib.*2.*Pereg. de fideicom.art.*11. *nu.*121. etiam si fuerit hæres, vel hæredis hæres. *Dec. consi.*547. *nu.*4. *Couar.late lib.*1.*var.resol.c.*14.*nu.*17. vbi de communi. Quod eo magis videtur habere locum in hoc casu, cum Portia in codicillis mandauerit Leoni hæredi suo, vt omni diligentia curaret D. Cosmum, vel alios in d. donatione comprehensos obseruare conditiones eiusdem donationis cum eo minus debuit, vel potuit Leo dictas conditiones in transactione remittere. Et ita fuit conclusum, non constare de iure Leonis.

DECISIO CCCCXCV.

Romana Resignationis officij extra Rotam. Mercurij 9. Decembris. 1613.

Impressa Apud Buratto.

DECISIO 24.

R. P. D. PIROVANO.

Romana de Briscalijs. Mercurij 11. *Decembris.* 1613.

ARGVMENTVM.

De probatione mortis multa notanda, de quibus in Summario.

SVMMARIVM.

*Mortis probatio debet esse concludens, quando agitur de graui præiudicio, & de successione. nu.*1.

*Mors dicitur concludenter probata per testes deponentes de voce, & fama, iunctis adminiculis. num.*2.

*Probatio per indicia, & coniecturas dicitur etiam liquida. num.*2.

*Mors censetur probata per enunciatiua instrumenti, etiam in præiudicium tertij, quando non incidenter, sed principaliter, & per modum causa prolata fuerunt. num.*3.

Mors censetur probata per confessionem partis. numero quarto.

Mors censetur etiam probata, per successionem hæredis. numero 4.

Probatio quæ deducitur a necessario antecedenti concludens, & valida est. nu. 4. *in fine.*

*Fideicommissarius non succedit quamdiu viuit hæres directus. num.*5.

Mors probatur leuioribus probationibus, quando non agitur de probatione mortis principaliter, sed de tempore mortis nu. 6.

DECISIO CCCCXCVI.

1 QVæsitum fuit, an constet de morte Herculis ante annum 1599. & constare fuit resolutum. Nam & si Sybilla sustineat partes actionis, & se fundet in morte Herculis ad effectum prelationis in succedendo Alexandro Briscalio, ex persona Peregrinæ, quæ vocata fuit per obitum Herculis, & huiusmodi probatio debeat esse concludens tanquam inferens graue præiudicium. *Corn. consilio.* 10. *numero quarto, & octauo volu.*1. *& consil.* 204. *num.*3. *volu.*3. quem refert, & sequitur *Peregr. art.* 43. *n.* 40. *Gabr. cons.* 134. *nu.* 4. *Menoch. cons.*60. *nu.* 20. *lib.* 1. tamen probatio quę per eande, Sybillam affertur. DD. visa est sufficiens.

2 Dantur. n. testes de voce, & fama mortis eiusdem Herculis deponetes, qui iunctis adminiculis satisfaciunt intentioni Sybillæ. *Bald.cons.*398. *vol.* 2. ibi nisi fama habeat secum indicia. *Alex. cons.* 172. *n.* 7. *lib.* 6. *Soc. c. quoniam frequenter. §. porro. sub. n.* 89. *vers.glossa* &c. vt lit. *non contestata, Corn. cons.* 204. *num.* 6. *lib.* 3. & merito quia non minus dicitur liquida probatio, & concludens, quæ habetur per testes, quam ea, quæ per indicia, & coniecturas *c. licet Imperator. vbi Ias. ex illo tex. nu.* 13. *ff. de. leg.* 1. *& cons.* 25. *nu.*2. *in. fi. li.*1. *Crauetta. cons.* 6. *n.* 42. *Rol. tract. de lucr. dot. q.* 75. *nu.* 22. *& seqq. Menoch. de præsumpt. li.* 1. *q.* 36. *n.* 3. Adminicula autem videntur indubitata.

3 Primo enim affertur instrumentum Concordiæ de Mense Ianuarij 1584. in quo affirmatiue ponitur inter partes, quod tandem defuncto Hercule de Cruce prætendebatur, ad instantiam Peregrinæ, cuius est hæres Sybilla, sibi reddi computa Societatis, quę verba, & si ijs, qui non inter fuerint instrumento non soleant præiudicare, quo ad veritatem, tamen factū, id est tractatum de morte Herculis inter quam plures personas, quę bene notam illius personam habebant, probant etiam in præiudicium tertij. *Bart. in l.* 2. *nu.* 12. *C. de edend. Couar. pract. qq. c.* 20. *in fine. Gabr. cons.* 196. *in fi. vol.* 2. quod etiam fuit dictum in vna Florentina pecuniariæ, coram me, 13. Iunij 1612. Et probatio istius tractatus eo magis iustificatur, cum mentio qualitatis mortis Herculis non incidenter emissa fuerit, sed tanquam causa finalis, sine qua non fuisset deuentum ad concordiam cum Peregrina, quę omnem simulandi causam excludere videtur, & reddit dicta testium magis certa, dum scriptura cum eis conuenit *l. Celsus, de probat. glos. in c. tertio loco. in verb. testium. de probat. Roman. cons.* 319. *nu.* 1.

4 Secundo datur aliud instrumentum de Mense Aprilis 1584. & de Mense Maij. 1586. in quib. Andreas, & Ioanes de Briscalijs rei nunc conuenti vti hęredes fideicommissarij Alexandri Briscalię ex testameto rogato per publicū Notarium de Mense Februarij. 1573. constituunt census super bonis fideicōmissarijs, & sic constitutos vendunt. Hæc enim assertio contrahendi tanquam fideicommissarij habet implicitam confessionem mortis Herculis, quæ plene probat contra confitentem *l. cum te. de transact. Latissime Rota decis.* 444 *n.* 3. *par.* 1. *& dec.* 4. *nu.* 1. *par.* 2. *diuers.* Non. n. potuerint esse hæredes fideicomissarii, quin prius præcesserit nedum mors fideicommittentis sed heredis directi, quo viuente nulla est hæreditas. *l.* 2. *§. interdum. ff. de vulg. & pupill. l. si quis mihi bona. §. sed vtrum. ff. de acq. hæred. Menoc. cons.* 4. *n.* 19. & probatio, quę ded u-

deducitur à nuncio antecedenti concludens, & valida est, *l. ad rem mobilem. ff. de procur. Rota in Sabinen. seu Romana dotis, coram bon.mem.Cardin. Lancellotto inter impress.316. nu.5. p. 2. diuers.*

5 Nec probatio ista in æquiuoco poni potest ex eo, quod super re aliena possit etiam constitui census, prout, & res aliena potest alienari, quia ius præcipua non stat in sola constitutione census, sed in præsupposita qualitate hæredis fideicommissarij, quæ non datur, quamdiu hæres directus, qui fuit Hercules, vixit *l.quamdiu.ff.de acq.hæred.Michael Grass.de success.§.substitutio. quæst.9. num.1.*

6 Tertio ijdem Andreas, & Ioannes in instrumento de Mense Maij. 1586. quod datur præsupposuerunt, mortem Herculis, dum promiserit eorum procuratori reficere impensas factas super auocatione apothecę hæreditatis q. Alexandri in hac parte exercendo actiones hæreditarias, quibus non licuisset citra casum mortis Herculis. *§.restituta.instit.de fideic.hæreditatibus.* Et ex prædictis Domini existimarunt huiusmodi probationem concludenter ad effectum iustificandi non substantiam actus scilicet mortis, Herculis, quia inter partes non controuertebatur, se solum qualitatem actus nempe tempus mortis, quæ contentatur leuiori probatione. *Ang. in l. si certis annis. nu.11. vers. & ex prædictis. C. de pact. Soc. sen. cons. 164. num.10. libro secundo.*

R. P. D. MANZANEDO.

Hispalen. Voti. Mercurij 11. Decembris. 1613.

ARGVMENTVM.

Consuetudo quadragenaria quomodo debeat per testes probari, & quæ requirantur ad illam inducendam.

SVMMARIVM.

Testes de quodragenaria deponentes debent deponere dempto tempore motæ litis. num.1.

Consuetudo vt inducta dicatur debet constare de actuum frequentia, diuturnitate temporis, & vniformi consensu.n.2.

DECISIO CCCCXCVII.

1 CVm fuerit resolutum, in hac causa coram bon. mem. Giptio consuetudinem expellendi à Capitulo familiares Archiepiscoporum, quando occurrit negotium tangens Prælatum &c. debere probari obseruatam spacio 40. annorum, hodie dubitaui, an prædicta quadragenaria probaretur. Et quamuis pro illa fuerint plures testes à Capitulo inducti, quia tamen hæc lis incœpit de anno 1588. Mense Iulij, & testes fuerunt examinati de Anno 1593. & sic post quatuor annos post motam litem venit d. tempus detrahendum ex dictis istorum testium deponentium de quadragenaria de visu, & illo detracto tantummodo duo testes, nempe octauus, & decimus octaus quadragenariam supradictam tangere videntur, reliqui vero nullatenus illam attingunt, cum alius de Annis 36. alius de Annis 38. & sic ceteri deponere videantur.

2 Nihilominus ex prædictis duobus testibus 8. & 18. dixerunt Domini, quadragenariam videri probatam in dicto. Isti enim attestantur se à 40. 45. & 50. annis citra vidisse, prædictam consuetudinem obseruatam, & in negotijs occurrentibus, & Prelatum concernentibus, illius familiares, officiales, & Ministros de mandato Præsidentis Capituli absque vlla contradictione extra illud exijsse, dum de tali negotio agebatur, & recensent aliquos casus particulares, in quibus ita obseruatum fuit, & sic ex illis apparet, d. quadragenariam probatam, cum isti testes deponant de tribus requisitis ad illam inducendam, nempe de actuum frequentia, diuturnitate temporis, & vniformi consensu *Corn.cons.293. num.22. lib.1. Aym.consi.134.num.24. Curt.iun. cons.184. num.10. Afflict. decis.321. num.18.* Et quamuis alij testes, vt dixi, non percutiant tempus 40. annorum, deducto tempore motæ litis, tamen deseruiunt pro adminiculo aliorum, qui dictum tépus percusserunt. Quibus etiam accedit publica vox, & fama huiusmodi expulsionis à Capitulo, de qua testantur 6. 8. & 13. testes pro parte Illustrissimi Archiepiscopi examinati, quorum dicta non parum coadiuuant depositiones dictorum duorum testium, contra quos, & alios pro parte D. Archiepiscopi plures exceptiones opponebantur non parui pendendæ, aliaque adducebantur, quæ tamen omnia examinanda Domini ad aliam particularem inspectionem remiserunt. Hoc tantum hodie firmato, quod supradicti testes probent in dicto quadragenariam, de qua agitur, ex supra adductis.

REVERENDISSIMO P. D. COCCINO DECANO.

Vercellen. Canonicatus Mercurij 11. Decembris. 1613.

ARGVMENTVM.

Per solam beneficij collationem quando absque possessione dicatur acquiri ius in re.

SVMMARIVM.

Beneficij sola collatione acquiritur ius in re licet possessio non capiatur. nu.1.

Beneficij vacatio dicitur consumpta, quando gratia in forma dignum executioni mandata est. nu.2.

Gratia in forma dignum ante illius executionem non causat ius in re, sed ad rem. nu.2.

Mandatum de prouidendo, aliusque titulus habilis, de futuro non causat ius in re. nu.2.

DECISIO CCCCXCVIII.

1 VAcauit Archipresbyteratus Ecclesiæ Vercellen. & vnus ex Canonicatibus eiusdem Ecclesiæ per obitum Octauij Auogadri Protonotarij. Et quo ad Canonicatum de quo agitur, de eo fuit per Sedem Apostolicam tanquam de reseruato prouisus M. Antonius de Ferrarijs. Capitulum vero prouidit Petrum de Herrieda, possessione subsecuta, introductaque lite coram me D. Ferrarius assecutus fuit alium Canonicatum, vnde Franciscus Hieronymus Cagnolus obtinuit subrogationem ad ius ipsius Ferrarij, nec non ad ius, & possessionem prædicti. Octauij. Vnde die 8. Nouembris. præteriti dubitaui, an d. Cagnolo esset danda immissio, & tunc Domini, pro faciliori resolutione super dubio immissionis ordinarunt, quod videretur particulariter, an sit consumpta vacatio per obitum Octauij per prouisionem Apostolicam Marci Antonij, & supradicta die 11. Decembris affirmatiue fuit resolutum, quia per prouisionem Papæ, quamuis possessio capta non fuerit, consumitur vacatio, prout euenit in casu isto, quia Ferrarius habuit prouisionem à Papa, non tamen adeptus fuit possessionem, quia per solam collationem acquiritur ius in re, & præfertur in beneficio, licet possessio non capiatur. *Rota decis. 24. de præbend. in antiquis. Simonetta de reseruat. quæst. 55. numer. 1. & seqq. Cassad. decis. 4. numer.2. & seqq. de caus. poss. & propriet. Put.*

Put. dec. 142. num. 2. lib. 2. iuxta emendatam impressionem *Gomez. in regula de trien. q. 30. nu. 2. & 3.*

2 Et prædicta dixerunt Domini cum præsupposito, quod gratia in forma dignum, quam obtinuit Ferrarius, fuerit executioni demandata, & sic per executorem facta collatio, quia tunc consumitur vacatio. *Sarnen. in regula de trien. quæst. 30. num. 3. versic.* & ista quæ dicta sunt, alias enim secus esset dicendum, quia gratia in forma dignum ante illius executionem non causat ius in re, sed ad rem, vt per *Sarnen. in regula de iur. quæs. non toll. quæstione 1. num. 33. in fin. versicul.* & ista procedunt, & numero trigesimo quarto, vbi quod neque mandatum de prouidendo, neque alius titulus habilis de futuro non causat ius in re, & in terminis gratiæ in forma dignum est *decisio Ægidij 563.* incipit, conclusio quod gratia, vt patet in principio, ibi gratia facta de certo beneficio, per modum mandati de prouidendo, si habilis reperiretur, & est alia decisio in causa Burgen. Canonicatus. 28. Aprilis 1597. coram bon. mem. Cardinale Pamphilo, qui nuper nostri ordinis fuit Auditor insignis, & repetit *Modern. glos. regula octaua, glos. decima §. 2. numero 56. &c.*

R. P. D. DVNOZETTO.

Maceraten. seu Tolentina legatorum. Lunæ 16. Decembris. 1613.

ARGVMENTVM.

Legatum factum famulis in recognitionem longæ, & fidelis seruitutis, non tollitur ex eo, quod procedente tempore ipse testator soluit famulis mercedem, & in instrumento solutionis dictum, sit, pro omni eo, quod posset prætendere occasione seruitutis, quia sunt quid diuersum. Illud enim procedit à liberalitate, hoc procedit à causa necessaria.

SVMMARIVM.

Sententia notorie iniusta colligitur ex ipsamet. num. 1.

Testator soluens in vita, quod in testamento reliquerat, liberat hæredem. nu. 2.

Legatum factum in remunerationem beneficiorum, quia causa est expressa, & cohærens legato, dicitur causa finalis. num. 2.

Quietantia facta pro omni eo, quod quis prætendere posse occasione seruitutis, non facit cessare legatum relictum ob seruitia præstita. nu. 3.

Conditio quam testator non opposuit substantiæ legati, non facit cessare legatum. nu. 4.

Legata per solutionem factam in vita testatoris an sint adempta, pendet à voluntate eiusdem testatoris. num. 5.

Testator qui post solutionem factam legatarijs ex causa, non mutauerit, cum potuerit, testamentum, & sunt alia adminicula, non intelligitur ademisse. nu. 5.

Hæredi, ne hæreditas remaneat exhausta, competunt iuris remedia. num. 6.

DECISIO CCCCXCIX.

1 Domini censuerunt, sententiam de partibus esse infirmandam ex capite iniustitiæ, licet plura concurrerent, ex quibus illam nullitatis vitio subiacere dicendum esset. Iniustitia namque aderat clara, dum moniales hæredes fuerunt absolutæ à solutione legatorum eodem testamento, in quo ipsæ sunt descriptę hæredes, relictorum per D. Lauram Nicolao, & alijs ipsius Lauræ, dum vixit, famulis.

2 Licet enim verum sit, quod quando testator in vita soluit, quod intestamento reliquerat, hæres iterum soluere non teneatur. *l. Lucius. prima, de leg. 2. l. filia legatorum. C. de leg.* tamen id non procedit, quando interuenit causa noua. *Bald. & Castr. in d. l. Lucius. Idem. Bal. in d. l. filia. nu. 4.* & fuit resolutum in Comen. legati. 20. Februarij 1606. coram Illustrissimo Bonon. & in alia Comen. legati. 22. Iunij 1609. coram Cardinale Lancellotto. In casu autem isto legatum fuit factum de anno 1606. in recognitione longæ, & fidelis seruitutis factæ per legatarios ipsi testatrici, quæ vti expressa & cohærens legato finalis fuit *Bartol. in l. demonstratio falsa. §. quod autem, ff. de condit. & demonstr. Illustrissimus Mantica de coniect. vltim. volunt. lib. 6. tit. 14. num. 14. & 15. Cæphal. in his fere terminis consi. 80. num. 11.* quæ quidem causa fuit gratuita procedens ex mera liberalitate, & gratitudine testatricis vt per *Cæphal. loco alleg.* solutio vero de anno 1611. fuit facta pro omni & toto eo, quod prætendere poterant hi famuli ob seruitutem præstitam, & sic pro salario de iure debito, & per consequens solutio fuit ex causa necessaria. Vltra quod cum dicta solutio fuerit facta post quinquennium à die legatorum potest inteligi pro d. specie & pro reportanda obligatione ab istis famulis præstandi eandem seruitutem vsque ad obitum testatricis ex allegatis per Informantes.

3 Non obstat quod in instrumento fuerit facta quietantia de toto eo, quod potuissent prætendere occasione seruitutis, quia non propterea cessat illa gratuita remuneratio, ex qua mota fuit testatrix ad remunerandum & legandum. *Cæphal. d. consil. 80. num. 12. & consil. 81. num. 8.* & fuit dictum in d. Comen. Coram Illustrissimo Lancellotto.

4 Non obstat conditio apposita in legato de non petendo aliud pro seruitute seu mercede, quia cum conditio non fuerit apposita substantiæ legati, sed conditioni, deficiente conditione nõ deficit legatum, *Bald. cons. 478. n. 2. vers. præterea aduertendum. lib. 1. Aret. cons. 93. num. 10. vers. sed his non obstantibus,* & fuit dictum in d. Comen. coram Illustriss. Lancellotto.

5 Considerarunt etiam Domini, quod cum quæstio hæc, an per solutionem factam in vita censeantur reuocata seu adempta legata, pendere à voluntate testatricis, vt per *Bart. & alios in d. l. Lucius & per Illustriss. Manticam de coniect. lib. 12. tit. 2.* in casu isto ad fauorem legatariorum, ne dum concurrebat presumpta voluntas beneuolentiæ qua illos testatrix prosequebatur. *Soc. iun. cons. 79. nu. 37. lib. 3. Menoc. cons. 162. num. 25. lib. 2. & præsumpt. 110. num. 12. lib. 4.* & dixit Rota in d. Comen. & ex quo non mutauit testamentum cum posset, *Castr. cons. 214. num. 2. in fin. & consi. 148. vers. præterea. lib. 2. Paris. cons. 61. nu. 44. lib. 2. Decian. resp. 46. nu. 53. lib. 2.* & fuit dictum in d. Comen. sed aderat expressa, & clara voluntas optime probata per testes *Alber. in d. l. filia legatorum. in fin.*

6 Ad illud autem quod dicebatur remansuram hæreditatem exhaustam propter varia legata, vltra quod id concludenter non probatur, fuit responsum, in d. Comen. posse hæredem vti beneficio inuentarij, & alijs iuris remedijs, si quæ ei competunt. Et ex his decisum fuit sententiam esse infirmandam.

DECISIO D.

Bononien. census extra Rotam. Lunæ 16. Decembris. 1613.

Impressa Apud Buratto.

DECISIO 27.

REVERENDISS. P. DOMINO COCCINO DECANO.

Theatina iurisdictionis Sancti Ioannis in Venere, Veneris 20. Decembris. 1613.

ARGVMENTVM.

Episcopus quando ex sola assistentia iuris debeat manuteneri in iure, visitandi loca nullius diœcesis intra suam diœcesim existentia, & ad quem Episcopum spectet visitatio locorum nullius diœcesis.

SVMMARIVM.

Episcopus habet fundatam intentionem de iure communi, & etiam ex disposit. Concil. Trident. super iurisdictione omnium locorum existentium intra fines suæ diœcesis etiam quod sint nullius. nu.1.
Manutentio in iure visitandi loca suæ diœcesis datur Episcopo ex sola assistentia iuris communis. nu.1.
Possessio prælati antecessoris iuuat successorem. nu. 2.
Manutentio datur possessori de tempore motæ litis. nu.2.
Quasi possessio visitandi vnum membrum Abbatiæ operatur vt censeatur acquisita possessio visitandi totam Abbatiam. num.3.
Causa actus magis attenditur quam exercitium. nu. 3.
Manutentio non datur ex sola assistentia iuris cõmunis quando assistentia est offuscata ex possessione alterius partis, num.4.
Quasi possessio in incorporalibus non acquiritur absque scientia, & patientia alterius partis. nu.4.
Visitatio locorum nullius diœcesis spectat vigore Concilij Tridentini ad Episcopum viciniorem. nu.5.
Fallit quando locus nullius est in aliqua diœcesi, nam tunc visitatio spectat ad ordinarium in cuius diœcesi est locus nullius. nu.5.

DECISIO DI.

1 CVm Abbatia, de qua agitur, sit intra fines diœces. Theatinæ, iuxta resolutiones factas, dubitari non potest, quin Reuerendiss. Dom. Archiepiscopus Theatinus habeat intentionem fundatam, ne dum ex dispositione iuris communis, *cap. cum Venerabilis, & capit. de Xenodochijs. de Relig. domib. cum alijs per Veral. decis. 306. lib. 1.* sed etiam dispositionem *Sacrosanct. Concil. Trident. sess. 7. cap. 8. de reform. & sess. 21. cap. 8. pariter de reform.* etiam quod esset nullius, vt in prædicto *Concil. sess. 24. cap. 9. eod. tit. vt infra dicetur.* Vnde ex ista assistentia iuris cũ agatur de visitatione non potest denegari manutensio d. Reuerendiss. D. Archiepiscopo ad effectũ vt possit visitare huiusmodi Abbatiam, *vt in cap. cum personæ. de priuil. in 6.*

2 Et cessat omnis difficultas ex actuali possessione, quæ licet sit antecessorum moderni Archiepiscopi, tamen etiam ei suffragatur, cum notissimum sit, quod possessio Prælati antecessoris iuuat successorem. *Rot. dec. 1. de restit. spoliat. in nou. Guid. Pap. dec. 629.* ac fuit in puncto resolutum in causa Montis Regalis iurisdictionis 6. Aprilis 1601. coram me, quapropter intrat etiam alia conclusio, quod possessori de tempore litis motæ datur manutentio. *§. hodie. inst. de interd.*

3 Non obstat, quod non doceatur de possessione visitandi omnia membra Abbatiæ. Nam hoc non refert. Tum quia sufficit Reuerendiss. Theatino assistentiam iuris communis adhunc effectum, vt supra dictum est, vnde etiam quia prædicta assistentia operatur, quod ex possessione visitandi ex vna parte fuerit acquisita possessio, quoad totam Abbatiam, cum magis attendatur causa actus, quam exercitium *Bald. in leg. 1. nu. 24. vers. Tu dic. C. de mancipat. liber.*

4 Non obstat, quod assistentia iuris communis non operatur, quando est offuscata ex possessione alterius partis, ex deductis in causa Montis Regalis iurisdictionis coram bon. me. Penia, Vltra quod adest in casu isto actualis possessio Reuerendiss. D. Theatini, super qua coram diuersis iudicibus obtinuit manutentionem Possessio Reuerendissimi Lancianen. non est habenda in consideratione, quia licet anterior, tamen fuit clandestina, & turbatiua reclamante Abbate, & sine scientia, & patientia Reuerendissimi Theatini, quæ requirebatur ad acquirendam possessionem in ipsius præiudicium in istis incorporalibus. *Put. dec. 269. nu. 3. lib. 1.* secundum emendatam impressionem.

5 Neque obstat quod Abbatia sit nullius diœcesis, & ideo ius visitandi spectat ad Reuerendissimum Lancianen. tanquam viciniorem ex dispositione *Sac. Conc. Trid. sess. 24. cap. 9. de reform.* Nam huic motiuo respondetur, quicquid dicendum sit, an Abbatia sit nullius, quod aut est attendenda quasi possessio Reuerendissimi Theatini, & cessat omnis difficultas, quia istud obiectum respicit petitorium, aut est attendenda assistentia iuris communis, & pariter istud obiectum nõ sufficit. Nam Concilium disponit, quod Vicinior visitet loca nullius Diœcesis. Si vero locus nullius sit in aliqua Diœcesi Congregatio Illustrissimorum interpretum censuit visitationem spectare ad Ordinarium in cuius Diœcesi est locus nullius. Et ita interpretata fuit Concil. Trid. vt in copia declarationis. Ex quibus tam ex assistentia iuris communis, quam ex quasi possessione, resolutum fuit, Reuerẽdissimo Archiepiscopo Theatino non esse denegandam manutentionem.

REVERENDISSIMO P. DOMINO DAMASCENO.

Romana Retrouenditionis Scalæ, & Portus, Veneris 20. Decembris. 1613.

ARGVMENTVM.

Pactum de retrouendendo, an sit cessibile, & an emptor cum pacto de retrouendendo dicatur consors venditoris, ita vt venditore volente pactum de retrouendendo transferat in aliũ, emptor debeat præferri ex statuto, quod consors præferatur in venditione rei communis, & an constitutio Greg. 13. super iure congrui habeat locum in incorporalibus.

SVMMARIVM.

Cessionarius vtitur iure cedentis. nu.1.
Pactum de retrouendendo potest cedi extraneo. nu.2.
Cedi omne id potest, quod est transmissibile. nu.2.
Pactum de retrouendendo est transmissibile ad extraneos hæredes. nu.2.
Emptor rei cum pacto de retrouendendo non dicitur habere rem communem cum venditore, sed ipse solus est Dominus ante retrouenditionem. nu.3.
Dispositio statuti non habet locum, vbi non conueniunt verba ipsius. nu.3.
Vendere non cogitur quis de iure plus vni, quam alteri. nu.3.
Extensio in materia exorbitantia regulis iuris communis non fit de casu ad casum, neque etiam ex identitate rationis. num. 3.
Dominus vtilis nullam habet prælationem contra proprietarium volentem vendere suam proprietatem. nu. 3.
Constitutio Greg. XIII. super iure congrui loquitur de fundo, & solo, non autem de iuribus incorporalibus. nu.4.
Constitutio Greg. XIII. super iure congrui non habet locum vbi cessat ornatus Vrbis, quæ est causa finalis ipsius. nu.4.

DE-

DECISIO DII.

1 PRO informante fuit tentum, nempe Christophorum teneri retrouendere Ioanni Scalam, & Portum, quæ alias emit ab Hieronyma Cautia cum pacto de retrouendendo. Nam Ioannes habet cessionem dicti pacti de retrouendendo a dicta Hieronyma, & proinde sicut Hieronyma posset cogere Christophorum, ita potest Ioannes, quia cessionarius vtitur iure cedentis *l. fin. C. de priuileg. Fisci. Bal. in l. emptor in princ. Cod. de hæred. vel act. vendita. Alex. cons. 13. nu. 16. lib. 1. Paris. cons. 109. nu 25. lib. 3.*

2 Nec videur dubitandum, quin pactum de retrouendendo possit cedi extraneo. *Bal. con. 38. num. 1. lib. 3. Castren. cons. 1. nume. 2. lib. 2. Alex. cons. 232. nu. 2. lib. 6. Dec. cons. 3. in fin. & 614. nu. 12. cum duobus seqq. Crauet. cons. 13. num. 4. Cagonol. in l. 2. num. 37. vers. sed contrarium. C. de pact. inter empt. & vendit. Castren. cons. 11. num. 39. Rub. Alex. cons. 146. num. 3. Rolan. cons. 28. num. 26. & 29. lib. 2.* Rota in causa Perusina Bonorum. 8. Iunij 1607. coram Reuerendissimo Lugdunen. quicquid enim est transmissibile est cessibile. *l. ex pluribus. ff. de admin. tutor. Castren. vbi supra nu. 2. Crauett. cons. 191. numer. 2. Roland. cons. 28. num. 27. lib. 2. Surd. cons. 92. num. 5.* Pactum vero de retrouendendo est transmissibile etiam ad extraneos hæredes. *l. si pactum cum ibi not. ff. de probat. Tiraquell. de retract. conuent. §. 1. glos. 6. num. 22. Crauett. consil. 191. num. 2. Roland. dicto consi. 28. lib. 2. num. 28. Surd. cons. 540. nu. 32.*

3 Nec potest Christophorus prætendere aliquam Prælationem in vim statuti Vrbis 110. lib. 1. quia illud statutum loquitur de venditione rei communis, in qua vult præferri conferri consortem, & proinde non conueniunt verba emptori cum pacto de retrouendendo, quia talis emptor non potest dici habere rem communem cum venditore, sed ipse solus est dominus ante retrouenditionem. *Menoch. post relatum consil. 26. num. 10. & seq.* & proinde si non conueniunt verba, nec etiam conuenit dispositio. *l. dies cautioni. §. toties. ff. de damn. infect. Rom. cons. 197. in princ. Alex. cons. 8. nu. 22. lib. 3. Dec. cons. 684. nu. 1.* & cum materia sit exorbitans à reg. iur. secundum quas non cogitur quis vendere plus vni quam alteri, ad *l. in re mandata. Cod. mandat. & l. dudum. C. de contrahend. emptio.* non debet fieri extensio de casu ad casum, neque etiam ex identitate rationis. *Cassad. decis. 23. num. 5. in fin. & numero 6. de præben. Calder. consil. vnico vers. præterea. vt lit. pendent. Socin. consil. 29. num. 19. lib. 1.* & habetur in decisione Messanen. Canonicatus septima Februarij 1611. coram me. Hinc dixit Rota in causa Romana Retractus trigesima prima Ianuarij 1605. coram bon. mem. Iusto, quod vtilis Dominus nullam habebat Prælationem contra proprietarium volentem vendere suam proprietatem.

4 Minus suffragatur constitutio Gregorij XIII. super iure congrui propter vicinitatem, quia constitutio loquitur de fundo, & solo, non autem de iuribus incorporalibus, vt in specie respondit Rota in dicta Romana retractus, coram Iusto, & etiam cessat causa finalis constitutionis nempe Ornatus Vrbis. Ex his fuit conclusum, sententiam A. C. ad fauorem Ioannis latam asse confirmandam.

DECISIO DIII.

Leodien. Canonicatus Tongren. Veneris 10. Ianuarij 1614.

Impressa Apud Buratto.

DECISIO 28.

Selectæ Farinac. Pars II. Tom. I.

DECISIO DIV.

Pistorien. Beneficij. Veneris 10. Ianuarij 1614.

Impressa Apud Caualerio.

DECISIO 280.

R. P. D. VBALDO.

Calaguritana beneficij de Fuenmagor. Lunæ 13. Ianuarij 1614.

ARGVMENTVM.

Beneficij concursus quando fit, quot in eo examinatores interuenire debeant, quomodo idoneum, vel magis idoneum nominare, & alios reprobare, siue beneficium sit curatum, siue simplex, & de materia.

SVMMARIVM.

Dictio si conditionem importat præsertim coniuncta cum aduersatiua vero. num. 1.

Conditione cessante, cessat dispositio conditionalis. nu. 1.

Præsupposito cessante, cessat dispositio in qua aliquid præsupponitur. nu. 1. in fine.

Beneficij concorsus vbi fit quomodo examinatores debeant idoneos solum referre, vel non idoneos reprobare, & quid si beneficium est cum cura, vel sine cura. num. 1. & seqq. Vbi generaliter de hac materia.

Ratio vbi non nisi vnica reddi potest in aliqua dispositione, illa habetur pro expressa. nu. 2.

Beneficij concursus quando fit, quot examinatores interuenire debeant. nu. 3.

Beneficij concursu facto si ex pluribus examinatis vnus electus fuit pro magis idoneo, non potest inde ad aliquos annos à non approbatis peti nouus concursus. nu. 4.

Præsumi non debet de præsenti in præteritum in ijs, quæ ex accidenti, & non innato habitu acquiruntur. nu. 4. vers. & est ratio.

DECISIO DV.

1 ADducta pro Thoma contra sententiam Rotalem adiudicantem beneficium, de quo agitur, Andreę, quem solum examinatores de Partibus in concursu facto, iuxta formam Constitutionis fel. rec. Clementis VIII. pro habili ad beneficia curata approbarunt, ac retulerunt, visa fuerunt DD. non obstare, quo minus illam confirmandam censerent. Nam primum, quod cum examinatores non approbauerint, vel reprobauerint omnes oppositores, non seruauerint formam dicti motus proprij Clementis VIII. & sic nulliter processerint bene sublatum fuit in decisione, in hac causa facta coram Reuerendissimo Domino meo Damasceno. 22. Aprilis præteriti, in qua firmatum fuit, examinatores referre non debere nisi idoneos ad curata, quando aliquis adest. Idoneos vero ad simplicia, non nisi quando nullus adest ad curata idoneus quod manifeste ostendatur ex ipso constitutionis contextu, in qua postquam dispositum fuit, omnes idoneos ad curam animarum in examine repertos, quotquot fuerint, referri debere, subditur. Si vero nullus inter oppositores ad curā animarum exercendam idoneus existat, vt præfertur, referāt omnes, quotquot ad beneficium simplex,

 & sine

& sine cura obtinendum, idoneos iudicauerint, ergo si adsit aliquis idoneus ad curam animarum, non renentur examinatores idoneos ad simplicia referre, ponderando dictionem, si, conditionem importantem, *glos. 1. in l. 1. vbi Bar. num. 1. vers. 1. ergo. ff. de cond. & demonstr.* præsertim coniunctam; cum aduersatiua vero, ex qua resultat, quod alio casu (& sic quod sit idoneus ad curata) locum non habeat dispositio *l. si ita scriptum, vbi Bar. nu. 2. ff. de lib. & posthum. idem Bar. in l. in repetendis, circa finem. vers. contrarium credo. ff. de leg. 3.* & sicuti cessante præsupposito, cessat dispositio. *Butr. & Salic. ex mente glos. in l. mancipia. C. de seru. fugit. Roman. sing. 495. Dec. cons. 90. num. 2.* Ita cessante non existentia idonei ad curam animarum, cessat necessitas referendi idoneos ad simplicia.

2 Confirmatur, quia cum ratio, ob quam Constitutio requirit concursum in collatio beneficiorum simplicium, à sacro Concilio Tridentino, *sess. 24. de reformatione. cap. 18. versiculo paracto in Parochialium tantum collatione requisitum*, non alia esse possit quam vt illa magis idoneis, ac dignis conferantur, vt etiam ex proœmio dum refertur similis dispositio facta à fel. rec. Sixto V. colligitur, quæ ideo tanquam vnica, & omissa haberetur pro expressa, *gl. in l. quamuis. vbi Doct. C. de fideicom.* Fuit dictum coram me in illa Barchinonen. Parochialis 29. Nouembris præteriti, vtique dum adsunt magis idonei, & habiles ad curata, inanis, & frustatoria esset relatio de idoneis ad simplicia.

3 Secundum fundamentum in deducta examinis nullitate, prætextu, quod maior pars examinatorum in illo non interuenerit, vt exigit constitutio, cessare videbatur ex facto, cum examen fuerit factum à tribus examinatoribus Synodalibus à Vicario deputatis, & ipso Vicario, qui vti examinator Synodalis retulit vna cum alijs in Summario Thomæ, *num. 2.* neque probetur plures, quam sex, vel septem examinatores fuisse in Synodo diœcesana deputatos, prout tanquam nullitatis fundamentum probandum esset ex vulgaribus, & videbatur aliquibus ex DD. etiam tolli ex eo, quod sacra Concilii Tridentini dispositio contenta est trium examinatorum interuentu, dicta *sess. 24. de reformat. cap. 18. vers. examinatores*, secundum quam intelligendam esse constitutionem, & ab illa passiuam interpretationem recipere debere, dicebant, *l. 2. Cod. de noxal. Bar. in l. 1. §. lex Falcid. ff. ad legem Falcidiam.*

4 Tertium, quod erat ad nouum examen deueniendum, ex quo apparere posse dicebatur de eius scientia, & consequenter de grauamine, visum fuit parui roboris, quia cum examen, & relatio fuerit de mense Ianuarii 1610. & sic lapsi sint quatuor anni, quo temporis spacio, potuit Thomas fieri habilis, licet tunc non esset, non potest ex nouo examine constare de iniustitia, & consequenter non erat admittendum, vt sæpe in Rota decisum fuit, & signanter in simili Calaguritana beneficii de Ceruera, octaua Februarii 1591. coram bon. mem. Penia. Et est ratio, quia ex doctrina, & literatura de præsenti tanquam habitu acquisito, non innato, *l. Stichus. ff. de leg. 3.* non infertur ad tempus præteritum, & sic examinis. *Bald. in l. ex persona. numer. 2. vers. sed in materia contingenti. C. de probat. Euerard. in Top. leg. loco de temp. num. 20. vers. 3. casu. Menoch. de præsump. lib. 1. præsump. 24. à num. 5. ad 53.* inferentes, non sufficere, eum, cui Papa de beneficio prouidit, si constiterit, esse literis eruditum, reperiri talem tempore præsentationis literarum.

5 Neque videbatur Thomas excusandus, si non petiit nouum examen ex eo, quod prius voluit obtinere præsentationem, & collationem factam Andreæ declarari attentatam, quia hoc non impediebat, quo minus petere nouum examen, fieri præsertim, cum adhuc post declarationem attentatorum, & appositionem sequestri tacuerit. Ex quibus pro sententiæ confirmatine resolutum.

REVERENDISSIMO P. D. COCCINO DECANO.

Firmana Altaris. Mercurij. 15. Ianuarij 1614.

ARGVMENTVM.

Exequutio facta vigore sententiæ quæ transiit in iudicatum ob non interpositam appellationem antequam fuerint seruati quatuor termini seruari soliti, & sic nulliter, sanatur per commisionem cum clausula arbitrio, &c. vbicumque contra de bono iure eius, qui exequutorium fecit. Item beneplacitum Apostolicum præsumitur ex obseruantia triginta annorum.

SVMMARIVM.

Exequutio facta vigore sententiæ quæ transiuit in iudicatum ob non interpositam appellationem dicitur nulla, non seruatis quatuor terminis, de quibus remissiue. num. 1. Vbi quod dd. termini fuerunt inuenti ad effectum, vt pars deducat iura sua.

Arbitrium operatur, vt relicto vtroque extremo rigoroso seruetur æquitas. num. 1.

Beneplacitum Apostolicum tale quale sufficit pro validitate actus, præsumitur ex obseruantia 30. annorum. numero 2. & 4.

Amplia etiamsi non sit reseruatum. nu. 3.

Vnio facta à Papa sine causa valida est, vbi adest certa scientia. num. 4.

DECISIO DVI.

1 Cum sententia transitum fecerit in iudicatum, ob non interpositam appellationem, non aliter seruatis quatuor terminis ad docen. de appellatione eiusque legitima prosecutione, de quibus per *Vestr. in prax. lib. 8. cap. vlt. numer. 8.* fuit processum ad relaxationem mandati, & sic nulliter, vt fuit resolutum in causa Roma. Sancti Thomæ decima Nouembris 1603. coram me. Attamen cum Sanctissimus sanauerit istam nullitatem arbitrio Rotæ constito de bono iure, Domini fuerunt concordes, quod si consistat de bono iure, intret quoque arbitrium ad sanandum prædictam nullitatem. Arbitrium enim operatur, vt relicto vtroque extremo rigoroso seruetur æquitas. *Bal. in cons. 117. num. 4. lib. 1.* quæ maxime intrat in casu isto, quia non docetur de aliqua apelatione, & dicti quatuor termini ad alium effectum non seruantur, nisi vt pars deducat iura sua. In casu autem isto quo ad appellationem nihil docetur quo ad bonum ius, Sanctissimus mandauit partem audiri, imò noluit arbitrium operari nisi constito de bono iure, vnde pars non potest de aliquo conqueri.

2 Quantum vero attinet ad bonum ius cum agatur de vnione facta per Episcopum de beneficio libero ad beneficium iuris patronatus obseruata vltra 30. annos, ex qua obseruantia præsumitur beneplacitum Apostolicum, vt in decisionibus in hac causa factis, satis videbatur constare de bono iure. Obseruantia enim 30. annorum facit præsumi beneplacitum Apolicum. *Anch. consil. 136. Alex. in leg. qui in aliena. numer. 11. ff. de acq. hæred. & consi. 17. num. 18. lib. 4. & consi. 179. nu. 9. lib. 7. cum alijs.*

3 Neque est verum, quod beneplacitum Apostolicum non potest præsumi, ex quo non fuit reseruatū, quia licet aliqui hoc voluerint, tamen communis est in contrarium, vt per *Felin. in c. Albericus. numer. 4. in fin. vers.*

fin. vers. si autem in instrumento. de testibus, & fuit resolutum in causa Romana Casalis Lunghezze. 2. Aprilis, & 21. Maij 1593. & 23. Martij 1594. coram bonæ mem. Cardinale Seraphino. *Put. dec. 352. nu. 7. lib. 2. secundum nouam impressionem.*

4 Minus etiam facit, quod Rota admittit istam vnionem fuisse factam sine causa, & ideo licet Papa possit vnire sine causa. Attamen requiritur certa scientia; Hic autem ex præsumpto beneplacito Apostolico inducerentur plures præsumptiones, si præsumeretur confirmatio ex certa scientia. Nam fuit responsum, quod cum hic adsit obseruantie 30. annorum operatur, quod præsumatur interuenisse beneplacitum Apostolicum, & tale quale sufficiat pro validitate actus alias destrueretur conclusio, quod cursus 30. annorum cum obseruantia facit præsumi beneplacitum Apostolicum. Denique non obstat quod iura super quibus sunt fundatæ decisiones non sunt in forma probanti, quia originalia fuerunt semper ostensa, prout & hodie vt subijcerentur oculis Dominorum. An autem stante prædicta vnione ius patronatus remaneat ex priuilegio, ita vt censeri debeat reuocatum per regulam Adriani, vel per Concilium Tridentinũ, licet de hoc fuerit aliquid dictum in decisionibus in hac causa factis, tamen reseruarunt Domini, vt particulariter de eo videretur.

R. P. D. VEROSPIO.

Ariminen. Fideicommissi. Veneris 17. *Ianuarij* 1614.

ARGVMENTVM.

Filiorum appellatione in fideicommissis, quando veniant nepotes, & neptes magistraliter declaratur.

SVMMARIVM.

Filiorum appellatione iuxta sermonis proprietatem non veniunt Nepotes. nu. 2.

Nepotes de communi vsu loquendi non veniunt appellatione filiorum. nu. 3.

Extensio de persona ad personam in fideicommissis non passim admittitur, nec etiam ex identitate rationis, nec ex præsumpta mente testatoris. nu. 3.

Filiorum appellatione quandoque comprehenduntur nepotes per extensionem, & impropriè. nu. 3.

Fideicommissum extenditur de persona ad personam. num. 3.

Filiorum appellatione in fideicommissis Nepotes non veniũt etiam in vocatione actiua. nu. 4. & 5.

Testatoris verba intelligi debent secundum comunem loquendi vsum. nu. 5.

Filiorum appellatione an veniant Nepotes, potissimum attenduntur coniecturæ. nu. 6. & seqq. Vbi plures referuntur coniecturæ, ex quibus colligitur testatorem filiorum appellatione noluisse vocare Nepotes.

Filiorum appellatione non veniunt Nepotes, quando testator discretiue loquutus fuit de filijs, & nepotibus. nu. 7.

Testamenti vna pars aliam declarat. nu. 8.

Dictio, ipse, est personalissima, referturque ad personam immediatam. nu. 9.

Dictio, ex denotat causam immediatam. nu. 10.

Filiorum appellatione veniunt nepotes in fideicommissis ascendentium. Declara, vt nu. 12.

Præsumptio vna tollitur per plures contrarias præsumptiones. nu. 32. in fine.

Nepotes non veniunt appellatione filiorum, etiam quod filij sint vocati in futurum euentum. nu. 14.

DECISIO DVII.

1 Cecchinus à Catholica condito testamento, & relicta pro dote filiarum, quas habebat, certa pecuniarum quantitate Raphaelem, & Archangelum filios suos hæredes vniuersales instituit, & post ipsos illorum filios, & descendentes masculos in infinitum deficiente vero linea dictorum masculorum à se descendentium per hæc verba disposuit, nimirum voluit totam, & integram ipsius hæreditatem sine aliqua diminutione deuenire ad filias fœminas ipsius testatoris natas, & nasci turas, & ad filias feminas dictorum filiorum masculorum, quandocunque nascituras ex legitimo matrimonio ipsorum filiorum masculorum in stirpes, & non in capita, & cæt. Modo extincta Cecchini linea masculina cum adessent feminæ superstites, videlicet Agnes Raphaelis filia, nec non Iulia, & Elisabetha ex Archangelo filio neptes orta inter istas mulieres super dicta hæreditate controuersia fuit in partibus ad fauorem Agnetis pronunciatum, vnde causa per viam appellationis coram me introducta dubitaui, an ad fideicommissum dicti Cecchini vocata solum esset Agnes illius ex filio neptis, an vero etiam Elisabeth, & Iuliam eiusdem proneptes ex nepote.

2 Et Domini causa bene discussa responderunt Elisabeth, & Iuliam, non fuisse vocatas, quia cum istæ sint neptes iuxta sermonis proprietates venire non possunt filiorum appellatione. *l. quid si nepotes, ff. de testam. tutor. §. finali inst. qui testamento tutor. dari poss. Bar. in l. liberorum. nu. 10. ff. de verb. signif. Bald. in l. filium. num. 1. in 2. not. ff. de his, qui sunt sui, vel alieni iuris. Paul. Castr. cons. 87. nu. 3. lib. 2. Alex. cons. 1. num. 17. lib. 1. Dec. cons. 95. num. 6. Ruin. cons. 127. numer. 3. lib. 3. Alciat. Parad. lib. 3. cap. 14. in princ p. vers. ceterum Roland. cons. 43. num. 26. lib. 4. Rim. iun. cons. 173. nu. 36. lib. 3. Late Mantic. de coniect. vlt. volunt. lib. 6. tit. 8. num. 2. de communi testatur. Socin. cons. 152. num. 5. in prima subscriptione. Sylu. Aldobr. in dicto §. fin. in addit. ad gloss. verb. appellat. Instit. qui testam. tutor. dari poss. Gabr. tit. de verb. signif. conclus. 1. num. 2. Menoch. cons. 215. num. 12. & pro regul. absoluta in vltimis voluntatibus ponit Corn. consil. 199. num. 34. vers. nam prouisio. lib. 2. Socin. iun. consil. 3. nu. 11. lib. 3.*

3 Et ex communi vsu loquendi nepotes non vocantur filij. *Tob. Non. cons. 33. nu. 17. Dec. cons. 43. nu. 13. lib. 3. Alex. de Neuo cons. 16. num. 10. Rim. iun. cons. 173. num. 33. lib. 2. Roland. cons. 42. num. 29. lib. 4.* Rot. in Romana fideicommissi de Bonadies. 22. Aprilis 1603. coram Illustrissimo Mellino. Licet autem interdum per extensionem, & improprie nepotes filiorum appellatione comprehendatur, vt plures referendo tradit. *Gabriel. conclus. 1. num. 3. de verb. significat.* hæc tamen extensio de persona ad personam, non ita passim in fideicommissis admittitur, nec etiam ex identitate rationis, neque ex verisimili, & præsumpta mente testatoris. *Ias. cons. 220. num. 10. vol. 2. Rolan. cons. 56. num. 24. vol. 3. Honded. cons. 56. num. 7. vol. 2.* Et in indiuiduo late persequitur. *Menoch. d. cons. 215. nu. 6. vsque ad numerum 37. inclusiue*, vbi respondet ad omnia contraria, & præcipue sub nu. 37. reprobat Gabr. loco superius allegato cum omnib. sequacibus illius opinionis. *Crau. cons. 98. nu. 13.*

4 Et quod in fideicommissis appellatione filiorum nepotes etiam in vocatione actiua non veniant, tradit *Bero. cons. 122. col. 1. vol. 2. Natt. cons. 191. nu. 10. Menoch. post plures relatos d. cons. 215. nu. 22. & 32.* & regulariter vbicumq; de alterius grauamine agitur, etiam si fauor adsit ipsius nepotis, quod ille non includatur filiorum appellatione probatur ex *text. in l. quod si nepotes. in fine. ff. de testam. tutela. §. fin. instit. qui testamento tutores dari possunt. Soc. sen. cons. 14. in prin. lib. 1. Tob. Non. cons. 33. n. 26. Menoch. d. cons. 215. nu. 37.*

5 Com-

5 Comprobatur etiam dicta conclusio, quod in fideicommissis nepotes non veniant filiorum appellatione, ex quo iuxta sermonis proprietatem, vbi sub tali appellatione, vt dictum est supra, non includuntur. Testatoris autem verba debent intelligi secundum communem loquendi vsum, *l. Labeo, ff. de suppellect. leg. l. cum de lanionis, §. asinam, ff. de fund. instr. l. liberorum. §. quod tamen Cassius, & ibi gl. verb. non continebuntur, ff. de leg. 3. Anch. consil. 152. num. 5. Fulgos. cons. 68. num. 4. Socin. sen. consil. 10. num. 4. libr. 1. Rol. consil. 43. num. 28. libr. 4. Mantic. de coniect. vltim. volunt. libr. 3. tit. 8. num. 1.*

6 Vlterius in præsenti casu multæ dantur coniecturæ, per quas infertur, neptes appellatione filiarum non venire. In hac autem materia coniecturæ sunt potissimum attendendæ, vt fuit dictum in vna Sabinen. hæreditatis 23. Ianuarij 1604. coram bon. mem. Cardinale Seraphino.

7 Prima coniectura desumitur, ex quo testator fuit in hoc testamento discretiue locutus de filiabus, & neptibus, quo casu non possunt appellatione filiarum neptes intelligi, *Gozad. consil. 29. num. 16. Gabr. de verb. sign. conclus. 1. num. 8. Sfort. Odd. consil. 90. num. 6. Menoch. eodem consil. 215. numer. 69. Rota in dicta Sabinen. hæreditatis.*

8 Altera coniectura est, quia vocando testator masculos ex se descendentes digressus fuit ad plures gradus substitutionum quando autem filias filiarum vocauit non est digressus ad alios gradus, vnde non videtur intellexisse neptibus, vt in specie. *Surd. cons. 554. nu. 11. vers. silentio. Soc. cons. 152. n. 4. vers. sed nulla maior lib. 1.* certum est enim vnam testamenti partem aliam declarare, *l. qui filiab. ff. de l. 1.* & in specie ponderauit Rota in allegata Sabinen. decisione.

9 Tertia coniectura colligitur ex verbis ipsius, nam deficiente linea masculina, vocantur in testamento filiæ feminæ filiorum ipsius testatoris, & sic non possunt ex proprietate sermonis venire nepotum filiæ, quia nepos non est filius aui, cum sit verbum ipsius personalissimum, & solum competat immediato Genitori, videlicet patri, non autem mediato, qualis est auus *Soc. sen. in l. Gallus, §. instituens, num. 5. vers. sed tu defendendo, ff. de lib. & posth. Menoch. d. consil. 215.* qui intellectus respondet alijs, nimirum dictorum filiorum, quæ cum sint repetitiua. *Paris. cons. 86. lib. 2. Surd. dec. 85. nu. 3. Rota decis. 49. nu. 3. p. 1. diuers.* perinde est, ac si testator expresse nominasset, Archangelum, & Raphaelem, de quibus in institutione.

10 Quarta coniectura deducitur, ex quo Cecchinus vocauit filias ex legitimo matrimonio filiorum nascituras illius autem proneptes, videlicet, Elisabeth, & Iulia, proprie dici non possunt ex matrimonio filiorum testatoris, cum hæc dictio ex denotet causam immediatam, vt in specie dictum fuit in eadem causa Romana fideicommissi, de Bonadies.

11 Denique neptes veniunt hinc in concursu cum filiabus ex propria persona stantibus personis propriè sub nomine filiorum comprehensis facienda nō erit ad neptes extensio. *Alexan. cons. 37. vers. non obstat alia ratio. lib. 6. Corn. cons. 131. num. 2. lib. 3. Cur. iun. cons. 57. vers. præterea ad aliud Gozad. cons. 36. nu. 9. Soc. sen. cons. 104. nu. 1. lib. 3. & cons. 73. nu. 19. lib. 4. Dec. cons. 95. n. 3. Crot. cons. 164. nu. 19. lib. 2. Ruin. cons. 78. nu. 5. lib. 2. Paris. cons. 86. nu. 25. & cons. 87. nu. 22. lib. 2. Soc. iun. cons. 116. nu. 11. & nu. 29. lib. 2. Ceph. cons. 16. nu. 26. lib. 1.*

12 Non obstat, quod in fideicommissis ascendentium nepotes veniant filiorum appellatione, vt per multos à *Gabr. relatos concl. 1. de verb. sign.* nam quicquid sit de tali conclusione, quam satis esse controuersam apparet ex allegatis in principio, & contrariam opinionem, vti veriorem sequuntur *Menoch. dict. cons. 215. Corn. consil. 182. num. 7. & cons. 207. num. 13. libr. 3. Dec. cons. 95. numer. 8. Ruin. cons. 134. num. 22. & 23. lib. 2.* dicitur in omnem euentum solum in eo fundari dicta conclusionem, quod præsumatur ascendens omnes descendentes æque dilexisse, hæc autem coniectura cessat in hoc casu stantibus alijs in contrarium allegatis, verum est enim vnicam præsumptionem per plures coniecturas elidi. *Dec. cons. 470. num. 10. & cons. 47. nu. 40. Surd. cons. 429. num. 28.*

12 Nec releuat testatorem vocasse filios filiorum in stirpes, & non in capita, quia bene potest hæc loquutus filiabus adaptari, si videlicet decreuisset superstitibus quatuor filiabus ex vno filio testatoris, & vnica tantum ex alio, nec enim vna, quantum aliæ quatuor esset habitura, *Socin. iun. cons. 149. nu. 8. lib. 2. Mantic. de coniect. vlt. vol. lib. 8. tit. 8. num. 18. versic. nam alioquin.*

13 Minus obstat, filiarum vocationem in futurum euentum fuisse conceptam, quia nihilominus verior & magis communis, est opinio, quod nec etiam isto casu neptes veniant filiarum, appellatione. *Menoch. alleg. sæpius cons. 215. nu. 40. & 100. Lader. cons. 136. nu. 6. & 7. Bursat. cons. 372. nu. 6. Rim. cons. 438. col. vlt. & alij relati à Pinello in l. 1. p 1. nu. 70. & 71. Cod. de bon. matern.* Semper enim quando vocantur post alicuius mortē filij videntur in incertum, & futurum euentum in instituti, cum incertum sit an illi grauati, sint futuri superstites in fideicommissum habituri.

R. P. D. PIROVANO.

Sepontina, seu nullius Pensionis. Veneris 24. Ianuarij 1614.

ARGVMENTVM.

Pensionarius dicitur constitutus in quasi possessionē exigendi pensionem ex exactione facta à reseruatario fructuum, cum facultate illos percipiendi propria autoritate, & talis quasi possessio nocet etiam prælatos successori.

SVMMARIVM.

Fructuum perceptio est signum veræ possessionis, nu. 1.
Manutentio datur possidenti. n. 1.
Manutentio in quasi possessione exigendi pensionem datur etiam contra successorem cum ius soleat metiri à possessione. num. 1.
Possessio contra vnum non infert ad possessionem contra alium, num. 2.
Quasi possessio exigendi pensionem à reseruatario fructuum habente facultatem percipiendi propria authoritate fructus suffragatur etiam contra prælatum successorem, n. 3. Amplia, vt nu. 5.
Pensio imponitur super fructibus, nu. 3.
Reseruatarius fructuum cum facultate illos propria authoritate percipiendi habetur ad instar vsufructuarij, nu. 3.
Reseruatarius fructuum tenetur ad onera realia fructuū, n. 3.
Quasi possessio exigendi pensionem à syndico vsufructuario administratore, & simili non nocet prælato successori. num. 4.

DECISIO DVIII.

Dominus Fabricius Caraffa pro solutione pensionis Scutorum 300. sibi reseruatæ super fructibus Abbatiæ Sancti Ioannis, cuius titularis est Dominus Abbas Ludouicus Maria Sfortia egit contra eundem coram A. C. à quo fuit pronunciatum pensionarium manutenendam in possessione exigendi pensionem prædictam. Causa postmodum per appellationem in hoc sacro Tribunali introducta, dubitaui an mandatum sit confirmandum vel reuocandum, & pro confirmatione fuit resolutum.

1 Con-

Constat enim Dominum Fabritium exegisse plures terminos huius pensionis à Vincentio Caraffa tunc viuente, & reseruatario omniũ fructum Abbatiæ prædictæ, quod signum verè possessionis, vt dicit *Soc. cons.13. num.14. libr.4. Sarnen.de annal.quæst.47. num.1. & 2. Cæs. de Grass. decis. 10. num.3. de caus.possess. & propriet.* cuius vigore debetur manutentio nedum contra soluentem vulgato, §. *retinendæ.* §. *hodie. instit. de interd.* sed etiam contra successores, quia in continuatione possessionis ius metimur à possessore non autem ab eo, contra quem possidetur. *Guidop. loquens in pensionario quæst.629. num.1. vers. alia ratio. Put.decis. 151. libr. 3. Ægid. consil. 21. circa medium versic. tertio, quod Martinus, Gig. de pens. q.47.num.* 10. & sæpius fuit resolutum.

2 Nec prædictis obstare videtur, quod solutiones factę fuerint per Vincentium reseruatorium fructuum per quem non potuit Abbati præiudicare, cum de possessione quo ad vnum non inferatur ad possessionem contra alium, *Caputaq.dec.165. p.3. Rot. dec.184.p. 1. Affl. dec. 380. nu.2.Boer.dec.181. nu.1.*

3 Fuit responsum nos versari in reseruatario fructuum cum facultate percipiendi propria auctoritate, à quo pensiones legitime fuerunt solutæ, quod sufficit ad effectum quasi possessionis contra prælatũ successorem. *Put.dec.151. lib.3. Gig.de pens.q.47. nu.10.* Rota in Regien. Pensionis. 26. Iunij 1598. coram Orano, quod autem legitime fuerint solutæ patet, quia pensio imponitur super fructibus. *Roman. consil.* 88. *num.2. Gig. de pens.q.39. num.1. Put. dec. 189. num.2. lib. 2.* Reseruatarius autem fructus colligebat ad instar vsufructuarij propter auctoritatem percipiendi eos propria auctoritate. *l. fundi Trebatiani. de vsufruct. legato. Achil.dec.3. de renunciat.* nec poterat titularis se in illis intromittere, ideo onera realia debuerunt à reseruatario persolui. *Ægid. cons. 21. numer. 2. & seqq.* & potuit soluere tanquam quid consecutiuum ad facultatem transferendi pensionem, & hoc est, quod dicit Rota in Toletana pensionis 25. Decembris 1603. coram bon. mem. Iusto, quod reseruatarius potest soluendo constituere pensionarium in quasi possessione, quia ipse possedit, & dicitur persona legitima in soluendo pensionem.

4 Vnde non obstat decisio 184. *part.1. diuers. Caputaq.* & alij allegati, quia administratores, Syndici, & vsufructuarij, & similes non possident ad hunc effectum, prout possidet reseruatarius, & propterea bene procedit, quod non inferatur præiudicium ei, cuius nomine soluitur, nisi eo sciente, & patiente, vt inde colligatur præsumptum mandatum. *Cassad. dec. 3. num.4.* de procurat. secus autem contra eum, cuius consensus in solutione non est requirendus, nec mandatum est expectandum propter sufficientem mandatarij auctoritatem.

5 Non obstat, quod soluere pensionem non esset de facultate reseruatarij, sed titularis, dum Papa mandauit Abbatem tunc temporis existentem, & successores teneri soluere istam pensionem. Quia Domini intellexerunt suppositis terminis habilibus si, & postquam decesserit reseruatarius, & fructus peruenerint ad titularem, ne gratia reseruationis cõtrarietur parti superiori, quod titularis non possit se intromittere in fructibus, aut repugnet dispositioni iuris, quod onera realia à possessoribus sustineantur, vt iam dictum est, Nec dicatur, quod pro parte fructuum correspetiua ad pensionem creatam consumpta remanserit facultas reseruationis, & obligatio realis, & cõsequenter cesset prohibitio titulari intromittendi se in fructibus, cum reseruatarius venire non possit ad actum creandi pensionem, nisi præuia casatione, & extinctione reseruationis dictorum fructuum, & ea parte extincta nullum ius remanet reseruatario, nec obligatio ad soluendam pensionem. Fuerunt enim datæ duæ responsiones; Prima quod huiusmodi cassatio, & extinctio tanquam momentanea, & facta ad alium finem, nempe acquirendi alteri non autem ad liberandum titularem, ideo non est in consideratione ad hunc effectum, sed ipsa translatio, & creatio sequendo decis. in Papien. 11. Decembris 1606. coram bo.me. Iusto. Secunda fuit responsio, quod cum versemur in translatione quantitatis, non autem certæ quotæ fructuum, ideo durat reseruatio tanquam cõpatibilis cum iure percipiendi fructus propria auctoritate, quod non fuit translatum in creatione pensionis, nec secundum eius naturam transit. *Achil.dec. 3. de renunc.* & ad prædictorum corroborationem multum etiam ponderabant Domini indultum Sanctissimi Domini nostri, in quo cauetur, quod si pensiones translatæ extinguerentur, cederent commodo ipsius Domini Vincentij translatarij non autem titularis.

DECISIO DIX.

Seguntina Parochialis, Veneris 24. Ianuarij 1614.

Impressa Apud Buratto.

DECISIO 31.

REVERENDISSIMO P. DOMINO COCCINO DECANO.

Foroliuien. Emphyteusis. Veneris 24. Ianuarij 1614.

ARGVMENTVM.

Ex Summario sume Argumentum.

SVMMARIVM.

Sententia nulla potest impugnari etiam post confirmationem, nisi sententia confirmans transitum fecerit in iudicatum, numer.1.

Clausula posita in prima commissione censetur etiam posita in secunda, num.1. in fine.

Sententia lata prout in schedula est nulla, & inualida si nulla fuit data schedula. num.2. Vbi etiam quomodo probetur schedulam datam non fuisse.

Sententia non eget subscriptione iudicis, nu.3.

Arbitrium non intrat ad effectum sanandi nullitatem ex defectu citationis. Declara, vt nu.4.

Arbitrium licet remittat de iuris rigore, est tamen intelligendum prout de iure, nu.4. in fine.

DECISIO DX.

1 Placuit Dominis conclusio firmata in hac decisione 1. Iulij superioris anni, scilicet quod sententia nulla possit impugnari etiam post confirmationem, nisi sententia confirmans transitum fecerit in iudicatum, & vltra allegatos in dicta decisione fuit allegatus *Gabr. in cons.49. numer. 1. libr. 1.* qui pluries alios allegat. Et quamuis pars acquieuerit prædictæ conclusioni, dicebat tamen, quod non fuerat commissa causa nullitatis, quod non placuit Dominis, nam licet in mea commissione non legatur, legitur tamen in commissione directa Domino de Grandis, à quo fuit auocata causa, & mihi commissa, & hoc sufficit cũ clausulæ appositę in prima commissione censeatur appositæ in alijs. *Ægid.dec.41.Cassad.dec.8. nu.5. de rescript.*

2 Quod vero sententia fuerit nulla, satis patet, quia Episco-

Episcopus pronunciauit prout in schedula, die 18. Ianuarij 1607. & tunc nullam exhibuit schedulam, quod patet, quia deputauit Vicarium ad aperiendam schedulam, qui nedum non aperuit schedulam die 11. Maij 1608. cum nulla esset in actis, sed tunc ipse tulit sententiam, quod patet, quia ipse Vicarius apposuit hæc verba lata, data sunt die 8. Ian. 1608. per D. Episcopum quæ verba satis demonstrant, quod tunc nulla fuit exhibita schedula, quia alias non fuisset opus dicta attestatione, & sic aut dicendum est, Episcopum tulisse sententiam sub die 8. Ian. & huic sententiæ obstaret promulgatio in die prolationis, aut est attendenda sẽtentia Vicarij, prout vere attendi debet, & obstat defectus citationis ad sententiam.

3 Non obstat, quid sententia non egeret suscriptione vt per *Veral. dec. 139. lib. 3.* quia hoc motiuum non facit ad propositum, non dicitur enim quod sententia Episcopi fuerit nulla, ex quo non fuit subscripta, sed ex quo tunc non fuit lata.

4 Ex quibus dixerunt Domini, non intrare arbitrium ad effectum sanandi nullitatem ex defectu citationis, quia respicit defensionem, & quamuis in hac propositione replicaretur, conclusionem non habere locum quando causa est instructa, vt per *Nat. in clem. sæpe. §. & quia. nu. 96. de verb. sign. Soc. in l. si quis arbitratu. nu. 30. vers. hinc est. ff. de verb. oblig.* Vltra quod citatio ad sententiam est solennitas iuris ciuilis, quia quicquid sit de hac conclusione hic non probatur, quod causa esset instructa, & ideo bene subsistit responsio decisionis, & in omnem euentum sufficit, quod iudicium nõ haberet sua essentialia, prout est citatio ad sententiã, & ideo non intrat arbitrium, quod licet remittat de iuris rigore, est tamen intelligendum prout de iure hic autem deberet supplere vnum ex essentialib. iudicij, nempe citatio, quod non est admittendum, & ex his Domini putarunt non esse recedendum à prædicta decisione facta sub die 1. Iulij superioris anni.

REVER. P. D. MANZANEDO.

Maceraten. Dotis. Lunæ 27. Ianuarij 1614.

ARGVMENTVM.

Dotis priuilegium est, vt minore prohibiti facere contractus sine certis solennitatibus possint tamen sine dictis solennitatibus se obligare pro dotis restitutione.

SVMMARIVM.

Dos à patre profecta ad patrem reuertitur. nu. 1.
Soluens ad bonum computum dicitur debitum agnouisse. nu. primo.
Dotis causa est priuilegiata aduersus solennitates statutarias communes alijs contractibus. nu. 2.
Dona mariti sunt hypothecata tacite pro dotis restitutione num. 3.
Gabriel. cons. 20. lib. 2. reijcitur. nu. 4.
Minor dotem recipiens potest se ad restitutionem obligare etiam sine iudicis decreto, & curatoris auctoritate. num. 5.
Compensatio est loco solutionis. nu. 6.
Legitimantur personæ per citationem, & approbationem. nu. octauo.

DECISIO DXI.

1 Proposito dubio an esset locus restitutioni medietatis dotis, Domini affirmatiue responderunt, quia cum Constantia decesserit sine filijs, nedum de iure dos à Patre profecta ad Patrem reuerti debet. *leg. dos à patre. vbi gloss. Cod. solut. matrim. leg. si ab hostibus. ff. eodem. leg. iure succursum. ff. de iur. dot. & vtrobique Doctor. Afflict. dec. 236. num. 4. Thessaur. dec. 190. num. 2. & 3.* sed etiam ex particulari stipulatione partium, quæ in in hunc casum conuenerunt ad illam restituendo. *leg. cum patrem. C. de iur. dot. Cuman. cons. 125. numero secundo, versic. vnde si Pater.* & eo magis, quia cum iam Octauius ad bonum computum istius medietatis soluerit Scuta 500. videtur debitum agnouisse. *Bald. in leg. cum fidem. Cod. de non numer. pecunia, & ibi Bart. numer. 1. vers. & ideo puto. Specul. de emphyt. nunc aliqua. num. 53. Natta. cons. 77. nu. 7.*

2 Non obstat, quod Octauius esset minor, & ideo non posset se obligare ad prædictam restitutionem sine solennitatibus à statuto Maceratæ, & constitutione Marchiæ requisitis, quia cum simus in causa Dotis, cessant prædictæ solennitates. *Paris. cons. octuagesimoprimo, nu. 9. lib. 3. Bur. at. cons. 32. nu. 10. vers. namque per alium. lib. 1. Caputaq. dec. 199. par. 3.*

3 Maxime quia dicta obligatio de restituendo dotem fuit necessaria, ex quo etiam illa cessante de iure ipsius bona erant tacite obligata pro restitutione dotis, quam recepit. *gloss. in verb. teneri in l. fin. C. de legit. tutel. Surd. de alimen. tit. septimo, quæst. decimoquarto, numero quadragesimotertio. Ceual. tract. de commun. quæst. 132.* quia necessitate stante multo minus dictæ solennitates requirebantur *Roman. consil. 394. num. 3. Corn. consil. 254. nu. 7. & 8. lib. 1.*

4 Minus obstat *Gabr. cons. vigesimum, lib. 2.* per totum concludens obligationem minoris etiam ex causa dotis factam sine solennitatibus à prædictis statuto, & constitutione requisitis, esse nullam, ea ratione, quod cum de iure nõ reperiatur causa dotis specialiter priuilegiata in hoc, quod minor pro illa se possit obligare, comprehendatur sub dictis statuto, & Constitutione generaliter prohibentibus illius obligationem sine certis solennitatibus.

5 Nam vltra, quod contra Gabriel. in eodemmet casu consuluit *Menoch. in cons. 242. lib. 3.* qui latissime omnibus eius fundamentis, & rationibus respondet, dicebant Domini dictum cons. Gabr. non applicari casui nostro, cum loquatur in solutione dotis, nos autem simus in restitutione, quæ de iure reperitur in indiuiduo priuilegiata, ex quo minor, qui dotem recepit, potest se ad illius restitutionem obligare, etiam sine decreto iudicis, & curatoris auctoritate, vt tradunt communiter Doctores, contra *Bart. in l. si constante. ff. solut. matrimon. Vbi Ias. in prima lect. num. 210. & seq. Corn. d. cons. 354. num. 7. Curt. iun. cons. 168. numer. 20. Neguzan. de pignor. 2. par. quarta, memb. num. 75. Bald. Nouel. de dot. part. 6. priuileg. quinquagesimo octauo, idem Gabr. cons. vigesimo nono, nu. 38. lib. 2.*

6 Nec facit, quod Octauius non receperit dotem Scut. trium millium sibi promissam, sed tantummodo illam compensauerit cum dote similis summæ, quam dederat fratri Constantiæ, qui duxerat in vxorem Margaritam eius sororem, quia dicta compensatio habetur loco solutionis. *l. debitor. ibi, nec enim soluerit, an pensauerit. ff. qui pot. in pignor. habeantur. Alex. cons. duodecimo, num. duodecimo, & decimo quinto, lib. 2. & in terminis dotis. Abb. cons. 501. nu. 8.*

7 Non obstat, quod Margaritæ fuerit à patre relicta dos Scut. mille tantum, & quod Octauius illi promittẽdo Scuta tria millia se obligauerit ad id, quod præstare non tenebatur, & consequenter debuerit adhibere solennitates statutarias. Nam fuit responsum, Margaritæ non fuisse simpliciter relictam dotem Scutorum mille, sed etiam illud plus, quod Aurora mater fuisset arbitrata, quæ cum interuenerit in dicta promissione Scutorum trium millium facta ab Octauio, videtur pro dicta summa suum arbitrium dedisse. Nec aliqua excessiuitas considerari potest, cum Octauius similem summam eodem tempore receperit in dotem, quam non recepisset in tanta quantitate, si

te, si minorem dotem sorori dedisset, maxime quia aliam sororem in Scutis trium millium pariter dotauit. Sed quicquid de hoc sit, hodie agitur de restitutione dotis Constantiæ, cui factus est locus per illius mortem sine filijs: non autem de solutione dotis Margaritæ, de qua si esset agendum, venirent citandi ipsa Margarita, & eius maritus, de quorum interesse agitur.

8 Non obstat defectus legitimationis personarum, quæ non probatur per heredes Mercurij promissoris dotis, quia sufficit fuisse citatas, & approbatas, vti tales, ad tradita per *Menoch. aliis relatis de adipscend. remed. 4. q. 68. nu. 611.* & fuit dictum in vna Romana pecuniariæ 28. Iunij 1613. coram me. Ex quibus sic fuit resolutum.

REVERENDISSIMO P. D. MANZANEDO.

Elboren. Iuris Conferendi. Veneris 24. Ianuarij 1614.

ARGVMENTVM.

Sententia nulla si fuerit confirmata, parte non opponente, & confirmatoria sententia transitum fecerit in iudicatum sustinetur, nec amplius nullitas allegari potest, secus si sententia confirmans non fecit transitum in iudicatum.

SVMMARIVM.

Sententiæ nullitas non potest allegari quando parte non opponente de nullitate fuit confirmata, nu. 1.
Sententiæ nullitas non potest allegari, quando illa fuit confirmata parte non oppon ēte, intellige si sententia confirmatoria fecerit transitum in iudicatum alias non nu. 2.
Causa appellationis deserta non censetur deserta causa nullitatis, quæ durat per annos 30. nu. 3.

DECISIO DXII.

1 Contra duas sententias de partibus ad fauorem Religionis de Auis latas plures opponebantur nullitates, quarum aliquas sub die 8. Februarij 1599. coram bon. mem. Corduba Rota censuit non obstare, & circa alias super quibus in dicta decisione non fuit capta resolutio, fuit adita signatura Sanctissimi pro illarum sanatione, & commissa mihi arbitrio Rotæ, & proposito dubio an intraret arbitrium fuit affirmatiue resolutum, vt in decisione coram me, sub die decima octaua Martij anno millesimo sexcentesimo decimo tertio, cui licet partes acquieuerint, Dominus tamen Archiepiscopus, impugnare non desinit primam decisionem coram bon. memor. Corduba factam. Vnde ad illius instantiam reproposita hodie causa super eadem decisione, vtraque parte informante Domini ab illa recedendum dixerunt restringendo disputationem ad nullitatem primæ sententiæ, contra quam quamuis diuersæ nullitates opponerentur, attamen Domini illam potissime fuerunt amplexi, quæ procedit ex defectu citationis ad sententiam de qua clare apparebat, quamquam eam ad miserit Rota in controuersa decisione coram Corduba, sed quia in eadem decisione ista nullitas excusabatur ex eo, quod non possit amplius sententia prima dici nulla, postquam parte non opponente de dicta nullitate, fuerit per secundum confirmata, iuxta *Paris. cons. 109. num. 1. lib. 4. Rot. dec. 7. de sent. & re iudic. in antiq. Achil. dec. 4. num. 1. eod. tit. Lancellott. de attentat. capite decimo nono, de purgat. attentat. numero 67. cum sequent.*

2 Quod tamen non potest ita simpliciter sustineri, ni si quando secunda sententia confirmans primam transiuit in iudicatum, ad tradita per Alexandrum *consil. 11. numer. 3. versic. tamen fallit. lib. 5. Gabr. cons. 49. num. 1. & secundo. Vbi de communi lib. 1. Vant. de nullitat. tit. qualit. & quibus modis sentent. & process. num. 25.* & fuit late resolutum, in illa Foroliuien. emphyteusis, prima Iulij anno millesimo sextensimo decimo tertio, coram Reuerendo Patre Domino meo Decano.

3 Et ad docendum in nostro casu, quod secunda sententia non fecerit transitum in iudicatum, plura opponebantur, circa quæ Domini diuerse senserunt, ideo illis omissis pro non transitu in iudicatum concluserunt ex vno præcipuo fūdamento, nempe quod semel fuit ab ipsa appellatum, & licet transierit biennium competens ad procedendum, & quadriennium datum pro restitutione obtinenda nihilominus, quia æque principaliter causa appellationis fuit commissa deserta causa appellationis non censetur deserta causa nullitatis, quæ durat per triginta annos. *Dec. in c. dilecto. num. 7. de appellat. Achill. decis. 15. de rescript. Couar. pract. cap. 24. in fin. Soc. cons. 10. num. 12. libr. 4. Vant. titul. quoties, & infra quod tempus nu. 8. vers. si vero nullitas.* Et sic fuit conclusum.

DECISIO DXIII.

Iacen. Vicariæ. Veneris 27. Ianuarij 1614.

Impressa Apud Buratto.

DECISIO 93.

DECISIO DXIV.

Salamantina Præstimonij. Veneris Vltima Ianuarij 1614.

Impressa Apud Buratto.

DECISIO 32.

R. P. D. PIROVANO.

Bononien. Iuris patronatus de Marsilijs. Veneris vltima Ianuarij 1614.

ARGVMENTVM.

Ex Summario elicitur Argumentum.

SVMMARIVM.

Quasi possessio conferendi sufficit ad effectum validitatis collationis, nu. 1.
Fallit vbi fuit cognitum de proprietate, quia proprietas absorbet possessionem, nu. 2.
Mandatum de prouidendo quo ad illius executionem, acquirit ius ad rem. nu. 3.

DECISIO DXV.

1 Iam fuit resolutum sub die 20. Iunij 1612. contra Ioann. Mariam Bacchetam, scilicet non constare de causis restitutionis in integrum aduersus tres sententias contra eum latas, quas prætendebat de iniustitia posse conuinci ex eo, quod fundamenta deci-

decisionum non possent sustineri quo ad subreptionem ob non factam expressionem iuris patronatus, quia beneficium erat in statu libertatis, & quod deuolutio, & lis narrata bene probarentur ad effectum reseruationis, quibus tamen omnibus in prędicta decisione fuit satisfactum.

1 Ceterum Domini nō denegarunt iterum eundem Io. Mariam audire, qui omissis prædictis dicebat beneficium esse in statu libertatis, ex collatione facta vsque de anno 1575. in personam Florauantis quæ habuit effectum, patet ex decreto Vicarij Bononien. super collatione, & libertate beneficij de mense Augusti eiusdem anni 1575. & hoc præsupposito potuisse ordinarium, & multo magis Papam iure ordinarię collationis, in cuius manibus beneficium fuerat libere resignatum, illud Io. Mariæ conferre ex quasi possessione liberæ collationis, nō obstante lite mota per patronos possessione præsentandi carentes, ea potissimum ratione, quia ad effectum collationis sufficit, quasi possessio cōferendi beneficium vti liberum, ne propter exceptionem super proprietate impediatur prouisio, vel effectuata reuocetur, *cap. consultationibus de iure patr. Lap. allegat. 95. in fin. Lambert. de iure patr. libr. 2. part. 2. quæst. 1. art. 9. numer. 9. versic. tertius casus, Rota decision. 14. de iure patron. in antiq.* quam sequuta est Rota moderna in Papien. iuris patronatus, de Basilica Petri. 8. Martij 1613. coram Reuer. P. Domino Manzanedo.

2 Prædicta tamen adhuc nō conuicerunt Dominos, vt responderet pro Io. Maria, quia animaduerterunt, nullam obtinuisse collationem à Papa antequam esset detectum ius patronatus, sed tantum mandatum de prouidēdo directu Vicario Bononien. coram quo iam pendebat lis inter patronos, & resignantem, & eadem præsentatis literis de prouidendo fuit continuatas contra resignatarium, à quo fuit declaratum literas non esse exequendas ex eo, quod beneficium erat de iure patronatus, quæ fuit per sententias Rotales confirmata, & ideo cum Io. Maria passus fuerit iudicium agitur super proprietate, & hodie constet de iure patronatus per rem iudicatam, & ipse egeat collatione iuuari non potest quasi possessione liberæ collationis quia proprietas absorbit causam possessionis, *vt dicit Abbas in c. consultationib. nu. 9. de iure patr.* & latè fuit deductum in causa Lucana iuris patronatus. 25. Ianuarij 1612. coram bon. mem. Penia.

3 Nec visa est considerabilis, differentia inter præsentationem, & mandatum de prouidendo, quasi per illud acquiratur ius in re, quod secus videtur per pręsentationem, quia per mandatum de prouidendo quo ad illius executionem acquiritur tantummodo ius ad rem, non autem in re. *Bellam. dec. 563. Mandos. super reg. de annal. q. 55. nu. 2. vers. quod etiam ampliatur.*

R. P. D. VBALDO.

Bononien. de Poetis. Veneris 31. Ianuarij 1614.

ARGVMENTVM.

De hærede grauato, quod possit detrahere debita à testatore relicta, & legata dummodo illa soluerit, & solutionem probauerit.

SVMMARIVM.

Hæres grauatus per fideicommissum potest detrahere debita testatoris, & legata ab eo relicta, nu. 1.

Solutio est quid facti, nec præsumitur. Ideo probanda ab allegante, etiam præsertim quando est fundamentum intentionis illius, nu. 2.

Solutio præsumitur ex taciturnitate creditoris, & eius hæredum per longum tempus. Declara, vt num. 3.

Tempus vbi est fundamentum intentionis alicuius illud debet præcisè probari. nu. 4.

DECISIO DXVI.

1 Qvia in sententia de partibus fuerat dictum, euenisse casum fideicommissi ad fauorem D. Annibalis Iunioris, de Poetis, & D. Franciscam aduersariam teneri ad restitutionem bonorum detractis tamen detrahendis, si quæ venirent detrahenda, quam sententiam Rota censuit esse confirmanda sub die decima septima Iunij 1611. coram me, vt latius in decisione tunc extensa, ideo successiue dubitaui circa prætensas detractiones, & dubio proposito die quarta Iunij 1612. & non resoluto, hodie iterum illud proposui, vtraque parte informante, & Domini censuerunt, nihil esse detrahendum. Nam licet verum sit, heredem grauatum per fideicommissum posse detrahere debita testatoris, & legata ab eo relicta, *l. 1. & 2. & l. fin. C. ad Trebellian.*

2 Tamen verum est etiam, hæredem teneri probare, illa fuisse ab eo soluta, cum solutio sit quid facti, quę non præsumitur, *l. 50. ff. de probat. cum alijs per Menoch. præsumpt. 135. in princ. lib. 3.* ideoq; eo magis in hoc casu, cum solutio sit fundamentum detractionum, *Gl. Bart. & Doct. in l. 2. C. de iur. emphyt. Bero. consil. 152. nu. 1. lib. 1. & in puncto. Bald. cons. 219. sub nu. 4. vers. non tamen lib. 2. Modern. de fideicommiss. art. 33. num. 9. vers. Dubium tamen est.*

3 In proposito autem casu, quo ad dotem Iuliæ de Vizanis, quæ fuit secunda vxor Alexandri testatoris, licet constaret de constitutione dotis ex publico instrumento, de solutione tamen ab hærede facta nō docetur, & quatenus illa præsumi posset ex taciturnitate Iuliæ, & eius hæredum per longum tempus, iuxta decisionem. *Afflicti 13. n. 23. Menoch. de præsumpt. 135. nu. 19. & seqq.* nihilominus ad effectum detractionis, de qua agitur esset irreleuans, cum dos potuerit solui in bonis vinculatis, quo casu detractio semel facta non esse iterum facienda. Vnde videtur omnino probanda specifica solutio, vt appareat, an ex bonis proprijs, & pecunijs hæredis facta fuerit, an vero ex bonis fideicommisso subiectis.

4 Quo vero ad legata relicta filiabus naturalibus testatoris pro eis dotandis, dummodo non possint, nec maritari debeant, nisi vtraq; ipsarum perfecerint ætatem viginti quinque annorum. Item quo ad legatum relictum Io. Francisco, cum hoc tamen, vt illud petere non possit, nisi perfecerit ętatem 25. annorum; Domini omissa illa quæstione, An legata essent conditionalia nec ne, habuerunt pro constanti, quod debuerat per hæredem grauatum probari, legatarios peruenisse ad ætatem à testatore præscriptam, & soluta fuisse legata, sicut alias est regulare, quod quando tempus est fundamentum intentionis debet præcise probari, *vt per Surd. post alios dec. 75. nu. 10.*

5 Nec obstat, quod quilibet præsumitur viuere vsq; ad centum annos, quia vltra quod dicta præsumptio est dubia ex allegatis, per *Gabr. de præsumpt. concl. vlt. nu. 3. & 4.* illa non videtur procedere, vbi tempus est præcise probandum, ex proxime adductis, & alias, qui se fundat in vita, debet illam probare, *Bart. in l. si quidem. C. sol. matrim. Gabr. vbi supr. nu. 6.*

6 Sicut non obstat responsio D. Ann. ad positiones, qui credit de auditu, legata fuisse soluta, quia fuit dictum, videlicet, quod responsio debet intelligi de legatis debitis, & quorum solutionis dies cesserat, non autem de indebitis, vel quid responsio probet solutionem in genere; sed non de bonis, an testatoris, an potius hæredis. Et ita fuit decisum.

DE-

DECISIO DXVII.

Virdunen. Abbatiæ. Veneris vltima Ianuarii 1614.

Impressa Apud Buratto.

DECISIO 33.

REVERENDISSIMO P. D.

MANZANEDO.

Perusina. Affictus Lunæ 17. Februarij 1614.

ARGVMENTVM.

Generalis oratio restringitur per subsequentem generalem dispositionem, confessioque in testamento facta pro exoneratione conscientiæ plene probat, & qualificata diuidi non potest.

SVMMARIVM.

Hæreditatis appellatione veniunt non solum bona stabilia, sed etiam mobilia, nu.2.
Generalia verba censentur rescripta per subsequentia specialia. num.2.
Confessione nulla maior est probatio maxime quando confessio respicit exonerationem conscientiæ. nu.3.
Confessio qualificata non potest diuidi, sed debet cum sua qualitate acceptari. nu.4.

DECISIO DXVIII.

1 Mercurius Vgus instituto herede Collegio Cambij cum onere maritandi quatuor puellas, cum dote Scutorum 30. pro qualibet ordinauit eius bona mobilia, & suppellectilem vendi plus offerenti, & ex illorum pretio emi stabilia loca Montium, vel tot census. Deinde voluit bona sua stabilia in testamento inuentariata in perpetuum locari Octauio Vgo pro annuis Scutis 140. quæ statim sequuta morte testatoris fuerunt illi locata. Mobilia vero illinc ad duos menses vendita pro pretio Scutorum 600. ex quibus fuit emptus census Scutorum 42. quem Octauius pretendebat comprehendi in dicto Afflictu. Vnde super hoc orta lite inter ipsum, & dictum Collegium fuit lata sententia per Reuerendum Patrem Dominum meum Stellam ad fauorem Octauij quia fuit appellatio interposita, & causa in Rota mihi commissa, dubitaui, an dicta sententia esset confirmanda, vel infirmanda.

2 Et Domini pro illius infirmatione responderunt. Nam quamuis testator ordinauerit generaliter, quidam locaretur hæreditas, cuius appellatione veniunt etiam mobilia, tamen idem testator paulo infra restrinxit hanc generalitatem, ad bona stabilia, & illorū certa corpora in eodem testamento enumerata, & expressa, ad quæ dictum nomen generale hæreditas reduxit. *l. generali. §. vxori. vbi Bart. ff. de vsufruct. legat. Ruin. consil. 188. num. 11. libr. 2. Surd. consil. 369. num. 31.* Vnde iuxta testatoris explicitam dispositionem tantum veniunt in dicto affictu loca bona stabilia, & non omnia, sed illa duntaxat in testamento inuentariata, & specificata, qualia non sunt mobilia, nec iste census ex illis procedens, & ex longe post affictum emptas. Quæ confirmantur ex eo, quod testator voluit ex fructibus suorum bonorum dotari singulis annis in Scutis 30. puellas quatuor, & plures si fructus supererunt, quod adimplere non posset, si census in affictu comprehenderetur, cum deductis annuis legatis, non remanerent tot pecuniæ, quæ sufficerent pro maritandis dictis quatuor.

3 Et cessat hodie omnis difficultas ex confessione ipsiusmet Octauij, qui paulo ante mortem declarauit in testamento, quod dictus census non comprehenditur in affictu, qua confessione nulla potest esse maior probatio. *l. cum te, C. de prob. Surd. decis.* 10. *nu.* 12. maxime facta pro exoneratione conscientiæ. *Felin. in cap. si cautio. nu.* 27. *de fid. instrum. Socin. consil.* 12. *nu.* 20. *libr.* 3. & nocet etiam Venerabili Monasterio Conuertitarum Octauij hæredi. *Bart. in l. cum quis decedens, §. codicillis, in princip. ff. de leg. 3. Bal. in l. generaliter in decima quæst. C. de non num. pecun.* quæ confessio coadiuuatur ex depositione Notarij rogati de testamento Mercurij, & aliorum testium deponentium ita fuisse de mente Mercurij.

4 Non obstat, quod dicta confessio Octauij sit qualificata, cum postea Octauius subdat affictum in Scutis 140. esse excessiuum, & debere reduci ad Scuta 100. & ideo debeat acceptari cum dicta qualitate excessiuitatis, quia hodie non agitur de quantitate affictus, sed tantum, an dictus census sub illo comprehendatur, & an sententia, quæ illum comprehendi declarauit, sit confirmanda, prout fore, ex supradictis fuit resolutum.

R. P. D. PIROVANO.

Cremonen. Pensionum Veneris 21. Februarij 1614.

ARGVMENTVM.

Gratia reseruationis pensionis non indiget iustificatione stante consensu Titularis, nisi fuerit conditionalis, & quando gratia dicatur conditionalis, copula autem carnalis non præsumptiue, sed concludenter probanda est, quando agitur ad effectum incapacitatis, & priuationis, & quando excludatur per impedimentum infirmitatis.

SVMMARIVM.

Pensionis solutio retardari non potest stantibus literis Apostolicis reseruationis pensionis, & consensu per titularem præstito cum Camerali obligatione, num.1.
Gratia reseruationis pensionis non indiget iustificatione, quando adest consensus titularis, quando gratia non est conditionalis, nu.2. & 3. & seq. vbi etiam quando gratia dicatur conditionalis.
Gratia reseruationis pensionis, quando dicatur conditionalis ita quod iustificari debeat. nu.3. & seqq.
Cōditionalis quādo dicatur gratia reseruationis pēsionis n.4.
Conditionalis dicitur gratia, quando in ea adest dictio dummodo, nu.4.
Gratia numquid dicatur conditionalis per clausulam, si ita est, vel si preces veritate nitantur, num.4.
Bigamia non contrahitur ex solo matrimonio cum vidua, sed requiritur copula, & consumatio, nu.5.
Copula carnalis, licet directe probari non possit, præsumitur, tamen ex cohabitatione coniugum per duos menses, post consummatum matrimonium, Declara, vt nu.6.
Copula carnalis non per præsumptiones, sed concludenter, & de necessitate probari debet, quando agitur ad effectum incapacitatis, & priuationis, nu.6.
Probationes plures imperfectæ non faciunt vnam plenam, & perfectam probationem, nisi quælibet probatio de per se in sua specie fuerit perfecta. nu.7.
Copula carnalis non præsumitur ex cohabitatione coniugum post consummatum matrimonium stante impedimento infirmitatis, nu.7.

Parochi fides numquid probet infirmitatem coniugum. nu. 8.
Infirmitas probatur ex Medicorum fide, præsertim adminiculata. nu. 8.
Copula carnalis excluditur ex impedimento infirmitatis respectu viri, non respectu mulieris. Declara, vt nu. 9. & 10.
Præsumptio fundata in eo quod potest esse, & non esse non releuat. nu. 10.

DECISIO DXIX.

1 MAndatum Auditoris Cameræ visum est Dominis esse confirmandum, stantibus literis Apostolicis reseruationis pensionum, & consensu per titularem præstito, cum obligatione Camerali, ex quibus parata dicitur executio. *Mobed. dec. 13. vt lit. pend. Gig. de pens. quæst. 35. num. 9. Cassad. decis. 10. num. 8. de rescript.*

2 Nec ad effectum obtinendi mandatum erat necessarium, quod pensionarij iustificarent narratiuam scilicet fructus ascendere ad Ducatos mille stante cõsensu titularis reseruationi præstito, per quem resultat virtualis confessio veritatis eorum narratiue equipollens iustificationi gratiæ, quando non est conditionalis, *Felin. in capit. olim. num. 19. in quarta, & in quinta limitatione de rescript.* & bene distinguitur in Salamantina Pensionis 28. Maij 1593. coram Gipsio, & firmatum fuit in Lunen. Sarzanen. Pensionis 15. Februarij eodem anno coram bon. mem. Cardinali Seraphino, & coram Litta in Meluitana Pensionum 28. Nouembris 1597. Guinnen. Canonicatus 28. Nouembris 1605. coram Penia.

3 Non obstat, quod immo gratia prædicta videatur conditionalis stante clausula super fructibus, & emolumentis, ad mille Ducatos, vt asserit, ascenden. dum verba asseris videantur æquipollere verbis, si ita est, quæ habent implicitam conditionem. *Felin. in cap. ad aures. num. 10. in fin. vers. & adde istis de rescriptis, & ideo versari in 3. casu distinctionis Salamantinæ pensionis, & aliarum decisionum,* in quibus admittitur, quod consensus titularis reseruationi pensionum præstitus non liberet Pensionarios in petitorio à iustificatione narratorum.

4 Quia Domini intellexerunt, quando gratia continet expressam conditionem, vt si dictum sit dummodo medietatem fructuum non excedat, vel dummodo remaneat 100. pro Rectore ex quo tunc intentio Pensionarij fundatur in dispositione conditionali, & qualificata, quæ non releuatur ex consensu titularis, posito sub eadem conditione, secus autem in conditione tacita, & virtuali, quæ inest, in qualibet gratia, si ita est, vel si preces veritate nitantur, cum per eam effectus puræ dispositionis non impediatur. *leg. si ita expressim, cum gl. ff. de cond. & demonstr.* & vbi agitur ad nullitatem actus propter medium impediens illius productionem ad esse, non est par virtus taciti, & expressi, vt dicit *Bald. in l. eleganter §. si quis. ff. de condict. indebit. & sequitur Dec. in reg. expressa nocent. nu. 2.*

5 Defectum autem incapacitatis oppositum Vezzano alteri ex pensionarijs propter bigamiam ob matrimonium per eum cum Vidua contractum existimarunt Domini, non obstare, quia bigamia non contrahitur ex solo matrimonio cum vidua, sed requiritur copula, & consummatio, quæ non probatur. *cap. debitum. de bigam.* & veriorem dixerunt opinionem aduersus *Magistrum sent. lib. 4. distinct. 27. quam probarunt Ioan. Andr. ad Specul. de dispens. §. 4. numer. 6. litera F. Couar. in Clemen. si furiosus. de homicid. par. 1. §. 2. num. 2. Cappell. Tholos. 254. & 255. Maiol. de irreg. lib. primo, cap. 33. lib. 4. & alij relati per Sanchez, de Matrim. libro septimo, disput. 83. numer. 4. & quinto,* & ratio satis clara colligitur ex dicto cap. debitum, quia vbi corporum commixtio deficit solus consensus non sufficit ad signandum matrimonium Christi cum Ecclesia per incarnationis mysterium contractum, nec vir ille dicitur carnem suam in plures diuisisse.

6 Nec obstat, quod & si copula directe probari non possit. *cap. præterea, de testibus. cap. literis, & cap. sequen. de præscript.* ex cohabitatione tamen ipsorum coniugum per duos menses post consummatum matrimonium sufficiens probatio colligitur tanquam excommunicatura, & præsumptione violenta, *cap. si quis accipiet. 33. quæst. prima, cap. laudabilem. cap. fin. de frigid. & malef. Ferret. consil. 203. num. lib. primo, Abb. consil. 195. num. 22. Cepol. consil. tertio, & quarto, inter ciuilia. Rot. coram Cantuccio inter impress. 95. per totum parte secunda. diuers.* quia fuit responsum, quod cum hæc præsumptio coniecturalis deducatur ad effectum incapacitatis, & priuationis ex sequuta bigamia debet in suo genere saltem esse concludens, & necessaria *capit. in præsentia. de probat. Lap. allegat. 52. & 53.* quod etiam fuit dictum in Tullen. Monasterij Sancti Mansueti 27. Ianuarij 1597. coram Penia, in qua aliæ decisiones colleguntur.

7 Et idem dicitur, quando imperfectæ probationes sunt coniungendæ ad constituendam plenam, & perfectam probationem. Illæ tamen de per se in sua specie debent esse perfectæ alias non releuant, latissime *Gabr. de probat. conclus. prima.* Ideo cum ista cohabitatio non fuerit libera ad effectum maritalem prosequendum, sed à die, & hora consummati matrimonij impedita ex graui infirmitate ipsius Martiæ vxoris continuata vsque ad horam eius mortis prout testatur Parochus in fide celebrati matrimonij, & Medici, qui illam in infirmitate curarunt, & vtraque fides adminiculatur ex testamento, & codicillis eiusdem Martiæ in quibus semper fuit enunciata infirma, & concurrunt confessiones mariti cum iuramento, etiam firmante, & coadiuuatur etiam in iuris præsumptione, vt præsumatur cum præcedenti in infirmitate accessisse iuxta quæ habentur latissime *in decis. 701. per tot. parte prima diuers.* sequitur dicendam præsumptionem cohabitationis non deseruire ad probandam commistionem viri, & vxoris stante impedimento infirmitatis, vti se non compatiente cum coitu, vt dicit *Abb. in cap. tenor. num. 3. de sentent. & re iudic. etiam Sarnen. super reg. de infirm. quæst. 9. in 3. priuileg. num. 7.* quia propterea confirmant limitationem. *l. filium eum definimus. ff. de his, qui sunt sui, vel alien. iur.* vt natus in domo viri non dicatur eius filius, si præcedat simile impedimentum.

8 Non obstat, quod fides Parochi non faciat fidem de infirmitate, vti de non pertinentibus ad effectum. *Bald. in leg. 1. num. 19. de confess. Angel. in tract. de testament. gloss. 3. num. 10. in fine,* quia expressio causæ infirmitatis est de pertinentibus ad eius officium, cum alias tenebatur celebrare matrimonium in Ecclesia ex *Concil. Trident. sess. 24. cap. 1. de reform.* Præterea fides per titularem simpliciter perducta fuit. Ideo probatio non potest diuidi, vt quo ad matrimonium fidem faciet, quo ad infirmitatem non credatur. Tollitur etiam quod similiter dicebatur de fide Medicorum, quia quicquid, quando non est adminiculatum, iunctis tamen adminiculis testamenti, & codicillorum, ac confessionis iuratæ bene probat. *Verall. dec. 234. par. 1. Rot. dec. vlt. par. 1. de vers.*

9 Postremo non obstat, quod non probetur talis infirmitas, quæ repugnet potentiæ sustinendi commixtionem, dum respectu viri bene posset considerari, secus respectu mulieris. *Tiraq. de leg. connub. gloss. 1. par. 15. num. 75. Sarnen. in reg. de infirmit. quæst. 9. num. 66.* Quia fuit primo responsum ex fide Medicorum constare eam laborasse febri continua etiam tempore matrimonij hecticam confirmatam esse, quod genus morbi præstat iustam causam abstinendi à commixtione, vt de simili dicit *Abb. in capit. 2. numer. 5. vers. 2. de coniug. lepros.* & de sola febri laborante propter imminens

ftens graue periculum tradit *Sanchez, de Matrim. lib. 9. disp. 24. nu. 3.*

10 Secundo fuit etiam dictũ, quod cum dubitari non possit ex deductis, eam fuisse infirmam sufficere ad impediendum effectum priuationis, in quo probationes quales sint, in suo genere debent esse necessariæ, & concludentes, vt dictum est. Ideo si morbus potuit esse, vel non esse talis, per quem copula, & consumatio matrimonii impedita remanserit, non inde necessario sequitur, alio non apparente, quod talis nõ fuerit, & sic præsumptio remanet fundata impossibili, quæ non releuat. *d. c. in præsentiam. de probat. l. non hoc C. vnde legitimi*, & ita fuit resolutum.

R. P. D. PIROVANO.

Romana Consignationis Schedulæ. Veneris 21. Februarij 1614.

ARGVMENTVM.

Fructus sequuntur Dominum, & possessorem. Possessio donatarii probatur ex reseruatione vsusfructus facta donanti, & ex clausula constituti. Item quando contractus dicatur perfectus ante instrumentum, vbi partes conuenerunt de faciendo instrumentum. Et quando in iudicio possit opponi de iure tertii, & plura alia de quibus in Summario.

SVMMARIVM.

Fructus debentur domino, & possessori, num. 1.

Donatio omnium bonorum præsentium, & futurorum, vbi est valida, comprehendit etiam bona post donationem acquisita, nu. 1.

Possessio rei donatæ vbi dicitur translata in donatarium ex reseruatione vsusfructus sibi facta per donantem, nu. 2.

Hæres non potest venire contra confessionem defuncti, nu. 2.

Clausula constituti in donatione apposita probat possessionem donatarij, nu. 2.

Domini, & possessores eiusdem rei duo in solidum esse non possunt, nu. 3.

Contractus ante confectionem instrument non dicitur perfectus, vbi partes ad eius substantiam desiderauerunt instrumentum, nu. 4. Vbi maxime quando aliquod implementum tempore scripturæ conficiendæ desideratur, quia tunc conijcitur, partes noluisse aliter contractum valere.

Exceptio non implementi repellit agentem ex contractu, numero 4.

Fructus vbi est factus locus fideicommisso sequuntur substitutum, non autem grauatum, nu. 5.

Reus potest excludere actorem per non ius, nu. 6.

Exceptio de iure tertij in iudicio non admittitur, nu. 6.

Fallit quando allegatio iuris tertij est exclusiua iuris agentis ipso iure. num. 7. Vbi refertur modus quo ius tertii allegari possit.

Ipso iure vt quid dicatur fieri requiritur declaratio, nu. 8.

Fructus vt sint restituendi fideicommissario per grauatum requiritur interpellatio, nu. 8.

Retentio datur grauato pro melioramentis, nedum in fructibus perceptis, sed etiam in ipsa re. nu. 9.

Inhibitio seu monitorium cum clausula si quis, &c. per comparitionem resoluitur in simplicem citationem, num. 10.

DECISIO DXX.

Sententia bon. mem. Cardinalis Platti reseruat Domino Flamio ius repetendi fructus Vineæ Vallis site in Territorio Anguillariæ perceptos per Dominam Æmyliam, quatenus de iure ei debeantur, quorum fructuum quantitatem cum ex iudiciali decreto iam ordinatum fuisset consignari Dominæ Æmyliæ data schedula soluendi valorem, cui de iure exin-

de dubitatum fuit coram bon. mem. Penia, an Domino Flaminio schedula esset consignanda, quod eo solo informante affirmatiue fuit resolutum, & hodie iterum dubio super eisdem proposito, vtraq; parte informante, censuerunt Domini, standum esse in decisis, quia apparet fructus prædictos de iure spectare Domino Flaminio exclusa Æmylia veniente ex titulo hæreditario Virginii eius Mariti.

1 Nam siue vinea de qua agitur, fuerit in bonis Auersi Patris Domini Flaminii, & eo casu vigore fideicommissi Flaminii senioris fratris Auersi ad eum spectabat, prout fuit ex hac eadem sententia declaratũ ad eius fauorem fideicommissum fuisse purificatum. Siue etiam probetur in bonis Virginii vigore prælegati de eadem vinea ex testamento Comitissæ Iustinianæ eius Auiæ Maternæ, nihilominus fructus, etiam Domino Flaminio debentur vti Domino, & possessori, *leg. fructus, leg. & ex diuerso. ff. de rei vendic. Cæphal. consil. 131. numer. 14. Surd. cons. 53. nu. 3. lib. 1. Honded. cons. 39. num. 22. lib. 2.* vti Domino, quia Virginius de anno 1584. donauit omnia bona sua præsentia, & futura Domino Flaminio fratri, & eius descendentibus, & in causa prælegatum Vineæ, quamuis postea acquisitum comprehensum esse, nemo est, qui dubitet, data validitate donationis, *Crauet. consil. 222. per tot. Didac. var. resolut. lib. 3. c. 12. Franch. dec. 168. nu. 4. Bellam. cons. 5. nu. 6. & seqq.*

2 Et vti possessori, quia de possessione omnium bonorum satis constat ex reseruatione vsusfructus, per quam dicitur possessio translata in donatarium, *leg. quisquis cum glos. C. de donat. Dec. cons. 43. num. 2. ad fin. Chassan. consil. 7. num. 35. Ang. consil. 44. in princ.* & in indiuiduo, de possessione ipsius Virginii constat ex cõfessione Dominæ Æmiliæ, contra quam hodie illius hæredes venire non possunt. *Crauet. consil. 67. numer. 6. Natt. consil. 400. num. 2. lib. 2. Rol. consil. 46. num. 3. vol. 3. Cardinalis Mant. de coniect. lib. 7. tit. 6. num. 5.* & suffragatur Domino Flaminio propter clausulam constituti in donatione appositam *l. quod meo. ff. de acquir. possess. Tiraq. de constit. poss. p. 1. vers. illud autem num. 4. Neuiz. consil. 82. nu. 13. Ioseph. decis. Perus. 29. num. 6. Ias. cons. 111. num. 2. vol. 4.*

3 Nec prædictis obstat instrumentum concordiæ, quod dicitur factum viuente Virginio de anno 1586. in quo per Auersum patrem, & Virginium, ac Ioannem Baptistam, & ipsum Dominum Flaminiũ filios vendita fuit hæc Vinea vallis Dominæ Portiæ Ceræ cum translatione dominii, & possessionis, cum constituto ita vt Dominus Flaminius non possit se fundare in anteriori dominio, & possessione, cum duo in solidum non possint esse Domini, & possessores, *l. sicut certo loco, §. si duo vehiculum. ff. commodat.*

4 Quia satis patet, hanc venditionem non habuisse effectum, cum ad eius substantiam partes desiderauerint instrumentum confici de ipso contractu cum solennitatibus requisitis intra decem dies, & quod tempore stipulationis Domina Portia soluerit Scuta bis mille, de quo instrumento, cum non doceatur actus venditionis, non habetur pro perfecto, nec effectum validum potest operari. *glos. in l. contractus, C. de fid. Instrum. Gabr. de pact. conuent. conclus. 3. numer. 1.* maxime quando aliquod implemẽtum tempore scripturæ conficiende desideratur, vt in præsenti, ex quo coniicitur, partes noluisse aliter contractum valere, vt declarat conciliando opiniones *Thessaur. dec. 197. n. 3.* quod etiam ex sola exceptione non implementi procederet data validitate contractus venditionis, *Bart. in l. Iulianus, §. offerri. ff. de act. empt. Ias. cons. 112. nu. 11. libr. 4. Ber. consil. 15. num. 14. volum. 3. Bec. cons. 45. nu. 6. volum. 1.*

5 Præterea iste contractus venditionis, alia ratione sine effectu remansit, quia post mortem Virginii huius Vineæ prælegatarii fuit actum in Curia Capito-

lina per eandem Dominam Portiam super auocatione Vineæ prædictæ, vigore fideicommissi Comitissæ Iustinianæ, & obtinuit, & hodie eius hæredes possident. Etsi dicatur ea etiam ratione constare de non iure Domini Flaminij, quia hæredes Dominæ Portiæ sunt Domini Vineæ ex fideicommisso, & sententia declarante illius purificationem, vt propterea Virginio mortuo fructus sequantur substitutum, qui est dominus, non autem Dominum Flaminium grauatum. *Gabriel. consil. 121. num. 88. lib. 1. Becc. consil. 97. numer. 10. latissime Surd. dec. 25. num. 20. & Peregr. de fideicommiss. art. 49. nu. 85.*

6 Obiectum cessare videtur, quia Dominus Flaminius quo ad hæredes bon. memor. Dominæ Æmyliæ, quibus titulus hæreditarius non suffragatur obstante fideicommisso Flaminij senioris, aut donatione Virginij liberas ædes habet. *l. loci corpus. §. competit. ff. si seruit. vendic. l. fin. C. de rei vendic. Roman. consil. 347. nu. 4. Cassad. dec. 3. nu. 5. de restit. spoliat.* & regulare est, quod in iudicijs oppositio de iure Tertij non subsistat *leg. si quis emptionis. §. sin vero nullum. C. de præscript. 30. annorum. Natta consil. 419. num. decimo primo, & Thessaur. dec. 4. in princ.*

7 Nec obstat secus esse, quando allegatio iuris Tertij est exclusiua iuris agentis ipso iure, vt declarat *Bart. in l. 2. ff. de except. rei iudic. Crauet. in respons. pro genero. num. 394. Meuoch. consil. ... num. 320. Castrens. consil. 77. numer. 6. in fine volum. 2.* & tunc ius Tertij allegari possit per modum probationis assumendo conuentus in se onus probandi, actorem non esse Dominum, sed aliud ius habere ad effectum obtinen. ob solutionem ex non iure actoris, vt considerat *Surd. consil. 415. num. 16, volum. 3.*

8 Quia prædictis omnibus patet responsio ex tenore voti assettamenti super immissione vineæ ad fauorem Dominæ Portiæ Ceræ post annum à die mortis Virginij emanati, in quo nullum verbum de condemnatione fructuum ex dicta Vinea perceptorum, quo casu oppositio non est exclusiua ipso iure Iuris agentis, cum deficiat in hac parte sententia declaratoria. *Tiraq. in l. si vnquam. in verbo reuertatur. num. 360. Cod. de reuoc. donat. Archidiac. Ioan. Andr. in cap. 1. de homicid. in 6.* dicentes, quod omnia iura mundi dicentia aliquid ipso iure fieri intelligenda sunt sequuta declaratione; non enim videtur incompatibile, quod bona vineæ lata restituantur, & tamen fructus per grauatum ante restitutionem percepti non sint restituendi, vel quia defecerit interpellatio, quæ requiritur ad eum effectum. *l. in fideicommissarium. vbi Ang. num. 1. versic. 6. Fallit, & Alex. num. 7. ff. ad Trebell. Gabr. cons. 121. num. 58. vers. Fructus autem perceptos. volum. 1. Cephal. consil. 49. & 50. per tot. Bursat. cons. 44. numer. 11. qui attestatur de communi. Magon. in decis. Florentina 91. num. 21. & decis. 92. num. 41.*

9 Vel quia concurrunt melioramenta, pro quibus grauato datur retentio, ne dum in fructibus perceptis, sed & in ipsa re. *Neguss. de pignor. quinta part. membr. 4. num. 8.* & pro quibus in iudicio Capitolino fuit exceptum, & reseruata in sententia cum obligatione eidem Dominæ Portiæ cauendi pro eis soluendis, sequuta liquidatione. Vnde ex decursu annorum 26. à die sententiæ, in quibus nihil fuit actum de istis fructibus, vel erit præsumenda compensatio, vel Domino Flaminio adhuc erit saluum ius retinendi eos pro melioramentis, & consequenter ante liquidationem erit incertum, an fructus debeantur hæredibus Dominæ Portiæ, quod sufficit, ne dicatur constare de ipso iure de non iure Domini Flaminij agentis. Postremo non obstat, quod vinum Panafutio consignatum non probetur iuxta mandatum Cardinalis tunc Aldobrandini, & prout necessarium est ad obligationem Mercatoris, qui dedit schedulam loquentis per verba de futuro, & promittentis soluere per il vino, che si consegnara à Domitio Panafutio. Quia fuit responsum, satis constare de consignatione prædicta per traditionem clauium Cellæ vinariæ factam Marco Antonio Prospero Procuratori bon. mem. Æmiliæ de qua attestatur Notarius causæ, sub die 24. Februarij 1588. & ex testibus datis, qui fuerunt præsentes consignationi.

10 Impedimenta autem, quæ allegantur, vt locus esse non potuerit consignationi prædictæ, visa sunt non releuare, quia inhibitiones Curiæ Capitolinæ aliæ superuenerunt post diem consignationis, nempe de Mense Martij 1588. & Mense Maij 1589. & altera, quæ datur de Mense Septembris 1587. non apparet exequuta, & continet clausulam iustificatiuam, si quis senserit se grauatum, per quam actus comparendo resoluitur in vim simplicis citationis. *Alexand. consil. 143. num. 6. lib. 7.* & emanauit ante sententiam sine causæ cognitione contra regulam de prohibita sequestratione, ac demum ea non obstante consignatio facta probatur, quod sufficit ad effectum, de quo agitur. Et ita fuit resolutum.

REVERENDISS. P. DOMINO COCCINO DECANO.

Firmana Iuris patronatus. Veneris 21. Februarij. 1614.

ARGVMENTVM.

Ius patronatus, cui fuit facta vnio beneficij liberi, non dicitur ex priuilegio ita vt veniat sub reg. Adriani reuocatoria, vbicunque beneficium iuris patronatus non remanserat sine dote, & vbicumque beneficium, quod vnitur, est modici valoris secus si esset magni valoris.

SVMMARIVM.

Ius patronatus vbi est creatum authoritate Episcopi præsumuntur omnia necessaria in eo interuenisse. nu. 1.

Ius patronatus non potest fundari absque congrua dote. num. primo.

Ius patronatus non amittitur ex diminutione fructuum beneficij. nu. 2.

Ius patronatus vt amittatur, requiritur quod Ecclesia remaneat insufficienter dotata. numer. 2. vbi referuntur alij nolentes quod requiratur quod Ecclesia sit omnino depauperata.

Ius patronatus non acquiritur quando Ecclesia antea est sufficienter dotata. nu. 2.

Vnio beneficij liberi beneficio iuris patronatus non operatur quod ius patronatus censeatur ex priuilegio, vbi de tempore vnionis beneficium iuris patronatus non erat sine dote. num. 3.

Declara, vt habeat locum, vbicumque beneficium, quod vnitur, est modici redditus secus alias. nu. 3.

DECISIO DXXI.

1 Beneficium, de quo agitur, fuit dotatum & fundatum de anno 1503. & postmodum de anno 1514. fuit ei facta vnio per Episcopum alterius beneficij cum narratiua, quod fructus erant exiles, & tenues, quæ quidem vnio ex cursu temporis, & obseruantia præsumebatur à Sede Apostolica confirmata, iuxta resolutionis in hac causa factas. Vnde dubitaui an huiusmodi ius patronatus esset dicendum ex priuilegio, & sic censeatur reuocatum per regulam Adriani, ac per Concilium Tridentinum, & Rota cendriani fuit negatiue respondendum, ex ratione, quia cum ius patronatus fuerit creatum authoritate Episcopi

scopi præsumendum est, omnia necessaria interueniſſe, & præsertim congruam dotem, quæ est vna ex necessarijs pro fundatione beneficij. *Lambert. de Iure patronatus. lib. 1. par. 1. q. 5. art. 11.*

2 Et ideo licet fructus fuerit diminuti, non tamen ideo sequitur, quod ius patronatus fuerit amissum, cum perierit Ecclesiæ, non patrono, idem *Lambert. vbi supra quæst. 5. art. 8. num. 17. post Paulum de Cittadinis, quem allegat*, & dixit Rota in causa Toletana congruarum. 27. Februarij. 1576. coram Clem. VIII. tunc Rotæ Auditore, relata prædicta causa decis. 230. Ad effectum enim vt ius patronatus fuisset amissum requiritur, quod Ecclesia remansisset insufficienter dotata, prout quando Ecclesia non est sufficienter dotata non acquiritur ius patronatus. Ita concludit *Lambert. de iure patronatus l. q. 6. art. 6. nu. 3. in fin. versic.* sed tu subtiliter. licet *Card. in c. 3. in 1. quæstione de iure patronatus velit*, quod Ecclesia omnino sit de pauperata, cuius dictum omnes tenere dicit *Lambe. loco proxime allegato. vers.* nam, vt vides, sed quidquid sit de veritate istarum opinionum satis est, quod de tempore vnionis non remaneret indotata ita vt dicendum esset ius patronatus fuisse amissum.

3 Ex quibus fuit conclusum, quod cum Ecclesia de tempore vnionis non esset effecta libera, vnio non causat, quod ius patronatus censeatur, ex priuilegio cum ista vnio capiat augumentum dotis potius, quā dotationem principaliter. Considerabat tamen vnus ex Dominis quod ista decisio est intelligenda in concreto, & stricte ad casum, de quo agitur, nec ex ea posse constitui regulam generalem, quia esset nimis periculosa. Posset enim contingere casus, quod vniretur beneficium magni valoris beneficio parui valoris, & tamen non inde posset dici, quod illud ius patronatus non esset ex priuilegio, quia tale beneficium pingue potest pingue remanere ex vnione, dici posset ex priuilegio saltem ad effectum euocandi vnionem, quæ omnia cessant in casu isto, cum agitur de paupere Regno, nec vnio alteret ex magnis redditibus qualitatem beneficij prout alteraret in casu prædicto considerato ab vno ex Dominis, quæ consideratio cum placuerit ponenti. Ideo voluit hic eam inserere.

DECISIO DXXII.

Terulen. Vicariæ. Veneris 28. Februarij. 1614.

Impressa Apud Buratto.

DECISIO 35.

REVERENDISSIMO P. DOM.

COCCINO DECANO.

Vercellen. Canonicatus. Mercurij 5. Martij. 1614.

ARGVMENTVM.

Beneficij vacatio quando dicatur consumpta per prouisionem Papæ ante adeptam possessionem, & quid si gratia fuerit in forma dignum.

SVMMARIVM.

Beneficium dicitur reseruatum illud quod vacat per obitum Protonotarij. num. 1.

Possessio Canonicatus capitulariter capta dicitur benecapta; num. 1.

Possesso semel præsumitur possessionem continuasse vsque ad obitum. num. 1.

Clericatus probatur per literas patentes. nu. 1.

Immissio ex gratiosa subrogatione vt concedatur, quæ requirantur. nu. 1.

Beneficij vacatio dicitur consumpta per prouisionem Papæ etiam ante captam possessionem. num. 2. Declara, quando collatio est facta simpliciter, secus si in forma Dignum, vel si solum est concessum mandatum de prouidendo dicto. num. 2.

Gratia in forma dignum dicitur conditionalis, nec causat ius in re de futuro ante illius executionem. nu. 2.

Gratia in forma dignum post purificationem censetur facta a die eius datæ ita vt excludat gratiam ab alterius postmodum impetratam. nu. 3.

Literarum Apostolicarum executio quando impediatur per alterius possessionem, & quando possessor dicatur legitimus contradictor. num. 4.

DECISIO DXXIII.

1 Canonicatus, de quo agitur vacauit per obitum Octauij Auogradi Protonotarij iuxta resolutiones in hac causa factas, & de eo fuit prouisus Marcus Antonius de Ferrarijs in forma dignum, qui ante executionem dictarum literarum obtinuit alium Canonicatum, vnde Petrus Hieronymus Cagnolus impetrauit ob assecutionem incompatibilis, & obtinuit etiam subrogationem gratiosam ad ius ipsius Ferrarij, nec non ad ius, & possessionem Octauij Protonotarij, cuius vigore petebat immissionem, & Domini resoluerunt esse concedendam, iustificat enim omnia incumbentia, nempe reseruationem ex Protonotariatu Octauij, iuxta resolutiones in hac causa factas, obitum Octauij in possessione, ex instrumento adeptionis, de anno 1594. quæ fuit capta capitulariter prout reperitur. *Cassad. decis. 8. de caus. poss. & propr.* semel enim possessor præsumitur continuasse vsque ad obitum *Rot. decis. 4. de probat. in nou.* cum hoc allegetur à successore, nempe à Francisco Hieronymo subrogato, quo ad ius, & possessionem Octauij. *Menoch. de præsumpt. lib. 6. præsumpt. 64. num. 17.* & clericatum etiam ipsius Cagnoli ex literis patentibus *glos. in cap. inter quatuor. in verbo, argumenta. de cleric. peregr. Felin. in c. post cessionem. num. 3. & 15. de probat. Gram. dec. 81. nu. 1.* quæ sufficiunt ad effectum, vt gratiose subrogato in beneficio litigioso, vel reseruato possit dari immissio. *Moberd. decis. 11. vt lit. pend. Put. dec. 208. lib. 1.* secundum emendatam impress. & fuit late deductum in causa Miranden. Parochialis. 17. Maij. 1600. coram bon. mem. Penia.

2 Non obstat, quod vacatio per obitum Octauij fuit consumpta per prouisionem Papæ de persona Ferrarij, quia verum est, vt dicitur in decisione in hac causa facta, quod per prouisionem Papæ consumitur vacatio etiam ante possessionem. *Rota decis. 24. de præben. in antiquis. Simonetta de reseruat. quæst. 55. in principio*, tamen hoc procedit, si Papa simpliciter confert, si vero concedit mandatum de prouidendo, aut gratiam in forma dignum, quæ est gratia conditionalis *Rot. decis. 12.* de concessione præben. in nou. vel alium titulum, qui causet ius in re, de futuro ante executionem non dicitur acquisitum ius in re, & per consilium nec consumpta vacatio. *Sarnen. in reg. de iure quæsito non tollen. quæstione 1. numer. 33. in fin. & numer. 34. versic. & ista procedunt, & in reg. de trienn. quæstione 30. numer. 3. versic.* & ista, & in puncto est decisio *Bellameræ 563. incipit conclusio, quod gratia, & est bona gl. in Clem. 1. in verb. collato. in princ. vt lit. pend. Felin. in cap. cum Bertoldus, col. 2. num. 3. versic. dixit etiam. de re iudic. & late prosequitur Modernus Glos. reg. 8. glos. 15. §. 2. nu. 2. 55. & 56.*

3 In

5 In proposito autem nunquam fuit deuentum ad executionem gratiæ, in forma dignum, nec in partibus, nec in Rota, & licet Ferrarius fuerit repertus idoneus ab executore, non tamen deuenit ad actum collationis, ita vt dicatur consumpta vacatio prout requiritur ex supra allegatis, & sic cessat obiectum ex decisione 12. de concess. præbend. in nou. quia verum est, quod gratia in forma dignum post purificationem censetur facta à die eius datæ, ita vt excludat gratiam alterius postmodum impetratam, tanquam posteriorem, sed non propterea sequitur in casu isto, quod fuerint deuentum ad collationem ad effectum, vt prima vacatio dicatur consumpta.

4 Non obstat, quod Petrus prouisus à Capitulo sit in possessione, & ideo non est agendum executiue, sed ordinarie, quia est legitimus contradictor. *Bart. in leg. fin. numer. 31. Dec. num. 4. C. de edict. D. Andr. tollen. Rolan. consil. 78. numer. 5. & 27. lib. 3.* & in puncto fuit resolutum in causa Celsonen. Canonicatus. 1. Iunij 1607. coram me. Quia fuit responsum, conclusionem procedere, si reseruatio non esset clara, & notoria, ex capite Protonotariatus iuxta resolutiones factas, tunc prouisus à Capitulo posset dici legitimus contradictor, etiam quod Cagnolus habere subrogationem gratiosam, sed ex quo cum illa concurrit reseruatio notoria, ex capite Protonotariatus, prouisus à Capitulo, etiam quod sit in possessione, non potest dici legitimus contradictor ad effectum impediendi viam execuciuam. Ita declarauit Rota in causa Eluen. Præceptoriæ. 10. Iunij 1611. coram Reuerendissimo Archiepiscopo Lugdunen.

REVERENDISSIMO P. DOMINO DAMASCENO.

Romana Pecuniaria. Lunæ 10. Martij. 1614.

ARGVMENTVM.

Hæreditatem adiens cum beneficio legis, & inuentarij, non confundit actiones suas cum hæreditarijs, adeo vt adhuc censeatur hæreditas res diuersa.

SVMMARIVM.

Cessionarius vtitur via cedentis, & illum representat, etiam in iure exequutiuo. nu. 1.
Aditio hæreditatis cum beneficio legis, & inuentarij quid operetur. nu. 2.
Intellectus ad l. debitorem. C. de pact. nu. 3.
Hæreditas est, quod superest de bonis defuncti, deducto ac re alieno. nu. 4.
Locupletari nemo debet cum aliena iactura. nu. 4.
Rem, & pretium nemo debet habere. nu. 4.
Compensatio non datur de liquido ad illiquidum. nu. 5.

DECISIO DXXIV.

1 Mortuo Baldassare Ruscono, Bartholomæus, & Dominicus eius ex fratre nepotes, prætendentes se esse hæredes ab intestato dicti Baldassaris, soluerunt Angelæ Vxori dicti Baldassaris suas dotes, & ab illa reportarunt cessionem iurium cum clausula, quod cessio non intelligeretur facta in præiudicium ipsius Angelæ, & contra ipsam, eiusque iura, & bona quæcumque retorqueri minime posset, accidit, quod prædicta Angela obtinuit, se declarari hæredem ex testamento dicti Baldassaris, & tanquam talis cum benefic. legis, & inuentarii fuit immissa in possessionem bonorum hæreditatis illius ex remedio *l. fin. Cod. de edict. Diui Adr. toll.* cum autem dicti fratres instarent contra Angelam, seu bona hæreditaria Baldassaris pro restitutione pecuniarum solutarum ipsi Angelæ pro suis dotibus, dubitaui, an contra dicta bona hæreditaria esset relaxandum mandatum exequutiuum, & pro affirmatiua fuit tentum, quia dicti fratres fuerunt cessionarii Angelæ, & proinde sicut potuisset Angela obtinere relaxationem mandati contra prædicta bona, stante illius credito liquido, & Camerali obligatione vallato, ita possunt ipsi fratres illius cessionarii, quia cessionarius vtitur iure cedentis, & illum repræsentat. *l. fin. C. de priuil. fisc. l. emptor, & ibi Bal. in princ. C. de hæred. & act. vend. Alex. cons. 13. num. 16. lib. 1. Paris. cons. 109. num. 25. lib. 3. etiam in iure exequutiuo. Bald. in l. ex legato. in fin. C. de leg. Aret. in l. 1. nu. 22. ff. si cert. pet. Calcan. cons. 18. num. 22. Bero. consi. 177. num. 28. & seq. lib. 1. Tiraq. de retract. lignag. §. 26. glos. 3. numer. 15. & 23.* & in specie, quo ad obligationem Cameralem *Galles. ad form. oblig. Cam. parte 1. q. 2. in princ. Surd. cons. 444. nu. 12.*

2 Non obstat, quod Angela in cessione voluerit cessionem non intelligi factam in sui præiudicium, nec contra sua bona retorqueri posse, & proinde cum ipsa modo sit hæres Baldassaris, & bona hæreditaria per aditionem sint facta ipsius Angelæ *ad not. in l. debitorem. C. de pactis. l. Stichum. §. aditio. ff. de solut. l. si debitori creditor. ff. de fideiussor.* non possint fratres exercere cessionem contra ista bona, quia fuit responsum Angelam adiuisse hæreditatem, cum beneficio legis, & inuentarii, & proinde non esse confusas actiones, & adhuc aliud reputari ipsam; ipsam Angelam, aliud vero hæreditatem. *l. fin. §. in computatione, ibi,* si vero aliquas contra defunctum habebat actiones, non eæ confundantur, &c. *C. de iur. deliber. & ibi Alber. Bald. Angel. Castr. Salyc. & alij.*

3 Et licet text. vbi supra, loquatur ad fauorem hæredis, hic autem detur de non confusione ad eius præiudicium, attamen visum fuit Dominis, quod ille text. debeat habere locum etiam in præiudicium ipsius hæredis, ne scilicet vna, & eadem hæreditas diuerso iure censeatur contra notat. *in l. eum qui hæredes. ff. de vsucap.* & propter reg. totius tituli quod quisque iuris &c. & quia hæreditas habetur tanquam non adita, vt per *Bald. in l. debitori. num. 1. versic. sed contra. C. de pact. Castr. cons. 186. nume. 1. versic. siue dicamus, quod facto inuentario lib. 2. Ias. in d. §. in computatione. numero 4. Cassan. consil. 22. nume. 9. versic. item ex doctrina. Roland. tract. de inuent. part. 4. §. decima est vtilitas. num. 2. & 3. Ranuc. eod. tract. par. 5. num. 13.* & proinde sicut si hæreditas non esset adita, bona sine dubio dicerentur ipsius hæredis, neque ipse per directionem actionum contra bona hæreditaria, diceretur pati aliquod præiudicium, ita neque dicitur pati, postquam est adita cum beneficio legis, & inuentarii, vt in simili bene argumentatur *Surd. decis. 310. num. 17. in fine.*

4 Præterea etiamsi Angela minime adiuisset cum benef. legis, & inuentarii dicebatur ipsam per huiusmodi mandatum non pati præiudicium in eius bonis, quia per aditionem non acquiritur nisi illud, quod remanebat in hæreditate, deducto ære alieno. *ad l. 2. §. illud. ff. de collat. bon. l. fin. §. fin. autem. Cod. de bon. quæ lib. leg. mulier. ff. de iur. dot.* & proinde cum istud æs alienum fuerit per Baldassarem relictum in sua hæreditate, Angela per aditionem quæsiuit tantum bona, quæ supersunt, deducto ære alieno, facit, quia vnaquæque dispositio intelligitur, rebus sic stantibus. *l. quod Seruius. & ibi glos. verb. potest. ff. de condit. caus. dat. leg. fin. in princ. ff. ad municipal. Oldr. consil. 241. numero 2. versic..... Feder. de Sen. consil. 239. vers. & vos sitis,* & ne alter ex contrahentibus remaneat in damno *l. si id quod in fine. de rescind. vend. Roman. consil. 295. numer. 5. Corn. consil. 326. numer. 3. lib. 1. Crauet. consil. 239. numer. 6.* & quod quis non debet locupletari, cum aliena iactura. *l. locupletari. de reg. iur. in 6. l. iure naturæ. ff. de reg. iur. leg. nam hoc*

nam hoc natura. ff. de condict. indebit. & tenere rem, & pretium. l. curabit C. de act. empt. quæ omnia fierent, si diceremus paciscentes intellexisse de hoc casu, vnde omnis alia interpretatio est sumenda.

5 Non obstant aliquæ prætensiones, quas habet Angela tanquam hæres Baldassaris contra prædictos fratres, quia visæ fuerunt satis illiquidæ, ideoque non admittendæ contra creditum liquidum. *l. fin. C. de compens. l. bona fides ff. deposit. §. in bonæ fidei. Instit. de act.* maxime obligatione vallatum. *Cassad. decis. vnic. de mut. petit. Gallcs. ad form. Cam. parte 4. q. 1. num. 17. & q. 2. num. 6.* Rota in causa Romana grani. 22. Martii 1574. coram Robusterio. relat. inter impress. decis. 627. num. 3. p. 1. Interamnen. Mercium 4. Iunij 1594. coram bon. me. Penia, & in Romana vsufructus, seu Saluiani 7. Iunij coram me.

R. P. D. ANDREA.

Mediolanen. Beneficij. Lunæ 10. Martij. 1614.

ARGVMENTVM.

Plura in hac decisione notanda explicantur quæ possessionis manutentionem respiciunt, de quibus in Summario.

SVMMARIVM.

Mandatum de manutenendo dandum est Possessori tempore motæ litis. nu. 1.

Possessio probatur ex instrumento adeptionis alio non possidente. nu. 1.

Possessio præsumitur iusta, legitima, & non vitiosa. nu. 2.

Confessio qualificata potest pro parte acceptari reiecta qualitate, quando qualitas habet præsumptionem contra se. eod. num. 2.

Iudex priuat possessorem sua possessione absque alia eiectione si rite, & recte procedit, secus si nulliter. nu. 3.

Possessor sua possessione priuandus non est absque citatione. num. 4.

Clausula vocatis vocandis operatur, vt quis sua possessione priuari non debeat sine citatione. nu. 4.

Citatio facienda est in loco, vbi quis tempore citationis moratur, non vbi alias morabatur. nu. 5.

Officiali attestanti de his quæ pertinent ad eius officium creditur. nu. 5.

Decretum irritans non inficit possessionem, quando non est super certo corpore beneficij. nu. 6.

Executor merus efficitur mixtus, quando in exequutione sibi commissa adest clausula vocatis, & cet. & Amoto, &c. num. 7. vbi amplius quod ab eius sententia detur appellatio.

Gratiosæ subrogationis priuilegium cessat, quando prouisus fuit quis ab Ordinario habente facultatem conferendi Beneficia etiam litigiosa. nu. 8.

Possessorium summarissimum leuioribus probationibus est contentum. nu. 9.

DECISIO DXXV.

1 FVit resolutum esse dandum mandatum de manutenendo Alphonso Castillioneo, quia constat de illius possessione tempore motæ litis. §. hodie institut. de interdict. & sæpius fuit decisum. Possessio probatur non solum ex instrumento illius adeptionis, quod probat alio non possidente. *l. prædia. cũ notat. ff. de acquirend. possess. Menoch. de retin. remed. 3. numer. 575. Fastol. dub. 41. Cæs. de Grass. decis. 5. in princ. de caus. possess. & Priet.* & fuit dictum in Hispalen. beneficii 21. Martii 1610. coram bon. mem. Penia, & de anno præterito in Regien. beneficii 15. Nouembris coram Reuerendo P. D. meo Dunozetto.

2 Verum etiam ex confessione partis in sua gratia quod Alphonsus erat intrusus, quæ confessio cum habeat præsumptionem iuris contra se, ex quo possessio præsumitur iusta, legitima, & non vitiosa. *Aym. consi. 150. num. 5.* potest acceptari respectu possessionis reiecta qualitate vitij, vt tenuit Rot. in Pennen. & Adrien. beneficiorum coram Cantuccio inter impress. diuers. 802. parte prima, quæ decisio fuit recepta in Romana Domus 5. Martij 1610. coram Archiepiscopo Bononiensi, & in Hispalen. beneficiorum. 10. Iunij 1611. coram Reuerendo Patre Domino meo Pamphilio.

3 Non obstat, quod Bertolazius fuerit immissus in possessionem authoritate iudicis exequutoris, qui sine alia eiectione priuat possessorem sua possessione iuxta doctr. *Angel. in l. clam possidere. §. qui ad nundinas. num. 2. in fin. ff. de acquir. possess. & Compostell. in c. transmissam. numer. 3. versic. de possessione alterius. de elect. Rot. dicta decis. 802. num. 1. part. 1. & decis. 62. numer. 3. part. 2.* Quia hoc intelligitur, vbi iudex recte, & rite procedit, secus si nulliter, & iniuste, *Rot. dicta decis. 802. num. 7. vers. quia pro responsione*, & fuit dictum in illa Regien.

4 Quod autem Iudex nulliter, & iniuste processerit constat ex eo, quia cum Alphonsus esset citandus, tam ex dispositione iuris communis, quia erat possessor. *cap. licet Episcopus. de præben. in 6.* quam ex forma literarum Apostolicarum, in quibus aderat clausula vocatis dicto Alphonso, & alijs, qui fuerint vocandi. *Rot. dicta decis. 802. num. 8.* Hoc non curauit D. Iudex, sed absque aliqua citatione saltem legitima ad exequutionem processit.

5 Nec obstat, quod Alphonsus fuerit citatus domi, & postea ad valuas, quia iam ipse multis antea mensibus studiorum causa degebat Mediolani in Collegio Calchorum, vt patet ex fide Rectoris Collegij, & propterea ibi, & non vbi alias morabatur erat citandus. *Bart. in l. 4. §. Prætor ait. numer. 9. ff. de damn. infect. Butr. in cap. causam. numer. 7. circa fin. vers.* Item intellige domum. *de dol. & contum.* quæ fides satis visa fuit probare, cum simus in officiali attestante de his, quæ pertinent ad eius officium. *Bart. in l. 2. C. de ponder. lib. 10. Ruin. consil. 56. num. 5. lib. 1. Mandel. consi. 318. nu. 36. Gabr. te test. conclus. 1. num. 19. Paleot. decis. 573. num. 6. par. 3. lib. 3. diuers.* Attenta maxime relatione ipsius Nuncij attestantis sibi fuisse dictum à familia ipsius Alphonsi, domo tunc temporis solitæ habitationis abfuisse.

6 Non obstat, quod possessio Alphonsi sit infecta, postquam ipse fuit prouisus ab ordinario de beneficio litigioso propter decretum irritans, de quo in *cap. 2. vt lit. pend. in 6.* Quia cum Illustrissimus Cardinalis Archiepiscopus habeat indultum conferendi in specie beneficia litigiosa, vt in copia, quæ fuit data, cessat dispositio *d. cap. 2.* Præterea decretum irritans non inficit possessionem, quando non est super certo corpore beneficij. *Cassad. decis. 1. num. 2. de rest. spoliat. Put. decis. 50. num. 2. & decis. 99. num. 11. lib. 1.* Et fuit plures decisum.

7 Quæ eo magis Dominis placuerunt, quia Bertosius non iustificauit suam gratiam, in qua plura fuerunt narrata, & signanter quod Alphonsus nullo saltem Canonico titulo, iurisue adminiculo desuper suffragante se in Cappellaniam intrusit, & adhuc detinebat illam indebite occupatam. Quæ omnia coram exequutore discuti debebant, propter dictam clausulam vocatis dicto Alphonso &c. & amoto exinde dicto Alphonso, &c. quę clausulæ faciunt exequutorem de mero mixtum, & præsupponunt in eo cognitionẽ iurium possidentis, ita quod ab eius sententia detur apellatio. *c. exhibita. & ibi Panorm. nume. 6. Felin. num. 4. de iudic. idem Felin. in c. de cetero. num. 10. de re iudic. Card. consil. 63. in princ. Dec. consi. 233. num. 1. Guido*

Papæ

Papæ decis. 40. num. 3. Rot. decis. 30. de rescript. in nou. & fuit dictum in illa Regien. beneficij, & in Cæsaraugustana dismembrationis 25. Iunij 1607. coram Reuerendissimo Domino meo Damaseno, & in alijs pluribus. Vnde cum prædicta omnia coram exequutore non fuerint discussa, merito, & sententia, & apprehensio possessionis per appellationem fuerunt suspensa, & Alphonsus suam possessionem animo retinuit, in qua venit manutenendus, cum non se habuerit pro spoliato, vt sæpius fuit decisum, & in specie in dicta Regien.

8 Hinc tollitur obiectum gratiosæ subrogationis Bertolasij, quia cum ageretur contra prouisum ab Ordinario, qui in facultatibus habebat potestatem conferendi in specie beneficia litigiosa, vtique cessabat priuilegium gratiosæ subrogationis, & omnia narrata erant iustificanda, vt distinxit Rot. in illa Burgen. de Pancoruo 24. Octobris 1588. coram Gypsio sæpius canonizata.

9 Ad illud autem, quod indultum non erat in forma probanti, fuit responsum, quod cum simus in Curia facile de eius veritate constare potest. Et præsertim quia sumus in possessorio summariissimo, in quo leuiores probationes sufficiunt, *Rot. decis. 375. num. 2. part. 3. lib. 3. diuers.* & fuit dictum in Bergomen. Cappellaniæ 22. Aprilis 1611. coram Reuerendo Patre Domino meo Pirouano. Et ita conclusum. &c.

DECISIO DXXVI.

Barchinonen. Parochialis. Lunæ 10. Martij. 1614.

Impressa Apud Buratto.

DECISIO 37.

REVERENDISSIMO P. DOMINO COCCINO DECANO.

Perusina Laudi. Veneris. 14. Martij. 1614.

ARGVMENTVM.

Correspectiuitas duorum contractuum præsumitur ex eo, quod in eodem loco, & coram ijsdem testibus, eodem die, eademque contextu fuerunt celebrati.

SVMMARIVM.

Correspectiui actus dicuntur, qui vno contextu, & eodem die, & loco. & coram ijsdem testibus fiunt. numero primo.

Correspectiuos in dubio iudicandum est fuisse contractus. num. 1.

Solutionem dotis non fuisse factam deprehenditur ex eo, quod promissa fuerunt alimenta, quæ alias frustra essent promissa. num. 1.

DECISIO DXXVII.

1 IAcobus promisit dare in vxorem Franciscam filiam Iosepho filio Vincentii ipso Vincentio, & Iacobo stipulantibus, & pro dote promisit Scuta tria milla videlicet duo milla de præsenti, quę dicta Vincentius confessus fuit recepisse ante confectionem Instrumenti, item dictus Vincentius permisit mediante eadem stipulatione dare in vxorem Raphaelam filiam Ioanni Francisco filio dicti Iacobi ipso Iacobo & filio stipulantibus, qui etiam confessi fuerunt recepisse Scuta duo millia pro dote dictæ Raphaelæ, vnde cum non fuerit secutum matrimonium inter Iosephum, & Franciscam, & Ioan. Franciscus petat dotem Raphaelæ, eique opponatur de dicta confessione, dubitaui, an ex confessione dictorum Iacobi, & Ioannis Francisci probetur solutio Scutorum duorum millium, vel potius dicta confessio sit correspectiua ad confessionem Vincentij. Et Domini responderunt pro correspectiuitate. Nam quando duo contractus eodem die, eodem que contextu, & in eodem loco, & coram eisdem testibus fuerunt celebrati, mutua contemplatione facti intelliguntur. *Bald. in l. petens. numero 49. C. de pact. Alexand. consilio. 90. numer. 8. versic. non obstat. lib. 3.* & late prosequitur. *Cardin. Mantica. de tacit. libro secundo. tit. 3. numero 20. & libro tertio, tit. 15. num. 50.* Et veritas optime deprehenditur, quia cum matrimonium tunc non posset fieri inter Franciscam, & Iosephum, sed dilatio esse data ad quatuor annos, & statim fuerit contractum inter Ioan. Franciscum, & Raphaelam, fuit conuentum, quod durante dicto quadriennio Vincentius teneretur soluere alimenta Ioann. Francisco, iuxta quantitatem inter eos taxatam, signum euidens, quod confessio fuit correspectiua, & simulata ad confessionem alterius, quia si pecuniæ vere fuissent solutæ, frustra fuissent promissa dicta alimenta, vnde nedum debet iudicari pro correspectiuitate, ex quo materia est dubia, vt voluit *Cardinal. Mantic. vbi supra*, sed etiam quia videtur res clara, & aperta. Ex quibus fuit conclum pro correspectiuitate &c.

SOLI TRINO, ET VNI GLORIA.

FINIS TOMI PRIMI PARTIS SECVNDÆ.

DECI-



DECISIONES ROTÆ.

R. P. D. VEROSPIO.

Bononien. de Guidalottis. Veneris 14. Martij. 1614.

ARGVMENTVM.

Creditor hæres in parte non confundit actiones suas nisi pro rata suæ partis, & ideo si ex forma statuti bona reliqua sibi adiudicat pro suo credito, facta legatariis, & creditoribus interpellatione facit fructus suos.

SVMMARIVM.

Hæres cum inuentario pro suo credito potest implorare officium iudicis, & petere bonorum hæreditariorum separationem, & assignationem citatis creditoribus, & legatarijs, quia scilicet non fuerunt confusæ actiones. nu. 1.
Hæres pro parte bonorum sine inuentario, si sit etiam creditor hæreditatis, pro illis partibus in quibus non est hæres non confundit actiones. uu. 1.
Factum generaliter esse dicitur quod mora & impedimento alterius fieri prohibetur. nu. 2.
Actor in actione personali consequi debet id omne, quod litis contestatæ tempore fuisset habiturus. nu. 2.
Statutum Bononiæ in vol. crim. folio 80. permittit creditori bona debitoris vendere, & apud se pro iusto pretio per iudicem declarando retinere. nu. 2. in fine.
Boni hæredis sunt hypothecata pro solutione dotis filiorum testatoris. nu. 3.
Dos succedit loco legitimæ. nu. 3.
Legitima in corporibus hæreditarijs vna cum fructibus à die mortis debetur. nu. 3.
Soluens pro alio, & retinens bona eius, pro quo soluit, succedit in locum illius, cui soluitur. nu. 4.
Adiudicatio bonorum in solutum sortitur naturam venditionis. nu. 3.
Emptori sicuti quando rei non fit traditio debentur fructus, ita etiam ei cui culpa debitoris non fuit facta adiudicatio bonorum in solutum. nu. 3.
Fructus percepti ante pretij declarationem sunt emptoris. nu. tertio.
Fructus emptori ante rei traditionem debentur ex mera æquitate, ne venditor eodem tempore gaudeat & vi pretio, & fructibus rei. nu. 3.
Adiudicatio bonorum quæ debent fieri pro iusto pretio, dicitur æstimatio certa, & à lege facta. nu. 4.
Mora detegitur per iudicialem interpellationem. nu. 4.
Fructus à die moræ peti possunt. nu. 4.
L. 1. & 2. C. de pig. act. limitatur, vt hic. nu. 5.
Creditor retinens bona debitoris tamquam in pignus, quæque de proximo ei sunt adiudicanda in solutum, vel quæ debitor non curat, facit fructus suos. nu. 6.
Bona fides ad faciendos fructus suos semper præsumitur, etiamsi quis possideat sine titulo. nu. 7.
Causa quælibet etiam bestialis, & temeraria excusat à fructuum restitutione. nu. 7.
Petitionis hæreditatis vniuersale iudicium comprehendit etiam fructus. nu. 8.
Fallit quando possessor fuit bonæ fidei, quia facit fructus suos. nu. 8.

DECISIO DXXVIII.

1 Vm per binas decisiones coram me firmatumfuerit, Pliniũ vigore statuti Bononiensis hæreditatem Antonij ipsius ex fratre nepotis pro quinta parte sibi delatam adiuisse, & per cõsequens quo ad illam suos fecisse fructus. Dubio super alijs à me proposito fuit responsũ à die iudicialis interpellationis, qua de anno 1585. pro eiusdem parte fuit petitum ipsi bona hæreditaria pro suo credito in solutum adiudicari. Plinium suos pariter fructus effecisse: Cum enim ex calculo, & statu totius negotij firmato coram bo. me. Penia, nec nõ eius particulari dec. 17. Iunij 1611. statutum fuerit tempore obitus Antonii de Anno 1580. creditum æstimationi fere bonorum hæreditariorum æquiualens fuisse, fructib. etiam ab Anno 1569. post mortem Andreæ patris Antonij computatis, & relicta ad fauorem Plinij in suspẽso partita Scut. 946. sequebatur vt in defectum pecuniarum illi bona venirent adiudicanda. Nam sicut hæres cum inuentario pro suo credito potest iudicis officium implorando petere bonorum hęreditariorũ separationem & assignationem citatis Creditorib. & Legatariis, quia confuse non fuerunt actiones, *Bal. in l. debitori, n. 4. vers. sed posse. C. de pact. vbi Alex. n. 5. vers. 2. sequeretur referens ita seruari fecisse, Ias. n. 3. Dec. nu. 17. Curt. iun. n. 25. vbi de communi, Bal. in l. fin. §. in computatione. n. 4. C. de iur. delib. Ruin. cons. 57. in fin. lib. 2. Rol. de inuent. par. 4. vtil. 10. n. 6.* Eadem ratione potuit Plinius licet sine inuentario hæres id facere; cum respectu partium pro quib. non est hæres, actiones confusæ non fuerint. *l. si adulta. vbi gl. Bar. Ang. et Salic. C. de hæred. act. l. si vxor. vbi Bald. Salic. & Cast. C. de bon. auth. iud. possid.* Et propterea censeri debet à die petitionis adiudicatio facta, quamuis sorores Antonij cohæredes in mora constitutæ iniustis litib. conatæ fuerint illam protrahere. *l. si creditoris. C. de fideicom. l. 2. ff. de euict.* & in simili fuit dictũ in Romana Saluiani interdicti 28. Nouembris 1611. coram Reuerendiss. D. meo Damasceno.

Cum generaliter in omnibus causis pro facto accipiatur, quod mora & impedimento alterius fieri prohibetur, *l. in omnib.40. ff. de reg.iur. iuxta Pandect. Florentinas.* Adeo vt etiam actor in actione personali cōsequi valeat id omne, quod litis contestatæ tempore fuisset habiturus, *l. cum fundus 31. ff. si cert.petat.l. videamus, 19. in fin. leg. 2. vbi Bart. num. 2. & l. videamus, 38. §. si actionem. ff. de vsur. Surd.* qui etiam in actionibus stricti iuris, & alios refert *dec. 172. numer. 2.* Quæ tanto magis procedunt respectu duarum partiarum pro quibus in dicto calculo, & statu firmatum fuit Plinium creditorem remansisse prima partita erat de Scutis 3315. aureis illi debitis in vim duplicis instrumenti cum hypotheca &, pacto precarij per quod vigore statuti *Bonon. in vol. crim. fol. 80.* creditori permittitur bona debitoris vendere, & apud se pro iusto pretio per Iudicem declarando retinere. De quo statuto in eisdem terminis adiudicationis in solutum faciendæ, late *Grat. cons. 37. col. 1. & 2. lib. 1.*

3 Altera partita erat Scut. 6000. quæ Plinius pro dotibus neptum soluerat, & sicut vigore statuti Bononiensis de successione liberorū patre vel matre mortua ab intestato, *§. alijs vero. & §. seq.* dictæ neptes expresse, & specialiter hypothecata habebant Antonij bona tanquam Andreæ communis patris, nec non petere poterant illa sibi pro dotibus adiudicari, & hoc ius & facultatem ad hæredes transmittebant, & sic dos succedebat loco legitimæ, *Bald. cons. 419. libr. 3. & in hoc. statuto Grat. cons. 160. a num. 34. ad numer. 39. libr. 2.* Quæ in corporibus hæreditarijs vna cum fructibus à die mortis debebatur, *l. scimus, §. repletionem, & leg. quoniam in priorib. C. de inof. testam.* Eadem ratione Plinius tanquam istorum bonorum possessor ad effectum ea retinendi per solutionem dictis puellis factā in illarum locum successit, *l. si potiores, C. de his qui, in prior. cred. loc. succed. Beninten d. dec. 50. nu. 2. & 3. Magon. dec. Florentina 59. nu. 3.* & fuit dictum in Placentina Saluiani interdicti 16. Iunij 1589. coram bo. mem. Card. Mantica. Et cum haberet idem ius erat illi procul dubio facienda pariter adiudicatio petita, & datio bonorum in solutum quæ naturam venditionis sortitur. *l. eleganter, & ibi Bart. Bald. Castr. ff. de pign. act. Tiraq. de retract. lignag. §. 1. gl. 14. nu. 1.* Stante igitur quod culpa, & negligentia dd. neptum hæc sequuta nōdum fuerint, debentur Plinio fructus bonorum adiudicādorum, sicut emptori debentur cui non sit rei traditio. *l. curabit. C. de action. empt. vbi DD. & præsertim Cagn. n. 37. & seq. Natt. cons. 384. nu. 12.* Et quamuis bonorum assignationem præcedere debuisset illorum æstimatio, adhuc tamen ea non sequuta Plinius faciebat fructus suos, prout facit emptor cui res vendita fuit pro pretio declarando, etiam antequam illud declaretur, *Io. de Anan. cons. 19. nu. 13. & seq. & ibi Bologn. nu. 21. Fabr. cons. 57. in princ. & nu. 4. & cons. 64. nu. 58. & seq. lib. 1. Thesaur. dec. 288. Card. Mant. de tacit. & ambig. libr. 4. tit. 19. nu. 44.* Ratio autem à dd. DD. assignatur quia fructus debentur ex mera æquitate ne quis pretio rei, & fructibus gaudeat *d. l. curabit. vbi Cagn. n. 31.* tanto magis cum adiudicatio facienda esset pro iusto pretio & sic dicebatur æstimatio certa, & à lege fact. censebatur, *Soc. cons. 60. nu. 1. lib. 3.*

4 Præterea cum d. Plinij creditum esse clarum & liquidum, vt per calculum, & decisionem coram bon. mem. Penia, nec non concurreret certitudo lucri cessantis, nam facta sibi assignatione Plinius fructus bonorum de quibus agitur fuisset consequutus, & cum per iudicialem interpellationem & litem super adiudicatione satis detegatur mora, *l. mora. ff. de vsur. l. si ex legati causa, ff. de verb. oblig.* verificata remanent tria Castr. requisita, & per consequens si à dicta die Plinius istos fructus petere potuit, *Castr. in l. diuortio ante nu. 2. ff. solut. matr. Alex. cons. 69. nu. 4. lib. 1. cum alijs per Rolan. cons. 35. nu. 5. & 6. & 18. lib. 1.* Multo magis perceptos retinere & suos facere valuit.

5 Vlterius ex quo dicta bona Plinius non amplius, vt administrator possidebat cum de anno 1580. post obitum Antonij cessasset illius administratio, vt in alia decisione 3. Iunij preteriti coram me dictum fuit per hanc petitionem bene declarat videtur eiusdem voluntas, & credulitas, quod ista bona penes ipsum dimissa fuissent animo nō reluendi tanquam pro equiualēti summa hypothecata, dum non solum pro eius parte petita fuisset illorum adiudicatio, sed reseruata etiam fuissent iura consequendi residuum crediti pro summa, quæ dd. bonorum valorem excedebat; Vnde tanto magis intrat cōclusio, quod ab illa die Plinius licet creditor suos fecerit fructus ex quo creditum valori bonorum æquiualebat, quam conclusionē in his proprijs terminis pro limitatione regulæ *in l. 1. & 2. C. de pign. act. ponit Alex. in l. 1. §. per seruum corporaliter n. 7. vers. vna tamen datur limitatio, qui regulam posuerat, n. 5. & ibi Socin. n. 11. & 12. in fin.* dicit communem, & in iudicando sequendam, *ff. de acq. poss. Neguss. de pign. in 1. memb. tertiæ partis, nu. 29. & 30.* Ita quoq; ad similem effectum consideratur interpellatio debitoris, vt de pignore creditor disponere possit, *leg. si conuenerit. ff. de pignor. act.*

6 Nec videtur posse controuerti Plinium qui sciebat adiudicationem petitam sibi deberi tanquam summę equiualentis & fortasse maioris creditori, iustam habuisse causam dicta bona retinendi vti propria, de relicta, & sibi de proximo plene adiudicanda. *Bal. in l. creditor. 28. nu. 2. ff. si cert. pet.* Quæ sola quamuis erronea credulitas sufficeret, vt ille suos fructus effecisset, *l. igitur. 12. vers. potest. ff. de liberal. caus. l. sed & si l. 28. §. scire. ff. de pet. hæred. Alciat. reg. 3. præsumpt. 5. nu. 2.*

7 Hęc autem omnia etiam singula de per se videntur sufficere, si non pro titulo adiudicationis in solutum vt dictum est, saltem ad excludendam malam fidem Plinij, quod satis esset ad faciendos fructus suos, *Bart. in l. sed & si lege, §. re nu. 4. in fin. ff. de pet. hæred. Rot. decis. 577. nu. 15. p. 1. diuers.* & vlterius ad inducendam bonam fidem, quæ sine aliquo titulo sufficit *§. si quis à non Domino instit. de rer. diuis.* cum quælibet causa etiā temeraria, & bestialis possessorem excuset à fructuum restitutione. *Bart. & alij in l. Celsus. ff. de præscript. late Becc. cons. 95. nu. 15.* & qualis qualis occasio possidendi, *Bald. in l. irritum. nu. 3. C. de vsucap. pro don. Surd. dec. 211. n. 7.* & late fuit deductum in Auximana spolij 3. Decemb. 1610. & 4. Martij 1611. coram R.P.D. meo Pirouano.

8 Nec valet dicere fructus deberi pro suis portionib. puellis de Guidalottis, pro quarum parte fuit postea iudicium vniuersale petitionis hæreditatis intentatū in quo fructus veniunt. *Affl. dec. 240. num. 2. & seq.* hoc enim procedit, quando possessor suos fructus nō fecit vt in casu Afflicti, in quo vt ipse dicit mala fides defuncti obstabat hæredi possessori, secus quando possessor illos fecit suos vt hic ex prædictis conclusum fuit *l. 1. vers. vsuras, C. de pet. hæred. l. Item veniunt. §. præter. versic. eos autem, & leg. sed & si lege 28. §. consuluit. ff. eodem.* An autem Plinius ab initio suos fructus fecerit, quia tam coram bon. mem. Penia quam coram me negatiue fuit resolutum DD. placuit vt hoc particulariter videretur.

DECISIO DXXIX.

Ferrarien. pecuniariæ, Veneris 14. Martij 1614.

Impressa Apud Buratto.

DECISIO 40.

DE-

DECISIO DXXX.

Tiburtina Calcarearum. Veneris 14. Martij. 1614.

Impressa Apud Buratto.

DECISIO 38.

DECISIO DXXXI.

Hispalen. Cappellaniæ. Veneris. 14. Martij. 1614.

Impressa Apud Buratto.

DECISIO 39.

DECISIO DXXXII.

Romana Grani. Veneris 11. Aprilis. 1614.

Impressa Apud Buratto.

DECISIO 41.

R. P. D. PAMPHILIO.

Burgen. Iuris præsidendi. Veneris 11. Aprilis 1614.

ARGVMENTVM.

Iurisdictio potest competere, & censetur concessa cumulatiue non autem priuatiue quo ad superiorem item Decanus vbi est prima dignitas in ecclesia habet assistentiam iuris communis quo ad præeminentiam in alios presbyteros ecclesiæ, & quando Decanus dicatur prima dignitas.

SVMMARIVM.

1 *Iurisdictiones quæ à pluribus inferioribus possideri possunt numquam censentur priuatiue quoad superiorem concessæ. nu. 1.*

Mandatum de manutenendo potest dari vtrique parti cumulatiue. nu. 1.

Iurisdictio quæ competit fauore cultus diuini non censetur concessa priuatiue quo ad ordinarium vbi omnes simul ad cultum diuinum aggregantur. nu. 2.

Incompatibilitas quæ non potest considerari inter tres iudices non poterit etiam considerari inter quatuor. nu. 2.

Testes qui sunt viri insignes præferuntur alijs licet numero pluribus. nu. 3.

Iurisdictio specialis censetur potius concessa cumulatiue, quã priuatiue. nu. 4.

Decanatus dicitur dignitas in Ecclesia. nu. 4.

Archipresbyter decanus presbyterorum appellatur. nu. 5.

Decanus vbi non adest archipresbyter succedit in locum ipsius. nu. 5.

Decanus vbi non adest archidiaconus succedit in locum ipsius. nu. 5.

Dignitas maior in Ecclesia habet assistentiam iuris communis quo ad præeminentiam. nu. 5.

Decanus quando succedit in locum Archipresbyteri, & Archidiaconi illorum etiam iure vti potest. nu. 6.

DECISIO DXXXIII.

1 Censuerunt Domini standum esse in secundo loco decisis nempe mandatum de manutenendo, dandum esse cumulatiue Decano & iudicibus quatuor temporum quia non minus constat de quasi possessione Decani ex testibus pro eius parte examinatis, quam ex alijs examinatis pro parte Capituli de quasi possessione Iudicum quo casu in similibus præeminentijs, & iurisdictionibus, quæ à pluribus in solidũ possideri possunt & inferioribus nunquam priuatiue in dubio ad superiorem concessæ censentur. *Bursat. cons. 391. n. 1. & seqq. Couar. in c. alma mater §. fin. n. 3. de sent. excom. p. 1.* Rota in Rota in causa Piscien. Iurisdictionis 15. Iun. 1590. coram bon. mem. Card. Platto, vtriq; cumulatiue dandum est manutentio. *Io. Faber. in §. retinendæ. num. 19. vers. si vero omnia ista essent inst. de interd. Menoch. de retinend. remed. 3. nu. 756. vers. procedere etiam potest cum alijs in dec. adduc.*

2 Nec aliqua incompatibilitas in casu isto visa fuit Dominis considerari posse, ex quo posses. vtriusque partis tendit ad eundem effectum siletij in choro seruandi vt in specie de iurisdictio quæ competit fauore cultus diuini quod non censeatur concessa Decano priuatiue ad ordinarium, vbi omnes simul ad cultum diuinum aggregantur post *Aret. cons. 102. n. 1. trad. Burs. d. cons. 391. sub nu. 27. vers. nec quartum,* & ponderarunt Domini quod sicut non cadit incompatibilitas inter ipsos iudices qui sunt tres ita cadere non potest si addatur Decanus pro quarto qui sua quasi possessione vti poterit. *Rim. iun. §. 1. nu. 181. & seq. inst. de don. Bursat. d. cons. 391. nu. 26.*

3 Nec refragantur testes Capituli qui conantur deponere de quasi possess. iudicum priuatiue ad quasi possessionem Decani, quia præter illos actus qui dederunt causam liti de quibus fuit dictum in alia decisione in alijs non discrepant à testib. Decani ex quo deponunt de quasi possessione iudicium simpliciter qui propterea intelligẽdi sunt de quasi possessione cumulatiua non autem priuatiua ad Decanum nisi illud exprimantur ex supradictis. Et ex his visum fuit cessare quod testes Capituli sint numero plures & propterea in concursu præferẽdi quia vltra quod supradicti testes sunt inter se compatibiles, ad trad. *per Menoch. d. remed. 3. sub n. 356. vers. verum hæc ratio.* fuit etiam dictũ quod testes Decani sunt omnes viri insignes, & sic ẽt in concursu præferendi alijs, licet essent plures *Gabr. de test. concl. 4. nu. 34. & 56. cum alijs allegatis.*

4 Cessat etiam quod possessio iudicum sit antiquior & titulatur ex dispositione iuris communis quam statuti quia id procederet si possessio iudicum esse incompatibilis, alias enim donec causa terminatur in petitorio vnusquisq; est in sua possessione manutenẽdus ex suprascriptis. Præterea placuit etiam responsio quo ad statutum quod illius dispositio non minus Decano quam iudicibus assistat ex quo vel in eo præseruatur authoritas & præeminentia Decani vel in dubio præseruata intelligitur nisi aliud exprimatur ex *trad. per Ias. in l. quod in rerum. §. si quis nu. 8. ff. de leg. 1. Rot. in d. causa Pescien. iurisdictionis coram Platto* quo vero ad dispositionem iuris communis licet in casu isto præualere debeat dispositio statuti vel consuetudo ex adductis & in alijs decisionibus, placuit tamen Dominis quod ius commune quatenus sit attendendum magis assistat Decano quam iudicib. & mouebantur ex eo quia Decanatus est dignitas in ecclesia *cap. innouamus. 60. distinct. faciunt not. per gloss. in rubr. C. de Decano lib. 12. & ibi Lucas de Pen. Rot. distinct. 17. ante fin. vers. ego vero allegabam. de conces. præben. in nou.*

5 Imo cum in ecclesia de qua agitur non adsit Archipresbyter qui Decanus presbyterorum appellatur

cap.ad hæc de offic. Archid. d. cap. innouamus. 60. distinct. & illis præest in ijs quæ Sacerdotalis Officij sunt *cap. 1. & 2. de offic. Archipresbyt. Petr. Greg. Tholos. Syntagmat. iuris. lib. 15. capit. 21.* Decanus vtique succedit in locum ipsius, *Rota decis. 4. post princip. de elect. in nou. Francisc. Marc. decisione 1367. numer. 5. part. 1.* prout etiam in locum Archidiaconi si ipse quoque desit *Cardin. consil. 62. num. 1.* & consequenter vti prima dignitas & caput in ista ecclesia quod ad præeminentiam, in alijs partibus habet assistentiam iuris communis *iuxt. decis. Put. 210. num. 2. lib. 3. faciunt trad. per Rot. d. dec. 4. num. 1. circa med. de elect. in nou. & per Concil. Basilien. sess. 21. tit. quom. diu. offic. in eccles. sit celebr. §. si quis* Principem ibi super his debite obseruandum alijsque ad diuini officij prosecutionem ac chori disciplinam spectantibus. Decanus vel cui onus incumbit inuigilet & cæt. quę verba vel cui onus incumbit gloss. ibi exemplificat in Primicerio seu cantore, qui in ista ecclesia deest ita vt tanto magis superius deducta in hoc casu locum sibi vendicent.

6 Nec refragatur quod officium Decani non nominetur inter alia officia ecclesiastica Archidiacon. Archipresbyter. & aliorum ex quo enim in ecclesia de qua agitur desunt Archidiaconus, & Archipresbyter Decanus qui in illorum locum succedit illorum etiã iure vti potest *Rota dist. 17. post princ. de concess. præben. in nou.* & ita decisum omissis alijs deductis pro parte Capituli quæ per Informantes pro Decano, & ex alijs supra deductis bene remanent sublata.

R. P. D. PAMPHILIO.

Recanaten. Prædij. Lunæ 14. Aprilis 1614.

ARGVMENTVM.

Transactio generalibus verbis, & clausulis contracta debet restringi ad id, de quo dubium, & lis erat.

SVMMARIVM.

Sententiæ iniustitiæ est sufficiens causa restitutionis in integrum. nu. 1.

Dominium spectat ad eum, qui ex secundo decreto immissus est in possessionem à iudice. nu. 2.

Actus restrictus ad certam causam non debet vltra illam operari. nu. 3.

Verba generalia in transactione apposita restringatur ad ea, de quibus agebatur. nu. 4.

Clausula pro omni eo &c. restringitur ad ea de quibus agitur num. 4.

Transactio fit de re dubia. nu. 5.

Pretij quantitas arguit quid in cessione veniat. nu. 5.

Restitutio pluries concessa, & iterum petita, & denegata, ex noua causa debet concedi. nu. 6.

DECISIO DXXXIV.

1 FVit resolutum constare causis restitutionis in integrum ex iniustitia sententiæ ad fauorem Fratrum S. Ioannis latæ, quæ ad istum effectum sufficiens reputatur. *Rot. dec. 1. de restit. in integr. in nou. & dec. 5. eod. tit. in antiq. Mohedan. dec. 58. in fine, Caputaq. decisio. 94. part. 3.*

2 Iniustitia vero clare deducitur, quia sententia declarat prædium, de quo agitur, pleno iure spectare ad supradictos fratres S. Ioann. tanquam donatarios Semideæ, cum tamen vere spectaret ad Franciscum Patre Blondæ, qui mediante deliberatione pro vero credito Flor. 375. ad instantiam Iulij per iudicem sibi vti maiori oblatori legitime facta in illius possessionem ex secundo decreto immissus fuit, & consequenter titulo emptionis dicitur illius dominus effectus, *ad tex. in l. quid vendidi. ff. de contrahen. empt. §. venditæ vero. Instit. de rer. diuis. cum similibus.*

3 Nec obstare quod per transactionem de anno 1591. inter Iulium & Semideam initam supradictum creditum Floren. 375. remissum fuerit, quia placuit Dominis responsio, quod ista transactio fuit tantum facta occasione litis motæ super hæreditate Hieronymæ, in qua prætendebat succedere tam Iulius, quam Semidea, & ad illam tantum restricta, vt colligitur ex illius lectura, & præcipue ex illis verbis ibi, vnde volentes super hoc lites dirimere &c. que non possunt ad aliud referri nisi ad successionem in dicta hæreditate. Ideoque transactio vti restricta ad certam causam, non debet vltra eam extendi, ita vt comprehendat creditum quod Iulio competebat ex alia causa quam successionis. *l. si de certa. vbi Castrens. num. 1. vers. & pone casum. Cod. de transactionibus. Natt. cons. 546. num. 7. & seq. Surd. decis. 217. num. 6. & sequent. cum alijs late adductis per Gabriel. de reg. iur. concl. 4. num. 21.* & tenuit Rota in causa Seguntina iurisdictionis 16. Iunij 1589. coram bon. memor. Cardinale Platto.

4 Non obstat, quod in dicta transactione fuerit Iulio assignatum quoddam prædium pro omni & toto eo quod prætendere posset super dicta hæreditate, & Iulius pro eo quietauerit Semideam, & promiserat eam, eiusque hæredes non molestare quauis occasione, vel causa, quia fuit responsum quod licet ista verba sint satis generalia: Tamen esse restringenda ad prætensiones super successiones ibi expressas, & de quibus agebatur in terminis clausulæ pro omni, & toto eo, & cæt. *trad. Calcan. consil. 19. num. 3. vers. & licet dicatur. Corn. in d. leg. si de certa. num. 1. versic. similiter Cod. de transact. Gabriel. de reg. iur. d. conclus. 4. num. 31. versic. vel si dictum sit. Surd. d. decis. 217. num. 15.* & de clausula quauis occasione vel causa, *Bartol. cons. 90. num. 5. Corn. cons. 168. numer. 9.* circa finem versicul. Idcirco cum in casu nostro *volum. primo. Socin. consil. 214. sub num. 1. versic. confirmantur præmissa. Gabriel. de regul. iur. d. conclusione 4. num. 31.* Nec ratio recti sermonis aliud suadere videbatur, quia cum ibi ageretur de successione tantum satis commode possunt supradicta verba generalia ad eam restringi, ita vt non possit Iulius ex vllo capite dictam successionem prætendere, & Semideam in ea aliqua ex causa, vel occasione molestare, ad tradit. per *Castrens. in d. leg. si de certa. num. 2. vers. sed si subest. Cod. de transact. Corn. d. cons. 168. sub num. 9. versic. & idem tamen velle. lib. 1. Surd. d. dec. 217. num. 6. in fine. & seqq. cum alijs supra adductis.*

5 Et hoc eo facilius suadetur in casu isto ex eo quia creditum Iulij erat clarum & liquidum ex publico instrumento, nec inter supradictas partes de eo aliqua poterat esse controuersia seu lis quo casu tanto minus potest illud dici comprehensum in transactione quæ de re dubia, & lite incerta fieri solet. *leg. 1. ff. de transact. Castrens. in dict. leg. si de certa. num. 1. versicul. Item possunt intelligi. C. eod. tit. & dixit Rota in causa Carpentoraten. Bonorum de anno 1576. vt in decis. relat. inter impress. 63. num. 2. par. prima, diuers.* & aliter factum non valet *Decian. consil. 351. num. 3. Surd. decis. 185. num. decimo.* Et fuit dictum in causa nullius Castri Montis Portij coram Rubeo, *vt in decis. relat. inter impress. 582. num. 2. part. 1. diuers.* Maxime quia creditum prædictum erat longe maioris valoris, quam prædium Iulio in transactione assignatum, ideo nullo modo censeri debet, quod Iulius præter iura sibi competentia quo ad successionem in prædicta hæreditate ex illis verbis generalibus voluerit etiam huiusmodi creditum remittere, ex quantitate enim pretij arguitur quid veniat in cessione. *Bald. in leg. liberti, libertæq. numero 28. in fine. Codic. de oper. libert. & faciunt trad. per Bartol. in leg. cum taberna, versicul. quod autem dixi. ff. de pignor. Alexand. consil. 222. in fin. libro sexto, Aymon. cons. 234. num. 3.*

num.3. vers.4. *An aliquid Paris. cons.20. nu.57. lib.1. Affl. decis.68. nu.2.*

6 Ad id autem quod Blonda petierit alias restitutionem in integrum aduersus rem iudicatam, & nihilominus coram diuersis iudicibus succubuit, & propterea non sit iterum audienda ad text. *in l.1. C. si sæp. in integr. restit. c. fin. & ibi Host. nu.5. de in integr. rest.* placuit responsio quod ex iniustitia sententiæ superius deducta vti noua causa restitutio est conceden. licet fuerit alias denegata iuxta textum *in d. c. fin. de integr. rest. in l.2. C. si sæp. in integr. rest. post.* & tenuit Rota in causa Reatina Castri Portæ 15. Nouembris 1585. coram bon. mem. Grano, & ita decisum.

DECISIO DXXXV.

Comen. Habitus. Lunæ 14. Aprilis 1614.

Impressa Apud Buratto.

DECISIO 42.

DECISIO DXXXVI.

Mediolanen. Processionis, veneris 18. Aprilis 1614.

Impressa Apud Buratto.

DECISIO 43.

DECISIO DXXXVII.

Romana Resignationis Officij. Lunæ 28. Aprilis 1614.

Impressa Apud Buratto.

DECISIO 45.

R. P. D. VEROSPIO.

Narnicen. Fideicommissi de Cardolis. Veneris 2. Maij 1614.

ARGVMENTVM.

Substitutus vulgariter, quando ex coniecturis sit vocatus per fideicommissum, & quando filij positi in conditione censeantur ex coniecturis vocati.

SVMMARIVM.

Substitutioni primæ, vbi non fit locus ceteræ quoque sequentes euanescunt, nu.1. & 5.

Substitutus vulgariter stantibus coniecturis censetur vocatus etiam per fideicommissum, nu.2.

A voluntate testatoris expressa non debet ex qualibet coniectura recedi, nu.2.

Coniecturæ ad inducendum grauamen debent esse necessariæ, & concludentes, & ex verbis testamenti inductæ, numer.2.

Agnationis conseruandæ rationem excludit vocatio feminarum in qualibet parte testamenti. nu.3.

Agnationis conseruandæ rationem excludit facultas alienandi concessa institutis, seu substitutis, nu.4.

Agnationis conseruandæ ratio habita per testatorem, debet intelligi in casu, quo fiet locus substitutioni, nu.4.

Fideicommissum perpetuum censetur inductum, quando testator processit ad plures gradus substitutionibus, numero 5.

Contrarium vero quod id non sit sufficiens ad inducendum fideicommissum, nu.5.

Grauati non censentur, qui non sunt vocati. nu.6.

Filius succedit in bonis liberis Patri ab intestato defuncto, numer.6.

Filij positi in conditione, vt ex coniecturis censeantur vocati coniecturæ debent esse necessariæ, & vrgentes præsertim in extraneis, & non descendentibus à testatore, numer.6.

Filij positi in conditione cum qualitate masculinitatis, & legitimitatis censentur vocati. nu.7.

Fallit quando dicta qualitas potest intelligi adiecta fauore substituti. nu.7.

Filij positi in conditione non censentur vocati etiam si testator processerit ad plures gradus substitutionum. nu. 7.

Filij positi in conditione quando sunt actiue vocati, non censentur passiue grauati, nu.8.

Hæredum appellatione veniunt omnes directe vel indirectæ substituti, & omnis gradus successionis, nu.9.

DECISIO DXXXVIII.

1 AD instantiam Quintiliani Cardoli, contra quem die octaua Nouembris præteriti, fuerat decisum non esse factum ad eius fauorem locum fideicommisso Petronij Cardoli, causa de nouo corã me proposita, non obstantibus aliis in contrarium adductis, Domini steterunt in decisis. Fuit enim dictus Quintilianus, vt habetur in alia decisione, substitutus Neruæ filiis à testatore vocatis in casu, quo illorum pater ipsi testatori prædecessisset, quæ conditio purificata non fuit, cum Nerua superuixerit, Vnde tam eius filiorum institutio, quam substitutio Quintiliani, cum aliis postea subsecutis euanuit.

2 Nec valet dicere, stantibus coniecturis, dicti Neruæ filios per vulgarem vocatos censeri vocatos etiam per fideicommissum, ex *Socin. iun. consil.1. lib.3.* Cum enim claram hic habeamus testatoris intentionem, qui tantum superuiuentiæ casum expressit, non ita de facili ex qualibet coniectura, venit ab illa recedendum. *Bal. cons.174. ad fin. lib.2. Crauet. cons. 47. num. 2. & consil. 102. num.5. Menoch. consil.399. num. 4.* Cum præsertim ad inducendum grauamen, illæ debeant esse coucludentes, & necessariæ. *Ias. Bald. & Paul. de Castr. in l. potest. num.8. ff. de vulg. Alciat. consil. 46. col. 1. & consil.71. col.1. & cons.74. num.2. lib.9. Alba, cons.31. lib.9. Cephal. consil, 447. num.14. & cons. 482. num. 16. Menoch. cons. 339 num. 5.* & quæ ex testamenti verbis inducantur, lege cum proponebatur de leg. 2. & ibi communiter *Doct. Bald. & Paul. de Castr. in d. l. potest. nu. 8. ff. de vulg. idem cons.28. nu.2. lib.2. Ias. cons.143. nu.3. lib. 2. Alciat. cons.494. & cons.71. col.1. & d. cons.74. nu.2. libr. 9. Cagnol. in leg. 1. numer. 55. de pactis Cephal. dict. consil. 447. num.14.*

3 In casu autẽ nostro coniecturæ ex aduersos relatæ, non fuerũt visæ releuãtes. Et prima, quod testator rationẽ habuerit conseruationis agnationis cũ excluserit filias feminas Neruæ, nõ solũ propter illius filios masculos, sed etiã propter ipsũ Quintilianum, & eius filios masculos, Vnde ista Neruæ filias in defectũ masculorũ vocando, videbatur eiusdẽ filios masculos, nõ tantũ per vulgarẽ, sed etiam per fideicommissariam vocasse. *Soc. iun. d. cons.1. lib.3.* Fuit tamen responsũ testatorẽ nullã hic rationem habuisse cõseruationis agnationis, cũ illæ Iustinianũ fratrem suũ excluserit vocando Neruæ filias, in defectũ aliorum hæredum sine filiis masculis quæ vocatio feminarũ in qualibet te-

stamenti parte sufficit ad excludendam ratione agnatis. *Alexand.consil.111.num.10.lib.2.Bald.consil.473. lib.5. Socin. in leg. cum auus. nu.n.82. vers. secundus casus. ff.de condit.& demonstr.Dec.cons.370. num.30. Gozzad.cons.29. nu.3.Soc.iun.cons.6. num.20.vers. nec etiam obstat,& consil. 118.nu.5.lib.1.Curt.iun.cons.172.nu.4.& 5.Aym. cons.180. num.1.& cons.306.nu.5.* & fuit dictum in Viterbien.Fideicommissi coram R.P.D. meo Manzanedo.10. Maij 1613.Quod tanto magis procedit,quando testator super agnatione conseruanda non expressit, vt in casu nostro,voluntatem suam.

4 Præterea testator hic Neruæ Patri filios substituit, sicut substituit filios Quintiliano per vulgarem, si illæ non superuisset, Vnde Nerua,& Quintilianus bona poterant in extraneos alienare,quod voto conseruandæ agnationis repugnat. *Mantica de coniect. vltim. volunt.lib.6. tit.15. num.14. & seq.* & dato etiam nec admisso,ex aliquibus coniecturis argui posse,testatorem habuisse rationem agnationis,hoc tamen esset intelligendum actiue tantum, respectu substitutorum, videlicet in euentum quod substitutioni locus fieret,& sic quatenus Nerua non succederet,vt tenuit *Alexan. cons.139.num.3.& 4.lib.6.Menoch.cons.448.num.14.volum. 4.* Rota in causa Tudertina Fideicommissi. 13. Aprilis 1587. coram Gipsio. Quod fundamentum etiam verum fateter. *Socin.d.cons.1.num.13.vers. si dicat.* Licet ex alijs coniecturis, & præsertim quia testator ibi voluit hæredem vocatum plus vni ex filijs quam alijs legari posse, idem censuerit testatorem inducere voluisse perpetuum fideicommissum ad fauorem agnatorum cum alias non fuisset opus hæredi talem facultatem impartiri, si bona penes ipsum libera remansissent, quæ coniectura, & aliæ per Socinum consideratæ in præsenti casu non militant.

5 Altera coniectura desumebatur,ex quo fuit hic deuentum ad plures gradus substitutionis, vnde infertur testatorem voluisse perpetuum fideicommissum inducere,vt per *Socin. d. cons.1. lib.3.* & alios alleg. hæc tamen coniectura non visa fuit sufficiens ad inducendum fideicommissum. *Soc.sen.in l.cum auus.num.113. in fin.ff.de condit.& demonstr. Ripa in l.centurio. num.165. de vulg. Alciat. consil.89. num.5. lib.9. & cons.117. ad finem. Roland.consil.51. num.9. lib.3.* qui de communi testatur. Ratio autem est,quia omnes istæ substitutiones, factæ videntur in casu euenientis primæ conditionis, videlicet si Nerua testatori non superuixisset,& sic illa deficiente,ceteræ omnes expirarunt,*leg.si mater.§.1. & leg. qui habebat.ff. de vulga. cum alijs allegatis in prima decisione.*

6 Non obstat filios Neruæ tanquam in conditione positos fuisse vocatos,& per consequens grauatos restituere;Nam vltra quod isti positi non fuerunt in cōditione, sed filij tantum filiorum Neruæ, & consequenter vt non vocati, nec censentur grauati. *leg. ab eo.C.de fideicomm.l.sed & sic.§.1. de legat.3. Bart. & alij in l.centurio.de vulg.& pupill.Ias.cons.218.num.9.& 10. lib.2. Cephal. cons. 268. num. 23.* Cum in istis bonis tamquam liberis,ab intestato Patri ex iuris dispositione successerint,iuxta *gloss.in l.Lucius.la 2.ff.de hæred.instit.Couar.in cap.Rainutius.§.3.num.2.de testam.Molin. de primog. lib.1. cap.6. num.1. Caputaq.dec.98.lib.2.in manuscriptis.* Et dato etiam, quod isti positi fuissent in conditione, non tamen ex coniecturis, vt prætenditur, dici possent vocati, cum illæ debeant esse vrgentes, & necessariæ,tanto magis quia non versamur in descendentibus,à testatore,sed potius in extraneis. *Mantic.de coniect. vltim.volunt.lib.11.titul.3.num.28.Cras.de success.§. fideicommissum. quæstio. 14. num. septimo*, & dixit Rota in Bononien. Fideicommissi de Pannolinis. 10. Decembr. 1610. coram Reuerendissimo Lugdunen. In casu autem nostro, tales coniecturæ, vt dictum fuit, non reperiuntur.

7 Nec valet dicere dictos filios fuisse in conditione positos,cum qualitate Masculinitatis,& legitimitatis, & sic censeri per fideicommissum vocatos,& ex *Mantic. de coniect.* vbi supra dato enim quod etiam cum dicta qualitate positi fuissent in conditione, illa tamen intelligeretur adiecta fauore substituti, nec per necesse posset inferri,eandem fuisse appositam,ad inducendum fideicommissum, vt de communi testatur *Alexand. consil.202.num.7.lib.7.Socin.iun.consil.277. num. 9.lib.2.Ripa in d.l.centurio.num.162.ff.de vulg. & pupill.& in l.1.num.3.C.de pactis,& ibi Cagnol.nu.51.Ias.cons.143.nu. 4.lib.Mantua.cons.115.num.18.& seq.Dec.cons.218.& 287. numer. 9.* & fuit dictum in præalleg. Viterbien. Fideicommissi,coram R.P.D. meo Manzanedo,quod procederet etiamsi deuentū fuisset ad plures gradus substitutionum, quia non per hoc in conditione positi, censerentur per fideicommissum vocati. *Cephal.consil. 268.in princip.& num.17.& seq.Gabriel. de fideicomm. conclus.4.num.9.Ruin.cons.101. num.3. & 4. lib.2. de communi testatur Alciat.consil.124.in fin.Roland. consil.51. num. tertio,lib.3.Bursat.consil.1.num.8.Pancir.consil.59. numer.7.& sequent.*

8 Præterea etiam quod dicti filij vocati essent, non tamen grauati censerentur, cum non inferatur, ex quo sunt actiue vocati,eosdem esse passiue grauatos. *Ripa in d. leg. centurio. num.168. Paris. consil.31.numer.28. lib.2.Socin.iun.consil.57.num.4.& 5. lib.4. Crauet. consil.98. num.5.Cephal.consil.514.per tot.Sfort.Oddus consil.66.num. 97.& 106.* & fuit dictum in allegat. Viterbien. Fideicommissi.

9 Non obstat Neruæ filios substitutos non fuisse per vulgarem,sed vna cum patre in eodem gradu institutos, ex quo testator vsus fuit verbis hæredes suos vniuersales instituit, &cæt. & per consequens eosdem fuisse grauatos hæreditatem restituere. Cessat enim obiectum,cum verbum hæredes comprehendat omnes gradus successionis, & omnes directe, vel indirecte substitutos per *text. in l.ex illa parte & l.sciendum.ff. de verb.signif.& l.id tempus.§.in re legata. ff. de vsucap.* & propterea dictos filios non bene infertur, simul cum Nerua Patre,fuisse institutos. Alia quę objiciebantur non fuerunt DD. visa releuantia, vel fuit eis responsum in prima Decisione à qua propterea dictum fuit non esse recedendum, &c.

DECISIO DXXXIX.

Foroliuien. Census. Veneris 2. Maij 1614.

Impressa Apud Buratto.

DECISIO 46.

R. P. D. VBALDO.

Romana Exequutionis. Veneris 2. Maij 1614.

ARGVMENTVM.

Laudum latum ab arbitris, & approbatum à partibus cum solenni iuramento, & obligatione Camerali non impeditur exceptione vsurarum, nisi de eis clare,& perspicue constet.

SVMMARIVM.

Laudum latum ex falsa causa executionem non meretur. nu. primo.

Prælationis,seu inquilinatus ius quod quis non habet,neque potest conductori concludere. nu.2.

Ante-

Antecedentia declarant sequentia. nu.3.
Laudum, & transactio pari passu ambulant. nu.4.
Laudum fit de re dubia in litem deducta sicut transactio, num.4.
Superflua in laudo non præsumuntur. nu.5.
Inquilinus proprie est qui inhabitat conductas ædes prædij Vrbani. num.6.
Auiamentum fit per artifices bene tractando aduentores. num.7.
Auiamentum æstimari potest. nu.7.
Falsitas causæ non potest impedire executionem laudi, à partibus cum iuramento, & obligatione Camerali, nisi falsitas sit vera, & clara. nu.8.
Laudum etiamsi nullum sit, & adsit falsa causa valet in vim pacti, quando fuit à partibus approbatum. num.8.
Obligationis Cameralis executio, vt impediatur ratione falsæ causæ debet esse circa causam finalem obligationis. num.9.
Vsurariæ prauitatis exceptio dubia non impedit executionem instrumenti iurati. num.10.
Compensatio non inducitur de eo, quod requirit altiorem indaginem. num.10.
Exceptio vsurarum, quæ non est clara non impedit executionem laudi obligatione Camerali vallat. nu.11.

DECISIO DXL.

1 Licet in hac causa emanassent duæ decisiones, in quibus fuit firmatum, Mandatum esse relaxandum iuxta tenorem Laudi, de quo agitur, non obstantibus pluribus exceptionibus quæ opponebantur ad retardandam Laudi executionem, tamen quia pars non acquiescebat dictis decisionibus, & prætendebat non fuisse satisfactum omnibus per eam oppositis, volui iterum super eisdem causam proponere, & Domini perstiterunt in decisis ex responsionibus iam deductis in decisionibus, quibus non obstare censuerunt allegatam falsitatem causæ, quasi Baratellus fuerit condemnatus in Laudo ad soluendum Scut. 315. D. Vrsulæ pro inquilinatu, & auiamento, quæ per tempus nouennij Baratello relinquebantur, & tamen cum neutrum istorum D. Vrsula haberet Laudum tanquam ex falsa causa latum non mereatur executionem ex allegatis. Huic enim obiecto fuit responsum, & quo ad inquilinatum, Domini dicebant, neque partes intellexisse, neque Arbitros intelligere potuisse de iure inquilinatus concesso ex decreto Camerali, vt alijs in relocatione præferantur, quod ius vere non habebat D. Vrsula, cum in institutione locationis factæ Antonio eius patri, fuerit illi renunciatum, & locationes factæ D. Vrsulæ sint cum eisdem pactis, & conditionibus, vt legitur in dictis instrumentis, sed intellexerunt de inquilinatu, seu iure habitationis competente conductori, durante locatione, & hoc ius habebat D. Vrsula ex dictis locationibus obtentis à Dominis domus.

2 Quod autem ita intellexerint, deducebatur primo, Quia dari non poterat ab Vrsula ius inquilinatus, id est, prælato, quam non habebat. *l. nemo plus iuris. ff. de reg. iur.* & si habuisset, cedi non poterat ex decreto Camerali. Et fuit late deductum in Romana inquilinatus. 5. Iunij 1598. coram Illustrissimo Cardinale Lancellotto.

3 Secundo, ex antecedentibus verbis Laudi, in quibus fuit dictum, *che le locationi fatte per li noue anni di detta Hosteria restino libere, & assolute à esso Francesco,* vnde cum postea subiungitur, *& all'incontro, &c. tanto per gli vtili, auiamento, & inquilinato, &c.* Ille inquilinatus debet intelligi de illo vsu habitandi, qui liber remanebat penes Franciscum, & auferebatur à D. Vrsula, cuius, & aliorum expressorum respectu, Franciscus fuit condemnatus ad summam in Laudo contentam, vt suadet illud verbum, *& all'incontro,* iuxta tex. *in cap. 1. in princ. quæ fuer. 1. caus. benef. amitt. in vsib. feud.*

4 Tertio, ex subiecta materia, quia lis inter D. Vrsulam, & Barattellum vertebatur non super iure inquilinatus, sed tantum super locationibus eiusdem domus ipsi respectiue factis, & quænam earum esset attendenda, ideo dum Arbitri laudarunt circa inquilinatum, necessario videtur dicendum, eos intellexisse de inquilinatu, id est, iure habitationis prouenientе ex locationibus, super quo lis erat, cum Laudum, & transactio, quæ pari passu ambulant, vt fuit firmatum in prima decisione huius causæ, intelligantur de re dubia, & in litem deducta *l. 1. ff. de trans. l. si de certa, vbi Doct. C. eo. tit. Imol. in l. de pupillo. §. si in pluribus, ante fin. ff. de nou. oper. nunc. Corn. cons. 144. sub numero 11. vers. & licet, lib. 3. Surd. decis. 176. num. 2. Rota decis. 63. num. 2. part. 1. diuers.*

5 Quarto, ex alijs verbis eiusdem Laudi, quod finito nouennio neutra ex partibus posset tractare, aut perficere aliam locationem dictæ domus, absque licentia, & consensu alterius, sed locatio quælibet intelligatur facta ad commodum vtriusque partis; nam si Baratello fuisset concessum ius inquilinatus, id est, prælatio, vt ex aduerso prætenditur, potuisse sine alia locatione continuare in conductione dictę domus, & consequenter prædicta pars Laudi esset superflua, contra *l. si quando. ff. de leg. 1. cum similibus Rom. loquens de verbis Laudi. cons. 14. nu. 2.*

6 Et supradicta interpretatio eo magis amplectenda est, quia non repugnat naturæ verbi inquilinatus, cum inquilinus proprie dicatur, qui conductis ædibus prædij vrbani inhabitat. *leg. 2. & l. 4. vbi gloss. ff. de vs. & habit. l. re pignoris, ff. de acq. possess. l. vlt. ff. de migr. l. 4. §. prætor ait. l. qui bona, §. qui damni, l. damni infecti. 18. §. inquilino l. si filius familias. l. in hanc. ff. de damn. infect. glo. in §. item Seruiana institut. de act. & in l. emptorem. C. locat. & in l. si id quod. §. 1. ff. de acq. possess. & in l. habitatores, in princ. ff. locat. Alex. in l. quod pignori. numer. 2. ff. de acq. poss. Abb. consil. 275. num. 3. Rebuff. in l. pupillus. §. decuriones. ff. de verb. signif. Alber. in dictiona in verb. inquilinus. Brisson. lib. 9. de verb. signif. in verb. inquilinus.* qui alia iura allegat.

7 Quo vero ad auiamentum, pariter videbatur cessare falsitas causæ, quia siue istud proueniret ex ipsa domo Hospitij ex adductis per Informantes pro Baratello, certum est, quod illud D. Vrsula habebat ratione locationis sibi factæ à Dominis dictæ domus, siue proueniret ex persona Antonij patris D. Vrsulæ, qui per longum tempus exercendi Hospitium in dicta Domo, & vocando, & bene tractando Hospitis, effecerat concursum, & frequentiam in dicto Hospitio, quod vere videtur esse auiamentum, *iuxta not. in l. 1. §. caupones, vbi gl. in verb. atriaru. ff. naut. caup. stab. Cephal. cons. 328. num. 19. & seqq. lib. 3.* & hoc etiam modo illud spectabat ad D. Vrsulam Antonij filiam, & hæredem, nec alio iure fuit traslatum in Baratellum, nisi mediante declaratione arbitrorum, vt ipse durante nouennio domum inhabitaret, & sic bene potuerunt illud ius æstimare certo pretio, & ad illud condemnare Franciscum, prout fecerunt, prout tradit *Petr. de Vbald. in tract. de duob. fratr. p. 11. princ. nu. 73.*

8 Et prædicta circa falsitatem causæ eo facilius procedunt, cum simus in Laudo à partibus cum iuramēto, & obligatione Camerali approbato, & homologato, cuius executionem impedire falsitas causæ non potest, nisi sit euidens, & clara. *Alex. in l. qui Romæ. §. duo fratres. nu. 54. ff. de verb. oblig.* Et fuit dictum in Romana executionis obligationis Cameralis. 2. Aprilis 1593. coram Orano, & in Romana census de Prouanis. 8. Aprilis 1598. coram eodem, ita vt nec etiam sufficiat, quod iudex de tali defectu causæ dubitare possit, ad hoc vt intret executio obligationis Cameralis, vt fuit dictum in Castren. Taxarum 16. Octobris

bris 1585. coram Cardinale Seraphino, quæ est *decis. 705. num. 3. par. 1. in impress.* stante maxime, quod partes in acceptatione Laudi promiserunt non allegare nullitatem, sed adimplere contenta in Laudo, *Alex. cons. 32. num. 5. & seq. lib. 2.* Et fuit dictum in dicta Romana census de Prouanis, cum tunc etiamsi Laudum sit nullum, & adsit falsa causa valeat in vim pacti, *gl. in leg. 2. Cod. comm. vtriusque iud. Surd. consi. 136. num. 54. lib. 1. cum alijs adductis in prima decisione, huius causæ coram me.*

9 Quibus accedit, quod vt falsitas causæ impediat executionem obligationis Cameralis, debet esse circa causam finalem obligationis. *Bar. in leg. demonstratio falsa. §. quod autem. sub num. 13. vers. quædam est causa. ff. de cond. & dem. Gab. cons. 146. num. 6. & 7. lib. 1.* Et fuit decisum in dicta Romana executionis obligationis Cameralis, coram Orano. In casu autem proposito non apparet inquilinatum, & auiamentum fuisse causam finalem, vt Arbitri condemnarent Baratellum ad soluendum Scut. 3150. quin potius ex eodem Laudo apparet non solum pro dictis causis, sed etiam pro qualibet alia prætensione D. Vrsulæ, Barattellum fuisse condemnatum ad dictam summam, vnde quatenus causæ expressæ essent minus veræ, quod tamen ex supradictis negatur, sustinetur tamen Laudum ratione aliarum prætensionum, quæ vel tempore Laudi iam in iudicium deductæ erant, vel postea deduci poterant.

10 Non obstant alia deducta contra secundam decisionem, cum vera, & recepta conclusio sit, in ea firmata, exceptionem vsurariæ prauitatis non impedire executionem instrumenti iurati, quando est dubia c. debitores, de iureiur. cum alijs late deductis in decisione. Quod Dominis videbatur procedere, siue agatur de impedienda solutione vsuræ promissæ cum iuramento, siue de compensanda vsura soluta cum sorte, cum vtroque casu militet eadem ratio, nec possit in executione induci compensatio de eo quod requirit altiorem indaginem. *Rom. cons. 76. num. 2. vers. quo ad 3.* Quod autem in casu isto exceptio vsuræ sit valde turbida, satis fuit deductum in d. decisione.

11 Nec obstat, quod condemnatio fuerit facta pro vsu rerum mobilium, quæ fuerant longe antea venditæ ipsi Barattello, quia fuit responsum, quod condemnatio fuit facta non pro vsu mobilum tantum, sed pro inquilinatu, auiamento, vtilibus, & qualibet alia prætensione, & sic pro quadam recompensatione quæ non est vsura, vt post *Bal. & alios deducitur in d. decis.* vltra quod cum super rescissione d. venditionis esset introducta lis ex capite læsionis D. Vrsulæ, & d. lis fuerit comprehensa in compromisso, & inde secutum Laudum à partibus ratificatum, non videbatur amplius habenda ratio dictæ venditionis, & dato quod aliud solueretur pro utensilibus, tamen non est expeditum, adesse usuram, ex allegatis per *Borgnin. dec. 13. de contract. 2. part. nume. 66. & per Hippol. Rim. cons. 177. per tot. præsertim. nu. 20.* & in omnem casum satis est, quod summa taxata non sit soluenda pro solis utensilibus, sed etiam pro alijs prætensionibus, ut supra dictum est. Et quatenus etiam dicta prætensio pro utensilibus esset iniusta, sufficit tamen quod non esset ita clara pro Baratello, ut super ea non posset transigi. *l. 2. glos. in verb. nulla, & Ias. num. 1. & 2. C. de trans. Osasc. decis. Pedem. 91. num. 23.* Et fuit decisum in Gerunden. Anniuersariorum 24. Nouemb. 1588. coram Orano, & in Romana ususfructus 15. Martii 1601. coram Reuerend. D. meo Damasceno. Ex quibus Domini permanserunt in decisis.

REVER. P. D. ANDREA.

Firmana iuris patronatus. Lunæ 15. Maij. & 15. Decembris 1614.

ARGVMENTVM.

Ius patronatus satis probatum censetur ex continuatis ultra centum annos, præsentationibus effectuatis, accedente præsertim publica uoce, & fama. Quando ius patronatus dicatur laicale, quando ecclesiasticum, & quando mixtum ad effectum, ut subiaceat Regulæ reseruatoriæ.

SVMMARIVM.

Sententia lata ad instantiam Procuratoris, qui procurator non est, dicitur nulla. nu. 1.

Ius patronatus dicitur plene probatum ex continuatis præsentationibus vltra centum annos. nu. 2.

Præsentationes ad beneficium patronatus eo ipso probantur effectuatæ quod per obitum, vel cessionem vnius alter fuit præsentatus, & institutus. nu. 2.

Ius patronatus censetur probatum per testes deponentes de publica voce, & fama iuncta longissima possessione præsentandi quando sumus in antiquis. nu. 3.

Ius patronatus laicale non cadit sub regula reseruatiua. nu. 3. vers. quibus omnibus.

Ius patronatus, quod deuenit ad monasterium, reputatur Ecclesiasticum, & propterea subiacet regulæ reseruatoriæ octauæ. Declara hanc conclusionem. nu. 4. & 5.

DECISIO DXLI.

1 Proposui dubium altera tantum parte informante, quia procedebatur per contradictas, an sententia Reuerendissimi Episcopi Maceraten. esset confirmanda, uel infirmanda. Et cum pro parte Theodori prætenderetur eam infirmari tam ex capite nullitatis, quam notoriæ iniustitiæ omisso capite iniustitiæ, super quo non satis inter Dominos conueniebat fuit vnanimiter resolutum ex capite nullitatis esse sententiam infirmandam. Cum enim dicta sententia fuerit lata instante Benedicto Ello, qui absque mandato comparuit, & reuocauit mandatum Venazoli, qui in actis reperiebatur Procurator, & non institit pro sententia, & Bene dictus, qui se pro procuratore gessit mandato carebat, & consequenter sententia fuit nulla, *c. in nostra. in fin. de procur. l. licet. vbi Doct. C. eod. cum alijs per Vant. de nullit. sentent. & defect. inhab. seu mandat. num. 59.*

2 Ceterum quia Annibal prouisus Apostolicus possidebat, & parum, vel nihil proderat Theodoro Palmisiano, qui fuerat præsentatus à Patronis reuocatio sententiæ ex capite nullitatis, nisi etiam illa fieret ex capite iniustitiæ, ideo repropositа causa die 15. Decembris stricte quo ad caput iniustitiæ Domini ex eo etiam capite pro infirmatione sententiæ respoderunt. Fundamentum solidissimum fuit, quia huiusmodi altare erat de iure patronatus, vt patet ex continuatis præsentationibus vltra centum annos, ex quibus dicitur probatum ius patronatus. *Federic. consi. 234. nu. 3. ad fin. vers.* quis enim diceret, quem sequitur. *Dec. cons. 174. nu. 4. vers. & Federicus. Rot. apud Cassad. decis. 2. nu. 6. de probat. Than. decis. 84. in vna nullius Seraph. decis. 1141. num. 1. lib. 2.* & fuit dictum in alia Firmana iuris patronatus. 8. Martij 1591. coram Orano, & in Mediolanen. Clericatus septima Maij 1610. coram Reuerendissimo Domino meo Damasceno. Quæ præsentationes eo ipso probantur effectuatæ, quod per obitum, vel cessionem vnius fuit alter præsentatus, & institutus, iuxta cons. *Oldr. 229. numer. 2.* sæpius canoni-

nonizatum, & in specie in dicta *decis. Seraph. nu. 1. vers. & iste.*

3 Accedunt testes de publica voce, & fama, quæ iuncta longissima quasi possessione præsentandi optime probat ius patronatus cum simus in antiquis, & in personis non suspectis. *Cassad. d. decis. 2. num. 4. & seq. de probat. Achil. decis. 4. nu. 9. & dec. 6. de iure patr. Put. decis. 60. in fin. & 140. nu. 1. lib. 1. Rot. decis. 792. n. 1. & seq. p. 1. & 376. nu. 2. vers. quod etiam p. 3. lib. 3. diuers.* & fuit dictum in Palentina Cappellæ. 12. Maij 1614. coram me. Quibus omnibus simul iunctis dubitari non potest huiusmodi altare esse de iure patronatus, quod cum sit laicale, non cadit sub regula reseruatoria iuxta *glos. receptam in c. 2. in verbo collatio. de præb. in 6. Lap. alleg. 96. Fel. in tract. quand. lit. Apost. noc. patr. in princ. Couar. pract. c. 36. nu. 2. vers. his accedit. Cassad. decis. 1. nu. 3. de dilat.* cum alijs per *Modern. super reg. 8. glo. 18. nu. 2.*

4 Nec obstat, quod ius patronatus huiusmodi postmodum deuenerit ad fratres, & monasterium Sancti Augustini Ciuitatis Firmi, & sic debeat ecclesiasticum reputari iux. *tex. in cap. vnic. § fin. vbi gl. & Doct. de iure patr. in 6.* & consequenter altare subiaceat reseruationi. reg. 8. adeo quod collatio Papæ sit valida absque alia mentione, & derogatione. *Felin. vbi sup. nu. 11. lim. 3. Couar. d. cap. 36. nu. 2. Cassad. decis. vlt. num. 11. de probat. & decis. 4. nu. 2. de iure patr.* Quia obiectum procedit in iure patronatus Ecclesiastico simplici, secus in mixto, vt in nostro casu, quod ad effectum derogationis sequitur naturam iuris patronatus laicorum. *Federic. consil. 66. Rocch. in verbo ius. num. 23. vers.* contra istam conclusionem. *Rebuff. de nominat. q. 15. nu. 7. Felin. & Couar. vbi sup. ille nu. 6. ampliatione. 6. iste. nu. 5. vers. 3. opportune. Cassad. decis. 4. num. 10. in fin. de probat. & decis. 7. nu. 10. de iure patr. Achil. decis. 3. eod. tit. Put. decis. 157. lib. 3. Rot. decis. 574. num. 10. part. 1. diuers. & in alys cumulatis per Modern. d. gl. 18. numer. 13. & 14.* & hic per Informantes.

5 Quod autem simus in iure patr. mixto, & sic pro medietate laicorum patet ex quo tempore obitus Antonij Discreti vltimi possessoris, qui fuerat præsentatus à Monasterio per quendam fratrem Paulum pro medietate, & à quibusdam laicis pro altera medietate patronis, vt in institutione facta per Vicarium Firman. *Summ. num. 3.* aderant duo ex illis, qui præsentauerant eundem Antonium scilicet Rogerius ser Pauli, & Ioannes alias Vasitto eod. *Summ. numer. 3. & in 2. Summario nu. 1.* & similiter extabant hæredes aliorum, qui fuerant prædefuncti, vt Tholomæus Pelleus, & alij, qui omnes præsentarunt Ausonium, qui mox ius suum cessit Thodoro Palmisiano præsentato per fratres dicti monasterij, vt in *2. Summario*. Vnde clare apparet tempore vltimæ, ac modernæ vacationis per obitum d. Antonij Discreti, quæ fuit de mense 1591. extitisse, & extare compatronos laicos, & per consequens cessare reseruationem, & collationem Apostolicam ex prædictis. *Felin. in d. tract. quan. lit. Apost. noc. Parro in princ. Rot. decis. 71. vers. Item dicebant de rescript. in antiq. Cassad. decis. 6. n. 5. de iure patr.* Et ita conclusum.

DECISIO DXLII.

Virdunen. Abbatiæ. Lunæ 5. Maij 1614.

Impressa Apud Buratto.

DECISIO 48.

REVERENDISSIMO P. D.

COCCINO DECANO.

Ianuen. Officiorum. Veneris 9. Maij 1614.

ARGVMENTVM.

Officia Romanæ Curiæ per ingressum Religionis, & subsequutam professionem non vacant sed spectant ad illum, ad cuius fauorem cantat decretum, & hinc declaratur, an & quando mortis, seu obitus appellatione veniat etiam mors ciuilis. Est magistralis decisio.

SVMMARIVM.

Officia Romanæ Curiæ non vacant per ingressum Religionis, & emissam professionem. nu. 1.

Mors ciuilis naturali non æquiparatur nisi in casibus à iure expressis. num. 1.

Religionem ingressus non habetur pro vero mortuo. nu. 1.

Mortis appellatione in dispositione hominis non venit mors ciuilis, sed tantum naturalis. nu. 2.

Mors ciuilis non venit appellatione obitus. nu. 2. in fine.

Officia Romanæ Curiæ sunt in commercio, acquiruntur titulo oneroso, & conceduntur magis propter lucrum, quam propter exercitium. nu. 3.

Bona emphyteutica si ad Ecclesiam peruenerint Ecclesia illa non amittit, sed solum cogitur vendere ad euitandum præiudicium Domini directi. nu. 3.

Beneficia Ecclesiastica per ingressum Religionis vacant post emissam professionem. nu. 4.

Regulares Religiosi sunt incapaces beneficiorum sæcularium absque dispensatione. nu. 4.

DECISIO DXLIII.

1 Augustinus emit duo officia alterum militis Sancti Pauli in personam Francisci eius filij alterum vero portionis Ripæ in personam Polioxenæ filiæ cum decreto ad fauorem ipsius Augustini. Cumque Franciscus ingressus fuerit Religionem Capuccinorum, & Polioxena Religionem Sancti Dominici, & vterque emiserit professionem, dubitaui, an dicta officia per talem professionem vacarent, & Rota censuit negatiue respondendum; quia in prouisione de dictis officijs fuit dictum, quod censerentur vacare per obitum, & propterea per emissam professionem non vacant, quia licet ista sit mors ciuilis, attamen non comprehenditur sub dicta dispositione, cum in iure non reperiatur cautum, quod in istis terminis mors ciuilis æquiparetur naturali. *Anchar. cons. 273. nu. 1. & 2. Io. Monachus in c. 5. Episcopus, num. 2. de supplenda negligent. Prælat. in 6.* & aliis relatis. Sequitur *Alex. cons. 139. num. 4. lib. 2.* firmans, quod mors ciuilis resultans ex ingressu Monasterij non facit Monachum haberi pro vero mortuo nisi in casibus in iure expressis iux. *glos. notabilem in c. placuit. il 2. in verbo mortuus. 16. q. 1. Old. consi. 284. num. 4.* tenens, quod nunquam mors ciuilis æquiparetur naturali, nisi in iure reperiretur hoc expressum.

2 Nec mors deducta ab homine in conditione intelligitur de ficta ciuili, sed tantum de vera naturali, vt pluribus relatis tradit *Cephal. in consi. 395. nu. 31. & seqq.* & in terminis ita respondet *Modernus de Fano, de societ. offic. q. 14. numer. 13. in fine vers. igitur per mortem ciuilem, & numero seq.* Et hæc sententia absque scrupulo procedit in casu isto, quia in dispositione fuit dictum, quod officia vacent per obitum, non autem fuit dictum per mortem, obitum autem appellatione de sui natura non venit mors ciuilis, vt dicit egregie Re-

gie. Rebuff. in praxi in forma signat. simpl. per vos, col. 7. vers. & quamuis fol. mihi 97.

3 Neque facit, quod per ingressum Religionis videntur effecti inhabiles ad prædicta officia; Quia fuit responsum, quod dato, quod hoc esset verum, non propterea sunt priuandi dictis officijs in præiudicium illius qui habet cum decreto ad sui fauorem, cum illa sint in commercio, & acquirantur tit. oneroso, & côceduntur magis propter lucrum, quam propter exercitium, *iuxta notata in c. quamuis triste 7. q. 1. Alciatus, de præsumpr. reg. 3. præsumpt. 19. num. 7. vers. puto distinguendum. Menoch. de arbitr. iudic. lib. 1. q. 55. num. 6. vers. extende*, & propterea in hoc casu defectio non nocet, quia quatenus dici possent inhabiles, sunt cogendi ad vendendum dicta officia prout bona emphyteutica quando perueniunt ad Ecclesias illa non amittit, sed solum cogitur vendere ad euitandum præiudiciũ quod obuenit domino directo, *cap. 1. de alienat. feud. & ibi Afflictus in princ. & num. 4. & 5. cum seqq. Isernia num. 4. Bald. num. 5. Præposit. in §. inde potest. num. 3. per totum. Speculat. de emphyt. alias de locato. §. sine aliqua vers. 116.*

4 Neque obstat, quod beneficia ecclesiastica post emissam professionem vacant, quia hoc peruenit ex eo, quod Regulares absque dispensatione sunt incapaces beneficiorum sæcularium, *cap. cum de beneficio de præbend. in 6. Bellamer. decis. 171. Felinus in cap. in nostra. num. 44. de rescript.* & cum illa acquirantur tit. lucratiuo, nec sunt in commercio hominum, & vocent post emissam professionem non agitur de aliquo præiudicio professi, & propterea ille ad quem spectat colatio statim post emissam professionem potest libere conferre, quod non est in officijs de quibus agitur, quæ acquiruntur titulo oneroso, & per consequens agitur de preiudicio obtinentis cui est succurrendum saltem per concessionem alienationis ex rationibus supra dictis.

DECISIO DXLIV.

Romana Diuisionis Domus. Veneris 9. Maij 1614.

Impressa Apud Buratto.

DECISIO 50.

DECISIO DXLV.

Romana Spolij. Veneris 9. Maij 1614.

Impressa Apud Buratto.

DECISIO 49.

DECISIO DXLVI.

Alerien. Beneficij. Lunæ 12. Maij 1614.

Impressa Apud Buratto.

DECISIO 51.

REVERENDISSIMO P. DOMINO DAMASCENO.

Romana retrouenditionis Scalæ, & Portus. Lunæ 12. Maij 1614.

ARGVMENTVM.

Pactum de retrouendendo est cessibile, & emptor cum dicto pacto non debet præferri in cessione d. pacti facta per venditorem.

SVMMARIVM.

Pactum de retrouendendo cedi potest. nu. 1.
Emptor cum pacto de retrouendendo non præfertur in cessione d. pacti. nu. 1.
Emphyteuta finita emphyteusis præfertur vbicunque Dominus vult alteri de nouo in emphyteusim dare. num. 2.
Vasallus vbicumque Dominus vult de nouo infeudare præfertur alijs, nu. 2.
Dominus debet præferri in venditione fructuum facta per vasallum, num. 2.
Conductor vbicumque Dominus vult vendere rem conductam, debet alijs præferri, nu. 2.
Rei suæ quilibet est moderata, & arbitor, nu. 3.
Pactum de retrouendendo minuit rei valorem, num. 3.
Emphyteuta non præfertur vbi proprietarius vult directum dominium vendere. nu. 3.

DECISIO DXLVII.

1 Domini steterunt in decisis coram me in hac causa die 20. Decembris proxime præteriti, quod scilicet Christophorus teneatur retrouendere portum, & scalam Ioann. Cessionario Hieronymæ in pacto de retrouendendo, cum certum sit, pactum de retrouendendo posse cedi ex allegat. in alia decisione neque ab aliquo iure cautum reperitur, quod emptor cum dicto pacto de retrouendendo debeat præferri cessionario retromere volenti, vnde potuit D. Hieronyma venditrix cum d. pacto cedere hoc ius suum, cui magis voluit ex reg. *l. in re mandata, C. mandati.*

2 Nec facit, quod æquitas suadeat, quod ille, qui ita emit debeat pro æquali pretio præferri cessionario d. pacti, qu i adhuc non emit, prout in simili videmus de emphyteuta, qui finita emphyteusi præfertur volente Domino dare denuo in emphyteusim, vt per *Bart. in l. 1. §. permittitur, ff. de aq. quotid. & æstiua. Clar. in §. emphyteusis q. 42. Gabr. de emphyt. concl. 1. num. 1.* & sic de feudatario Domino volente denuo in feudare. *Bart. vbi supra Gabr. conclus. 1. num. 6.* & econtra de infeudato volente vendere fructus, quod præferatur Dominus; Lucas de Penna, *in l. 1. vers. item facit hæc lex. C. de metallar. lib. 11. Roman. consil. 22. num. 5. versic. 3.* hoc & de simplici conductore Domino volente vendere rem conductam; *Affl. dec. 238. Vbi Vrsil. in addit. Gabr. d. concl. 1. num. 5. & de inquilino in reconductione. Boer. dec. 107. num. 4.*

3 Nam quicquid sit de veritate multarum ex prædictis conclusionibus, si vere sint erit quãdo ita particulariter reperitur iure cautum in illis verbis secũdum inductionem legum, quam pro hoc faciunt Doct. vnde cum in proposito casu nihil reperiatur iure cautũ, non videtur, quod propter imaginariam æquitatem fit hoc nouum laqueum inijciendum rebus priuatorum, cum potius æquitas suodeat, quod quis sit iurium suorum moderator, & arbiter. *d. l. in re mandata* & docet experientia, quod res in quibus competit alijs prælatio minus venduntur, quando multi non amant

mant stare in suspenso, donec quis declaret an velit præferri, & emens cum pacto de retrouendendo releuatur ab incommodo d. pacti, quando regulariter propter d. pactum res minus venduntur, vt patet ex *Soc. cons. 15. num. 57. lib. 1. Roland. consi. 58. num. 6. lib. 4. Tiraq. de retract. conuent. in præfat. num. 20. Decian. consil. 2. num. 170. lib. 1.* Rot. in causa Romana fideicommis 28. Ian. 1594. coram bon. mem. Cardinal. Seraphino cum alijs relatis in Auximana bonorum 1. Iulij 1613. coram me, ob quas rationes Rota alias denegauit prælationem emphyteutæ aduersus proprietarium volentem vendere directum dominum, vt in Romana retractus 31. Ian. 1605. coram bon. mem. Iusto.

R. P. D. ANDREA.

Palentina Cappellæ, Lunæ 12. Maij 1614.

ARGVMENTVM.

Ex probatione iuris patronatus honorifici multa notanda, de quibus in Summario.

SVMMARIVM.

Ius patronatus probatur leuioribus probationibus, quando non agitur inter Episcopum, & Patronos ad effectum conferendi seu præsentandi Rectorem, sed solum inter Laicos ad effectum præeminentiarum. nu. 2.
Ius patronatus censetur probatur per immemorabilem. nu. 3.
Ius patronatus censetur probatus per testes deponentes de publica voce, & fama in antiquis. nu. 4.
Confessio probat contra confitentem, vbi agitur de probatione, iuris patronatus. nu. 5.
Ordinarij assertio multum probat in materia præeminentiarum. nu. 6.
Arma, & insignia familiæ reperta in aliqua Cappella inducunt præsumptionem iuris patronatus, & bonæ fidei in antiquis. nu. 7.

DECISIO DXLVIII.

1 IN Parochiali Ecclesia oppidi de Nogales Palentin. diœces. adest Cappella maior, & ibi Altare sub inuocatione Sancti Ioannis, in quo asseruatur sanctissimum Sacramentum Eucharistiæ, & intra dictam Cappellam adest sepultura, in qua soliti sunt, & fuerunt sepeliri priuatiue quo ad omnes alios defuncti pro tempore de nomine de Ayala Ruiz. & de Calderon, & in vtroque pariete, & in tabula erecta supra altare, ac in quibusdam vestibus sacris videntur adhuc antiqua insigna, seu arma familiarum, de Calderones, Ruiz. & de Ayala, & in eadem Cappella soliti etiam fuerunt, & sunt tam prædecessores de illo nomine, quam modernus Patronus Dominus Alphonsus Marrique Ruiz. de Ayala, & Calderon. cum vxore filijs, & propinquis sedere priuatiue quo ad omnes alios incolas dicti oppidi etiam iustitias, & gubernatores. Et vlterius in signum patronatus quoties Sacerdos ibi celebrat Missam, & descendit ad recipiendum oblationem, & aspergendum aquam benedictam ante omnes recipit oblationem à dicto Domino Alphonso, & eius antecessoribus, eosque primos, & ante omnes alios, vt supra aspersit, & aspergit aqua benedicta. Sed cum regimen, & vniuersitas dicti oppidi de Nogales cœpisset prætendere hanc Cappellam esse liberam prout alias eiusdem Ecclesiæ Hinc orta controuersia coram ordinario Palentin. & in contumaciam Domini Alphonsi obtinuit sententiam fauorabilem à qua Dominus Alphonsus appellauit ad Metropolitanũ Burgen. & Metropolitanus per suos prouisores dictam sententiam reuocauit. Demum causa per regimen, & vniuersitatem commissa in Rota, dubitaui, an constaret de patronatu Domini Alphonsi, & effectus dubij erat, vt Dominus Alphonsus, & sui possent frui, & gaudere iure sedendi in dicta Cappella, & accipiendi primitus pacem, panem, & aquam benedictam, ac alijs præeminentijs extra præsentationem patrono de iure debitis, & in dicta sententia Metropolitani expressis, & Domini constare de tali patronatu honorifico censuerunt.

2 Ratio Dominorum fuit, quia cum non ageretur inter Episcopum, & patronos ad effectum conferendi, seu præsentandi Rectorem, sed solum inter laicos ad effectum preeminentiarum, vtique sufficiebant leuiores probationes, vt notant *Doct. in c. nobis. de iure patr.* & fuit dictum in Calaguritana præeminentiarum. 26. Iunij 1591. coram Gipsio, & in Toletana iuris patronatus. 12. Iunij 1595. coram Cardinali Blanchetto. prout in simili videmus, quando est lis inter compatronos admitti leuiores probationes. *Cassad. decis. 1. in fine de probat.* & fuit resolutum in Pampilonen. Iuris patronatus 10. Aprilis, & 20. Nouembris 1595. coram Cardinali Mantica, & in Soran. Iuris patronatus 28. Aprilis 1603. coram bon. mem Cardinali Pamphilio, & in alijs pluribus. Vnde neque est necesse, seruare formam Concilij, etiam si versaremur in potentibus vt tenuit Rota in Portuen. beneficij. 9. Maii 1594. coram Corduba.

3 Tales autem probationes iuris patronatus honorifici visæ fuerunt plus quam sufficientes. Quia primo aderant testes scilicet tertius, octauus, decimus tertius, super secundo interrogatorio, & articulo, qui bene deponunt de immemorabili circa patronatum honorificum, quę immemorabilis sufficit ad probandum ius patronatus. *Felin. in tract. quan. lit. Apost. noc. patron. ad fin. Put. decis. 58. num. 9. & 10. & decis. 205. num. 2. lib. 1.* & dicti testes adminiculantur ab aliis testibus Domini Alphonsi. deponentibus de visu à 40. annis, & supra, & de auditu à senioribus, & à testibus incolarum idem attestan. circa iura, & præeminentias supra relatas.

4 Imo sufficit probatio de publica voce, & fama in antiquis iuncta presertim longissima quasi possessione optime hic probata per testes *Cassad. decis. 2. de probat. Achil. decis. 4. num. 9. & decis. 6. de iure patr. Put. decis. 60. In fin. & 140. num. 1. lib. 1. Rota decis. 792. num. 1. & seq. par. 1. diuers.* etiam quod essemus in personis suspectis quia præsumptio vsurpationis non habet locum, vbi constat de immemorabili. *Achil. decis. 4. de iure patron. Rot. decis. 545. nu. 4. par. 1. diuers.*

5 Secundo cum hac testium depositione concurrebat confessio partis in concordia, & in responsione ad positiones, quæ confessio in hac materia probat in præiudicium confitentis. *Cassad. decis. 4. de præb. & decis. 7. de iure patr. Put. decis. 325. num. 3. lib. 2. & decis. 36. lib. 3. Pereg. decis. 63. lib. 2.* & fuit sæpissime resolutum.

6 Tertio de præfatis preeminentijs aderat quoque assertio ordinarii, cui Rota in hac materia plurimum semper deferre consueuit. *Rot. decis. 11. de iure patr. in nou. & 376. par. 3. lib. 3. diuers. Card. Seraph. decis. 1232. nu. 2. par. 2.*

7 Concurrebant etiam in hac Cappella arma, & insignia DD. de Ayala Ruiz. & de Calderon. quę ne dum representant, & conseruant memoriam dictarum familiarum. *Anchar. cons. 113. num. 4.* verum etiam inducunt præsumptionem iuris patronatus, & bonæ fidei in antiquis. Idem *Anchar. vbi supra, Anan. consil. 86. nu. 2. Gabr. cons. 196. nu. 10. lib. 2. Rip. in c. cum Ecclesia Sutrina. num. 97. de caus. poss. & propriet. Menoch. præsumpt. 130. nu. 31. lib. 3.* & fuit dictum in Fesulana iuris patron. 7. Februarii 1558. coram Bubalo. Ex quibus omnibus simul iunctis, & aliis hic deductis per Informantes, visum fuit concludenter probatum dictum ius patronatus.

DECI.

DECISIO DXLIX.

Meliten. Pensionis. Mercurij, 14. Maij 1614.

Impressa Apud Buratto.

DECISIO 53.

DECISIO DL.

Reatina Terrarum. Mercurij 14. Maij 1614.

Impressa Apud Buratto.

DECISIO 52.

REVERENDISS. P. DOMINO MANZANEDO.

Terrasinen. Saluiani. Mercurij 21. Maij 1614.

ARGVMENTVM.

Mandatum de manutenendo debet concedi, quando constat de possessione actoris.

SVMMARIVM.

Confessio aduersarij probat possessionem ad effectum habendi mandatum de manutenendo. nu.1.
Cessionario competunt iura cedentis. nu.1.
Sententiæ latæ contra aliquem ad possessionem dimittendam, probant eius possessionem. nu.2.
Possessio non acquiritur per cessionem. nu.4.
Clausula constituti operatur, vt possessio tam ciuilis quam naturalis censeatur translata in constitutarium. n.4.

DECISIO DLI.

1 Domini dixerunt Aureliæ dandum esse mandatum de manutenendo, cum ipsa sit cessionaria Neapolitanis, qui non solum in vim Saluiani fuit immissus in possessionem bonorum, de quibus agitur, & postea in ea manutentus ab A. C. siue illius Deputato, sed etiam ab ipsomet Capitaneo Vincentio habitus pro possessore, dum in iudicio Saluiani obtulit soluere pretium cum confessione, quod Curtius filius Napolionis est adeptus possessionem domus, & cum protestatione, quod sibi debeant cedi iura crediti, & possessiones captæ, ex quo resultat tam confessio d. Vincentij de possessione Napolionis (quæ ad hunc effectum sufficit. *Dec. consil.125. num. 1.*) quam probatio, quod ipse se habuerit pro spoliato. Vnde cum cōstet de possessione Napolionis infertur, quod quemadmodum illi esset danda manutentio, ita & dari debeat Aureliæ eius Cessionariæ, & Constitutariæ. *Fab. in §. retinendæ. nu.7. vers. verum est. Bald. consi. 436. num.4. lib.5. per glos. in l.2. §. Idem Nerua. ff. ne quid in loco publico. Aym. consi.191. num.2. vers. similiter ius recuperandi. Tiraquel. de retract. consang. §. 26. gl.3. num.17.*

2 Maxime quia ipsa Aurelia possedit, vt patet ex sententiis eam, tanquam posseditricem condemnantib. ad dimittendam possessionem iuxta tradita per *Crauet. consil.16. nu.5. vers. 11. priuatio.*

3 Non obstat quod possessio fuit capta per Curtium, & ab eodem pariter facta cessio absque speciali mandato Napolionis, quia quo ad cessionem adest expressa illius ratificatio, quo vero ad possessionem illam facto ratificasse videtur, dum obtinuit ea manu teneri.

4 Minus obstat, quod possessio non acquiratur per cessionem ad tradita per *Natt. cons.398. num.13. & multis seqq. & Syluan. cons.55. numer.8. Menoch. de retinend. remed.3. nu.267. & seq.* Quia in casu nostro possessio non fuit acquisita per solam cessionem, sed virtute Clausulę Constituti appositæ in d. cessione, quæ operatur, vt possessio tam Ciuilis, quam Naturalis censeatur translata in Constitutarium. *l. quod meo in princip. & l. interdum. de acquirenda possessione Caputaquens. decis.14. nu. 8. Rot. decis.132. nu.5. p.1. Tiraquel. de iure constit. p.1. nu.2. Mantic. de tacit. & ambig. lib.13. tit.23. num.14.*

5 Nec obstat nullitas, & iniustitia mandati de immittendo, cum defectus citationis tollatur ex facto. Cetera vero per Informantes pro Capitaneo deducta requirant altiorem indaginem, &c. & ita fuit decisum.

REVERENDISSIMO P. D. MANZANEDO.

Romana Donationis de Cagnis. Mercurij 21. Maij. 1614.

ARGVMENTVM.

Donatio facta alicui semper intelligitur sine præiudicio creditorum donantis.

SVMMARIVM.

Donatio censetur facta sine præiudicio creditorum donantis. num.1.
Debita noua facta pro extinctione antiquorum subrogantur in locum antiquorum. nu.2.
Actio negotiorum gestorum non est in rem, sed in personam. num.3.
Executio antequam contra bona donata possit fieri prius debet fieri excussio contra bona donatariorum ad formam l. a Diuo Pio. §. in venditione. ff. de re iudic. nu.3.
Excussio an quis habeat bona mobilia in quibus primo loco debet fieri executio non debet fieri, quando quis non habitat in loco, vbi fit iudicium, & ibi habet alia bona immobilia. num.4.
Donatarius qui non adimpleuit conditiones in donatione appositos, donatione non iuuatur. nu.5.
Donatio est contractus nominatus. num.5.
Contractus nominatus non rescinditur propter non adimplementum, sed agitur ad adimplementum. nu.5.
Donationis factæ vsus impeditur donatarijs quousque impleant conditiones in donatione appositas. nu.5.
Donatio non præsumitur, & de iure debet capi omnis interpretatio per quam excludatur. nu.6.
Principali non obstante, neque obstat accessorium. nu.7.

DECISIO DLII.

1 Fvit resolutum, creditoribus esse satisfaciendum in bonis, de quibus agitur, vsque ad quantitatem solutam per Blasium, quia illi qui habuerunt donationem à Blasio, & à quibus modo habent causam isti, qui negant soluere debita Blasij, tum de iure, quia donatio censetur facta sine præiudicio creditorum donantis, tum ex particulari pacto apposito per Blasium in donatione, quod solui deberent sua debita, ex hoc sequitur, quod cum donatarij debita minime extinxerint, sed immo Blasius donans illa extinguere coactus fuerit contrahendo ad istum effectum

ctum noua debita, quod hæc noua debita sint extinguenda de bonis donatis.

2 Tum quia ista debita censentur tacite subrogata loco illorum. Vnde sicut illa si extarent sine dubio essent soluenda de bonis donatis, ita & sunt soluenda ista ad regulam subrogatorum, de qua late per *Gabr. de regul. iur. conclus. 2. per tot.* Tum quia Blasius in hoc vtile negotium gessit pro donatarijs extinguendo debitum, cuius extinctio ad illos spectabat, vt alias in hac causa fuit decisum coram Illustrissimo Cardinale Lancellotto.

3 Et licet actio negotiorum gestorum non sit in rem sed in personam *l. negotijs. Vbi Alexand. & alij. C. de negot. gest.* Vnde infertur, antequam contra bona donata experiri possit esse prius faciendam excusationem in bonis donatariorum. Primo in mobilibus, deinde in stabilibus, postremo in iuribus, & actionibus, iuxta *text. in leg. à Diuo Pio. §. in venditione. ff. de re iud.* tamen pro parte creditorum dicitur satis constare de prædicta excussione, & relatione exequutoris referentis se fecisse diligentiam, & non potuisse exequi realiter, nec personaliter contra Ioan. Baptistam & fratres de Cagnis donatarios, quia non reperiebat nec personas, nec bona illorum.

4 Accedat, quod prædicti de Cagnis minime habitabant in Vrbe, & sic non habebant mobilia in quibus exequutio fieri possit. Vnde cessauit necessitas excussionis, vt post *Angel. tradit in specie Benedic. de Plumbo. tract. de discuss. nu. 4. vers. Sexto fallit.*

5 Placebat etiam aliquibus ex Dominis aliud motiuum, quod Donatarijs obstet exceptio nou adimplementi. Nam creditores Blasij agunt contra bona Blasij, & quatenus contra ipsos excipitur de donatione, replicant ipsi de non adimplemento ex parte donatariorum, quo stante ipsi non possunt iuuari donatione iuxta notata *in l. Iulianus. §. offerri. ff. de act. empt. leg. cum proponas. la secunda. C. de pact.* quod motiuum non tollitur ex eo, quod contractus nominati qualis est donatio minime rescinduntur propter non adimplementum, sed agendum sit ad implementum. *Bartol. in l. 2. num. 7. C. de condict. ob caus. Socin. in l. qui Romæ. §. Seia. num. 6. ff. de verbor. obl.* cum alijs allegatis, quia isti creditores minime agunt ad rescissionem donationis, sed dicunt vsum illius esse impeditum donatarijs donec ipsi impleant.

6 Circa illud quod Blasius extinguendo debita post donationem videatur voluisse donare nepotibus, ad quos spectabat extinguere debita, fuit responsum quod donatio non præsumitur, & de iure capitur omnis interpretatio potius quam quis voluerit donare. *l. si cum aurum. Et ibi Bart. nu. 1. vers. quare. ff. de solut. cum alijs per Tiraq. In l. si vnquam, verb. donatione largitus. nu. 207. & seq. C. de reu. donat.*

7 Minus placuit, quos dicebatur, non posse fieri exequutionem super bonis de quibus agitur, tamquam subiectis fideicommisso vigore donationis, quia si donatio non obstat creditoribus per prædicta, minus obstabit fideicommissum, in donatione contentum, tamquam illius pars siue accessorium, *ad not. in l. cum principalis. ff. de reg. iur. cap. accessorium. eod. tit. in 6.* Sicut etiam nihil refert quod minime extet vinea donata, quia sufficit quod ex illius pretio empta fuerint loca montium, de quibus agitur, ad trad. *per Surd. dec. 206. num. 5.*

REVER. P. D. ANDREA.

Meliten. Beneficij. Veneris 23. Maij 1614.

ARGVMENTVM.

Arbores incidens in fundo Ecclesiæ cum notabili deterioratione, priuatur Beneficio illius Ecclesiæ iuxta terminos Extrauagantis ambitiosæ, secus si deterioratio non fuit notabilis, & quando deterioratio notabilis dicatur, est breuis decisio, sed Magistralis, & notabilis.

SVMMARIVM.

Beneficio priuandus est Clericus, qui in Ecclesia beneficiata arbores in magna quantitate, & cum notabili deterioratione incidit, secus si deterioratio non erat notabilis. nu. 1.

Arbores vetustas, & corruptas incidere licet. nu. 2.

Emphyteota incidendo arbores in fundo emphyteotico non priuatur iure suo, quando ex hac arborum incisione fundus factus fuit fructuosior. nu. 3.

DECISIO DLIII.

1 Solo fisco curiæ Episcopalis Meliten. informante contra ipsum fuit capta resolutio scilicet sententiam Vicarij, qua condemnabat Abbatem Ecclesiæ, seu beneficij S. Lucæ de Solano eiusdem diœcesis ad priuationem beneficij esse infirmandam. Licet enim de huiusmodi pęna minime esset dubium iuxta dispositionem extrauagantis ambitiosæ. *§. inferiores. de reb. eccl.* non alteri, & ex testibus, qui dabantur pro Curia Episcopali, & ex confessione Abbatis probaretur incisio arborum in magna quantitate, & quod destinatæ erant ad afferendum fructum annum, nec erant ceduæ tamen aliud requisitum, scilicet notabilis deterioratio non probabatur, prout erat necessarium ad istum effectum priuationis, vt in emphyteuta, feudatario, vsufructuario, & similibus tradunt *Bald. in auth. qui rem. nu. 2. vers. secunda nota. C. de sacros. Eccl. Redoan. de reb. Eccl. non alien. Rubr. de caduc. ob rei deter. nu. 9. Corbul. de caus. priuat. ob rei deter. nu. 24. declar. 1. Roland. cons. 49. nu. 20. lib. 2. Valasc. cons. 50. nu. 6. lib. 1. Menoch. de arbitr. cas. 78. nu. 6. Ioseph. Ludouic. dec. Perus. 22. num. 21. & Lucen. dec. 8. nu. 9.*

2 Non enim probatur ista notabilis deterioratio respectu reditus cum simul esse possit, vt deponunt testes, quod Celsi, & Castaneæ locarentur pretio Scutorum circiter 19. sed non deponunt, quod excisis ijs, de quibus agitur, non remaneant aliæ similes arbores ex quibus eadem summa, vel paulo inferior possit exigi singulis annis. Præterea non deponunt testes, quod arbores prædictæ, si non fuissent extirpatæ vtilius fuisset bonis ipsius beneficij illas ita antiquas prout erant conseruari, quam in locum earum alias substitui, quia & hoc in arboribus vetustis, aut corruptis videtur licere, vt tradunt *Ang. & alij relati per Tiraquel. de retract. conuent. §. 3. gl. 1. & vnic. nu. 26. Redoan. in d. tract. de reb. eccl. quæst. 79. cap. 7. nu. 13. Corbul. vbi supra num. 28. vers. idco quod supra dictum est.*

3 Accedit ex huiusmodi arborum incisione fundum effici potuisse magis fructuosum, ex quo poterat ille ad culturam reduci, vt deponunt testes pro parte dicti Abbatis, & videmus in emphyteota, quod non priuatur iure suo quando arbores incidit, dummodo fundus fiat fructuosior, *Cæpol. in tract. de seruit. rustic. præd. tit. de montibus. cap. 22. q. 5. n. 10. ad med. vers. Aut nulla est conuentio. Tiraquel. vbi sup. nu. 27. Corbul. de caus. priuat. ob mut. rei form. nu. 6. & de caus. priuationis ob rei deterior. nu. 30. Valasc. d. cons. 50. num. 9. vers. sed ad illa.* Et ita conclusum, quo ad priuationem, de qua sola agebatur.

DECISIO DLIV.

Romana Domus. Veneris 23. Maij. 1614.

Impressa Apud Buratto.

DECISIO 56. R.P.D.

R. P. D. PIROVANO.

Clusina Postæ Puteoli Veneris 23. Maij 1614.

ARGVMENTVM.

In hac decisione multa notanda ponuntur de confirmatione inuestituræ feudi facta per Papam, illiusque extensione, & interpretatione, de quibus in Summario.

SVMMARIVM.

Confirmatio de sui natura non auget, nec extendit dispositionem substantiæ, nu.2.
Testandi facultas alicui concessa solum habilitat Personam ad dispendium, quod suum, & proprium est, non autem ad acquirendum quod alienum est, num.3.
Relatiua approbatio intelligenda est secundum relatum, num. 5. Declara, vt nu.6.
Voluntas à potestate metienda est, & cedere nemo præsumitur, quod non habet, num.6.
Dictio sicut, & dictio respectiue, qualificat dispositionem vt singula singulis referantur, nu.6.
Nemo præsumitur in alium voluisse transferre plus iuris, quam ipse habeat, nu.6.
Cedere nemo præsumitur ius quod non habet, num.6.
Voluntas à potestate mensuratur. nu.6.
Relatum dicitur esse in referente cum omnibus suis qualitatibus, nu.7.
Dispositio non dicitur superflua, aut elusoria, quæ potest in aliquo operari, nu.8.
Confirmatio etiam cum clausula, & certa scientia non trahitur ad ignorata, nu.9. & seq.
Princeps non præsumitur absque expresso consensu voluisse præiudicare suæ Cameræ. nu.10.
Verborum inuolucro prolata recipientia iuris disputationem facile Principem decipiunt, num.10.
Inuestituræ, & concessione subsequentes in dubio interpretandæ sunt, ne priores censeantur alteratæ, num.11.
Confirmatio Papæ in feudis quando habeat vim nouæ inuestituræ, ipsaque sola attendenda sit, & non prima, nu.11.

DECISIO DLV.

1 SEquendo ordinem in hac causa per Dominos definitum, vt scilicet videretur, An D. Marchio à Cornea fundatam haberet intentionem, & exinde, an eius intentioni obstarent Breuia Iulij Tertij, Pij Quarti, & Gregorij XIII. & resoluto D. Marchione fundatam habere intentionem, & postmodum Breue Iulij Tertij non obstare, proposui sequentem disputationē super Breui Pij Quarti, sed Domini eā restrinxerunt attingendo magis in specie difficultatem, & videre voluerunt, an Breue prædictum comprehendat respectu Postæ nouas personas non comprehēsas in anterioribus concessionibus, & sic D. Ducem modernum, & hodie super prædictis habita disputatione, censuerunt Breue Pij Quarti non comprehendere nouas personas, tam inspectis verbis ipsius concessionis quam mente Pontificis concedentis.

2 Verba enim, quæ leguntur in prima parte Breuis, non continet nouas personas diuersas ab eis, quæ in prioribus concessionibus fuerunt nominatæ, sed tantummodo sunt expressiua confirmationis donationum, & conuentionum initarum inter bon. me. Cardinalem Guidonem Ascanium Sfortiam, & Paulum eius fratrem, quę confirmatio de sui natura non auget, nec extendit dispositionem substantiæ, vt dicunt *Dec. in l. more. num.31. ff. de iurisd. omn. iud. & in rubr. de confirm. vtil. vel inutil. nu.1. Menoch. cons.704. n.36. Alex. cons.122. nu.20. lib.4.*

3 Secunda vero pars continet facultatem testandi eidem Cardinali concessam de Statibus, & Castris in pactis enunciatis, & de omnibus alijs bonis in quascunque personas, quæ nihil tribuit in ipsius concedentis, vel tertij preiudicium, sed solum habilitat personam ad disponendum, quod proprium est, non autem per dispositionem ad acquirendum, quod alienum est, vt in specie tradunt *Butr. in cons.10. nu.4. vers. Item dato, Castr. cons.285. num.1. in princ. & consil.273. nu.1. volum.2.*

4 In tertia parte ex eadem Breuis dispositione obligantur adinuicem omnes fratres ad obseruationem conuentionum, donationum, & testamentorum, & instrumentorum, pro quibus confirmatio fuerit petita, que obligatio non infert maiora expressis in precedentibus facultatibus.

5 Neque visum est obstare, quod nedum verba ipsius Breuis ad hunc effectum sit attenden. sed etiam relationes, vt ideo si approbatio refert se ad priuilegium, vel aliam scripturam, approbatio relatiua sit intelligenda secundum relatum, *l. asse toto. ff. de hæred. Instit. Dec. cons.47. nu.20. Rom. cons.294. nu.1.* quod etiam in terminis confirmationis videntur affirmare, *Paris. cons.43. nu.39. & cons.63. nu.3. lib.3. Becc. cons.55. nu.9. lib.1.* & inde cum Breue contineat confirmationem pactorum initorum inter fratres prædictos, & licentiā de dispon endo iuxta formam dd. pactorum, & in pactis Paulo, qui cum Alexandro fuerit de huiusmodi Posta inuestitus, præmoriente sine filijs, omnes filij aliorum fratrum fuerint substituti, satis videtur apparere alias personas esse comprehensas.

6 Ad prædicta enim respondebant Domini, quòd & si confirmatio relatiua sit intelligenda secundum relatum, & relata substitutio sit apta comprehendere nouas personas, tamen quia non simpliciter fuerunt vocati omnes filij fratrum ipsius Cardinalis, sed additis verbis, Respettiuitatem, si come, & nel modo *ch'è disposto di sopra, & ordinato per le concessioni, & instromenti sopra ciò fatti, & fatte* satis videtur restricta vocatio filiorum ad ius, & facultatem, disponentis secundum concessiones Apostolicas, ponderando dictionem relatiuam, si come, & dictionem; respettiuamente, per quam qualificatur tota dispositio singula singulis congrue referendo, *l. quoties, Cod. famil. ercis. Rimin. iun. cons.244. num.307. lib.2.* vt scilicet Castra, & Casalia sint reditura ad fratres, & eorum filios libere, & absolute. Posta vero ad fratres, & eorum filios durante concessione in vita Alexandri, & hic sensus nedum est ad Cameram, sed & iuri conformis, vt quis transferat ius tantum quod habet, demetiendo voluntatem à Potestate, prout decedente tradunt *Bald. in rubr. C. de contraben. empt. nu.11. Fabian. de Monte eod. tract. q.6. princ. nu.6. de donante Spec. de loc. §. nunc aliqua q.109. in fin. nu.133. Crau. cons.112. nu.11. de vendente Cardin. Mantic. post alios de contract. libr.4. tit.9. num.33.*

7 Nec placuit responsio data per Informantes D. Ducis ad illa verba, si come & nel modo che è disposto di sopra, vt tantum importent ordinem succedendi datum in concessionibus, quod sicuti Paulus, & Alexander, & eorum filij erant vocati ad tertiam generationem in anterioribus concessionibus, ita in hac noua, non super existentibus Paulo, vel eius filijs, alij fratres eius, & eorum filij similiter ad tertiam generationem vocati censeantur. Quia vltra quod defectus potestatis taliter contrahendi inter ipsos fratres semper obstare videtur. fuit etiam dictum relationis effectum diuidi non posse, vt scilicet taxatiue referatur modus succedendi, & forma substantiæ concessionum omittatur, quæ esset contraria naturæ relati, quod dicitur esse referente cum omnibus suis qualitatibus, vulgata, *l. asse toto. ff. de hæred. institut.* & retenta vtraque forma relata tam modi succedendi, quam

quam temporis præscripti ad succedendum, cessat intellectus comprehensionis nouarum generationum, quia partes contrahentes noluerunt ad inuicem sibi ipsis plus iuris transferre, quam haberent ex antiquis concessionibus, quod etiam clarius expresserunt in retrodatione, seu retrocessione anni 1555. de Mense Februarij facta per Cardinalem ante d. Breue Pij IV. dum in ea assignantur Paulo eius fratri eademmet bona assignata in instrumento anni precedentis de Mense Nouembris cum particulari expressione, scilicet, durantibus tamen quo ad Castrum Proceni, & Postam Clusij dd. Castri, & Postæ concessionibus Apostolicis, & idem in supplicatione porrecta Gregorio XIII. per Cardinalem, & Paulum pro obtinenda prorogatione ad alias generationes fuit repetitum, dum narrauerunt, quod ob defectum eorum prolis intendebant in hac Posta nominare Ioan. Baptista, & D. Ducem modernum.

8 Et ex prædictis patet responsio ad replicationem superfluitatis, quia, vt dictum est durante vita Alexandri in inuestitura comprehensi potuit esse locus substitutioni filiorum aliorum fratrum, & sufficit dispositionem in aliquo posse operari, ne superflua, aut elusoria iudicetur, *l.1.in princ. ff.quod met.caus.l.1.in fin. ff. ad municip.l.3.§.1.ff.de iureiur.Surd.consi.127.n.9.lib.1.*

9 Ex mente etiam Pontificis concedentis fuit dictum nouas personas non esse comprehensas: Nam cum neque in scriptura referente, neque in scriptura relata facta fuerit mentio de inuestitura huius Postæ, nec de generationibus in ea comprehensis, aut de tempore finituro, sed tantummodo de translatione iuris in Paulum fratrem habiti per Cardinalem ab Alexandro altero fratre de medietate Postæ Clusij, & de trãslatione Iurium facta per Paulum in Cardinalem reseruata Posta Clusij, ex eo inferri non potest ad petitionem nouæ qualitatis, quia de sola confirmatione respectu translationis Iurium petita intelligi potest, neque ad intentionem concedentis vltra confirmationem, cum ignoret factum, super quo confirmatio etiam cum clausula, ex certa scientia, nihil operatur, *Bel.in l.fin.n.9. C.sententiam rescindi non posse. Alex.cons.122.num.21.vers. nisi Papa confirmet factum proprium, lib.4. Andr.Gail.lib.2. obseruat.1.nu.18.*

10 Non enim præsumitur, quod Princeps absque expresso consensu intendat præiudicare suæ Cameræ, *Castr. consil.84. numer.4. lib. 2.* & in decis. in hac eadem causa fuit dictum 23. Ianuarij 1613. nec sub inuoluero verborum recipiente iuris disputationem, per quam Princeps facile posset circumueniri, vt dicunt *Rom. consi.326. num.12. vers.& huius. Felin.in c.dilectus, lib.1.de rescript.num.10. Gram.consi.66. num.19.*

11 Et propterea cessare videtur ponderata confirmatio Pij IV. vt habeat vim nouæ inuestituræ in pactis respiciendi successionem, & ipsa sola sit attendenda, non autem prima, à qua prætenditur recessum per cõtrarias facultates ex *Paris.consi.43. num.11. lib.1. Gabr.de dilat.concl.2. num.26. & alijs allegatis per Cardinalem Seraphin. decis.1362. num.3.* quia prædicta possent procedere, quando clare constaret de substantia verborum, ex quibus contrariæ facultates desumerentur; secus vero quando clare de contrario liquet, vel dubitabilis esset eorum verborum interpretatio, vt in præsenti, quia in dubio subsequentes concessiones ita videntur interpretandæ, ne priores censeantur alteratæ, *Curt. de fud.1.parte 2. princ.numer.44. Menoch.de præsumpt.lib.3. præsumpt.92.numer.2.& 4. Gerad.de fud.part.5.c.2. num.44. Corbul.de iur. emphyt.tit.de priuat.ob lin. nu.8. & 29.* Et ita fuit resolutum.

R. P. D. VBALDO.

Mediolani pecuniaria, seu Cambiorum. Mercurij 28. Maij. 1614.

ARGVMENTVM.

Vsura non est dare mercatori pecunias, vt eas retineat in cambijs, & quid si mercator in se assumat periculum dd. pecuniarium.

SVMMARIVM.

Mercatori dare pecunias, vt eas retineat in cambijs licitis, & realibus non est vsura. num.1.

Mercator potest in se suscipere periculum pecuniarium sibi ad traficandum in cambijs datarum, nisi ex alio capite hoc pactum reddatur illicitum. nu.2.

Mercatori pecunias dare, vt eas retineat in cambij licitis & realibus, quis nam contractus sit. nu.3. & 4.

Contractus in dubio præsumitur qualis designatur ex verbis. num.4.

Obligatio de restituendo capitale quomodo intelligenda, & interpretanda sit. nu.5.

Pactum in dubio semper iudicandum est ab vsuræ suspicione alienum. num.5.

DECISIO DLVI.

1 Lata sententia in Rota pro validitate, & iustitia contractus, de quo agitur, iuxta decisionem in causa facta die 25. Iunij 1610. coram Illustrissimo Cardinale Lancellotto, tunc Rotæ Auditore, & propter transitum sententiæ in rem iudicatam, commissa mihi causa restitutionis in integrum. Dubitaui, An constaret de causis restitutionis in integrum, & Domini negatiue responderunt, quia nedum non docetur de iniustitia rei iudicatæ prout requireretur, vt fuit dictum in causa Sabinen. pecuniaria 19. Martij 1610. coram R.P.D. meo Pamphilio, sed constat de clara, & euidenti iustitia, ex copiose, & luculenter deductis in prædicta decisione Illustrissimi Cardinalis Lancellotti ex quibus apparet nullam subesse in prædicto contractu vsuræ suspicionem, cum dare pecunias mercatori, qui eas retineat, & trafficet super cambijs licitis, & realibus sit iure permissum, *c.per vestras. vbi Abb.num.6. & alij de donat. inter vir. & vxor. cum alijs in decisione allegatis.*

2 Neque obstat, quod Mercatores susceperint in se periculum, quia neque talis conuentio est in se prohibita, nisi ex alio capite reddatur illicita, *vt est text. in l.decem.ff.de verbor.oblig.l.periculi.ff.de naut.fœnor.l.cum proponas. C. eod.tit.* & late tradit *Petr. Santerna, de assecurat. & sponsion mercat.part.1.num.5.& seqq. vbi num.8.& 9. Declarat text.in cap.viti.de vsur.* qui videbatur facere in contrarium, quod procedat in mutuo extra quem contractum dicit contractum assecurationis sub promissione pretij periculi valere. Et hunc contractum esse frequentem, patet ex traditis per *Dec.cons.7.*

3 Hic autem contractus, vel fuit locatio operarum, vel quædam institoria, vt in dicta decis. vel fuit contractus mandati, gratia tam mandantis, quam mandatarij iuxta *text. in §. 1. Instit. de mand.* vel innominatus *ex mente Bald.in l.cunctos populos. mihi.num.33.C.de Sum.Trinit. & fid.Cathol.Santern. vbi supra. num. 7.* In his autem cadit quædam mutua recompensatio, quæ non est vsura, vt per *Bald.loco allegato*, & fuit dictum in causa Romana exequutionis laudi 2. Decembris præteriti coram me.

4 Et quod non esset contractus Societatis, Domini habuerunt pro constanti, tum quia in eo nullum verbum de societate, & contractus in dubio præsumitur, qualis designatur ex verbis. *Oldrad. cons. 159. in 1. ducio. Abb.consil.15. in fin.lib.1. Alex. consil.3. sub num.1. lib. 1. Decian. cons.2. num.62. lib. 1.* Tum quia in eo non leguntur aliqua pacta, ex quibus arguatur fuisse contra-

ctam societatem, & præsertim cum nulla adsit communicatio capitalis, aut lucri, *l. coiri. cum l. seq. ff. pro soc. cum simil.*

5 Non obstat quod D. Pirouanus voluerit assecurare capitale, quia talis assecuratio ex verbis apochæ non bene colligitur, & in omnem euentum obligatio de restituendo capitale debet intelligi non de toto capitali, sed de capitali remanente, vt fuit dictum in causa Ferrarien. societatis 28. Ianuarij 1569. coram Illustrissimo Cardinale Mellino, & quatenus res esset dubia debet sumi interpretatio, per quam actus iudicetur alienus ab omni vsuræ suspicione, *Bald. in l. Rogasti. §. si tibi in fin. ff. si cert. pet. & consil. 154. num. 2. & seq. lib. 2.* & firmatur in d. decisione huius causæ, coram Illustrissimo Lancellotto, in qua etiam ad alias obiectionem dantur congruæ responsiones, quæ Domini placuerunt. Et ita fuit decisum Dominis Pirrouanis solum informantibus, post diuturnam aduersariorum contumaciam, qui sæpissime citati informare noluerunt.

R. P. D. ANDREA.

Beneuentana Bonorum 28. Maij 1614.

ARGVMENTVM.

Mandatum de manutenendo non datur nisi probata possessione tempore motæ litis. Cetera videas in Summario.

SVMMARIVM.

Mandatum de manutenendo non datur illi, qui non probat possessionem tempore motæ litis, nu. 1.
Possessio data à Iudice expulso alio possessore valida est quando ipse iudex iuridice processit, nu. 2.
Ratificatio, & homologatio confirmat actum alias nullum prout ex nunc. num. 3.
Exequutio fieri non potest super bonis stabilibus non facta excussione super mobilibus, num. 4.
Minor dicitur indefensus si eius curator citatus nunquam comparuit. nu. 5.

DECISIO DLVII.

1 Dominis pro maiori parte visum fuit non esse dandum mandatum de manutenendo Dominis de Vitellis, quia non constat de illorum possessione tempore motæ litis, & manutentio non datur non possidenti. *Alexan. consil. 92. num. 4. libro primo, Guido Papæ, consil. 13. numer. 1.* & fuit dictum in Casartana, beneficij. 17. Iunij 1605. coram Reuerendissimo Lugdunen.

2 Quod autem de tempore motæ litis, non essent Vitelli in possessione, constat ex immissione DD. de Galeatijs facta per Vicarium Beneuentanum, qui iuridice immittens, potuit Vitellos omni possessione priuare iuxta Doct. *Angel. in leg. clam possidere. §. qui ad nundinas, num. 2. in fine, de acquir. possess.* quam ibi Doctores communiter sequuntur, & pluries canonizauit *Rot. in dec. 802. num. 7. par. 1. & decis. 62. num. 3. par. 2. diuers.* & alias sæpe.

3 Non obstant deductæ nullitates contra mandatum iudicis, & immissionem vigore illius factam. Prima enim nullitas circa obligationem minorum, quæ dicitur facta contra formam statuti Beneuentani, multipliciter ponderati, pro parte DD. de Vitellis, hic cessat, quia immissio in vim deliberationis factæ bonorum, de quib. agitur, non fuit facta vigore instrumenti, impositionis census de anno, 1603. Sed vigore instrumentis ratificationis, & homologationis eiusdem de anni 1612. In quo interuenerunt omnes solennitates, quæ ratificatio, & homologatio confirmat actum alias nullum, prout ex nunc licet non ex tunc *Bart. in l. obseruare. nu. 4. ff. de offic. procons. Dec. cons. 367. nu. 4. & in l. semper, qui non prohibet. num. 16. de reg. iur. Paris. consil. 49. num. 20. & 61. lib. 1. Ruin. cons. 72. num. 10. in fine, lib. 3. Cephal. consil. 51. num. 43. & seq. lib. 1. Osasc. dec. 119. num. 26. vers. sed tantum Surd. dec. 70. nu. 17. & latius, dec. 245. num. 4. vers. fuit tamen conclusum, & n. 5. & seq.*

Aliæ vero nullitates circa processum visæ fuerunt parum releuantes. Prima enim, quod fuit facta executio super bonis stabilibus, non facta excussione super mobilibus, contra textum *in l. 1. §. si forte, & leg. magis, §. non passim, de rebus eorum*, cum alijs adductis in causa Romana de Olphis 25. Octobris 1613. coram R. P. D. meo Decano, & hic per Informātes ipsa quoque remouetur, ex quo Vitellij non docent de inuētario, ex quo appareat, adesse bona mobilia, & cū ipsi sint herede Patris, vt cōstat ex eorū confessione medio iuramento facta, de qua in instrumento ratificationis, vtiq; si non ex propria, saltem ex paterna obligatione tenentur *l. cum à matre. C. de rei vendicatione, l. ex qua persona. ff. de regulis iuris.*

Secunda nullitas quod curator, esto, quod fuerit citatus, nunquam tamen comparuit, & ideo minores semper remanserunt indefensi cum ad hunc effectum paria sint non habere curatorem, & habere illum, qui legitimæ defensiones non facientes ex deductis in dicta Romana satis superq; videbatur sublata ex serie ipsius processus, cum nullitas census fuerit apposita coram Vicario Beneuentano, qui pro validitate pronunciauit à qua sententia, cum appellatum fuerit, obtentaq; inhibitio, A. C. ea postmodū hic vigore rescripti signaturæ Sanctissimi, fuit moderata, deinde opposuerunt Vitellij de donatione reiectiq; fuerunt per sententiam, R. P. D. Buratti tunc A. C. locum tenentis, ex quibus actibus clare apparet, ipsos non fuisse indefensos.

Et ex his fuit capta resolutio pro denegatione mādati de manutenendo, omissa pro nunc inspectione illius articuli, an bona minorum debeant subhastari per 30. dies iuxta Auth. hoc ius porrectum, *C. de Sacrosanct. Eccles.* quæ inspectio non fuit visa necessaria stantibus. supradictis. Illa autem ratificatio primæ obligationis, non fuit facta ex causa necessaria, vel vtili requisita per statutum Beneuentanum, vt latè hic per Informantes pro Vitellis, qui alia etiam deducunt non modicæ considerationis, ideo libenter eos reaudirem.

R. P. D. PIROVANO.

Bononien. Laudi. Lunæ 2. Iunij 1614.

ARGVMENTVM.

Libri sociales, vt probent, quæ requirantur, breuis, sed Magistralis est decisio.

SVMMARIVM.

Libri mercatorum non dicuntur legales, si in vna, duabus vel pluribus partitis calculus non verificatur, nu. 1.
Actus imperfecti natura est, vt aliquid deficiat, aut addi possit. nu. 1. in fine.
Libri mercatorum vocati memoriales non obligant, nec inducunt certam solutionem, nouationem, nec promissionem, numer. 2.
Liber mercatoris non facit fidem, si non fuit confectus seruata forma iuris, aut statuti, nu. 2. in fine.
Adminicula non suffragantur, vbi non procedit aliquis gradus probationis, cui coniungi possint, nu. 3.

DE-

DECISIO DLVIII.

1 Firmato per particulares Decisiones, quam fidem mereantur libri sociales, & liber nnuncupatus Il Matto, exinde dubitaui, An ex folio in actis vltimo loco producto, videlicet die 26. Martij, & 29. Aprilis 1613. sit sufficienter reddita ratio pro DD. de Grimaldis cum præsupposito tamen, quod partitæ in folio annotatæ, & ad libros relatæ concordent in quantitate expressa. Et DD. censuerunt non esse sufficienter redditam rationem. Ex folio. n. nihil infertur nisi in quantum partitæ relatæ habeant fundamentum verum, & reale ex libris, quibus fides sit adhiben. pro ratione concludendi, libri autem ad quos se refert Grimaldus in suo folio, non omnes habent fidem indubitatam, ideo sufficit quod in vna, vel duabus, vel pluribus partitis calculus non verificetur, non iustificata librorum legalitate vt inde dici possit, rationem esse imperfectam, cum hoc sit de natura actus imperfecti vt aliquid deficiat, aut addi possit *l. penul. C. ad Sylanian. Rim. Iun. cons. 189. nu. 19. lib. 2. Cephal. cons. 674. nu. 6. vol. 5. Becc. cons. 13. nu. 7. lib. 1.*

2 Libri autem ex quibus sunt extractæ partitæ in folio relatæ, vel nullam fidem merentur, vel diminutam, vel si aliqui legales sunt, non omnia ad perfectam redditionem rationis necessaria continent. Nam libri intitulati Vacchetta, Strazzo, Secreti, & similes, sunt de ijs, qui nullam fidem merentur, cum non contineant introitum, & exitum per librũ formalem qui concordet cum Magistro, in quo de eodem formali referantur ad concordan. partitas debiti, & crediti, & potius vocantur libri memoriales, qui non obligant, nec inducunt certam solutionem, nouationem nec promissionem. *Soc. sen. cons. 267. ad fin. lib. 2. Rota Ianuen. dec. 1. nu. 19. & 20. Menoch. prædictos referens cons. 269. n. 26. lib. 3.* Præterea cũ non fuerint confecti seruata forma inter ipsos socios in Capitulis societatis conuenta scilicet vt in foro Mercatorum Bononien. approbarentur quod etiam est de forma legis principalis eiusdem Ciuitatis. Inde tanto magis deficit eorum fides. *Paris. cons. 58. nu. 54. lib. 4. Rota Ianuen. dec. 83. nu. 1. Surd. cons. 361. num. 8.*

3 Liber nuncupatus il Matto pro plena probatione deseruire non potest, quia cum fuerit decisum non probare, sed posse pro adminiculo seruire, quæ adminicula non suffragantur, nisi præcedat aliquis gradus probationis cui iungi possit, vt ex imperfectis plena probatio reddi possit. *Gabr. de probat. post alios conclusione 1. in princ.* Sociales autem libri quib. fidem esse adhibẽdam ad probandam veritatem partitarum iamfuit decisum, & illi pro partitis respectiue contentis folium iustificabant, sed cum non omnes partitas contineant, remanent manca, & imperfecta conclusio rationum deducta in folio, & consequenter insufficienter reddita, & ita fuit resolutum.

R. P. D. DVNOZETTO.

Romana, Seu Florentina pecuniariæ. Lunæ. 9. Iunij 1614.

ARGVMENTVM.

Cambia debentur ab eo, qui ordinem dedit, si sint realia.

SVMMARIVM.

Mandans accipi cambium tenetur de suo. nu. 1.
Cambia quæ non sunt realia non approbantur. nu. 2.
Assertioni partium non est standum, ne aperiatur via fraudibus. nu. 2.

DECISIO DLIX.

1 Domini censuerunt deberi cambia vsque ad diem solutionis Scutorum 4000. Cum enim Pisotus indigens pecunijs dederit ordinem Antonio Rembo accipiendi dicta Scuta 4000. ad cambium, & Antonius illa acceperit, tenetur Pisottus ex lege conuentionis ad omnia cambia, etiamsi non dedisset mandatum expressum pro sequentibus cambijs, ex quo Antonius non tenebatur de proprio extinguere, nec prima, nec secunda Cambia, *Dec. cons. 562. num. 1. & seqq. Cagnol. in l. 1. num. 45. & seqq. C. de sent. quæ pro eo. Stracha de mercatur. tit. mandat. nu. 20. Tiraq. in l. boues. §. hoc sermone. limitation. 6. nu. 8.* ideoque eo magis procedit hoc casu, stante consuetudine in Ciuitate Florentiæ, vt semel datus ordo accipiendi pecunias ad cambium duret donec, & quousque per ordinantem fuerit facta solutio, secundum quam consuetudinem censetur Pisottum ordinem dedisse, *Roman. cons. 114. nu. 5. vers. Quo ad secundum. Dec. cons. 441. num. 9. & seqq. Stracha loc. alleg. num. 19.* Quod vero Antonius habuerit in manibus pecunias redactas ex mercibus Pisotti ex quibus potuisset extinguere prius d. summam nullibi iustificatam, & cõtrarium colligitur ex literis eiusdem Pisotti, & ex cõputis per ipsum approbatis.

2 Verum quia in hac positione non videbatur iustificatum, cambia fuisse realia, & propterea reprobata tam ex constitutione Pij V. quam de iure, vt fuit resolutum in Mediolanen. pecuniariæ 27. Martij 1602. coram Litta, ex qua tollitur fundamentum, quod fiebat super approbatione Pisotti in computorum solidatione, non enim standum est assertioni partium, ne aperiatur via fraudibus, & vsurariæ prauitati, *Bart. in l. si forte. de castr. pecul. Iason. in l. donationi. C. de Collat.* licet posset etiam dici approbationem intelligendam esse, quatenus Cambia sint realia. Ideo Domini resoluerunt Cambia deberi, & illa probabuntur realia. Et ita decisum, &c.

R. P. D. VBALDO.

Mutinen. Canonicatus. Veneris 13. Iunij. 1614.

ARGVMENTVM.

De materia authoritate propria se intrudentis in possessionem secundi beneficij incompatibilis cum primo, iuxta text. in cap. eum, qui de præbend. in 6. & de virtute clausulæ, seu quo vis alio modo vacet.

SVMMARIVM.

Impetrans beneficium cum clausula generali, quouis alio modo vacet, venire potest ex quacunque vacatione, etiam quod ante dictam clausulam vnum vacationis modum specialiter expresserit. nu. 1.
Gratia beneficij conditionalis obtenta quatenus scilicet supplicans beneficium vacans ex causa delicti commissi per Beneficiatum accusauerit, & accusationi se inscripserit, quando locum habeat, non verificatis conditionibus. nu. 2.
Possessionem beneficij propria authoritate occupans dicitur intrusus, & ipso iure beneficio priuatur. nu. 3.
Gratia in forma dignum concessa nullum tribuit ius in re, sed solum importat mandatum de prouidendo, quatenus idoneus fuerit repertus. nu. 3.
Parochialis Ecclesiæ possessio censetur probata per exercitium spiritualium actuum ad curatum pertinentium num. quarto.

Testes nulliter examinati deseruiunt pro adminiculo, nu.4. in fine.
Actus possessorij præsumuntur facti ex præambulo tit.nu.5.
Beneficium secundum incompatibilem cum primo assecutus ipso iure amittit primum beneficium, nu.5.
Clericus ordinatus ad titulum beneficij ille renunciare non potest. Declara, vt nu.6.
Beneficij secundi incompatibilis cum primo possessionem assequutus, vt primo beneficio priuatus censeatur necesse est probare non solum possessionem secundi beneficij, sed etiam maioris partis fructuum dicti beneficij. Declara, vt numer.7.
Ignorantia iuris regulariter non excusat eum præsertim, qui autoritate propria se intrusit in aliquo beneficium, n.8.

DECISIO DLX.

1 PRoposito pluries dubio reseruato in Decisione huius causæ 11. Martij 1613. quod erat, an Annibali Burellæ obstaret dispositio capite eum qui de præb. in 6. illud propter varias Dominorum Sententias, non fuit resolutum, sed cum pro eius parte prætenderetur, gratiam Bernardi aduersarij non comprehendere vacationem inductam in terminis dicti capite eum qui, ideo Domini voluerunt informari super dubio ita concepto, An gratia Bernardi suffragetur quo ad dispositionem capite eum qui de præb. in 6. & fuit resolutum affirmatiue. Nam quod gratia suffragetur, & sic quod capiat prædictam vacationem, deducebatur, quia licet Bernardus impetrauerit Canonicatum tanquam vacantem per sacrilegium, tamen virtute clausulæ generalis, seu quouis alio modo vacet, venire potest ex quacumque vacatione. Quia dicta clausula, quouis alio modo comprehendit omnem modum vacandi, *Rota decis.1.num.2. de rescript. in nou. Felin. in cap. in nostra, num. 57. vers. fallit 4. eodem titulo Sarnen. in regul. de infirm. quæst.34. num.2.* dummodo iustificetur narratiua gratiæ, saltem de facto, vt fuit resolutum in Aurien. parochialis 26. Iunij 1606. coram Reuer. Domino meo Damasceno, in Oueten. Beneficij, 5. Iulij, 1610. coram R. P. Domino meo nunc Decano in Virdunen. Canonicatus 25. Maij, 1596. coram bon. mem. Cardinale Pamphilio, & sæpe in alijs: Sacrilegium autem satis, visum fuit iustificatum ex ipsius Annibalis confessione, qua nulla melior probatio, *leg. generaliter, Cod. de non numerat. pecun. cum similibus.*

2 Neque obstare videbatur, quod gratia Bernardi esset conditionalis, quatenus scilicet, si dictus Bernardus eundem Annibalem super relatis huiusmodi accusare, seq; in forma iuris inscribere voluerit, &c. & aliæ conditiones apponuntur considerate per informantes, quibus non verificatis non videatur esse locus gratiæ, etiam virtute clausularum generalium tanquam dependentium à dispositione principali ex allegatis, quia fuit responsum, quod hæc procederent si tractaretur de canonizanda gratia ex capite Sacrilegij, tunc enim esset necessaria inscriptio, diligens inquisitio Ordinarij, & Sententia priuatoria cum formali amotione Annibalis à Canonicatu, & aliorum narratorum iustificatio, secus videtur esse ad effectũ obtinendi ex alio modo vacandi præter expressum, vigore clausularum generalium, quo casu videtur sufficere simplex probatio illius facti narrati ex supra allegatis, cum talis probatio requiratur solum ad effectum tollendi dolum, & calumniam impetrantis, vt fuit dictum in Tirasonen. Canonicatus de Alfarò 24. Maij, 1602. coram R. P. Domino meo Decano.

3 Quod autem intret dispositio capite eum qui. de præb. in 6. dicebant Domini constare ex eo, quod Annibal propria auctoritate se intrusit in possessionem Parochialis Ecclesiæ sine aliquo Canonico titulo, quo casu dicitur intrusus. *Innoc. in cap. Nihil est, n.4. de elect. cum alijs per Rota dec.21 num.5. par.2. diuers.* & priuatur ipso iure beneficio, vel Canonicatu, quẽ antea obtinebat dicto capite eum qui. *gloss. in Clem. Si plures, in vers. vacare. in fin. de præb. Rot. dec.3. eo. tit. in nou.* & fuit resolutum in causa Toletana Cappellaniæ 14. Iunij, 1599. coram bon. mem. Cardinali Mantica licet, enim obtinuisset dictam Parochialem titulo permutationis cum Bernardo factæ de Canonicatu Mutinensi de quo agitur. Tamen gratia Annibalis erat in forma dignum, quæ nullum tribuit ius in re, sed solum importat mandatum de prouidendo, quatenus idoneus fuerit repertus, *Cossad. decis. 1. num.6. vt lit. pend. Mandos. in reg. de annall. q.55. num.3. Rebuff. in prax. in tit. de rescr. in form. dign. num. 2. & 3. Modern. ad reg. & glos.15. §.2. nu.56.* immo stante clausula apponi solita in literis in forma dignum, si per diligentem examinationem idoneum esse repereris, sequitur quod ante purificationem dictæ conditionis idoneitatis nullum ei fuerit ius quæsitum, neque etiam ad rem, *Bellam. dec.667. Gabr. cons.186. num. 26. libr.1.* poterat enim non approbari in examine, prout euentus docuit, cum fuerit reiectus.

4 De intrusione autem videbatur doceri per plures actus, de quibus deponunt testes in Curia formiter examinati, nam vltra quod Annibal locauit terras, & possessiones dictæ Ecclesiæ Parochialis, seq. Rectore in instrumento locationis asseruit, constat ex instrumento sub die 4. Ianuarij 1600. ipse celebrauit Missas, Baptizauit, & alia sacramenta administrauit in d. Ecclesia, exercuit omnes Spirituales actus ad Curatum pertinentes, per quorum actuum exercitiũ censentur apprehensa possessio Ecclesiæ *Abb. in c. in genesi. num.5. de elect.* deinde percepit fructus videlicet decimas, primitias, & oblationes, ex quibus probatur possessio quo ad temporalia ad *text. in l. Titia. ff. de solut. l.2. Vbi Bart. C. de acq. poss. cum alijs per Menoch. de retin. remed.3. num.564.* vt latius per eosdem testes, & per alios examinatos vigore Remissoriæ qui licet nulliter examinati, deseruiunt tamen pro adminiculo, *Bart. in l. admonendi. sub numer.41. ff. de iureiur. Aymon. cons.198. num.11. Caput. decis.206. nu.6. par. 2.* & fuit dictum in Hispalen. legitimitatis 11. Maij. 1612. coram me, & sæpe alias.

5 Non obstat, quod isti actus potuerint fieri etiam ab extraneo de permissione Rectoris, Quia de tali permissione, vel licentia non apparet, & e contrario cõstat ex prædictis Annibalem locasse prædia Ecclesiæ, & fructus percepisse vti Rectorem, & cum præcesserit beneficiorum permutatio, expeditio literarum, & accessus vtriusque ex permutantibus ad Ecclesias permutatas, vtiq; actus præsumuntur facti ex prætenso titulo præambulo, *l.3. C. de acqu. possess. glos. in l. Quædam mulier. ff. de rei vend.* & cum Bernardus iam assecutus fuisset possessionem Canonicatus incompatibilis cum Parochiali, desijt esse Rector ipso iure ex dispositione *Conc. Trid. sess.7. c.4. late Modern. ad reg.8. gl.15. nu.15. & seq.* vnde Annibal non potuit alieno nomine munera parochialia exercere, & per consequens illa censetur exercuisse nomine proprio.

Non obstat, quod Annibal fuerit ordinatus ad titulũ Canonicatus de quo agitur & propterea illi non possit renunciare, ne mendicare cogatur in dedecus Ordinis Sacerdotalis, quia hoc intelligitur in renunciatione voluntaria, non autem de priuatione prouenientе ex dispositioni Iuris ob iniustam intrusionem absq; e Canonico titulo, qualis est ista ex dispositione dicti cap. eum qui alioquin hoc modo ordinatus ex nullo delicto priuaretur beneficio, quod est absurdum.

6 Non obstat, quod intret cap. Eum qui, sit necessarium probare non salum possessionem, secundi beneficij, sed etiam maioris partis fructuum ex allegatis, Quia

Quia vltra quod talis possessio videbatur probata ex supradictis, cum tam spiritualia, quam temporalia Annibal possederit, *Bald. in cap. Ecclesia, in fin. de elect.* respondebatur, quod allegata procedunt in terminis, *cap. de multa. de præb.* in quo consideratur pacifica possessio, cum fructuum perceptione, vt declarat *Sarnen. in reg. de trienn. q. 53. nume. 2. vers. sed quo ad cap. de multa.* vbi de communi, secus videtur esse in terminis, cap. eum qui, in quo consideratur sola occupatio, vel intrusio scienter facta in 2. beneficio, vt patet ex eius lectura.

8 Demum non obstat, quod Annibal potuerit credere se habere aliquod ius in dicta parochiali vigore gratiæ, in forma dignum, & ideo videatur excusandus à pena dicto cap. eum qui, iuxta decisionem Bellam. 562. Quia vltra quod hęc est ignorantia iuris, quæ regulariter non excusat. *l. iuris ignorantiam. C. qui admit. dicebatur in specie, eam in terminis dicti c. eum qui, non posse allegari, sed solam facti ignorantiam, gl. in dicto c. eum qui. in ver. Scienter*, & ita intelligit dictum *text. post relatos*, Rota in dicta Toletana Cappellanię coram bon. mem. Mantica; immo eo magis mouebantur Domini ad non admittendam talem excusationem. Quia die 28. Iulij, Annibal tanquam non idoneus fuit ab examinatoribus reiectus, & nihilominus perseuerans in intrusione per totum Mensem Augusti, & Septembris, fructus percepit, sacramenta administrauit, & alia similia fecit prout deponunt testes nouissime examinati, quo tempore ille color præsumptæ ignorantiæ omnino cessabat.

9 Ex quibus & alijs adductis, præsertim in dicta Toletana Cappellaniæ, vbi alia obiecta remouentur circa dispositionem *dicti cap. eum qui.* Domini concluserunt, gratiam suffragari Bernardo, ita vt intret dispositio *dict. cap. eum qui, de præb. in 6.*

DECISIO DLXI.

Fauentana Beneficij, Veneris 13. Iunij. 1614.

Impressa Apud Buratto.

DECISIO 61.

DECISIO DLXII.

Foroliuien. Fideicommissi Lunæ 16. Iunij 1614.

Impressa Apud Buratto.

DECISIO 63.

DECISIO DLXIII.

Romana Domus. Lunæ 16. Iunij. 1614.

Impressa Apud Buratto.

DECISIO 62.

R. P. D. MANZANEDO.

Illerden. Portionis. Lunæ 16. Iunij 1614.

ARGVMENTVM.

Sententia lata perempta instantia est nulla, & appellatio dicitur deserta perempta instantia, & an defectus transportationis actorum excusetur propter irreleuantiam actorum.

SVMMARIVM.

Appellatio dicitur deserta vbi instantia fuit perempta, & fatalia, non fuerunt prorogata. nu. 1.

Instantia perempta videre debet solum pronunciare super peremptione instantiæ, & desertione appellationis. nu. 1.

Sententia nulla & iniusta non transit in iudicatum. num. 2.

Acta quæ non fuerunt producta non debent transportari. num. 3.

Actorum irreleuantia excusat à transportatione. nu. 4. Contrarium nu. 5. Licet ibi postea firmetur prima opinio.

Testes dicuntur falsi, quando deponunt contra confessionem partis. num. 6.

DECISIO DLXIV.

1 PRoposui dubium an sententiæ Rotales venirent confirmandæ, & affirmatiuam Domini fuerunt amplexi, cum de dictarum sententiarum Iustitia satis constet ex decisionibus in prima, & secunda instantia factis, coram Domino meo Pirouano. 22. Aprilis 1613. & coram Domino meo Buratto. 11. Decembris eiusdem anni. Quo vero ad nullitates, in quibus potissime pro parte Domini Ludouici fundamentum fiebat illas non obstare visum fuit. Prima enim desumpta ex eo, quod sententia per Dominum meum Pirouanum fuisset lata perempta instantia, cum fatalia non fuissent prorogata, & sic appellatio esset deserta, clement. si appellatum. de appellat. quo casu partes iudicis sunt tantum in pronunciando super peremptione instantiæ, & desertione appellationis, *l. 1. & 2. C. vt infr. cert. temp. Crauett. cons. 270. nu. 7* ex qua nullitate inducebant alias duas nempe ex examine testium coram eodem Domino Pirouano, & productione iurium coram ipso in eadem sic perempta instantia.

2 Quibus fuit responsum dictas nullitates non intrare, non enim docetur de dicta desertione, nec fuit vnquam oppositum de illa præsertim in causa appellationis coram Domino meo Pirouano. Vltra quod stante probatione iuris patronatus laicorum, vt in prædictis decisionibus fuit dictum, sententia Auditoris Cameræ super reseruatione fundata fuit deserta iniqua, & nulla, & non potuit transire in iudicatum, & sic nec appellatio ab illa interposita potest dici deserta, nec instantia perempta, & Dominus meus Pirouanus potuit tanquam suffectus in locum bo. me. Peniæ, pronunciare, prout in prima stante clausula commissionis quam, & quas. Et quamuis in eadem commissione adsit clausula parito literis arbitrio Rotæ cum fuerit disputatum arbitrium, & resolutum pro sequestro dictæ clausulæ parito amplius non operatur tanquam iam sortita suum effectum, & remansit iurisdictio Domini mei Pirouani firmata adhoc, vt posset procedere ad vlteriora, prout processit. Quibus stantibus cessant aliæ nullitates examinis, & productionis iurium coram eodem Domino Pirouano.

3 Alia nullitas desumebatur ex eo, quod non fuerat transportatus actus dimissionis possessionis factus per Ioannem. Respondebat autem, quod prædictus actus non potuit transportari coram D. meo Buratto, quia nunquam fuit productus prius, sed solum in hac vltima instantia coram me.

4 Ad illud vero, quod acta facta coram Auditore Ca-

meræ

meræ non fuerunt integre transportata in Rota, nempe processus compulsorialis fabricatus coram eodem Auditore Cameræ fuit responsum, quod omnia acta Auditoris Cameræ fuerunt posita in actis statim cõmissa causa in Rota coram bon.mem. Penia, & cum illis fuit disputatum dubium, an intraret arbitrium, & alia postea. Vltra quod ille processus compulsorialis non continet, nisi probationem obitus Martini in mense Aprilis, quod confessus fuit Ioannes in Monitorio, cuius confessione stante satis apparet de clara irreleuantia prædicti processus compulsorialis, quæ excusare videtur ab illius non transportatione.

5 Et quamuis in illa Mauricen. officij pænitentiariæ 21. Iunij 1591. coram bon.mem. Blanchetto fuerit dictum irreleuantiam actus non esse admittendam pro excusatione non transportationis illius, nam cum transportatio sit inducta à lege, non potest omitti, nec excusari per irreleuantiam, nihilominus in alijs decisionibus, prout in vna Albanen. Beneficiorum 4. Nouembris 1609. coram Illustrissimo Lancellotto, & in alia Placentina de Malpartida 4. Martij 1611. coram Reuerendissimo Bononien. Rota ex capite irreleuantiæ excusauit, non transportationem actus irreleuantis, ac ex eo censuit intrare arbitrium pro sanatione nullitatis non transportationis actorum, quod & videtur æquitati consonum, nec præsumitur quod lex exposcens actorum transportationem, intellexerit de superfluis, & non releuantibus, vltra quod ad maiorem cautelam in casu nostro iste processus compulsorialis fuit transportatus in secunda instantia, coram Domino meo Buratto. Ad aliam nullitatem, quod supradicta iura producta nõ essent in forma probanti fuit responsum originalia fuisse exhibita, & recognita coram Domino meo Buratto.

6 Tandem opponitur contra testes, quatenus videntur testificasse istud ius patronatus esse ex dotatione, & fundatione, & sic contra confessionem partis nempe iurato, qui confessi fuerunt esse ex priuilegio, & indulto Apostolico, vnde non videbantur attenden. iuxta DD. *in l.2.§.creditum.ff.si cert.pet. Aym.consi.171.nu.10. Verall.decis.283.nu.6. & seq.p.3.* Sed respondebatur iuratos non se restrinxisse ad priuilegium, & sic non exclusisse fuisse ex dotatione, & fundatione prout esse resolutum fuit. Vltra quod illa confessio procedit ex eo, quia Paulus Tertius confirmauit reformationem istius Ecclesiæ, & in particulari istud ius patronatus, & in literis productis, de quibus etiam fit mentio in dicta decisione, coram Domino meo Pirouano, non tamen ex eo negarunt ius patronatus istud esse ex fundatione, & dotatione. Ex quibus sic resolutum fuit.

R. P. D. PIROVANO.

Sabinen. Vnionis. Lunæ 16. Iunij 1614.

ARGVMENTVM.

Habes ex Summario Argumentum.

SVMMARIVM.

Vnio, quæ vigore Concilij Tridentini sess.24. cap.15. potest fieri præbendis Ecclesiæ Cathedralis debet fieri præbendis distributiue, & non mensæ Capitulari, alias est nulla. num. 1.

DECISIO DLXV.

1 VIcarius Illustrissimi Cardinalis de Ioiosa Episcopi Sabinen. *Sacri Concilij auctoritate sess.24. cap.15.* de reform. mensæ Cathedralis Ecclesiæ Maleani ad commodum, & commoditatem Archipresbyteri, & Canonicorum eiusdem vniuit sex beneficia in euentum vacationis illorum, vel alicuius eorum Vacante postmodum vno ex prædictis, nempe beneficio Sanctæ Luciæ terræ Putealeæ. Idem Vicarius illud contulit Matthæo Angeletto, qui possessionem illius est assecutus. Vnde orta lite cum Capitulo innitente validitate vnionis, & causa per viam appellationis à sententia A.C. coram me introducta dubitaui, an vnio suffragetur Capitulo. Et Domini vnionem non suffragari censuerunt, quia, & si cautum reperiatur ex dispositione Sacri Concilij in prædicto cap. 15. licere ordinario cum consensu Capituli vbi frequentes, adeoque tenues sunt prebendę simul cum distributionibus quotidianis aliquot beneficia ijs vnire, vnioque in hac parte etiam valida dici possit, tanquam habens sua requisita: Tamen quia vnio non est facta præbendis distributiue, sed mensæ Capitulari, ideo facta sine auctoritate Papæ defectu potestatis corruit *glos. in clem. fin. in verb. mensæ, de rebus eccl. non alien. Oldrad. consil.262. nu.3. nunc ita est. Rota decis.3. de rebus eccles. non alien. in antiq.* quod etiam fuit resolutum in Perusina beneficij, 9. Martij 1607. coram bon. mem. Penia, & firmant Caccialup. de vnion. *art.6.nu.5. vers. nam cum ex prædictis Petr. de Vbald. eod. tract. cap.5. nu.21. vers. demum quæritur, & num.27. in princip.* Et ita Concilium esse intelligendum dixit *Gabr. cons.188. num.3. & 4. lib.2.* & ita intellexit sacra Congregatio, vt refert *glossator regul.8. glos.37. num.25.*

R. P. D. VBALDO.

Romana Literarum Cambij. Lunæ 16. Iunij. 1614.

ARGVMENTVM.

Stylus Mercatorum, & negotiantium est, quod solutiones fiant eorum iuuenibus, & quietantiæ ab eis factæ liberant debitores.

SVMMARIVM.

Solutione eius quod debetur tollitur omnis obligatio. num.1.
Solutio facta mandatario, seu negotiorum gestori, liberat. num.1.
Liberationem consequitur qui soluit ei qui communiter habetur pro ministro creditoris. nu.2.
Mercatorum stylus est recipere quietantias in calce literarum à iuuenibus mercatorum, & negotiantium absque alio ordine principalium. nu.2.
Testes deponentes se habere notam manum alicuius, si illam recognoscant sufficit de stylo curiæ. nu.3.
Dispositio non alteratur ex nominis suppositione, si constat de corpore personæ. num.3.
Maxime quando persona est in præsentia, & potest demonstrari ad oculum. num.3.
Literarum cambij debet attendi tenor. num.4.

DECISIO DLXVI.

1 FVit resolutum, non esse relaxandum mandatum contra Betellos, quibus fuerant directæ literæ cambij pro summa Scutorum mille, soluenda Appaltatoribus Aluminum, & pro ipsis D. Horatio Sabello, quia constat de solutione facta à Butellis ex quietantia, facta à Iacobo Cugino Horatij ministro, seu iuuene, vt appellant, cuius opera vtebatur in exactionibus, & præsentationibus literarum cambij, de tempore mensis Maij 1610. vt constat ex testibus, & literis cambii, quæ fuerunt datæ, quo tempore propriè cadit solutio, de quo agitur, & ideo per solutionem illi factam Butelli consecuti sunt liberationem, perinde ac si soluissent Horatio per ea, quæ in fortioribus terminis de emphyteuta soluente negotiorum gestori,

ri, seu receptori Domini, de cuius mandato vel ratihabitione non constat, tradit *Guid. Pap. q. 173. quem sequitur Apostill. ad Magon. dec. Lucæ. 9. in ver. procuratores, & Apostill. ad Alexand. consil. 120. in ver. incipiente, circa fin. lib. 5.* idem in simili tradit. *Bart. in l. eum qui. §. sed & si dum. num. 3. versic. aut dubitatur. ff. commod. & cons. 79. lib. 1. Mandell. in puncto consil. 462. num. 1. Rota Ianuens. dec. 121. num. 4.*

2 Cum enim Iacobus haberet in manibus literas cābij, & eas præsentaret Butellis, & insuper solitus esset eiusmodi negotia expedire pro D. Horatio, & publice pro eius ministro haberetur, vt ijdem testes deponunt, ipsi habuerunt iustam causam credendi, quod haberet mandatum, quod solum sufficit ad effectum, vt dum ipsi Iacobo soluerunt, liberationem fuerint consecuti. *Alex. cons. 120. num. 7. vers. nisi habuisset. lib. 5. Mandell. d. cons. 462. nu. 1. & 3.* Quod eo magis procedit, stante stylo mercatorum probato per testes, vt sufficiat recipere quietantias in calce literarum, à iuuenibus mercatorum, & negotiantium, absque alio ordine principalium, qui stylus sine dubio est attendendus. *Socin. iun. cons. 27. nu. 21. & seq. lib. 2. Rota Ianuens. dec. 6. nu. 5. bene Guid. Papæ d. dec. 173. sub nu. 3. vers. sed si communiter.* cum alijs adductis in Anconit. Assecurationis. 4. Maij 1602. coram Reuerendissimo Bonon. & in terminis nostris, quod stante dicto stylo valeat solutio facta iuueni, & ministro. *Rota Ianuens. d. dec. 121. n. 4. Mandell. d. cons. 462. nu. 12.*

3 Non obstat, quod quietantia sit sub nomine Francisci Canuti, quia ex testibus constat illam fuisse scriptam à Iacobo, qui testes deponunt habere notam manum, quod sufficit de stylo curiæ, de quo per *Rot. dec. 572. nu. 2. par. 1. diuers. & dec. 224. num. 2. part. 2. per Modern. discept. Forens. cap. 235. nu. 26. & seq. par. 2.* & fuit decisum in Romana successionis. 15. Nouembris 1610. coram Reuerendissimo Atrrebatens. & alias suppositio nominis constito de corpore personæ non alterat dispositionem. *§. si quis in nomine. Instit. de legat. l. si in nomine. C. de testam. l. demonstratio falsa. in princip. ff. de cond. & dem.* cum similibus præsertim, quando persona est in præsentia, & ad oculum demonstratur. *leg. quæ extrinsecus, & ibi gl. in ver. appellatione. ff. de verb. oblig. Socin. in regulis litera E. reg. 11. Fallent. 1. & facit doctr. Bart. in l. pen. nu. 1. ff. de reb. dub.*

4 Nec ex eo, quod Buttelli forte ignorabant nomen Iacobi Cugini inferri videbatur, quod ignorarent eius personam, & quod esset minister Horatij, & cæt. Denique non obstat, literas cambij fuisse soluendas Appaltatoribus, quorum non erat minister Iacobus, sed solum ipsius Horatij, & pro particularibus eius negotijs. Quia fuit responsum, obiectum cessare ex facto, quia literæ cantant solutionem fieri Dominis Appaltatoribus, & per loro signorie al Signor Oratio Sauelli vno di essi. Vnde cum solutio fuerit facta Iacobo ministro Horatii, & solito exigere literas cambij pro Horatio, vt supra dictum est, intrant omnia supra allegata. Ex quib. fuit resolutum mandatum non esse relaxandum.

REVERENDISSIMO P. DOM. COCCINO DECANO.

Tirasonen. Pensionis. Veneris 21. Iunij 1614.

ARGVMENTVM.

Arbitrium an intret ad retardandam solutionem pensionis reseruatæ super beneficio vnito, quando fuit lata sententia, & res iudicata super validitate vnionis contra beneficiatum.

SVMMARIVM.

Pensio reseruata super beneficio vnito nulla. nu. 1.

Collatio beneficij vniti nulla est. nu. 1.

Clausula arbitrio iuncta clausulæ sine retardatione solutionis pensionis operatur, vt videatur data facultas examinandi validitatem pensionis. nu. 1.

Literæ reseruationis pensionis habent exequutionem paratam quando sunt iustificatæ, & quando quis est in possessione exigendi etiam contra antecessorem. nu. 1.

Vbi quod non possunt dici iustificatæ, quando eius validitas est turbida.

Ius solet metiri ex parte possessoris. nu. 1.

Sententia & res iudicata beneficiatum licet non afficiat pensionarium non citatum, tamen operatur vt intret arbitriū ad effectum super sedendi in solutione pensionis. nu. 2.

DECISIO DLXVII.

1 Pius Quartus vniuit Canonicatum, quem tunc obtinebat Martinus de Mezquita Capitulo Tirasonen. pro officio Lectoris in Theologia eligendi per Capitulum, cum hoc quod illum obtinens esset etiā Canonicus. Cumque dictus Canonicatus vacasset, illum à Sede Apostolica impetrauit Franciscus Nauarro reseruata pensione centum Ducatorum ad fauorem Petri Ximenez; Capitulum autem nominauerit Petrum Çabannas ad cuius fauorem cessit ius suum dictus Franciscus, & nihilominus dictum Capitulū fuit prosequutum litem coram bon. mem. Gipsio, coram quo 12. Decembris 1593. fuit resolutum pro validitate vnionis, & lata sententia quæ transitum fecit in iudicatum, & cum vltimo loco obierit dictus Cabannas, fueritque per Capitulum nominatus Gaspar Gil, qui recusat soluere pensionem, fuit commissa causa in Rota sine retardatione solutionis pensioni arbitrio Rotæ, quæ resoluit dictum arbitrium intrare, donec gustetur de validitate dictæ pensionis, quia attenta ista serie facti, apparet vnionem fuisse validā, & propterea reseruationem pensionis non sustineri, cum nec prouisio Apostolica sustineatur, & cum signatura rescripserit arbitrio Rotæ videtur dedisse facultatem examinandi validitatem reseruationis pensionis, & ideo in hoc casu non obstare, quod literæ reseruationis pensionis habeant exequutionem paratam, quando sunt iustificatæ, vel quando quis est in possessione exigendi etiam contra antecessorem, quia metimur ius ex parte possessoris, *iuxt. vulgat. dec. Guid. Pap.* quia iustificatio cessat cum non adsit, & si adesset validitas pensionis inturbidatur ex prædictis. Quasi possessio autem exigendi non videtur probata, & ita in istis terminis fuit resolutum in causa Compostell. pensionis. 12. Octobris 1584. coram bonæ mem. Cardinale Seraphino, quæ est sub nu. 674. lib. 1.

2 Non obstat, quod literæ vnionis Canonicatus non sint iustificatæ, neque super eius iustificatione aliquid fuerit actum coram bon. mem. Gipsio, quia licet hoc sit verum, non tamen tollit quin non adsit res iudicata super validitate dictæ vnionis, quæ licet non afficiat Petrum Ximenez Pensionarium non citatum, operatur tamen vt intret arbitrium ad effectū supersedendi in solutione pensionis, vsquequo Petrus aliquid docuerit contra validitatem vnionis. Et ita conclusum, &c.

R. P. D. DVNOZETO.

Firmana Altaris. 20. Iunii 1614.

ARGVMENTVM.

Patronus præsentans scienter indignum, an possit alium præsentare, & an si maior pars patronorum præsentat scienter indignum, totum ius deuoluatur in præsentatum à minore parte.

SVMMARIVM.

Subrogatio vt possit denegari ex capite calumniæ, lis debet à principio probari calumniosa. nu. 1.
Præsentatione indigni scienter facta à maiori parte patronorum, totum ius deuoluitur ad præsentatum à minori parte. nu. 2.
Declara procedere, vbi præsentatio fit à pluribus patronis, vti singulis, non autem à Collegio & vniuersitate. nu. 2.
Vniuersitatis integra potestas residet penes totam vniuersitatem, vel saltem maiorem partem. nu. 2.
Scientia statuti, & consuetudinis loci in ciue, & incola præsumitur. nu. 3.
Enunciatiua, vbi de enunciato principaliter agitur, non probat. num. 4.
Patronus præsentans scienter indignum non potest alium præsentare. nu. 5.
Lis post rem iudicatam præsumitur calumniosa. nu. 6. Vbi maxime concurrentibus alijs de quibus ibi.

DECISIO DLXVIII.

1 PRoposito per me dubio, vtrum standum esse in decisis coram me die 31. Ianuarij præteriti in hac eadem causa Domini censuerunt recedendum esse, non quod reuocauerint in dubium conclusionem in dicta decisione firmatam, ad hoc vt possit denegari ex capite calumniæ subrogatio, debere litem à principio probari calumniosam ex decisionibus *Cassad. in dicta decisione allegatis*, verum re maturius discussa ideo à decisis recedendum existimarunt, quia ex facto colligitur Ricciottum non posse se etiam à causæ limine à manifesta calumnia excusare, dum falsum narrauit se præsentatum à maiori Patronorum parte, Coriolanum vero à quibusdam tantum Patronis, cum tamen totum contrarium appareat ex scrutinio de vtroque facto, nam ex 34. suffragijs, Ricciottus habuit solum 18. Coriolianus vero 25.

2 Et licet vera sit in iure conclusio in decisione firmata, vbi maior pars Patronorum præsentauit scienter indignum, tunc totum ius deuolui ad præsentatum à minori parte, *cap. dudum, il 1. & ibi not.* DD. de elect. tamen plures fuerunt datæ à Dominis responsiones. Quarum prima est, prædictam conclusionem procedere, vbi præsentatio fit à pluribus Patronis vti singulis non autem à Collegio, & vniuersitate, vt in his terminis fuse declarat *Lambert. de iur. patr. p. 3. lib. 2. art. 5. quæst. 4. num. 1. vers. quod tu intellige ea* maxime ratione, quia in vniuersitate non attenditur, nisi quādo fit à maiori parte cum illius integra potestas resideat penes totam vniuersitatem, vel saltem maiorem partem. *Ant. Butr. in cap. 3. nu. 11. vers. & est ratio. de iur. patr. Abb. consi. 57. num. 1. vers. sed si Episcopus, argument. cap. Ecclesia, il 1. de elect. D. Lambert. dicta q. 4. ar. 2. num. 3.* Quo posito fundamento cum constet præsentationem non fuisse factam à Patronis vt singulis, sed ab vniuersitate, & appareat ex depositionibus testium, dispositione statuti, consuetudineque in hoc loco recepta, nihil posse dici gestum per Communitatem, nisi concurrant duę ex tribus partibus suffragiorum, necessario sequitur Ricciotum qui ab ea parte quæ non potest constituere vniuersitatem, fuit præsentatus, à nomine fuisse præsentatum, cum non possit dici maior pars stante prædicto statuto, & consuetudine si non ascendit ad duas ex tribus partibus, vt superius dictum, & probatum est.

3 Nec visum fuit Dominis Ricciottum posse se excusare sub prætextu ignorantiæ statuti, multoque minus consuetudinis, cum sit ciuis, & incola illius loci, ex cumulatis per *Menoch. præsumpt. 3. num. 2. lib. 2.* Fuit etiam responsum non fuisse pro parte Riccioti, prout requirebatur satis concludenter doctum de tali indigna præsentatione Coriolani, nam non probatur in præsentatione facta ad fauorem Coriolani interuenisse eius consanguineos, nisi ex testibus, cum quibus tanquam falsi damnatis lege actum est, illisque nullam esse fidem adhibendam iam fuit resolutum coram bon. mem. Penia 30. Octobris 1602.

4 Nec suffragari potest mandatum procuræ ad præsentandum per plures dies postea factum à Prioribus in quo enunciatur præsentia Damiani asserti consanguinei Coriolani, quia dictum mandatum est quid diuersum ab actu electionis factæ in publico Consilio, cum dicta electio facta in publico consilio fuerit sub die 25. Septembrit 1591. & dictum mandatum fuit datum sub die 14. Octobris, tunc immediate sequen. & quidem non à tota vniuersitate quæ electionem fecerat sed à Prioribus tantum, ad quos spectat exequi facere resolutiones in publico consilio factas, & propterea non probatur existentia personæ Damiani in electione facta in dicto Consilio, etiam si interuenerit in confectioni dicti mandati, & licet in mandato enuncietur Priores, & alios Consiliarios Terræ iudicantes Coriolanum pro magis idoneo eundem præsentasse, tamen ista assertio non probat Damianum fuisse præsentem dictæ electioni factę diuerso tempore, tum quia potest verificari in tribus tantum Prioribus, & non in omnibus Prioribus cum sint quatuor, & ideo mandatum fuit concessum tantum à tribus, Tum etiam quia cum sit enunciatiua de præterito ac de tempore recenti, & hodie de enunciato principaliter dubitetur, nihil probat. *Paris. consi. 94. num. 19. lib. 1. Put. decis. 381. num. 3. lib. 1. Card. Seraph. decis. 1278. nu. 3. p. 2.* & fuit sæpe decisum.

5 Quæ vero obijciebantur contra capacitatem Coriolani optime fuerunt sublata per informantes pro Conuentato, quorum responsiones Dominis placuerunt. Denique dixerunt Domini quod etiam si constaret de indigna præsentatione, tamen dictam narratiuam non posse saluari à calumnia, quia si verum est Patronos præsentasse scienter Coriolanum indignum, sequitur præsentationem postea factam ab eisdem de persona Riccioti non posse subsistere, cum per primam præsentationem nullam, amiserint ius præsentandi dicto c. dudum. ibi DD. sicque per consequens ipse falso narrauit se à maiori parte Patronorum pręsentatum. In quam sententiam eo libentius ierunt Domini, quia hodie Ricciottus petit subrogationem post iuramentum ab eo præstitum de stando vnicæ, post tres sententias Rotales, post rem iudicatam, post commissam causam restitutionis in integrum, & illam desertam, ne dum per vnum quadriennium, sed per longiora tempora que maximam inducunt calumneæ suspicionem, Clem. vt calumniis. de re iudicat. Maxime quia Coriolanus ab inde citra possedit per tantum temporis spacium, vt Rota die sexta Iunii 1611. coram Reuerendiss. Lugdunen. resolueri tipsum effectum esse triennalem possessorem. Ex quibus ita vtraque parte informante fuit decisum.

REVERENDISSIMO P. D.

DAMASCENO.

Baren. seu nullius Prioratus. Veneris 20. Iunij 1614.

ARGV.

ARGVMENTVM.

Regula octaua reseruans Papæ menses ad conferendum beneficia, comprehendit etiam beneficia Religionis Hierosolymitanæ, & plura de vi, & natura confirmationis Papę, de quibus in Summario.

SVMMARIVM.

Regula octaua reseruans Papæ menses ad conferendum beneficium comprehendit etiam beneficia Religionis Hierosolymitanæ. nu.1. & 2.

Confirmationis natura non est aliquid de nouo tribuere, sed quod iam tributum est, roborare. nu.2.

Confirmari non potest id, quod non est. nu.3.

Confirmatio, & noua concessio differunt inter se. num.3.

Proœmij, seu præfationis narratiua denotant causam finalem. nu.4.

Comparatiuum præsupponit positiuum. nu.4.

Ipse dictio denotat relationem præcedentem. nu.5.

Confirmatio restricta, seu limitata non extenditur vltra casus restrictos, & limitatos. nu.6.

Verba generalia restringuntur secundum subiectam materiam, & a Præcedentibus, præsertim vbi agitur de præiudicio disponentis. nu.6.

Papa non præsumitur sub inuolucro verborum voluisse sibi præiudicare. nu.6. in fine.

Iuri conferendi in mensibus Papæ reseruatis, Papa non præsumitur derogare voluisse, nisi specialiter derogasset. numero 7.

Clausula quorum tenores, & aliæ similes tanquam accessoriæ non ampliant principalem dispositionem, sed tantum tollunt subreptionem. num.8.

Clausula decreti irritantis dicitur accessoria, nec ampliat principalem dispositionem, sed tantum tollitur subreptionem.

Clausula sublata, &c. non impedit quo minus iudex possit videre, an allegata Priuilegia habeant locum, nec ne.

DECISIO DLXIX.

1 DVbitaui, an Prioratus, de quo agitur, cadat sub regula octaua. Et pro affirmatiua fuit tentum, quia verba regulæ sunt adeo prægnantia, vt possint comprehendere etiam beneficia Religionis Hierosolymitanæ, qualis est iste Prioratus, vt in specie prosequitur Modernus Glossator super dicta regula. *gloss.8. numer.61. cum sequentibus*, & faciunt allegata in decisione vlt. loco in hac causa facta.

2 Non obstat, quod priuilegia huius Religionis fuerunt per S.D.N. post editionem regulæ confirmata, cum derogatorijs derogatoriarum. Vnde infertur, vigore huius posterioris dispositionis priuilegia Religionis fuisse reposita in suo esse primæuo, perinde ac si regula, quo ad illa non emanasset, quia respondetur, naturam confirmationis non esse aliquid de nouo tribuere, sed quod iam tributum est roborare. *l. Aurelius. §. testamento. ff. de liber. legat. leg. ex verbis, vbi gloss. verb. cui Bald. in summ. C. de don. inter vir. & vxor. gloss. in c.1. verb. confirmat. de confirmat. vtil. vel inutil. Castr. cons. 178. nu.1. lib.2.*

3 Etenim quod nō est, confirmari nō potest. *Bal. in l. falsus. n.3. vers. nam confirmatio. C. de furt. Abb. in c. inter dilectos. num.8. in fin. Felin. nu.6. de fid. instrum. Card. consil.33. numer.2. vers. item & alia. Dec. in rubr. de confirm. vtil. vel inutil. nu.3.* Alias non esset confirmatio, sed noua concessio, quæ duo inter se differunt. *c. inter dilectos. §. cæterum, de fid. instrum. l. & quia. ff. de iurisd. omn. iudic. Abb. consi.57. col. fin. lib.2. Dec. in rubr. de confirm. vtil. vel inutil. nu.1. vers. & ad idem.*

4 Quod præcipue colligitur ex narratiua proœmij præsentis confirmationis, quæ denotat causam finalem. *l. final. vbi Bar. nu.3. ff. de hæred. instituen. Bald. in l. nostram. num.1. vers. Tu dic. C. de testam. Roman. cons.180. nu.6. Alex. cons.7. num.5. lib.2. cum concord. ibi.* Vt ipsa Priuilegia, exemptiones, & gratiæ eo firmius subsistant, quo sæpius confirmata extiterint, &c. si igitur Papa facit confirmationem, vt firmius subsistant, ergo præsupponit, quod Priuilegia, quæ vult confirmare, aliquo modo subsistant, quia comparatiuum præ se fert suum positiuum. *l. vbi autem. §.1. ff. de verb. oblig. Abb. in c. peruenit, il 2. num.1. de iureiuran. Anchar. consil.215. num. 6. vers. decimo. Dec. consil. 143. numero sexto. Surd. decis. 65. num.8.*

5 Et ex prædictis concludebant Domini, quod cum Priuilegia Religionis conferendi in mensibus reseruatis (quatenus Religionem posset dici illa vnquam habuisse) cessauerint per edictionem Regulæ octaue, factam à S.D.N. non possunt dici confirmata per generalem confirmationem Priuilegiorum Religionis. Et quod S.D.N. non intellexerit aliquid innouare ad fauorem Religionis circa ius conferendi in mensibus reseruatis, patet ex toto proœmio Confirmationis. Etenim in dicto proęmio Papa narrat exemptionem à solutione decimarum, Iurium Synodalium, Canonicarum portionum, &c. concessam à suis Prædecessoribus Religioni Hierosolymitanæ, & per alios confirmatam. Item narrat facultatem vniendi & dismembrandi eidem Religioni per eosdem Prædecessores concessam, & successiue per alios confirmatam seu ampliatam, postea subiungit, quod attendens præclara Religionis merita, & cupiens, vt ipsa Priuilegia firmius subsistant, & omnia, & singula Priuilegia, indulta, facultates, &c. Magno Magistro, & Conuentui quomodolibet concessa, confirmat. Ecce ergo quod Papa non loquitur de iure conferendi, tum ex dicta narratiua restricta ad solam exemptionem, & facultatem vniendi, quæ quidem narratiua denotat causam finalem ex supra allegatis, tum specialiter ex modo loquendi; nam ideo Papa confirmat, vt scilicet, Priuilegia per se narrata, firmius subsistant, ibi, cupientes vt ipsa Priuilegia, &c. verbum enim, ipsa, denotat relationem præcedentium. *Bal. cons.304. nu.2. lib. 4. Geminian. cons.108. nu.2. & 3. Dec. consil.71. num.1. vers. similiter dum statutum. Roland. cons.67. num.82. lib.2. Tiraq. de retract. conuention. glo.6. num.25.*

6 Ergo Confirmatio vltra roborationem Priuilegiorum quo ad decimas, & facultates vniendi, non debet operari, quia limitata causa limitatum producit effectum. *leg. in agris. ff. de acquir. rer. domin. l. age cum Geminiano. C. de transact. l. cum seruo. ff. de contrahend. empt. leg.2. ff. de seru. exportan.* & verba quantumuis generalia restringuntur secundum subiectam materiam. *leg. si vno, in princ. ff. locat. l. si de certa. C. de transact. glos. in c.1. de constitut. Gemin. cons.29. num.3. in fin. Alex. cons.40. num.3. vers. quod verbum. lib.4. & secundum præcedentia. l. fin. §. fin ff. de tritic. vin. & ole. legat. leg. quoties, vbi Bar. in Summ. C. famil. ercifcum. Oldrad. cons.8. nnm.1. Bal consil.37. num.2. lib.2. Geminian. cons.65. nu.4. vers. Nec obstat. Alex. cons.248. nu.1. vers.2. principaliter. lib. 6.* Multo magis vbi agitur de præiudicio confirmantis, & sic collationis Papæ, qui non censetur sub inuolucro verborum voluisse sibi præiudicare, vt per *Bal. in c. veniens. num. 4. vers. sed quid si Princeps, de iureiur. Castr. consil.129. in princ. lib.1. Menoch. præsumpt.44. nu.12. lib.3.* Rota in causa Viterbien. Archipresbyteratus. 6. Iunij 1607. coram Reuerend. Pat. Domino Decano.

7 Prædictis addendum videbatur, quod quatenus prætenderetur concessum ius conferendi in mensibus reseruatis, fuisset necessaria specialis derogatio Regulæ, vt pluries resolutum fuisse in Rota testatur *Sarnen. in proœmio Regularum. quæst.5. nu.3. Ad idem Felin. in cap. nonnulli. nu.7. de rescript. Rebuff. in prax. de form. nou. prouis. verb. Non obstantibus, vers. & de hac clausul. Cassad. decis.*

decis.38. num.11. super Regul. Mandos. reg.26. q.2. num.6. & 7. Rota in causa Leodien. hæreditatis. 28. Martij 1569. coram Aldobran. relata inter diuersor. impress. decis.250. par.2.

8 Non obstat clausula, quorum tenores, & aliæ ex aduerso ponderatæ, quia sunt clausulæ accessoriæ, quæ non ampliant principalem dispositionem, sed tantum tollunt subreptionem. Calderin. consil.1. de rescript. Roman. cons.330. num.13. in fin. Put. dec.1. num. 2. lib.1. cum alijs per Gabr. concl.10. num.1. de clausul. Idem respondetur ad decretum irritans ex decis. Rota 2. num. 2. de concess. præben. in nou. Crescent. decis.7. num. 11. eodem tit. Put. dict. decis. 1. num.2. & 3. libr.1. & decis.156. num.7. lib.2. Rota in causa Arboren. Archipresbyteratus, coram Fabio, relata inter diuers. impress. dec. 300. numer. 6. lib.3. part.3.

9 Ad clausulam sublata, &c. respondetur per illam non impediri quo minus iudex possit videre de comprehensione priuilegiorum, ad decis. Put.48. num. 6. lib.1. in nou. Rota in causa Ciuitatis Castelli bonorum 17. Augusti 1583. coram Robusterio, incipien. obtinuerat, & in Licien. Beneficij. 26. Iunij 1587. coram Comitulo. Alias posset quis cum vno priuilegio habente dictam clausulam, allegare omnia iura de mundo, nec posset ex aduerso opponi de non comprehensione.

DECISIO DLXX.

Asculana Fideicommissi. Veneris 20. Iunij 1614.

Impressa Apud Buratto.

DECISIO 65.

DECISIO DLXXI.

Virdunen. Abbatiæ. Lunæ 23. Iunij 1614.

Impressa Apud Buratto.

DECISIO 66.

R. P. D. PIROVANO.

Toletana seu Almerien. Decimarum. Lunæ 23. Iulij 1614.

ARGVMENTVM.

Sententia nulla, quando confirmanda sit, si non fuit oppositum de nullitate, & quid si opponatur de nullitate in genere, non expressa nullitatis specie.

SVMMARIVM.

Sententia nulla potest per secundum iudicem confirmari, & transit in iudicatum, si non fuerit oppositum de nullitate, & appellatum, nu.2. vbi ampliatur hæc conclusio etiamsi vitium non sit remissibile per partes, nu.1.

Sententia quæ transit in iudicatum facit ius, & habetur pro veritate, nu.2.

Sententia nulla non confirmatur, quando oppositum fuit de nullitate in specie, secus si in genere tantum dictum fuit de nullitate, nu.3. & 4. Declara, vt nu.7. & 8.

Iudex non tenetur impertiri officium suum, nisi expressa causa de qua cognoscenda est, num.4.

Sententia nulla confirmanda non est, quando fuit oppositum de nullitete in specie, & tali, quæ possit subsistere, & iuris effectum habere, alias secus, num. 5. & 6. Vbi de eadem materia.

Nullitatis exceptio non auditur à iudice, nisi sit talis quæ possit subsistere, & iuris effectum habere. nu.5.

Iudices duo insimul deputati quando vnus, altero absente, pronunciare possit, & quod si absens redierit, num. 8. & 9.

DECISIO DLXXII.

1 PRoposui dubium in decisione diei 14. Maij præteriti reseruatum, an sufficienter in tertia instantia fuerit oppositum de nullitatibus. Et pro faciliori resolutione Domini præmiserunt tres conclusiones, quarum.

2 Prima est, quod sententia nulla potest per secundum iudicem confirmari, & transit in iudicatum, si non fuerit oppositum de nullitatibus, & appellatum. Hanc partem firmarunt Innoc. in cap.1. num.2. de confirmat. vtili, vel inutili. Alex. consil. 111. volum. 5. quod consilium dicit per Rotam esse canonizatum. Achill. de Graff. decision.4. de sentent. & re iud. Idem Alex. consil. 181. num.15. lib.6. Cæs. de Graff. decision. 37. num. 8. & 11. de caus. poss. & propriet. Gab. cons.48. In ordine tamen 49. num.1. volum.1. qui multos cumulat hoc affirmantes etiamsi vitium non sit remissibile per partes. Put. dec. 60. libr.3. Lancellot. de attent. in 3. par. cap.29. num.66. & alios refert Granut. theorem. 17. num.1. & seq. & quando non fuit oppositum, & appellatum, Vant. tit. quib. mod. null. proposi. num.16. quod etiam fuit firmatum in causa Foroliuien. census. 1. Iulii 1613. coram Reuerendissimo nostro Decano, & ideo sit transit in rem iudicatam, præcluditur via agendi, & excipiendi de nullitate sententiæ confirmatæ, quoniam ipsa sola facit ius, & habetur pro veritate. l.1. ff. de re iudic. cap. cum interd. eod. tit. Innocent. & alij in cap. 1. de confirmat. vtil. & inutil.

3 Secunda est, quod obiectio nullitatum in genere non sufficiat, sed nuncupatim proponenda sit species nullitatis, & formanda oppositio, per quam Iudici constare possit de inualiditate sententiæ; alias tanquam generalis, & indistincta, nulla expressa causa, in iudicio deducta erit informis, nec per eam confirmatio prioris sententiæ erat impedienda. Innoc. in capitulo, cum Berthol. num.5. versic. tamen satis videtur, de sentent. & re iud. Bald. ibidem in finalibus verbis, & in leg. tale pactum. §. qui prouocauit, num.33. ff. de pact. referens se ad dicta in d. cap. cum Berthold. Alberic. in l. si expressim num.10. de appell. Ægid. dec. 97. versic. aut in generatione iniquitatis. Rot. in antiquit. de libell. oblat. decis.1. sequens dictum Innocent. & decision. 70. de appellat. vbi dicitur dictionem nullitatis non esse admittendam, nisi quis dicat, & monstret in processu causam nullitatis, & hoc seruari per Rotam. Vant. de nullit. tit. quibus mod. sentent. null. defend. quem sequuta est Rota in Toletana parietum. 5. Nouembris 1605. coram Reuerendissimo Archiepiscopo Damasceno, & in Ripana Parochialis 10. Decembris 1608. coram Reuerendiss. Attrebaten.

4 Rationes huius conclusionis sunt claræ, quia nullitatis plures sunt species, & ex pluribus causis oriri possunt. Ideo non generaliter, sed pacificè sunt proponendæ, & ad hoc implorandum est iudicis officium, capitulo vltimo, de libell. oblat. Bald. in l. vnic. C. ne liceat in vna ead. caus. ter. prouoc. Lanfranc. de Oriano in capitulo, quoniam contra, numer. 609. de probatio. qui iudex non tenetur illud impendere, nisi causa expresse de qua est cognoscenda vt dicit idem

idem Innocentius in dicto capitulo, cum Bertholdus. *numero quinto*, & maximè necessaria est illa cognitio, quia nullitates possunt esse friuolæ, aut ineptæ, aut calumniosæ, quibus non obstan. potest Iudex ad vlteriora procedere, & erit locus rei iudicatę, vt nunc dicetur.

5 Tertia est, quod non sufficit nulitates exprimere, & eas in processu monstrare, nisi etiam probentur tales, quæ possint subsistere, & iuris effectum habere, alias iudex potest non audire exceptionem nullitatis, siue per viam actionis, siue incidenter oppositam, *Innoc. in cap. post electionem. in fin. de conces. præbend. Bal. in l. peremptorias. in pen. col. in fin. C. sen. rescind. non poss. Alex. consil. 65. num. 5. lib. 1. Marsil. singul. 686. Vant. eod. tract. eod. tit. quibus. mod. sent. null. defend.* & de nullitat. in iure non subsisten. quod non impediat confirmationem sententiæ fuit firmatum in causa Elboren. iuris conferendi, 8. Februarij 1599. coram bon. me. Corduba, in 1. decisio. huius causæ 15. Nouembris 1613. versic. Primam dixerunt non obstare.

6 His sic præmissis. Censuerunt non fuisse sufficienter in tertia instantia oppositum de nullitatibus vltra duas expressas, quarum primam dixerunt non releuare, de alia reseruarunt particulariter videre. Nam à prima sententia quę dicitur Prouisoris Almerien. fuit appellatum saluo iure nullitatis, nec vltra reperitur proposita aut formata species nullitatis aut nullitatum, vt exindè per relationem talis specificatio in tertia instantia deseruire possit, à sententia verò Cantoris Granaten. fuit pariter appellatum saluo iure nullitatis, & coram Molina altero Iudice Synodali dictū de Notoria nullitate in genere, & petitum super ea pronunciari, & causa reassumpta per Nuncium in tertia instantia fuit repetitum quod sententia Cantoris continebat notoriam nullitatem, & vlterius fuerunt specificatæ duæ principales nullitates, à quarum veritate & subsistentia pendet validitas sententiarum, quia si veræ sunt & effectum iuris habere possunt, nulli dubium quod secunda est nulla ex causis expressis, tertia verò qui à parte opponente & petente pronunciari super nullitate fuit lata *Cæs. de Grass. decis. 37. num. 8. & 11. de caus. pos. & propr. cum alijs alleg. in prima concl.* secus verò si non releuent quia per succumbentiam in prædictis rediri non potest ad alias in generalitate comprehensas, sed in omnibus præiudicatur per rem iudicatam, *Bart. in l. si expressim. num. 16. ff. de appell. l. 1. numer. 19. C. quand. prouoc. non est necess. Imol. in d. leg. si expressim. numer. 17. & in cap. cum contingat. numer. 38. de offic. deleg. But. in cap. dilecto, numer. 13. circa fin. de appel. dicens hoc etiam tenere Ioan. Andr. de offic. deleg. Paul. de Castr. consil. 232. in fin. vers. animaduertendum par. 1. quicquid senserint, Cuman. in d. l. si expressim, & Franc. in cap. dilecto. num. 49. versi. si verò libellus fuerit generalis, de appell.* cum hoc seruat Rota, vt omnes causæ nullitatis sint monstrandæ Iudici, & processu *alleg. decis. 70. in fin. de appell. in antiq.*

7 Non obstat quod *Inno. & alij alleg. in 2. concl.* loquantur de nullitate quæ venit per libellum proponenda, & debet esse certa, vt aduersarius possit deliberare, vt vel cedat, vel contendat, secus verò quando nullitas incidenter & excipien. proponitur, vt in presenti, quo casu deficit ratio certitudinis, quæ in reo non requiritur, qui potest niti pluribus exceptionibus, & consequenter auctoritates prædictæ non contradicunt, quin nullitas semper ex actis possit iustificari, vel si causæ sunt ab initio exprimendæ, id fieri debet parte altera instante, & petente, vt dicunt Præposi. & *Franc. in c. dilecto. ille, num. 38. iste, num. 46. de appell.* quæ instantia in præsenti non iustificatur. Ad prædicta enim fuit responsum quod cum simpliciter non agatur de nullitate generaliter proposita, sed de causis etiam expressis, sufficit si in prædictis succumbatur, vt exinde in omnibus generetur preiudicium, vt supra dictum est, sed preterea non videtur verum, quod incidenter fuerit oppositum de nullitate sententiæ Cantoris Granaten. sed principaliter, dum fuit appellatum cum clausula, saluo iure dicendum de nullitate, quæ facit vt seorsum ab appellatione sit cognoscenda, & principaliter dicatur intentata. *Couarr. pract. q. cap. 24. num. 7. Vant. de nullit. tit. quot & quib. mod. nullit. propon. poss.* affirmantes communiorem esse opinionem.

8 Nec dicatur prædictas nullitates expressas, & eas, quæ in decisionibus in hac causa factis fuerunt firmatæ virtualiter esse comprehensas propter clausulam generalia contra secundum extensionem praxis del Paz. *tom. 1. part. 6. in proemio in libell. appell.* Quia Dominis visum est in facto non iustificari veritatem illius clausulæ. Ex prædictis igitur causis, quæ in process. tertiæ instantiæ fuerunt specificatę dixerunt Domini primam non releuare, dum deducebatur ex eo, quod sententia Cantoris lata fuerat post reditum primi Iudicis, ob cuius absentiam aditus fuerat Cantor. Qui attento valido absentię impedimento potuit pronunciare etiam post eiusdem primi iudicis reditum *gl. in c. cum in plures. vers. recusaret. de offic. deleg. in 6. quem sequuntur Archid. Io. Andr. & Franc. & alij in d. cap. cum in plures*, & fuit firmatum in decis. diei 15. Nouembris 1613. in hac causa facta.

9 Nec defecit impedimenti probatio in contrarium ponderata in decis. diei 14. Maii preteriti ad sustinendum nullitatem, quia sufficit quod secundus Iudex sit certus de absentia primi, & quod in Iudicio non fuerit reuocata in dubium absentia, vt dicunt *Arch. in d. c. cum plures. numer. 1. & Gemin. num. 8.* prout in pręsenti non fuit ignorata, nec in dubium reuocata.

R. P. D. ANDREA.

Mediolanen. Decimarum, & Primitiarum de Carlatio Lunæ 23. Iunij 1614.

ARGVMENTVM.

Quasi possessio exigendi decimas quomodo, & ex quibus probetur, & presertim ex locationibus, decimarum, & in preiudicium tertij.

SVMMARIVM.

Mandatum de manutenendo dari debet possessori tempore motæ litis. num. 1.
Quasi possessio exigendi Decimas probatur per confessionem partis. num. 2.
Confessio superat omnes alias probationes. num. 2.
Possessio exigendi decimas probatur ex locationibus factis de decimis, sed an istæ locationes probent contra Tertium. num. 3. 4. & 5.
Libris visitationum standum est in ijs, quæ pertinent ad officium visitantis, & concernunt statum Ecclesiæ. nu. 4.
Confessiones Rectoris ecclesiæ, & Parochianorum, quando præiudicent ecclesiæ. num. 6.

DECISIO DLXXIII.

1 Dubitaui, cui esset dandum mandatum de manutenendo in quasi possessione exigendi Decimas, & primitias in Territorio, & pertinentiis loci de Carlatio, An Rectori dicti loci, An vero Pręposito, & Canonicis Ecclesię de Porletio, & an constaret de attentatis. Et quo ad primam partem Domini esse dandum mandatum Pręposito, & Canonicis censuerunt, de quorum possessione, seu quasi constabat tempore litis motę. *§. Hodie. instit. de interdict. Bart. in leg. 1. §. quod ait prætor. num. 14. & 18. ff. vti possidet.*

Et in puncto fuit dictum in Beneuentana Decimarum. 16. Maij 1597. Coram Litta, & 23. Ianuarij 1602. Coram Seraphino in impress. *decis.* 1417. *p.2.*

2 Possessio, seu quasi exigendi, vltra quod in hoc iudicio sufficiunt leuiores probationes, vt saepe tenuit Rota, visa fuit concludenter probari, tum ex confessione ipsiusmet Rectoris, & Parochianorum, qui in visitatione Illustrissimi Cardinalis ordinarij petendo confirmari, seu de nouo fieri erectionem dictae Ecclesiae de Carlatio in Parochialem fatentur Praepositum, & Scholasticum exigere dictus Decimas, & primitas in Summario Praepositi, num.1. Quae confessio probat possessionem Cardinalis Seraphini, *d. decisio.* 1417. *num.* 2. & superat omnes alias probationes. *l.cum te. C. de transact. Roland. consilio* 75. *num.* 23. *lib.secundo Gramm. decis.* 36. *num.* 66. *Veral. decis.*107.*nu.* 2. *part.* 3.

3 Tum ex locationibus factis per Praepositum de Decimis, & primitiis huiusmodi, *eod. Summario. numer.6.* quae licet regulariter non probent possessionem contra tertium. *c. inter dilectos. vbi Felin. num.* 8. *de fide instrum. Alex. consil.*10. *num* 3. *lib.*4. *Gabr. de locat.conclus.* 4. *num.*1. *Cassad. decis.*20. *numer.*2. *super reg.* Hoc tamen fallit concurrentibus adminiculis. *Felin. vbi supra, versic. item secus. Socin consil.* 187. *numer.*16. *ad fin.lib.*2. *Grat. consil.*50. *num.*49. *& seq. lib.*1. *Gab. vbi supra, num.*16. *Cardinalis Seraphinus, decis.*896. *num.*2. *par.*1. & fuit dictum in causa Bononien. Datii 27. Ianuarii proximi praeteriti, coram Reuerendo Patre Domino meo Verospio.

4 Adminicula autem hic dantur, & quidem vrgentia, scilicet plures locationes, vt post Socin. vbi supra, considerauit Rota in dicta Bononien. Decretum Illustrissimi Archiepiscopi in erectione dictę Parochialis, in quo omnes Decimę, & primitię de quibus agitur, Pręposito, & Scholastico reseruantur, cum narratiua, quod in possessione illas exigendi hactenus extiterunt, & existunt, *eod. summario. num.*2. Nec non alia decreta in Visitatione facta, & signater de anno 1600. *eod. Summario. num.*4. in quibus inter alios redditus Pręposituræ referuntur istae Decimae, & Primitiae, quae omnia decreta probantur ex libris visitationum, quibus in hac materia standum est in ijs, quae pertinent ad officium visitantis, & concernit statum Ecclesiae, *Verall. decis.*158. *part.*2. & fuit dictum in alia Mediolan. Decimarum Sancti Donati 19. Martij 1612. Coram R.P.D. meo Pirouano, cum aliis allegatis per Informantes.

5 Accedat, quod illae locationes non omnino possunt dici inter alios, cum fuerint factae Consuli, & hominibus dicti communis Carlatii, qui sunt in causa *eo. Summario. num.6.* ita quod ipsi non sint tertii, sed partes formales. Non obstat quod non probetur possessio ex locatione dum non apparet effectuata, quia stantibus adminiculis illa sufficit ad probandum possessionem absque alio effectuationis documento, vt tenuit Rota in Bononien. conseruationis indemnitatis 25. Maij 1607. coram Reuerendiss. Bonon. & in illa Bononien. Datii, de qua supra coram Reuerendo Patre D. meo Verospio.

6 Neque obstat, quod illae confessiones Rectoris, & Parochianorum praeiudicare non possint Ecclesiae, quia quicquid sit ad effectum praeiudicii diffinitiui, secus tamen est, ad probandum factum, de quo solum agitur in hoc intermedio, & summariissimo iudicio manutentionis. Vltra quod dictae confessiones plurimum adminiculantur ex decreto reseruationis, & aliis decretis, & locationibus supradictis,

7 Vltimo non obstat sententiam Auditoris Camerae fecisse transitum in iudicatum, & sic Praepositum non audiendum, quia ex facti serie, contra potius colligitur, cum in tempore fuerit appellatum, si quidem intimatio facta fuit 20. Nouembris, & appellatio interposita 30. eiusdem mensis. Vltra quod decretum Auditoris Camerae non concernit Decimas, de quib. agitur, cum in illius vim Rector Parochialis manuteneatur solum in iuribus, & pertinentiis ad illum spectantibus. In istis autem decimis manuteneri non poterat, cum ex supradictis non constet de illius quasi possessione decimandi, nec quod ipse vllum ius in illis habeat. Et ex his patet responsio ad secundam partem dubii, non constare videlicet de attentatis ex parte Praepositi. Et ita conclusum, &c.

REVER. P. D. ANDREA.

Maceraten. Dotis Veneris 27. Iunij 1614.

ARGVMENTVM.

Dote non soluta, & viro sustinente onera matrimonij debetur interesse sex pro centenario.

SVMMARIVM.

*Dotis non solutae interusuria ad rationem Scutorum sex pro quolibet Centenario debetur viro sustinente onera matrimonij. num.*1. *&* 2. *vbi quod huiusmodi interesse non dicitur excessiuum.*

DECISIO DLXXIV.

1 DOminis visum fuit sententiam Auditoris Camerę esse confirmandam, quia de solutione dotis constat ex apocha matrimoniali, & de solutione residui non docetur. Quo vero ad interusuria constat ex solidatione facta à partibus in Scutis 105. ad rationem Scutorum sex pro quolibet centenario, quae interusuria tanquam proprium interesse deberi non videtur dubitandum, cum Franciscus sustinuerit onera matrimonii, vt tradunt Canonistae in *c. salubriter de vsur. & declarat Bart. in l. in insulam. §. vsuras. nu.*3. *ff. solut. matrim. quem ceteri communiter sequuntur. Capic. decis.* 183. *num.*2. *Ossasc. decis.*132. *num.*1. *Surd. alios referens, de alim. tit.*1. *quaest.*42. *num.*1. *& seq.*

2 Nec videri debet huiusmodi interesse excessiuum ad rationem sex, cum vt dicitur in ista ciuitate adsit consuetudo soluendi ad rationem octo pro centenario, quae consuetudo in hac materia attenditur. *Rum. cons.*224. *num.*14. *lib.* 1. *Couar. lib.*3. *var. cap.*1. *num.*3. *vers. septimo ab eadem ratione. in fin. Ioan. Baptista Lup. de vsur. comment.*1. *§.*4. *numer.*91. *post princ. vers. vel* 2. *communem. Surd. vbi supra, num.*27. *in fine. Card. Seraph. decis.* 1406. *numer.* 3. *par.* 2. & fuit dictum in Asculana Praedii. 17. Martii. 1613. coram R.D. meo Damasceno. Ex quibus ita fuit conclusum.

R. P. D. VBALDO.

Bononien. de Poetis 27. Iunij 1614.

ARGVMENTVM.

Trebellianica non detrahitur ex fideicommisso particulari, praesertim vbi adest prohibitio alienandi extra familiam.

SVMMARIVM.

Trebellianica non detrahitur de fideicommisso particulari. num. 2.

*Trebellianica censetur prohibita, quando testator prohibuit alienationem, eo quia voluit bona sua deuenire, & perpetuò transire ad descendentes masculos. num.*3. *vbi praesertim quando est facta probibitio alienandi rem aliquam particularem fauore familiae.*

Confes-

Confessio, sicut præiudicat confitenti, Ita etiam præiudicat habenti causam ab eo. num.4.

DECISIO DLXXV.

1 COepta disputatione super detractionibus reseruatis in sententia de partibus, quam Rota dixit, asse confirmandam die 17. Iunij 1611. coram me, & resoluto dubio super detractione debitorum Testatoris, & legatorum ab eo relictorum, vt in decisione 31. Ianuarij præteriti, hodie proposui dubium, An sit locus detractioni legitimæ, & Trebellianicæ, & Domini informante tantum D. Annibale. negatiue responderunt. Equidem cum duplex à Testatore esset relictum fideicommissum, alterum in domo magna; alterum vniuersale in omnibus bonis suis, quorum vtrumque fuit Canonizatum in decisione 17. Iunij.

2 Quo ad primum Domini habebant pro constanti, quia nulla competebat detractio ratione Trebellianicæ, tum quia illa non detrahitur de fideicommisso particulari, vt per Doctores in *l. in 4. vbi Rip. numer. 3. & 4. ff. ad leg. Falcid. Cardinal. Mantica de coniecturis vltim. volunt. lib. 7. titulo vndecimo, numero secundo. Crass. in §. Trebellianica, quæstione quinta numero primo.*

3 Tum, quia domus fuit relicta cum expressa prohibitione in totum, vel in partem quomodolibet alienaretur, eo quia Testato voluit, eam deuenire, & perpetuo transire ad descendentes masculos, & per lineam masculinam, legitimam & naturalem Virgilij, & eius filij, & hæredis in infinitum, quo casu videtur prohibita Trebellianica. *Authen. sed & in ea. vbi Bald. Cod. ad legem Falcid.* & est recepta opinio, *vt per Gabr. ad Trebell. conclus. 9. num. 1. Mantic. dicto lib. 7. titulo duodecimo, numer. 19. Cras. vbi supra, quæstione 8. numero octauo*, præsertim cum sit facta prohibitio alienandi rem particularem. *Roland. consilio nono, num. 15. libro quarto*. Et fauore familiæ *Crass. dicta quæstione octaua, numero octauo, in fine*, quæ conclusio procedit, etiam in liberis primi gradus, secundum opinionem, quam Rota sequitur. *Cassad. decisione 4. de testamen. Crescent. decisione secunda, eodem titulo. Rolandus decisione trecentesima decima tertia, numero primo, parte secunda diuers.*

4 Secundo principaliter, quia tam legitima, quam Trebellianica ex vtroque fideicommisso fuit detracta, vt probatur ex confessione tum Alexandri iun. Patris D. Franciscæ aduersariæ, tum Virgilij, Patris D. Annibalis in transactione inita cum Liuia ipsius Alexandri vxore, in qua Alexander, & Virgilius fratres expresse fatentur per successores Alexandri Senioris, fuisse factas alienationes absorbentes detractiones, quæ confessio sicut præiudicaret Alexandro iuniori, si viueret, ita præiudicat habenti causam ab eo. *leg. si superatus. in princ. vbi Doct. ff. de pign. Bald. consi. 364. numer. 2. vers. 3. quia. lib. 2. Ruin. consil. quinquagesimo, numero 13. lib. 1. Rom. decis. 776. numero 1. parte 1. diuers.* & fuit dictum in Romana Dotis. 6. Maij 1611. vbi aliæ decisiones allegantur, & in eadem causa vigesima quinta Maij, anno millesimo sexcentesimo vndecimo, coram me.

5 Et licet in dicta transactione assignetur Liuiæ certa pars bonorum fideicommisso suppositorum, ratione legitimæ, & Trebellianicæ debitæ Virgilio, & Alexandro, tamen apparet, id fuisse factum ad fauorem ipsius Liuiæ, quæ prætendebat, detractiones non fuisse factas, sed tamen ex hoc non eliditur superior confessio detractionum. Et hinc est, quod in instrumento diuisionis facte inter eosdem fratres anno 1558. loco bonorum datorum Liuiæ, fuerunt per Alexandrum maritum subrogata, & supposita fideicommisso bona propria ipsius, quod certe non fecisset, si ratione legitimæ, & Trebellianicæ competijsset sibi detractio, quia in eam potuisset imputare bona Liuiæ assignata, & prædicta confessio iustificatur, & vera ostenditur calculo facto, & statu hæreditatis testatoris alias dato pro parte D. Franciscæ, in quo apparet, bona testatoris fuisse valoris 212862. Bona autem alienata ascendere ad summam lib. 5500. Et sic alienationes fere absorbent detractiones, vt prædicti fratres sunt confessi, quæ confessio est satis clara, quamuis alijs status prædictus non esset firmatus.

6 Quibus accedit, quod Virgilius senior filius testatoris habuit duos filios, Annibalem auum vtriusque collitigantis, & Herculem, qui ambo fratres successerunt pro virili in legitima, & Trebellianica debita Virgilio seniori eorum Petri, quæ constituunt dimidiam partem hæreditatis testatoris, iuxta notata in capit. Raynutius, & in cap. Raynaldus de testament. cuius dimidiæ medietas, & sic quarta pars hæreditatis absque dubio pertinet ad Ann. iun. ex testamento Herculis expresse vocati, remanet alia quarta pars, quæ obtigit Ann. sen. à quo condescendant. Annib. & Francisca ex duobus filijs nepos, & neptis, successiue sequitur, vt Francisca ratione detractionum non possit prætendere, nisi octauam partem hæreditatis, quam fuisse detractam vtra prædicta constat ex alienatione Prædij Casaliæ, quod Alexander eius Pater supposuerat fideicommisso loco bonorum datorum Liuiæ, vt supra dictum est, & ex alienatione alterius prædij Peuerariæ suppositi fideicommisso pro dotanda eadem Francisca filia Alexandri iunioris, pro summa Scutorum sex millium auri, quæ sine dubio videtur apta consumere quamcumque pensionem detractionis. Et ita fuit decisum.

REVERENDISSIMO P. DOMINO MANZANEDO.

Romana Domorum. Veneris 27. Iunij 1614.

ARGVMENTVM.

Remedium l. finalis. C. de edict. Diui Adriani tollendo, non datur ex scriptura rasa, cancellata, & cum additionibus in margine, nec etiam ex testamento ratione voluntatis imperfectæ.

SVMMARIVM.

Immissio ex l. final. C. de edict. Diui Adr. toll. non conceditur ex scriptura rasa, cancellata, & cum additionibus. num. 1.

Testamentum, quando dicatur imperfectum, ita quod sit potius quædam præparatio ad testandum, quam testamentum, ex quibus hoc cognoscatur. num. 2.

Testamentum imperfectum ratione voluntatis sustineri non potest, nec etiam ad pias causas. num. 3.

Clausula, & non alia, &c. denotat conditionem, qua deficiente nihil operatur. nu. 4.

DECISIO DLXXVI.

1 PEtita immissione in bonis, de quibus agitur, per Venerabilem Confraternitatem Spiritus Sancti Neapolitanorum, coram Reuerendo Patre Domino Triuultio, & obtenta sententia fauorabili pro immissione, fuit ab illa pro parte Arsenij Caratellis, & litis consortium appellatio interposita, & causa mihi commissa, dubitaui, an prædicta sententia veniret confirmanda, seu potius reuocanda, &

da, & Domini pro illius reuocatione responderunt, moti ex eo, quia scriptura producta, cuius vigore fuit petita dicta immissio in vim. *leg. fin. Cod. de edict. Diui Adriani toll.* quasi esset testamentum Leonardi, in quo dicta Confraternitas fuit hæres instituta, visa fuit cancellata, & rasa, interlineata, & cum additionibus in margine, ita vt in illa non possint verificari, verba, *d. l. fin. ibi.* nec abolitum, nec cancellatum, & clare appareat ex illius inspectione de ipsius vitio visibili, ex quo dicta immissio impeditur, teste *Bart. in dict. leg. fin. num. 3. Dec. num. 47. Zuccard. num. 94. quos refert*, & sequitur, & de communi testatur. *Menoch. de adipiscend. remed. quarto numer. 699. cum sequent.*

2 Vlterius, quia ista scriptura testamenti Leonardi non videtur, quod sit testamentum, sed tantummodo quædam præparatio ad illud, ita vt sit imperfectum, non ratione solennitatis deficientis, sed ratione voluntatis non perfectæ, & nondum redactæ ad actum, sed potius permanentis in præparatorijs tantum, quod satis desumitur ex eo, quod nec testes interfuerunt, nec Notarius fuit rogatus, nec ad fuit isti scripturę, nec continet mensem, nec annum, nec de manu testatoris reperitur facta ex relatis per *Decian. respons. 86. num. 5. lib. 2.* & confirmatur ex verbis eiusdem scripturæ in margine ibi, *vedi se sono trecento, &c.* & in alia margine ibi *Auertite che di sopra dice* & clarius deprehenditur ex illa clausula. *Item che il Notaro si rogarà del detto testamento sia obligato, &c.* quæ omnia indicant, istam scripturam non fuisse testamentum ex imperfectione voluntatis, sed qnandam præparationem ad testandum argumento *tex. in lex. in leg. 2. in princip. C. de sentent. & breuicul. recitan.* In illo enim non fuit perfectum, & absolutum quicquam cum in aliud tempns esset remissus rogitus dicti testamenti per Notarium faciendus, sicque fuerit solummodo quædam preparatio ad futurum testamentum. *Oldr. cons. 119. Dec. cons. 159. colum. 1. versic. quibus, tamen non obstantibus. Ruin. cons. 7. numer. 6. & seq. libr. 3. Couar. in c. relatum. nu. 9. de testam. Clar. in §. testamentum, q. 7 num. 20.*

3 Et in tantum hoc procedit, quod nec talis scriptura potest sustineri quasi testamentum ad pias causas iuxta magis communem, de qua per *Socin. iun. cons. 189. nu. 73. lib. 2.* plures referentem. Couar. vbi supra plures congerens, Decian. vbi supra, & eandem sequitur, & dicit magis communem *Clar. d. q. 7. num. 2. & 3. & Ruin. vbi supra num. 7.* vbi quod nec etiam tale testamentum sustinetur inter liberos, *glos. vnic. in legiis qui ff. de testam.* quam omnes sequuntur teste *Rimin. in l. hac consultissima. 6. ex imperfecto, Cod. de testam. & Ruin. cons. 15. num. 2. lib. 2. attestan. de communi post Paul. de Castr. in dict. §. ex imperfecto. num. num. 3. Alexand. etiam de communi consil. 76. numer. 13. libr. 3.* & plures pro hac sententia, & de communi testantes refert, & illos sequitur *Clar. vbi supra q. 9. num. 1. idem Ruin. d. cons. 7. num. 3.*

4 Si vero dicta imissio in dicta sententia fuit concessa in vim declarationis, & cessionis factæ per Liuiã, & Corneliam ad fauorem Confraternitatis, & sub prætextu quod Leonardus ita confecisset suum testamentum pariter fuit responsum, pro infirmatione sententiæ. Dicta enim cessio, & declaratio apparet facta intuitu, & prætextu testamenti Leonardi ad quod expresse se referunt pluribus in locis dictæ cessiones, & potissime in fine ibi quia earum intentio fuit, & est iuxta dict. testamenti formam, in fine, & non alias, &c. quæ clausula denotat conditionem. *Abb. in cap. insinuante, numer. 6. quod Cler. vel vouent. Rota decis. 446. num. 5. part. 1.* vnde deficiente isto testamento, vt reuera deficit, cum nullum non sit testamentum, sed preperatio ad illud, vt dixi, curruit etiam dicta cessio, & per consequens immissio illius vigore obtenta.

5 Quibus non obstant supradictum *consil. 7. Ruin. ex* aduerso adductum, illud enim retorquetur, cũ quicquid in motiuis in princ. dixerit postea. *nu. 6. & 7.* pro hac parte tenet, vt apud visum videre licet, & superius dicta Ruin, ibidem ponderata relinquo. Ex quibus pro infirmatione sententiæ resolutum fuit.

REVERENDISSIMO P. D.

MANZANEDO.

Lauretana bonorum. Veneris 27. Iunij 1614.

ARGVMENTVM.

Debitor promittens soluere in loco, in quo creditur ordinabit, non dicitur in mora, nisi creditor doceat de ordine prædicto, & vbi non adest mora, non intrat caducitas, quæ est materia odiosa, & ex leui causa à Rota excusatur.

SVMMARIVM.

Debitor promittens soluere in loco iuxta ordinem creditoris non dicitur in mora constitutus, si creditor non doceat ad soluendum dato, num. 1. & seq.

Caducitas ob non solutionem non incurritur sine mora, num. 1. in fine.

Mora in caducitate purgari potest ante declarationem creditoris, nu. 2.

Emphyteuta non soluens Cappones, quos soluere promisit, non operatur caducitatem emphyteusis, nu. 3.

Caducitas est materia odiosa, & rota sollet illam excusare etiam ex leui causa, nu. 4.

DECISIO DLXXVII.

1 SEntentiam Auditoris Cameræ absolutoriam ab imperitis contra Rodomontem per Monasterium dixerunt Domini venire confirmandam, quia quamuis in instrumento locationis fuerit appositum pactum quod nisi debito tẽpore solueretur pensio conuenta, ipso facto intelligeretur locatio resoluta, attamen quia in eodem instrumento paulo, superius adest pactum, quod solutio debeat fieri in terra Montis Luponi in loco vbi per Abbatem, vel eius legitimos agentes ordinaretur, & non constet de aliquo ordine Abbatis, seu alterius nomine illius, nec pro parte Monasterii de illo doceatur, non potest dici conductor constitutus in mora. *Natt. consil. 258. nu. 6. in fin. Alexan. consil. 92. num 9. & seq. lib. 1. Mandos. de signat. grat.* in verbo pensiones, vers. quæro destinata erat, vbi referuntur plures decisiones Rotę Corbul. de caus. priuat. ob non solut. Canon. limitat. 9. num. primo, & seq. & sine mora non potest incurri caducitas ob non solutionem canonis, vt notant DD. in locis præcitatis.

2 Quibus non obstat, quod in dicta terra Mõtis Luponis adesset quidam Carus procurator Abbatis, cui alias conductor soluerat responsionem, & cui intimauerat vltimo loco tanquam procuratori Abbatis se esse paratum soluere, & consignare responsionẽ hoc enim non sufficit, cum conductor non teneretur simpliciter iuxta dictum instrumentum soluere in terra Montis Luponis, sed in loco per Abbatem, seu eius legitimos Agentes ordinato. Vnde cum locus loci esset incertus, & penderet à voluntate Abbatis, & ab illius ordine, illo non dato non potuit dici conductor constitutus in mora absque tali ordine, seu interpellatione Ruin. cons. 42. num. 25. libro 1. & licet vltimo loco ipse intimauerit solutionem dicto Caro attamẽ id fecit ad maiorem cautelam, quod eo magis illum debet excusare, præcipue cum postea deuenerit etiã ad de-

ad depositum integræ quantitatis grani. Vltra quod vltima Septembris 1611. fuit facta oblatio duorum annorum decursorum, & sic ante accepptam caducitatem, quæ fuit 7. Nouembris eiusdem anni, certum est autem moram ante declarationem purgari posse, imò etiam post, si celeriter *Gabr. cons. 75. nu. 4. & 7. lib. 2. Card. Mantic. de tacit. & ambig. lib. 22. tit. 27. nu. 35.* & prædictum depositum, & comparitio, & facta oblatio fuerunt Caro intimata, licet domi.

3 Non etiam obstat, quod non deposuit etiam cappones, & paleam, pœna enim caducitatis est tantum apposita ob non solutionem grani, vt in instrumento locationis, vbi post iam appositam dictam pœnam promittitur solutio paleæ, & capponum, vltra quod defectus consignationis capponum non operatur caducitatem. *Benintend. decis. 6.*

4 Tandem nec obstare videbatur, quod Abbas institerit inspici, & mensurari dictum frumentum depositatum, & quod conductor, & depositarius se opposuerint. Quia fuit responsum huiusmodi oppositiones, seu protestationes continere, quod ipsi erant parati mensurare illud ad effectũ soluendi facta quietantia, non autem ad effectum inspiciendi, & vtcumque sit, cum caducitas sit materia odiosa, & Rota soleat illam excusare, etiam ex leui causa, videtur in casu nostro excusanda, licet dictum depositum ex dictis primis instantijs per Abbatem factis, & protestationibus conductoris, & depositarij potuisset aliqualiter dubitari, fuisset realiter factum. Ex quibus pro confirmatione dictæ sententiæ fuit resolutum.

DECISIO DLXXVIII.

Terdonen. Archiprebyteratus. Veneris 27. Iun. 1614.

Impressa Apud Buratto.

DECISIO 68.

REVERENDISS. P. DOMINO COCCINO DECANO.

Vlixbonen. Concursus. Lunæ 1. Iulij 1611.

ARGVMENTVM.

Constitutio Pij V. super collatione parochialium, & concursu, an habeat locum in parochiali vnita, & quando in Vicarium parochialis vnitæ dicatur translata totalis cura vel exercitium curæ tantum.

SVMMARIVM.

Constitutio Pij V. super collatione, & concursu parochialium habet locum etiam in parochialibus vnitis, quotiescumque in Vicarium transfertur non solum exercitium curæ, sed etiam cura. nu. 1.

Cura beneficij vniti dicitur translata in Vicarium, quando in vnione illi fuit reseruata congrua. nu. 2.

Cura beneficij vniti dicitur translata in Vicarium, quando in Ecclesia sæculari Vicarius deputatur perpetuus. nu. 2.

Obseruantia subsequuta declarat, an cura beneficij vniti transferatur in Vicarium, vel ne. nu. 2.

Cura beneficij vniti an sit translata in Vicarium, vel exercitium curæ, etiam quod Vicarius sit perpetuus debet attendi quis percipiat fructus, quia si percipit Vicarius, & soluit aliquid illi, cui fuit facta vnio, est translata cura, alias exercitium tantummodo. nu. 3. & ibi declara, duobus modis.

Concursus non habet locum in parochialibus de iure patronatus laicorum. nu. 4.

Fallit quando Ecclesia iuris patronatus fuit vnita beneficio libero. nu. 4.

DECISIO DLXXIX.

1 Domini resoluerunt, non constare de vnione, quæ impediat concursum. Nam cum ista parochialis, vna cum suis fructibus fuerit per ordinarium vnita Canonicatui, excepta tamen decente portione, & sustentatione pro Vicarijs perpetuis, &c. quæ vnio fuit confirmata per Clementem VI. & denuo datum mandatum de vniendo per Sixtum IV. cum eisdem conditionibus, quatenus vnio facta per ordinarium, vel per dictum Clem. VI. qui fuit Antipapa, sustineatur, vel mandatum de vniendo Sixti IV. habuerit effectum, adhuc est faciendus concursus, quia quotiescumque in Vicarium transfertur cura, non autem solum exercitum curæ, intrat constitutio sanctę mem. Pij V. 32. in ordine, & dispositio sacrosanct. Conc. Trid. *sess. 24. c. 18.* quæ loquuntur de concursibus faciendis in collatione Parochialium. Ita declarauit Congregatio Illustriss. Interpretum, & sequendo hanc sententiam dicit Rota in causa Vlixbonen. iuris conferendi. 2. Decembris 1605. coram bon. mem. Litta. Et in eadem 13. Iunij 1607. coram Illustrissimo D. meo Card. Lancellotto.

2 Quod autem in casu isto fuerit in Vicarium translata cura, imò & ipsam in vnione fuisse præseruatam, satis patet, quia in ipsa vnione disponitur, quod preseruetur congrua pro Vicario perpetuo, immo illa congrua excipitur ab vnione, vnde fit, quod manifestissime appareat in dictum Vicarium fuisse translatam curam, quam etiam esse translatam ex eo solum, quod Vicarius sit perpetuus in Ecclesia sæculari voluerunt *Innoc. in cap. cum non. num. 20. vers. si autem perpetuo daretur. de præbend. Gard. in Clem. vnic. numer. 10. quæst. 9. vers. in contrarium facit. de offic. Vic. & in cons. 30. colum. prima in fine, paulo ante nume. 1. vers.* Et hoc videtur certum, *& num. 1. Roman. consil. 356. num. 4. vers.* sin autem possedit, vt Vicarius perpetuus. *Fely. in c. postulasti. colum. 1. circa med. vers. & vide Cardinalem Nauar. consil. 13. de election.* quod etiam declarauit obseruantia subsequuta. Nam post Concilium Archiepiscopus est in quasi possessione faciendi concursum iuxta *notat. per Calder. in cons. 23. de præbend.*

3 Neque obstat, quod ad effectum cognoscendi an sit translata cura, vel exercitium curæ, etiam quod Vicarius sit perpetuus, attendi debet, quis percipiat fructus, quia si percipit Vicarius, & soluit, quod illi cui fuit facta vnio, est translata cura, alias exercitium tantummodo, vt fuit Originale *d. num. Laudentijs, & dicit Host. in cap. exposuisti. in fin. vbi etiam Ioan. And. & Abb. pariter. in fine de præb. Fely. in d. cap. postulasti. num. 1. vers. aut percept. fruct. de rescriptione Rebusque de congrua. numer.* 108. & dixit Rota in alleg. causa Vlixbonen. Concursus coram bo. mem. Litta. Nam huic motiuo respondetur, quod decisio in causa Vlixbonen. concursus, loquitur in Ecclesia vnita monasterio, in qua non sufficit ad cognoscendum, an in Vicarium sit translata cura vel exercitium curæ, quod Vicarius sit perpetuus, quia de iure talis esse debet in istis Ecclesijs vnitis Monasterio, vt in *cap. 1. de Cappell. monac. in 6. & notant ibidem omnes. Doct. vero in d. c. exposuisti.* videntur loqui, quando aliqua pensio soluitur per Vicarium, tunc certum est in ipsum fuisse translatam curam, & in hoc ipsi faciunt fundamentum ad tollendũ omnes difficultates, sed circa hoc dictum videtur cessare omnis difficultas, quia vt bene dicit Card. in d. *Clem. vni. de off. Vic. num. 11. vers. solutio.* quando reseruatur fruct. illi cui vnitur Ecclesia ista reseruatio operatur quo adactiones competentes beneficio. Nam

quando solum certa portio datur Vicario pertinent actiones ad principalem, non autem quo minus dicatur curam residere debere penes ipsum Vicarium, cum sit perpetuus, hæc ille.

4 Minus etiam releuat, quod ista Ecclesia erat de iure patronatus laicalis in quibus Ecclesijs non fit concursus, quia cum fuerit vnita Canonicatui de consensu Patroni, imò & ipse Episcopus Patronus vniuit habita ratione ad vnionem prædictam, ista Ecclesia remanet libera, & non potest amplius dici de iure patronatus, ita vt non sit faciendus concursus. Et ita conclusum, non constare de vnione, quæ impediat concursum.

REVERENDISSIMO P. DOM.

COCCINO DECANO.

Bremen. Præpositurae. Veneris 4. Iulij 1614.

ARGVMENTVM.

In hac decisione agitur de quadam præpositura, an esset Sedi Apostolicæ reseruata, & inde sumpta occasione declaratur, an & quando verba enunciatiua, & narratiua Papę præsertim probant, vel non.

SVMMARIVM.

Concordatæ inter Sedem Apostolicam, & Germanicam nationem seruandæ sunt, quia habent vim pacti, & contractus. nu. 1.

Exceptio debet esse de regula. num. 2.

Dictio vero est aduersatiua inducitque repetitionem omnium qualitatum expræssarum in præcedenti dispositione. num. 2.

Beneficium vbi est reseruatum Sedi Apostolicæ conferri non potest à Capitulo. nu. 2.

Enunciatiua de præterito, & quando super ea principaliter agitur, non probat. nu. 3.

Confirmatio non trahitur ad id, de quo actus confirmandus non disponit. nu. 3. in fine.

Enunciatiua emanata ab eo, qui disponere potest, habet vim dispositionum, Declara dummodo de præsenti sint prolata, & principaliter propter se, aliter secus. nu. 4.

Enunciatiua verba de præterito nullo pacto important dispositionem. nu. 4.

Beneficia debita certo generi personarum cadunt sub reseruatione cum sua causa, vt scilicet conferantur personis de illo genere. nu. 5.

Breuis, seu literarum executio non requirit aliam iustificationem, quam eorum quæ continentur, sub clausula constito.

Narratiua Papæ etiam facta Motu proprio recipit probationem contrarium. nu. 6.

Relatum est attendendum, & non referens, quia referens errasse censetur. nu. 6.

Beneficij status non mutatur per prouisionem Apostolicam, vel Ordinarij. nu. 7. Vbi declaratur, quando hæc conclusio procedat.

DECISIO DLXXX.

1 DE mandato S.D.N. mihi significato per Illustrissimos & Reuerendissimos Dominos meos Cardinales Mellinum, & Lancellottum proposui dubium in Rota, an præpositura Ecclesiæ Bremen. esset Apostolicæ Sedi reseruata, ita vt prouisio facta ad fauorem Vueselli Bruggenei sustineatur non obstante prouisione facta per Capitulum sub prætextu, quod dignitas esset electiua, & quod vigore statuti deberet conferri Canonico, ac non obstantibus quibusdam alijs adductis, & omnes DD. negotio mature considerato, atque discusso concordi voto affirmatiue responderunt, stantibus concordatis inter S. Sede Apostolicam, & inclytam nationem Germanicam olim initis, quæ sunt seruanda cum vim pacti & contractus habeant. *Put. decis. 45. numer. 1. lib. secundo Crescent. decis. 2. de priuileg. Mohed. decis. 23. in fin. de præbend.*

2 Cum enim ista dignitas sit prima post Pontificalem vigore eorundem concordatorum, est reseruata Sedi Apostolicæ, etiam si esset electiua, vt prætenditur, quod tamen minime probatur, quia cum supra in concordatis in principali dispositiua fuerit facta mentio, etiam de beneficijs electiuis, & postea in exceptione subiiciatur. De ceteris vero &c. intelligendū est de electiuis, quia exceptio debet esse de regula. *glos. in rubr. de reg. iur. in 6. ante medium. vers. subtilitatibus tamen Paul. de Castro. consil. 79. num. 3. lib. 1.* & accedit, quia ad est dicto vero, quæ est aduersatiua, & inducit repetitionem omnium qualitatum expressarum in præcedenti dispositione. *Alex. in l. si filius à Patre. num. 6. ff. de lib. & posth. Ruin. consi. 111. nume. 6. lib. 3. Socin. iun. consil. 83. numer. 10. lib. 1.* Vnde fit quod cum agatur de reseruatione contenta, in ipsis concordatis versamur in casu claro, quod Capitulum non potuit prouidere de hac præpositura, vti Apostolicæ Sedi reseruata, & ita in puncto fuit resolutum in alia causa Paderbonen. Præpositurae 9. Martij, & 30. Maij 1588. coram bon. mem. Bubalo, cuius verba transcribere non placuit, quæ quidem decisio refertur inter concordata Germaniæ, notab. 3.

3 Neque obstat, quod vigore statuti confirmati à Gregorio XIII. huiusmodi præpositura debeat, vt prętenditur per Capitulum, conferri Canonico, qualis non est Vuesselus, nam fuit responsum, istud statutum non obstare, cum disponat principaliter super administratione bonorum Præpositurę, & quod Prępositus, sicut ceteri Canonici possit optare bona ibi espressa, & super hoc venit principaliter confirmatio Apostolica, & licet incidenter, & per parenthesim dicatur, quod ab isto iure optandi hactenus Præpositi erant exclusi, quanquam ij tenerentur esse Canonici, tamen non ideo sequitur, quod prædictum statutum disponat, quod Præpositus debeat esse Canonicus, sed enunciat actum de præterito, quod Præpositi tenebantur esse Canonici. *Alex. consil. 153. in principio, & per totum lib. 5. Castrens. consil. 407. nume. 2. versic. 2. quæro. lib. 1.* quod non probatur ex ipsa enunciatiua, cum principaliter super ea agatur, an scilicet Præpositi teneantur esse Canonici, *Alexand. consil. 136. num. 11. lib. 1. Dec. consi. 348. in fine Aymon consil. 29. num. 3.* & per consequens confirmatio Apostolica nihil operatur, quia dat solū robur statuto, quo ad ius, non quo ad factū, & ideo si dictum statutum nihil disponit super eo, quod Præpositus sit Canonicus, vt dictum est, confirmatio Apostolica non prodest. *Bald. consil. 181. in princ. lib. 1. Roman. consi. 12. num. 4. & consi. 371. num. 3. uers. nec confirmatione.*

4 Neque hæc responsio tollitur, ex quo si enunciatiua emanat ab eo, qui potest disponere, habet vim dispositionis. *Bart. in l. gerit. num. 15. ff. de acquir. hæred. Mathesil. singul. 34.* Quia quicquid dicendum sit, an Capitulum haberet facultatem statuendi, hæc conclusio procedit, quando verba enunciatiua de præsenti sunt prolata principaliter, propter se, quando scilicet non terminantur ad aliud, nec respiciunt alium finem, nisi sese, & tunc talia verba disponunt, si talis est actus, qui possit tunc geri sola voluntate, vt si hæres tanquam talis constituat procuratorem, vt in exemplis *Bart. & Mathesil. Hic.* autem verba fuerunt prolata vltra principale propositum, quod erat super administratione bonorum, & optione, & important quandam adiectionem verborum, & sunt etiam de præ.

de præterito, vnde nullo pacto important dispositionem, ita elegantissime declarat. *Bald. in cons. 263. nu. 3. lib. 1. Paris. cons. 127. in fine lib. 1. Affl. dec. 83. nu. 2. & per totam. Aym. cons. 911. nu. 15. & cons. 832. nu. 2. & 3. vers. 4. Bero. cons. 170. in princ. lib. 2.*

5 Et ex abundanti fuit dictum, quod quatenus illud probaretur in d. statuto non releuaret ad effectum de quo agitur, quia non ideo cessaret reseruatio Apostolica, ita vt Capitulum potuisset conferre etiam quod Præpositura esset electiua, quod tamen non probatur, nam beneficia debita certo generi personarum cadunt sub reseruatione cum sua causa scilicet, vt cõferantur personis de illo genere. *Veral. decis. 313. in manuscript. lib. 1.* & negotio mature discusso ita fuit resolutum in causa Vlix bonen. Prioratus 1. Februarij 1602. coram bon. mem. Cardinale Seraphino. Nec obstaret, quod Præpositura non fuerit collata Canonico, cum de hoc non esset agendum in hoc iudicio executiuo vigore Breuis, in eo namque sufficit iustificare clausulam constito, quod Præpositura sit prima dignitas post Pontificalem ad effectum vt Breue debeat exequi, reliqua autem sunt reijcienda ad iudicium ordinarium *Anchar. cons. 297. num. 8. vers. & proxime dicta*, & fuit dictum in causa Papien. Præposituræ 30. Maij 1611. coram Reuerendissimo Attrebaten.

6 Non obstat, quod in vltima prouisione Sixti V. facta de huiusmodi præpositura habeatur mẽtio, quod per statutum confirmatum à Gregorio collatio debet fieri Canonico, quia fuit responsum istam fuisse narratiuam partis, & vltra alia fundamenta, ex quibus potest tolli istud obiectum, de quibus supra in responsione ad aliam enunciatiuam, placuit alia responsio, quod cum hic constet de contrario enunciato cessat omnis difficultas, etiam quod illa fuisset narratiua Papæ, quæ tamen non est. *Alex. in cons. 9. nu. 12. vol. 5. Dec. cons. 63. nu. 6. vers. nec obstat, quod verba transactionis. Bellon. cons. 23. num. 3.* qui tenent, quod relatum est attendendum, & non referens, cum censeatur referens errasse, & ita etiam declarat *Dec. in auth. si quis in aliquo. nu. 34. & Alciat. nu. 6. C. de eden.*

7 Tandem non releuat, quod dicta vltima prouisio Sixti V. facta fuit Canonico, qui vltimus status est attendendus in probanda qualitate beneficij. *Dec. consil. 126. nu. 1. Rota dec. 2. de præb. in nou.* Quia fuit responsum quod prouisio Apostolica, vel Ordinarij, non mutat statum beneficii. *Dec. cons. 126. in fine Achilles decis. 7. de iure patr.* quæ conclusio licet sit vera, quando constat de contrario anteriore statu, cum de beneficio, *de præb. in 6. Dec. d. cons. 126. num. 1. cum seqq. Feder. de Senis cons. 240. nu. 1.* & fuit resolutum in Tudertina Prioratus 5. Maii 1595. coram Orano, hic satis constat de veritate negotij, quia statutum prætensum non adest, & ex prædictis apparet in quo sit fundata intentio Capituli, & vt supra dictum est, hæc deducuntur ex abũdante pro iustitia causæ in iudicio ordinario, quia in hoc iudicio executiuo sufficit iustificare clausulam, si constiterit, quod Theodericus à Galen. Præpositurae huiusmodi possessor obierit &c. de quo non dubitatur, quia cum constet de reseruatione præpositurae nullum fit præiudicium, Ordinario Collatori, etiam quod Præpositura fuerit collata non Canonico, sed si quis prætendit male fuisse impetratam, obtineat gratiam certo modo, & experiatur iura sua in iudicio ordinario, sed veritas est ex prædictis, quod prouisio nõ debet fieri Canonico, & sic iura Vuesseli subsistunt tã in iudicio ordinario, quam exequutiuo. Alia non egent responsione, &c.

R. P. D. ANDREA.

Mediolanen. Decimarum. Veneris 4. Iulij 1614.

ARGVMENTVM.

De fide instrumentorum, & quando instrumenta dicantur in forma probanti.

SVMMARIVM.

Iura producta censentur approbata à parte contra quam producuntur eo ipso, quod citata ad dicendum contra, nihil opponit. nu. 1.

Instrumenta publicata à Notarijs rogatis, habentur loco originalium, & probant absque alia solennitate. nu. 2.

Instrumenta leuata, & transumpta ab habentibus facultatem illa extrahendi ab Ordinario probant. nu. 3.

Instrumenta subscripta à Cancellario, & Archiuista successoribus in officio plene probant. nu. 4.

Notarius successor in officio potest absque alia solennitate sui Prædecessoris scripturas publicare. nu. 4.

DECISIO DLXXXI.

1 Licet iura, & instrumenta, de quibus in dubio, vno excepto fuerint producta in partibus cum citatione ad dicendum contra, & pars nihil opposuerit saltem generaliter. Vnde eo ipso videbantur plene probare. *Felin. in cap. fin. num. 7. in secunda fallentia de fid. instrum. Ægid. dec. 539. Put. dec. 155. lib. 1. in nou. Caputaq. dec. 5. nu. 5. par. 3.* Nihilominus ex aliis fuit dictum, illa esse in forma probanti.

2 Siquidem primum secundum, & tertium, fuerunt publicata ab ipsis Notariis rogatis, vnde habentur loco originalium, & absque alia solennitate probabant *Bart. communiter receptus in auth. si quis in aliquo. nu. 3. C. de eden. Bald. in l. publicati. nu. 9. & ibi Ias. nu. 4. C. de testam. Felin. vbi supra nu. 5. Lap. alleg. 77. Anchar. in cap. Albericus num. 13. de test. Aret. in cap. quoniam contra. nu. 12. notab. 13. de probat. Couar. pract. cap. 19. nu. 3. in princ. vers. nam ea scriptura, Rot. dec. 1. de fid. instrum. in nou. & 4. eo. tit. in antiq. Veral. dec. 170. num. 1. par. 1. & dec. 351. in princ. par. 2.* & fuit firmatum in pluribus causis, & signanter in Farfen. Territorii. 12. Iunii 1606. coram bon. mem. Penia, & in Mediolanen. Iuris patronatus 1. Iulii 1611. coram Reuerendissimo Damasceno, & in Hispalen. Legitimitatis 12. Decembris eod. ann. coram Reuerendo Patre Domino meo Vbaldo, & in alia Mediolanen. Decimarum Sancti Donati. 23. Ianuarii coram Reuerendo Patre Domino meo Pirouano.

3 Quartum, quintum, sextum, septimum, octauum, & nonum fuerunt extracta ab habentibus facultatẽ ab ordinario, quod sufficit, vt sit eis plena fides adhibenda. *cap. cum P. Dabellio. vbi Abb. nu. 2. Felin. in princ. de fid. instrum. Alex. in d. Authen. si quis in aliquo. num. 5. in fin. vers. faceret etiam, & ibi Dec. nu. 16. Fall. 9. C. de edend. Veral. dec. 351. nu. 2. vbi nu. 3.* reddit rationem *par. 2.* cum aliis adductis in illa Mediol. coram Reuerendo Patre Domino meo Pirouano. Et in hoc statur eorum assertioni de facultate, sibi concessa, *iuxt. dec. Veral. 245. & 266. par. 2.* qui Stylus in Rota est tritissimus, & receptissimus, vt in decisionibus allegatis in dicta Mediolanen. & hic per Informantes.

4 Decimum, & vndecimum fuerunt subscripta à Cãcellario, & Archiuista successoribus in officio, quod præstat eis integram fidem. *Bart. in l. si quis ex argentarijs. §. cogentur. num. 3. ff. de eden. Veral. dec. 244. num. 3. & dec. 351. n. 2. & 3. p. 2.* Nec dubium est, quin successor in officio possit predecessoris sui scripturas publicare absq; aliqua solennitate, vt in his terminis fuit firmatum in Vrgellen. Parochialis. 29. Nouembris 1602. coram bon. mem. Cardinali Pamphilio, & in Tarraconen. præpositurarum 14. Ianuarii. eod. anno coram Reuerendo Patre Domino meo Pirouano, in quibus, & aliis Rota etiam dixit sufficere se talem nominare in sua subscriptio-

scriptione. Ex quibus omnibus vna tantum parte informante resolutum fuit iura, & instrumenta, de quibus in dubio, esse informa probanti.

DECISIO DLXXXII.

Senen. Bonorum. Veneris 4. Iulij. 1614.

Impressa Apud Buratto.

DECISIO 74.

DECISIO DLXXXIII.

Romana Anni legati. Veneris 4. Iulij 1614.

Impressa Apud Buratto.

DECISIO 73.

DECISIO DLXXXIV.

Ferrarien. seu Rauennaten. Bonorum. Veneris 4. Iulij 1614.

Impressa Apud Buratto.

DECISIO 71.

DECISIO DLXXXV.

Romana Domus. Veneris 4. Iulij 1614.

Impressa Apud Buratto.

DECISIO 70.

DECISIO DLXXXVI.

Palentiina Beneficij. Veneris 4. Iulij 1614.

Impressa Apud Buratto.

DECISIO 72.

DECISIO DLXXXVII.

Calaguritana Decimarum. Veneris 7. Nouemb. 1614.

Impressa Apud Caualerio.

DECISIO 322.

R. P. D. VBALDO.

Firmana laudi. Veneris 7. Nouembris 1614.

ARGVMENTVM.

Laudum à partibus acceptatum transit in vim pacti & quid si quis ex eo fuerit enormissime læsus.

SVMMARIVM.

Laudum à partibus acceptatum, & homologatum transit in vim pacti, & transactionis, nu. 1.

Laudum etiam homologatum numquid possit rescindi ex capite enormissimæ læsionis, nu. 3.

Lesio enormissima in transactione stante dubio litis euentu, quomodo considerare debeat, nu. 3.

Sententias, & lau da extra Rotam lata, Rota non exequitur, nisi constet de eorum iustitia, num. 4.

DECISIO DLXXXVIII.

1 POst diuturnam litium agitationem coram diuersis iudicibus, & plures sententias in hac causa latas, fuit inter partes factum compromissum, & ab arbitro laudum latum, de cuius confirmatione, vel infirmatione, cum hodie ageretur in Rota, fuit dictum esse in omnibus standum laudo. Fundamentum fuit, quia laudum dicebatur, à partibus fuisse acceptatum, & homologatum, & ideo transiuit in vim pacti, & transactionis, imò dicitur vera transactio, *gl. in leg. 2. & ibi DD. C. comm. vtriusq. iur. Caccialup. in tract. de trans. q. 3. sub nu. 8. vers. aduerte nu. 6. l. 4. Alex. cons. 72. nu. 3. lib. 1. Paris. cons. 46. num. 16. lib. 1.* & fuit dictum in Romana executionis laudi, 26. Iunij 1613. coram me.

2 Et licet Daganellus ab hoc laudo, appellauerit, cuius hæredes postea illud approbarunt, & prætendunt, Scæuolam posse hodie vti eadem appellatione, quamuis statim laudo acquieuerit, iuxta textum in l. ampliorem, *in princ. C. de appell. cum allegat. per Alex. cons. 183. num. 4. lib. 6.* tamen dicebant Domini, prætensionem Scæuolæ, esse minus legitimam, cum laudum contineret diuersa capitula, vt patet ex ipsius lectura, & Daganellus appellauerit in parte, & partibus sibi præiudicialibus iuxta tradita per *Imol. in cap. cum Ioannes, & ibi Abb. num. 27. de fid. instrum.* limitata enim appellatio limitatum producere debet effectum. *Decius in cap. bonæ, num. 36. de appell. Paris. consil. 66. num. 6. & seq. lib. 2.*

3 Et dato, quod transactio, & sic laudum etiam homologatum possit rescindi ex capite enormissimæ læsionis attento tamen dubio litis euentu, iuxta *Bart. in l. 2. num. 7. Cod. de rescind. vendit. & in l. si quis cum aliter, ff. de verb. oblig. nu. 5. Cagnol. in d. l. 2. num. 80. & 85. Paris. consil. 89. num. 55. libr. 1.* & tenuit Rota in causa Bononien. transactionis de Capacellis 2. Decembris præteriti, coram R. P. D. Pamphilio. Ex deductis non videbatur Dominis constare, de tali enormissima læsione Scæuolę.

4 Quæ dicebantur circa confirmationem dicti laudi fuit dictum requirere altiorem indaginem, licet enim pro laudo præsumantur, iuxta *Specul. in titul. de arbitr. §. sequitur cum latissime congestis, per Menoch. præsumpt. 76. num. 2. 3. & seqq. libr. 2.* Tamen notus Stylus huius Tribunalis, vt aliorum sententias, vel lauda non exequatur, nisi constet de e rum iustitia. *Put. decis. 204. num. 2. lib. 1.* Et ideo circumscripta pro nunc laudi confirmatione, vel infirmatione, fuit vt supra conclusum, esse standum laudo, tanquam à partibus approbato. Et ita decisum, &c.

REVER. P. D. MANZANEDO.

Ianuen. Domorum. Veneris 8. Octobris 1614.

ARGVMENTVM.

De concessione, seu denegatione remissoriæ nonnulla notanda, de quibus in Summario.

SVM-

SVMMARIVM.

Remissoria non conceditur, vbi articuli non sunt releuantes. num. 1.
Remissoria non conceditur, vbi agitur de probando id, quod per sceipturas probari potest. nu. 1. in fine.
Testes deponentes de iudicio suo non probant. nu. 2.

DECISIO DLXXXIX.

1 CVm Patres Societatis Iesu ciuitatis Ianuen. emissent pro fundando eorum collegio quasdam domos contiguas Monasterio Sancti Siri Patrum Clericorum Regularium, fuit per eosdem Patres Sancti Siri motum iudicium, quod pendet in Rota coram me, contradictos Patres Societatis Iesu, vt cogerentur sibi vendere dictas domos pro ampliatione dicti Monasterij Sancti Siri, iuxta dispositionem *text. in l. si quis sepulchrum. ff. de relig. & sumpt. fune.* in cuius causæ diuersis propositionibus Domini 6. Februarij 1612. & 25. Februarij 1613. & 8. Martij eiusdem anni resoluerunt, Monasterio Sancti Siri esse dandas officinas, nẽpe Nouitiatum, Infirmariam, Hospitium, Bibliothecam, Capitulum, & duas Scholas pro legendis casibus, & pro Philosophia, & Theologia, domum Parochi, & Barberiam, cum declaratione numeri cellarum tam Nouitiatus, quam Infirmariæ, & Hospitij, & quantitatis palmorum, quibus vnaquæque ex dictis officinis, & cellis constare deberet, ex eo, quia apparuit, prædictis omnibus dictum Monasterium egere, ex post facto fuit discussum, An prædictæ officinæ possent dari intra situm eiusdem Monasterij, absq; eo, quod opus esset ad hunc effectum prædictas domos Societatis Iesu occupare, super hoc Architectis electis à partibus de ordine Rotæ, & per ipsos visa Planta, & Modello dicti Monasterij, & facta relatione in Rota quamuis in discordia, & sæpius inter Dominos discusso isto articulo, & non capta super illo resolutione propter difficultates in facto hinc inde occurrentes, & diuersas relationes Architectoruw, visum fuit 22. Iunij prædicti, quod circumscripto pro tunc situ vialium Cæmeterij, & Gallinarij disputaretur dubium principale, an Patre Societatis Iesu possent cogi ad vendendas domos, de quibus agitur Monasterio Sancti Siri. Sed antequam proponeretur, fuit per Patres Societatis Iesu dictum, posse Monasterium Sancti Siri ampliari, & consequi commoditatem pro construendis dictis officinis per Rotam declaratis, emendo à quibusdam sæcularibus domos eidem Monasterio vicinas, in quo tamen Patres Sancti Siri se opposuerunt ex eo potissime, quod nunquam Religiosi in iudicio compulissent laicos Ianuæ inuitos ad vendendas suas domos pro ampliandis Ecclesijs, seu Monasterijs, ita quod si illud tentassent, nunquam obtinuissent, quin summa molestia afficerent non solum dictos laicos conuentos, sed etiam omnes ciues, & totam ciuitatem Ianuæ, qui non permitterent priuari sua libertate, ne inuiti cogantur vendere. Vltra quod si Patres Sancti Siri pro dicta ampliatione agerent contra dictos laicos ad dictas suas domos sibi vendendas ad æstimationem non solum non obtinuissent, sed etiam redderentur odiosi dictis vicinis, & omnibus alijs ciuibus cum damno, & irreparabili præiudicio ipsorum Patrum, & eorum Monasterij, cum iuxta sui institutum nequicquam possideant, nec quærant, sed viuant ex eleemosynis ab ipsis vicinis, & ciuibus sibi sponte oblatis, & cum super prædictis petijssent remissoriam pro testibus examinandis Ianuæ, & articulos supradicta continentes dedissent, ex ex aduerso fuit contradicta dicta remissoria. Vnde proposui hodie dubium, an illa esset concedenda, & Domini negatiuam partem sunt sequuti, ex illo potissimo fundamento, quod non esset verisimile, Senatum Ianuæ permissurum, quod laici iuxta Iuris dispositionem, & in casibus à iure permissis non compellantur vendere domos cõtiguas Monasterijs pro illorum ampliatione præcipue cum ex aliquibus actibus datis per Patres Societatis Iesu appareat, per Senatum prouisum fuisse in casibus occurrentibus ad fauorem eorumdem Patrum Societatis Iesu, pro ampliatione Ecclesiæ Sancti Ambrosii, & ad fauorem Monialium Sanctæ Catharinæ de Senis pro ampliando illo Monasterio, quibus in occurrentiis ad instantiam illorum Religiosorum Senatus mandauit compellere quosdam sæculares ad vẽdendum dictis Religiosis aliquas domos pro pretio iuxta ordinem Senatus æstimando. Vnde cum per dictas scripturas apparere videatur totum contrarium, quod Patres Sancti Siri per testes probare conantur, & in quatuor suis primis articuli dederunt, visum fuit articulos non esse releuantes, nec per consequens ad illorum probationem Remissoriam esse concedendam, cum frustra sit probare, quod probatum non releuat. *Cæsar. de Grass. dec. 2. de dilat, Caput. dec. 14. uum. 3. & dec. 66. par. 3.* & quod non datur Remissoria ad probandum, quod per scripturas probari valet. *Ægid. decis. 9. Rot. dec. 10. nu. 6. de officio delegati, in nou. & dec. 46. de test. in ant.* & eo minus conceditur, cum scripturæ contrarium continent, quod per testes probari intenditur. *Seraph. dec. 1460. nu. 3.* & fuit dictum in Vlixbonen. iuris conferendi 7. Februarij 1607. coram Illustrissimo Lancellotto in fin. in quam sententiam facilius Domini venerunt viso statuto *Ianuæ lib. 6. cap. 4. de Priuileg. Cleric.* quo disponitur, quod causæ Religiosorum cõtra laicos decidantur secundum Iura Romana tam in procedendo, quam in iudicando, & non secundum formam statutorum Reipublicæ.

2 Quo vero ad quintum articulum circa maiorem commoditatem circa ampliationem Monasterij Sancti Siri resultantem illi ex Domibus Patrum Societatis Iesu, quam ex laicorum domibus vicinis visum fuit hoc Rotæ visa planta, & modello posse per inspectionem oculorum diiudicari, & quod testes super hoc deponendo esse potius suum Iudicium, dare, quod non spectat ad ipsos. *Bartol. in leg. qui testamentum. §. final. ff. de testament. Paris. consil. 152. num. 15. lib. 4. Gabriel. consil. 168. num. 9. libro 2.* Ex quibus ita fuit resolutum.

R. P. D. PIROVANO.

Calaguritana de Branteuilla. Veneris 7. Nouembris 1614.

ARGVMENTVM.

Gratia non dicitur iustificata non probato tempore vacationis, & valore beneficij in ea expressis, prouisioque beneficii facta à Papa, tanquam vacantis in mense reseruato, si beneficium in dicto mense non vacat, non præiudicat collationi ordinarii.

SVMMARIVM.

Ordinarii prouisio non impeditur, quando beneficium non vacauit in mense reseruato. num. 1.
Gratia dicitur subreptitia non iustificato valore expresso in ea. num. 2.
Gratia expedita in forma dignum nihil ponit in esse, quando non fuit exequutioni mandata. num. 3.
Papa in conferendis beneficijs concurrit cum quolibet ordinario, & præueniendo conferre potest. num. 4. Declara, vt num. 5.
Papa conferendo beneficium vti vacans in mense reseruato, si de dicto mense beneficium non vacauit, non censetur voluisse præiudicare Ordinario, nec cum eo concurrere. nu. 5.

DE-

DECISIO DXC.

1 IN hac causa dubitaui, an gratia Francisci sit iustificata, vel alias obstet Gaspari, & Domini quo ad vtramque partem negatiue responderunt, scilicet neque esse iustificatam, nec alias obstare. Fundamentum primę partis fuit, quia narratur vacatio in mense Maij non excessa scutorum 24. & quod ex tempore gratiæ Franciscus perciperet quartam partem fructuum, quæ tamen non probantur, prout necessarium est, quia cessante vacatione in mense Maij, & sic reseruato, prouisio Ordinarij non impeditur. *Put. dec. 265. in noua impres. lib. 3. Mohed. dec. 2. de probat.* quod etiam fuit firmatum in Calaguritana beneficij de Occon. 30. Ianuarij 1608. coram Archiepiscopo Lugdunensi.

2 Et non iustificato valore, postquam fuerit expressus gratia remanet subreptitia. *Abb. in cap. fin. nu. 1. & 9. de præsumptione, & in cap. constitutus. vbi etiam Butr. num. 11. de rescript. Pute. dec. 339. nu. 1. in noua edit. lib. 1.* maxime propter confessionem ipsius Francisci in commissione, quod excedit scuta 24. quæ magis aggrauat præsumptionem falsæ narratiuæ, ac demum cessante Iustificatione perceptionis quartæ portionis fructuum eodem vitio laborat: quia Papa prouidendo de dimidia Francisco, qui habebant quartam intellexit facere gratiam de alia tantum quarta, & nulli dubium, quod Papa facilius moueri potuit ad concedendum quartã, quam dimidiẽ, quod Principi non erat reticendum, si prætendebatur gratiam non posse de subreptione impugnari.

3 Non obstat, quod vacatio per assensum & in mense Maij habetur ex confessione partis, & ex edictis appositis à prouisore Calaguritano, in quibus dicitur, quod hoc beneficium per talem assensum vacauit: quia fuit responsum, quod edicta emanarunt die 5. Iunij, nec in eis ponitur, quod beneficium vacauerit de mense Maij ideo tanquam suppositum, quòd ęquiuocæ interpretationi subiacet, non videtur releuare, *vulgato. capit. in præsentia. de probat.* Vltra quod deficit etiam iustificatio quæ fuerunt narrata. Rationes vero secundæ partis fuerunt, quia gratia reperitur expedita in forma dignum, quæ cum executioni non sit demandata, nihil ponit in esse. *Cassad. dec. 1. num. 6. vt lite pen. Mand. in regula de annal. q. 55. nu. 3.* Rota in d. Calaguritana de Occon. 30. Ianuarij 1608. in qua fuit dictum non suffragari, vt illius occasione suffragari debeat sententia Rotalis.

4 Non obstat, quod exceptio Francisci non consistat in mense reseruato, sed in eo, quod Papa contulit præueniendo prout poterat, cum concurrat cum quolibet Ordinario *cap. dudum. capit. si a Sede de præben. in 6.* quod etiam dicitur fuisse decisum in similibus beneficijs, in Calaguritana de Oliuar. 15. Decembris 1601. coram bon. mem. Penia. Et de præuentione dicebatur non posse dubitari, quia data gratiæ est anterior cuicumque actui, per quem possit Gaspar prætendere ius sibi quæsitum in re, aut ad rem.

5 Ad prædicta enim fuit responsum, questionem non esse de potestate Papæ in præueniendo, sed de voluntate quæ non colligitur, sed contraria ex narratiua vacationis in mense Maii cum clausula dudum, &c. per quam colligitur Papam noluisse præuenire vel concurrere cum Ordinario, sed tantum præuidere de reseruato, prout fuit resolutum in Taurinensi 14. Octobris 1569. coram Ordinario, & in Romana Cappellæ Sancti Petri 9. Decembris 1602. coram Illustrissimo Mellino, & in Paderbonen. canonicatus 29. Martii 1610. coram Reuerendissimo nostro Decano, & ideo si reseruatio non subsistit, cessat præuentio, vel concursus, vt expresse tenuit Rota in Romana Clericatus. Sancti Petri. 27. Octobris 1602. coram bon. mem. Pamphilio, & cessant consequentur, quæ dicuntur de affectione per appositionem Manus. Quia si confertur tanquam de reseruato, Papa non intelligit afficere vacationem si alias beneficium non est reseruatum, Rota in Valentina Cappellæ 1. Decembr. 1606. coram coram Reuerendissimo Damasceno. Et ita fuit decisum, & cæter.

REVERENDISSIMO P. DOM.

COCCINO DECANO.

Cæsaraugustana pensionis. Veneris 14. Nouembris 1614.

ARGVMENTVM.

Quasi possessio exigẽdi pensiones probatur per quietantias, & confessiones de recepto adminiculatas, & factas per manus Notarij, & quæ requirantur, vt declaratoria ob non paritionem literarum exequutorialium eam petenti concedatur.

SVMMARIVM.

Manutentio denegari non potest, vbi constat de possessione eius, qui manuteneri petit. nu. 1.

Quasi possessio exigendi pensiones censetur probata per quietantias, & confessiones de recepto adminiculatas, & factas per manus Notarij. nu. 2.

Mandatum præsumitur ex actu, qui sine mandato expediri non solet. nu. 3.

Manutentionem petenti obstat exceptio rei iudicatæ. nu. 4.

Causa nullitatis durat per 30. annos etiam deserta causa appellationis. nu. 4.

Declaratoria ob non paritionem literarum exequutorialium danda est, seruatis quatuor terminis, de stylo Curiæ seruari solitis. Ex quibus etiam probatur negatiua non paritionis, quæ nihil aliud est quam voluntaria inobedientia. n. 5.

DECISIO DXCI.

1 DIe 1. Iulii huius anni dubitaui, an esset danda declaratoria, & cum plura opponerentur contra iustitiam mandati de manutenendo, placuit Dominis super ea audire partes, & reproposita causa supradicta die fuit resolutum, mandatum de manutenendo fuisse iustum, & dandam esse declaratoriam. De possessione enim Ludouici exigendi pensionem satis constat, & ideo non potest denegari manutentio. *§. hodie Instit. de interdict.* & de possessione constat ex pluribus quietantijs factis per matrem d. Ludouici eius procuratricem, vt constat ex mandato quæ quidem quietantiæ fuerunt factæ Arrendatario Abbatiæ, & sunt adminiculatæ, quatenus continent exactionem factam ab Arrendatario ex aliis quietantiis factis per Dominicũ Salam, tanquam procuratorem substitutum per matrem ipsimet Abbati.

2 Imò ex quietantiis ipsius Salæ constat de possessione d. Ludouici. Et quamuis istæ sint quietantiæ, & confessiones de recepto, quæ regulariter non videntur probare possessionem: attamen cum sint adminiculatæ ex ipsa reseruatione pensionis, ex multiplicitate ipsarum, & ex quo fuerunt factæ per manus Notarii, satis probant possessionem iuxta notata per *Tiraquel. in l. si vnquam. vers. donatione largitus. numer. 100. cum seqq. C. de reuocat. donat.* & fuit resolutum in causa Cæsaraugustana pensionis. 30. Ianuarii 1588. coram bo. mem. Gypsio.

3 Neque releuat, quod non constat de mandato Arrendatarii, qui soluit, neque de mandato Dominici, qui exegit, quia cum istæ solutiones adminiculentur

ex prædictis, maxime quia solutio fuit facta ab Arrendatario, & ab ipsomet Abbate, satis præsumendũ est interuenisse mandatum sufficiens, quia sumus in actu qui verisimiliter absque eo expediri non solet. *Rota decis. 2. de caus. possess. & propr. in antiq. Cassad. dec. 3. num. 4. de procur. Felin. in cap. sicut. num. 35. de re iudic. Socin. consil. num. 3. libr. 3. Aym. de antiquit. temp. part. 2. num. 65.* & ponderatis omnibus prædictis adminiculis ita fuit resolutum in causa Pacten. pensionis 1. Iulij 1596. coram bon. mem. Cardinale Pamphilio, & in alia Cæsaraugustana pensionis 30. Ianuarij 1588. coram bon. men. Gypsio. Quæ omnia optime procedunt etiam quod ex præsumptione oriatur præsumptio, quia cum vna venit in consequentiam alterius admittitur. *Christoph. Castillioneus in repe. leg. sciendum, nu. 9. ad finem. ff. de verb. oblig.*

4 Non obstat, quod per sententiam A. C. fuerit declatum pensionem fuisse extinctam ob non declarationem habitus, quæ sententia transitum fecit in iudicatum, ob non prosecutam appellationem, & ideo res iudicata obstat petitæ manutentioni, *Alex. in leg. naturaliter, §. nihil commune. num. 34. ff. de acquir. possess. vbi etiam Rip. num. 97. Bologn. num. 60. & 62. vers. limitatur. Menoch. de retin. remed. 3. num. 685. & seqq.* Nam fuit responsum, quod cum fuerit commissa causa appellationis, & nullitatis, æque principaliter deserta causa appellationis durat causa nullitatis, quæ durat per 30. annos. *Franch. in cap. dilecto. quæst. 58. de appell. it. Couar. de communi pract. quæst. cap. 24. in fine,* & interim potest dari manutentio vt in puncto fuit resolutum in causa Romana census 15. Iunij 1607. coram bon. men. Penia, & in alia Carthagin. pensionis 14. Martij 1600. coram Illustriss. D. Card. Lancellotto, quicquid dicat *Achil. dec. 15. de rescript.*

5 Quantum attinet ad declarationem, visum fuit nõ posse denegari, Nam executoriales fuerunt legitime intimatæ, & productæ, fueruntque seruati quatuor termini seruari soliti de stylo curiæ, ad docendum de paritione, de quibus *Felin. in cap. Rodulphus, num. 41. de rescript. Vestr. in prax. cap. vlt. lib. 8. num. 19.* Ex quibus satis probatur negatiua non paritionis, vt dixit Rota in causa Corduben. Decimarum. 27. Iunij 1595. coram bon. mem. Cardinale Seraphino, & in alia Valentina emolumentorum 30. Maij 1597. coram bon. mem. Cardinale Pamphilio, quæ quidem non paritio nihil aliud est, quam voluntaria inobedientia, qua quis monitionem iudicis implere contemnit, ob quam datur declaratoria. *Marian. Socin. in c. nulli. nu. 7. de sentent. excommun. Abb. in cap. 1. numer. 10. de iudic. Cassad. dec. 5. num. 7. de const. cap. absit 11. quæst. 3. Concilium Triden. sess. 23. cap. 1. de reform. vers. quod si.* Et ita conclusum, &c.

DECISIO DXCII.

Palentina Cappellaniæ. Veneris 14. Nouembris 1614.

Impressa Apud Buratto.

DECISIO 77.

R. P. D. VBALDO.

Romana de Arronijs. Lunæ 10. Nouembris 1614.

ARGVMENTVM.

Prohibitus alienare bona hæreditaria sub pœna priuationis non incurrit pœnam, si prohibitionis scientiam non habet certam, & specificam. Item si alienata redimit, & in parte alienans non cadit à toto.

SVMMARIVM.

Fideicommissum, seu substitutio alicui facta si sine filijs decesserit, non dicitur purificatum, donec, & quousque sit spes, quod ille, cui quis substitutus est, possit filios procreare, nu. 1.

Testatoris voluntas maxime attendenda est, nu. 2.

Interpretatio verborum testamenti capienda est in dubio illa, quæ primo fauet nominatis in eo, num. 2.

Ius successionis non debet remanere in suspenso. num. 3. Vbi declaratur, hoc non procedere stante aliqua causa, vel contraria testatoris voluntate.

Scientia requiritur certa, & indubitata, nec sufficit præsumpta, quando agitur de amissione iuris iam quæsiti, Imo requiritur specifica cum omnibus suis qualitatibus, numero 4.

Hæres alienans bona hæreditaria contra voluntatem testatoris non incurrit aliquam pœnam, nisi probetur, quod habuerit scientiam probitionis alienandi, nu. 4. Declara, vt num. 5.

Hæres extraneus numquid præsumatur habere notitiam contentorum in testamento, nu. 5.

Scientiæ præsumptio non cadit in Pupillari ætate, n. 5. vers. In proposito autem.

Productio testamenti facta à Procuratore non arguit scientiam contentorum in eo in præiudicium principalis, numero 5.

Prohibitus alienare, si partem alienat, non cadit à toto. numero 6.

Prohibitus alienare sua pœna priuationis, si alienata redimit excusatur à pœna, nu. 6.

DECISIO DXCIII.

1 DOMINI recesserunt à decisione in hac causa facta die 20. Iunij præteriti, tribus potissimum fundamentis. Primo, quia Lucilius in casu alienationis non simpliciter fuit vocatus, sed eodem ordine, quo fuit vocatus in casum mortis, vt colligitur ex illis verbis testamenti, & voluit, quod liceat substitutis ordine prędicto vocatis bona alienata, & illorum corporalem possessionem propria auctoritate apprehendere, &c. Vnde cum in casum mortis, substitutio Lucilij sit solum facta post Fabium, eiusque filios, & descendentes ex linea masculina, eodem modo pleriq; ex Dominis intelligebant substitutionem eiusdem Lucilij in casum alienationis, videlicet, post Fabij filios, & descendentes, & licet Fabius de præsenti filios masculos non habeat, tamen cum habeat vxorem, non est spe destitutus illos suscipiendi, quæ spes quamdiu durat (durat autem vsque ad extremum vitæ spiritum) interim non videtur purificatum fideicommissum ad fauorem Lucilij, sed est expectandum, quousque prædicta conditio filiorum Fabij deficiat, *l. cum in testamento. in principio. ff. de hær. instit. leg. si mater. §. fin. ff. de vulg. l. quamdiu tertia. ff. de acq. hæred. l. vnica in principio. C. de caduc. toll. leg. Lucius. ff. de hær. instit. l. ex facto, §. si quis autem. ff. ad Treb. Et fere in his terminis Roman. cons. 134. in quarto dubio, quem sequitur Paris. consil. 71. num. 26. & sequent. lib. 4. Surd. consil. 125. sub num. 28. versic. 6. & num. 30. versic. quibus sic firmatis, lib. 1. & consil. 403. nu. 11. libr. 3. Menoch. consil. 500. num. 9. in fin. & numer. 10. libr. 5. Molin. de primog. Hispan. libr. 3. capit. 1. num. 29. & seq. Franch. decision. 169. num. 25.* Et fuit dictum in Romana legati de Bubalis 4. Maij 1607. coram bon. mem. Iusto.

2 Neque obstare videbatur, quod testator in casu alie-

alienationis per eum prohibitæ, voluerit substitutos admitti perinde ac si mors naturalis alienantium accidisset, & proinde cum Fabius alienauerit, perinde habendus sit, ac si mortuus fuisset sine alijs masculis, ex testatoris voluntate, quæ maximè attendende est. *l. in conditionib. ff. de cond. & dem. §. disponat. Auth. de nupt.* Quia respondebat vnus ex Dominis, quod ea verba, perinde ac si mors naturalis, &c. debet intelligi quo ad effectum caducitatis, & priuationis ipsius alienantis, non autem quo ad effectum, & casum successionis, quasi ab eo tempore spectanda sit existentia filiorum Fabii quo ad ordinem succedendi, quæ interpretatio videtur capienda, tum quia fauet primo nominatis, & ideo in dubio capienda, *l. qui soluendo non erat, ff. de hæred. instit. leg. 1. C. de edict. Diu. Adr. toll. leg. quoties. ff. de vsufruct. Surd. dicto consil. 125. num. 27.* tùm quia conuenit verbis testamenti, ex quibus substituti vocantur in casu alienationis ordine predicto expresso in substitutionibus in casum mortis, & tanto magis quia prohibitio censetur facta respectu substitutionum præcedentium. *Honded. post relatos, consil. 42. nu. 34. lib. 2.*

3 Item nec obstare visum fuit, quod alias dominium bonorum alienatorum, siue ius successionis remaneret in suspenso, contra, *l. fin. in fin. ff. comm. præd. & ibidem Baldus, & Alberic. Molin. loco supra citato num. 6.* cum Fabius ceciderit per alienationem, quæ stante prohibitione testatoris est nulla, iuxta *not. in l. filiusfamilias. §. Diui. ff. de leg.* primo nec filijs Fabij adhuc non natis, nec conceptis applicari potest, & interim Lucilius nō est vocatus ex supradictis. Quia respondebatur id non esse absurdum subsistente aliqua causa. *Bald. in l. fin. nu. 8. C. de sent. pass. Petr. de fideic. quæst. 11. nu. 586. præsertim,* quando constat de voluntate testatoris, *Roman. d. cons. 134. nu. 6. Paris. dicto cons. 71. num. 26. lib. 4. Surd. d. cons. 125. nu. 43. lib. 1.* Et eo magis cum talis de fectus existentiæ filiorum sit huiusmodi, qui cessare speratur. *Ruin. consil. 22. nu. 15. lib. 2. Natt. cons. 675. nu. 8. Surd. vbi sup. n. 42.*

4 Secundum fundamentum decisionis fuit, quia cum agatur de amissione iuris iam quæsiti Fabio, requiritur in eo certa, & indubitata scientia prohibitionis alienationis, nec præsumpta videtur sufficere, *Felin. in cap. cum contingat, colum. 2. de rescr. Rota dec. 21. de dol. & contum. in antiq. Mohed. dec. 4. de prob. Put. dec. 142. num. 2. lib. 1. secundum Romanam impressionem, & dec. 6. de prob. Seraphin. dec. 133. nu. 2. & dec. 972. nu. 10. part. 1.* imò requiritur specifica scientia cum omnibus suis qualitatibus, cum simus in pœnalibus. gloss. communiter recepta in cap. concertationi. in verbo, sciueris, & ibi omnes *Doctores. de appel. in sexto. Alex. cons. 114. sub num. 4. vers. accedit ad maiorem. lib. 1. Tiraq. de retract. lignag. §. 36. gl. 2. num. 30. Becc. consil. 37. num. 23. lib. 1. Surd. cons. 150. nu. 136. lib. 1. & dec. 265. nu. 19. Seraph. dec. 991. num. 1. & 2. part. 1.* Et fuit dictum in Romana Dotis 10. Maij 1602. coram bon. mem. Cardinali Pamphilio, & alias sæpè, qualem scientiam habuisse Fabium, debet per Lucilium probari, quia qui vendicat bona alienata, tanquam subiecta fideicommisso debet probare scientiam alienantis *Ang. in l. fin. §. fin. C. comm. deleg. & in leg. Marcellus, §. res quæ. ff. ad Treb. Ruin. consil. 118. circa fin. vers. & ideo lib. 2. cum alijs per Rot. apud Seraph. decis. 916. nu. 8. par. 1.*

5 Et ad illud, quod dicebatur in alia decisione, quod hoc fallit, quando alienans fuit hæres extraneus, ex *Rip. in l. filiusfamilias. §. Diui nu. 11. vers. quod intelligas, ff. de leg. primo. cum alijs allegatis.* Respondebat vnus ex Dominis, Ripam moueri ex doctrina *Bart. in l. qui Romæ, §. duo fratres. in 3. quæst. num. 13. ff. de verb. obligat.* de qua tamen dubitauit *Ias. in l. de his. nu. 15. ff. de trans. & contra tenet Roman. cons. 403. num. 14.* cuius opinionem videtur approbasse *Rota apud Seraphin. dec. 969. num. 4. in fin. par. 1.* In proposito autem talis probatio non videbatur adesse ex parte Lucilij, non obstantibus ijs, quę fuerunt in decisione considerata, quia vltra quod arguunt scientiam tantum præsumptam, quæ non sufficit ex allegatis, Respondebatur etiam, quod aditio hereditatis, & assumptio nominis, & armorum testatoris fuit facta Fabio, tunc in pupillari ætate constituto, quo casu in eo non potest cadere præsumptio scientiæ, iuxta consilium *Beccij 111. num. 13. 14. & 15. lib. 1.* Et ad productionem testamenti dicebatur ex productione facta à Procuratore non præiudicari principali, vt fuit dictum in Pampilonen. decimarum. 14. Maij 1600. coram Reuerendissimo Bononien. vel saltem non argui scientiam omnium contentorum in testamento, vt in simili tradit *Laderch. consil. 73. num. secundo, versic. non obstat.*

6 Tertium fundamentum fuit, quia Fabius habita notitia dictæ prohibitionis, dicitur redemisse census, videlicet, vnum scutorum ducentorum in totum, alterum scutorum 800. pro scutis quingentis vnde de equitate videtur remissa pęna *Butr. cons. 34. nu. 2. vers. de æquitate.* Et fuit in simili decisum in causa Romana de Theodolis 17. Aprilis 1592. coram bon. mem. Cardinali Blanchetto, & in omnem euentum non posset prætendi caducitas, nisi pro scut. 300. pro quibus remanet hæreditas obnoxia censui, cum prohibitus alienare, si partem alienet, non cadat à toto. *Ias. in l. filiusfamilias. §. Diui. nu. 220. & ibi Ferdin. Loaz. nu. 192. ff. de leg. primo, idem Ias. in l. ait prætor. in principio, num. 4. & seqq. ff. de iureiur. Ruin. consil. 119. num. 12. vers. sed contrarium. lib. 2. Menoch. cons. 164. num. 22. vbi de communi. lib. 2.* Et fuit resolutum in causa Perusina Hæreditatis. 16. Nouembris 1584. coram Orano impressa post consilium *Honded. nu. 87. & seqq. lib. 1.* & in alia Perusina Dotis, 9. Iunij præteriti coram me, in qua aliæ decisiones allegantur & in hoc casu cessat difficultas quia verba testamenti sunt restricta ad bona alienata, vt fuit etiam consideratum in *dec. 379. sub nu. 3. par. 1. diuers.* & in dicta Perusina Dotis coram me. Et hæc tanto magis videntur procedere, stante quod sumus in censu sui natura redimibili, & virtute etiam pacti expressi, quod operatur, vt quandocunque census redimatur, pęna euitetur iuxta consilium, *Dec. 88. nu. 3. quem sequitur Cagnol. in l. 2. nu. 174. C. de pact. inter empt. & vend. Et Rota apud Seraph. dec. 819. nu. 3. par. 1.* Et in omnem euentum in dubio iudicandum est, alienantem non incidisse in pœnam priuationis, ad tradita per *Honded. cons. 42. num. 46. lib. 2.* Ex quibus Domini recesserunt à decisis.

R. P. D. DVNOZETTO.

Salernitana Contributionis. Veneris 14. Nouembris 1614.

ARGVMENTVM.

Appellatio debet interponi coram iudice de Stylo Rotæ, nisi iudex sit absens, & vbi Notarius recusat accedere, potest adhiberi alius Notarius ad referendum.

SVMMARIVM.

Paria sunt non appellare, & minus legitime. nu. 1.

Appellatio debet fieri coram iudice. nu. 2. Vbi etiam de Stylo Rotæ, & num. 3. Vbi quid sit agendum vbi Notarius non vult adire iudicem.

Fallit vbi iudicis præsentia haberi non posset. nu. 3.

Rota non attendit nec exequitur sententias aliorum Tribunalium, nisi constito de earum iustitia. nu. 4.

Sententia quæ non iustificatur ex actis, non transit in iudicatum. nu. 4.

DE-

DECISIO DXCIV.

1 PRoposito dubio vtraque parte informante, an cõstet de re iudicata sententiæ Rotalis aliàs sub die 12. Maij præteriti informante solum Monasterio resoluto, Domini steterunt in decisis, nempè constare de re iudicata, eodem fundamento in decisione deducto, quod per Procuratorem Monialium non fuerit legitime appellatum, cum paria sint non appellare, & minus legitime, vt fuit etiam dictum in vna Mediolan. iuris patronatus 16. Ianu. 1612. coram R.P.D. meo Vbaldo, & in Calaguritana de Amoneo 25. Maij eiusdem anni coram R.P.D. meo Manzanedo.

2 Fuit etiam minus legitime appellatum ex quo appellationis schedula fuit dimissa in manibus Notarij vltima die termini, cum tamen coram iudice appellari debuisset, nedum ex dispositione Iuris Cæsarei, & Canonici, *l.1.§.dies.ff.quando appellan.fin. canonizata in c. biduum.11.q.6.cap.vt debitus.de appell.cap.cordi.eod.tit.lib. 6.clem.1.eod.tit.gl. in cap. appellatio. in verbo. Iudici, & ibi post alios Franc. sub num.3. eod.tit. cum alijs per Mandos.in add.ad Lap.alleg.38.in ver.in præsentia.* Sed etiam ex stylo huius, & aliorum Vrbis Tribunalium, vt attestantur Primarij Curiæ Procuratores, nec placeret Dominis hunc stylum laudabilem iuri conformem immutari, essetque res periculosi exempli, si Notarijs facultas daretur recipiendi appellationes interiectas in absentia Iudicum.

3 Vnde non visum fuit hoc casu esse locum doctrinæ *Bald. in auth. quæ supplicatio. num.3.C. de precib.imp.offer. quam sequitur Alex.in add.ad Bart.in l.1.§.libel.in litera G. ff. de appell.* & alijs allegatis per Informantes pro Monialibus. Nam vt declarat *Grauat.in add.ad Vestr.lib.7. c. 3. nu.58. vers. ceterum Bald.* Et dicta doctrina procedit, vbi iudicis præsentia haberi non posset, & idem tradit post alios, *Guid.Pap.dec.436.nu.64. ver.in absentia tamen iudicis.Mandos.ad Lap.in d.allegat.38. in vers. si quis.* Hoc vero casu ne dum non fuit probatum non potuisse haberi accessum ad iudicem, sed ex facto constare de contrario, cum eadem die, qua Procurator dimisit schedulam penes Notarium adierit Iudicem, & licet Notarius noluisset adire iudicem, tamen ob id Procurator non excusaretur, quia alius poterat adhiberi qui rogaretur de dicta appellatione ad referendum iuxta stylum Curiæ, vt fuit dictum in alia decis. Nec obstare visum fuit Dominis, quod dicebatur pro parte Monialium Sententiam Rotalem ex duplici capite laborare vitio nullitatis, quia scilicet reuocauerat sententiam vltimo loco in hac causa extra Rotam latam, quæ transitum fecerat in rem iudicatam etiam parte opponente, deinde, quia integra acta non fuerát coram R.P.D. Vbaldo transportata.

4 Responsum enim est quo ad primum caput, tritum esse, Rotæ Tribunal non attendere, nec exequi sententias extra Rotam latas prætextu rei iudicatæ, nisi constito de earum iustitia, quod tantum abest vt constet, quin potius coram bon.mem. Illustr. Card. Pamphilio, die 21. Iunij 1599. fuit dictum, de Sententiam extra Rotam latam esse reuocandam, deinde coram R.P.D. Vbaldo fuit resolutum, non constare de bono iure Monialium. Vnde intrat iuris regula, sententiam nullam, vel iniustam, quæ non verificatur ex actis nõ transire in rem iudicatam. Quod ad secundum caput attinet, visum fuit non verificari in facto. Verum antequam ad executionem huius rei iudicatæ procedatur, existimarunt Domini, ex solita benignitate Moniales super decisione facta coram R. P. D. Vbaldo sine præiudicio iurium partium iterum posse audiri. Et ita decisum.

REVERENDISSIMO P. DOM.

COCCINO DECANO.

Florentina, seu Parisien. pecuniariæ. Lunæ 17. Nouembris 1614.

ARGVMENTVM.

Bonorum appellatione quando veniat nomen debitoris, quando creditor possit illud exigere, & quanto tempore hypotheca nominis debitoris prescribatur.

SVMMARIVM.

Bonorum appellatione venit etiam nomen debitoris. nu. 1.
Creditor exigens ab alio pecunias sui debitoris si eas consumpsit non tenetur amplius illas restituere anteriori creditori dicti sui debitoris. num. 2. Declara duobus concurrentibus, scilicet quod principalis debitor non sit soluendo, & pecunia sit penes creditorem ex causa lucratiua. numero tertio.
Excussio non est necessaria in bonis decocti. nu. 3.
Hypotheca in nominibus debitorum tantum durat, quantum ipsum nomen manet in posse debitoris obligati. Declara, vt nu. 4. & 5.
Datione in solutum extinguitur debitum illius, cuius bona in solutum data sunt, etiam quod postea eadem fuerint euicta. nu. 6. & seqq.
Hypothecaria actio præscribitur spacio decem annorum inter præsentes, & viginti inter absentes. nu. 9. & 10.

DECISIO DXCV.

1 IN hac causa fuit resolutum, constare de credito D. Francisci de Noris erga Capitaneum Nicolaum Nasium. Vnde cum fuerit dubitatum, an in obligatione Nasij comprehenderetur creditum, quod ipse habebat cum Christianissimo Rege, Rota mandauit extendi instrumentum in cuius extensione cum reperiantur obligata omnia, & singula bona præsentia, & futura, vtique in ista obligatione comprehenditur etiam nomen debitoris, quod venit sub simplici appellatione bonorum. *l.nomen. C.quæ res pign.oblig.poss.l. bonorum.§.vlt.& l.princeps.ff. de verb.sign.Bald.cons.234. in princ.lib.2.late Tiraq.in l.si vnquam.C.de reuoc. donat.in verbo bona. nu.8.*

2 Et cum istud creditum fuerit exactum à Dominis Oricellarijs, & illud prætendat Domina Syluia Bedina, certum est, quod cõtra illum, qui obtinebit, potest agere D. Norius. Nam & si pecuniæ exactæ à Rege fuerint consumptæ, & commixtæ bona fide, quo casu non potest agi contra illum, qui exegit, alias esset subuertere totum mundum. *Surd.cons.4.nu.9.& seqq. Affl. dec.190. in fine,* tamen in subsidium pro pecunia consumpta bona fide competit condictio ex lege. *Bart. in l.fin.§.& si præfatam.nu.4.C.de iure delib.Affl.dec.190.nu. 4.* vbi infert Doctores, & in casu suo concludat contrarium.

3 Et quamuis hæc conclusio vera sit, duob. concurrẽtibus s. quod principalis debitor non sit soluendo, & quod pecunia sit penes creditorem ex causa lucratiua *Bar.in l.1.nu.1.& 2.& Salic.nu 2.ff.de distract.pig. Alex.in cons.108.nu.9.& 10.lib.5. Cephal.cons.86. nu.8. vbi allegat tex.in l.si non expedierit.§.1.ff.de bon.author.iud.possid.vbi Bar.& Alber.idem Bar.in l.pupillus.vers.ego dixi.& Alberic.nu.2.ff.de his quæ in fraud.credit.* tamen ista duo bene hic concurrunt, s. quod alias non sit succursum parti quia pars ipsa probauit, quod Nasius obijt decoctus, & hoc sufficit absq; alia excussione, quod Nasius non sit soluendo. *Alex.cons.17.n.6.vers.vnde perinde est.lib.1.*

& quidem pecuniæ remaneant penes Oricullarios ex causa lucratiua, quia cum ipsi exegerint, & ipsimet cesserint Nasio vtiq; stante hac cessione pecunie quo ad summam debitam Norio remanent apud ipsos ex causa lucratiua, *Bart. in Salic. & in d. l. 1.* locis præallegatis, qui loquuntur in terminis.

4 Neq; obstat *Bald. in l. vbi adhuc num. 37. vers. sed pone, maritus erat mercator. C. de iur. dotium, & consil. 25. num. 5. lib. 1. Neguſ. de pig. in 2. mem. 2. par. num. 23* Vbi quod hypotheca in istis nominibus, debitorum durat solum quantum ipsum nomen manet in posse debitoris obligati, quia hoc est verum in præiudicium debitoris, cuius nomen fuerat obligatum, sed respectu secundi creditoris qui exegit, secus est, quia si consumpsit mala fide, contra ipsum poterit agi. *Surd. dict. cons. 4. num. 43.* prout etiam secus est, si secundus creditor consumpsit bona fide, & primus creditor non potest se reualere contra principalem, & secundus retineat ex causa lucratiua, quia competit condictio ex lege, vt supra probatum est.

5 Neque releuat, quod nomen debitoris tunc erit in obligatione bonorum quando actio est nata, non vero quando tantum adest spes agendi. *Bald. in d. cons. 234. vbi num. 2. vers. in contrarium est veritas lib. 2. Tiraquel. in l. si vnquam, in verbo sub num. 8. circa finem vers. vbi tamen intelligit.* Quia quicquid fit de hac opinione, non militat in casu isto, quia Rex erat debitor Nasij de tempore, quo se obligauit ad fauorem Norij, & sufficeret, quod etiam spes sui esset purificata de tempore, quo Domini Oricellarij exegerunt, cum dictus Nasius obligauerit Norio omnia bona præsentia & futura, ita vt in subsidium contra Dominos Oricellarios, vel D. Bedinam competat condictio ex lege, vt iam dictum est.

6 Minus releuat, quod Norius fuit satisfactus, ex quo bona Nasii ei fuerunt data in solutum, *l. nulla, Cod. de solut. instit. quib. mod. toll. oblig. in princ.* quæ conclusio procedit etiam, quod bona fuerint euicta vt prætenditur, quia nihilominus non potest agere antiqua actione, sed competit vtilis actio de euictione, *l. libera, Cod. de sent. & interlocut. om. iud. l. si prædium, Cod. Cod. de euict.* & sic cum euictio prætendatur, de anno 1594. & vẽditio facta Bedinæ fuerit de anno 1590. nulla actione potest Norius agere contra ipsum ex reg. quod qui prior est in tempore, potior est in iure *c. qui potior, de reg. iur. in 6. l. quoties vtriusq; ff. eod. Surd. cons. 145. nu. 13. & seqq.*

7 Nam huic motiuo fuit responsum, quod immissio non fuit concessa Norio ratione donationis solutum sed vt retineret loco pignoris ad effectum percipiendi ad rationem quinque pro centenario, iuxta formã Statutorum Florentiæ, vt patet ex ipso actu immissionis, & comprobatur ex sententia lata, in qua fit mentio de prædicta assignatione ad commodum Francisci Norij, non autem dicitur de datione in solutum, & quamuis prædium reperiatur positum in catasto sub nomine d. Norii refert, cum ex lectura eiusdem catasti appareat, quod prouenit, quia prædium peruenit ad eius manus ex emptione facta per Langerium pro persona nominanda, & nominauit d. Norium, non autem ex ipsa immissione, aut datione in solutum, & quamuis dicatur sufficere, quod dicta bona fuerint assignata Norio, vt non possit vti ista actione subsidiaria contra Oricellarios, & Bedinam, nec posse iuuari euictione prætensa, quia sententia est sine actis, tamen hoc non releuat, cum Norius solum excipiat de dicta sententia euictionis, vt fuit resolutum in causa Sabinen. Castrorum 17. Aprilis 1581. coram Lauretano.

8 Non obstat statutum Florentinum, quod vult, vt si tempore decoctionis alicuius eius bona mobilia, aut nomina debitorum, & similia reperiantur penes aliquem creditorem, saltem per duos dies ante decoctionem, nõ potest ille creditor molestari ab aliis creditoribus habentibus hypothecam, quia quicquid dicendum sit, an istud statutum habeat locum tantũ in mercatoribus, prout videntur dicere eius verba, non obstant in casu isto, quia cum prætendatur Nasium obiisse decoctum, de illo tempore istud creditum non erat penes Oricellario aut Bedinã, sed Rex ipse erat debitor, licet esset venditum Bedinæ, & obligatum Norio, & cessat omnis difficultas: quia statutum loquitur per hæc verba, *se al tempo del fallimẽto, d'alcuna persona & inferius per doi giorni ò più auanti che si scopra il fallimento, &c.* & sic istud statutum est intelligendum de decoctis fugitiuis, vel qui foro, cesserunt, quia cum sit contra ius, debet stricte, & proprie interpretari, *Dec. cons. 38. col. fin. num. 7. vers. sed tamen,* & ita istud statutum intelligit Rota Florentina quare, cum Nasius non fuerit decoctus, fugitiuus, aut cesserit foro, sed solum testes deponunt, *che morse fallito,* statutum non intrat.

Minus releuat, quod hypotheca præscribitur spacio x. annorum inter præsentes, & 20. inter absentes *l. 1. & 2. C. si aduersus credit Balb. de præscr. 4. par. quartæ partis principalis quæst. 3. in princ. Neguſ. de pignor. in 2. membr. 6. par. pariter in princ.* Quia aut ista præscriptio consideratur respectu Regis, & non intrat, quia à die obligationis Nasij vsq; ad restitutionem factam per Regem non effluxerunt 20. anni quod tempus requirebatur stante absentia, aut consideratur ista præscriptio respectu Dominorum de Oricellariis, & Bedinæ, & nulla potest intrare præscriptio, quo minus Norius actione sibi competenti vtatur ipsos, quia à die ex actionis vsq; ad diem motæ litis non interuenit aliquod tẽpus considerabile, aut opponitur de præscriptione crediti fauore Nasii, nec etiam in isto casu datur, aliquod tempus considerabile immo dantur plures interuptiones ex diuersa immissione in bonis & ex motione huius litis.

Et hac ratione tollitur præscriptio statutaria 16. annorum, quæ resultat ex statuto Vrbis, quia quo ad Regem nullo pacto potest considerari, cum statutum non habeat locum in Gallia, neq; quo ad alios intrat cum non effluxerit tempus sufficiens, vltra quod statutum solum inducit præsumptionem satisfactionis quæ tollitur ex aduersa assignatione bonorum pro fructibus percipiendis ad rationem, quinque pro centenario, nec non ex sententia, de quibus supradictum est.

R. P. D. VEROSPIO.

Romana Donationis Lunæ 24. Nouembris 1614.

ARGVMENTVM.

Donatio facta à filiofamilias sine consensu Patris de bonis, in quibus pater habet vsumfructum nulla, & inualida est, etiam iuramento vallata, & quando pater vsufructui prædicto renunciasse causeatur.

SVMMARIVM.

Donatio filiifamilias facta sine consensu patris de bonis, in quibus pater habet vsumfructum, inualida est, n. 1. 2. & 3. vbi amplius, quod non valet, non solum quoad vsumfructum, sed nec etiam quo ad proprietatem.

Pater vsufructui, quem habet in bonis filii, non censetur renunciasse per insinuationem ab eo factam donationi dicto vsusfructus n. 4. & seqq.

Actus interpretari semper debet, vt agenti minus præiudicet, quam sit possibile, nu. 4. &c.

Insinuatio donationis tendit ad illius confirmationem, non autem ad augumentum, nu. 6.

Renũciatio vsusfruct. quẽ pater habet in bonis filii, nihil valet, nisi fuerit expresa, præserti patre existẽte paupere. n. 6.

Dona-

Donatio filijfamilias facta de bonis, in quib. pater habet vsumfructum sine illius consensu iuramento non validatur. nu. 7. & 8

Iuramentum filijfamilias vigore statuti vrbis in contractibus appositum, præsumitur dolo exortum. nu. 8

Litigiosa res nec donari, nec alienari potest. nu. 8

Pater vsumfructum, quem habet in bonis filij, censetur renunciasse per consensum subhastationi dictorum bonorum ad instantiam creditorum filij, sequuta tamen subhastatione, aliter secus. nu. 9

Vsusfructus bonorum filij remanet penes patrem, etiam mortuo filio, & semel acquisitus non tollitur, nu. 10. & c.

DECISIO DXCVI.

1 VIncentius Alottus Petri Pauli ex prima vxore filius, antequam religionem ingrederetur, donauit bona materna Dominico, & Francisco suis fratribus ex alia Patris vxore, quam donationem idem pater insinuauit, verum post captam à filijs bonorum donatorum possessionem orta fuit inter ipsos, & patrem controuersia, & pater eos in possessorio conuenit coram A. C. quo pendente iudicio Dominicus obijt, & Franciscus superstes fauorabilem sententiam reportauit, à qua fuit appellatum, & dum in secunda instantia per viam commissionis, tam in petitorio, quàm in possessorio coram me, causa penderet, Franciscus donauit inter viuos eadem bona Vincentiæ Matri, quam donationem Petrus Paulus, vti factam absque ipsius assensu eum inualidam pretenderet. Dubium in Rota proposui, quod pro inualiditate fuit resolutum. Hæc enim donatio facta fuit à filiofamilias, absque patris assensu, qui habebat in bonis donatis vsumfructum, *l. fin. §. filijs autem, C. de bonis quæ lib. & ibi Butrig. colum. fin. vers. item quæro, Cynus num. 1. Bald. in princip. Angel. sub num. 1. Castr. num. 1. Corn. num. 1. & l. 1. C. eod. gloss. in leg. 3. in verbo non potuit, C. de pat. potest. Roland. cons. 89. num. 4. ad med. lib. 4. Alex. cons. 106. num. 1. & 2. lib. 7.*

2 Vnde non solum quo ad vsumfructum, sed etiam respectu proprietatis fuit nulla donatio, vt tradit *Cast. in l. & hæredi. §. filiafamilias, nu. 4. & ibi Iacob. nu. 6. in 1. lect. & nu. 3. in 2. lect. Ang. nu. 2. ff. de pact. Fulgos. cons. 87. nu. 2. ad finem, Bald. cons. 295. lib. 4.*

3 Nec valet dicere, patrem in bonis donatis amplius vsumfructum non habuisse, cum locasset ante donationem filiorum nomine domos, & eisdem pro alimentis fuissent à Iudice pensiones assignatæ, & sic absque patris assensu filium donare potuisse, ex alleg. in vna Perusina donationis coram Reuerendiss. Bononien. Nam fuit responsum ex illis actibus renunciationem vsusfructus non induci, cum locatio fieri tãtum potuerit propter dictam alimentorum assignationem, quæ cum ad patris nutum cassari posset, non dicitur simpliciter, sed de die in diem remissus vsusfructus, vt per *Castr. in l. cum oportet. §. sin autem, nu. 4. post Bart. ibidem in fine. & Corn. nu. 2. Salice. in §. non autem, num. 5. in fin. C. de bonis, quæ lib. Franc. dec. 585. nu. 1. Aymon. cons. 39. nu. 9. in fine vers. ideo aliter respondeo. Menoch. cons. 282. num. 34. lib. 3.* Et durat quo vsque pater consensum reuocauerit. *Castren. loco supracit. Corn. cons. 79. in fine, lib. 2. Anchar. cons. 156. nu. 3.*

4 Non obstat Petrum Paulum insinuasse primam donationem à Vincentio factam alijs fratribus, & sic ipsum videri etiam vsumfructum donasse. Non enim ex hoc inducitur per necesse vsusfructus renunciatio. *Bart. in l. Titium & Mæuium, ff. de administr. tu.* Cum regulariter actus debeat semper interpretari, vt minus præiudicet, *l. 1. & 2. de solut. Corn. cons. 338. nu. 5. lib. 1. Abb. in cap. super, nu. 12. Felin. nu. 10. Dec. nu. 12. de offic. deleg. Cæs. de Graff. dec. 1. de elect. nu. 3.*

5 Vlterius actus insinuationis operatur donationis confirmationem, in qua sicut respectu donantis comprehendi non potuit vsusfructus, ita nec dici potest comprehensus in insinuatione, quæ solum tendit ad confirmationem actus, non ad illius augmentum, *l. sancimus. 34. §. alias vero, vers. actis interuenientibus corroboratæ. C. de donat. Rimmal. iun. §. 1. nu. 207. inst. eod. Soc. cons. 80. nu. 13. lib. 1.*

6 Præterea cum vsusfructus renunciatio esse debeat expressa, *Ang. de testam. in fine principij ante gl. primam, nu. 43. vers. quinimo non posset.*

Nec insinuatio, nec reliqui actus facti per Petrum Paulum illi preiudicant. Et licet idem consenserit bona pleno iure donari, non tamen per hoc remissus cẽsetur vsusfructus, attento præsertim, quod simus in paupere, vt tradit *Anchar. cons. 106. per tot.*

7 Non obstat iuramentum validam reddidisse donationem, quia cum pater haberet in istis bonis vsumfructum per iuramentum illa conualidari non potuit *Bald. in d. §. filijs autem, n. 1. Ang. n. 4. Fulgos. nu. 2. ad finem. & seq. Salicet. nu. 25. Castr. nu. 4. vers. sed est dubium, Corn. nu. 4. Paris. in addit. ad Bar. verbo disponere. C. de bonis quæ lib. idem Castr. in l. & hæredi. §. filius familias, num. 4. vers. sed est dubium ff. de pactis. Curt. Iun. cons. 152. nu. 6. & 7. Aymon. cons. 39. nu. 3. in fin. & cons. 84. nu. 2. ad medium, Cæsar. de Graff. dec. 2. nu. 7. 8. & 21. de donat. cum alijs per Roland. cons. 89. nu. 5. & seq. lib. 4.*

8 Tanto magis stante Vrbis Statuto cap. 152. lib. 1. quo tollitur iuramentum in contractibus filiorumfa. appositum, & dolo extortum præsumitur, vt fuit resolutum in vna Romana nullitatis contractus. 2. Iunij 1614. coram Reuerendiss. Bononien. & placuit etiam Dominis aliud fundamentum pro donationis inualiditate, ex quo enim super eiusmodi bonis aderat in possessorio, & petitorio lis inter patrem & filium, vt apparet ex commissione illa, nec donari, nec alienari poterant *l. lite, & l. fin. C. de litig. Peregr. de iure fisci. lib. 4. tit. 6. nu. 19. & seq. Abb. in cap. ecclesia. il primo, nu. 9. vt lit. pendent.*

9 Nec releuat pariter si dicatur Patrem amisisse dictorum bonorum vsumfructum ob domus indicationẽ & assensum præstitum illius subhastationi, ad fauorem creditorum ex *Pinel. in secunda parte. leg. 1. nu. 33. & 36. C. de bon. mat.* Et sic donationem valuisse. Nam cum dicta subhastatio effectum non habuerit, nec domus fuerit vendita, pater non dicitur ius suum amisisse *Guido Papæ q. 101. sub nu. 1. & seq. & cons. 126. circa finem. Cur. iun. de feud. par. 4. q. 13. sub nu. 103. post med. & q. 20. n. 111. & alij per Corb. de caus. priua. ob. alien. limit. 38. et Schrad. de feud. q. 9. cap. 1. nu. 32.*

10 Non obstat, quod saltem donatio valeat respectu portionis fratris demortui, ad cuius successionem concurrit pater, & filius superstes, nec in filij portione pater habeat vsumfructum, ex *Rolan. cons. 95. nu. 49. lib. 1.* Nam etiam filio mortuo remanet vsusfructus apud patrem. *l. si quis. §. sin vero defuncta persona. Cod. ad Tertull. l. fin. C. de vsufr. gl. in l. 3. C. eod.* Et ille semel acquisitus non tollitur. *Surd. cons. 116. num. 46. & seq. lib. 1. Pinel. in l. 1. par. 1. nu. 39. C. de bon. mat. Gomes. ad l. Tauri 6. num. 11. & seq. Ascan. Clem. de patr. potest. effectu 2. nu. 34. vers. amplia 6. Caualc. de vsufructu mulieri relicto nu. 180.* & fuit dictum in vna Turritana Bonorum 22. Aprilis 1613. & 14. Maij 1614. coram R. P. D. meo Vbaldo.

REVERENDISSIMO P. DOM.

DAMASCENO.

Romana de Rusconibus. Lunæ 24. Nouembris 1614.

ARGVMENTVM.

Petens immissionem non obtinet, quando in continenti docetur de emphyteosi.

SVMMARIVM.

Immissio impeditur, si emphyteosis in continenti doceatur, num.9.
Instrumento publica faciunt probationem probatam, numero 2.
Impugnans suam confessionem non auditur. nu.2.
Replicatio nisi probetur clare, & liquide, exceptio non desinit esse clara, & liquida, nu.3.
Obseruantia pro declaratione gestorum multum est attendenda, num.4.

DECISIO DXCVII.

1 FVit dictum constare de emphyteusi etiam ad effectum impediendi immissionem, quandoquidem de illa in continenti docetur, quod sufficit etiã ad effectum impediendi immissionem. *Alex. in leg. si patroni. col.5. ff. ad Senatusconsul. Tertullian. Cacher. decision. Pedemont.26. num.30. Roland. consil.2. num. 38. in fin. libro 3. Menoch. de adipiscend. remed. 4. numer. 381. & seq.*

2 In continenti autem docetur, bona, de quibus agitur, fuisse à Capitulo Sancti Petri de Vrbe concessa Ioanni Ruscono Auo modernorum Rusconorum ad tertiam ipsius Ioannis generationem, ex publicis instrumentis in actis per ipsos productis, quorum primum est de anno 1549. habetur dicta concessio cum pacto, quod dictus Ioannes teneretur fabricare duas stantias pro Cappellano Ecclesiæ sancti Blasij, & apponere insignia marmorea dictæ Basilicæ in signum directi dominii. Secundum instrumentum est de anno 1560. & continet aliam concessionem in eodem situ de aliis quatuor Domunculis ab eodem capitulo eidem Ioanni ad eandem tertiam generationẽ cum onere inter certa soluendi scuta 200. pro vna vice, quæ in effectu fuerunt soluta. Tertia scriptura est concessio Pii Papæ IV. si in euidentem, directa Vicario Vrbis Quarta scriptura est sententia lata per Dominum Vicarium ad instantiam Baldasaris auctoris Angelæ, per quam confirmatur dicta concessio in emphyteusim. In quinta scriptura idem Baldasar, repetita tota natura seriei facti, consignauit Cappellano stantiam iuxta formam primæ concessionis & soluit etiam quasdam pecunias. Sexta scriptura continet donationem factam per Baldasarem nepotibus suis de ista emphyteusi, cum onere soluendi canones Sancto Petro, prout in effectu soluerunt. Ex quibus videbatur resultare in continenti probatio non iuris Angelæ. Tum quia emphyteusis probatur per publicum instrumentum, quæ faciunt probationem probatam, *cap. cum dilectus de fid. instrum. Bald. in l. interest, nu. 2. C. de solut.* Rota in Romana afflictus. 27. Ianuarii 1612. coram Reuerendo Patre Domino meo Caualerio. Tum maxime instrumenta continet confessionem Baldasaris, quam sicut idem ipse Baldasar non posset impugnare, ita nec Angela illius hæres *vulg. l. cum a matre, C. de rei vendic. Rol. cons.71. n. 44. lib.2. Crauett. consil.125. nu.2. Rot. dec.776. nu. 1. p.1. cum concord.*

3 Non obstat, quod de anno 1552. idem Ioannes receperit in emphyteusim, & recognouerit in Dominum de eisdem bonis quendam Franciscum del Nero inuestitura constet per Ioannem, hæredibus, & successoribus, & sic possit illius vigore succedere Angela heres Baldasaris, qui fuit hçres dicti Ioannis vnde infertur, vel istam secundam inuestituram esse attendendam, vel saltem reddere dubium, quoniam tit. Baldasar vltimus defunctus possederit, quod sufficit Angelæ illius hæredi ad effectum, vt vigore *l. fin.* possit immitti, quia fuit responsum fratres de Rusconib. habere fundatam intentionem suam in suis primis instrumentis, & illorum effectuatione, & confessione Baldasaris Auctoris Angelæ, & proinde debuit Angela clare, & nitide probare suam replicationem, alias exceptio non desinit esse clara, & liquida, vt in istis terminis *Franc. in c.1. nu.18. vers.11. limita. de litis contestat. Put. dec.233. & dec.243. lib.3. Seraph. decis.183. nu.6.* & Rota in causa Romana de Marescottis die 22. Nouembris 1613. coram me.

4 Quod autem replicatio Angelæ non sit clara, patet, quia non constat de iure illius Francisci del Nero, & quatenus dupliciter sufficere, quod Ioannes illum recognouerit in Dominum, replicatur, illum Ioannem non recognouisse in Dominum simpliciter sed cum protestatione, quod hoc faciebat sine præiudicio concessionis sibi factæ, per Canonicos Sancti Petri ad cumulandam cautelam suam, & ius iuris addendum, à quibus protestationibus, quod nullatenus recedere intendit, & proinde probari debet, quod Franciscus haberet melius ius, quam Capitulum Sancti Petri, alias Ioannes minime voluit recedere à primis concessionib. & docuit experientia, quia Canon promissus Francisco nunquam apparet solutus, cuius contrarium apparet de canone, & aliis promissis capitulo Sancti Petri, quæ obseruantia multũ videtur attendenda pro declaratione gestorum, *l. si de interpretatione, ff. de l.* Rota in Terracinen. administrationis 28. Iunii 1610. coram Reuerendo Patre D. Caualerio.

Quantum ad prætensum motum proprium Pauli III. nõ fuit de illo habita ratio, cum sit folium volans quod nullam habet formam authenticæ scripturæ.

DECISIO DXCVIII.

Meliten. Conseruæ. Veneris 28. Nouembris 1614.

Impressa Apud Buratto.

DECISIO 79.

R. P. D. ANDREA.

Visen. Pensionis, Veneris 28. Nouembris 1614.

ARGVMENTVM.

Literæ reseruationis pensionis quando habeant exequutionem paratam, & an pensionarius possit constitui in quasi possessionem exigendo ab eo, qui non habet titulum beneficii.

SVMMARIVM.

Arbitrium iudicis debet à iure regulari, nu.1.
Literæ Apostolicæ habent exequutionem paratam, num.1.
Literæ pensionis reseruatoriæ habent exequutionem paratam vbi agitur contra eum, qui consensit reseruationi, vel vbi constat de quasi possessione exigendi pensionem nu.1. & n. 2. Vbi secus, quando de prædictis non constat.
Pensionarius non potest constitui in quasi possessione exigendi contra tertium ab eo, qui non habet titulum beneficii numer. 3.
Indefensus non dicitur, qui aliquando in iudicio comparuit, licet de iuribus suis diffisus causam prosequutus non fuerit, nu.4.

DE-

DECISIO DXCIX.

1 INtrare arbitrium fuit, resolutum, ad effectum supersedendi in solutione pensionis, quia arbitrium iudicis debet regulari, prout de iure, *Bart. in extrauag. ad reprimend.um, verbo videbitur, nu.8. Laris. cons.56. nu. 3. lib.1. Menoch. de arbitr. q.13. num.15. Rota dec.348. nu. nu.8. part.1.* de iure autem licet literæ Apostolicæ habeant exequutionem paratam. *Cassad. decis.10. num.8. de rescript. Mohed. decis. 13. ad fin. vt lit. pendent.* cum alijs allegatis in Neritonen. pensionis 26. Nouembris 1607. coram Reuerendo Patre Domino meo Caualerio, & in Tullen. pensionis 22. Iunij 1609. coram Reuerendissimo Attrebaten. Hoc tamen procedit, vbi agitur contra eum, qui consensit reseruationi, vel alias, vbi constat de quasi possessione exigendi pensionem, vt stante clausula arbitrio fuit decisum in Asculana pensionis 28. Iunij 1593. coram Orano, & in Lauden. pensionis 29. Martij 1599. coram bon. men. Penia, & in alijs sæpissime.

2 Quod ex facto non apparebat, cum Georgius contra quem agitur reseruationi non consenserit, nec pro parte Francisci pensionarij fuerit doctum sufficienter de quasi possessione exigendi, quo fit, vt literatum iustificatio sit omnino necessaria, vt præter decisiones allegatas fuit tentum in Salamantina pensionis 26. Martij 1593. coram Gipsio, & in Abulen. pensionis, 28. Ianuarij 1600. coram Litta, & in Portugallen. pensionis 6. Iunij 1606. coram Reuerendo Patre Domino meo Decano.

3 Quibus non obstabat, quod pensio fuerit reseruata de consensu Francisci Ribeiro, qui illam dicitur soluisse, quia cum ille non esset titularis, vt fuit decisum coram Reuerendissimo Lugdun. & requiritur ad hunc effectum iuxta regulam 44. non potuit dictus eius consensus obesse Georgio, qui illi non successit, & per consequens, licet idem Franciscus pensionem soluisset, quod controuertitur, non potuit in quasi possessione exigendi constituere pensionarium saltem contra tertiũ, cũ non haberet, vt dixi titulum. *Rot. dec.184. nu.2. p.1. diuers.* & fuit dictum in Iacen. pensionis 5. Decembris 2584. coram bona mem. Cardinale Pamphilio.

4 Non obstat, quod dicebatur adhuc non constare de non iure Francisci Ribeiro, nec illi sententiam, & rem iudicatam obesse, cum indefensus succubuerit. Ad hoc enim, vt quis non dicatur indefensus, satis est, vt aliquando comparuerit. *Put. dec.306. num.5. & 6. lib.2.* & tenuit Rota in causa Carthaginen. & Abulen. beneficiorum 15. Aprilis 1611. coram Reuerendissimo Domino meo Damasceno. In casu autẽ nostro Franciscus pluries in iudicio comparuit coram Auditore Cameræ coram Illustrissimo Mellino, & Reuerendissimo Lugdunen. & sic nõ potest dici contra ipsum indefensum fuisse pronũciatum. Esto forsan, quod diffidens de iuribus suis causam, vsq; ad extremum prosequutus non fuerit.

Quod similiter excipiebatur de non iure Georgij ob non seruatam regulam de annali fuit sublatum ex decisione Reuerendissimi Lugdunen. 27. Februarij 1606. vtraq; parte informante emanata. Ex quibus fuit decisum, esse locum arbitrio, &c.

R. P. D. VEROSPIO.

Placentina Archidiaconatus, Veneris 28. Nouembris 1614.

ARGVMENTVM.

Alternatiua an habeat locum in beneficijs, quæ Episcopus debet conferre sub testimonio duorum, vel trium de Capitulo, & an habeat locum in beneficijs, quæ debent conferri præuio examine, & approbatione.

SVMMARIVM.

Subrogatus gratiose, vt imittarur reseruatio debet se esse clara, & notoria, nu.1.
Alternatiua remouet obstacula regi reseruatoria, num.2.
Collatio beneficii erecti ex dismembratione bonorum alterius beneficii spectat ad eum, ad quem spectat collatio beneficii ex cuius bonis fuit facta dismembratio, nu.3.
Collatio beneficii erecti ex fructibus alterius beneficii spectat ad eum, ad quem spectabat collatio beneficii, numero 4.
Collationis libertas ad effectum alternatiuæ non excluditur ex eo, quod Episcopus teneatur conferre certo genere personarum, nu.5.
Alternatiua habet locum etiam in beneficiis, quæ Episcopus non potest cuilibet conferre, num.5.
Collatio facienda per Episcopum sub testimonio duorum, vel trium de Capitulo, dicitur nihilominus libere spectare ad Episcopum, quando d. testimonium non requiritur pro consilio, vel assensu, sed solum vt famæ, & honori ipsius Episcopi consulatur, num.6.
Dictio tantum est taxatiua, & omnia excludit, nu.7.
Collatio facienda per Episcopum de consilio alicuius dicitur libera ipsius Episcopi, quando vlterius non adest decretum annullatiuum, quod collatio aliter facta non valeat, nu.8.
Collationis particeps non dicuntur, qui collatione adhibentur, tanquam Testes, nu.9.
Alternatiua non impeditur ex eo, quod collatio debeat fieri cum approbatione, & Testimonio alicuius, quia nihilominus dicitur libera nu.10.
Alternatiu habet locum, etiam in parochialibus licet in ipsarum collatione requiratur examen, & examinatorum approbatio cum nihilominus solus episcopus dicatur conferre. num.10.

DECISIO DC.

1 MOrtuo de mense Augusti extra Romanam Curiam Ioan. de Ripa, cum in Placentina Ecclesia vacasset Archidiaconatus de Bejar nuncupatus, fuit per Ordinarium vti gaudentem alternatiua de illo prouisus, & immissus etiam in eius possessionem Franciscus Caruajal Montoya, postea Didacus Pizarrus eundem Archidiaconatum a Sede Apostolica, tanquam ratione mensis reseruatum obtinuit, & expeditis in vim gratiosæ subrogationis cum peteret immissionẽ, dubitaui, an esset ad hunc effectum illius gratia iustificata. Quod fuit negatiuè resolutum. Vt enim vigore subrogationis gratiosæ quis in possessionem immittatur, debet esse reseruatio, clara & notoria, vt sæpius decisum fuit in Rota, & præsertim in causa Neapolitana Rectoriæ 13. Feb. 1598. coram bo. mem. Cardinali Pamphilio. Et in vna S. Angeli Beneficiorum 3. Iunii 1602. coram Reu. Bonon.

2 In casu autẽ nostro de tali notoria reseruatione nõ docetur quinimo satis constat eã non adesse cum archidiaconatus vacauerit de mense Augusti, qui ordinarius efficitur, Episcopo gaudente alternatiua per quã regulæ reseruatoriæ obstacula remouentur, *Put. dec.492. n.2. lib.2. & latè per Moder. in reg.8. gl.45. n.1. & seq.* Excluditur etiam reseruatio per Statutum eiusde Ecclesiæ fundamentale, quod disponitur hanc dignitatẽ ad liberã Episcopi collationẽ pertinere, vt ex illis verbis, nimirum Archidiaconatus quoq; Ciuitatis, & de Trugillo, quorũ collatio ad Episcopũ tantũ de cõsuetudine spectat cõferat Episcopus alicui, &c.

3 Nec valet dicere, Statutum in specie non loqui de Archidiaconatu de Bejar. Quia cum ex Bulla Adria-

ni VI. & Clementis VII. constet, hunc Archidiaconatum ab alio Ciuitatis fuisse dismembratum, & eius collationis illi fuisse reseruatam, cui Archidiaconatus ciuitatis collatio antea competebat, necessario sequitur, istius prouisionem ad solum Episcopum spectare, ad quem Archidiaconatus ciuitatis collatio pertinebat, vt fuit dictum in Hispalen. Iuris votandi coram Cantuccio inter impressas, *dec.17. nu.4.& 5. p.2. diuers.* Et in alia simili Placentina coram Cardinali Blanchetto, inter impressas, *decis. 296. vers. nec etiam datur p.1. diuers.*

4 Quod vlterius iuri consonat, cum hic Archidiaconatus de Beiar, erectus etiam fuerit de fructibus Archidiaconatus Ciuitatis, & propterea cum illo debet eiusdem esse collationis. *Imol. in cap. cum M. Ferrarien. sub num. 31. vers. & idem erit iudicandum, post Ant. de Butr. & alios de constit. Rot. d. dec.17. nu. 4. & 5. p.2. & dec.16. de iure patr. in antiq. Vital. in clem. fin. in fine de rescript. &c.* Accedit huius Archidiaconatus prouisionem de anno 1578. per solum Episcopum fuisse factam cum expressione d. statuti fundamentalis, & literarum dismembrationis, quæ prouisio licet fuerit impugnata, non ideo tamen fuisse constat, quod ad solum Episcopum illa non spectaret.

5 Non obstat in vim eiusdem statuti, Episcopum, teneri dignitatem vni ex d. Ecclesie Canonicis conferre, & sic arguatur, non esse liberam eius collationem nam etiam quod certo personarum generi sit facienda collatio, non inde tamen libertas collationis excluditur ad impediendam alternatiuam, *Achil. dec.5. per tot. de priuil.* & fuit dictum in Vrgellen. Canonicatus 7. Maii 1593. coram Cardinali Blanchetto, & in vna Calaguritan. Beneficii 26. Aprilis 1596. coram Corduba, cum aliis per *Modern. ad reg.8. gl.45. nu.19. & seq.* Et licet non potuit hæc dignitas cuicumque conferri, non tamen id est considerabile respectu regulæ nihil tale disponen. *Modern. ad reg.8. vbi sup. nu. 22. Non obstat Put. dec.100. nu.3. lib.3.* vbi dicitur, non esse liberam Capituli collationem, quando ab eodem debet vni portionario conferri hoc enim solum procedit ad effugiendam nullitatem, non vt excludatur alternatiua, vt idem *Moder. declarant, vt supr. nu.25.*

6 Ex his quoque cessat obiectum, quod vigore d. statuti cum Episcopus debeat sub testimonio duorū vel trium de Collegio eiusdem Ecclesiæ conferre, ista collatio cum Capitulo simultanea videatur, Statutum enim sub hac verborum formula disponit, videlicet. Vt autem Episcopus tam famæ, quam honori suo inconferendis dignitatibus, quæ ad eius collationem pertinent, decenter consulat, necessario duximus prouidendum, vt cum dignitas aliqua ab eo fuerit conferenda sub testimonio duorum, vel trium de Collegio Ecclesiæ Placentinæ, qui fuerint fide digni conferat. Ex quibus infertur d. testimoniū non requiri pro consilio vel assensu, sed vt solum honori, & famæ ipsius Episcopi consulatur, vt fuit resolutum in causa Illerden. iurisdictionis 3. Nouemb, 1602. coram Iusto.

7 Quod autem statutum per huiusmodi testimoniū non dederit vllam alteri participationem in collatione dictarum dignitatum, satis patet, cum illam voluerit ad Episcopum tantum spectare, quæ dictio taxatiua, tantum, omnem Capituli participationem excludit. Dec. in l.1. nu.4. & 5. Cod. de bon. poss. cont. tab.

8 Idem vlterius colligitur, ex quo vbi Capituli consensus requiritur, vel certa præscribitur forma, quæ necessario veniat seruanda, Statutum in casu inobseruantiæ Decretum annullatiuum apposuit, quod non præstitit, cum dispouit, vt Episcopus hanc dignitate sub testimonio duorum, vel trium de Collegio conferret, vnde sequitur non esse testimonium de forma, vel de necessitate, sed liberā Episcopo collationem remanere, *Fel in. in c. ex parte col.1. vers.2. limitatio de const. Rot. dec.750. n.4. par.1. diuers. Modern. ad reg.8. gl.46. nu.7. & seq.*

9 Præterea duo illi de Collegio, videntur tanquam Collationis testes requisiti, vt ex ipsius statuti verbis colligitur, videlicet, ne collatio furtiua, & clandestina videatur, qui propterea non dicuntur collationis participes, vt in simili *Imol. in cap. cum veteri, num.11. de elect. Bart. in leg. Titium, & Mæuium, nu.2. ff. de admistr. tut.*

10 Nec obstat, quod isti testes improbent approbationem personæ, cui sit facienda collatio, vt dicitur decis. Placentina coram Cardinali Blanchetto 309. p. 1. diuers. Nam inde non sequitur collationem nō esse liberam ipsius Episcopi, ad excludendam alternatiuam, cum ex approbatione, vel testimonio personæ bonæ qualitatis illa non impediatur, sicut videmus parochialibus quas licet Episcopus, iuxta Pii V. constitutionem, & dispositionem Sac. Conc. Trid. solū valeat preuio examine, & cum examinatorum approbatione conferre, non inde tamen sequitur, alternatiuam in illis locum nō habere, vt fuit resolutum in Abulen. Parochialis 26. Apri. 1596. coram Car. Blanchetto, relata per *Moder. ad reg.8. gl. 45. num.21. & 22.* Ratio autem assignatur, quia pro parte Episcopi dicitur collatio libera, cum absque aliorum præsentatione, electione, assensu, vel consilio solus ipse conferat, vt fuit dictum in alleg. Vrgellen. Canonicatus 7. Maii 1593. coram Card. Blanchetto, & in aliis sæpius, &c.

DECISIO DCI.

Forol iuien. Cappellæ, Veneris 28. Nouembris 1614.

Impressa Apud Buratto.

DECISIO 80.

R. P. D. VBALDO.

Reatina pensionis Lunæ 1. Decembris 1614.

ARGVMENTVM.

Successor an possit pensionem reseruatam de consensu Prædecessoris impugnare ex non iure eius, qui consensit, quando in literis reseruationis adsunt clausula, quod de subreptionis & obreptionis defectu dari non possit, & quod pensio censeatur reseruata, per inde ac si omnes interesse habentes consensissent, ac adsunt aliæ clausulæ de quibus decisione.

SVMMARIVM.

Sententia vt dicatur valida, quæ requirantur, nu. 1.

Clausula, quod de subreptionis, vel obreptionis defectu dari non possit, apposita in reseruatione pensionis operatur, vt alleganti nullitatem pensionis incumbat onus probandi. num.1.

De non iure non dicitur constare, nisi per confessionem partis, vel rem iudicatam, nu.2.

Pensionarius dicitur habere fundatam, intentionem super reseruatione quando reseruatio fuit facta de consensu possessoris, nu.2.

Successor in beneficio non potest impugnare pensionem reseruatam de consensu prædecessoris, nisi notorie doceat de non iure eius, qui pensioni consensit. n.2.

De non iure alicuius constare non dicitur, quandiu potest

test constare de iure. numer. 2.

Stipulatio Notarij pro omnibus quorum interest, intererit, aut interesse poterit, comprehendit quemlibet habentem interesse. num. 3.

Vitio quomodolibet comprehendit omne ius. num. 4. Vbi quod verificatur in quocumque iure directo, vel indirecto, etiam improprie sumpto.

Verba generalia non debent referri ad ea, de quibus supra fuit facta specialis mentio. num. 4.

Successor vt ad pensionis solutionem teneatur, sufficit, quod sit successor facti, scilicet possessionis. num. 5.

DECISIO DCII.

1 DOmini censuerunt, sententiam Rotalem esse confirmandam, in qua fuit declaratum, reseruationem pensionis ad fauorem Domini Marchionis Cassanei de consensu bonæ memoriæ Cardinalis Alexandrini super Præceptoria Sanctæ Agathæ fuisse validam, & Domino Marchioni suffragari, ex rationibus late deductis in decisione huius causæ 28. Ianuarii 1613. coram Reuerendo Patre Domino meo Pamphilio, ex qua constat de iustitia dictæ sententiæ, & de validitate non dubitabatur cum interuenerint ea omnia, de quibus per *Verall. decis. 262. parte 2.* Fuit enim dicta pensio reseruata cum amplissimis, & prægnantissimis clausulis, & præsertim, quod non potuerit impugnari ex capite subreptionis, vel obreptionis, neque ex defectu intentionis Papæ, neque consensus quorumcumque interesse habentium, sed semper sit valida, perinde ac si in Consistorio secreto de Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium Consilio, assensu, & omnium interesse habentium ex iusta, & rationabili causa reseruata fuisset cum clausula sublata, & decreto irritanti, & latius in dictis literis reseruationis, quibus stantibus clausulis Domino Nicolao videtur incumbere onus probandi nullum ius competijsse Cardinali Alexandrino, de cuius consensu hæc pensio fuit reseruata, vt fuit resolutum in causa Salamantina pensionis. 1. & 6. Iunij 1582. coram Bubalo.

2 Nec tale non ius dici potest probatum ex decisione bonæ memoriæ Cardinalis Pamphilij, quia præter responsionem allatam in dicta decisione coram Reuerendo Patre Domino meo Pamphilio, fuit postea deducta in controuersiam, coram Reuerendissimo Bononien. sub die duodecima Nouembris, de anno Millesimo sexcentesimo quarto, & quatenus etiam sustineretur, non posset dici constare de non iure Cardinalis, nisi per confessionem, vel rem iudicatam, quæ hic non adest, vt fuit resolutum in causa Nucerina Iuris patronatus. 14. Nouembris de anno Millesimo sexcentesimo decimo, coram Reuerendo Patre Domino meo Caualerio, præsertim cum agatur contra Dominum Marchionem, qui habet intentionem fundatam super reseruatione pensionis ad sui fauorem, dum Cardinalis esset commendæ possessor. *Achill. decis. 9. num. 1. de pens.* quo casu requiritur, vt successor in titulo doceat notorie de non iure eius, qui pensioni consensit, vt ibidem numero tertio. & non potest dici de non iure alicuius constare, quamdiu de eius iure doceri potest. *Rota decisione 520. sub num. 4. p. 1. diuers. & decis. 269. num. 6. p. 2.*

3 Dominis etiam vnanimiter placebat alia responsio, quod ex tenore literarum supra relato apparet, Papã voluisse, quod pensio non possit annullari, vel inualidari ex defectu consensus omnium quomodolibet interesse habentium, sed quod semper esset valida, perinde ac si esset reseruata in Consistorio secreto de consilio, & assensu Cardinalium, & omnium interesse habentium, & sic perinde, ac si esset reseruata de consensu Papacodæ, qui tunc ius, & interesse habebat in Commenda, non enim videbatur dubium, quin dicta verba aliorum interesse quomodolibet habentium, & prætendentium apta sint comprehendere consensum veri titularis, sicut dicitur de stipulatione Notarii impersonaliter concepta pro omnibus, & singulis, quorum interest, aut interesse potest, vel potuerit in futurum, de qua per *Bartol. & Castr. in l. 2. ff. rem pupill. salu. for. & per Mohed. Ferrar. claus. 18. glo. 5. nu. 6.*

4 Neque videbatur sustineri, quo dicta verba debeant intelligi de consensu patronorum alterius commendæ, super qua alia pensio erat reseruata, & de consensu Magni Magistri, & conuentus respectu huius commende, non autem de consensu titulari, quia contrarium denotat illa dictio quomodolibet, quæ comprehendit omne interesse cuilibet competens. Ioannes *Andr. in c. indemnitatibus. sub num. 2. & ibi Archid. sub nu. 4. vers. quomodolibet de Lexicon. in 6. Ang. cons. 288. num. 3. vers. hoc etiam coadiuuatur, &c. Gozzad. consil. 14. num. 22. Rot. decis. 505. num. 19. par. 1. diuer.* & verificatur in quocumque iure directo, vel indirecto, etiam improprie sumpto. *Rota decis. 364. num. 1. eadem par. diuers.* quod procedere videbatur sine difficultate ex eo, quod de consensu Magni Magistri, & Conuentus fuit facta specialis mentio, & ideo dicta verba generalia postposita ad illam referri non debent. *l. doli clausula. ff. de verb. obligat. Bart. in l. quæsitum. § fin. num. vlt. ff. de fund. instructo. Surd. decis. 19. num. 4.* Et prædicta confirmantur ex eo, quia Papa voluit prædictam pensionem deberi etiam si contingeret commendam à Cardinale, vel ab alio ex successoribus aliquo potiore iure quomodolibet, & quandocumque euinci, ex hoc enim aperte colligi videbatur, quod Papa considerauit casum, in quo Cardinalis nullum ius in commenda habuisset, & nihilominus voluit per successores pensionem deberi, & sic non solum liberauit pensionarium à restitutione pensionum exactarum ante euictionem, sed etiam grauauit euincentes ad illarum solutionem, vt patet ex lectura literarum reseruationis.

5 Neque dicatur, Papam obligasse tantum Cardinalem, & successores, qualis non videtur esse D. Nicolaus, quia vltra quod id negari posset, cum D. Nicolaus sit successor Papacodæ, quia fuit subrogatus in ius Cardinalis, nihilominus ad hunc effectum sufficit, quod sit successor Cardinalis facti scilicet in possessione. *Achil. decis. 1. num. 1. & decis. 6. num. 2. de pens.* præsertim, quia Papa voluit pensionem solui, etiam euicta commenda, quod non potest intelligi, nisi in successoribus facti, & possessionis, cum alias successor iuris dici non posset, qui commendam alio iure euicisset, & cessat difficultas ex verbis generalibus literarum reseruationis, quibus Papa voluit Cardinalem, & eius successores, vel Præceptoriam quomodolibet obtinentes teneri ad solutionem pensionis, vt bene deducitur in dicta decisione Reuerendi Patris Domini mei Pamphilii, quę etiam circa deducta quo ad scientiam litis, & derogationem regulæ de iure quæsito non toll. placuit Dominis, qui ex prædictis pro confirmatione sententiæ Rotalis concluserunt.

R. P. D. PIROVANO.

Bononien. Fideicommissi de Cattaneis. Luræ 1. Decembris 1614.

ARGVMENTVM.

Instrumentum à Notario rogatum, & ex originali leuatum, probatur ex sola subscriptione ipsius etiã quod non fuerit instrumenti tenor ab ipso scriptus, & quando instrumenti Authenticatio possit per Notarium alteri committi.

SVM-

literarum reseruationis, & pro illarum exequutione agere cœpit coram Auditore Cameræ, qui dictum Annibalem absoluit, à qua sententia cum pro parte Domini Scipionis appellatum fuisset, causaque mihi commissa, dubitaui, an sententia Auditoris Cameræ esset confirmanda, vel infirmanda. Et Domini esse infirmandam vnanimiter censuerunt, tam ex capite nullitatis, quam notoriæ iniustitiæ. Ex capite nullitatis, quia fuit lata non seruatis terminis substantialibus. *Cassad. decisione 8. numero 6. de rescript. Caputaquen. decis. 269. part. 3.*

2 Ex capite iniustitiæ dum absoluit Annibalem à solutione pensionis, cum tamen stante iustificatione literarum Domini Scipionis danda fuisset exequutio, *cap. si capitulo. vbi glos. in verbo exequatur. de concess. præbend. in 6. Sarnen. in tractat. Breu. num. 4. Mohedan. decis. 13. vt lit. pendente.* & fuit dictum in Baianen. pensionis. 27. Iunii 1613. coram Illustrissimo Mellino, & in alia Cremonen. pensionis. 15. Aprilis 1611. coram Reuerendo Patre Domino meo Caualerio, & in Barbastren. beneficii. 13. Iunij proxime præteriti, coram Reuerendo Patre Domino meo Dunozetto, & sepius in alijs.

3 De iustificatione autem constabat. Nam Clericatus Domini Scipionis probatur ex literis patentibus Ordinarij. *c. 2. & ibi Abb. in 1. notab. de cleric. peregr. Rebuff. in pract. form. lit. tons. num. 22. Roland. cons. 4. nu. 5. lib. 1. Gramm. decis. 81. num. 1.* Rot. in pluribus causis hic allegatis per Informantes, & in specie in d. Barbastren.

4 Obitus Achillis in Curia probabatur ex fide Parochi. *Mandos. super reg. 18. q. 10. sub num. 4. Rebuff. in comment. ad Constit. Galles. tom. 2. tit. de re gest. baptis. sepult. art. fin. vers. & sic patet. Rot. decis. 220. num. 1. par. 2. diuers.* & in Pampilonen. Parochialis de Aizor. 13. Maii 1611. coram R. P. Domino meo Vbaldo, & in Calaguritana beneficii de Cuacu. 10. Martii præteriti, coram Reuerendo Patre Domino meo Remboldo, & in alijs.

5 Baldum fuisse prouisum de Cappellis, super quibus fuit imposita pensio, constabat ex supplicatione manu Papæ signata. *Cassad. decis. 2. num. 10. de pens. & decis. 8. num. 9. de restit. spolia.* cum aliis per *Modern. ad regul. 8. glos. 10. numer. 45.* & hic per Informantes.

6 Vacasse dictam Cappellam Sanctæ Vrsulæ per obitum Achillis, & hoc iustificatur ex instrumento captæ possessionis per Baldum, & ex literis prouisionis dicti Ioannis Antonii, per cuius obitum fuit prouisus Annibal, cum tamen sufficiat iustificare gratiam de facto. *Ægid. decisi. 116. in fine.* sæpius canonizata.

7 Narratiua Iuris patronatus non visa fuit egere iustificatione, quia facta per clausulam, vt asseritur. *Cassad. decis. 4. numer. 9. de probat. & decis. 6. num. 2. & 6. de Iure patron. Rot. decis. 412. numer. 3. par. 1. diuers. cum alij allegat.*

8 Quod Annibal esset successor Baldi in hac Cappella constabat, ex quo ipse fuit prouisus per obitum Ioannis Antonii, qui illam obtinuit per cessionem sibi factam à Baldo. Vnde non solum est successor facti, quod sufficit. *Achil. decis. 1. & 6. de pens.* & fuit dictum in Reatina pensionis. 28. Ianuraii 1613. coram Reuerendo Patre Domino meo Pamphilio confirmata in præterita Rota, coram Reuerendo Patre Domino meo Vbaldo, & præsertim stantibus illis verbis quomodocumque, &c. quæ comprehendunt omnem modum, qui excogitari potest. *Marsil. cons. 80. numer. 37. Rota decis. 505. num. 19. par. 1. diuers.* & faciunt tradita per *glos. in c. susceptum. verbo expressę. & ibi Io. Andr. & alij. de rescript. in 6.* Quinimo fuit etiam successor iuris, dum Io. Antonius vigore dictę cessionis eandem Cappellam possedit.

9 Nec valet dicere Ioannem Antonium impetrasse dictam Cappellam vti adhuc vacan. per mortem cuiusdam Alphonsi, ante obitum cuius Baldus fuit successor, & per consequens dici non possit, Annibalem Baldo successisse. Baldus enim prouisus fuit non solum per Achillis obitum, sed etiam alterius cuiuscumque personæ, & sic etiam Alphonsi, quatenus ex illius persona non autem Achillis hæc cappella vacaret. *Lap. in dicto cap. susceptum. num. 5.* Rota decisione prima. vbi Adden. in verbo quouis alio modo, & ibi modo, & ibi *Papaz. num. 7. de rescript. in nou. & decis. 36. lib. 1. part. 3. diuers.* Vnde tempore prouisionis factæ Ioann. Antonio, per quam fuerat consumpta vacatio per obitum Alphonsi, dicta Cappella amplius non vacabat per eius obitum, iuxta tradita per *glos. in Clem. 1. verbo collato. vt lit. pend. & ibi Doctor.*

10 Non obstat Achillem fuisse prouisum de eadem Cappella per resignationem cuiusdam Ioannis Baptistæ Aueroldi, cuius titulus prætenditur vitiosus propter litem tunc temporis inter prætensos patronos vertentem, dicta enim lis solum iustificatur per enunciationem in literis Ioannis Antonii, qui propterea Domino Scipioni tanquam ab illo causam nō habenti nocere non potuit. *l. certum. §. sed an, & ipsos. ff. de confess. Achil. decisione 4. num. 2. eodem tit. Rot. decis. 685. num. 4. part. 1. diuers. cum alijs alleg.*

11 Vnde cessat pariter aliud obiectum de huius pensionis inualiditate, ob non factam mentionem litis pendentię, quia de illa non constat, & per commissionem ex aduerso allegatam nulla fuit lis inducta, cum nulla emanauerit citatio. Clement. final. & ibi *Doct. vt lit. penden.* & quatenus constaret de lite, sufficeret pro eius mentione illa clausula non obstan. quacumque lite, cuius statum, &c. *Gemin. consilio 120. numer. 6. Rebuff. in prax. 3. p. sig. in vers. quatenus litigiosum litis statum. num. 4.* & fuit dictum in Pampilonen. de Iansi. 19. Decembris 1605. coram Reuerendo Patre Domino meo Decano, & in dicta Reatina, coram Reuerendo Patre Domino meo Pamphilio, & ita conclusum pro infirmatione sententię Auditoris Cameræ.

DECISIO DCVI.

Salamantina Præstimonij. Veneris 5. Decembris 1614.

Impressa Apud Buratto.

DECISIO 83.

REVERENDISSIMO P. DOMINO DAMASCENO.

Tullen. Coadiutoriæ. 5. Decembris 1614.

ARGVMENTVM.

Ratio in quo loco sit reddenda.

SVMMARIVM.

Ratio reddi debet in loco administrationis. num. 1. & 3. Nisi iudex aliter ex causa arbitratus fuerit.

Arbitrium regulatur à iure, licet relaxet iuris rigorem. numero 2. & 3.

DECISIO DCVII.

1 Rota arbitrata fuit, rationem esse reddendam per D. Franciscum Torellum coram Ordinario Parisien. non autem in partibus, in quibus est facta administratio, vt petebat D. Franciscus, nec etiam in

Vrbe,

Vrbe, vt petebat D.Abbas Lignarius. Moti fuerunt Domini ad non arbitrandum, quod non redderetur in Vrbe, quia regulariter ratio est reddenda in loco administrationis, cum ibi facilius, & cum minori partium dispendio per testes, scripturas, inspectiones rerum, locorum, & alias circumstantias iustificentur iustificanda. *l.1.& 2.C. vbi de ratiocinijs agi oportet. Bald.& communiter Doct.in l.prætor ait. §.item etiam.ff. de eden.l.hæres absens.§.1.ff.de iudic.* Rota in causa Lugdunen. redditionis rationum. 7. Martii 1589. coram bon.mem.Penia.

2 Et proinde stantibus supradictis rationibus visum fuit Dominis non esse æquum, vt Franciscus in loco distantissimo à loco administrationis, vt est Roma, cogeretur reddere rationes, sed quod potius locus non valde distans à Diœcesi Tullen. in qua fuit facta administratio, eligeretur. Arbitrium enim datum in Commissione Sanctissimi debet intelligi, prout de iure, iuxta Bartol. in extrauagant. ad reprimen. in verb. videbitur. millies in Rota canonizatum, & licet relaxet aliquid de iuris rigore, vt infra dicetur, nulla tamen visa fuit subesse causa, vt in loco remotissimo Franciscus rationes reddere teneretur.

3 Quod autem rationes minime redderentur in loco præuio administrationis arbitrati sunt Domini, quia ex late deductis pro parte Abbatis Ioannis, & multis incidentibus occursis in progressu huius causæ, Domini cognouerunt, Abbatem Lignarium habere admodum suspectam. Tullen. Diœcesim,& proinde cum iudex ex causa possit arbitrari, vt extra locum administrationis reddatur ratio. *l. penultima. §. vltimo. ff. de conditionib. & demonstrat. vbi Imol. & aly. Menoch. de arbitrar. iudic. libro 2. centur.5. casu 468.nu.7.* & vltra arbitrium datum à iure communi accedat arbitrium datum à Summo Pontifice in Commissione huius causæ, quod diminuit aliqualiter de iuris rigore. *Cresc.decis.4. numer. 3. de test.* Rota in Mantuana bonorum. 16. Decembris 1611. coram R. P. D. meo Vbaldo. Domini ita arbitrati sunt, &c.

R. P. D. PIROVANO.

Paduana Prioratus. Veneris 5. Decembris 1614.

ARGVMENTVM.

Beneficij collatio, vbi spectat ad Papam vigore alternatiuæ ab Episcopo acceptatæ, non censetur eadem alternatiua resoluta in præiudicium Papæ, siue per abusum, siue ratione absentiæ, & an ab eadem alternatiua recedi possit tacito Papæ consensu, ex quibus inducatur iste tacitus consensus, & an etiam alternatiuæ acceptatio scripturam requirat.

SVMMARIVM.

Beneficij collatio vbi spectat ad Papam, vigore alternatiuæ ab Episcopo acceptatæ, non censetur eadem alternatiua resoluta in præiudicium Papæ, siue per abusum, siue ratione absentiæ ipsius Episcopi. numer. 1. Declara, vt numer.2.

Papæ tacito consensu, ne dum expresso, ab alternatiua recedi potest. num.2. Declara, vt num.3.& 4.

Taciti,& expressi par est virtus, quando vtrumque procedit ex potentia eiusdem causæ. num.2.

Alternatiuæ concessio dicitur quasi contractus, & permutatio mensium. num.2. in fine.

Contractus rescinditur tacito partium consensu. numer. 2. in fine.

Forma substantialis alicuius actus quomodo inducatur num.3.

Alternatiuæ acceptatio requirit scripturam, & quomodo. num.3. Declara, vt num.4.

Scriptura à Statuto requisita in aliquo contractu censetur etiam requisita in eius distractu. nu.3. in fine. Declara, vt num.4.

Scriptura non requiritur in actibus non expressis in glos.in c. 1. in verbo in scriptis. de censib. in 6. & in l. contrahitur. ff.de pignoribus.num.4.

Consensus tacitus ex necessitate, & natura actus elicitus æquipollet expresso. num.5.

Consensus tacitus elicitur ex actibus positiuis. num.7.

Fraus consideratur ex absentia Episcopi à sua Diœcesi sine causa, secus si cum causa. num.10.

Communis error præstat causam validitati actus. nomero 12. & 13. Vbi an hæc conclusio procedat in regulis Cancellariæ.

Ius conferendi beneficia est de pertinentibus a iurisdictionem. num.12.

Clausula decreti irritantis tunc demum ligat ignorantes, quando dispositio, cui adijcitur est certa, & determinata secus si dubia. num.13.

Scientia ad effectum præiudicij debet esse certa, & indubitata. num.14.

Error iuris excusat, quando erratur in articulo iuris dubio, & perplexo. 14.

Constitutio declaratoria alterius constitutionis trahitur solum ad futura non autem ad pendentia, seu præterita. numero 15.

DECISIO DCVIII.

1 Existimarunt Domini, literas Reuerendiss. Archiepiscopi Firmani quo ad reseruationem in mense Septembris non esse iustificatas, & consequenter a resolutis sub die 18. Maij 1611. non esse recedendum. Beneficium enim, de quo agitur, vacauit in mense Septembris, anni 1609. qui est de Ordinarijs secundum regulam octauam, & Reuerendiss. Episcopus Paduanus illud contulit,& super iure conferendi habet fundatam intentionem, cũ reperiatur intra limites eius Diœcesis. *c. omnes Basilicæ. 16. q. 7. c. conquerente. de offic. ordin. c. cum person. vers. & si in priuilegium. de priuileg. in 6. Capic. decis. 189. nume.7. Rota in nou. de concess. præbend. decis. 4.* sæpe fuit resolutum.

2 Ideo visum est Dominis, D.Archiepiscopo prætendenti vigore gratiosæ subrogationis immitti in possessionem dicti beneficii, tanquam de reseruato onus incũbere docendi beneficium prædictum Sedi Apostolicæ esse reseruatum, prout in pluribus causis fuit decisum, signanter in Burgen. de Pancrouo. 14. Octobris, & 19. Nouembris 1588. coram bo. me.Gipsio, in Bononien. Canonic. 29. Martij 1590. coram bonæ mem. Card. pamphilio, & in Miranden. Parochialis. 17. Martij 1601. coram bo. mem. Penia.

3 Nec sufficere videtur, si taliter qualiter doceatur de reseruatione, sed debet esse patens, & clara illius probatio, vt fuit resolutum in Neapolitana Rectoriæ, 15. Februarij 1598. coram bonæ mem. Card. Pãphilio, & in Toletana Cappellæ. 1. Decembris 1606. coram Reuerendissimo Archiepiscopo Damasceno, in qua aliæ decisiones allegantur. Probationes autem, quæ afferuntur per D. Archiepiscopum, non videntur tales, vt dici possit constare de indubitata reseruatione ad effectum prædictum.

4 Nam si deducantur ex alternatiua, quæ probatur per Dominum Episcopum Paduanum acceptata, vt exinde ex mensibus Ordinariorum Martius, & Septembris sint Apostolici, nedum, quamdiu Ordinarij resederint, vt dicitur in regula octaua, sed etiam si à Diœcesi absentes fuerint,& prout abscens reperiebatur D.Episcopus tempore vacationis prędictę,& hic mensis Septembris absente Ordinario à sua Diœcesi non probatur Apostolicus, cum verba regulæ ex decisio-

cisionibus in causa Salamantina Canonicatus. 20. Iunij 1572. coram bonæ mem. Orano, & in Sulmonen. Canonicatus. 3. Martij 1583. coram Cantuccio, aliter declarentur, nempe quod gratia alternatiuæ conceditur Episcopis tamdiu, quamdiu personaliter resident dumtaxat, non autem duret, quando sine fraude absunt ab eorum Diœcesibus.

5 Et hæc interpretatio cum fuerit roborata ab obseruantia vsque ad tempora contrariæ resolutionis factę in causa Sulmonen. alternatiuæ coram Illustriss. Cardin. Lancellotto sub die 14. Maii 1610. exinde dici non potest, quod ex contextu regulę resultet de eo tempore clara, & patens reseruatio mensis Septembris, sed contrarium ex intellectu, quem effectus, & rerum exitus, & obseruantia subsequuta verum esse demonstrauit. *Ias. cons. 128. num. 7. vol. 1. Crauet. cons. 201. num. 10. lib. 2. Menoch. cons. 35. num. 23. lib. 1.* nec est nouum, quod si verba legis vario modo possunt interpretari, quin sensus ille recipiatur, qui longo tempore fuit obseruatus. *l. si de interpretatione ff. de leg. c. cum dilectus. de consuetud. Castr. cons. 347. num. 4. lib. 1. Roman. consil. 271. numer. 4. vers. 3. non est dubium. Crauet. cons. 411. num. 41. Menoch. cons. 341. num. 23.*

6 Et hinc videmus, quod regulæ Cancellariæ, priuilegia Apostolica, facultates legatorum, & similia subiacent obseruantiæ interpretatiuæ, quatenus verba patiantur, etiam si intellectus datus pro obseruantia esset malus, vel de iure non tenendus, vt dicit Rota in terminis regulæ coram Robusterio inter impress. 256. *num. 6. parte 2. diuers. & de priuilegio. Put. decis. 12. & 15. lib. 3.* & de facultatibus legatorum, idem *Put. decis. 1. sub regul. de infirm. in manuscript. & in nouiter impress.*

7 Non obstat, quod obseruantia debeat probari vniformis. *Alex. cons. 5. numer. 7. & 9. lib. 5.* cum alijs allegatis per *Ioseph. Ludouic. sua conclus. 38. versic. ampliatur 3.* & tamen contrarium fuisse obseruatum probari dicatur ex resolutionibus in causis Fauentin. Canonicatus die 16. Decembris 1585. in Vicen. præceptoriæ. 14. Decembris 1592. coram bonæ memoriæ Cardinal. Blanchetto, & in Maioricen. Canonicatus coram Illustrissimo Cardin. Mellino. 15. Nouembris 1595. Quia decisiones illæ, cum sint fundatæ in absurdo, & fraude vitanda, ne ordinarius residendo fruatur mense Februario, & per absentiam redeundo ad menses ordinarios conferat in mense Martii, & sic de alijs, & prout eas sic intellexit Rota in Sulmonen. coram eodem Illustrissimo Cardinali Lancellotto, visum est magis deseruire pro declaratione in casu modicæ absentiæ, in qua & fraus, & absurdum possunt considerari, quam vt ex eis interpretatio longo tempore per Palatium practicata diuersa probetur, quando scilicet agitur de absentia longæua, & ab omni fraude semota, prout in presenti, cum qua concurrunt etiam actus positiui indicantes D. Episcopum Paduanum redijsse ad suos menses de tempore illius absentiæ, vt fuit consideratum in 1. decisione.

8 Si vero principaliter colligatur probatio reseruationis ex decisione Sulmonen. Alternatiuæ, coram Illustrissimo Cardin. Lancellotto die 14 Maii 1610. per quam recessum est ab intellectu interpretato in antiquis decisionibus, & eam dixerunt Domini in suis terminis bene procedere, sed in casu, de quo agitur, non suffragari D. Archiepiscopo. Primo, quia decisio superuenit de mense Maii 1610. vacatio autem huius beneficii, & prouisio contigit ante annum prædictum, & consequenter de tempore, quo Ordinarij, quando sine fraudis suspicione aberant à suis Diœcesibus, erant in quasi possessione redeundi ad menses ordinarios, & in eis bona fide conferre poterant propter intellectum verborum regulæ per decisiones Rotales, & obseruantiam fere per quadraginta annos interpretatum, quo casu collatio sustinetur tanquam pertinens ad Ordinarium in quasi possessione conferendi existentem. *cap. consultationibus, de Iure patron. vbi Abb. num. 9. Cald. cons. 23. de præbend. Tan. decis. 3. Put. decis. 206. lib. 1. Mohed. decis. 8. de priuileg. Simo. de reseruat. q. 70. Seraph. decis. 1334. nu. 7. par. 2.* vbi hoc confirmat etiam ad effectum sustinendi collationem contra reseruationem.

9 Nec obstare visum fuit, quod quasi possessio non sufficiat, nisi concurrat scientia, & patientia superioris. *Ripa in c. cum Ecclesia Sutrina. num. 64. & de caus. possess. & propriet.* cum alijs allegatis, de qua in præsenti dicebatur non constare. Quia fuit dictum, requisitum scientiæ, & patientiæ esse necessarium, vbi constaret de contraria possessione, quia cum tunc agatur non solum de acquirendo, sed priuando alium iure suo, desideratur illius patientia, quæ non procedit sine scientia, secus vero vbi contrarium fuisse obseruatum non probatur, vt in præsenti. Ita declarat *Innoc. in c. bonæ memoriæ. il 2. sub num. 6. versic. pro 1. tamen opinione. de postulat. prælator. & Ripa illum sequitur in d. c. cum Ecclesia Sutrina. nume. 64. vers. 3. declara.*

10 Et nihilominus consensus etiam Superioris videtur concurrere, quia non agitur de abroganda lege vsitata, in qua ad præsumendum consensum Superioris requiritur tempus quadraginta annorum, *c. fin. de consuetud. vbi Abb. & alij.* Sed versamur in sensu legis interpretato, cuius contrarium non apparet receptũ, ideo sufficit obseruantia decem annorum ad præsumendum consensum Superioris, prout in fortioribus terminis tenuit *Felin. in c. 2. num. 13. versic. considera secundo. De Tregua, & pace, & Gabr. consil. 84. num. 60. & sequentib. volumine 2.* & propterea data obseruantia vltra decem annos, & bona fide probata ex resolutionibus Rotalibus, illa potens est ad sustinendam collationem, etiam quod ex post Palatio placuerit nouus intellectus datus in predicta decisione Sulmonen. Alternatiuæ, coram Illustriss. Lancellotto. *Rot. decis. 14. de Iure patronat. in antiq.* quæ vberius fuit comprobata in Papien. Iuris patr. 8. Martij 1613. coram R. P. Dom. Manzanedo.

11 Nec dicatur de ista quasi possessione conferendi D. Episcopi Paduani non constare. Quia vltra quod ex vniuersali Ordinariorum quasi possessione tanquam ex causa vniuersali iuuari potest. *Rot. decis. 17. numer. 2. part. 2. diuers.* & quæ probatur ex eo, quod Palatium ante dictum annum 1610. hoc seruauit, de particulari etiam ipsius possessione apparere videtur ex collationibus ponderatis in prima decisione huius causæ, quæ & si non dentur de mense Septembris in indiuiduo, sufficiunt tamen propter casum vniuersalis iurisdictionis ipsius Episcopi, quæ facit vt magis attendatur causa actus, quam ipse actus. *Bald. in l. 1. num. 24. vers. tu dic. C. de emancip. liber. Socin. cons. 111. num. 4. lib. 1.*

12 Secundo, alia etiam ratione non suffragari dixerunt, quia ante resolutionem, coram Illustriss. Lancellotto, Ordinarij absentes sine fraudis suspicione ab eorum Diœcesibus conferebant in suis mensibus ordinarijs non obstante acceptatione alternatiuæ, quorũ collationes si sensus verborum regulæ interpretatus in antiquis decisionibus verus est, procul dubio sustinendæ sunt, si vero est erroneus, & nihilominus collationes medio tempore factę non sunt annullandæ, propter communem, errorem, qui pręstat causam validitati earum. *l. Barbarius ff. de offic. prætor.* quæ bene procedere visa fuit in terminis iuris conferendi, cum sit de pertinentibus ad iurisdictionem. *c. conquerente. de offic. ord. Lapus allegat. 89. nume. 12. & 13.* & quod procedet in spiritualibus. *Caputaqu. decisio. 356. lib. 1. in manuscript. Put. decis. 370. lib. 2. Paris. de resignat. lib. 7. quæst. 24. num. 44. & Rota idem firmauit in allegata decis. 14. de Iure patronat. in antiq. Cresc. decis. 16. de testam.* Rota in causa Abulen. Parochialis. 15. Iunij 1595. coram Orano. *Mohed. decis. 5. de testam.* vbi sustientur testa-

testamenta contra Constitutionem Iulij II. ex sola ratione l. Barbarius. & per eandem rationem Domini declararunt validam resignationem in causa Conchen. de Valdejudios coram Reuerendissi. Damasceno de mense Iunij 1613. non obstante Constitutione Clement. VII. de consensibus extendendis, quia apparebat diuerso modo practicata.

13 Non obstat, quod dispositio l. Barbarius. sit fundata in errore, qui non admittitur contra regulas Cancellariæ, habentes decretum irritans, per quod ignorantes etiam ligantur, *cap. quoddam. vers. prima enim collatio. de præbend. in 6. latissime Gabriel. de claus. conclus. 3. num. 1.* Quia fuit responsum decretum irritans tunc demum ligare ignorantes, quando certa est, & determinata dispositio, cui adijcitur; secus si dubia, vt fuit resolutum in causa Parmen. Prioratus. 16. Februarij 1598. coram bon. memoriæ Orano, in Cussentin. Cappellæ, 26. Octobris 1601. coram Illustriss. Mellino, & coram me in Leodien. Canonicatus Tongren. 22. Aprilis 1611.

14 Et merito, quia ad effectum præiudicij scientia debet esse certa, & indubitata. *cap. concertationi. de appellat. Surdus consilio 150. in fin.* qualis hæc dici non poterat ante resolutionem coram Illustrissimo Lancellotto, nec obesse videtur, quod agatur de articulo iuris, & non facti, in quo excusatio non admittitur. *cap. cum qui. cum gloss. de præbend. in 6. Vbi Ioann. Monach. numer. 3. versicul. ex præmissis.* quia & si sit articulus iuris, tamen adeo est dubius, & perplexus, vt in hac materia propter antiquas resolutiones videatur æquiparandus errori facti habilis ad quamcumque acquisitionem, *Felin. in c. de quarta. nu. 27.* de præscript.

15 Tertio, visum est non suffragari, quia decisio prædicta Sulmonen. coram Illustris. Lancellotto, noua est declaratio, quæ ad præterita, aut pendentia trahenda non est, propter ius tertij quæsitum, *Rota deci. 343. in fi. part. 1. & decis. 158. num. 5. part. 2. Diuers.* vbi ad rem nostram bene declaratur, quod tunc constitutio declarans trahitur ad præterita, quando superuenit ad decisionem alterius ex opinionibus antiquis, secus vero vt in præsenti, quando ius antiquum vniformiter intelligebatur, quia tunc ad futura tantum accommodatur, & hæc fuit originalis declaratio *glos. in cap. 1. in verb. de cetero, de postul. prælat.* quam ibidem late comprobauit *Franc.* & idem refert, & sequitur *Capra in regula 6. num. 21. & 22.* Atque ita vtraque parte informante fuit resolutum.

R. P. D. VBALDO.

Romana Legitima, seu Melioramentorum. Veneris 5. Decembris 1614.

ARGVMENTVM.

Clausula sine præiudicio legitimæ executionis in rescripto apposita præseruat iurisdictionem iudicis à quo, & executio fieri potest etiam contra tertium, qui acquisiuit lite pendente, maxime si alienatio fuit facta in fraudem executionis inceptæ, vel paratæ.

SVMMARIVM.

Clausula sine præiudicio legitimæ executionis pæseruat iurisdictionem iudicis à quo. nu. 1.

Executio potest fieri contra tertium, qui acquisiuit lite pendente. nu. 1.

Alienatio quando est facta in fraudem paratæ executionis, tunc executio perfici potest in bonis alienatis contra emptorem ipsarum rerum. nu. 2.

DECISIO DCIX.

1 Agebatur pro exequutione rei iudicatæ contra nonnulla loca pia, quæ successerant ex substitutione facta à quon. Francisca Atracina Francisco del Nero filio suo, deducta tamen legitima Francisci, ad quam vocabantur Philippus, & alij consortes, in quorum fauorem sententia, & res iudicata emanauerat, & incœpta executione loca pia obtinuerunt mihi committi causam restitutionis in integrum sine præiudicio legitimæ exequutionis. Interim intentata etiam exequutione aduersus Theophilum tertium possessorem domus, & statuarum, quæ de hæreditate Atracinæ olim fuerunt, ipse etiam obtinuit mihi rescribi cum clausula, si quid exequendum. Vnde dato dubio, An esset locus exequutioni. Domini responderunt quo ad loca pia non esse in Rota tractandum de facienda, vel consummanda exequutione, cum sit commissa causa sine præiudicio legitimæ exequutionis, quæ præseruat iurisdictionem iudici, à quo *Lancell. de attent. post inhib. cap. 20. limit. 13. num. 7. cum alijs per Modern. Collector. clauf. 139. num. 9.* & fuit sæpissime decisum, quo vero ad Theophilum Domini dixerunt esse locum exequutioni quo ad statuas, quia in instrumento emptionis ab eo factæ 29. Augusti 1605. enunciantur, statuas esse muratas in domo, & hæreditarias Franciscæ, & super eis pendere litem inter venditores, & hæredes Francisci, alias del Nero, & propterea fuit conuentum, quod quatenus fuerit iudicatum eas non spectare venditoribus, ipsi non teneantur pro eis aliquid reficere emptori, si vero fuerit iudicatum spectare ad venditores eo casu remaneant liberæ ipsi emptori absque aliqua solutione, tanquam comprehensæ in pretio domus, ex quibus patet Theophilum habuisse scientiam litis, quo ad statuas, & sic non posse quo ad eas impedire exequutionem. *Bart. in l. vlt. num. 1. C. de litig. & in l. creditores. nume. 23. vers. 2. casu C. de pignorib. Menochius consi. 319. nu. 11. Surd. consi. 334. num. 13. lib. 3.*

2 Quibus accedat, quod venditio videbatur facta in fraudem exequutionis non solum paratæ, sed in cęptę, & sic postquam ius exequendi erat in esse deductum. Vnde non videbatur posse retardari vlterior processus in exequutione, *Bart. in d. l. creditores. num. 23. vers. aut habet causam ab eo. C. de pignor. Castr. in l. à Diuo Pio. §. si super rebus. num. 8. ff. de re iud. post Bald. in l. ob maritorum. num. 4. C. ne vxor pro marito. Capic. decis. 128. num. 12. in fin.* Et faciunt deducta per *decis. Pedem. 63. numer. 4. & Surd. qui alias cumulat, consil. 533. num. 4. lib. 4.* Respectu vero domus ab eodem Theophilo emptæ, quia in instrumento nihil dicebatur de lite circa eam, nec ex deductis constabat eum habuisse litis notitiam super domo, fuit reseruatum, vt particulariter videretur.

REVERENDISSIMO P. DOM. COCCINO DECANO.

Theatina Iurisdictionis. de Attissa. Veneris 5. Decembris 1614.

ARGVMENTVM.

De iurisdictione Episcopi in cognitione causarum criminalium, & matrimonialium in fra limites suæ Diœcesis, quando illi obstet immemorabilis quadragenaria, seu priuilegium.

SVMMARIVM.

Causæ matrimoniales, & criminales non decani, Archidiaconi, aut aliorum inferiorum iudicio, sed Episcopi tantum examini, & iurisdictioni relinquuntur, nisi in contrarium adsit immemorabilis præscriptio, nec sufficit quadragenaria. nu.1.

Episcopus habet non solum de iure, sed etiam vigore Concilij Tridentini fundatam intentionem in cognitione causarum criminalium, & matrimonialium infra limites suæ Diœcesis, & donec de contraria immemoriabili discutitur manutenendus est in sua possessione. num.2.

Priuilegium, & possessio quadragenaria cognoscendi causas criminales, & matrimoniales quando præiudicet Episcopo in sua iurisdictione, sola assistentia iuris communis fundata. num.3. & 4.

DECISIO DCX.

1 SAcrum Concil. sess.24. cap.20. in §. ad hoc de reformatione disponit, quod causæ matrimoniales, & criminales non Decani, Archidiaconi, aut aliorum inferiorum iudicio, sed Episcopi tantum examini, & iurisdictioni relinquantur, & cum Congregatio Illustrissimorum Interpretum alias censuerit, quod Concilium non tollit immemorabilem, dubitari contingit in hac causa 17. Decembris 1612. an idem esset dicendum, de quadragenaria cum titulo seu priuilegio, quare Rota censuit hunc articulum tanquam proprium discutiendum in dicta Sacra Congregatione, quæ censuit per Concilium esse sublatam quadragenariam cum titulo, seu priuilegio.

2 Vnde stante hac resolutione dubitaui, an Reuerendissimo Do. Archiepiscopo quo ad causas huiusmodi esset danda manutentio, & Rota censuit affirmatiue respondendum, & sic recessit ab alia decisione facta sub die 12. Decembris 1612. Nam cum locus Attissæ sit intra fines diœces. Theatinæ, vt fuit in hac causa firmatum, R.D. Archiepiscopus habet intentionem fundatam, nedum in iure communi, *vt in cap. omnes Basilicæ 16. q.7.* sed etiam ex dispositione *Concil. Trid. loco citato*, quare si non potest denegari manutentio, vt in eodem *c. cum personæ. de priuileg. in 6.* & in terminis Congregatio Illustrissimorum Interpretum dum voluit, quod donec cognoscitur super immemorabili per tres conformes, Episcopus manuteneatur, quia pro eo stat ratio, mens, & verba Concilij, cuius decretum secuta fuit Rota in causa Marcana iurisdictionis. 16. Maii 1607. coram R.P.D. Manzanedo, & alias sępius, & præsertim in alia Theatina coram me.

3 Neque releuat, quod Reuerendissimus D. Archiepiscopus nitatur sola assistentia iuris communis inferior autem ostendat priuilegium, & possessionē quadragenariam, in qua est manutenendus, vt in dicto *c. cum personæ. vbi Anchar. in secundo notab.* quod est fundamentum alterius decis. quia obiectum procederet in priuilegio, & in possessione quæ non inficeretur per decretum irritans oppositum in Concilio, quod cum sit insertum in corpore iuris inficit titulum, & possessionem. *But. decis. 180. numer. 4. lib.3. Sarnen. in reg. de trien. quæst.31. vers. & est aduertendum*, & dixit Rota in causa Salamantina fructuum. 9. Martii 1587. coram bon. mem. Gipsio.

4 Quantum attinet ad causas ciuiles, placuit DD. quod informaretur super præscriptione, & priuilegio, &c.

REVERENDISSIMO P. DOM.

COCCINO DECANO.

Romana Officij Notariatus Rotæ. Veneris 9. Decembris 1614.

ARGVMENTVM.

Sigillum, & literæ non sunt de forma gratiæ, sed satis est, si probetur factam fuisse.

SVMMARIVM.

Beneficium, vt dicatur vacare per resignationem, requiritur consensus partium, & admissio superioris. num.1.

Gratiæ validitas non dependet à sigillo, vel literis, si probetur aliunde. num.2.

Literæ solum requiruntur ad gratiæ probationem. nu.2.

Testis deponens de credulitate, de auditu, & de iudicio suo non probat. num.3.

Consuetudo contra ius non probatur, nisi testes deponant declara, & euidenti consuetudine quadraginta annorum. num.3.

Non probat hoc esse, quod ab hoc contingit abesse. nu.4.

Rebuffi dictum in reg. de infir. resig. glos.5. declaratur. numero 5.

Facta ad maiorem cautelam nihil operantur ad validitatem, vel inualiditatem. num.6.

DECISIO DCXI.

1 FVit per Dominos resolutum, constare de resignatione, quæ suffragetur non obstante obitu resignantis per paucos dies, quia ad illius substantiam, vt beneficium dicatur vacare per resignationem, requiritur consensus partium, & admissio superioris, vt per *Butr. in c. quidam. num.7. de renuntia. & Put. decisione 523. libro 2.* tradit *Paris. de communi de resign. libro 2. quæst.4. num.41.* de quo consensu partium satis hic constat, prout de admissione superioris ex literis patentibus subscriptis ab Illustrissimo Procamerario, & eius Auditore, & ideo post prædicta officium vacauit per resignationem, & non per obitum resignantis. *Rota decisione 87. numero 4. de rescrip. in antiquis in hoc enim casu intrat regula 20.* quæ non habet locum in officio sæculari vendibili. *Sarnen. in reg. de infirm. quæstio, 22. in princip. & ibidem Rebuff. vers. non tamen. Pet. Gentilis Synt. iuris, part. 2. libro 17. cap.18. ante numer. octauum.*

2 Non obstat, quod in dictis literis non adsit sigillum, quia quidquid ad effectum probationis, tamen ad effectum validitatis, & gratiæ, de qua nunc quæritur, non est necessarium sigillum, sed nec ipsæ literæ, sed sufficit, quod aliunde constet resignationem fuisse admissam. Sarnen. in reg. de non iud. iuxta formam supplicationis, *quæstione 1. numero 2. versic.* & licet quo ad ipsius gratiæ, &c. vbi de communi, *& in reg. de infirm. quæstio. 18. nu.3. Verall. decisione 88. parte 3. Paris. de resignat. lib.1. q.12. nu.28.* & dicunt prædicti Domini, quod literæ requiruntur ad solam probationem.

3 Minus obstant testes, qui deponunt resignationem non fuisse perfectam ante appositionem sigilli, quia nihil probant, cum deponant de credulitate, de iudicio suo, & de auditu. *Bartol. in l. qui testamento. ff. de testamen. cum simil.* sed cum agatur de probanda consuetudine contra ius deberent deponere de consuetudine clara, & euidenti 40. annorum, & vltra, *c. fi. vbi Doct. de consuetudine.*

4 Non obstat fides, in qua habetur, quod soleat dari schedula superuiuētiæ intra quadraginta dies, quia quatenus ista fides probaret non releuat, quia non inde

inde sequitur, quod si dicta schedula non fuerit petita, & data, quod propterea resignationes fuerint declaratæ nullæ ob defectum non datæ prædictæ schedulæ, iuxta notata per *Ripam in respon. 4. nu. 13. vers. 2. C. de diuers. rescr.*

5 Minus releuat *Rebuff. in reg. de infirm. resign. gl. 5. quem refert Castrac. de soc. offic. capit. 40. num. 44.* quod superuiuentia requiritur per quadraginta dies, quia loquitur in Regno Franciæ. Imo *Francisc. Marc. dec. 295. num. 3. par. 1. quem Rebuff. sequitur*, loquitur in casu, quod in literis resignationis apponitur clausula, dummodo resignans non sit infirmus, & quod viuat per 40. dies, quod non est in casu isto.

6 Non obstat denique pactum, & schedula data inter partes, quia fuit facta ad maiorem cautelam, & nihil facit ad validitatem, vel inualiditatem resignationis, &c.

R. P. D. VEROSPIO.

Gerunden. Prioratus de Rocca Rubea. Mercurij 10. Decembris 1614.

ARGVMENTVM.

Erectio Cathedralis Ecclesiæ cum vnione beneficiorum, iustificatione non indiget, quando est facta in Consistorio, & ex causa à Papa narrata, cum clausula de plenitudine potestatis.

SVMMARIVM.

Erectio Cathedralis Ecclesiæ cum vnione beneficiorum facta à Pontifice in Consistorio præuia cognitione non indiget iustificatione. nu. 1. & nu. 7. Vbi declaratur hæc conclusio, & nu. 8. Vbi de eadem materia.

Gratia dicitur facta ex certa scientia, quando Papa asserit de ea fuisse mature discussum. numer. 2. Vbi præsertim stante clausula de plenitudine potestatis.

Gratia non indiget iustificatione, quando illius narratiua non est partis, sed Papæ, nu. 2. & 3.

Papæ voluntas, & factum probationem in contrarium non admittit. nu. 3.

Narratiua Papæ iustificatione non indiget. nu. 3. in fine.

Gratia, quæ iam per plures annos effectum habuit, iustificatione non indiget. nu. 4. Vbi etiam, quid si effectum habuit, in parte tantum, & non in totum.

Schedula erectionis Ecclesiæ tanquam matrix attendenda est. num. 5.

Cathedralis Ecclesiæ erectio fieri nequit sine dote, & sic sine beneficiorum vnione, quæ propterea dicitur accessoria ad erectionem, & ab ea est quid indiuiduum, nec separari potest. nu. 6

Gratia consistorialiter emanata concedi non solet, nisi cum clausula si preces veritate nitantur. nu. 8.

DECISIO DCXII.

1 POst decisionem in ista causa factam coram Illustrimo Lancellotto, & aliam coram me de anno præterito, quod videlicet regula vnionum reuocatoria non obstaret vnioni per Clementem VIII. de Prioratu Rocchæ Rubeæ Capitulo Ecclesiæ Celsonensis in Cathedralem erectæ. Dubitaui an dictum Capitulum teneretur literas erectionis, quo ad vnionem, iustificare, & post duplicem huius dubij propositionem, tandem re bene discussa, Domini negatiuam partem sunt amplexi, cum enim in Consistorio præuia cognitione Summus Pontifex Ecclesiam Celsonen. in Cathedralem erexerit, eique, pro dote nonnulla beneficia, vnierit, non eget hæc erectio iustificatione. *Mandos. ad reg. 22. de vnione quæst. 3. nu[illegible]. & sequentibus. Gozzad. cons. 71. num. 10.* Milis in suo repertorio in verbo scientia certa. *Rebuff. super reg. de vnion. gl. 10. in fine.* & fuit resolutum in causa Sancti Angeli pensionis. 16. Decembris de anno Millesimo quingentesimo nonagesimo quarto, coram bonæ memoriæ Cardinale Pamphilio, & in causa Spoletana bonorum. 4. Maij, de anno Millesimo sexcentesimo nono, coram Reuerendissimo Lugdunen.

2 Tanto magis cum Sanctissimus asseruerit, negatiuam in Congregatione Cardinalium super rebus Consistorialibus, fuisse mature discussam, quo casu gratia facta dicitur ex certa scientia. *Abbas in cap. primo, num. 6. vers. quædam confirmatio, & ibi Decius. num. 47. de confirmat. vtili, vel inutili. Paris. consilio primo, numero quadragesimo secundo, in fin. libro primo.* & fuit resolutum in causa Toletana admissionis. decima septima Iunij de anno Millesimo sexcentesimo nono, coram Reuerendo Patre Domino Pamphilio, stante præsertim clausula de plenitudine potestatis. *Gabriel. conclusione prima, numero octauo, & nono, de claus. Innocent. in capitul. secundo. de confirmat. vtili, vel inutili. Mandos. super dicta regula vigesima secunda. quæstione tertia. numero quarto. ad finem.* Præterea non egent dictæ literæ iustificatione, cum erectionis, & vnionis narratiua non sit partis, sed ipsiusmet Papæ, qui expositis precibus Catholici Regis circa necessitatem erectionis hæc habet.

3 Nos, qui dudum inter alias voluimus, petentes Ecclesiastica beneficia alijs vniri, teneri exprimere verum valorem, alias vnionem non valere, & Commissiones fieri ad partes, vocatis, quorum interest, &cet. præmissis, ac alijs rationabilibus causis, &c. ab Ecclesia Vigellen. Oppidum Celsonen. perpetuo eximimus & liberamus, & dictum Oppidum in Ciuitatem erigimus, & Ecclesiam Beatæ Mariæ in Cathedralem redigimus, in qua Decanatum, & Archidiaconatum, nec non duodecim Canonicatus erigimus, & insuper mensæ Episcopali pro eius dote Abbatiam, &cet. ac Prioratum Sanctæ Mariæ de Rocca Rubea, cuius fructus. 282. Ducatorum secundum communem æstimationem valorem annuum non excedunt, perpetuo applicamus, ex quibus apparet, valorem à Papa solummodo expressum fuisse, ac proinde Capitulum, non teneri dictam narratiuam iustificare per al. decis. 288. numero primo. parte secunda. Rota in Placentina Cappellaniæ. vigesima nona Martij de anno Millesimo quingentesimo nonagesimo sexto. coram Penia. Cum præsertim Sūmus Pontifex non ex narratis tantum fuerit motus ad erectionem, & vnionem Consistorialiter faciendam, sed ex alijs rationabilibus causis animum suum mouentibus, ac in dicta Congregatione examinatis, & cum de facto, & voluntate sua loquatur, nulla potest contra ipsum aemitti probatio. *gl. in Clement. vnic. in verbo, fecisse narramus*, & ibi Sribentes de probat. *Paris. cons. 5. nu. 127. lib. 4. Mohed. dec. 24. nu. 3. de præbendis.* Et quod Papæ narratiua, per verba censemus, & arbitrantes non sit iustificanda fuit resolutum in causa Hispalen. præeminentiarum. 4. Iunij 1612. & 17. Iunij 1613. coram Reuer. P. D. meo Pamphilio.

4 Hæc autem tanto magis procedunt, quia dictæ Cathedralis erectio iam per annos 20. habuit effectum. Vnde cogi non debet capitulum ad illius iustificationem. *Abbas in capitu. licet Hely. in fine. de simon. Frideric. de Sen. cons. 103. in principio, & prope finem. Rota diuers. decisione 36. sub num. 10. & sequent. parte secunda, & facit in simili Geminianus in cap. primo, numero 10. & Franc. sub numero sexto, de concess. præbend. in sexto. Rota decisione 312. parte prima diuers.* Et licet respectu nonnullorum beneficiorum, & in specie quo ad istum Prioratum, vnio totaliter sortita non fuerit effectum

pro eius tamen effectuatione sufficit, illam in aliqua sui parte fuisse executioni demandatam. *Achill. decis. vnic. super reg. reuoc.* & fuit dictum in causa Perusina vnionis 1. Aprilis 1596. coram Illustrissimo Cardinali Blanchetto, & in alijs sæpius.

5 Si enim erectionis literæ, quo ad vnionem, essent iustificandæ fieret ipsa erectio euentualis, & in suspenso remaneret, cum de facili posset corruere, si verus beneficij valor expressus non fuisset, quod est contra mentem Summi Pontificis, qui voluit, istius Cathedralis erectionem perpetuo subsistere, cum ad illam deliberate, & præuio maturo examine, deuenerit. Accedit in schedula Consistoriali huius erectionis derogari regulæ de valore, quæ schedula tanquam matrix est attendenda. *Mandos. de non iudican. iuxta formam supplicationis. q. 15. ad finem Butr. consil. 2. numero tertio.*

6 Non obstat in literis erectionis duo contineri, ipsam videlicet erectionem in Cathedralem, & beneficiorum vnionem pro illius dote, & sic dicta de non iustificatione intelligenda solum esse de erectione, quæ tantum fuit Cardinalibus commissæ. Nam responsum fuit, vnionem esse ad erectionem accessoriã, & vti partem illius integralem, cum sine dote Cathedralis esse nequeat. *Sarn. in reg. de annal. q. 47. colum. 2. & 3.* & fuit dictum coram Illustrissimo Lancollotto, & coram me. Vnde patet, vnionis cognitionem, tanquam quid indiuiduum, ab erectione separari non potuisse, & consequenter, illam pariter fuisse Cardinalibus commissam, *l. si chorus, de leg. 3. Baldus in cap. 1. num. 1. de Capitaneo qui Cur. vend. l. appellatione rei. 72.* Vbi Rebuff. de verborum sign. Quod comprobatur ex beneficiorum distributione facta in ipsa erectione, cum alia fuerint assignata mensę Episcopali, quędam Capitulari, nonnulla fabricæ, & sacristię, quod fieri non potuisset, nisi fuisset vnio commissa dictæ Congregationi, quæ veram cognitionem valoris istorum beneficiorum habuisset, alias inanis esset distributio.

7 Non obstat decisio in causa Neritonen. pensionis coram Litta decimaquinta Decembris 1601. Vbi non obstante prouisione Episcopatus Consistorialiter facta, probari debuit illius valor pro validitate pensionis. Nam licet pensio fuisset consistorialiter reseruata, cum tamen apposita fuisset clausula dummodo pro Episcopo mille remanerent, apparet, Summum Pontificem non habuisse sufficientem causæ cognitionem, vt in casu nostro, in quo negotium fuit plenissime discussum in Congregatione Cardinalium. Ad decisionem Portugallen. dismembrationis coram Iusto, fuit responsum ibi, gratiam fuisse commissariã, & conditionalem, nimirum, cum clausula, si ita est. Hic autem vnionem esse puram, & gratiosam.

8 Non obstat Papam derogasse regulæ 22. de vnione, quasi per hoc ista vnio in Consistorio facta censeatur sub dicta regula comprehendi, ne frustratoria fuisset derogatio. Hæc enim facta fuisse ex abundanti, prout Papa facere consueuit, quãdo concedit aliquid præuia causæ cognitione, vt per Sarnens. in regul. de infirm. quæstione 14. in principio. Non obstat *lex. fin. vbi gl. & Bald. C. de diuers. rescript.* vbi dicitur, gratias Consistorialiter emanatas concedi non solere, nisi cum clausula, si preces veritate nitantur. Vltra quod enim dicta lex non loquitur de gratia facta de plenitudine potestatis, vt hic modo non agitur, an dari possit de subreptione, vel obreptione, vel causæ falsitate, ex quo nec infertur onus iustificandi gratiam, ad impetrantem spectare, *Rota dec. 36. nu. decimoquarto part. 2. diuers.*

R. P. D. ANDREA.

Mediolanen. Decimarum. Mercurii 10. Decembris 1614.

ARGVMENTVM.

In antiquis Notarium quem esse eum, qui se de instrumento rogauit præsumitur, accedente præsertim legalitate Ordinarij.

SVMMARIVM.

Instrumentum dicitur in forma probanti etiam quando non constet, quod qui illum rogauit, esset Notarius, & etiam quod Notarij manus non recognoscatur, quando est antiquum vltra centum annos confectum, nu. 3.

Literæ legalitatis probant scripturam esse factam manu Notarij. nu. 4.

DECISIO DCXIII.

1 Domini steterunt in decisis sub die quarta Iulij proxime præteriti scilicet iura, & instrumenta esse in forma probanti ex deductis, in decisione contra quæ duo solum opponebantur, primum, quod testes, de quibus in secundo instrumento, non erant rite examinati cum partis citatione, & aliis de iure requisitis, sed tantum per Notarium ad perpetuam rei memoriam, absque mandato iudicis, & ideo non faciebant aliquam fidem ex allegatis. Alterum quod tertium instrumentum non fuerat repertum in aliquo Archiuo, nec constabat de alijs instrumẽtis rogatis per eundẽ Notarium, neq; de fama Notariatus, ac propterea nulla fides ei danda videbatur.

2 Ad primum placuit responsio, quod hodie non disputatur de validitate examinis, scilicet an processus sit valide fabricatus, sed tantum de solennitate circa extractionem, & publicationem, quæ non controuertitur solennis, & aliud est, iura esse bene extracta seu in forma probanti, quod firmat decisio, aliud vero, quod probet, de quo hic non agitur, & quatenus pars hoc opponat, & audiri prætendat ei seruatur dicta exceptio suo loco deducenda.

3 Ad secundum placuit similiter responsio, difficultatem cessare ex antiquitate vltra centum annos, qua stante, non requiritur aliqua probatio Notariatus, nec recognitio manus, sed sufficit, quod scriptura habeat faciem publici instrumenti, vt fuit resolutum in causa nullius beneficij della Monda. 1. Decembris 1578. coram Rubeo, quam Rota fuit sequuta in Ferrarien. bonorum, seu Palatij. tertia Iulij 1602. coram Illustrissimo Mellino, & in Farfen. Territorii, vigesima Martii 1607. coram bonæ memoriæ Penia, & tradit *Put. dec. 151. libr. 1. Rota dec. 52. duplicata in decis. 54. part. 1. diuers.*

4 Vltra, quod ad sunt literæ testimoniales ordinari, quæ vulgo dicuntur legalitatis, & sufficiunt pro fide Notariatus *ex Bald. in leg. comparationes, numer. 25. Cod. de fide instrumentorum, Felin. in capit. 1. numero 18. ad finem, versic. & adde extra eodem titul. Boer. decisione 154. numer. 4. Aufrer. ad Cappell. Tholosan. decision. 131. numer. 4.* & fuit dictum in Farfen. Territorii 12. Iunii 1606. coram eodem bonæ memoriæ Penia. Quibus stantibus non visum fuit necessarium, quod instrumentum fuerit repertum in aliquo Archiuio. Et ita conclusum esse permanendum in decisis, &c.

R E-

REVERENDISSIMO P. DOM. COCCINO DECANO.

Plocen. Canonicatus. Lunæ 15. Decembris. 1614.

ARGVMENTVM.

Regula Cancellariæ reseruans beneficia vacantia post translationem Episcopi vsque ad prouisionem successoris, & adeptam ab eodem pacificam possessionem, an reseruet beneficia prædicta, quando quis ab immemorabili est in quasi possessione illa conferendi, & an regula prædicta deroget immemorabili.

SVMMARIVM.

Immemorabilis habet vim priuilegij, & ex ea potest allegari melior titulus de mundo. nu.1.

Immemorabilis eget particulari derogatione. nu. 1.

Immemorabili quando Papa in regulis Cancellariæ voluit derogare, id expressit. nu. 1. Contrarium vero nu. 4. quod scilicet ex derogatione apposita in vna regula non possit inferri, quod in alia noluerit derogare.

Dictio quomodolibet intelligitur non solum de iure communi, sed etiam de iure speciali consuetudine, præscriptione, aut priuilegio Apostolico. nu.2.

Immemorabilis, & priuilegium Apostolicum pari passu ambulant. nu.2.

Regula reseruans beneficia vacantia post translationem Episcopi vsque ad prouisionem successoris, & adeptam ab eodem pacificam possessionem, habet locum etiam si ex immemorabili collatio talium beneficiorum ad aliquem spectaret. nu.2.

Derogatio non requiritur, vbi Papa disponit ex certa scientia in præiudicium Tertij. nu.3.

Priuilegium exemptionis decimarum valet etiam, quod in eo non sit facta mentio, quod decimæ de iure communi, vel speciali ad aliam pertineant. nu.3.

DECISIO DCXIV.

1 Regula Sanctiss. Domini Nostri inter alia reseruat beneficia, quæ vacant post translationem Episcopi, vsque ad prouisionem successoris, & adeptam ab eodem pacificam possessionem. Petebatur Remissoria ad probandum, quod ab immemorabili tempore in Regno Poloniæ Episcopi translati conferunt vsque quo capiunt possessionem secundi Episcopatus, & Domini aliquibus tamen contradicentib. censuerunt, Remissoriam esse dandam, quia cum immemorabilis habeat vim Priuilegij, & ex ea posset allegari melior titulus de Mundo. *Gabriel de præscript. conclus. prima, num. 44. Put. decis. centesima nonagesima nona, libro primo. in nouis*, ex ista probatione sequitur releuantia remissoriæ, quia collatio Episcopi existen. ratione dignitatis in ista quasi possessione immemorabili sustinetur, quia regula secunda non tollit immemorabilem, quæ eget particulari derogatione. *Felin. in rubrica de præscript. num. 18. Roland. consil. 59. numer. 17. lib. 4. Gabriel. de clausi. concl. 3. num. 42.* Hinc quando Papa voluit derogare immemorabili, id expressit, *vt in reg. 8. vt not. Moder. gl. 35. nu. 24.*

2 Quia tamen aliqui ex Dominis tenuerunt contrariam sententiam, vt dictum est, statui iterum consulere sacrum Tribunal. Nam eorum fundamenta valde vrgebant. Mouebantur enim ex eo, quod regula secunda vtitur his verbis, quomodolibet pertinentia, de quorum natura est, non solum comprehendere collationem, quæ spectat de iure communi, sed etiam de iure speciali, aut ex præscriptione, consuetudine, vel Priuilegio Apostolico, per ea quæ tradidit *Moder. gl. regul. 8. gl. 29. per totam.* Et propterea cum immemorabilis, & priuilegium Apostolicum pari passu ambulent. *Felin. in cap. accedentes. num. 6. de præscript.* Et merito, quia vt dictum est, habens pro se immemorabilem potest allegare, meliorem titulum de Mundo. Ideo satis fuit, quod Regula reseruet beneficia quomodolibet pertinentia, ita vt dicendum sit illa voluisse reseruare, etiam si ex immemorali ad collationem alicuius spectarent, cum verba illa importent, etiam si spectarent ex priuilegio Apostolico, quod pari passu ambulat cum immemorabili.

3 Vlterius considerabatur, quod prædicta reseruatio fuit facta ex certa scientia. Sciebat enim Summus Pontifex, quod collatio istorum beneficiorum, vel de iure communi, vel speciali ad aliquem spectabat, vt in simili fuit consideratum in causa Valentina decimarum de Cotalua. decima Decembris 1601. coram bonæ memoriæ Litta. Et propterea sufficit simplex reseruatio absque aliqua derogatione. *Alexander in cons. 111. num. 19. volum. 6.* Vbi quod si Papa rescribit ad præiudicium Tertij, etiam quod rescribat in casu, quo lex specialiter deroget rescripto, si tamen apparet scientia rescribentis, illa sufficit absque clausula non obstante, & numero vigesimo dicit, quod ita seruat Curia Romana. Idque repetit *Aymon. in cons. 126. num. 5. Castrens. consil. 102. num. 3. vers. 3. videndum est. lib. 2. Ioannes de Anan. consil. 56. num. 3.* Vbi quod ista est communis opinio, *& cons. 81. num. 4. vers. præterea.* Et fere in terminis fuit resolutum in dicta causa Valentina Decimarum. Vbi quod sustinebatur priuilegium concessum, de non soluendis decimis, etiam quod non fuerit facta mentio, quod de iure speciali spectabant ad Archiepiscopum, & Capitulum, quia cum ageretur de decimis Antiquis, Papa scit ad aliquos spectare, siue de iure communi, siue ex priuilegio, donatione, aut præscriptione, & fuit allegata inter alios Doctores, *decisio Cassad. prima, de priuilegijs.*

4 Non obstat, quod quando Papa voluit derogare immemorabili, hoc fecit, vt in Regula octaua, quia illa derogatio est quo ad consuetudines optandi, quæ derogatio erat notissima, cum non ageretur de collatione, super qua Papa principaliter disponit, sed de optione, & sic de tollendo iure tertij, quod aliunde procedebat quam ex collatione. In reliquis autem pertinentibus ad collationem non fuit opus derogare immemorabili propter verba illa quomodolibet pertinentia, ex rationibus supra deductis, & propterea quicquid dicat Modern. glossat. quatenus fuisset derogatum, hoc fuit ex abundanti. Vnde ista derogatio quo ad reliquas regulas non debet afferre aliquam interpretationem, quia abundans cautela, *l. testam. C. de testamentis, &c.*

REVER. P. DOMINO PIROVANO.

Romana Vineæ. Veneris 12. Decembris. 1614.

ARGVMENTVM.

Dominium rei emptæ pro persona nominanda nominatione facta transit in nominatum, & possessio nominati præsumitur procedere ex præcedenti nominatione, & plura alia, de quibus in Summario.

SVMMARIVM.

Emptione facta pro persona nominanda, & nominatione sequuta dominium rei emptæ transit in nominatum, ita vt contra eum possit exequutiue agi, perinde ac contra nominantem. num.1.

Ratificatio respicit præterita, non autem futura. nu.2.

Actus præsumitur factus vigore tituli præcedentis. numero 3.

Testis vnicus non probat. nu.4.

Possessio probatur ex perceptione fructuum. num. 4.

Plus valet, quod vere agitur, quam quod mente concipitur. num.5.

Approbare dicitur contractum, qui agit ad illius rescissionem ex capite inobseruantiæ. num.6.

Emptor conuentus ad solutionem pretij potest opponere exceptionem defectus mensuræ. num.7.

Impedimentum allegans debet probare se fuisse actum facturum, nisi fuisset impeditus. num.8.

Molestiæ de facto illatæ non veniunt sub promissione liberationis à molestijs. num.8.

Obligatus facere consentire omnes interesse habentes intelligitur in euentum molestiarum. num.9.

DECISIO DCXV.

RESolutum fuit, standum esse in decisis die 1.Iulij, 1611. coram Reuerendissimo Lugdunen. vbi fuit firmatum mandatum Reuerendi Patris Domini Cellesij esse iustum, non obstantibus exceptionibus de excessu, & defectu mensuræ, non adimplementi, & carentiæ actionis executiue agendi, quas omnes, & hodie non obstare Domini dixerunt, quicquid ex aduerso fuerit ponderatum.

1 Nam certum est emptionem vineæ factam fuisse ab Aloysio Bardella pro se, & persona nominanda, & nominatione legitime facta, & per nominatum acceptata transire in nominatum rei emptæ dominium. *Ancharan. consil. 127. Surdus decisi.226. num.1. & decisio. 325. nu.4.* ideo cum instrumentum venditionis vineæ celebratum fuerit die 27.Septembris, de anno Millesimo sexcentesimo. & nominatio de persona Michaelis Angeli facta fuerit die 31.Augusti, de anno Millesimo sexcentesimo primo. & hodie nominatus actum nominationis acceptauerit intrando vineæ possessionē, fructus percipiendo, Canones, & Laudemia soluendo, sequitur, quod ex translatione dominij actiones pariter actiuæ, & passiuæ transierint, & sicuti contra principalem emptorem executiue poterat agi, ita, & contra nominatum, cum non differat à persona nominante, vt bene fuit firmatum in decisione huius causæ auctoritate. *Mohedan. decisione vltima. de procur.* & ex deductis per *Rotam Ianuen. decis.127. num.8.*

2 Nec prædictis videbatur obstare, quod de ratificatione expressa pro parte nominati non constet, & tacita non probetur, nam si expressa deducitur ex apocha dicebatur, illam præcedere instrumentum venditionis, quod esse videtur contra naturam ratificationis, quæ respicit præterita, non autem futura. Si autem tacita colligatur ex actibus positiuis supra ponderatis, illa pariter remanet æquiuoca, & per consequens irreleuans cum potuerint illi actus contingere etiam vigore prædictæ obligationis chirographariæ.

3 Fuit enim responsum, sufficienter constare de tacita ratificatione, quia possessio, fructuum perceptio, Canonum solutio, & fructuum census prestatio bene conueniunt pactis, & conuentionibus in instrumento inter Aloysium, & Hieronymum registratis, ita vt quando non constet quo iure actus prædicti sint facti, semper recurritur ad præcedentem titulum, a quo lex præsumit actum emanasse, prout de possessione est text. in l.2. C. de acquirend. possess. gloss. fin. in l. quædam mulier. ff. de rei vendicat. Corset. in notab. in verbo possessio, & alios refert Becc. consi.6. num.6. lib.1. Menochius consil.314. num.10. & de solutione tradunt. Dec. consil.618. num.2. Mandos. consil.9. num.13. Cephal. consil.351. nu.24. etiam si summæ non conueniant. *Castr.405. p.1. num.1. Ruinus consil. 61. num.9. lib.1. Crauet. consi.158. num.13.*

4 Nec dicatur, quod possessio vineæ probetur apprehensa ante diem celebrati instrumenti, ita vt præsumptio legis deseruire non videatur, cum deducat suam interpretationem ab actu præcedenti, non autem subsequenti. Quia in facto non iustificatur, quod præcesserit instrumentum, nam vnicus tantum testis hoc deponit, qui dicto nullius æquiparatur. *capit. licet. il 1. de testibus. Gabriel. conclusione 1. eodem titul.* Et cum dicat audiuisse à Michaele Angelo, quod ipse emerit vineam, & dum ad eandem simul cum eo perueniret, vidit operarios in vinea, qui fuerunt satisfacti de eorum mercede ab eodem Michaele Angelo, non propterea actus ille soluendi videtur concludere possessionem, sed actus percipiendi. *Socin. sen. consil.13. nu. 14. lib.4. Cæs. de Graff. de caus. poss. & propr. decis.10. num.3.*

5 Similiter non obstat, quod Laudemium fuerit solutum à Michaele Angelo tanquam à tertio, quia & si quo ad Canonicos Sanctæ Mariæ in Transtyberi dominos directos videatur tertius, tamen inter Aloysium, & Michaelem Angelum aliter videtur dicendum, cum de proprijs pecunijs soluerit absque protestatione se releuandi contra Aloysium satis patet propriam obligationem adimpleuisse toto titulo plus valet, quod agitur, &c.

6 Demum non obstat, quod in omnem casum negari non possit, quin constet de conuentione per apocham, & de iure quæsito per nominationem ex instrumento, quæ inter se non concordant, ita vt Hieronymus non possit ratificationem probare, cum actus possint referri ad vtramque scripturam. Quia huiusmodi æquiuocatio bene tollitur, dum in instrumento diei vigesimæ septimæ Septembris partes ipsæ dixerunt, se denuo vendere cum pactis infrascriptis. Vnde cum venditio per apocham diei vigesimæ secundæ Septembris remaneat sine effectu, tollitur etiam apocha relata ad eandem venditionem, & ex solo instrumento subsequentis venditionis agendum est, in cuius exequutionem actus subsequentes sustinentur. Præterea actus prædicti magis etiam ab æquiuocatione liberantur ex eo, quod Michael Angelus egerit præcise vigore dicti instrumenti ad rescissionem huius contractus contra Hieronymum ob inobseruantiam pactorum, & non implementi, quod citra approbationem, & seu recognitionem instrumentariæ obligationis, ab eo fieri non poterat. *Bald. consil.34. num.1. vol.2. Ale. consi. 117. nume 2. versic. sed ita est lib.5. Menoch. consil.23. num.1. Surd. consi.351. num.39. & 40. lib.3.* inferentes etiam ad alias notabiles quæstiones, quę presenti multum conueniunt, & cū Michael Angelus nō steterit super exceptione generali non adimplementi, sed deduxerit ad species, nempe pro Canneto, & consensu vxoris habendo, satis etiam patet, quod ad instrumentum, in quo hæc specificantur, non autem ad apocham sint referenda, in qua nulla habetur mentio, ex quibus sufficienter etiam tollitur alia exceptio respectu excessus pretii ad mensuram, cum hodie instrumentum sustineatur.

7 Ad oppositionem veritatis, & validitatis mensurę responsiones datæ in decisione placuerunt Dominis, & in omnem casum videbatur ijsdem de facili posse iustificari, & emptori conuento ad solutionem pretij competere semper exceptionem deficientis mensurę, quatenus illam probare voluerit. *Surd. decis.64. nu.35.* referens sic iudicasse Senatum Mantuanum.

8 Postremo respectu oppositionis non implementi, & cam-

& eam cessare fuit dictum. Nam quo ad accessum ad Cannetum, neque molestie probantur ex testibus, Michaelis Angeli saltem per verum, solitum accessum, prout necessarium est, ad effectum petendi liberationē & impedimenti remotionem, *l. qui commeatus, vbi Bart. ff. de re milit. Crauett. consil. 151. num. 22. Surd. consil. 437. numer. 36. libr. 3.* & quatenus probarentur, illæ non sufficiunt de facto oppositæ, sed requiritur ius in opponente, quod tamen considerari non poterat, stante sententia lata per Magistros Iustitiarios in possessorio fauore Hieronymi, quæ præcessit decretum executiuum, & postmodum per Capitaneum appellationis fuit confirmata per viam manutentionis.

9 Quo vero ad consensum interesse habentium, & in specie Fuluiæ Hieronymi vxoris, Domini intellexerunt obligationem procedere in euentum molestiarum, prout etiam fuit dictum in prima decisione, & probarunt *Crauett. consil. 682. nu. 2. & 3. lib. 4. Surd. cons. 381. num. 18. libr. 2.* & de quibus in præsenti constare non videtur, & ex abundanti dati fuerunt iterati consensus dictæ Fuluiæ per instrumenta diei 25. Iulij 1605. & 23. Aprilis 1606.

R. P. D. VBALDO.

Oscen. Iurisdictionis, Veneris 12. Decembris 1614.

ARGVMENTVM.

Conseruatores an habeant iurisdictionem iudicialem, & ex quibus illis talis iurisdictio concessa censeatur, & an Conc. Trid. sess. 24. c. 20. tollat conseruatorias regularium.

SVMMARIVM.

Conseruatores iurisdictionem non habent, nisi pro manifestis iniurijs, & molestijs illatis ijs, quibus dati sunt conseruatores, nec possunt exercere iudicialem indaginem numer. 1.

Fallit in ijs conseruatoribus, in quibus retento eodem conseruatorum nomine maior à Pontifice fuit potestas attributa, vt quia iudices à Papa appellantur, vel habent facultatem in priuilegio expressam cognoscendi de iniuriis & aliis causis, etiam si requirant iudicialem indaginem, nu. 2. & nu. 3. Vbi quod de stylo Curiæ conseruatoriæ in in hac forma conceduntur.

Literarum Apostolicarum forma seruanda est, nu. 2.

Conseruatoribus per quæ verba censeatur concessa iurisdictio iudicialis, num. 3.

Clausula contradictores &c. importat, vt censeatur concessa iurisdictio iudicialis, nu. 4.

Conseruatoriæ regularium non sunt sublatæ per Conc. Trid. sess. 24. c. 20. nu. 5.

DECISIO DCXVI.

1 FVit dictum Iudices conseruatores Monasterij S. Ioannes de Pinna Oscen. Diœcesis habere Iurisdictionem iudicialem in causis ad dictum Monasterium, & eius Abbatem & Monachos spectantibus, licet enim regulariter conseruatores iurisdictionem non habeant, nisi pro manifestis iniurijs, & molestijs in eos illatis, quibus dati sunt conseruatores, nec possint exercere iudicialem indaginem, *iuxta text. in c. 1. & c. fin. §. vt autem, de offic. deleg. in 6.*

2 Tamen id procedit in nudis conseruatoribus, secus autem in ijs, quibus retento eodem conseruatorum nomine, maior à Summo Pontifice potestas attributa est, vt quia Iudices à Papa appellantur, vel habeant facultatem in priuilegio expressam cognoscendi de iniuriis, & aliis causis, etiam si requirant iudicialem indaginem, ita vt tota vis stet in literis Apostolicis, quarum forma seruanda est, *cap. cum dilecta, de rescr. l. diligenter, ff. mand.* & tradit in nostris terminis, *Ioan. in d. cap. 1. sub num. 6. vers. in gloss. fin. de offic. deleg. in 6. Et idem in addit. ad Specul. in tit. de iudic. deleg. §. fin. sub num. 24. in verbo, Conseruatoribus, Host. & post eum Gemin. in d. c. 1. sub numer. 13. versic. vel secundum, Guid. Papæ decis. 18. numer. 3. Franc. Marc. decis. Delphin. 349. num. 5. lib. 1. plene Corn. cons. 15. per tot. lib. 3.* Et formam huiusmodi conseruatoriæ satis similem præsenti, de agitur, ponit *Prob. ad Io. Monac. in d. c. 1. n. 3. de offic. deleg. in 6.*

3 Quod autem in casu, de quo agitur, conseruatores prædicti Monasterii habeant iurisdictionem iudicialem facile deprehenditur, ex lectura amplissimi priuilegi felic. recor. Eugenii IV. sub Dat. Romæ septimo Idus Maii 1444. Nam ibi in primis in versic. discretioni vestræ non simpliciter appellantur conseruatores, sed conseruatores iudices, vt considerat in puncto *Corn. d. cons. 15. num. 6. libr. 3.* Præterea illis datur amplissima facultas non solum defendendi Monasterium à quibuscumque molestiis, grauaminibus, & iniuriis ei illatis, vel inferendis sed cū fuerint ab Abbate, & Conuentu, vel eorum procuratoribus requisiti, personis quibuslibet super restitutione Castrorum, Vilarum, Terrarum, & aliorum locorum, iurisdictionum, iurium, & bonorum ad Monasterium spectantium iustitiam administrent, cum clausula in illis videlicet. Quæ iudicialem requirunt indaginem, per quæ verba iudicialis iurisdictio censetur concessa, *d. cap. 1. & fin à contrario seu de offic. deleg. in 6.* adeo vt propter hanc formam, quæ venit in stylum Curiæ parum inseruiat dispositio, illorum iurium, vt tradit *Ioan. Andr. in dict. cap. fin. sub numer. 3. & ibi Dominic. in §. conseruatores sub num. 4. versic. An. indistincte. Nauar. in Manual. c. 27. num. 125. versic. neque conseruator.*

4 Accedit alia clausula cōtradictores quoslibet, & rebeles per censuram Ecclesiasticam compescendo, per quam dicitur concessa facultas iudicialiter procedēdi, *Ioan. Andr. in d. cap. 1. nu. 9. versic. si ergo, & ibi Host. num. 14. & Dominic. num. 13. de offic. deleg. in 6.* & rursus adest derogatio expressa Constitutionis, Bonifacii VIII. qua disponitur, quod conseruatores de aliis, quam de manifestis iniuriis, & violentiis, ac aliis quæ iudicialem requirunt indaginem, pœnis in eos, qui secus agerent, & in id procurantes, se nullatenus intromittant, quæ sunt expresse disposita *in d. c. 1. & cap. fin. de offi. deleg. in 6.*

Nec visum est obstare Concilium Tridentinum sess. 7. cap. 14. & sess. 14. cap. 5. de reformat. Quia in dict. sess. 7. cap. 14. loquitur de regularibus extra Monasterium degentibus, & in causis mercedum, & miserabilium personarum, sess. autem 14. capite 5. expresse reseruat regularia loca in vniuersitates. Immo quod tales conseruatoriæ Regularium non sint sublate per Sacrum Concilium sess. 24. cap. 20. de Reform. censuit Sacra Congregatio Concilii interpretum in vna Mediolanen. etiam quod causæ graues sint, & plenariam cognitionem requirant. Et ita fuit decisum, Abbate cum monasterio solum informante.

R. P. D. MANZANEDO.

Elboren. Iuris Conferendi. Lunæ 15. Decembrie 1614.

ARGVMENTVM.

Sententia nulla defectu citationis valet de consuetudine in Regnis Castellæ, & Lusitaniæ, quando partibus præsentibus fuit conclusum in causa, sententiaque nulla sustinetur, si parte non opponente fuit à iudice confirmata, & sententia confirmatoria transitum fecerit in iudicatum.

SVMMARIVM.

Sententia nulla defectu citationis sustinetur, si parte non opponente fuerit confirmata. num.1. Declara, dummodo sententia confirmatoria transierit in rem iudicatam, alias secus. num.2.

Nullitatis causa non dicitur deserta, nisi per lapsum 30. annorum. nu.3.

Sententia sine citatione non est nulla in Regno Castellæ, quando partibus præsentibus fuit conclusum in causa. numer.4. vbi idem in Regnis Lusitaniæ.

Conclusio in causa quando censeatur circumducta per decretum iudicis de tradendo copiam scripturarum parti. num.5.

DECISIO DCXVII.

1 Coram bon.mem. Corduba 8. Februarij 1599. fuit resolutum in hac causa, quod quamuis prima sententia ad fauorem Religionis de Auis appareret nulla ex defectu citationis, tamen quia postea parte non opponente de dicta nullitate, fuerat dicta prima sententia per secundam confirmata, veniebat excusanda dicta nullitas. *Rot. decis. 7. de sent. & re iudica. in antiq. Achil. decis. 4. num. 1. eodem tit. Lancell. cap. 19. de purgat. attent. num. 67. cum seq.*

2 Cui excusationi pars D. Archiepiscopi non acquieuit. Vnde coram me suffecto in locum bon. memo. Cordubæ 24. Ianuarii præsentis anni fuit resolutum, prædictam doctrinam non sustineri, nisi quando secunda sententia confirmans primam transiuerit in iudicatum, iuxta communem, de qua per *Gabriel. consil. 49. num. 1. & 2. lib. 1. cum alijs in d. decis. adductis.*

3 Et docebatur, quod secunda sententia non fecisset transitum in iudicatum ex eo potissime, quod quamuis ab ipsa fuisset appellatum, & transissent tẽpora legitima ad prosequendum appellationem, nihilominus, cum æque principaliter causa appellationis & nullitatis fuisset commissa per desertionem causæ appellationis, non remanet deserta causa nullitatis, quæ durat per 30. annos. *Achil. decis. 15. de rescrip. Coua. pract. cap. 24.* infra cum aliis in dicta decisione adductis.

4 Veruntamen, quia pars Religionis pro euitando huiusmodi fundamento recurrit ad excusandum primam sententiam à dicta nullitate citationis, & super isto articulo hodie causam reproposui, & Domini censuerunt supradictam primam sententiam non laborare prædicta nullitate, & sic recedendum esse à decisis ex eo potissimo fundamento, quia demonstratum fuit ex actis constare de conclusione, ex quo Iudex 30. Ianuarij 1582. instante Religione pro causæ determinatione diffinitiuè postquam super hoc fuit altercatum ab vtraque parte iudex mandauit processum sibi afferri conclusum, ad effectum pronunciandi in casu id, quod sibi iustitia videretur, & Notãrius causæ scripsit, & notauit in hunc modum nempe conclusum. Ex quibus apparuit de conclusione facta in causa per iudicem partibus præsentibus, & certum est, conclusionem in illis partibus vim habere citationis ad sententiam, prout de Regnis Castellæ sæpius firmauit Rota vt in illa Seguntina Præcedentiæ 1. Iulii 1605. coram me, & in alijs pluribus, & in Regnis Lusitaniæ eundem stylum inolere fuit dictum in vna Vlixbonen. Prioratus 22. Octobris 1601. coram bon. mem. Cardinali Seraphino, quæ est inter impressas decisio. 1405. & in alia Vlixbonen. Prædii 24. Ianuarii 1603. coram Reuerendissimo Attrebaten. & in alia etiam Vlixbonen. Beneficij de Azambusa 6. Iunii præsentis anni coram Domino meo Pamphilio.

5 Nec obstare visum fuit, quod ista conclusio censeretur circumducta ex mandato subsequuto iudicis de tradendo copiam scripturarum Religionis Procuratori Archiepiscopi. Quia dictæ scripturæ non fuerunt de nouo productæ, sed illarum copia fuit commissa tantummodo ad effectum informandi, in facto, & in Iure, prout fuit factum, quod non videtur operari circumdictionem dictæ conclusionis, tanquam quid extraiudiciale. Et ita resolutum &c.

R. P. D. PIROVANO.

Toletana, seu Almerien. Decimarum Lunæ 15. Decembris 1614.

ARGVMENTVM.

Iudex in secunda instantia pronunciare potest non solum super articulo, super quo iudex primæ instantiæ pronunciauit, sed etiam super alio deducto in eadem prima instantia præsertur connexo, & dependente.

SVMMARIVM.

Iudex Appellationis potest cognoscere ne dum super articulo super quo primus iudex pronunciauit, sed etiam super alio deducto in prima instantia. nu. 1. & 2. vbi præsertim quando vnus articulus venit in necessariam cognitionem, dependentiam, & connexitatem alterius.

Tertius habens interesse in causa omnino admittendus est. num.3.

Iudex non potest causarum continentiam diuidere. num.4.

Præscribi an possit ius exigendi decimas, perpetuo debitas. num.5.

Actore non probante reus absoluitur, & è contra. nu.5.

Reus excipiens, & exceptionem suam non probans, actore plene probante suam intentionem condemnari debet. num.5.

Clausula cum omnibus incidentibus, dependentibus, emergentibus, annexis, & connexis, ac toto negotio principali adeo ampliat iurisdictionem iudicis, vt dubitandum non sit, quin totum negotium sit commissum. num.6.

Appellationis causa admittit probationes nouiter repertas, quia in ea habet locum Regula non deducta deducam, & non probata probabo. nu.8.

DECISIO DCXVIII.

1 Post resolutionem factam super irreleuantia primę nullitatis specificatæ coram Nuncio, proposui disputationem super secunda, quæ deducebatur ex eo, quia fuerit sententiatum per Cantorem Granaten. Iudicem secundæ Instantię, nedum super Decimis, anni 1596. prout fuerat petitum, sed etiam super iure perpetuo Decimarum in futurum exigendarum, quod nunquam fuerit petitum, & de quo iudex pro sua iurisdictione cognoscere non poterat. Et Domini eam pariter non releuare censuerunt. Visum est enim de hoc iure perpetuo exigendi Decimas nouenas actum fuisse in iudicio primæ instantiæ, & potuisse agi, ac sententiam Prouisoris comprehendere nedum virtualiter, sed expresse condemnationem Decimarum in futurum, ad fauorem Ecclesiarum, & proinde deuoluta causa per viam appellationis ad Cãtorem Granaten. deuoluisse etiam cognitionem articuli proprietatis Decimarum, tanquam non diuersam

sam ab articulo pronunciato, & in hac parte iurisdictionem iudicis appellationis non deficere. *Franc.in c. vt debitus. num.5. in 8. notab. de appell. Dec. in capitulo bonæ mem. sub num.19. versicul. & ad hoc bene facit. eodem titulo de appellat. Vant. de nullit. ex defect. Iurisdict. ord. num. 86. Surdus decis.175. num.1. & seqq.*

2 Et quod actum fuerit in illo iudicio de Iure perpetuo Decimandi, satis patet ex monitorio transmisso Alphonso Garciæ, & consortibus instante Martino Guizano conductore redditus Ecclesiastici septem nouennarum pro condennatione, & solutione Decimarum, anni 1596. & item ex responsione incolarum de Seron facta Monitorio, in qua dixerunt, quod persoluerunt Decimas illis ad quos illæ de iure pertinent, & spectant, nempe D. Marchioni de Villena Domino Status de Seron, ex quibus etsi incolæ non reuocauerint in dubium Decimas ab eis deberi, cum tamen opposuerint de pertinentia iuris Decimarum, & cognitio esset necessaria, tanquam de articulo preiudiciali ad causam exactionis, *l. fundum, l. fundi, ff. de excep. Crau. cons.280. num.1. Anch. consi.62. num.1. latissime Menoc. cons.301. nu.26. & seqq.* sequitur dicendum fuisse actum tam de iure perpetuo proprietatis Decimarum, quam de iure eas exigendi propter necessariam cognitionem, dependentiam, & connexitatem, vt dicunt *Boer. q.73. nu.4. Zabarell. cons.29. incip. Iudex, nu.5. & plenius Menoc. de arbit. casu 95. nu.5. & 16.*

3 Potuit etiam, vt dicebam, agi in hoc iudicio de proprietate iuris Decimandi, quia Bernardus Oeconomus Generalis Ecclesiarum venit ad causam defensurus conductorem, & allegauit ius Ecclesiarum, qui propter præiudicium, quod sibi euenire poterat, si conductor succubuisset, omnino erat in iudicio admittendus, *c. vl. vt lit. pend. in 6. Couar. pract. q. c.13. nu.22. vers. contrarium verò, Felyn. in c. cum super. num.15. de re iudit. Ioseph. Ludou. decis. Perus.26. num.25. Surd. decis.60. num.6.*

4 Demum sententia Prouisoris comprehendit hoc ius perpetuum Ecclesiarum exigendi Decimas tam virtualiter, quàm expresse, virtualiter, quia causa huius tertij comparentis dicitur connexa cum causa, & iure Conductoris, & ob id sententia super iure Cōductoris infert ad determinationem iuris Oeconomi & Ecclesiarum, ex quo non potuit à iudice diuidi continentia causæ, sed vtrumque simul debuit terminari, *leg. nulli. Cod. de Iudic. & ita in specie firmarunt Andr. Gail. lib.1. prac. obser. cap.70. num.2. & Menoc. cons.488. nu. 4. lib.5.*

5 Expresse autem dum declarat Oeconomum probasse suam actionem, & incolas non probasse eorum exceptionem, & proinde condemnandos ad soluendum suas Decimas nouennas tanquam Christianos originarios, cessante enim probatione pertinentię decimarum, inde resultabat ius liberum, & perpetuum Ecclesiarum exigendi Decimas cum non sint temporales, sed perpetuo debitæ Ecclesijs, ita vt contra eas nullo modo possint præscribi, *Rebuff. de Decim. quæ.13. num.43.* & sæpe fuit resolutum, & exinde bene consequitur condemnatio, quia sicuti actore non probāte reus est absoluendus, *leg. qui accusare. C. de edend. l. ei qui dicit, ff. de proba. Caputaq. decis.11. par.1.* ita reo non probante suam exceptionem postquam actor plene probauit, debet condemnari, *l.1. & 2. ff. de excep. Cæs. de Grass. decis.2. num.10. de prob. Crau. cons.226. num.8. Rot. decis.628. num.3. p.1. diuers.* si igitur actum fuit coram Prouisore de iure perpetuo, & potuit agi, & sententia comprehendit, & determiat ius perpetuum exigendi Decimas, sequitur dicendum sententiam Cantoris Granaten. non laborare vitio nullitatis ex defectu Iurisdictionis, quia, vt dicebam, ad eum deuoluta est cognitio articuli super quo fuit pronunciatum.

6 Accedunt etiam clausulæ rescripti appellationis amplissimæ, ibi, vna cum omnibus suis incidentijs, dependentijs, & emergentijs, annexis, & connexis, ac toto negotio principali, quæ adeo ampliant Iurisdictionem Iudicis ad quem, vt ambigendum non videatur, quin totum negotium principale sub ea comprehendatur. *Fran. in c. vt debitus. nu.45. de appell. Mohed. decis.6. de appell. Caputaq. decis.152. p.1.* quod etiam fuit resolutum in causa Mediolanen. Cappellę de Valdamo, 3. Iulij, & 6. Nouembris 1595. & in Cæsaraugustana Pecuniariæ 15. Iunii 1601. coram bon. mem. Cardinali Pamphilio, & *Surd. decis.175. nu.9.* dicens idem procedere, siue sit bene, vel male appellatum, propter stylum Curiarum, cui inhæredum est.

7 Et ex prædictis patet responsio ad obiecta Marchionis, cum neque secundum quid nullitas prædicta sit releuans per suspensionem negotij principalis in partibus, ex eo quod fuerit petitum in primis prononciari super nullitate, & non fuerit pronunciatum, quia detecto quod verè nullitas non subsistat potest iudex in negotio principali procedere, vt fuit firmatum in tertia conclusione precedentis decisionis, neque simpliciter erat releuans, quia verè non defuit iurisdictio, attento tam iure deuoluto, quam ampliato, vigore clausularum rescripti appellationis.

8 Nec obstat, quod Cantor Granaten. iudex secundæ instantiæ dixerit in sua sententia. Et visis nouiter coram nobis deductis, & probatis per partes &c. quia data iurisdictione bene intrat conclusio, non probata probabo, non deducta deducam, etiam pro comprobatione iuris deducti, & cogniti per iudicem à quo, nec iudex declarando, aut limitando priorem sententiam videtur inferre nouum grauamen, tribuens nouum ius appellandi, *Couar. pract. quæst. cap.25. nu.6. vers. at si tractemus. Anch. consi.417. num.2.* quinimmo potest declarare id, quod fuerat omissum à Primo Iudice, *Rot. decis.23. de re iudic. in nou.* maximè cum proueniant, vt in præsenti, à necessario antecedenti, nempe à declaratione proprietatis Decimarum, quæ post se exigit condemnationem solutionis in perpetuum, secūdum earum propriam naturam. Et ita fuit resolutum.

REVERENDISSIMO P. DOMINO PAMPHILIO.

Romana Saluiani Interdicti, Lunæ 15. Decembris 1614.

ARGVMENTVM.

Si constat de obligatione mulieris facta secundum statuti dispositionem, non retardatur immissio ex vtili Saluiano interdicto, concurrentibus requisitis ipsius interdicti non obstantibus exceptionibus ex aduerso oppositis, requirentibus tamen altiorem indaginem, & extrinsecis probationibus.

SVMMARIVM.

Immissio ex Saluiano vtili conceditur contra tertios possessores rei, quæ possidebatur ab obligato tempore obligationis. num.1.

Dotalis fundus, nec a viro cum consensu mulieris, nec a muliere alienari potest. n.1.

Habens ius in re simul cum alio, potest illam rem obligare vsque ad concurrentem quantitatem. n.2.

Hypothecam anteriorem habenti competit immissio ex vtili Saluiano, etiam contra tertium possessorem. n.3.

Vxor regulariter non potest fideiubere pro marito. nu.3.

Fallit quando fideiussit cum iuramento. nu.3.

Vxor habens amplam dotem, & idoneos releuantes, fideiubendo non potest dici læsa. num.4.

Immissio ex vtili Saluiano non retardatur ob exceptionem, quæ

quæ requirit altiorem indaginem, num.4.
Fideiussiones de sui natura sunt læsiuæ, nu.5.
Statutum Vrbis lib. 10. cap. 151. in obligationibus mulierum requirit causæ cognitionem, nu.5.
Statutum Vrbis libr.10. cap.151. requirit, quod causa obligationis mulierum sit vera, vel alias probata arbitrio iudicis, nu.5.
Statutum Vrbis lib.10. c.151. habet locum in omnibus contractibus, ex quibus mulier potest lædi, nu.5.
Mulier quando vtilitas est euidens potest contrahere etiam sine solennitatibus statutarijs, nu 5.
Statuti mens colligitur ex proœmio illius, ex quo colligitur etiam ipsius causa finalis, nu.5.
Iudicis decretum operatur, vt omnia præsumantur solenniter gesta, nu.5.
Decisio in causa Romana argentorum quomodo sit intelligenda, num.6.
Minor viginti annis reputatur inhabilis ad interessendum in contractibus mulierum, tanquam vnus ex consanguineis ex forma statuti. nu.7.
Minor vbi non est impubes, & habet ingenium, & discretionem in iure, dubium est, an possit consentire in aliorum contractibus, num.7.
Acta facta inter alias personas faciunt fidem quo ad præparationem alterius iudicij. nu.7.
Probatio non excludit probationem, nu. 7.

DECISIO DCXIX.

1 FVit per Dominos resolutum esse locum Saluiano, quia, vt ex instrumentis in summario datis constat, D.Hieronyma obligauit, & hypo thecauit omnia eius bona tam pro censu scutorum 180. creato de anno 1593. ad fauorem DD. Antonij de Tassis & Lauiniæ coniugum, quam pro alio scutor.150.imposito de anno 1594. ad fauorem eiusdem D.Lauiniæ & Victoriæ eius matris, quibus propterea pro consequendis huiusmodi censibus competit immissio ex remedio vtilis Saluiani interdicti super Casali, de quo agitur, quod nō controuertitur fuisse à D. Hieronyma possessum de tempore obligationis, & hodie possideri à Dominis de Rubliul, prout requiritur in hoc iudicio. *Bart. in l.1. nu.3. ff. de Saluiano. & in l.1. vbi gl. C. eo. tit. Aret. in §. item Seruiana, nu. 9. Instit. de act. Affl. dec.383. num.6. Menoch. de adipisc. remed.3. num. 15. cum alijs alleg.*

2 Nec subsistere, quod istud Casale sit fundus dotalis, qui nec à viro, cum consensu mulieris, nec ab ipsa muliere alienari potest ex adduct. in dec. in hac causa facta coram Illustrissimo D. Cardinale Lancellotto, quia quicquid sit, an dicta constitutio dotis adeo excessiua ante obtentam derogationem statuti Vrbis esset valida, & habuerit effectum, de quibus posset valde dubitari, postquam ipsi coniuges postea de anno 1595. obtenta d. derogatione denuo dotem constituerunt reseruata eidem D. Hieronymę facultate disponendi de dicto Casali, super quo informantes pro Dominis de Tassis plura adducebant, obiectum, visum fuit Dominis cessare, ex ipsismet Capitulis matrimonialibus, in quibus D. Hieronyma pro parapherno sibi reseruauit scuta 200. annua super bonis dotalibus pacto etiā ediecto, quod illa posset propria auctoritate percipere, & de ijs ad libitum disponere, quod postea declarauit se velle consequi super isto Casali ideoque bene potuit pro concurrenti quantitate istud ius alteri obligare, ad tradit per Neguſ. de pign. 3. membr. 2. par. n. 6. & 9. & licet D. Hieronyma Casale postea vendiderit, & pretium illius integrum receperit, non tamen censetur præiudicatum Dominis de Tassis quibus vigore anterioris hypothecæ ex remedio vtilis Saluiani competit Immissio etiam contra tertium possessorem, *Rip. in rub. ff. de pignor. num.19. Rota in causa Romana, seu Amerina domus relat. inter impress. decis.34. num. 24. vbi de communi parte 1. diuersor.*

3 Neque obstare, quod huiusmodi obligatio per D. Hieronymam fuerit facta contemplatione viri, quia licet regulariter mulier pro viro fideiubere non possit; *auth. si qua mulier. vbi gloss. verbo, nullatenus. Codic. ad Velleian.* id tamen non procedit stante iuramento, quod seruari potest sine periculo animæ, iuxta *gloss. in cap. ex rescripto verb. & vxorem, de iureiurand. Thessaur. decis.223. numer.8. Afflict. decision.311. num. 4.* cum alijs adduct. in causa Interamnen. mercium, 4. Iunii 1597. coram bon. mem. Penla, & fuit alias sæpe decisum.

4 Præsertim quia Do. Hieronyma vltra istud parapharnum habuit amplissimam dotem, & vlterius habuit releuatores Dominos de Gottifredis, quo casu non potest cōsiderari aliqua eius læsio, vt considerat *Afflict. d. dec.311. num.2. Ro. cons.187. num.2.* quamuis diceretur Dominos de Gottifredis dilapidasse bona, & effectos esse non soluendo, tamen fuit responsum, de huiusmodi dilapidatione non constare, nec interim esse retardandam immissionem in hoc iudicio, in quo non admittitur exceptio, quæ requirit altiorem indaginem. *Menoch. de adipiscend. remed.3. numer. 180. versicul. & in hoc iudicio. Rota in dicta Romana, seu Amerina domus, coram Cantuccio relat. inter impress. dec. 34. nu. 23. par. 2. diuers.*

5 Nec placuit Dominis, quod dicebatur fideiussiones esse de sui natura læsiuas *l. 1. C.* de filiofam. minore. Et ideo huiusmodi obligationes mulierum propter statutum Vrbis libr. 1. capitulo 151. non posse sustineri nisi probentur factæ ex causa vtili ipsis mulieribus ex adduct. in causa Romana argentorum coram Reuerendissimo Bonon. de anno 1607. & 1608 quia fuit responsum in dicto statuto non disponi, quod causa debeat esse vtilis mulieri contrahenti, sed quod causa sit iudici in scriptis expressa, & insinuata ac plene cognita, & sic videtur requirere, vt contractus huiusmodi vltra alias solennitates fiant cum causæ cognitione, vt sentit Rota coram Seraphino in causa Romana fideiussionis, inter eius impress. dec.1187. numero primo, ad hoc vt causa, ex qua mulier mouetur ad contrahendum, sit vera, & alias sufficiens arbitrio iudicis, quod multum operatur in hac materia, vt trad. *Menoch. de arbit. iud. lib. 2. Cas. 171. n.6.* Idque patet ex ipso statuto, quod expresse loquitur in pacto de non petendo, refutatione, quietatione, & donatione, quæ omnia sunt de sui natura damnosa, & vlterius habet locum in omnibus contractibus, in quibus mulier lædi potest, *Put. dec.162. libr. 1. Crescent. dec.3. de constit.* & alias frustratoriæ essent solennitates in dicto statuto requisitæ, cum mulier stante euidenti vtilitate etiam sine illis contrahere possit *Dec. cons.531. nu.9. in fine*, & post alios allegatos tenuit Rota in causa Maceraten. Census 14. Maii præteriti, coram R.P.D. meo Dunozet. & suadetur ex eo, quod statutum non emanauit ad inhabilitandum, mulieres, vt non possit contrahere, nisi ex causa vtilitatis, & ad obuiandum fraudibus, ne scilicet mulieres ex earum simplicitate fraudentur, vt clare colligitur ex proœmio ipsius statuti, ex quo causa finalis dignoscitur. *Bald. in l. fin. sub n.2. vers.2. not. ff. de hær. inst. Dec. d. cons.532. sub n.9. vers. confir. Rot. in caus. Tolet.* iurisdictionis 12. Octobris 1580. coram Brauo. quod etiam improbatur ex alio statuto eiusdem lib. primi c. 113. de alienatione rerum pupilli, vel minoris, in quo eædem solennitates requiruntur per eadem verba, vt causa sit iudici in scriptis expressa, & insinuata, ac plene cognita, & vlterius requirit quod causa cedat in euidētem vtilitatem pupilli, vel minoris, quod clare ostendi, ex causæ expressione, & illius cognitione non

non esse inferendum ad causam vtilitatis, quæ fuit expressa à statuto, quando voluit eam interuenire. *l. vnica.§.sin autem ad deficientis.C.de caduc. toll.cap.ad audientiam.de decimis. Alexand.conf.55.sub num.6. vers. non obstat,quod tacite. libro 3.* hancque veram esse interpretationem supradicti statuti cap.151.colligitur ex pluribus decisionibus Rotalibus, in quibus huiusmodi fideiussiones cum causæ cognitione,& alijs solennitatibus statuti fuerunt validæ declaratæ, vbi mulieres non remanebant in dotatæ, vt in Romana fideiussionis. 5. Iulij 1593. coram Illustrissimo Arigonio, & in alia coram Seraphino d. decisione 1187. in causa Romana societatis officij. 13. Februarij 1606. coram Litta, & sæpissimè in alijs causis. Vnde cum in casu isto fuerint seruatæ solennitates statuti,& causa fuerit in scriptis expressa, & insinuata, nec probetur falsa, debet præsumi,quod fuerit cognita, & reperta vera, ac sufficiens propter decretum Iudicis, quod operatur, vt omnia præsumantur solenniter gesta. *Alexan. conf. 80. num. 5. lib.5.* cum alijs adduct. in causa Romana de Iacomellis 29. Aprilis 1611. coram Reuerendissimo D. meo Damasceno.

6 Et ita fuit dictum esse intelligendas dictas decisiones,factas in causa Romana argentorum, in qua causa releuationis indemnitatis ibi expressa remanebat falsa, ex quo mulier non habebat releuatorem, & plura alia concurrebant, ex quibus constabat, mulierem fuisse deceptam,quæ non concurrunt in casu isto,in quo D. Hieronyma de tempore obligationis habuit releuatores,nec de eorum insufficientia constat,ita vt de nullitate obligationis hodie apparere dici possit ex supra deductis.

7 Minus obstare, quod vlterius pro illius nullitate adducebatur, nempe quod alter ex proximioribus consanguineis, qui in primo instrumento de anno 1593.adhibitus fuit,tunc esset minor viginti annis, qui ad id inhabilis reputatur,ex *adduct.per Castr. in l. si cum dotem.§. si patri. nu.3. ff. soluto matrimonio Ange.in l. fin.in princ. vers.& per hanc legem.C. de verborum significationibus.Tiraq.de legibus connub. gl.8. num.43. cum alijs allegat.* quia licet id iure non transeat absque difficultate, vbi minor non est impubes,& habet ingenium,& discretionem,secundum distin. *Bart. conf.94. lib.2. quam tenet etiam Bald.in l.in conuentione.num.4.vers. pone.C. de nupt. & faciunt trad.per Alcia.in leg.in transactionem.35. num.6. vers. quapropter. Cod. de transact.* tamen quicquid sit de hoc fuit responsum, quod testes, qui dantur ad probandum minoritatem,non releuant ad istum effectũ, cum sint examinati in alia causa & inter diuersas personas. *Felin.in cap.causam,quæ.il primo num.18.de testibus Capic.dec.107.nu.3.* Vltra quod in omnem euentum esset in potestate Dominorum de Tassis contrarium probare, cum probatio non excludat probationem, quo casu non est interim retardanda immissio in hoc iudicio in quo non admittuntur huiusmodi exceptiones,quæ requirunt extrinsecas probationes,ad decisionem *Putei 34. nu. 3. & seq. lib. 1.*

8 Nec demum subsistere, quod in alio instrumento de anno 1594. proximiores consanguinei non iurauerint,quod obligatio non sit præiudicialis mulieri iuxta dispositionem eiusdem statuti, quia placuit responsio, quod statutum non disponit circa huiusmodi iuramentum,vt præcise in scriptis redigatur,prout de causa obligationis, & ideo cum ex instrumento constet,proximiores iurasse,debet præsumi iuramentum fuisse sufficienter præstitum propter iudicis decretum,ex supra allegatis &c.

R. P. D. VBALDO.

Romana Retractus, Lunæ 15. Decembris 1614.

ARGVMENTVM.

Censuarius volens præferri in emptione rei censuate potest,dummodo hoc sit sine damno vendentis,accipiendo rem cum iisdem pactis,& conditionibus quibus alteri conceditur.

SVMMARIVM.

Prælatio censuario conceditur in re vendenda cum iisdem conditionibus,quibus alteri venditur. nu.1.
Prælatio debet acceptare cum sua causa. nu.1.
Emphyteota volens alienare melioramenta domino directo debet verum pretium prædicere, & expectare per duos menses, illumque præferre alijs. nu.1.
Constitutio Pij V. super forma creandi census, recipit interpretationem passiuam à iure communi. nu.8.
Statuta exorbitantia, & correctoria debent interpretari, vt minus lædant ius commune. nu.1.
Venditio,quæ requirit denunciationes, si illæ omittantur non dicitur perfecta. nu.2.
Hypothecam habens non debet præferri nisi cum iisdem conditionibus,quibus res alijs conceditur. nu.2.
Emptori satis est venire iure venditoris. nu.2.
Constitutio Pij V. super forma creandi census cum sit exorbitans, debet interpretari, vt prælatio fiat absque vllo præiudicio tam venditoris, quam emptoris. numero secundo.
Prælatio non datur censuario sine resolutione census. numero tertio.
Res propria nemine seruit. nu.3.
Census impositus super re vendita, & alijs bonis non venditis, per ipsorum venditionum non resoluitur, cum possit sustineri in alijs bonis. nu.3.
Seruitus fundi seruientis non extinguitur ex eo,quod domino fundi dominantis venditur pars fundi seruientes. numero 3.
Census est species seruitutis. nu.3.
Census non potest imponi super bonis subiectis fideicommisso. num. 4.

DECISIO DCXX.

1 Placuit Dominis decisio in hac causa facta die 10. Martii præteriti ex rationibus in ea deductis, sed potissimum, quia prælatio per Bullam fe. rec. Pii V. de censibus creandis conceditur censuario cum eisdem conditionibus,quibus res censuata vendenda est, vt sunt clara verba Bullæ ibi eique denunciari conditiones, quibus vendendum sit, quod etiam præcipuè controuertebatur per informantes D. Riualdo, & ideo prælatio erat acceptanda cum sua causa,vt in terminis Bullæ iuris congrui dixit *Rota dec.475.nu.8. part. 1. diuers.* & confirmabant Domini ex simili dispositione. *l. fin. §.1. C. de iure emphyt.* vbi emphyteuta volens alienare melioramenta, debet Domino directo prædicere pretium,quod ab alio re vera accipi potest, & expectare per duos menses, & pro eodem pretio aliis præferre,& similis est *text.in cap.potuit.in principio de locato,et plura cumulat Corbul de caus.priu.ob alien.quæstio. 2. num.2.* & sic illa constitutio recipit passiuam interpretationem à iure communi,*iuxt.not.in l.sciendum ff qui satisda.cogan.cum alijs per Rot.d.dec. 475.nu.4.* præsertim cum sit exorbitans, & correctoria ideo interpretanda, vt minus lædat ius commune, quam fieri possit,vt firmatur in supradicta decisione huius causę *& in d. dec.475. nu. 6.*

2 Nec obstat, quod non fuerit seruata forma dictæ constitutionis ob omissas denunciationes, & propria venditio non fuerit perfecta, ex late allegatis per Informantes pro Domino Riualdo, quia quicquid sit, de hoc Domini satis esse putabant, quod Riualdus

non

non poterat obtinere prælationem nisi eisdem conditionibus, quibus emerant Domini de Castellanis quibus sufficit vincere ex non iure Riualdi actoris, *Verall.decis.11.par.1.Card.Seraphin.dec.582.nu.5.* & in omnem casum non videntur afficiendi duplici incommodo, videlicet retrouendendi domum censuario, & excomputandi pretium domus, cum pretio census, vel agendi contra venditorem pro consecutione pretij iam ab ipsis soluti, maxime cum Bulla in hac parte sit exorbitans, & intelligenda, vt prælatio fiat absque vllo præiudicio tam ementis, quam vendentis, vt latius fuit deductum in decisione.

3 Nec etiam obstat, quod prælatio non possit dari censuario, sine resolutione census ex regula, quod res sua nemini, seruit *l. Vrantus. ff. de fideiussoribus*, & consequenter constitutio que tribuit censuario prelationem in emptionem rei censuatæ censetur concedere compensationem pretij. Quia placuit responsio data in decisione, quod census de quo agitur fuit impositus in solidum etiam super alijs bonis præter domum venditam, & ideo census sustinetur super dictis bonis, vt in decisionibus allegatis, & confirmabatur à simili de seruitute, quæ non extinguitur quamuis Dominus fundi seruientis efficiatur Dominus etiam fundi dominantis, si remanet pars fundi, quæ seruire possit, *l. vt pomum*, §. 1. *vbi Bartol. & Castren. ff. de seruit. Doctor. in l. pro parte eodem titulo, & in l. si communi fundo, & in l. vnus ex socijs.* §. 1. *ff. seruitut. rusticorum præd. Cepoll. de seruit. Vrb. præd. c. 22. nu. 1. & 2.* ita nec census, qui est speciens seruitutis, *cap. 2. vbi Abbas num. 3. de censibus Dec. consil. 307. num. 8.* extingui debet per emptionem rei censuatæ existentibus alijs bonis super quibus sustineri potest, quod & in terminis census secuta est Rota in vna Romana census de Comitibus 29. Aprilis 1592. coram bo. men. Penia, per *Text. in d. l. vt pomum*, §. 1. *& Bart. in d. l. pro parte, ff. de seruitutib.*

4 Neque obstare visum fuit quod d. bona sint subiecta fideicommisso, & proinde super illis non possit census sustineri, quia præter id quod de fideicommisso non constat per sententiam vel per rem iudicatam dicebat etiam, quod ista bona, super quibus fuit impositus census, sunt magni valoris, & poterant grauatis competere detractiones legitimæ, & Trebellianicæ, & sic remanere plura bona libera capacia census, non obstante fideicommisso. Ex quib. Domini permanserunt in decisis.

DECISIO DCXXI.

Alerien. Beneficij, Veneris 19. Decembris 1614.

Impressa Apud Buratto.

DECISIO 88.

DECISIO DCXXII.

Leodien. Pecuniariæ, Veneris 9. Ianuarij 1615.

Impressa Apud Caualerio.

DECISIO 331.

REVERENDISSIMO P. DOMINO DAMASCENO.

Sancti Seuerini Cappellaniæ. Lunæ 12. Ianuarij 1615.

ARGVMENTVM.

Beneficium an sit de iure patronatus, an vero eius collatio spectet ad Papam, vel ad Episcopum, attenditur vltimus status.

SVMMARIVM.

Beneficium conferendo quasi possessio acquiritur Episcopo per vnicam collationem, nu. 1.

Beneficium an sit de iure patronatus, an vero eius collatio libera spectet ad Episcopum attenditur vltimus status nu. 1. & 2. Vbi siue collatio vltima sit facta ab Episcopo, siue à Papa.

Papa est ordinarius ordinariorum, concurrens cum omnibus Episcopis, & habens totum orbem terrarum pro territorio. numer. 2.

DECISIO DCXXIII.

1 FVit resolutum, sententiam de partibus esse infirmandam, cum in ea declaretur prouisio Apostolica per Vincentium obtenta subreptitia, & nulla ex eo, quod Cappellania, de qua agitur, sit de iure patronatus, siquidem constat ex deductis pro parte Vincentij, quod Cappellania fuit vsq: de anno 1572. ab Episcopo tunc temporis libere collata Martino, qui modo resignauit ad fauorem Vincentii, per quam liberam collationem, licet vnicam, dictus Episcopus fuit constitutus in quasi possessione libere conferendi, *Rip. in c. cum Ecclesia Sutrina, nu. 91. de caus. possess. & propriet. Ferret. cons. 137. nu. 11.* quæ quasi possessio, & vltimus status, sufficit ad effectum, vt collatio ibi cõformis sustineatur, quicquid in futuris vacationibus docto de iure patronatus statuendum sit, capite consultationibus vbi Scribentes, præcipue *Abb. num. 9. de iure patronatus, Bald. cons. 437. incipit ex quo Abb. libr. 2. Lambert. de iure patronatus lib. 2. p. 2. q. 1. art. 9. num. 7. & 8. Ferret. cons. 211. nu. 10. Rot. decis. 14. vers. ad omnes de iure patronatus in antiq. & dec. 167. num. 9. p. 2. diuers.* & causa Papien. iuris patronatus 8. Martii 1613. coram R. P. D. Manzanedo.

2 Et licet non fuerit Papa, qui fecerit vltimam prædictam prouisionem, tanquam de libero, sed Episcopus tunc temporis, attamen cum quasi possessio libere conferendi non fuerit quæsita illi Episcopo, sed suę dignitati, cuius vigore conferebatur, *Abb. in c. cum super nu. 11. vers. si vero clericus de caus. possess. & propr. Rip. in c. sæpe. n. 57. de restit. spoliat. Rot. dec. 390. par. 1. diuers.* & in d. Papien. coram R. P. D. Manzanedo, sequitur, quod sicut successor in Episcopatu, potuisset libere conferre, *Abb. Rip. & Rot. locis proxime allegatis*, ita potuerit conferre Summus Pontifex, qui non est minor potestas super iuribus dicti Episcopatus, quam futura foret potestas successoris in dicto Episcopatu, cum Papa sit ordinarius ordinariorum concurrens cum omnibus Episcopis, & habens totum orbem terrarũ pro territorio, *c. cuncta per mundum, 9. q. 8. c. proposuit, de concess. præben. cap. si à Sede de præb. in 6. Glos. in c. Felicis, in verbo priuata de pæn. in 6. Cassad. dec. 3. nu. 24. de præben. Puteus dec. 48. nu. 11. lib. 3. Mohed. dec. 1. nu. 25. de concess. præbend.*

DECISIO DCXXIV.

Amerina bonorum. Lunæ 12. Ianuarij 1615.

Impressā Apud Buratto.

DECISIO 89.

R. P. D. DVNOZETTO.

Firmana Altaris. Lunæ 12. Ianuarii 1615.

ARGVMENTVM.

Electus a minori parte patronorum quando preferatur electo a maiori parte, & quid stante statuto, vel consuetudine, quod præsentatio non valeat nisi fuerit facta a duabus ex tribus partibus.

SVMMARIVM.

Testes de falso damnati nihil probant. nu.1. vers. Nec visum fuit.

Præsentatus ad ius patronatus a minori parte patronorum admitti non debet ad beneficium, & quid si adest statutum, & consutudo vt præsentatio non suffragetur, nisi fuerit facta à duabus ex tribus partibus. num.2. & 3.

Præsentatus à minori parte patronorum si fuerit dignus, admitti debet ad beneficium, si alter à maiori parte electus fuerit indignus. num.3. Declara vt dicto num.3.

Calumniandi animus in lite cognoscitur ex pluribus, de quibus. num.4.

DECISIO DCXXV.

1 Domini steterunt in decisis coram me die 20. Iunij 1614. rationibus deductis in prima decisione, nulla enim visa fuit Dominis adesse causa, quæ vel ex iuris dispositione, vel ex facto possit excusare Ricciottum ab illa falsa assertione, dum expressit Summo Pontifici Coriolanum fuisse præsentatum à quorundam assertorum patronorum parte, se vero à maiori parte, cum ex facto clare appareat ex 34. suffragijs Coriolanum habuisse 25. Ricciottum vero 18. solummodo. Nec visum fuit illi suffragari posse, quod in nominatione seu præsentatione facta de Coriolano interuenerint illius consanguinei, & per consequens nullam fuisse præsentationem ex dispositione statuti illius loci, nam vt fuit responsum in decisione, id non probatur nisi ex testibus de falso damnatis, quibus nullam fidem fuisse adhibendam iam resolutum fuit coram bon. mem. Penia, aliæ vero probationes minime concludunt, vt late fuit deductum in decisione.

2 Sed etiam si id probatum fuisset, tamen Ricciottus non posset se excusare à calumnia, dum asseruit se præsentatum à maiori parte, quia hoc est falsum in facto, & in iure, quia vt dictum est ex 34. habuit solū 18. cum tamen ex dispositione eiusdem statuti, consuetudinisq. in eodem loco receptæ, præsentatio debuerit fieri à duabus ex tribus partibus, vnde non solum non potuit dici Ricciottus præsentatus à maiori parte, sed nec etiam à minori, *Ioan. Andr. in c.1. de elect. Ruin. consi.50. num.7. & seq. vol.5. Cassad. decis.2. de iure patron.* & fuit dictum in Aretina Cappellaniæ 24. Ianuarij 1603. coram bon. mem. Cardinali Pamphilio, & multo minus, quia in dicto statuto adest decretum annullans aliter gestum, & non approbatum à duabus partibus, cuius statuti dispositionem Ricciottus ignorare non potest sine calumnia, ne dum ex rationibus in decisione deductis, sed quia ipsemet vtitur, & vsus est illo in eodem Capitulo ad impugnandam nominationem Coriolani.

3 Minus etiam visum fuit posse illi suffragari dispositionem *cap. dudum il primo, de election. quia stante d. statuto* annullante gestum à minori parte non potest applicari *tex. in d. cap.* dudum, disponens electionem factam à maiori parte de digno validam esse, vbi à maiori parte fuit scienter electus indignus, quia illa potestas quam de iure ex dispositione *d. cap.* minor pars Communitatis habuisset, fuit sublata per dictum statutum, consuetudinemque illius loci. Deinde dispositio *d. cap. procedit*, vbi eligentes se diuisissent, vt exprese legitur in tex. & vna pars licet maior præsentasset indignum, minor vero dignum, quia dum maior pars, ipso facto remanet priuata potestate eligendi, remanet tota in minori, sed hoc casu non fuit facta aliqua diuisio eligentium, nec constat quod illi 18. qui præsentauerunt Ricciottum, non præsentauerint Coriolanum, quinimmo necessario dicendum est, plures ex eis vtrumque præsentasse, cum ex 34. vocibus Coriolanus 25. Ricciottus vero 18. habuerit, & per consequens præsentationem ab illis factam de Ricciotto multo minus posse dici factam à maiori parte, sed nec etiam fuisse concludenter probatam talem indignam præsentationem.

4 Non obstat d. narratiuuam non mouisse Papam, qui cum derogauerit Patronatui, propterea sufficere videatur Ricciotto si à medietate Patronorum fuerit præsentatus, quia ex prædictis constat, nec à medietate, nec ab aliquo posse dici præsentatum. Et licet alias posset d. falsa assertio ex aliqua causa excusari, tamen cum causa incepta & persecuta fuerit non sine magna calumnia, dum Ricciottus ad iustificationem gratiæ vsus fuerit testib. lege Cornelia de falsis damnatis, & non obstante iuramento de stando vnicæ voluit tres sententias conformes contra se reportare, & non obstante re iudicata obtinuit committi causam restitutionis in integrum, quæ remansit deserta, ne dum per quadriennium, sed per longiora tempora, colligebant Domini animum calumniandi ab ipso initio causæ, *ad l. sed & Iulian. §. proinde, ff. ad Maced. l. si seruus plurium, §. fin. ff. de legat. 1. §. pauonum. inst. de rer. diuis.* quæ omnia magis attendenda Domini dicebant, quia hoc modo tolletur ansa illis, qui non ad alium effectum procurant cum tot calumnijs lites in longum protrahere, nisi ob spem obtinendi subrogationem per obitum collitigantis.

5 Et ex his Domini iterum firmarunt constare de calumnia ab initio, sed quia pro parte Ricciotti dicebatur ex gratia perinde valere per ipsum, vt asserit, obtenta superuenisse bonam fidem, quæ illum excuset, fuit reseruatum, vt super hoc particulariter audiatur.

R. P. D. VEROSPIO.

Romana legitima. Veneris 16. Ianuarij 1615.

ARGVMENTVM.

Legitima debetur legitimato, & nepoti ex ipso, vbi legitimatus sublatus est de medio. Item ex quibus dicatur Papam voluisse dispensare, non autem legitimare, & quando facultas succedendi in quibusdam bonis ab intestato concessa legitimato transmittatur ad eius filios.

SVMMARIVM.

Legitima debetur legitimato tanquam legitimo. num.1.

Legitima debetur nepoti in bonis aui ex propria persona, sublato patre de medio. num.1.

Legitima debetur non obstante quauis prohibitione. nu. 1.
Legitimatio, & non dispensatio dicitur, vbi adsunt clausulæ amplissimæ, & verba de quibus in decisione. nu. 2.
Legitimatio, & non dispensatio censetur, vbi Papa vsus fuit verbo legitimamus. num. 3.
Legitimatio restitutiua est quolibet alia maior, & plenior. num. 4.
Beneficium Principis patri concessum, transit ad filium. num. 5.
Dispositio, qua habet tractum successiuum, ad hæredes etiam refertur. num. 5.
Gemmatio, seu repetitio denotat enixam voluntatem. nu. 5.
Filius mortuo patre subintrat in locum ipsius, & omnia iure proprio consequitur, quæ patri antea competebant. num. 6.
Gratia concessa patri ad fauorem filij non personalis in filio, sed in patre realis intelligitur. num. 6.

DECISIO DCXXVI.

1 AGentes pro filijs Excellentissimi Ducis ab Altaemps, decisioni sub die 27. Iunij præteriti de vnanimi Rotæ consensu factæ non acquieuerunt, sed contra illam noua excitarunt motiua, quibus tamen non obstantibus, causa denuò per me proposita, pari Dominorum assensu, fuit dicta decisio confirmata. Vt enim in ea dicebam, Robertus D. Ducis Pater, fuit à Gregorio XIII. felic. recor. in amplissima forma legitimatus, & per consequens illi tanquam ex legitimo matrimonio nato, legitima debebatur, *Bald. in cap. de causa. numer. 62. de offic. deleg. Tiraquell. in leg. si vnquam. vers. susceperit liberos. num. 79. Cod. de reuoc. donat.* Quæ propterea Domino Duci locum demortui Patris ingresso ex persona propria debetur, *Salyc. in authen. nouissima. num. 5. Cod. de inoffic. test. Peregr. de fideicommiss. artic. 36. num. 39. Cuc. de legit. in princ. sub num. 2. versic. debetur autem.* Non obstante fideicommisso, Primogenitura, & expressa detractionis legitimæ prohibitione per Cardinalem Auum facta. *Molin. de primog. Hisp. lib. 2. c. 1. num. 29.* cum alijs in prima decisione latius deductis.

2 Nec valet exceptio, quod Gregorij XIII. gratia, dispensationem potius, quam veram legitimationem importet. Nam contrarium apparet ex eius lectura. Ibi te &c. legitimamus, omnemque abs te geniture huiusmodi maculam, siue notam abstergimus, & abolemus &c. perinde ac si ex legitimo matrimonio verè, & non fictè natus esses, & nulla prorsus inter te, & natos de legitimo matrimonio differentia esset, &c. In omnibus, & per omnia de speciali dono, & gratia dispensamus, tibique pariter indulgemus, nec non etiã ad præmissa omnia habilitamus, ac primæuo naturæ iuri restituimus, ac si de legitimo matrimonio verè, & non fictè natus esses &c. Ex quibus verbis, & clausulis prægnantissimis euidentissimè constat, Summum Pontificem voluisse Robertum in amplissima forma legitimare. *Ias. consil. 40. sub numer. 2. vers. 4. dicitur. vol. 3. Ruin. consil. 75. num. 6. & seq. & consil. 86. numer. 4. vers. sed tamen præmissis. lib. 3. Roland. consil. 67. num. 39. lib. 3. & consil. 26. num. 8. & 9. lib. 4. Decius consilio 257. sub num. 10. versic. vltimò non obstat, Soc. iun. consil. 93. num. 40. volum. 3. Gozzadin. consi. 29. sub num. 31. versic. præterea. & consil. 6. num. 63. Gab. consil. 30. num. 1. Fulgos. consil 16. sub num. 2. versi. natura siquidem, Peregrin. de fideicommiss. artic. 23. sub num. 33.* qui alios cumulat, & fuit resolutum in causa Romana de Masseis, 9. Iunij 1595. coram Litta.

3 Tanto magis cum etiam absque dictis clausulis ex solo verbo legitimamus, quo Summus Pontifex fuit vsus, Robertus in amplissima forma legitimatus censeretur, *Aretin. in l. Gallus. §. & quid si tantum. sub numer. 24. versic. aut restituit cum natalibus. ff. de liber. & posthum. Abbat. in cap. per venerabilem. sub num. 12. versic. dicerem, quod aut Papa, & ibi Ioan. Andr. sub nu. 30. vers. quia aut Papa, Butr. sub nu. 10. colum. 5. circa med. versic. & tamen Papa potest legitimare qui fil. sint legit. Ruin. consil. 75. num. 12. & sequent. & consil. 86. num. 6. lib. 3. Peregrin. de fideicommiss. articulo 23. numero. 35. Angel. consilio 17. num. 4.*

4 Et cum ista legitimatio, quæ restitutiua nuncupatur, sit qualibet alia maior, & plenior, vt trad. Doctor. alias legitimationis species recensentes *in cap. per Venerabilem. numer. 16. qui fil. sint legitimi. Vbi Præpos. in §. quod autem. num. 19. Aretin. in d. l. Gallus. §. & quid si tantum. sub num. 25. ff. de lib. & posthum. Angel. in dicto consil. 17. num. 4. in princip. & consilio 87. num. 1. Fulgos. d. consil. 16. sub num. 2. versic. quia legitimatio. Federic. de Sen. consilio 276. numero 3. Calder. consilio 4. qui filij sint legit. Gozzad. consilio 29. sub numero 31. versic. præterea, & consilio 6. numero 63. Paulus de Castr. in leg. pactum. numero 9. circa fin. C. de collat. Alexand. consilio 189. numer. 4. versic. & secundum illud minus. de concess. præbend. Abb. in c. ex parte. il 3. num. 2. de decim. Ias. in l. 1. num. 12. de transaction. & in l. si causa cognita. num. 6. C. eodem. Exerard. in sua centur. in loco concess. conseq. ad concess. anteced. sub. nu. 1. versic. hinc quoque procedet.*

5 Nec valet dicere, facultatem in istis bonis ab intestato succeden. Roberto concessam, fuisse personalem, & sic ad Dominum Ducem illius filium non extendi. Vltra quod enim Principis beneficium patri concessum transit ad filium. *Bart. in l. vltima num. 4. de seruit. leg. Menoch. consil. 486. numer. 3. Put. decis. 174. lib. 3.* Hic tamen clarè constat dictam facultatem non fuisse personalem ex verbis, & clausulis in illa appositis, quæ ad hæredes necessario referuntur, cum habeant tractum successiuum, & ad filios transmissibilem, videlicet, *Tuq.* & ex te descendentes &c. Et infra in tui, tuorumq. descendentium prædictorum fauorem &c. & in fine Tibi, tuisque descendentibus prædictis &c. Quæ verba repetita declarant, Summum Pontificem in prædicta facultate voluisse Roberti filios, & hæredes includi. *l. Balista. ff. ad Trebell. Curt. iun. consil. 263. nu. 32. in fin. Crauett. consil. 205. num. 42. in fin. Corn. consil. 59. num. 8. & consil. 140. num. 2. & seq. lib. 2.*

6 Quod respondet etiam iuris communis dispositioni, iuxta quam filius mortuo patre locum illius ingreditur. *§. ita demum. instit. de hæredit. quæ ab intest. def.* & omnia iure proprio consequitur, quæ patri antea competebant. *Berengar. Fernan. in l. in quartam. ante numerum 112. versic. etsi paulo accuratius. ff. ad legem Falcid.* Deniq. cum intuitu, & contemplatione patris, vt dixi, gratia fuerit Roberto concessa, illa non personalis in ipso Roberto, sed in Patre realis intelligitur. *Socin. consil. 84. num. 11. & 12. lib. 3. Menoch. de præsumpt. præsumpt. 28. per tot. lib. 3. Lup. in rubr. de donat. int. vir. & vxor. §. 45. num. 1.*

R. P. D. PAMPHILIO.

Bononien. de Capacellis. Veneris 16. Ianuarij 1615.

ARGVMENTVM.

Primogenitus quis dicatur, quando fuit vocatus primogenitus nascendus ex pluribus, & de variis coniecturis prædilectionis, & quando debeat attendi proximitas grauantis non autem grauati.

SVMMARIVM.

Primogenitus dicitur is, qui primo loco natus est. nu. 1.
Primogenitus licet quis sit respectu matris suæ, vti primo loco natus, tamen non dicitur primogenitus respectu testatoris, qui vocauit primogenitum nascendum ex duabus filiabus, quando adest alius antea natus ex vna ex dd. filiabus, num. 1.

Præ-

Prædilectus magis censetur descendens à persona prædilecta, nu.2.
Prædilectus semper præferri debet ex verisimili mente testatoris, nu.2.
Primogenitus ille, qui primo loco natus est, præferri debet, vbi est quæstio quis ex duobus sit primogenitus, nu.2.
Prædilectus magis censetur, qui fuit hæres vniuersalis institutus, quam qui fuit in aliquo tantum honoratus, numer.3.
Prædilectus magis censetur legitimus, quam illegitimus, numer.3.
Prædilectus censetur primo nominatus, nu.3.
Proximitas grauati, vel grauantis an sit attendenda, pendet ex coniecturis. nu.4.
Proximitas grauati non attenditur, vbi constat testatorem noluisse fideicommissum ad nouam, & diuersam lineam deuenire, nu.5. Vbi nu.seqq. plura deducuntur, ex quibus testatorem id voluisse dignoscitur.
Linea vna semel admissa, fideicommissum nunquam exit de illa linea, donec aliquis extet de ea, nisi constet testatorem voluisse fideicommissum ad aliam lineam deuenire, numer.5.
Successionis ab intestato prima causa est filiorum, nu.6.
Testator præsumitur noluisse id quod non expressit, n.6.
Agnatio noua ficta creatur, quando testator vocat extraneum cum onere assumendi cognomen familiæ testatoris. n.7.
Discretiua dispositio testatoris operatur, vt sit facienda diuersa interpretatio à significatione verborum testamenti, numer.8.
Clausula salua gradus prærogatiua debet referri ad eos vocatos, quibus proxime reperitur apposita, nu.9.
Primogenitus, & primo natus differunt inter se, nu.10.
Voluntas testatoris, quoquomodo ex dispositis eliciatur, est seruanda, nu.10.

DECISIO DCXXVII.

1 POstquam per plures decisiones fuit firmatum, quidem vnus tamen primogenitus sit vocatus, proposui dubium alias decisum, & in vltima positione sub die 23. Maij præteriti reseruatum denuo particulariter discutiendum, an s. iste primogenitus sit Hieronymus, natus ex D. Hippolyta, vel Claudius, qui de mense Augusti præteriti dicitur natus ex D. Iulia, & Domini causa mature discussa censuerunt standum esse in decisis, quod Hieronymus solus sit ille primogenitus vocatus, Nam cum testatores in defectum descendentium masculorum ex Hieronymo, & Claudio Senioribus, hæredem vniuersalem primogenitum masculum ex filiabus feminis instituerint, & de vno tantum primogenito senserunt, ex latè adductis in alijs decisionibus, sequitur omninò dicendum, quod iste primogenitus sit Hieronymus, vti primo loco natus ex Hippolyta filia Hieronymi Senioris, *Bald. in l. cum in antiquioribus, sub nu.11. versic. & prium præmitto, C. de iur. deliber. Tiraq. de iur. primog. q. 1. num.6. latè, Menoch. consil. quæst. num. 51. & seqq.* Non autem Claudius postea natus ex D. Iulia, qui licet possit dici primogenitus respectu D. Iuliæ matris, seu fratrum ipsius. *Socin. iun. cons.108. num.18. vers. stantibus nunc prædictis. & num.27. lib.2.* cum alijs adductis, sub dicto die 17. Februarij præteriti. Non tamen potest dici primogenitus ex filiabus Hieronymæ, & Claudij per testatores vocatus, postquam aderat Hieronimus antea primo loco natus ex vna ex dictis filiabus, in quo bene verificatur dispositio testatorum, *ad tex. in l.4. §. totius, ff. de damn. infect. cum simul.*

2 Quod tanto magis visum fuit Dominis esse dicendum, quia Hieronymus descendit à D. Hippolyta filia Hieronymi Senioris, qui sicut fuit magis dilectus à testatoribus ita censeri debet, quod fuerit prædilectus Hieronymus iunior, ab eo descendens, vt post *Bald. in l. cum acutissimi. num.5. Cod. de fideicomm. & alios tradit Honded. cons.17. num.40.* & sic in concusu semper præferri debet ex verisimili mente testatoris, quæ est attendenda, *l. cum res legata, ff. de leg.1. Pedemon. dec.170. num.8. & seq. Mantic. de coniect. vltim. volunt. libr.3. tit. 19. numer.1.* Et maximè, quia est primo loco natus, & consequenter in dubio præferendum, vt alias ponderauit Rota coram bon. mem. Card. Seraph. dec.131. circa finem.

3 Quod autem Hieronymus Senior esset magis dilectus, quam Claudius colligitur non solum, quia Hieronymus erat legitimus, & ab ipsis hæres vniuersalis institutus fuit, Claudius vero, qui erat legitimatus quibusdam bonis particularibus, honoratus, *C. qui filiabus, in princ. ff. de l. 1. Bart. in l. fin. num. 2. versic. Nam cum masculos, ff. ad Trebell.* Sed etiam quia semper fuit in testamento primo loco nominatus, *leg. hæres mei. §. fin. ff. eod. tit. Bart. in l. Publius, §. filias, ff. de condit. & demon. Aym. cons.62. nu.7. & cons.161. nu.5. & cons.297. nu. 2. vers.1. ex priori.*

4 Non obstat, quodam Claudius iunior natus ex D. Iulia descendat à Claudio Seniore vltimo grauato, cuius proximitas est attendenda ea præcipua ratione quia in dubio testator præsumitur voluisse se conformare cum successione ab intestato, & facit, quod fideicommissum semel ingressum in vna linea, debent semper in ea durare, donec extet aliquis de ea ex latè deductis per Informantes per Claudium, quia placuit rñsio alias data, quod scilicet in casu isto, vt dictum est, plures concurrunt coniecturæ ad fauorem Hieronymi, ex quibus quæstio ista de proximitate grauantis, vel vltimi grauati regulari solet. *Soc. cons.249. nu.24. lib.2. Gabr. cons.86. nu.17. & cons.107. nu. 8. libr. 1. & d.* Rota in causa Bonon. de Mulettis. 26. Iunii 1602. coram bon. mem. Card. Pamphilio.

5 Præterea placuit Dominis rñsio, ex qua omnis difficultas visa fuit cessare, quod vbi constat testatorem voluisse fideicommissum ad nouam, & diuersam lineam deuenire, non attenditur proximitas vltimi grauati. *Decian. cons.21. nu.6. cum seq. lib.3. Laderch. cons. 45. num.13. & seq. & cons.136. nu.5. Odd. cons. 39. sub nu. 30. post med. Ceph. cons.493. num.42. lib.3. Rustic. cons.2. num. 112. post tractatum, An fil. possit in eodem.* Nec quod fideicommissum fuerit in aliam lineam ingressum, *Molin. de primog. Hisp. lib.3. c.10. nu.36.* & fuit dictum in causa Ianuen. iuris patr. 1. Iunii 1607. coram Illustr. Lanc. & in hac causa sub die 21. Iunii 1613.

6 Testatores autem in isto casu hoc facere voluisse clare colligitur ex eo, quod deficientibus masculis Claudii non vocarunt filias ipsius Claudii, quarum erat prima causa successionis ab intestato. *Author. in success. C. de suis, & legit.* nec earundem filiarum filios masculos, sed primogenitum ex filiab. Hiero; & Claudii, cum onere assumendi nomen, & arma familię de Capacellis non habita ratione Claudii vltimi grauati sed solum habito respectu ad eum qui primo loco ex eis nasceretur, vt supra demonstratum est, & tamē si voluissent vocare primogenitum ex filiabus vltimi grauati, id expressissent, & gradū separatum pro ei fecissent, prout fecerunt ex tot aliis gradibus, ad quos digressi fuerunt. c. ad audientiam, de decim. cū simil.

7 Quidā ēt clarius colligitur ex discretiuo mō loquēdi quo vti fuerūt testatores. Nā qñ voluerūt verbis substitutionē denotantib. vt in testō, ibi Hieronymū, & Claudiū inuicē substituit &c. & ibi, & vnicuiq; ex eis substituit, &c. & inferius ibi vnicuiq; ex eis decedentib. substituit, &c. at qñ vocarunt dictū primogenitū vsi fuerunt verbis substitutionē denotantib. quę nullā habeant dependentiam à præcedentib. vt in testō ibi deficientib. &c. dictus testator instituit, nominauit, & esse voluit eius hæredē vniuersalem filiū primogenitū nascentē ex filiab. Hieronymi, & Claudii, &c. Idemq; obseruarūt in aliis duob. casib. deficiētiū alia-

rum linearum, vt clarè legitur in ipso testamento, in quo vlterius est ponderandum, quod durante aliqua linea testatores fecerunt substitutionem vltimo defuncto,& quando habuerunt lineam pro finita,& voluerunt aliam lineam,& agnationem fictam renouare sibi ipsis testatoribus hæredem instituerunt pro quo etiā facit,quod testatores post finitam eorum veram agnationem fecerunt dictas dispositiones ad fauorem primogeniti, cum onere assumendi cognomen familiæ de Capacelli, in quo propterea censetur creata alia ficta agnatio, *ad l.fi.Cod.de his,qui veniam ætа,imp.Ceph. cons.251. num.59.& per conseq.*non potest dici considerata aliqua proximitas vltimi grauati, ex sup.alleg.

8 Nec facit quodam post primam institutionem omnes dicantur substitutiones,& omnes substituti dicānetur hæredes testatoris, quia non propterea potest negari, quin ex tali discretiuo mō loquendi sit facienda dicta diuersa interpretatio. Et si alias verba testamēti possent ex eorum significatione aliud importare, *l.liberorum. vers. omnes.ff.de ver.sign.& tradit Surd.consi. 403.nu.22.cum alijs in decis.bon.mem.Card.Seraph.1486.n.12* Et ex his patet rñsio ad id,quodā dicebatur pro Claudio, ex clausula salua gradus prerogatiua, sæpè in testamento repetita, quia illa legitur tamen apposita in successione,& durante eadem linea, non autem in dictis casibus creationis nouæ lineæ, & agnationis, in quibus testatores vsi fuerunt dictis verbis, institutionem denotantibus,absque huiusmodi clausula, vt supra ponderatum est.

9 Minus refragatur, quod etiam dicta noua linea appareat constituta in omnibus,& per omnia, iuxta modum,formam,& conditiones,in prima appositas, *vt in §.deficientib.ibi,quib.omnib.& cuilibet ipsorū substitu,* it modo,& forma supradicta,&c. & sic etiam cum huiusmodi clausula salua gradus prærogatiua, &c. Quia placuit rñsio quod dicta clausula,quatenus sub dictis verbis comprehendatur, debet referri ad descendentes primogeniti, quibus proximè reperitur apposita *iux.not.in c.cum dilecti.de donat.Boer. decis.146.nu.4.* non autem ad ipsum primogenitum, qui succedere debet ex voluntate testatoris, nulla habita ratione graduum seu proximitatis, ex supradictis.

10 Nec demum releuare differentiam inter primogenitū, & primo natum,quia licet super ea adsit magna controuersia inter Doctores,vt patet ex trad. Per *Menoch. cons. 442. num. 29.* Tamen in hoc casu visa fuit cessare difficultas,quia ex neutra ex dictis filiabus ante Hieronymum natus est alius filius, adeo vt Hieronymus sit primogentus, & primo natus ex dictis filiabus,& consequēter vocatus ex supra dictis ad quorum comprobationem fuit etiam ponderatum,quod testatores in supradictis casibus iniunxerunt primogenito d. onus assumendi cognomen familiæ de Capacellis, ex quo colligitur non solum voluisse prospicere ad conseruationem agnationis, sed etiam quanto citius eam renouare ita vt propterea primogentus in casu isto accipi debeat pro primo nato non attēta alicuius proximitate,alias enim si diceretur,quod debuisset expectari nascēdus ex femina proximiori vltimo defuncto,hereditas potuisset pre plures annos remanere in suspenso contra dictā voluntatem testatoris,quæ tamen,quocumque modo ex dispositis elicitur, est seruanda. *Mant. de coniect. vlt. vol. lib. 3. tit. 3. num. 10.* Ex quibus pro resolutione fuit dictum,satis constare,vel quod nō fuerit per testatores habita maior ratio descendentium vnius, quam alterius,sed solum ad eum,qui primo loco ex dictis filiabus nascere tur, vel quod sicut fuit prædilectus Hieronymus seniori,ita etiam fuerint prædilecti omnes eius descendentes, ex supra ponderatis. Et ita decisum pro Hieronymo, quod ipse solus sit vocatus, &c.

R. P. D. PIROVANO.

Romana Fideicommissi de Veccijs. veneris 16. Ianuarij 1615.

ARGVMENTVM.

Scriptura reperta inter scripturas Notarij defuncti, quando possit ex iudicis authoritate leuari in publicam formam.

SVMMARIVM.

Notarij subscriptio, & illius signum, est de necessarijs Requisitis ad prefectionem imbreuiaturæ, seu matricis, reperta inter notas ipsius Notarij authenticas, vel protocolla, vel filcias. num. 1.

Fallit, quando in scriptura taliter reperta legitur clausula Actum, &c.de manu Notarij apposita, quia tunc etiam si subscriptio, & signum ficiant,iudex debet mandare, quodam scriptura in authenticam formam reducatur. num.2.

Clausula Actum, & c. importat actum perfectum, consummatum, & publicatum. num. 3.

Clausula Actum includit effectum subscriptionis signi, & rogitus. num. 3.

Subscriptio, signum, ac rogitus Notarij requiruntur ad authorizandam fidem scripturæ. num.3.

Scriptura absq; signo, & subscriptione Notarij reperta inter scripturas authenticas eiusdem Notarii præsumitur, quod ab ipso Notario fuerit rogata, etiam quod is illam pro publicata habuerit. nu.3.

Scriptura reperta in folio separato à libro filciæ, aut fasciculo aliarum rogationum Notarij etiam si contineat clausulam Actum,&c.manu propria eiusdem Notarij,an possit leuari in publica formam,relinquitur iudicis arbitrio.n.4.

Scriptura non reperta inter rogationes authenticas ipsius Notarij non caret suspicione. nu.4.

Scriptura, quæ non est perfecta, non probat, etiam si sit scripta manu Notarij, ac habeat alia requisita, cum possit esse, quod Notarius ponat diem, & alia necessaria, in scriptura lagenda inter partes, & tamen actus ex aliquo accidenti non perficiatur. num.5.

Pluralitas scripturarum non præsumitur. num.6.

DECISIO DCXXVIII.

Censuerunt Domini scripturarum, quæ asseritur per Moniales S. Ceciliæ de Vrbe esse testamentum Petri Pauli de Veccijs, & rogatum per Petrum Paulum de Amodeis non probare. Nam vbi agitur de leuanda scriptura in authenticam formam ex imbreuiaturis Notarij demortui, & ex speciali iudicis commissione, solet à scribentibus constitui essentialis distinctio, quando scilicet scripturæ sunt repertæ inter notas ipsius Notarij authenticas, vel protocolla, vel filcias, vel quando egitur de scripturis in folio à prædictis separato.

1 Primo casu quamuis subscriptio Notarij, & illius signum sit de solennitatibus requisitis ad perfectionē imbreuiature, seu matricis, vt dicunt de subscriptione. *Ang. cons.220. in prin. Alex. cons.153.num.12.lib.2.& cons.14. num.9.lib.6.Crau.cons.216. nu.3. & de signo Felin. & alij,in cap. cum P. Tabellio. de fid. instr. Bald. consi.476. num.8.lib.1.Guido Papæ. q.616. in fin. Dec. cons.97. num.3. Corn.cons.226.num.1.lib.3.Paris.cons.27.num.6.lib.2.Decian. in cons.24.num.31. vol.1.*

2 Tamen à frequentiori calculo in eo videntur omnes conuenire, vt si in scriptura taliter reperta legatur clausula, Actum &c. de manu Notarij appositæ, quod nihilominus etiam si subscriptio,& signum deficiant debeat iudex mandare,vt instrumentum in authenticam formam leuari debeat, *Paul.de Castr. in l. contractus.*

ctus.nume.5. C.de fid. instr. Natt. cons.46. num.4. Neuizz. consi.26. num.42. Menoch. consi.47. num.16. Curt.iun.consi. 162.num.1.vers.cum igitur. in proposito. Alex.cons.14. num. 19. lib.6.Bero. cons.1.num.51. vol.2. Castr.cons.307. num.2. part.1.Paris.cons.27.num.15. lib.2. qui omnes loquuntur de scriptura reperta in protocollis, vel inter rogationes Notarij demortui, quod idem est. *Gram.decis.106. num.15. & 16.* loquens de scriptura in fasciculis, vbi cetera instrumenta asseruabantur. *Ruin.consi.159.numer. 13.lib.4.Rot.* coram bon.mem.Card.Seraphino *902.n.5.* afferentes idem de fiscijs Notarij secundum regionis consuetudinem; de qua etiam loquitur *Menoch.de arbitr. cas.187. nu.24. & seqq.*

3 Mouentur ea ratione, quia clausula Actum, &c. importat actum perfectum, & consummatum, & publicatum secundum *Bald.in auth.quod sine.C.de testam.Alexand.Berouм, Rotam supra alleg.Surd.cons.187. num.4.Ias. consilio 8. num. 3. lib. 3. Nouiz. consil. 26. num. 42.* ideo talis nota in manu Notarij dum per clausulam Actum &c. præsupponitur publicata, videtur includere effectum subscriptionis, signi, & rogitus, quæ pertinent tantum ad authorizandum scripturam, vt fidem mereatur, & fraudes remoueantur, prout considerat idem *Alex.dicto consil. 14. nu.19.* quæ solennitates etiam exinde supplentur ex aliis instrumentis authenticis, continentibus signa, & subscriptiones positis in eodem protocollo, libro, filcia, aut fasciculo, vt dicit *Curt.iun.dicto consil.162. num.1.versic. cum igitur Rot. decis.250. numero 3.part. 1. diuers.* Addens, quod si Notarius inter notas authenticas reponit scripturam signo, & subscriptione carentem, signum est, quod de ipsa fuit rogatus, & eam pro publicata habuit.

4 Posteriori vero casu, quando notula caret solennibus, & inuenitur in folio separato à protocollo, libro, filcia, aut fasciculo aliarum rogationum, etiam si contineat clausulam Actum, manu propria eiusdem Notarij mortui, qui afferitur rogatus, tunc quia cessat presumptio publicationis, & perfectionis, ac consummationis actus, ac etiam tacitæ declarationis ipsius Notarij, quod eam scripturam habuerit pro publicata, nec iuuari potest signo, & subscriptione aliarum rogationum, relinquitur iudicis arbitrio, an talis scriptura sit suspecta, vel non, ita vt possit concedere, vel negare licentiam leuationis in authenticam formam. *Castr.consil.111. numero 1. & cons.307. num.2. parte prima. Crauet. cons.216. numero 8. Menoch.de arbitr. iud. cas.187. numero 25. & 26.* & cum scriptura, de qua agitur, non doceatur reperta inter rogationes authenticas Petri Pauli Amodæi, suspicione non caret, vt animaduertunt *Cstren.in l.contractus. numer.5. C.de fid.instrum. Paris. cons.27. numer.14. libro secundo. Cephal. cons.409.numr.28.* dicens non esse verisimile, testamentum, quod est magni ponderis, non reperiri cum alijs scripturis authenticis, quæ suspicio augetur etiam ex alijs defectibus ponderatis per Informantes contra dictam scripturam, qui etsi concurrentibus rogationibus Notarij possent euitari, illis tamen cessantibus multum præponderare visum fuit, ideo in præsenti vti suspectam noluerunt eam approbare, vt leuari posset in authenticam formam, & in iudicio fidem faceret.

5 Addebant præterea, quod dum in hoc posteriori casu clausula Actum, de se non importet actus perfectionem, inde scriptura ita remanet solum præparata, & non perfecta, vt considerat *Bologn. consil.53. numero quinto, vers. octauo præsuppono, Surd. consilio 187. numero vigesimo primo*, quæ non releuat in gradu probationis, cum contingere possit, quod Notarius ponat diem, & alia necessaria in scriptura legenda inter partes, & tamen actus ex aliquo accidenti non perficiatur, vt dicit *Corn. consilio 226. numero 5. volum. tertio.*

6 Non obstat, quod Moniales Sanctæ Ceciliæ dicantur versari in terminis prioris casus, ex eo, quod antequam hæc scriptura per Gregorium Panigarolam in Archiuium Capitolij deferretur de anno 1592. appareat transumpta vsque de anno 1541. coram Correctoribus, qui tunc affirmarunt, scripturam illam fuisse repertam in libris, seu protocollis Petri Pauli Amodæi, & postmodum etiam resolutum illam fuisse repertam penes eundem Gregorium Panigarolam successorem mediatum in scripturis Petri Pauli Amodæi. Fuit enim responsum, quod an hæc scriptura, quæ dicitur delata ad Archiuium, de anno 1592. sit eadem cum illa transumptata coram Correctoribus de anno 1541. adhuc constare non videtur, nec minus de illius primo transumpto constat, & transumptum transumpti productum coram Cardinali Reomano patitur eandem exceptionem, quia non constat de identitatem transumpti transumptati.

6 Non obst. quod si adhuc termini posterioris casus tantum possint deseruire intentioni Monialiũ, quod nihilominus cessare deberet omnis suspicio supra põderata, dicebatur enim, quod hæc determinatio relinquitur iudicis arbitrio, vt iam dictum est, & idẽ arbitrium per D.D. apparet seruatum in propositione diei 14. Martij, dum fuit dictum, vt haberetur ratio deductorum in ea positione arbitrio Dominorum, quod arbitrium aliquid de rigore probationis remittere deberet, ideo cum agatur de vnica scriptura, & non de pluribus, & hæc posterior concordet cum producta de anno 1541. de verbo ad verbum, nec vnquam transierit ad extraneos, sed semper penes successores Notarii rogati permanserit, & certum sit, Petrum Paulum de Veccijs decessisse cum testamento, & contenta in hac scriptura fuisse obseruata, dum testator constituit tutorem filijs suis Marcum Vecciã, qui vti tutor testamentarius tutelam suscepit, & exercuit, vsque de anno 1533. interponendo auctoritatem suam alienationi bonorum pro soluenda dote Iuliæ de Veccijs, sicuti de pluralitate non erat præsumendum, vt dicit *Neuiz. consilio 24. numero 14.* ita attestatio Correctorum deseruire deberet ad firmandum, quod hæc scriptura fuerit reperta inter authenticas Notarij rogati. Ad prædicta namque fuit etiam responsum, quod semper videtur obstare exceptio identitatis scripturæ, & loci, in quo fuerit reperta, quorum probatio non debet esse leuis, sed certa, & concludens, cum agatur de maximo præiudicio, & in iudicio vendicationis bonorum fideicommisso subiectorum, maxime, quia obseruantia non est indubitata, cum in multis non probetur obseruata, maxime in relicto facto Beatæ Mariæ de Pace pro tribus Missis in perpetuum dicendis, & in legato pro maritandis Virginibus. Et ita fuit resolutum, &c.

REVERENDISSIMO P. DOM. MANZANEDO.

Asten. Fructuum. Lunæ 19. Ianuarij 1615.

ARGVMENTVM.

Præsentia & residentia Præpositi probatur ex libro Capituli, & ex alijs, de quib. in decisione.

SVMMARIVM.

Libro Capituli circa interessentiam, & residentiam Capitularium creditur. nu.1.
Residere de iure quis præsumitur. num.1.
Præsens ibi fuisse quis præsumitur, vbi habuit domicilium. num.1.

DECISIO DCXXIX.

1 DOmini censuerunt, probari præsentiam, & interessentiam Præpositi à mense Maij 1608. vsque, & per totum mensem Maij 1609. iuxta fidem extractam ex libro Capitulari ad istum effectum confecto, in quo reperitur seriatim, & distincte adnotatum, quoties, & quando de dicto tempore d. Præpositus diuinis interfuerit, prout, & sunt ceteri, qui interfuerunt, cui quidem libro in hac materia standum videtur. *Anchar. cons. 44. num. 5. Felin. in c. ad audientiam, num. 16. de præscrip. Aym. de antiq. tempor. cap. 8. §. quid in libro. numer. 1. & 6. Caputaqu. decis. 158. lib. 2.* præsertim cum de iure præsumatur in Ecclesia resedisse, quia ad illud tenetur. *c. quia nonnulli. cap. conquerente. de cler. non resid. Oldr. consi. 198. sub num. 8. Aym. cons. 88. sub num. 18. Seraphin. decis. 371. num. 5. part. 1.* quæ præsumptio facilius procedit in casu nostro, ex quo constat, tam per testes, quam per plures actus iudiciales per Prepositum gestos, illum de dicto tempore habuisse domicilium in Ciuitate Asten. ibique permansisse ad tradita per *Menoch. præsumptio. 19. numero 4. lib. 6. Rota diuers. decis. 420. numer. 1. part. 1.* Ex quibus sic fuit resolutum, &c.

DECISIO DCXXX.

Romana Palatij. Lunæ 19. Ianuarij 1615.

Impressa Apud Buratto.

DECISIO 91.

R. P. D. DVNOZETTO.

Ferrarien. Bonorum. Lunæ 19. Ianuarij 1615.

ARGVMENTVM.

Ecclesiasticorum bonorum alienatio non valet etiam in vtilitatem Ecclesiæ, sine speciali licentia Sedis Apostolicæ, & quid si bona alienata sint incognita, & incerta, vel difficilis recuperationis, Gratiaque si in euidentem &c. nulliter exequuta amplius exequutioni mandari non potest.

SVMMARIVM.

Ecclesiæ bonorum alienatio interdicta est etiam in vtilitatem Ecclesiæ sine speciali Summi Pontificis licentia. nu. 1.

Ecclesiæ bona quæ sunt difficilis recuperationis possunt inconsulto Summo Pontifice alienari, quod an verum sit, & quando, nu. 3. & seqq.

Ecclesiæ bonorum alienatio licite possunt ab Episcopo alienari inconsulto Summo Pontifice, quando sunt penitus incerta, & incognita, quod an verum sit, & quando. n. 3. & seqq. & nu. 4. Vbi etiam quando talia bona dicantur incerta, & incognita.

Spes vendi, & in contractum deduci potest. num. 4.

Decimas Episcopus sine Apostolica licentia nullo pacto in laicum transferre potest, nu. 6. Vbi etiam, an & quando laici sint capaces fructuum decimarum.

Vtile per inutile vitiatur in indiuiduis. nu. 7.

Contractus alienationis plurium bonorum, & iurium dicitur indiuiduus, quando factus est sub vnico pretio, & sub vnica responsione inter easdem personas, nu. 7.

Indiuiduus contractus in parte nullus, in totum reputatur nullus. nu. 7.

Iudicis delegati iurisdictio expirat per sententiam datam. nu. 8. & seqq.

Gratia si in euidentem &c. nulliter exequuta, non potest amplius exequutioni mandari. num. 8. & seqq. An vero sit necessaria noua gratia, & nouum rescriptum. numer. 8. & seqq.

DECISIO DCXXXI.

1 CVm iam Dominis visum fuisset satis superque constare, Executores Apostolicos nulliter, & nō seruata forma rescripti confirmasse alienationem factam per bon. mem. Episcopum Ferrarien. in fauorem D. Marchionis Gualenghi, quoniā in ea legebatur reseruatum beneplacitum Apostolicum cum clausula (quatenus eo opus esset) dubitaui, an de necessitate requirebatur confirmatio Sedis Apostolicæ, & quatenus ad validitatem dictæ alienationis esset necessaria vtrum gratia si in euidentem nulliter exequuta posset hodie de nuo executioni demandari, Domini respondendo primæ parti dubij, vnanimiter affirmatiuam sunt amplexi, eo maxime innixi fundamento, quia sine vlla distinctione interdicta est Ecclesiasticis patrimonij Ecclesiæ alienatio, siue intret Ecclesiæ vtilitas, siue non, sine speciali Summi Pontificis licentia. *per Extrauag. ambitiosæ. de reb. Eccl. non alien. Cresc. decisione 3. numer. 4. de iureiu. Fuse Rodoan. de reb. Ecclef. non alie. rubr. 28. casu 8. num. 19.* fuitque sæpius dictum.

2 Idque tanto magis, quia non solum bona reperiuntur alienata, sed etiam infeudatę decimę, quarum, omnino laici sunt incapaces. *c. quamuis. de decim. Can. 1. 16. q. 7.* cum sint diuina constitutione debitæ, *c. tua, de decim. c. causam quæ. de præscr.* & tributa egentium animarum, quarum cura penes clericos residet, *Can. decimæ. 16. q. 1.* vnde eas laici sine sacrilegio, & peccato possidere, & retinere non possunt, *c. dudum, 31. de decim. Can. peruenit, 1. q. 3.* etiam si interueniat consensus Episcopi, & Capituli. *cap. 17. eod. tit.*

3 Nec obstare visum fuit, quod prætenditur, potuisse licite Episcopum Ferrarien. alienare hæc bona, quę erant penitus incognita, & incerta, cum etiam inconsulto Summo Pontifice possint alienari bona certa difficilis recuperationis lege apposita, vt laicus expensis, & periculo suo eas recuperet non obstante iuramento à prælato præstito, per *text. in cap. 2. de feud. vbi Abb. ceterique Canonistæ, Ias. cons. 10. numer. 15. lib. 3. Castr. consi. 260. vol. 2.* quod etiam ad infeudationem decimarum extendere videtur, *Bero. in cap. 1. num. 42. de reb. Ecclef. non alien.*

4 Huic obiectioni responderunt tribus modis Domini, & primo non subsistere illa bona fuisse penitus incognita, nam (vltra quod de eo nisi ex sola contrahentium enunciatione qui non potuerunt Ecclesiæ præiudicare non constat) certum est, licet res illæ quo ad earum specificam circumspectionem non essent Ecclesiæ cognitæ, tamen quia ius decimas, & bona percipiendi erat certum, & penes Ecclesiam radicatum, cum procedere deberet ab Ecclesia, & loca, Villæ, & Castra essent specificata, in quibus ius competebat Ecclesiæ, non dici potest hæc bona penitus fuisse incognita cum etiam, ius quod alicui in spe, licet non adsit de præsenti dicatur competere, quia spes vendi, & in contractum deduci potest. *leg. nec emptio. ff. de contrahen. emptio. leg. in diem. §. non autem. ff. de acqu. pluuia arcen. leg. spem. Cod. de donat. & ibi glo. cum alijs cumulatis. per Tiraq. ad leg. connub. glo. 2. nu. 38. & seq.*

5 Secundo responsum fuit non applicari dispositionem *text. in d. cap. 2. de feud. & doctor. alleg.* loquuntur enim de bonis, quæ solita sunt ab antiquo in emphyteusim, aut feudum dari ab Ecclesia, & propter laicorum potentiam difficilime recuperari possunt, secus

secus autem in hoc casu dicendum est, cum non reuocetur in dubium nunquam hæc bona prius in feudata, aut infeudari solita, vnde necessario requirebatur beneplacitum Apostolicum, vt optime interpretatur *Abb.in d cap.2.de feud.vbi ita Ioan. Andr.consuluisse refert*.

6 Responderunt denique Domini, & in hoc omnes conuenerunt, cum in alienatione huiusmodi comprehensæ fuerint decimæ, quas nullo iure potuit Episcopus sine Sedis Apostolicæ licentia in laicū transferre propter ipsius laici incapacitatem d. cap.causam quæ. de præscript. vt fuit superius dictum, & fusius in causa Mediolanen. Rescissionis Permutationis. 21. Maij 1597. coram bon. mem. Cardinali Pamphilio. in qua optime probatur huiusmodi concessionem non posse intelligi de fructibus decimarum, quorum laici sunt capaces, quia illos Marchio non percipit de manibus coloni Episcopi, sed propria authoritate de manibus colonorum, quod est ius spirituale, vt per *Abb.in cap. literis. num.2. de iureiur.* cum multis alijs doctissime adductis in dicta decisione, quæ præponderant authoritati. Bero. qui dubitatiue, & non affirmatiue loquutus est, & nihil allegauit.

9 Nec obstat, quod dici posset saltem subsistere alienationem quo ad alia bona, si solummodo irrita sit ex capite infeudationis decimarum, nam vltra superius deducta placuit responsio in indiuiduis, vt in hoc casu, vtile per inutile vitiari. *arg. l.1. §. item quæritur.ff.de aqu.quotid.& æstiu. Bar.in l.Græce.§.illud.num.3. de fideiuss. Alex.cons.143.nu.3.lib.7.* licet enim hæc alienatio plura bona, & iura contineat, tamen cum facta sit sub vnico pretio, & sub vnica responsione inter easdem personas ex tacita mente contrahentium censeri debet indiuidua. *l.Pedius.ff. de arbitr. Alciat.in l.1. §.sed,& si mihi. num. 16. de verb, oblig.* vnde necessario inferendum est, dum agitur de eius inualiditate, dici vnicam alienationem, ita vt vna parte annullata in omnibus nulla, & irrita censeri debeat. *l. cum eiusdem. ff.de edil.edict.Bart.in l.scire debemus.num.4. de verb.oblig.* cum alijs cumulatis in d. Mediolanen. coram d. Cardinale Pamphilio die 28. Maij 1599. vbi in indiuiduo hæc quæstio deciditur.

8 Quo ad secundam partem dubij Domini censuerunt non posse gratiam si in euidentem nulliter executam, denuo executioni demandari, quia post sententiam semel etiam nulliter latam, tam Pontificio, quam Cæsareo iure iudicis delegati expirat iurisdictio. *l. si vt proponis.C.quomod.& quan.iud.l. iudex posteaquam, & ibi gl.ff.de re iudic.cap. in literis.cap. significantibus. & cap. venerabili.de offic.deleg.* & in terminis de executione literarum Apostolicarum tradit *Archid.in capit. si cui. in verb.contradictor.de præben.in 6. Tiraquel. in leg. boues. §. hoc sermone. nu.61.de verb.significat.* cum multis cumulatis in decisione Casalen. Canonicatus, 22.Iunii 1605. coram Reuerendissimo Attrebaten.

9 In quam sententiam eo libentius fuerunt Domini, quia nullo vnquam tempore Ecclesia patrimonium Ecclesiasticum nulliter alienatum recuperaret, si occupatores possent quandocumque (si nunquam executorum expiraret iurisdictio) petere, vt ad nouam executionem tanquam re integra procederetur, ex quo omnis spes in posterum Ecclesiæ dicta bona perperam alienata repetendi auferretur.

10 Nec obstant ea, quæ pro D. Marchione adducuntur, scilicet processum nullum non consumere gratiam iam perfectam, per verbum fiat, cum conditio apposita rescripto si in euidentem Ecclesiæ vtilitatem nondum probata nō extinguat penitus gratiam quin sit in rerum natura, quæ per consensum contrahentium, & Papæ authoritatem dicitur perfici, quia dicta conditio si in euidentem, posset hodie in causa appellationis in Rota probari, quæ vigore *Clem. auditor. de rescript.* subrogata est in locum primi Executoris, & sic eorum, quæ coram primo iudice probari non potuerunt, poterit admitti probatio coram iudice appellationis, & coram ipso non deducta deduci ex vulg. Nam quicquid sit, an versemur in gradu appellationis ex quo non constat, quod vnquam fuerit appellatum, placuit Dominis responsio data Iudicem appellationis debere cognoscere de iustitia, vel iniustitia executionis, & ad huiusmodi effectum posse admittere etiam nouas probationes, sed post executionem nulliter factam, non ideo poterit procedere ad nouam executionem, cum facultas exequendi sit penitus extincta, ex supradictis.

11 Deinde quidquid sit vtrum per huiusmodi executionem nullam consensus Episcopi Ferrarien. tunc præstitus fuerit consumptus, verissimum tamen est omnimodam iurisdictionem penitus extinctam, ita vt nullus hodie possit sine nouo rescripto, & beneplacito Apostolico conditionem illam si in euidentem rescripto appositam verificare, nec enim possunt id facere Executores in literis Delegati, quia per sententiam nulliter latam omnem à se iurisdictionem abdicarunt ex supradictis, nec poterit Rota, quæ nullum habet mandatum de confirmando de nouo exequi, sed debet secundum formam suæ iurisdictionis cognoscere de validitate, aut inualiditate executionis factæ per iudices delegetos, & ita non potest applicari dispositio Clement. auditor. quæ procedere posset, si executor datus in dictis literis nondum processisset ad confirmationem dictæ alienationis, & ante illam causa fuisset deuoluta ad Rotam, quæ vigore dict. Clement. esset subrogata loco executoris, sed postquam expirauit & consumpta fuit illa authoritas, nihil superest in quo Rota possit succedere loco illius executoris. Et ita vtraque parte informante fuit dictum.

R. P. D. VEROSPIO.

Placentina Parochialis de Malpartida. Veneris 23. Ianuarij. 1615.

ARGVMENTVM.

Episcopus an, & quando excusetur à negligentia, & mora non conferendi beneficium, ex eo, quod Capitulum Sede vacante alium nominauit cum præfixione termini ad impetrandum Apostolicam prouisionem.

SVMMARIVM.

Episcopus non dicitur in mora conferendi beneficium, quando nominatus à Capitulo habuit terminum quatuor mensium ad impetrandam prouisionem Apostolicam, cum teneretur expectare rei euentum. nu.1.

Quasi possessio conferendi beneficia, & nominandi probatur ex prouisionibus Apostolicis. nu.2.

Impeditus quando teneatur probare adhibuisse diligentiam remouendi impedimentum, & illud remouere non potuisse num. 3.

Assertioni alicuius in his, quæ ab animo dependent, standum est. nu.3.

Concursum faciendi ius iurisdictionis est. nu.4.

Capitulum Sede vacante potest omnia facere, quæ iurisdictionis sunt. nu.4.

Causa probabilis etiam ex dubio iuris errore causata, excusat à mora. nu.4.

DE-

DECISIO DCXXXII.

1 POst multam in ista causa disceptationem, facto de mandato Dominorum per me discursu, fuit tandem in vltima eiusdem dubij propositione decisum, ob Capituli nominationem ad fauorem Ludouici de Mendoza, Episcopali Sede vacante factam, Episcopum dici potuisse impeditum, cum enim d. Ludouicus esset à Capitulo nominatus, cum profixione termini quatuor mensium ad prouisionem Apostolicã impetrandam, vtique dicebatur impeditus Episcopus, qui rei debebat euẽtum expectare, postquam ad Principis consistorium illa fuerat remissa. *Lancellot. de attentat. relat. pend. cap. 8. num. 5. Federic. de Senis consil. 132. num. 1. vers. in contrarium. Lap. alleg. 78. nu. 13. vers. sed negligens.* Et sic dici non poterat negligens *Feder. d. cons. 232.* & fuit dictum in causa Aretina Cappellaniẹ 1. Iunij 1611. coram Illustriss. Lancellot. ne prẹsertim huius Parochialis collatio deuolueretur, *cap. 2. & cap. quia diuersitatem, de concess. præben. cap. licet de supplen. negl. præl. Rebuff. in prax. titul. de deuol. numer. 56. in fine.*

2 Præterea cum esset in quasi possessione Capitulum ad similes Parochiales nominandi, vt constat ex prouisionibus Apostolicis datis, habuit Episcopus, durante remissionis termino, iustam dubitandi causam ne ad se collatio pertineret, & sic non fuit in mora, *l. 2. & 4. ff. de in ius voc. l. 2. ff. si quis caut. l. ab hostibus, §. sed quod simpliciter, ff. ex quibus causis maior. Bero. consil. 88. num. 36. libr. 1.* Ex quibus, & alijs deductis in discursu patet, Episcopum excusatum fuisse, cum præsertim non amara, sit interpretatio facienda, vt quis dicatur in mora constitutus, iuxta *glos. in capit. si clericus, in verbo, negligenter, de præbend. in 6.* Et tanto magis id procedit in casu nostro, vbi de spacium solum octo dierum agitur.

3 Non obstat, quod Episcopus non docuerit se conferre voluisse, nec omnem adhibuisse diligentiam, vt impedimentum remoueretur, cum enim ille deberet expectare, num Sanctiss. intra quatuor menses de hac Parochiali prouideret, nihil horum erat necessarium. *Felin. in c. ex transmissa. num. 2. vers. quæ omnia. de de præscr. Boer. dec. 40. num. 7. Rimin. sen. cons. 20. num. 27. lib. 1. Dec. cons. 498. n. 23. Ruin. cons. 12. sub nu. 8. libr. 5. Bero. cons. 88. num. 36. lib. 1.* Vltra quod idem Episcopus, vt ex eius depositione constat, habita notitia vacationis Parochialis semper habuit animum illam conferendi, cui assertioni standum videtur, tanquam de re in animo existente, *glos. in cap. significasti, il 1. in verb. si ita est, & ibi Felin. nu. 2. de homic. Rom. cons. 398. nu. 5.* Maxime quia talis voluntas requiritur, solum ad effectum declarandi animum impediti, quo casu illam sufficit quocunque modo apparere. *Alex. in l. 2. §. quod diximus, in fin. ff. si quis caut.*

4 Non obstat Capitulum facere non potuisse tales nominationes, & remissiones ad Sedem Apostol. cum hæc spectent ad Vicarium ab ipso deputandum, vt Sacra Concilij Congregatio declarauit, & sic Episcopum excusari non posse. Nam vltra, quod ista Concilii declaratio nondum emanauerat, Cum tamen ius faciendi concursum sit iurisdictionis, glossa in capite dilectus, verbo de lege iuririsdictionis, vbi DD. de offic. ord. Et Sede vacante Capitulum omnia facere valeat, quæ sunt iurisdictionis, nisi expresse prohibita reperiantur, vt per *Nauarr. cons. 44. numer. 1. de temp. ord. Gutier. Canon. quæst. 1. cap. 11. numer. 10. Rebuff. in prax. tit. de deuol. nu. 85. Pauin. de offic. & potest. Cap. Sede vacan. par. 1. quæst. 1. num. 3. cum seqq. & quæst. 5. nu. 2. versic. item regulariter Rota dec. 1. nu. 13. par. 2. diuers.* satis dicitur Episcopus, causam dubitandi probabilem habuisse, vel dubio iuris errore fuisse deceptus, vt excusetur à mora. *Felin. in c. de quarta, num. 27. de præscr. Butr. in cap. cum dilectus, de consuetud. 10. Andr. in cap. 1. de postul. præl. in 6. Alex. cons. 214. nu. 8. lib. 6. Natt. cons. 338. num. 10. Cephal. cons. 807. nu. 32.*

5 Nec releuat Episcopum, reiiciendo Ludouici nominationem à Capitulo factam, eam dixisse nullam, & inualidam, & sic illam fuisse talem non ignorasse. Quia per hoc ad scientiam de preterito non infertur non enim pugnat, quod Episcopus antea conferre voluerit, & dubitauerit de ipsis facultate, postea vero causa mature cognita, dictam nominationem fuisse nullam censuerit, &c.

DECISIO DCXXXIII.

Calaguritana Decimarum Veneris 23. Ianuarij 1615.

Impressa Apud Caualerio.

DECISIO 334.

DECISIO DCXXXIV.

Pistorien. Beneficii Veneris 23. Ianuarij 1615.

Impressa Apud Caualerio.

DECISIO 333.

DECISIO DCXXXV.

Palentina Cappellaniæ, Lunæ 26. Ianuarij 1615.

Impressa Apud Buratto.

DECISIO 92.

R. P. D. PAMPHILIO.

Farfen. Pecuniaria Lunæ 26. Ianuarii 1615.

AGVMENTVM.

Furtum commissum sine dolo, & culpa eius, qui pecunias exegit cedit in damnum eius cuius, nomine pecuniæ fuerunt exactæ.

SVMMARIVM.

Clausula parito iudicato dat iurisdictionem conditionalem, numer. 1.

Clausula parito iudicato præsupponit rem iudicatam, numero 1.

Appellatio ab excessiua taxatione conceditur, a die habitæ notitiæ, nu. 1.

Agens nomine alterius non sibi, sed ei cuius nomine agit, acquirit, nu. 2.

Furtum commissum absque dolo, & culpa exactoris connumeratur inter casus fortuito, nu. 2.

Furtum cedit damno eius, cuius est dominium rei furatæ, numer. 2.

Emptum nomine alterius, eique consignatum, licet ex pecuniis alienis, dicitur quæsitum ei, cuius nomine fuit emptum, nu. 3.

Im-

Imputari ei non debet, qui adhibet omnem diligentiam, vt liberetur ab obligationem. nu.4.
Furtum sine affectu furandi non committitur. num.5.
Debito in genere probato, quantitas iuramento probatur. num.6.

DECISIO DCXXXVI.

1 DOmini steterunt in decisis, nempe sententiam Rotalem ad fauorem Iosephi latam esse confirmandam, quia de illius validitate, & iustitia satis visum fuit constare ex decisionibus in hac causa factis. Nec obstare, quod pro inualiditate dicebatur, quod causa restitutionis in integrum fuerit commissa cum clausula parito iudicato, quæ dat iurisdictionem conditionalem. Nam quo ad sortem principalem, & fructus census de paritione satis constat ex actis, vt fuit deductum in hac causa coram R. P. Domino meo Manzanedo.21.Iunij 1610. & 10.Ianuarij 1611. Quantum vero ad expensas, placuit responsio, quod dicta clausula præsupponit rem iudicatam, quæ hic non adest, ne dum quia ab excessiua illarum taxatione fuit appellatum à die habitæ notitiæ, prout appellari potuit. Clem.appellanti.de appellat. Et tenuit Rota in causa Toletana Cappellæ. 14.Aprilis 1595. coram Illustrissimo Cardinale Mellino, & in alijs causis in dictis decis. relatis, sed etiam quia in huiusmodi taxatione vti facta post condemnationem, requirebatur citatio partis. *Marant.in prax. par.6. cap. de exeq. sub num.21. vers. & quid in taxatione*, quæ tamen citatio hic defuit, vt probatur ex reuolutione processus in quo non legitur *Dec.cons.483. num.6. Rot.in causa Senogallien. Syluæ coram Cotta, relat. inter impress. decis.62. num.2. par.1.diuers.* Et in causa Zamoren. Pecuniariæ. 9. Decembris 1608. coram R.P.D. meo Caualerio, & alias sæpissime.

2 Quo vero ad iustitiam, pariter visum fuit cessare, quod dominium pecuniarum, quæ fuerunt furto sub tractæ esset penes Iosephum, qui pecunias exegerat, & penes ipsum retinebat, quia illas non exegit nomine proprio, sed nomine Communitatis, cui propterea dominium ipsarum acquisiuisse dicitur. *l. 1. §.item acquirimus. §. per Procuratorem, & ibi glos. & Doctor. ff. de acquir. possess.* cum alijs adductis in istis terminis per *Aym.cons.247.num.1. vers. sed præmissis non obstantibus. & per totum.* Vnde cum furtum vti commissum absque culpa, & dolo ipsius Iosephi, connumeretur inter casus fortuitos. *l.si quis furtum.§.Imperator.ff.locati Menoch.consi.353. num.9.& seq.Honded.cons.90. num.10.lib.2.* Illud cedere debet damno ipsius Communitatis, penes quam erat dominium pecuniarum. *l.pignus.& ibi Doctor. C. de pignor.act.Gabr. de reb. cred.conclus.2.num.7.* Non autem damno Iosephi, qui vti simplex exactor, & Officialis Communitatis pecunijs exactis nullo modo vti poterat, sed easdemmet pecunias exactas in specie custodire, & restituere debebat, vt per *text.in l.1.& not.* ibi per *Bart. C.de aur. publ.persecut.libro 10.cum alijs allegat. tradit in terminis Paris. cons.156.num.27. libro 4. Dec.cons. 453. num. 6.* & faciunt adducta in hac causa sub die 21. Iunij 1610. coram R.P.D. meo Manzanedo.

3 Neque releuare, quod pretium ex quo fuit emptum frumentum, esset ipsius Iosephi, & aliorum qui censũ imposuerunt super eorum proprijs bonis, in quo licet postea Massarij Communitatis recognouerint bonam fidem, ipsi tamen non potuerint obligare Communitatem, præsertim non seruata forma Constitutionis fel.recordat.Clem.VIII.super bono regimine, quia vltra quod recognitio bonæ fidei à Massarij fuit facta pro emendo frumento, & sic ex causa necessaria annonæ ex adductis, coram Reuerendissimo D. Bononien. sub die 21. Aprilis 1603. Placuit etiam responsio, quod cum frumentum fuerit emptum pro Communitate illique fuerit etiam consignatum, dicitur quæsitum ipsi Communitati, licet fuerit emptum de pecunia aliena. *l.3. & l.multum interest. C.si quis alter. vel sib.* & tenuit Rota in causa Veneta census, coram Reuerendissimo D. Lugdunen. & coram me sub die 24. Februarij 1612. Vnde cum postea fuerit à Communitate distributum particularibus habita fide de pretio, & huiusmodi pretium fuerit exactum à Iosepho nomine Communitatis, illud dicitur sub dominio ipsius Communitatis ex supradictis.

4 Minus obstare, quod Iosephus vellet pecunias exactas ad Vrbem asportare pro extinguendo censu, & tamen Communitas instaret eas sibi consignari, quod Iosephus interpellatus facere recusauit, adeo vt non sine propria ipsius culpa Communitas postea mediãte attestatione, & carceratione illum coegerit ad eas deponendas penes Gubernatorem. Fuit enim responsum, quod Iosephus, & alij de anno 1600. imposuerũt censum super eorum bonis, vt subuenirent Communitati, quæ tunc egebat frumẽto pro eius hominibus à quibus cum postea fuerint pecuniæ recuperatæ bene potuit Iosephus saltem ex tacita conuentione pro sua liberatione adhibere omnem diligentiam, vt census extingueretur, ad *leg. si pro ea. Cod. mandati.* Vltra quod talem etiam post recuperationem fuisse mentem Commonitatis colligitur ex attestatione Antonij Ruffetti, qui tanquam caput Massariorum, & de ordine Syndici, & Procuratoris Communitatis ordinauit Iosepho, vt faceret disdictam Domini Census, alias fructus ei currerent. Ideoque non potest dici, quod Iosephus esset in culpa, seu mora, dum poterat se huiusmodi exceptione tueri. *leg.si quis solutioni.ff.de vsur.Surdus decis.179. num.15.*

5 Placuit etiam alia responsio, quod in omnem euentum, talis culpa, quatenus adesset, non potest dici ordinata ad furtum, à qua propterea tanto magis Iosephus visus fuit excusandus, iux. *l.qui iniuriæ, & l.verum la seconda. ff. de furt.cum similib.*

6 De quantitate dd. pecuniarum, quod ascendat ad sum. Scut. 600. satis visum fuit constare ex eo, quia pro simili summa Iosephus fuit carceratus, & sic verisimiliter non fuisset à carceribus liberatus, nisi consignata integra summa debita, concurrentibus præsertim alijs coniecturis per Informantes deductis, ac iuramento in supplementum à Iosepho præstito, quod sufficit ad istum effectum *Dec.cons.146.sub num.14. vers. & in hoc proposito.Surd.cons.94. num.27.* Et ita decisum, &c.

REVERENDISSIMO P. DOMINO MANZANEDO.

Perusina Ciuitatis. Lunæ 26. Ianuarij 1615.

ARGVMENTVM.

Iura ciuilitatis a statuto acerto modo concessa, non intelliguntur acquisita, nisi statuti dispositio perfecte sit adimpleta.

SVMMARIVM.

Statutum dictans certam formam esse adhiendam in examine testium cum clausula annullatiua, & irritanti, si præter illam formam testes sunt examinati, examen est nullum. num. 1.
Actio vt instituatur bene contra Ciuitatem, debet dari copia libelli Prioribus. num. 2.
Citatio personalis debet fieri in principio causæ. numero 2.
Citatio est necessaria ad videndum iurare testes, alias examen est nullum. num. 2.
Dictio Per, significat perfectionem actus. num. 3.

DE-

DECISIO DCXXXVII.

1 Contra sententiam de partibus fuit oppositum de nullitate, & iniustitia, & ex vtroque capite Domini pro illius reuocatione responderunt, quoad primam enim nullitas visa fuit ineuitabilis, cum statutum Perusinum sub rubr. 136. lib. 1. disponat depositiones testium in casu nostro esse recipiendas per collateralem, & Officiales Armarij, nec possunt alteri cōmitti cum clausula annullatiua, & decreto irritanti. Vnde censetur electa industria dd. iudicum, de quibus statutum confidit, & sic cum examen fuerit factum per Notarium de commissione Officialium Armarij apparet de nullitate, ad notata per *Verall. decisione 267. par. 2. & 136. par. tertia*. Vltra quod soli Officiales Armarij dictum examen commiserunt absque collaterali potestatis, cum omnes isti iudices desiderentur à statuto.

2 Alia nullitas deprehendebatur, quia fuit actum contra Ciuitatem, non data copia libelli Prioribus eiusdem Ciuitatis, vt requiritur per statutum in rubr. 42. libro secundo, habens etiam decretum irritans, & declarans, quod in hoc casu Syndicus non possit se ingerere, nec censeatur habere mandatum. Vnde etiam videtur resultare nullitas ex defectu mādati, vltra quod videtur actum fuisse contra Gilienum, tanquam Syndicum Ciuitatis non præcedente citatione personali necessaria in initio causæ. *Clement. 2. de re iudic. Caputaq. decis. 117. par. 1. Seraphin. decis. 1276. num. 4. Vant. de nullit. ex defectu citat. num. 83. in fine. Asin. in praxi. §. 6. cap. 1. num. 1.* quia & opponitur defectus, citationis ad videndum iurare testes, ex quo examen redditur nullum. *cap. 2. de testibus Rot. decisione 64. num. 1. par. 1. diuers.*

3 Iniustitia autem deprehendi videbatur ex eo, quod sententia declaret Magnanos per continuam etiam familiarem habitationem in Ciuitate Perusiæ esse affectos veros Ciues illius, & iura, priuilegia, immunitatesque Ciuitatis Perusiæ acquisiuisse, & cum dictum *statutum in rubr. 136. lib. 1.* requirat ad hunc effectum habitationem continuam per 30. annos, & sic illos completos, ex dictione illa per, significanti perfectionem actus. *l. vrbana prædia. §. pernoctare. ff. de verbor. signific. Roman cons. 301. nu. 13.* quæ perfectio d. temporis completi 30. annorum deest in casu nostro, cum ipsimet Actores dicant, se venisse Perusium in initio anni 1584. & sententia emanauit circa finē anni 1613. & sic per aliquos dies videatur non fuisse perfecte completum tempus dictorum 30. annorum.

REVER. P. DOMINO PAMPHILIO.

Romana Hæreditatis de Gabriellis. Lunæ 26. Ianuarij 1615.

ARGVMENTVM.

Aditio hæreditatis præsumitur, quando plures fratres iure dominij vltra eorum portiones rem possident, & qualiter quis dicatur hæreditatem adire.

SVMMARIVM.

Hæreditatis aditio probatur ex locatione rerum hæreditariarum, & fructuum perceptione. nu. 1.

Possessio bonorum hæreditariorum præsumitur ex causa aditionis, nisi probetur contrarium. nu. 1.

Possessio plurium in communi, non arguit hæreditatis aditionem. nu. 2.

Possessio plurium fratrum iure dominij in totum, vel vltra eorum portionem, facit, quod præsumatur aditio. numer. secundo.

Aditio præsumitur ex possessione, quando alias esset inconueniens, quod quis iniuste possideret. nu. 2.

Aditio hæreditatis præsumitur, quando vltra legitimam aliquid retinetur. nu. 3.

Aditio sub conditione facta non est aditio. nu. 4.

Actus legitimi non recipiunt diem, neque conditionem. nu. mer. quarto.

Adiens hæreditatem sub conditione si aliquid in hæreditate est, non repudiat. nu. 4.

Hæreditatem dicitur adire, qui soluit debita hæreditaria. num. 5.

DECISIO DCXXXVIII.

1 Pluries proposui dubium sub die 9. Decembr. 1614. in decisione reseruatum. An scilicet constet, Dominos Marium, Iulium, & Octauium adiuisse hæreditatem Dominorum Angeli, Hieronymi, & Æneæ fratrum, quod supradicta die 26. Ianuarij fuit affirmatiue resolutum, nempe constare de aditione, quia ex iis, quæ in facto deducuntur, satis apparet, quod Marius, & alii bona, quæ supradicti fratres prædefuncti de tempore obitus possidebant, vti domini locarunt, & eorum fructus vendiderunt. *§. pro hærede. Institut. de hæred. qualit. & differ. Bart. in l. gerit. num. 20. vers. si vero non poterat. ff. de acquirend. hæred. Aret. cons. 136. in princ. Alex. cons. 13. num. 1. lib. 3.* cum aliis adductis in causa Romana Census de Carducciis. 26. Octobris 1600. coram Reuerendissimo Bononien. quod etiam comprobatur ex eo, quia Marcellus auctor Domini Octauii in libello, cuius copia data fuit, fatetur, quod Marius, & alii supradictorum fratrum prædefunctorum bona, possederant, quia possederunt, in dubio adiuisse præsumuntur. *Baldus in l. pro hærede. in princ. ff. de acquiren. hæred. Mantic. de coniect. vltimar. volunt. libr. 12. tit. 12. num. 8.* & tenuit Rota in dicta Romana Census, de Carducciis.

2 Nec placuit, quod omnes supradicti fratres viuerent in communi, & superstites continuauerint possidere bona prædefunctorum iure communionis, quo casu ex possessione non præsumitur aditio. *Ang. cons. 173. per tot.* cum aliis allegatis. Quia fuit responsum id procedere, dummodo fratres superstites pro parte sua tantum possideant, non autem quando tanquam Domini rem communem in totum, vel vltra eorum portionem possident, prout in casu isto *l. duo fratres. & ibi gl. ff. de acquiren. hæredit. Bald. cons. 272. num. 2. vers. tertia ratio. lib. 3. Aym. cons. 33. nu. 14.* Tanto magis, quia bona, de quibus agitur, poterant pro parte possideri. *Bartol. in dicta l. gerit. nu. 27. ff. de acquiren. hæredit.* & si fratres superstites noluissent esse hæredes, bona spectabant ab intestato ad Marcellum fratrem illegitimum, quo casu eo facilius supradicti fratres possessionem præsumuntur adiuisse, ne alias dicantur aliena bona iniuste retinuisse. *Bartol. in dicta l. gerit. numer. 20. ff. de acquir. hæredit. Anchar. cons. 252. num. 3. vers. ad huius decisionem.*

3 Tollitur etiam, quod supradicti fratres potuerint illa possidere ex fideicommisso paterno, quia cum possederint etiam legitimam, quam fratres prędefuncti habebant liberam ab onere fideicommissi, sequitur omnino dicendum, quod adiuerint ex supradictis & faciunt deducta in supradicta Romana Census de Carduciis.

4 Minus refragantur, quod supradicti fratres interrogati in iudicio, an vellent esse hæredes, responderint per verba conditionalia sunt, & volunt esse hæredes, si aliqua bona habeant, quæ non inducunt aditionem. *l. eum qui. §. fin. ff. de acquiren. hæred.* ea ratione, quia actus legitimi non recipiunt diem, neque condi-

ditio-

ditionem, *vt not. ibi gl. per text. in l. actus. ff. de regul. iur.* & tradit *Roman. conf. 403. nu. 19. & 20.* Quia placuit responsio, quod cum non importent repudiationem. *Surdus cons. 398. nu. 38. & sequentibus lib. 3. Mantica de coniect. vltimar. volunt. lib. 12. tit. 14. num. 3. & sequentib.* non impediunt quo minus ex possessione cum alijs supra deductis dicti fratres dicantur adiuisse, & mutasse sibi causam possessionis. *Anchar. dicto consil. 252. num. 2. versic. ego dico.*

5 Præterea fuit ad idem per Dominos ponderatum, quod Iulius vti Administrator aliorum soluit nonnulla debita fratrum prædefunctorum, quæ licet essent modicæ quantitatis, ad inducendam, tamen aditionem cum alijs supra deductis plurimum releuant, ad *text. in l. 2. C. de iure deliber.* & ita decisum cum præsupposito, quod iura deducta pro parte filiorũ quondam Antonii sint in forma probanti, de quib. si opus erit, particulariter videbitur.

DECISIO DCXXXIX.

Veneta Donationis. Veneris 30. Ianuarij 1615.

Impressa Apud Buratto.

DECISIO 94.

REVERENDISSIMO P. DOM.

MANZANEDO.

Tirasonen. Iuris votandi. Mercurij 4. Februarij 1615.

ARGVMENTVM.

De probatione quasi possessionis interueniendi cum Canonicis in alienationibus rerum Ecclesiæ, & alijs contractibus, plura notanda de quibus in Summario.

SVMMARIVM.

Quasi possessio vnius actus extendenda est ad alios quosuis similes actus. nu. 2.

Priuare sua possessione quis non præsumitur ex actu contrario ab aduersario gesto, nisi in illo actu ad fuerit priuandi animus. nu. 4. & 5.

Quasi possessio vnius socij conseruatur per actus possessorios factos ab altero socio. nu. 4.

Quasi possessio interueniendi in rebus, & negotijs Ecclesiæ, probatur ex actibus Capitularibus. nu. 6.

DECISIO DCXL.

1 FVit resolutum 28. Maii 1612. Portionariis dandum esse mandatum de manutenendo in omnib. actibus, de quibus in eorum Summario. Et cum pars Capituli dictæ decisioni non acquiesceret, super eisdem causam reproposui, & partes dederunt tantam molem iurium, & scripturarum, vt dominis videretur necessarium dubium restringere ad aliquos actus, prout restrictum fuit ad actus concernentes alienationem bonorum Ecclesiæ, & ad concernentes lites, & ad respicientes ministros deputandos pro administrandis redditibus, & pro aliis negotiis Ecclesiæ gerendis, nec non ad actus concernentes arrendamenta redditũum Ecclesiæ, & super istis actibus dato dubio particulari ad illos restricto, & hodie illo proposito, Domini, quo ad primos duos actus respicientes alienationem bonorum Ecclesiæ, & lites, dixerunt dandum esse Portionariis mandatum de manutenendo, reseruatis aliis duobus actibus, vt de illis particulariter videretur.

2 Et moti fuerunt quo ad primum actum, quia pro parte portionariorum dantur plura instrumenta diuersarum alienationum rerum Ecclesiæ, nempe venditionum, compromissorum, concordiarum super decimis, & primitiis donationum, consensuum, reseruationis pensionum super eadem Ecclesia Tirasonen. & concessionis in emphyteusim, in quibus instrumentis, vna cum Canonicis interuenerunt portionarii, & pluries sub ista narratiua Canonici, & portionari Capitulantes, & Capitulum facientes, ex quibus videbatur non posse negari portionarios esse in quasi possessione interessendi in Capitulo, quoties tractabatur de alienationibus bonorum Ecclesiæ, & in illis vocem dedisse, & quod ista quasi possessio non sit restringenda ad actus alienationis expressos, sed potius intelligenda de quibusuis aliis alienationibus bonorum Ecclesiæ, quæ possent contingere, cum probata quasi possessione vnius actus illa extendatur ad omnes alios actus eiusdem speciei, & sic in nostro casu veniat extendenda ad omnes alios quosuis actus alienationum, vt notantur *DD. in l. 1. C. de emancipat. liber. & in leg. imperium. ff. de iurisdict. omn. iudic. & in cap. 2. de Cappel. monach. & Marian. Socin. in cap. cum contingat. nu. 34. de foro compet. Alex. cons. 68. num. 18. lib. 2. Crauet. de antiq. temp. par. 4. sect. 1. nu. 60. & bene Socin. cons. 111. num. 3. lib. 1. Paul. de Eleazar. in cap. in literis. nu. 19. & seq. de restit. spoliat. & Rot. decis. 17. nu. 2. 3. & 4. par. 2.*

3 Nec obstare videbatur, quod ista interuentio portionariorum in dictis actibus censeatur ex gratia Canonicorum cum illa excludatur ex multiplicitate actuum, vt dictum fuit in prima decisione. Nec dicta multiplicitas actuũ videtur diminui ex eo, quod omnes actus Portionariorum sint ab anno 1475. vsque ad annum 1602. & sic in spacio annorum 127. intra quod tempus in maximo numero Capitula fuerunt celebrata, cum ad minus singulis hebbomadis die Veneris Capitulum ordinarum fiat vltra alia extraordinaria Capitula, quæ celebrari solent, & sic respectu tã magni numeri Capitulorum videbatur dicendũ, non esse magnam multiplicitatem actuum datorum per Portionarios, vt ex illa possit inferri non processisse ex gratia Canonicorum. Quia fuit responsum, obiectum potuisse forsan procedere, si in omnibus Capitulis tractaretur de alienatione rerum Ecclesiæ. sed cũ hoc non ita se habeat, quin soleat tantum in aliquib. Capitulis per annum de dictis alienationibus tractari cum occasio se offert, & non semper adsit, ideo respectu Capitulorum in quibus à communiter accidentibus de istis alienationibus tractatum fuerit, videbatur quod actus dati per Portionarios sint in multiplici numero, ita vt ex illis excludatur præsumptio, quod fuerint facti ex gratia Canonicorum.

4 Minus obstant actus 56. dati pro Canonicis, in quibus Portionarii non interuenerunt, de quib. in Summario Capituli. num. 2. cum prædicti actus fuerint ab anno 1370. vsq; ad annum 1547. & sic per spacium annorum 177. & inde iudicabant Domini in tanto temporis curriculo dictos actus esse paucos, ad hoc, vt ex illis resultet animus Canonicorum priuandi Portionarios sua quasi possessione, prout requiritur ad effectum, de quo agitur, vt notat *Calder. in cons. 15. vers. & confirmantur de Iure patronatus, & decis. 716. nu. 6. & seq. par. 1.* ex qua potest alia responsio adduci, quod dicti actus portionariis non præiudicarunt, cum illorum ius, & quasi possessio cõseruaretur per actus Canonicorum cum actus vnius socii præseruent ius, & possessionẽ alterius, & attenta quasi possessione Portionariorum circa istos actus concernentes alienationem

nem rerũ Ecclesiæ videbantur socij Canonici,& portionarij, & sic præseruatur ius Portionariorum per actus Canonicorum. *Federic.de Sen.cons.102.n.3.Abb. cons.54. num.3. post med. vers.nam vbique lib.1. Put.dec. vltim.de Iure patronat.* quod ex eo maxime suadetur, quia post dictum annum 1547. in quo cadit vltimus actus gestus à Canonicis absque Portionarijs apparet portionarios interuenisse in actibus dictarum alienationum, vt constat in eorum Summario, *nu.* 8. 9. & 12. Vnde infertur, Canonicos in actibus, quibus portionarii non interuenerunt, non habuisse animũ illos priuandi, vt notat eodem argumento vtens, prædicta *dec.713. nu.7.*

5 Quod vero attinet ad actus concernentes lites apparet de quasi possessione portionariorũ ex eo, quod constat interuenisse in pluribus concordiis,& mandatis ad lites, & licet dentur plura mandata similia absque portionariis, facta à Capitulo absq; specifica nominatione portionariorum, responsum fuit, prout superius ad alios actus similes per Canonicos factos, quæ responsio superius data hic etiam adaptatur maxime, quia instrumenta Canonicorum sunt ab anno 1425. vsque ad annum 1582. & tamen isto medio tempore dantur alia mandata facta cum interuentu portionariorum quid & post actum vltimum Canonicorum. Vnde, vt supra dicitur, arguitur non habuisse animum Canonicos in mandatis per ipsos solos datis priuandi Portionarios prædicta sua quasi possessione, in qua ex superius adductis quo ad prædictos duos actus resolutum fuit, Portionarios manutenendos esse.

6 Maxime cum prædicta instrumenta, ex quibus prędicti actus possessorii eliciuntur, sint acta Capitularia, ex quibus dicta quasi possessio probatur, ad notata *in l.non idcirco, vbi Bald.in princ.C.de fid. instrumentorum*, cum aliis ad istud propositum adductis in prima decisione.

DECISIO DCXLI.

Calagurritana Beneficij de Auseio. Mercurij 4. Februarij 1615.

Impressa Apud Buratto.

DECISIO 95.

R. P. D. MANZANEDO.

Romana Census. Veneris 6. Februarij 1615.

ARGVMENTVM.

Census extinctio censetur facta per illius retrouenditionem, illiusque fructus exigi non possunt post relaxatum mandatum pro sorte principali.

SVMMARIVM.

Census remanet extinctus per illius retrouenditionem, nu. 2. ad finem.

Emptor census non potest ad sui libitum sortem principalem exigere, nu.3. in fine.

Emptor census exigens vltra fructus partem sortis principalis, post relaxatum mandatum pro sorte principali non potest amplius dicti census fructus exigere, quia post mandati relaxationem, & exactionem prædictam census censetur extinctus, nu.3.

DECISIO DCXLII.

1 Domina Clarix tanquam tutrix suarum filiarum emit à Ioanne Baptista, & Alexandro de Bellapanibus quandam vineam pretio Scutorum 808. ad cuius computum promisit soluere Annibali Scuta 600. pro extinctione cuiusdam census ad eius fauorem impositi per patrem ipsorum de Bellapanibus. Verum quia Clarix dictam extinctionem in longum protrahebat, dictus Ioannes Baptista ad se eximendum ab obligatione dicti census Scut. 300. & sic medietatem illius soluit Annibali vna cum fructibus illuc vsque decursis, & pro illa rata obtinuit sibi fieri retrouenditionem, & eodem contextu cessionem iurium contra filias dictæ Claricis ad prædictam extinctionem obligatas, cuius vigore prætendens non solum summam ab eo solutam recuperare, sed etiam tanquam emptor dictæ medietatis census fructus decursos, & decurrendos exigere in dicta exactione manuteneri instabat, prout ad eius fauorem fuit resolutum. 2. Iunii præteriti, sed antequam ad relaxationem mandati de manutenendo deueniretur, cum pro parte Excellentissimæ Dominæ Principisse Bozzoli vnius ex filiabus dictæ Claricis daretur maximus fumus extinctionis medietatis census, placuit Dominis ordinare, vt ad effectum manutentionis de illa videretur.

2 Vnde super hoc hodie dubio proposito Domini affirmatiue responderunt, moti ex eo, quod verba instrumenti cantant expresse in retrouenditionem, & extinctionem census, ibi retrouendidit, &c. & hanc autem retrouenditionem, &c. & cessio non fuit facta de censu, seu illius medietate, prout si Ioãnes Baptista illum emisset dictum fuisset, sed pro recuperanda, & exigenda quantitate per illum soluta si fillabus dictæ Claricis. Vnde fuit effectus creditor pecuniarum per eum solutarum, non autem census, qui per dictam retrouenditionem remansit extinctus. *Rot.decis.587.par.1. Seraph. dec.890. num. 1. par.1.* alias dictus census cuius ipse erat principalis debitor, & cui ipsius bona erant hypothecata, remansisset super re propria ad sui vtilitatem, quod est absurdum, cum res sua nemini seruiat. *l.cum res, C.de contrah.empt.l.suæ rei.ff.eod.l.neque pignoris, ff.de reg.iur.*

3 Vlterius cum de anno 1599. vigore dictæ obligationis de extinguendo Annibal, & ipse Ioannes Baptista obtinuerint mandatum exequutiuum, & sequestrum, tam pro sorte principali, quam fructibus, & in vim illius exegerint plures pecuniarum summas quæ longe excedunt fructus vsque tunc decursos, vt apparet ex quietentijs, & calculo datis in Summario Dominæ Principissæ, census remansit extinctus, vt fuit resolutum in illa Romana Census 29. Nouembris 1593. coram bonæ memoriæ Cardinale Pamphilio. Nam cum post relaxatum mandatum fuerit in facultate Annibalis repetere pecuniam, quando velet, census fuit statim resolutus, etiam quod non concurrant actus retrouenditionis, quia res deuenit ad casum, à quo incipere non potuit. A die enim suscepti mandati pro restitutione, sortis principalis ipsa sors cessit in debitum, ita vt vltra eam, non possint peti aliqui fructus citra vitium vsuræ. *c.pleriq.cum seq. 14.q.3. Laurent.de Rodulph.in tract.de vsur.q.1. nu.1, Couar.var.lib.3.c.1.n.1.* Non enim se compatiuntur, quod census duret, & sit in arbitrio emptoris repetere sortem, quando velit, quia licet venditori census sit permissa ad sui libitum illius redemptio, iuxta Constitutionem Martini Quinti, Calixti Tertij, & Pij Quinti, emptori tamen est omnino prohibita, cum alias esset certus de lucro. *Sot.de iustit.& iure.lib.6. q.5. art.3.in 1. concl.Conrad.de contract. q.84. conclus.5. Couar.vbi supra, cap.9. nu.4.*

R. P. D.

R. P. D. MANZANEDO.

Neapolitana iuris conferendi. Lunæ 23. Februarij 1615.

ARGVMENTVM.

Possessio probata post litem motam manutenibilis non est, probataque possessione de præterito, & de præsenti, præsumitur etiam possessio de medio tempore.

SVMMARIVM.

Possessio probata post litem motam, manutenibilis non est, numer.1.
Collationes factæ ab Episcopo beneficiorum, in quibus Abbas ius aliquod habere non prætendit, ipsi Abbati non præiudicant, nu.2.
Possidens de præsenti, & de præterito præsumitur etiam medio trmpore possedisse, nu.3.

DECISIO DCXLIII.

1 Domini steterunt in decisis, cum de quasi possessione Abbatis constet per plures collationes effectum sortitas ex deductis in decisione. Quibus non obstant plures collationes, quæ de nouo dantur pro parte Illustrissimi Archiepiscopi, quia illæ quæ respiciunt primiceriatus confratentias, & hebdomadarias per Abbatem prætensas omnes sunt post annum 1584. & sic post litem motam, vnde non videntur manutenibiles, tanquam clandestinæ, & attentatæ. *Seraph.dec.1165.nu.4.Benintend.dec.42.nu.4. Rot.dec. 10.nu.1.& 2.p.2.* Quin & cum multæ illarum sint factæ per va cationem prouisionum ab Abbatæ, probant effectuationem collationum illius, *iuxt.cons. Oldrad.229. toties à Rota canonizatum.*

2 Aliæ vero aut sunt, de cappellanijs iuris patronatus, & de quodam legato pio, super quibus Abbas nullum ius prætendit, aut factæ in mensibus reseruatis vigore indulti Cardinalibus, Archiepiscopis de more concessis, quæ non præiudicant Abbati, vt fuit dictum in vna Casalen. Iuris conferendi 19. Iunij 1608. coram Reuerendiss. Lugdunen. & in alia Nouarien. Canonicatus 1. Decembris 1608. coram bon. momer. Iusto.

3 Minus obstat, quod ab anno 1461. vsque ad annum 1559. & sic per 98. annos non appareat, Abbatem contulisse, quia constito de duobus extremis media possessio præsumitur, cum non doceatur Archiepiscopum de medio tempore possedisse, c. inter dilectos, de fide instrum. *Rot.dec.4.nu.12.p.2. Couar. in reg.possess.4. p.§.1.nu.3. vers.at si constet.de reg.iur.* & fuit dictum in Aquilegien. pensionis. 21. Maij 1610. coram me, &c.

R. P. D. VBALDO.

Rauennaten. Bonorum. Lunæ 9. Februarij 1615.

ARGVMENTVM.

Statutum Rauennæ sub rub. 13. lib. 3. excludens fauore agnationis conseruandæ feminas in gradu proximiores, propter masculos remotiores, est odiosum.

SVMMARIVM.

Dictio, prædicta, repetit omnia præcedentia, nu.1.
Statutum excludens feminas in gradu proximiores, propter masculos remotiores, est odiosum odio irrationabili, numer.2.
Statutum, excludens feminas propter masculos etiam remotiores, est fauorabile, causa conseruandæ agnationis, numer. 2.
Statutum prius venit declarandum ab alio statuto, quam à iure communi, nu.3.
Statutum omittens disponere de aliquo casu, relinquit illum in dispositione iuris communis, num.4.
Matri magis debetur hæreditas filiæ, quam debeatur sororis hæreditas sorori. num.4.
Parisius cons.59. nu.40. lib.3. explicatur, nu.5.

DECISIO DCXLIV.

1 Domini censuerunt non esse recedendum à decisis in hac causa sub die 16. Decembris 1613. potissimum moti ex fundamento desumpto ex statuto Rauennaten. *sub rubr.13. lib.3.* quod expresse loquitur in successione passiua filiorum, seu filiarum nepotum, seu neptum, & aliorum descendentium, qui intestati, vel intestatæ propriè, vel impropriè, vel intestabiles moriantur sine filijs, & prole ex legitimo matrimonio suscepta, & paulo infra in defectũ ascendentium masculorum, & descendentium statutum defert prædictam hæreditatem agnatis proximioribus, iuxta sancita in statuto sub rubr. quod possessiones, quod est sub rubr.11. in quo expresse legitur exclusas esse sorores, & alias feminas transuersales per agnatos vsque ad quartum gradum. Vnde intrat motiuum decisionis, quod aut hoc statutũ sub rubr.13. disponit, & induit vocationem agnati proximioris ad successionem prædictam, videlicet filij, vel filiæ intestati, vel intestatæ, cum illa dictio prædicta reperat omnia præcedentia. *Surd. dec. 119. num.9.* Et fuit dictum huius mensis, & anni, in Bononien. confinium, coram me, aut saltem illud declarat, vt latius in decisione, & sentit in his terminis *Gabr.cons. 14. sub nu.24. vers. Verum etiam, & num.25. lib.1. Menoch. cons.541. nu.17. libr.6.*

2 Non obstat præcipuum fundamentum informantium contra Decisionẽ, quod istud statutum est odiosum, odio irrationabili, ex quo vocat masculos in gradu remotiores exclusis feminis proximioribus, quicquid esset dicendum, si masculi vocarentur, exclusis feminis existentibus in eodem gradu. Ad Rotæ decisionem 780 *nu.7. & seq.p.1. diu.cum allegatis*, quia fuit responsum, quod stante ratione statuti conseruationis agnationis, contrarium fuit resolutum in terminis huius statuti in causa Rauennaten. hæreditatis 14. Aprilis 1606. coram R.P.D. meo Pamphilio, & fuit latè comprobatum in Nucerin. Bonorum 29. Maij 1602. cor. Reuerendiss. Damasceno. Vltra quod d. Decisio. 780. *p.1. diu.* fuit ordinatũ, vt reuideretur causæ montis Falisci fideicommissi, cor. R.P.D. meo Decano 13. Iunii præteriti.

3 Non obstant auctoritates Doctorum, qui sentiunt statutum excludens propter fauorem agnationis feminas à successione masculorum non censeri excludere à successione feminarum, *Castr.cons.119. nu.3. vsq. ad fin. p.1. Socin.iun.cons.23. num.48. & seq. libr.1. & alij quos recenset, & sequitur Surd.dec.9. num.6. quib. additur Cephal.cons.343. lib.3.* & reddunt illam rationem, quia non est tanta ratio conseruandæ agnationis respectu bonorum familie, cum iam existent de agnatione, vel destinata, vt exirent, vt per *Soc.iun.d.cons.23. nu. 51. & seqq. & tangit Surd.d.decis.9. num.6.* quia placuerunt responsiones in decisiones adductæ, & presertim quod non loquuntur in terminis, quando adest aliud statutum, vel declarans, vel disponens, quod agnati preferantur, etiam in successione feminæ, vt supra dictum est, & sentit *Gabr. d. cons. 14. num. 25.* Vbi quod statutum potius venit declarandum ex alio statuto, quam

quam à iure communi, tradit *Decius consil.11. col.2. & cons.65.nu.4.& cons.301.nu.10. Sym.cons.118. colum.2.* & addebat non deesse Doctores graues, qui contra dictam opinionem sentiunt, & *Curt. sen. consil. 9. per tot. Brun.in tract.de stat.exclud.feminas stant.mascu. art.5. q.13. num.80.& alij quos congerit Men.d.cons.541.num.24.& 34.*

4 Nec visum est obstare, quod statuto sub rub.13. vocet quidem agnatos ad successionem feminæ, sed ad exclusionem matris, & aliorum ascendentium ex linea materna, sed non loquitur quo ad exclusionem sororis, & ideo tanquam casus omissus à statuto debeat remanere sub dispositione iuris communis, *leg. commodissime.ff.de libe.& posthu. Bald.& Doct.in l.illam.C. de collat.* cum allegatis, qui vltra quod videbatur maior ratio in excludenda sorore, quam matre cui magis debetur hæreditatis filiæ, quam sororis sorori, & ex maioritate rationis non videtur prohibita extensio, cum potius sit comprehensio, quam extensio *Alexan. cons.65.nu.3.& ibi addentes.lib.3.Rot.dec.686.nu.2.par.1.diuers.& faciunt not.per Gab.d.cons.14.n.33.& seq.* Respondebatur etiam, quicquid esset dicen. de d. concl. quæ non caret contradictoribus, vt constat ex *Gab. in tit.de statu.concl.7.n.43.& seq.* de quo agimus non esse casum omissum à statuto, sed expressum, cum loquens de successione masculi & feminæ passiua, ad eam potius vocat ascendentes masculos ex linea paterna, & deficientibus dictis ascendentibus, & descendentib. continuatiuè in eorum defectus, & sic retentis semper ijsdem personis, quibus succeditur vocat collaterales iuxta sancita in priori statuto, in quo expresse soror ab agnatis excluditur vsque ad quartum gradum.

5 Tandem non obstat *Paris.cons.59.nu.40.lib.3.* quia secundum eius sententiam casus ibi omissus à statuto, de quo agitur erat, quando concurrebat auia, & soror vtrinque coniuncta defuncto cum sorore tantū consanguinea, quo casu consuluit ex dispositione iuris communis excludi sororem consanguineam, qui non sunt termini casus nostri. Ex quibus DD. permanserunt in decisis.

DECISIO DCXLV.

Bononien. Census. Veneris 13. Februarij 1615.

Impressa Apud Buratto.

DECISIO 97.

DECISIO DCXLVI.

Nepesina Laudi, Veneris 13. Februarij. 1615.

Impressa Apud Caurlerio.

DECISIO 337.

R. P. D. PAMPHILIO.

Amerina Domus, Veneris 13. Februarij 1615.

ARGVMENTVM.

Venditio facta à minore secundum formam statuti, cum iuramento, ac iudicis decreto valida est, & nō rescinditur ex capite minoritatis, maxime quando est facta ad dissoluendum æs alienum.

SVMMARIVM.

Venditio facta iuxta formam statuti Vrbis lib.1. cap. 113. non potest rescindi sub prætextu minoritatis. nu.1.
Iudicis decretum in contractu minorum facit, vt omnia præsumantur solenniter facta. nu.1.
Assertio facta à minore contrahente cum iuramento, & iudicis decreto, præsumitur vera. nu.2.
Minores viuentes in communi cum patruis præsumūtur habuisse pecunias patruorum in communi vtilitate. nu.2.
Venditio facta à minore causa dissoluendi æs alienum, vt sustineatur satis est, vt causa in parte verificetur. nu.3.
Aequalitas inter fratres est seruanda. nu.4.
Liber baptismi probat ætatem. nu.4.
Romæ maiores dicuntur qui 20. annum impleuerunt. nu.5.
Iuramentum firmat contractum puberis. nu.6.
Vtile per initile non vitiatur. nu.6.
Læsio non dicitur, vbi est promissio reciproca. nu.7.

DECISIO DCXLVII.

1 DOmini Silla, & Ascanius de Cansacchis vna cum Pompeio, & Ioanne Vincentio patruis de anno 1605. vendiderunt in Vrbe domum, quam pro indiuiso possidebant in Ciuitate Ameriæ. Verum cum de tempore Venditionis Silla, & Ascanius essent minores, cœperunt prætendere, Venditionem fuisse nullam, & propterea obtinuerunt mihi committi causam rescissionis, pro cuius expeditione dedi super hoc particulare dubium, quo supradicta die proposito Domini dixerunt, Venditionem sustineri, quia legitur facta pro pretio Scutorum mille, quibus Venditores indigebant, pro extinctione vnius Societatis officij Scutorum 600. & alterius Scutorum 400. quæ fuerant disdictæ, & pro quibus exequutio imminebat, nec habebant alia bona, quæ cum minori eorum damno vendi possent, ac insuper apparet facta iuxta forma *statuti Vrbis cap. 113. lib. primo*, cum authoritate Curatoris ad id loco coniunctorum absentium specialiter deputati, qui etiam iurauit venditionem non cedere in damnum vel præiudicium minorum, & causa plene cognita per Iudicem, qui cum interposuerit decretum præsumuntur omnia fuisse solenniter gesta, *Put.decisione 205.num.2.libro 3. Seraphin.decis. 217. num. 1.* & fuit dictum in causa Romana de Iacomellis 29. Aprilis 1611. coram Reuerendiss. D. meo Damasceno.

2 Neque obstare quod vigore dicti Statuti constare debeat, alienationem cessisse in euidentem vtilitatem minorum, quia satis de hoc visum fuit constare ex supradictis, nec aliud dicendum esse ex eo, quod Societates appareant contractæ ab ipsis patruis tantum, quia in instrumento venditionis dicti minores medio iuramento expressè asseruerunt, societates fuisse per eorum patruos contractas, etiam pro seruitio ipsorum, licet in eis hoc declaratum non fuerit, quæ assertio stante decreto Iudicis, & alijs solennitatibus præsumitur vera. *Seraphin.d.dec.217.n.1.* cum alijs supra allegatis, præsertim quia de illo tempore omnes viuebant in communione, quo casu satis verisimile visum fuit, quod dictæ pecuniæ, prout minores asseruerunt, versę etiam fuerint in communem vtilitatem *ad l.fin.C.de aliment.pupill.præstan.Menoch. præsumpt. 11. nu.1 lib.6.*

3 Minus subsistere, quod imò supradictæ asserrioni non sit standum, cum in casu isto clarè constet, quod in societate Scutorum 600. Petrignanus recognouit bonam fidem pro Scutis 150. & altera societas Scutorum 400. versa fuit in solutionem fructuum census, in quo supradicti patrui erant fideiussores, quia vltra quod post impositionem huiusmodi census Domini de Cansacchis dicebantur recognouisse bonā fidem, quic-

quicquid sit de hoc, placuit etiam responsio, quod minores non asseruerunt, pro qua parte supradictæ societates ad ipsos spectarent, sed quod fuerunt contractæ etiam pro seruitio ipsorum, quod sufficit in aliqua parte verificari posse ad sustinendam venditionem ex causa æris alieni, vt supra, solenniter factam, *cap. inter dilectos, de fid. instrum. Calderin. consil. 8. circa fin. de donat.*

4 Tanto magis qui etiam domus erat communis, & licet patrui in debito maiorem partem haberent, id ipsis imputari poterat in propria ipsorum portione habito respectu ad pretium domus, *l. cum in fundo, §. si fundus, ff. de iur. dot.* maximè vt inter eos seruetur æqualitas, quæ inter fratres est seruanda, vt per *text. in l. illud C. de collation. tradit. Socin. cons. 98. sub nu. 2. vers. postremo libr. 1.*

5 Præterea quo ad Sillam ex alio visa fuit cessare difficultas, quia de tempore contractus erat maior viginti annis, vt apparet ex libro Baptismi, qui probat ætatem. *Caputaq. decis. 314. num. 1. par. 1. Ioseph. Ludou. dec. Perus. 57. num. 7. par. 1.* in quo propterea non habet locum statutum Vrbis *libr. 1. cap. 113.* quod dum loquitur de minoribus, visum fuit intelligen. de minoribus viginti annis, secundum dispositionem eiusdem statuti in præcedenti capitulo 47. *ad text. in leg. si cum fundum. ff.* de verborum significationibus, & faciunt deducta in Bonon. census 17. Martij 1608. coram Reuerendiss. Domino Lugdunen.

6 Neque obstare, quod huiusmodi statutum non habilitet forenses maiores 20. annis ad contrahedum ex allegatis coram Reuerendissimo Patre Domino meo Buratto in causa Tudertina, seu Romana nullitatis obligationis, sub die quarta Iulij preteriti, quia satis est ad istum effectum, quod dictum statutum capitulo 113. intelligatur de minore viginti annis, ita vt dum versamur in maiore viginti annis, cesset illius dispositio, & remaneat in dispositione iuris cõmunis de quo talis contractus ex solo iuramento sustinetur. *authen. sacramenta puberum, C. si aduersus venditio.* & hoc casu tanto facilius esset standum assertioni contrahentis, ex quo etiam sine causa contrahere poterat. *Put. dec. 245. lib. 3.* prout etiam nihil facit, quod contraxerit cum solennitatibus, quia non vitiatur propterea contractus alias validus, ex regula capituli, vtile non debet, *de regul. iur. in 6.* quæ maximè locum habet ex contractib. *Tiraq. de retract. conuent. ad fin. tot. tit. nu. 145. Surd. dec. 248. num. 22.*

7 Quod autem dicebatur minores fuisse læsos, ex quo promiserunt de euictione pro patruis, visũ fuit cessare ex eo, quia patrui quoque promiserunt pro illis, adeo vt læsio ex hoc capite pro æquali promissione recompensata videatur, & venditio sustineri debeat, stante causa necessaria æris alieni, cum alijs supradeductis, ex quibus, &c.

DECISIO DCXLVIII.

Romana de Trincijs. Lunæ 16. Februarij 1615.

Impressa Apud Buratto.

DECISIO 98.

R. P. D. VEROSPIO.

Portugallen. Fructuum. Lunæ 16. Februarij 1615.

ARGVMENTVM.

Possessio an possit capi per procuratorem habentem mandatum cum clausula generali ad capiendas possessiones. Item an pro capienda possessione bonorum Ecclesiæ sufficiat, quod acquiratur possessio Ecclesiæ, & ex quibus possessio bonorum Ecclesiæ acquiratur. Item an possessio capta pro certa parte fructuum ante liquidationem dicatur incerta & quando manutentio competat ei, qui se habuit pro spoliato.

SVMMARIVM.

Possessio potest acquiri per procuratorem, nu. 1.
Mandatum cum clausula generali ad capiendas possessiones, sufficit pro capienda possessione, nu. 2.
Possessio bonorum Ecclesiæ penes Ecclesiam residet, nu. 3.
Possessio bonorum Ecclesiæ acquiritur per acquisitionem possessionis Ecclesiæ, nu. 3.
Vtile per inutile in indiuiduis non vitiatur, nu. 4.
Possessio non solum Ecclesiæ, sed etiam bonorum Ecclesiæ censetur capta per actus possessorios, de quibus in decision. numer. 5.
Possessio probatur ex locatione iuncta pensionis perceptione, vel alijs adminiculis num. 6.
Successor in officio Notarij potest instrumenta sui authoris publicare, nu. 7.
Successor in officio Notarij quis probatur ex sua attestatione numer. 7.
Possessio capta pro certa parte fructuum ante liquidationem dicitur incerta, nu. 8.
Fallit quando plures non facta liquidatione respectu quotæ possident. nu. 8.
Possessio instrumentalis alio existente in possessione non suffragatur, nu. 9.
Manutentio ratione ciuilis possessionis datur etiam ei, qui amisit naturalem, num. 10.
Possessio capta alio possidente nulla est, & inualida. nu. 10.
Possessio etiam sine causa potest acquiri, nu. 11.
Possessio sola sufficit in iudicio manutentionis, num. 11.

DECISIO DCXLIX.

De anno 1582. Gregorius XIII. felic. recordat. dismembratis duabus ex tribus partibus fructuum Ecclesiæ Sancti Martini de Cucuiaes, Ordinis Sancti Benedicti de consensu Antonij Gonzalez tunc Rectoris eas monasterio Monialium Sancti Benedicti Portugallen. applicauit cum facultate capiendi libere & absque vllius auctoritate, vel licentia possessionem. In vim huius dismembrationis Frater Gaspar, vti Monialium Procurator die 1. Martij 1584. possessionem istorum fructuum in ipsa Ecclesia Sancti Martini fuit adeptus, & successiue Moniales de mense Iunij sequenti eosdem fructus cum pensionis exactione locarunt, quod pariter sequentibus annis præstiterunt.

1 Cum autem postea fuissent hac possessione per fiscum Regium spoliatæ, litem in partibus instituerunt & interim Congregatio Sancti Benedicti sub prætextu alterius applicationis de mense Martii 1588. eiusdem Ecclesiæ possessionem accepit, qua tamen non obstante moniales 14. Aprilis sequentis fuerunt ad pristinam possessionem restitutæ. Vnde causa postmodum ad Rotam deuoluta, & mihi commissa, dubitaui cui dandum esset mandatum de manutenendo, Verum Dominis placuit, vt particulariter de monialium possessione videretur, & de quo tempore, super quo pluries dubio per me proposito nec resoluto tandem Rota firmauit, monialium possessionem ab

G 2 anno

anno 1584. cum illa tunc temporis mediante Procuratoris persona fuerit ipsis acquisita. *l.1.§ per Procuratorem.ff.de acquir.possess.Bart.in l.quod mihi donatum.ff. de donat.Couar.var.resolut.lib.3.cap.8.num.8. in fin.Veral. dec. 60. lib. 10. in manuscript.*

2 Nec releuat Procuratorem non habuisse speciale mandatum ad capiendum huiusmodi possessionem, cum sufficiat clausula generalis ad capiendas possessiones, quæ legitur in mandato. *gl.in l.1.§. per Procuratorem.ff.de acquiren.possess.Couar.vbi supra.num.9. Ferrett. cons. 220. nu. 12. vers. non obstat.*

3 Non obstat Procuratorem fuisse adeptum Ecclesiæ possessionem, quæ non suffragatur cum bonorum & fructuum possessionem capere debuisset. Cum enim d. possessio penes Ecclesiam resideret, *Rota dec.19.nu. 8.& sequent.par.2.diuers.Caputaq.dec.170.& 182.num.6. par.3.Seraphin.dec.1492.per tot.& præsertim num.3. Natta cons.572.num.10.* per illam vtique fructuum, & annexorum possessio potuit acquiri. *Rota dicta decis.19.sub num.8.par.2.Anchar.in cap.1.nu.12.de regul.iur.in 6. Felin. in capitul. auditis. num.19. de præscript. Couar.var. resolut. capitul.16.num.13.lib.3.Aymon.consil.54. num.14.& cons. 562.num.22.Afflict.dec.361.num.23.Alexand.cons.81.num. 17.lib.3.Rebuff.in prax.benefic.tit.de immiss.in possess. nu.26. Seraphin.dec.1447.num.3.Rota dec.1.de restitut. Spoliat. in Alex. nu. 4.*

4 Et licet respectu Ecclesiæ, quæ non fuit monialibus applicata, possessio non teneat, bene tamen respectu fructuum sustinetur, cum indiuiduis vtile per inutile non vitietur, *l.1. §. sed si mihi.Vbi DD.de verborum obligationibus*, & fuit in his terminis decisum in Portalegren. fructuum 17. Februarij 1595. coram Iusto.

5 Accedit per monialium Procuratorem in capienda possessione plures fuisse gestos actus possessorios, vt patet ex instrumento ibi per lignum, lapidem, regulam, herbam, & per aspectuum oculorum, &c.& ibi cepit naturalem, actualem, & corporalem possessionem d.Ecclesiæ, & de duabus partibus fructuum, ac de omnibus pertinentijs, & proprietatibus, qui actus non solum Ecclesiæ iurium, sed bonorum etiam apprehensioni conueniunt. *Paris.de resign.lib.10.quæstio.6. num.49.Menoch.de retin.possess.remed.3.num.569.Grammat. dec.71.num.6.Rebuff.in prax.benefic. tit.de immiss. in possess. num. 6.*

6 Præterea d. monialium possessio comprobatur ex bonorum de quibus agitur locatione facta de anno 1584. vna cum pensionis exactione. *Menoch. de retinen. remed.3.num.562.Gabr.de locat.concl.4.num.2.Natt.consil. 672. num.20.* nec non ex alijs locationibus iunctis adminiculis. *Bartol.in l.ad probationem.C.locati.& in l.Titia. ff.de solut.Felin.in capitulo.inte. dilectos.num.8.versic. item secus.de fide instrument. Grat.cons.50.num.48.lib.1.Menoch. de redint.remed.num.564.Socin.consil.11. num.4.lib.3.Cæsar de Graff.dec.10.de caus.possess.& propriet. Seraph.dec. 896. num.2.* Hic autem non solum adminicula, sed etiam probationes reperiuntur ex allegatis.

7 Nec valet dicere instrumentum locationum, & mandati procuræ non esse in forma probanti, cessat enim obiectum cum dd. instrumenta fuerint à successore in officio Notarij rogati publicata, vt ipse successor attestatur *Bart.l.si quis ex argentarijs. §.1.num. 3.de eden.Alexand.in auth.si quis in aliquo num.5. in fine.& ibi Ias.num.5.vers.10.Fallit Iacob.de S. Georgio. num.32. C. eodem Chisanen.dec.66. Felin. in capitulo. Albericus.num.2. de testibus. & in cap.fin.num.7.De fide instrument. Abbas in cap.cum P. Tabellio. eod.titul.* quæ successoris attestatio hic sufficit. *Verall. decisione 245. & decisione 286. part. secunda. Put.decisione 475. libro 2. Boer. decisione 118. num. quarto, Capic.decisione 71.num.7.Paris.de resign.lib.8.q.11. num. 50.*

8 Non obstat, possessionem incertam videri, vti captam de duabus partibus fructuum ante liquidationem, vt fuit dictum in Cæsaraugustana fructuum, 31. Ianuarij 1597. coram bon. mem. Cardinale Pamphilio, quia non dicitur incerta possessio, quando plures non facta liquidatione respectu quotæ possident, vt in casu nostro. *Socin.in l.3.§.incertum.num.5.post med.vbi Iason.num.16. prope fin. ff. de acquir. possess. Paris. consil.59.num.23.lib.1.Gozzad.consil.55.num.5.Rot.decisio 59. num. 2. part. secunda, diuers.*

Et fuit dictum in vna Romana Casalis Trifusæ 28. Maij, 1595. & 21. Iunij eius. coram Litta, & sic allegata decisio Cæsaraugustana non afficit, cum de bonorum applicatione loquatur, vsque ad certam quantitatem, per quam separatio, & liquidatio erat facienda quod secus hic accidit ex allegatis.

9 Nec refert moniales post captam possessionem se pro spoliatis habuisse, cum ad illam redintegrari petierint, nam per eosdem ministros qui eas ante spoliarunt, fuerunt 14. Aprilis 1588. realiter, & cum effectu redintegratæ & successiue possessionem continuarunt, vt ex pluribus locationibus postea factis apparet. Nec releuat intermedia Congregationis possessio sub die 14. Martij 1588. ante monialium redintegrationem capta, quia vel ministri Regij spoliatis monialibus penes se possessionem retinuerunt, & illa non fuit Congregationi acquisita cum instrumentalis alio existente in possessione non suffragetur. *leg. prædia. & leg. quamuis. §. primo. ff. de acquirend. possess.* vel non fuit à dictis ministris occupata possessio, sed fructus tantummodo sequestrati, vt Informantes, pro Congregatione supponunt, & isto casu de Monialium anteriori possessione dubitari non potest, ex allegatis.

10 Et quamuis dd. moniales redintegrari petierint, non inde tamen infertur eas cum naturali possessione ciuilem amisisse, vt eisdem manutentio competere non possit. *Pute. decisione 419. libro secundo. Menoch. de recup. remed. primo, num. 139. & remed. 15. numero 391.* & fuit dictum in causis Mediolanen. Paroch. 22. Iunij 1587. & Oxomen. Cappellaniæ 10. Martii, 1589. coram bon.mem.Cardin. Platto, cum quibus concordant decisiones in causa, Sanctæ Agathæ Gothorum 8. Iunii 1598. coram Gipsio in Romana domorum. 24. Februarii 1612. coram Reuerendissimo Patre Domino meo Vbaldo in Papien. bonorum 14. Maii eiusdem anni, coram bon. mem. Penia in Bononien. manutentionis, 16. Decembris 1611. & in Romana de Pinis, die 27. Ianuarii 1614. coram Reuerendissimo Domino meo Damasceno, ex quibus constat, possessionem à Congregatione medio tempore captam nullam, & inualidam fuisse. *leg. si duo, §. creditores. ff. vti possidet.Menoch.de retinend.remed. num.728. Afflict. decis. 363.num.4.& 327.num.2.Rot. decisione 27. num.7. par. 1. diuers.*

11 Nec obstat exceptio, quod contra formam literarum Apostolicarum fuerit facta fructuum dismembratio. Nam de illius iustitia hodie non agitur, cum sufficiat constare solum de possessione, quæ sine causa etiam potuit acquiri. *Bartol. in leg. quod meo numero primo, de acquirend. possess. Iason. in leg. 3. §. genero, numero 3. eodem. titul.* & sola in manutentionis iudicio suffragatur. *Bart. in dict. leg. 3. numer. 2. de acquirend. possess. & latè per Surdus, consilio 93. numero 12. Mohed. decisione 20. de restitutione spoliat. Couar. practic. quæst. cap. 17. numer. 5. Rota decisione 641. num. 8. part. 1. diuers. & cæt.*

R.P.D.

R. P. D. VBALDO.

Lucana Terrarum. Lunæ 16. Februarij 1615.

ARGVMENTVM.

Immissio conceditur contra bonæ fidei possessorem, non obstantibus melioramentis, quando non sunt liquida, præstita tamen cautione de referendis melioramentis, quando erunt liquida.

SVMMARIVM.

Immissio non impeditur sub prætextu melioramentorum, quando non scitur status rei, qualis fuerit, antequam detineretur ab aduersario, nu. 1.

Melioramenta qualiter debeant æstimari, nu. 3.

Testes deponentes de proprio iudicio in materia melioramentorum quid probent, nu. 3.

Melioramenta voluptaria sunt illa, quæ non augent fructus, numer. 4.

Melioramenta, vt debeant referri, debent perpetuo in fundo esse duratura, nu. 5.

Possessor bonæ fidei debet melioramenta cum fructibus compensare. nu. 6.

DECISIO DCL.

1 Fverat in hac causa resolutum, permutationem terrarum, de quibus agitur fuisse nullam, vt in decisione sub die 16. Decembris 1613. coram me. Vnde cum Rector Ecclesiæ, ad cuius fauorem emanauit decisio, prætenderet immitti in possessionem dictarum terrarum, fuit ex aduerso oppositum de melioramentis Ioannis ad ea probanda, & liquidanda, præter testes in alijs instantijs inductos, fuerunt etiam concessæ literæ remissoriales, & post reproductum processum, dedi dubium, an constaret de melioramentis, & ad quam summam in casu, & ad effectum, de quo agitur. Et effectus erat ad retardandam immissionem Rectoris, pro qua tamen immissione, non obstantibus dictis testium, Domini respondendum censuerunt. Licet enim ex deductis pro Guinisio constare videtur de nonnullis melioramentis, tamen quia non constat de statu anteriori terrarum istarum de tempore alienationis, quæ fuit de anno 1528. & sic longe supra ætatem testium, non potest sciri, quantum sit melioratum. *Curt. iun. cons. 165. nu. 2. in fin. & nu. 22. versic. sed difficultas, libr. 2. Honded. cons. 85. sub nu. 4. versic. 1. quia libr. 1.* & fuit dictum in Sutrina melioramentorum. 9. Decembris 1589. coram Seraphino, quæ est *dec. 898. num. 6. & in Paduana Iuris patronatus, 31. Maij coram eodem quæ est decisione. 952. nu. 3. par. 1.*

2 Præterea quatenus dicta melioramenta per testes probata essent necessaria, vel vtilia, tamen dicebant Domini, non probari, quot & quantum fuerit impēsum, vt dignosci possit, quantum sit reficiendum, cū sit tritum in hac materia, spectandum esse quod minimū est, adeo vt si impensa sit modica, licet melioramenta sint magni valoris, illud modicum sit reficiendum, & è contra, si impensa superat meliorationem, tantum sit restituendum, quantum est melioratum, *Bart. in l. in fundo, & ibi Doct. ff. de rei vend. Tiraq. de retract. conuent. §. 1. glos. num. 8. Neguf. de pignor. in 4. membr. 5. p. prin. n. 11. Valese. de iur. Emph. quæst. 25. n. 8. circa primum. Gard. de expens. c. 24. sub nu. 1. & seq. & fuit dictum in allegata dec. Seraph. 898. nu. 1. vbi de communi.*

3 Et licet aliqui testes deponant de certa quantitate, tamen non deponūt, nisi de proprio iudicio, & quod tantum verisimiliter potuit impendi, vt patet de testib. datis in Summario Guinisij *n. 4. & seq.* & sic enim probant iuxta tradit per *Curt. iunior. d. cons. 165. nu. 16. in fin. Dec. cons. 255. in causa nu. 5. & cons. 524. n. 6. Rot. dec. 29. n. 12. p. 1. diuers.* & similiter licet prædicti testes deponant de valore melioramentorum secundum tempus hodiernum, vt primus, & quartus ad 27. interrogatorium. Item primus, & tertius ad 77. item quartus super 35. articulo, tamen cum simus in melioramentis factis à prætenso tantum bone fidei possessore certum est, non attendi valorem de tempore restitutionis, sed quatenus sit impensum, si impensa sit minor melioramentis, vt supra dixi, quicquid esset dicendum, si melioramenta essent facta ab eo, qui prætenderet in re meliorata dominium directum, vel vtile, vt per *Doct. in l. domus, ff. de l. 1.* & ita per alias distinguunt *Garz. de expens. c. 24. nu. 6. & 3. Valese. d. q. 25. nu. 28. Neguf. vbi supr. nu. 16.*

4 Accedit, quod dicta melioramenta nec videbātur saltem pleraque esse vtilia, vel necessaria, ita vt venirent reficienda. Nam quo ad domum magnam, illa videtur potius fuisse impensa voluptaria, quam vtilis vel necessaria, cū ex ea non fuerint aucti fructus fundi, *l. 1. 2. & 3. & l. impensæ, & l. voluptariæ, & ibi glos. in verb. exornat. ff. de impens. in reb. dot. fac. l. impensæ. ff. de verbo signific.* & colligitur ex testibus aduersarii deponentib. quod domus fuit ædificata per Villeggiare & sic pro voluptate ædificantis pro sustentandis vitibus videbantur parum vtiles, & potius deseruire ad ornatum, & decorem, per fare, vt dicitur, vna pergolata, & idē dicendum videtur, & muris pro claudendo viridario, Fornax vero ad calcem coquendam hodie est damnosa, quia diruta. Fornellus pro pannis lauandis, nec etiam melioramentum vtile fundo dicitur, sed pro commoditate tantum Domini.

5 Quo vero ad meliorationes factas in plantatione arborum, & vitium, nec videbantur reficiendæ, cum non essent perpetuo in fundo duraturæ. *Florian. de Sancto Petro cons. 1. n. 8. & tenuit Rot. apud Cæsar. de Grass. dec. 13. in fin. eod. tit. quæ est repetita in dec. 398. nu. 6. p. 1. & 312. nu. 6. p. 2. diuers.*

6 Demum considerabant Domini, quod cum alienatio fuerit à principio nulla, vt fuit resolutum, Guinisius non potest prætendere fructus perceptos, nisi ratione bonæ fidei quo casu tenetur melioramenta cū fructib. perceptis compensare, *l. sumptus, ff. de rei vend. Neguf. in d. 4. membr. 5. p. princ. n. 12 Valese. de Iur. emph. q. 25. sub n. 29. Garz. de expens. c. 23. n. 38. Rota dec. 186. n. 5. p. 2. diuers.* & in Tiburtina locationis 5. Decembr. 1598. coram Illustrissimo Cardinale Mellino.

7 Quare attentis omnibus prædictis concluserunt Domini dandam esse immissionem Rectori, præstita tamen per eum cautione de reficiendis melioramentis quatenus melius ex aduerso liquidarentur, vel de iure venirent reficienda. Et ita decisum fuit.

R. P. D. VBALDO.

Mediolanen. Pensionis, veneris 20. Februarij 1615.

ARGVMENTVM.

Breuis est decisio, illiusque Argumentum in Summariis habetur.

SVMMARIVM.

Instrumenti verba sunt stricte interpretanda, & arbitrio iudicis, vel partis esse non debet supplere non expressa in instrumento, nu. 1.

Arbitrium expirat morte illius, qui arbitrium habebat, numer. 2.

Prorogatio termini quod sit longior primo termino absurdum est, num. 3.

DECISIO DCLI.

1 POst factam resolutionem in Rota sub die 12. Maij præteriti, applicationem pensionis, de qua agitur, fuisse per quinquennium tantum, instabant Beneficiati Officiales nuncupati pro immissione in quasi possessionem exigendi dictam pensionem, in cuius dubij disputatione, quia pro Canonicis opponebatur quod applicatio bonorum de Besate fuisset facta vsque quo fabrica fuisset perfecta, & horum fructuum loco, qui Beneficiatis per concordiam remanserunt, esset subrogata dicta pensio propterea Domini mandarunt, vt particulariter de ista applicatione bonorum de Besate videretur, fuisset ne facta tantum ad quinquennium, an potius vsque ad perfectionem fabricæ, quo dubio proposito, censuerunt applicationem dictorum bonorum expirasse, moti ferè ijsdem rationibus, quæ habentur in dicta Decisione 12. Maij præteriti, & præcipuè, quia in eodem instrumento de anno 1583. in quo per deputationem fabriceriorum S. Carol. glor. mem. censetur fecisse dictam applicationem, vt fuit iam resolutum, eadem conceptione verborum vtitur respectu bonorum Caluenzani, Besate & pensionis, vnde nulla ratio suadere videtur, vt si applicatio Caluenzani, & pensionis fuerit temporalis ex rationibus in Decisione adductis, respectu bonorum de Besate debeat esse perpetua, vel vsque ad perfectionem fabricæ, cum hoc in instrumento non legatur, nec in arbitrio partis, vel Iudicis esse debeat, supplere non expressa in instrumento. *arg. l. quicquid adstringendæ. ff. de verbor. oblig. Alex. cons. 46. num. 4. lib. 2. Dec. cons. 552. & cons. 555. in princ.*

2 Neque obstare dixerunt, quod maiorem de bonis Besate disponendi facultatem S. Carolus haberet, quã de alijs prædictis, cum in his facultas esset restricta ad quinquennium, vt firmat Decisio, in illis autem nullum esset præscriptum tempus, immo simplex esset facultas collata in arbitrium Cardinalis & in quoslibet vsus sibi bene visos, posset eorum fructus conuertere, vt latius in Breui fel. rec. Gregorij xiij. continetur, quia fuit responsum hodie non disputari de facultate Cardinalis, sed quicquid sit de ea, certum est ipsum tali facultate non fuisse vsum, cum nullibi legatur talis applicatio expressã, sed solum colligatur ex deputatione fabriceriorum parisormiter facta de omnibus, vt supra dixi. Vltra, quod in omnem euentum dictum arbitrium expirasset per mortem S. Caroli. *Bart. in l. centesimis. §. fin. nu. 9. & seq. ff. de verb. oblig. Gozad. cons. 22. num. 10.* & confirmatur, quia cum prima istorum bonorum dispositio fuisset facta solum ad quinquennium, hæc inseruire videtur ad interpretandam mentem disponentis, quod scilicet voluerit in secunda dispositione applicare ad tãtumdem temporis spacium, non autem vsque ad perfectionem fabricæ, ne sequatur absurdum, vt prorogatio sit longior primo termino. *Bald. in cap. fin. nu. 32. de consuetud.* & fuit consideratum in decisione huius causæ. 12. Maij præteriti quod etiam videbatur Dominis sapere magnam æquitatem, cum Domini Canonici recuperauerint bona Caluenzani, & in proprios vsus eorum fructus conuertant, ideo non videntur debere prætendere, quod bonorum Besate DD. Beneficiatis semel applicatorum fructus perpetuo remaneant affecti ad fabricam perficien. ex quibus, & alijs deductis in dicta decisione, & per Informantes, fuit, vt supra, resolutum.

DECISIO DCLII.

Virdunen. Abbatiæ, Veneris 20. Februarij 1615.

Impressa Apud Buratto.

DECISIO 100.

R. P. D. PIROVANO.

Romana Lucri Dotis, Veneris 20. Februarij 1615.

ARGVMENTVM.

Statutum Vrb. cap. 131. libro primo, disponens, quod marito superstite liberis extantibus maritus totam dotem lucretur, quam tamen secundum iuris dispositionem liberis eiusdem matrimonij reseruare teneatur, ad fauorem filiorum nihil disponere dicitur, sed solum ad fauorem mariti, quo ad determinationem lucri.

SVMMARIVM.

Lucrum dotis illud solum dicitur merito delatum à statuto, quod maritus habet cum effectu, ex titulo lucratiuo. num. primo. 1

Vsusfructus per mortem vsufructuarij redit ad proprietarium etiam ignorantem. nu. 1.

Fideicommissi proprietas libera remanet apud grauatum vbi fideicommissarius præcedit. nu. 2. & nu. 3. Vbi adducitur ratio.

Pater, vel mater transiens ad secundas nuptias libere omnia sibi peruenta ex successione filiorum primi matrimonij lucratur, vbi filij ipsi matri, vel patri prædecedunt. nu. 2. & nu. 3. Vbi adducitur ratio.

Statutum disponens, quod marito superstite liberis durantibus maritus totam dotem lucretur, quam tamen liberis communis matrimonij reseruare teneatur, dicitur disponere solum de lucro dotis ad fauorem mariti, cui nec de iure communi, neque ex testamento, neque ab intestato prouisum fuerat, non vero ad fauorem filiorum, quibus naturali ratione, & iure communi prouisum est. numero quarto.

Vbi quod tunc censetur reseruatum filijs ius legitimæ successionis, maxime si statutum reseruat secundum iuris dispositionem, & quod verba reseruare teneatur, nihil de nouo filijs tribuant, & censeatur prolata ad excludendum maritum, & restringendum lucrum, ne transeat in proprietatem.

Contrarium vero, quod scilicet vbi statutum dicit lucrentur, vel habeant, filij possint succedere ex statuto omisso iure hæreditario, nec mater possit de dote testari. nu. 6.

Pro concordia dic, quod aut verba statuti diriguntur ad maritum, & tunc per verbum lucretur, nihil filijs defertur inducendo nouam successionem sed solum fauorem mariti determinatur lucrum, aut verba diriguntur in filios, & tunc tanquam dispositiua directa apta sunt inducere nouam dispositionem, & dare successionem ex statuto & tunc mater non potest disponere de dote auferendo filijs per vltimam voluntatem quod ijs à lege datum est, aut vero statutum vtitur verbis communibus prout remaneat, vel reseruare teneatur, & tunc quia dos potest remanere, vel conseruari in filios iure communi per successionem ab intestato, vel ex iuramento, satis est, quod dos filijs remaneat, vel in eos conseruetur prout iura disponunt, absque eo, quod inducatur noua successio iure communi derogando. nu. 7.

Maritus id quod lucratur vxore mortua liberis communibus reseruare tenetur, quantum ad proprietatem, vsufructu

fructu sibi retento. num. 5. Vbi quod tunc lucrum modificatur, & excipitur proprietas, ne transeat in dispositionem in præiudicium filiorum.

DECISIO DCLIII.

CVm Catherina Piuzzella prædecessisset Saluatori Adobato eius marito, relictis filijs ex eodem matrimonio, apertum fuit illius testamentum, in quo filios suos hæredes instituebat, & si contigerit eos sine filijs decedere substituit Annibalem eius fratrem, & casus mortis eorum superuenit. Vnde incidit quæstio, an testamentum Catherinæ posset suffragari Annibali, quod totum pendebat ab intelligentia *Statuti Vrbis Capit.* 131. *libro primo* in quo disponitur, marito superstite liberis extantibus maritus totam dotem lucretur, quam tamen secundum iuris dispositionem liberis communis matrimonij reseruare teneatur, quasi propter lucrum totius dotis marito delatum, & attento onere eam filijs reseruandi adempta sit facultas vxori, & matri respectiuè disponendi de dote in alios, quam in filios, cum ad eam consequendam etiam non hæredes contra voluntatem matris ex statuto venire possint.

1 Verum antequam caperetur resolutio super facultate testandi, placuit Dominis in primis firmare statutum non dare marito, nisi vsumfructum reseruando de alijs particulariter videre. In hac enim materia illud tantum spectatur, quod maritus habet cum effectu ex titulo lucratiuo, & non aliud. *Bal. in l. hac edictali. num.* 10. *&* 19. vbi etiam *Bertrand. in versic. ita tamen. num.* 4. *& in* 1. *numer.* 32. *&* 34. *Cod. de secund. nupt. Gabr. consil.* 13. *num.* 32. *vol.* 2. Ideo cum mortuo marito de dote nihil remaneat penes eum propter verba Statuti ibi, Quam tamen secundum iuris dispositionem liberis communis matrimonij reseruare teneatur, satis patet effectu inspecto, quod totum mariti lucrum restringitur ad vsumfructum, cuius natura est cum morte habentis commoditatem terminari, & ad propietarium etiam ignorantem redire, vt bene declarat *Tiraq. in tra. le mort saisit. par.* 3. *decl.* 1. *nu.* 6. *&* 7.

2 Nec videtur concludens consequentia alterius effectus considerati ab Informantibus Saluatoris, vt scilicet cessante postea onere reseruationis per predecessum filiorum dos lucrata remaneat apud maritum sine vllo onere, prout remanet proprietas penes heredem grauatum, quando fideicommissarius prædecedit. *l. cum pater.* §. *libertis l. qui solidum.* §. *penult. de leg.* 2. *Peregr. de fideicomm. art.* 52. *num.* 2. vel quando filij prædecedent patri, vel matri transeuntibus ad secundas nuptias, qui liberè lucrantur omnia, quæ prouenerunt ex dote, vel ex sponsalitia largitione, per *l. feminæ. in fin. Cod. de secun. nupt.* quem *text. extendit Rota in patre, Put. decis.* 4. *in fin. lib.* 3.

3 Nam quo ad grauatum mirum non est, quia onus restituendi alijs non impedit, quin prius bona pleno iure ad eum transferint, *l. generaliter.* §. *sub conditione. ff. qui, & à quibus. Bald. in l. voluntas, num.* 10. *C. de fideicom. Peregr. eod. tit. art.* 40. *num.* 6. non sic quo ad maritum, in quem proprietatem transire per reseruationem non probatur. Quo ad l. feminæ illius dispositio bene procedit per reconsolidationem, quando semel proprietas transiuit in coniugem, prout illam intellexit Rota in Placentina Antifati, primo coram R. P. D. Pamphilio 6. Iunij. 1614. & postea coram R. P. D. Remboldo 12. Iunij 1615. secus vt in præsenti, in quo adhuc non iustificatur proprietatem in lucro remanere.

4 Secundo intentio statuentium ea etiam colligitur vt disponerent de lucro dotis ad fauorem mariti, cui de iure communi, neque ex testamento, neque ab intestato prouisum fuerat, non verò ad fauorem filiorum, quibus naturali ratione, & iure communi prouisum est, vt in simili Statuto considerat *Cuman. consilio* 48. *in fin. & sequitur Dec. cons.* 386. *num.* 7. *vers. & idem.* & eo in casu dicebat Cuman. nihil ex Statuto deberi filijs, sed in dubio eis videri conseruatum ius, legitimæ successionis, quod tamen dubium in præsenti etiam tollitur, dum expresse Statutum reseruat secundum iuris dispositionem, & sic alio iure filij capere debent dotem, quam ex Statuto per quod verè filijs nihil defertur, vt fuit firmatum in terminis huius Statuti in Romana Prætensæ dotis 25. Decembris 1594. coram Corduba. Vnde cum Statutum vtatur illis verbis quam tamen reseruare teneatur, quæ filijs nihil de nouo tribuant, sequitur prolata fuisse ad exclusionem mariti, & ad restringendum lucrum ne transiret in proprietatem, *Dec. d. consilio* 386. *numero* 7. *versi. illa verba*, & aperte firmatur in decisione Romana Successionis de Taliaferris 9. Martij 1607. coram Archiepiscopo Lugdunen. & iterum in Romana Lucri dotis 19. Decembris 1608. coram Archiepiscopo Bononien.

5 Et prædicta videntur ad literam disposita in *Auth. vxore mortua Cod. de secund. nupt.* in qua dicitur vxore mortua, quod vir lucratur filijs, communibus omnimodo reseruatur, quantum ad proprietatem vsufructu patri concesso, per reseruationem enim modificatur lucrum, & excipitur proprietas, ne transeat in dispositionem in præiudicium filiorum. *Crau. consilio* 214. *num.* 14. *Becc. consi.* 74. *num.* 14. *Surd. decis.* 63. *nu.* 18. & per eam similiter nihil noui fauore filiorum inducitur, cum reseruatio sit apta tantummodo conseruare, quod reperitur conseruabile, non autem noua determinare *Crau. cons.* 29. *num.* 8. *consi.* 974. *num.* 17. *Surd. consil.* 152. *num.* 29. *lib.* 2.

6 Nec refert, quod Castren. & eum sequentes in *leg. si cum dotem. num.* 12. solut. matr. dicat, secus esse si Statutum dicat lucrentur, vel habeant, quia tunc filij ex Statuto possunt succedere omisso iure hæreditario, nec mater potest de dote testari, quam distinctionem admisit Rota in causa Esina Dotis 5. Iunij. 1595. coram Blanchetto, quæ est eadem in qua consuluit. *Honded. consi.* 16. *lib.* 2.

7 Quia dum Statuta differunt inter se in deferendo lucro respectu personarum, & in modo, ita & diuersimode sunt intelligenda, nam si verba dirigantur ad maritum, vt in præsenti Statuto, tunc per verbum lucratur, nihil filijs defertur inducendo nouam successionem, sed fauore mariti determinatur lucrum, vt supra dictum fuit. Si verò verba dirigantur in filios, *vt in Statuto per Castr.* supposito, & tunc bene dicit Castr. quia verba liberi lucrentur, vel habeant, tanquam dispositiua directa sunt apta inducere nouam dispositionem, & dare ex illo Statuto successionem, quo stante mulier non potest disponere de dote auferendo filijs per vltimam voluntatem, quod eis à lege datum est, vt considerat idem *Castr. consilio* 122. *in* 3. *du. dubio* 1. *part. & Osasc. decis.* 20. *nu.* 7. *Thessaur. decis.* 34. *nu.* 1. secus vero si Statutum vtatur verbis communibus, prout remaneat, vt in Statuto Esino, vel reseruare teneatur, *vt in hoc Statuto cap.* 131. & tunc quia dos potest remanere, vel conseruari in filios alio iure, nempe iure communi per successionem ab intestato, vel ex testamento, satis est, quod dos filijs remaneat, vel in eos conseruetur, prout iura disponunt absque eo, quod inducatur noua successio iuri communi derogando, vt ponderat *Cuman. in consil.* 48. *in fin.* & idem *Castr. d. consi.* 82. *in fin.* Atque ita visum est Dominis Statutum, de quo agitur, disponere solum de lucro dotis fauore mariti in vsufructu consistente, & nihil noui fauore filiorum inducere.

DE-

DECISIO DCLIV.

Extra Rotam. Ciuitatis Castelli, seu Romana Sequestri 30. Martii 1615.

Impressa apud Buratto.

DECISIO 105.

REVERENDISSIMO P. DOMINO MANZANEDO.

Terdonen. Bonorum, veneris 11. Martii 1615.

ARGVMENTVM.

De nullitate examinis testium ex duobus defectibus, de quibus in summario.

SVMMARIVM.

Testium examen si alicui delegatum fuit, potest delegatus ille aliquem particularem articulum concernentem merum factum subdelegare, nisi fuerit electa industria personæ ipsius delegati. nu. 2.

Testes dicuntur nulliter examinati, si fuerint examinati in alio loco, quam in designato in citatione. nu. 3.

DECISIO DCLV.

1 FVit resolutum, parte Reuerendissimi Episcopi Terdonen tantum in formante, 15. Decemb. proxime præteriti, testes DD. de Bassis non fuisse valide examinatos, ad quorum instantiam hodie iterum super eisdem, partibus auditis, & vtraque parte informante, causa reposita, DD. in decisis standum dixerunt. Placuit enim nullitas in prima decisione considerata, quod iudices Commissarij tenebantur per se ipsos informationes sumere, & non poterant examẽ Testium Notario subdelegare, prout fecerunt ex iuribus, & rationibus in decisione adductis.

2 Quibus non videbatur obstare, quod delegatus possit aliquem particularẽ articulum concernentem merum factum subdelegare, iuxta textum in Clem. vnica. & ibi *glos. de officio delegati.* Hoc enim procederet, quando non esset electa industria personæ delegatæ, prout illum textum declarandum voluerunt *ibi glos. primam & Card. numero 4. & Imol. in princi.* & quod in casu nostro, industria personæ fuerit electa, satis in dicta decis. fuit ostensum, & iuribus comprobatum. Vltra quod in casu nostro non fuit subdelegatum nudum factum, sed totum examen, & sic citationes testium, & receptiones iuramentorum, quæ cum sapiant iurisdictionem, non poterant Notario committi, iuxta eandem *glos. in dicta Clem. vnica. Card. Arcar. Abb. & alios in prima decisione relatos.*

3 Prout etiam placuit alia nullitas deducta ex examine testium, non facto in loco designato in citatione. Nec responsio visa fuit sufficiens, nempe, quod stãte prima citatione ad totam causam, ista designatio loci facta in citatione, non fuit necessaria, sed ex abũdanti. Quia respondetur satis esse, quod videatur induci dolus dum citatur pars de actum præiudicialem in vno loco faciendum, & postea fit in alio. Ex quibus pro nullitate dicti examinis, fuit resolutum, & quamuis decisio amplectatur alias duas nullitates, quia tamẽ circa illas Domini varie sentiebant, illis pro nunc omissis, ex superioribus adductis steterunt in decisis.

REVERENDISSIMO P. DOM. COCCINO DECANO.

Asten. Pensionis, Mercurii 11. Mart. 1615.

ARGVMENTVM.

De vi, & effectu gratię concessæ cum clausula motu proprio, quando sic concessa dicatur, & quando etiam possit de subreptione gratiæ opponi, & de probatione familiaritatis plura de quibus in summario.

SVMMARIVM.

Literæ Apostolicæ, continentes gratiam pensionis reseruatæ Motu proprio, sunt exequendæ, licet impetrans non iustificauerit illam, neque sit in quasi possessione exigendi pensionem. nu. 1.

Motus proprius concessus ad instantiam partis idem operatur, quod concessus ex mera liberalitate Principis. nu. 1.

Opiniones vbi sunt controuersæ, Rota eam sequitur, quam praxis Curiæ Romanæ magis amplectitur. nu. 2.

Gratia concessa Motu proprio differt à gratia concessa sub clausula sicut accepimus. num. 2.

Papæ attestatio de facto alieno probat, quando est in gratia Motu proprio. nu. 3.

Clausula sicut accepimus posita in gratia facta Motu proprio non est iustificanda, secus in gratia ad supplicationem partis. num. 3.

Motus proprius non obstat, quo minus possit opponi de surreptione proueniente ex re ipsa, & etiam de ea, quæ prouenit ex parte impetrantis, quando ad suggestionem partis obtinetur. num. 4.

Tempus certum regulariter in iure non est præfinitum ad expediendas literas beneficiorum, ac pensionum. nu. 4.

Clausula, quod Papa reseruat pensionem exigendam vigore literarum desuper expediendarum in eiusdem pensionis reseruatione opponi solet. nu. 4.

Possessio Beneficiorum non potest capi ante expeditionem literarum. nu. 5.

Gratiæ ex sola signatura factæ validitati illud non obstat quod per Regulam Cancellariæ non est iudicandum, iuxta formam supplicationis, sed literarum. num. 5.

Gratia pensionis facta translatario cum designatione loci, ac terminorum exprimendorum in literis expediendis pro priore gratia, sustinetur, licet illæ non fuerint expeditæ. num. 6.

Cancellaria cum sit organum Papæ, potest declarare, ac exprimere in literis translatarij locum, ac terminos soluendæ pensionis, qui in supplicationem prioris gratiæ virtualiter continebatur. nu. 6.

Gratia facta motu proprio potest notari de defectu intentionis num. 7.

Monacho, & cuiuis Regulari Papa pensionem reseruare potest, & cum Equite Hierosolymitano expressa sibi eius conditione, eo ipso quod reseruat dispensare censetur. num. 7.

Familiaritas inseruientis Cardinali semel probata præsumitur durare etiamsi illa alteri Principi ad tempus modicum inseruierit. num. 8.

Testium dignitas, ac magna subtilitas ad fidem assertioni faciendam, est consideranda. num. 9.

Attestatio Cardinalis ad fauorem sui familiaris quamuis non plene probet, facit tamen magnum adminiculum. numero nono.

DE-

DECISIO DCLVI.

1 Placuit Dominis Decisio in hac causa facta 19. Ianuarij præteriti, Nam cum translatio pensionis fuerit facta Motu proprio, etiam quod D. Equens non iustificauerit gratiam, neque sit in possessione exigendi; nihilominus literæ debent exequi. *Abbas in cap. dudum, num.3. de priuileg. cum alijs ibi adductis*. Et quamuis replicaretur; quod ista limitatio fallit, quando Motus proprius fuit factus ad instantiam partis, ex *Parisio cons.1. num. 76. libro 1. Apostill. ad Alexand. in consi.112. in verb. inserta. lib. 7. Bellamera consilio 33. numero 22. & 23. & Dec. 745. incipit, licet obseruet Romana Curia. num.8. versic. item est alia ratio*, & allegabatur etiam *Decisio Seraphini 1339. num.4. iuncta dec.1371. in pr.* Attamen dixerunt Domini contrarium esse verius, quia idem operatur Motus proprius concessus ad instantiam partis, quam Motus proprius ex mera liberalitate Principis, vt ex sententia Rotæ probat *Gambarus de offic. legat. libro 3. nu.61. & sequentibus* quem refert & sequitur *Serbph. decis.365. num.1. & 2. Dec. cons. 51. num.2. vers. nec obstat. Baldus in cap. nisi spectabilis. nu.4. de officio ordin.* vbi eleganter.

2 Non obstat Parisius, & alij supra allegati, quia responderi potest, & præsertim ad decision. *Bellam. quod ex sententia Rotæ, Gambar. vbi supra nume. 64.* illam reprehendit, & in isto conflictu sufficit, quod Rota sequatur illam opinionem quod idem operetur Motus proprius ad suggestionem partis, quod Motus proprius ex mera voluntate Principis, & quotidiana practica Romanę Curię ita seruat. Decisiones verò Seraphini non loquuntur ad propositum. Licet enim ex secunda decisione colligatur, quod gratia Martini Quinti de qua in prima decisione, erat facta Motu proprio, attamen prima decisio non loquitur de contentis in gratia Motu proprio, sed sub clausula sicut accepimus, & ita loquitur *Gabrielius de probationibus, conclusione 2. num.4. in decis. allegatus*. Et quamuis diceretur, quod in casu isto est posita clausula, sicut accepimus, quæ eget iustificatione, etiam quod sit posita in gratia Motu proprio, vt colligitur ex dictis decisionibus Seraphini.

3 Licet enim attestatio Papæ de facto alieno probet quando est in gratia Motu proprio, Gabrielius vbi supra numero sexagesimo, nihilominus ista propriè non est attestatio Papæ, sed simplex relatio, quod ita accepit, quæ non probat ex Decio in capitulo iurauit, numero primo, de probationibus. Non enim attestatur ita esse, sed quod ita accepit, attamen fuit dictum, quicquid dicendum esset ad effectum probationis, vt supra illa assertio probet factum, certum est, quod clausula, sicut accepimus, posita in gratia Motu proprio non egeat iustificatione, secus vero in gratia ad supplicationem partis, *ita Put. decis. 100. lib.3. in nouis. Guid. Papæ. decisi. 161. Achilles, decis.10. numer.1. 2. & 3. de probationibus. Rota decis. 447. num. 1. & 2. part. 1.* Et fuit resolutum in causa Meten. Monasterij 21. Februarij 1600. coram bon. mem. Litta, & in alia Bracharen. Parochialis de Mercyra. 12. Ianuarii, 1604. coram bon. mem. Iusto. Et in omnem euentum cessat omnis difficultas, quia sub clausula, sicut accepimus, continetur, quod Cardinalis consensit cassationi pensionis &c. quod est plene iustificatum.

4 Neque releuat, quod Motus proprius non tollit, quo minus possit dari de subreptione, quæ prouenit ex re ipsa, non autem de ea, quę prouenit ex parte impetrantis. *Aegid. decisione. 392. & 475. cum alijs per Seraphinum decisione 398. numro quinto.* Imo & quando Motus proprius est ad suggestionem partis, potest dari de subreptione, quę prouenit ex parte impetrantis. *Socin. iun. in consi. septuagesimo septimo nume. 98. lib.1.* hic autem adest sobreptio re ipsa, cum literæ Pensionis per Serenissimum Dominum Cardinalem nõ fuerint expeditæ: & ideo videtur obstare extrauagen. iniunctæ. de Elect. Bulla Iulij III. in ord. 33. & Reg. Cancell.26. Nam fuit responsum, quod in iure regulariter non est præfinitũ certũ tempus ad expediendum literas. Berous in consilio decimo quinto. numero nono. versicul. & maxime. libro primo. & in terminis pensionis dicit *Gigas de pens. quæst. 4.* imo in certis casibus Papa exprimit, quando literæ sunt expediendæ, & infra quod tempus, de quibus *Modern. Gloss. Reg.8. gloss.15. num.110. & 118.* imo in reseruatione Pensionis apponitur clausula, quod Papa reseruat Pensionem exigendam vigore literarum desuper expediendarum. Neque quicquam facit in contrarium d. extrauagans iniuctæ. de elect. quia loquitur in Episcopatibus, & propterea dixi, quod in iure Regulariter non est præfinitum tempus ad expediendas literas.

5 Bulla Iulij III. solum disponit, quod possessio Beneficiorum non possit capi ante expeditionem literarum, de qua *Mandos. ad Reg. vigesimam septimam Cancellar. q.3. nu.3. Regul. vero 26. Cancell.* disponit solum, quod non iudicetur iuxta formam supplicationis, sed iuxta tenorem literarum, & propterea cum non agatur de iudicando iuxta supplicationem Serenissimi Domini Cardinalis, sed de iudicando iuxta literas Domini Equitis Transsatarij, ista obiectio non officit, tantum enim est agendum, An gratia prima reseruationis pensionis ex sola signatura fuerit perfecta, & conclusio affirmatiua est indubitata ex Doctoribus allegatis in prima decisione, & bene *Gigas de pens. q.34. per totam*. Et cessat omnis difficultas ex extrauagant. Alexandri VI. & Leonis Decimi, quas per extensum refert Boerius *decisione 348. num 7.* & de eis etiam *Cassad. decis. 1. in fine. de renunciat.* Et ideo cum gratia reseruationis Serenissimi Domini Cardinalis esset perfecta, & Sanctissimus Dominus Noster sciuerit tantum supplicationem fuisse signatam translatio sustinetur.

6 Neque releuat, quod ista expeditio literarum videbatur necessaria, quia in supplicatione Serenissimi Domini Cardin. non apponuntur locus, nec termini solutionis, sed dicitur loco, & terminis in literis exprimendis, & propterea cum in Motu proprio Equitis dicatur, quod pensio sit soluenda in loco, seu locis, termino, seu terminis, modoque & forma, quibus prior pensio reseruata fuit, videtur necessario inferendum, quod expeditio literarum per Serenissimum Dominum Cardinalem fuisset necessaria ex traditis in simili per Cassanæum in *consi.10. num.21.* Nam huic motiuo fuit responsum, quod Cassanæus non facit ad punctum, loquitur enim quando certi executores literarum sunt dati, qui non possunt procedere ad executionem, si literæ non sunt expeditæ: In proposito autem, licet quo tempore, & in quibus terminis esset soluenda pensio exprimendum esset in literis Serenissimi Cardinalis, & in Motu proprio, habeatur solum relatio ad priorem reseruationem: attamen cum in literis Equitis fuerint expressi locus, & termini, hoc sufficit, quia in supplicatione Cardinalis virtualiter continebantur locus, & termini, quos postmodum Cancellaria declarauit, quod potuit facere, cum sit organum Papæ. *Cassad. decis.2. num.7. de vnionibus, & decis.3. num.3. versicul.* pro qua interpretatione, de reseruat. maxime quia ista habent suum stylum ordinarium, vt bene per *Gigant. de pens. q.93. per totam*, & præsertim in fine.

7 Neque etiam releuat, quod gratia Motu proprio potest notari de defectu intentionis, *Doctores in capit. causam, quæ. il 2. de Testibus. cum alijs per Seraphin. decis. 398. num.1.* & ibi add. Hic autem constat de defectu intentionis, quia Eques est miles Hierosolymitanus, & ideo Religiosus, xe allegatis per *Cæsar de Graff. decisione prima*

prima numero vndecimo. de probat. & ideo gratia corruit ex defectu intentionis. Papa enim non solet reseruare pensiones super Beneficijs secularibus Regularibus, cum regularia regularibus, sæcularia vero sæcularibus soleant conferri. capit. cum de beneficio. de præbend. in sexto. Nam fuit responsum, quod Papa Monacho pensionem assignare potest ex adductis per *Gigantem de pens. q.15. per totam*, hic autem ex certa scientia fuit reseruata ista pensio vigore translationis, cum fuerit expressum, quod Eques erat miles Hierosolymitanus, quod sufficit. Nam postea Papa reseruando pensionem censetur dispensare. *Iason. in l. Barbarius. num.14. ff. de offic. Prætor. Paris. consil. 44. num.15. & sequent. lib.4. Syluan. de Benefic. part.3. q.18. nu. 27. & in puncto Gambara de offic. leg. lib.6. nu.259.*

8 Denique non obstat, quod familiaritas Serenissimi Domini Cardinalis fuerit apposita per verbum, vt asseris, & ideo debeat iustificari, nam cum leuis probatio sufficiat, cum agatur ad effectum iustificationis, non autem ad effectum reseruationis ex deductis in alia Decisione, ista familiaritas bene probatur ex testibus, & cum semel fuerit probata, præsumitur durare, & sic etiam de tempore translationis pensionis ex allegatis in priori Decisione, & præsertim ex *Crescent. decis.18. num.1. de probat.* & præsumitur durasse etiam, quod Eques inseruiuerit Serenissimo Duci pro Oratore, cum hoc fuerit ad modicum tempus, ex quo non censetur dissoluta familiaritas. *Calder. cons.8. de offic. legat.*

9 Et quamuis opponantur aliquę exceptiones contra istos testes, tamen quicquid sit de eis considerabant Domini, quod hic leuis probatio requiritur, & insuper animaduertebant ad qualitatem testium, & ad attestationem Serenissimi Domini Cardinalis, quę multum facit, attenta nedum dignitate Cardinalatus, sed etiam excelsa nobilitate personæ, per ea, quæ notat *Crottus in consi. 332. num.11. lib.3.* Vnde quatenus ad fauorem sui familiaris plene non probaret, vt voluit *Sarnen. super Reg. de impur. benefic. per ob. fam. Card. q.13. num.6.* negari tamen non potest, quin faciat magnum adminiculum. Vnde ex omnibus simul iunctis plusquam sufficienter videtur probata familiaritas, ad effectum, de quo agitur. Cessat etiam alia difficultas, scilicet, quod consensus Serenissimi Domini Cardinalis non fuit extensus intra quindecim dies iuxta Constitut. Clement. VII. 19. in Bullario, cum Dataria non seruet amplius dicta constitutionem, vt fuit resolutum in causa Barchinonen. Canonicatus. 10. Octobris 1559. coram Oradino, & nouissime in causa Conchen. Beneficij de Val. de Iudios. 14. Nouembris de anno 1611. coram Reuerendissimo Domino meo Archiepiscopo Damasceno.

10 Ex quibus proposita causa 23. Februarij, & dilata, vt Reuer. P. D. Titularis posset deducere iura sua, & iterum reproposita causa supradicta die, & visis diligenter, & consideratis allegationibus datis pro parte D. Titularis, Domini perstiterunt in priori sententia, scilicet literas Apostolicas esse exequendas ex prædictis, & ex alijs rationibus ponderatis in prima decisione, &c.

DECISIO DCLVII.

Calaguritana Beneficij de Brentauilla. Veneris 13. Martij 1615.

Impressa Apud Buratto.

DECISIO 102.

R. P. D. MANZANEDO.

Ciuitatis Castelli Vnionis. Lunæ 16. Martij 1615.

ARGVMENTVM.

Possessione Ecclesiæ acquisita censetur acquisita possessio Ecclesiæ vnicæ, quæ consideratur vti prædium, seu Grancia, nec vacat per mortem Rectoris, item cura beneficij vniti potest exerceri per Vicarios.

SVMMARIVM.

Possessio probatur per instrumentum, alio non existente in possessione. num.1.

Possessio posterior præsumitur clandestina, & non est manutenibilis. num.1.

Possessione Ecclesiæ principalis acquisita, censetur etiam acquisita possessio Ecclesiæ vnitæ. num.2.

Ecclesia vnita dicitur possideri per Ecclesiam dominantem, vti prædium, & Grancia. num.3.

Beneficium vnitum non vacat per mortem Rectoris. numero 2.

Cura beneficij vniti sufficit, quod exerceatur per Vicarios. num.4.

DECISIO DCLVIII.

1 Domini dixerunt, Antonio tantum Informante, illi esse dandum mandatum de manutenendo etiam quo ad Ecclesiam Sancti Angeli, cum de eius anteriori possessione de tempore motæ litis constet ex instrumento illius adeptionis, quod alio non existente in possessione probat, *ad text. in l. prædia. vbi Bartol. ff. de acquiren. possess. Socin. consi.205. num.5. lib.2. Caputaq. decis.337. in princip. part.2. Rot. decis.202. numer.3. & 390. num.2. part.1. diuers.* Non obstat possessio Iosephi, quia tanquam recentior præsumitur clandestina, & non est manutenibilis. *cap. licet causam. de probat. Barto. in l. si duo. num.4. ff. vti possid. Put. decis.372. lib.2.*

2 Minus facit, quod possessio Antonii sit tantum de Ecclesia Sancti Rocchi, & Sancti Ioannis, non autem Sancti Angeli, de qua est controuersia, quia cum dicta Ecclesia Sancti Angeli vsque de anno 1523. fuerit accessorie, & per viam subiectionis vnita Ecclesię Sancti Rocchi, vt apparet ex literis vnionis, & ex pluribus institutionibus factis per Episcopos pro tempore existentes, in quibus ista Sancti Rocchi denominatur vti principalis, illa vero Sancti Angeli vti ipsi vnita, & annexa, acquisita possessione Ecclesiæ Sancti Rocchi censetur etiam acquisita possessio alterius S. Angeli, ad trad. per *Ferret. cons.14. num.4. & 5. Nat. consi. 562. num.13. Couar. var. lib.3. c.16. num.13. Rota decis.19. nu. 7. part.2. & in nostris terminis Moder. Hispan. ad reg.8. gl.5. §.7. num.7.* & fuit dictum in vna Caputaquen. Vnionis. 20. Februarij 1589. coram Bubalo.

3 Ecclesia enim vnita dicitur possideri per Ecclesiam denominantem tanquam prædium, & Grancia. *Caputaq. decis.349. part.3. Gambar. de off. & potest. legat. in vnion. num.139. Seraph. decis.645. numer.2.* Et per mortem Rectoris non vacat. *Sarn. in reg. de triennali. q.8. num.2. Hoied. de incompat. part.2. c.3. numer.2. vers.2. modo. Seraph. decis. 1011. numer.1.* Sed eius possessio remanet penes Ecclesiam principalem. *Rota decis.1. de restit. spol. in nou. & p.2. diuers. d. decis.19. num.8.* & fuit dictum in allegata Caputaquen. Vnionis. Vnde non videbatur opus accipere in specie possessionem dictæ Ecclesiæ Sancti Angeli.

4 Nec obstat, quod Ecclesia Sancti Angeli sit parochialis, & Antonius non habeat legitimam ætatem, quia stante dicta vnione transiuit in naturam Ecclesiæ San-

siæ Sancti Rocchi, quæ est simplex beneficium, quo casu sufficit curam exerceri per Vicarios ab Ordinario positos, vt tenuisse Sac. Congregationem Concil. Trident. Interpretum testatur *Moder. Hispan. vbi supra. num.8.* Cetera vero super validitate vnionis deducta videntur respicere petitorium, &c.

R. P. D. ANDREA.

Burgen. Quindenniorum. Lunæ 16. Martij 1615.

ARGVMENTVM.

De transactione facta super rebus Ecclesiæ, ac de exactione Annatarum multa notanda, de quibus in Summario.

SVMMARIVM.

Transactio facta super iure dubio rei Ecclesiæ ligat successores. num.1.
Læsio Ecclesiæ inspicitur tempore contractus. num.2.
Opinio noua iudicum iuris antiqui declaratoria futuris, & pendentibus solummodo causis inseruit. num.3.
Priuilegium circa aliquod beneficium competens iure speciali, est necessario exprimendum in eius vnione. num.4.
Vnione facta Ecclesiæ sæcularis alicui Monasterio, iura Episcopalia remanent illæsa. num.5.
Sententia quando fertur super materia, circa quam opinionem variatio, & conflictus adest, tunc non dicitur constare de notoria iniustitia ratione dubietatis. num.6.
Transactio facta super re Ecclesiæ si sit præiudicialis, non al. ligat successores, nisi confirmetur à Superiore. nu. 7.
Transactio super re Ecclesiæ, nisi postea sequatur vtilitas in effectu, non censetur vtilis, licet ab initio talis appareret. num.8.
Consuetudo præterita, quando à viris doctis rationabilis non reputatur, non est seruanda. num.9.
Iudex, cui si causa denuo commitatur, & noua opinio superuenerit communis, debet priorem sententiam reuocare, latam vigore opinionis, quæ tunc bona putabatur. num.10.
Annatæ exactio non est compatibilis cum vnione, & suppressione beneficiorum, per quæ tollitur eorum vacatione. num.11.
Ius conferendi beneficia, competens alicui Capitulo, quia est certum, & radicatum, si non exprimatur in eorum vnione, vnio est subreptitia. num.12.
Ius exigendi Annatam de beneficijs, alicui Capitulo competens, cum sit incertum, & conditionale, in vnione illorum non est necessario exprimendum. num.13.
Vnione facta alicuius Ecclesiæ priuilegiatus habeat suam Annatam, & an hoc solum intelligatur de prima vacatione, an vero etiam de tempore futuro. num.14.
Priuilegium Annatæ non comprehendit casum, in quo beneficium amplius non vacat. num.15.
Sententia, quæ non iustificatur ex actis, semper dicitur notorie iniusta de stylo Rotæ. num.16

DECISIO DCLIX.

1 Contra sententias Rotales pro impedienda illarum confirmatione multa deducebant Informantes pro Capitulo, quæ ad duo potissimum reducebantur. Primum erat, quod iuxta formam Commissionis in secunda parte fuerat commissa causa nullitatis, & notoriæ iniustitiæ sententiæ bonæ memoriæ Cardinalis Pamphilii, & rescissionis transactionis inter Rectores, & beneficiatos Sancti Ægidii, & Capitulum initæ, prout de iure, & quod huiusmodi sententiæ, tantum reuocarunt sententiam Cardinalis. Vnde remansit firma transactio, quæ cum de eo tempore ius Rectorum esset dubium propter opinionem, quæ tunc vigebat, absque alia confirmatione ligauit successores. *cap. fin. de pact. in 6. Natt. cons. 441. num 9. cum allegatis*, & præsertim, quia illa tunc temporis fuit vtilis Rectoribus, cum Rota sequeretur illam opinionem, quod Quindennia deberentur.

2 Et ad iudicandam vtilitatem, vel læsionem, inspicitur tempus contractus, & sufficit tunc negotium vtiliter gestum, licet ex euentu contrarium appareat. *l. sed an vltro. §. is. qui. ff. de negot. gest. Capic. decis. 180. num. 5. Surdus decis. 278. num. 25.*

3 Et licet Rota postea mutauerit opinionem in nouis resolutionibus, non propterea videbatur dicta concordia reuocanda, cum ista noua opinio declaratoria iuris antiqui futuris, & pendentibus solummodo causis inseruiat. *glos. in cap. vnico. in verbo de cetero. de postul. prælat. in 6. Card. in Clem. 2. §. quod si Episcopi, quæst. 7. de reb. eccles. non alien. cum allegatis.*

4 Secundum respiciebat notoriam iniustitiam sententiæ, pro qua nedum euitanda, sed etiam pro dicta sententia sustinenda considerabant, quod licet vnio tollat suapte natura vacationem, & consequutiue priuilegium Annatæ, cum tamen istud ius Annatæ competat speciali iure, est necessaria illius expressio, alias vnio est subreptitia, aut saltem ius Capituli remanet illæsum ex deductis in Taruisina plebis de Medullo. 1593. coram Illustrissimo Mellino, & in Toletana Annatarum. 23. Ianuarii 1589. coram bonæ memoriæ Orano.

5 Et in his terminis dicebant *Ioan. Andr. in cap. tua nobis. super gloss. in verbo retinere. de verborum significationib.* Vbi dicit, quod facta vnione, priuilegiatus habebit nihilominus suam Annatam, qui non poterat intelligi de prima vacatione, vt in decisione bonæ memoriæ Peniæ. Quia esset restringere ad vnicum casum, scilicet, quando vnio esset facta de vacaturo, & tamen allegat text. *in c. pastoralis. de priuil.* in quo facta vnione Ecclesiæ sæcularis alicui Monasterio iura Episcopalia remanent illæsa, quæ tamen sunt perpetua, & cum *Ioan. And. & Doct.* ibi loquantur de non vacantibus sua natura, vt sunt beneficia de mensa, Hospitalia, & similia, non poterant intelligi de prima vacatione, sed etiam de tempore futuro, quando vacatio cessauerat.

6 Denique ad tollendam notoriam iniustitiam sufficere dicebant, quod fuerit probabile dubium iuris, ex *Corneo cons. 10. numer. 3. lib. 4. Contard. de memen. possess. limitatione 9. num. 10.* id quod satis apparebat ex decis. bonæ memoriæ Cardinalis Seraphini, in qua ponuntur fundamenta contrariæ opinionis, quam Rota ibidem sequuta fuit. Imo, & tunc vigebant multæ Rotæ decisiones factæ coram bonæ memoriæ Litta, & aliis Auditoribus super eo, quod sententia fertur super materia, super qua adest opinionum variatio, & conflictus tunc non dicitur constare de notoria iniustitia, ratione dubietatis. *Capic. decis. 10. num. 18. in fin. & seq. Contard. vbi supra num. 50. & 51.*

7 Quibus tamen licet ingeniose, & subtiliter excitatis non obstantibus Domini pro confirmatione tenuerunt ex deductis, tamen in decisione Cardinalis Seraphini, quam bonæ mem. Peniæ, & vltimo loco Domini mei Dunozetti: quia tamen aliqua egebant particulari responsione, quæ deducta non fuerant, & alias deducta hic magis ad viuum resecabantur. Ideo stricte ad singula fuit responsum. Et quidem ad primum, quod transactio non fuerat reuocata per sententias, & sic firma remansit, eidemmet sententiæ respondebant, cum in prima explicite Rectores, & beneficiati fuerint absoluti à solutione Quindenniorum etiam vigore assertę concordiæ inter eos, & Capitulum initæ, quæ sententia fuit confirmata per secundam Reuerendi Patris Domini mei *Caualerij. Decisi. vero cap. fi. de pactis. in sexto.* particularem habet rationem, quæ versatur in vtilitate Ecclesiæ Parochialis, quæ tran-

transegerant cum Monasterio, alias vbi illa transactio fuisset præiudicialis, indigeret confirmatione superioris, vt obligaret successorem, prout declarant *Lapus in d. ca. fin. post Anchar. & Imol. tradunt Gemin. ibid. num. 10. Franc. num. 3. ad fin.*

8 Nec obstat, quod transactio tunc videbatur vtilis, quod sufficit pro illa sustinenda ex allegatis. Quia cum facta fuerit ex causa vtilitatis beneficiatorum debebat existere vtilitas tam de tempore contractus, quam ex post, adeo quod non sequuto effectu vtilitatis nihil referret a principio illam apparuisse vtilem, iuxta communem distinctionem. *gloss. in cap. sine exceptione verbo profuturum. vbi Archidiac. nu. 5. Laurent. de Rodul. num. 15. Aegid. num. sexto. in gloss. non ne. 12. quæst. 2. Federic. consilio 249. num. 2. versicul. simile huic Henric. Boich. in capit. tua. in fin. de his, quæ sint a prælato. Rebuff. in comp. alien. num. 72. versic. si vero loquamur. Rot. decis. 65. num. 4. par. 2. diuers.*

9 Ad illud vero de noua opinione Rotæ, quod non sit trahenda ad præterita, Vltra quod procedit in Cōstitutione Principis antiqui iuris declaratoria, & sic non applicatur ad decisiones Rotales, fuit respōsum, quod transactio non impugnatur, ex quo Rota sentētiam immutauit, sed quia, vt apparet ex Decisione Cardinalis Seraphini, & bonę memorię Penię, Quindennia nunquam fuerunt soluta, ex qua ob seruantia non soluendi, & præsertim ex in dulto Pij Quinti, & memoriali fel. rocord. Clementis VIII. manifestissime apparet non deberi Quindennia de illis beneficijs, quorum vniones ante dictum indultum fuerant sortitæ effectum, & de quibus nunc agitur. Vnde applicari poterat limitatio. *Felin. in c. fin. num. 6. versic. secundus casus est. de constit.* Quod vbi consuetudo præterita non reputatur rationabilis a Viris doctis, tunc non procedit. *glos. in c. 1. in verbo de cetero. de postul. prælat.*

10 Et difficultas cessabat in hoc casu, quo fuerat commissa causa nullitatis, & notoriæ iniustitiæ sententiæ bonæ memoriæ Cardinalis Pamphilij, & rescissionis transactionis. Qua commissione stante cum de eo tēpore iam superuenissent Decisiones contrariæ, in quibus apparebat veritas istius nouæ opinionis, illam debuit iudex sequi, & dictam sententiam reuocare, & transactionem rescindere. *Felin. vbi supra num. 7. versic. excipiuntur in primo casu.* Idem *Felin. in c. inter ceteras. num. 4. in 5. declaratione. de re iudicata.*

11 Ad secundum circa notoriam iniustitiam, in quo primo dicebatur, requiri specialem mentionem iuris Capituli in Vnione beneficiorum, alias remanere illæsum, ex allegatis fuit responsum, vt in decis. Cardinalis Seraphini, & bonæ memoriæ Peniæ, hoc procedere in his, in quibus datur compatibilitas, ita quod vno posito non sequitur negatio, vel exclusio alterius, vt erat casus in Toletana Annatarum, coram Orano, secus in exactione Annatæ, quæ cum non debeatur, nisi sequuta vacatione beneficij, incompatibilis est cum vnione, & suppressione beneficiorum, qua concessa non datur vacatio.

12 Et licet in illa Taruisina Plebis de Medullo ius conferendi, quod per statutum confirmatum spectabat ad Capitulum, esset incompatibile cum vnione, tamen, ideo vnio fuit subreptitia ob non factam mentionem iuris Capituli, quia illud ius erat certum, & radicatum, quia siue occurret vacatio per obitum, siue per resignationem, vel permutationem semper authoritas Capituli erat necessaria in conferendo, vel consentiendo. *cap. vnico. iuncta glos. in verbo collationem. & ibi Doct. de rer. permutat. in 6.* & ideo tale ius erat considerabile.

13 In hac autem exactione Annatæ ius Capituli erat incertum, & conditionale, si & quatenus beneficia vacarent per obitum. Poterat enim contingere, quod beneficia, quæ fuerunt vnita ante vnionem non vacarent, nisi per resignationes, vel permutationes. Vnde cum illud ius Annatæ esset incertum, & euentuale, non erat considerabile, vt in terminis de gratia impediente beneficij vacationem in præiudicium ius habentis, sequuta vacatione tradit *Rota decis. 21. numer. 5. vers. pro parte contraria. de præbend. in nou.* cum alijs allegatis in dictis decisionibus, coram Cardinale Seraphino. & bon. mem. Penia.

14 Ad doctr. *Ioannis Andr. & Doct. in cap. tua nobis. de verb. signific.* fuit dictum, illam procedere in vnione Ecclesiæ, per quam non extinguitur titulus, nec alteratur status Ecclesiæ vnitæ, *iuxt. c. exposuisti. vbi notat. Abb. num. 7. de præben. quem tex. citat. Io. Andr. in d. cap. tua nobis. numer. 3. in gloss. verbo retinere. versic. nec putat referendo opinionem* Vincentij, & in simili vnione tenuit Rota in Parmen. Prioratus, 14. Aprilis 1600. coram bonæ memoriæ Penia, *text. etiam in cap. pastoralis. de priuileg.* similiter loquitur in concessione Ecclesiæ, quæ non mutat statum illius, atque ita in statu pristino conseruatur, vt post *Innocent. & Doctor. Magistraliter declarat Abb. ibi. num. 7.*

15 Ex quibus infertur. *Ioan. Andr. & Docto. vbi supra*, loqui in priuilegio compatibili cum Vnione de vacaturo, quo casu priuilegium poterat sortiri effectum in prima, vel vlteriori vacatione, atque ita non applicari ad istas vniones beneficiorum, quæ mutant statum, & extinguunt titulum beneficij, iuxta decis. *Rot. 11. de rebus eccles. non alienan. in antiq. Cassad. decis. 13. num. 1. super reg. cum similib.* & propterea non dicuntur vacare. *Federic. consil. 200. num. 2. Sarnen. in reg. de triennali. quæst. 8. Paris. consil. 31. num. 10. lib. 4. Rebuff. in prax. tit. de vni. numer. 13. Osasch. decis. 116. numer. 3.* & in terminis, quod illud priuilegium Annatæ, de quo in *d. cap. tua nobis.* non comprehendat casum, in quo non vacat amplius beneficium, *iuxta tex. in cap. cum accessissent. de constit. post Vincent. Petr. & Abbat. antiqu. in d. cap. tua nobis.* tenet ibi *Ioan. And. num. 2. Cardin. in 2. opposit. versic. quæro an hæc indulgentia.* & alias tenuit *Rot. in decis. bon. memoræ Peniæ.*

16 Demum ad vltimum de probabili dubio istius articuli, & de varietate Rotæ, vt propterea non dicatur constare de notoria iniustitia sententiæ fuit responsum, quod de stylo huius Sacri Tribunalis sententia, quæ non iustificatur ex actis, semper dicitur notorie iniusta. *Cæsar de Grassis decis. 16. num. 15. & decis. 2. nu. 6. de solut. cum ibi allegatis.* Et ita conclusum vnanimiter, sententias esse confirmandas.

R. P. D. DVNOZETTO.

Romana Consulatus. Lunæ 16. Martij 1615.

ARGVMENTVM.

Statutum Consulatus Florentinorum cap. 3. & 15. non est ordinatorium, sed inuitatorium.

SVMMARIVM.

Statutum quod non fuit adimpletum in forma specifica, nullum operatur effectum. num. 1. & 2.

Maxime quando Statutum est exorbitans à iure communi. num. 2.

Statutum imponens pœnam nolenti implere illius formam, non concedit actionem, nisi ad pœnam contra eum, qui Statuti formam non impleuit. num. 3.

Pœnæ solutio liberat à contrauentionte. num. 3.

Statuta, quæ non inducunt præcisam coactionem, sunt inuitatoria. num. 4.

Lex quod non dicit, nec nos dicere debemus. num. 5.

Statutum exorbitans debet intelligi ad literam, quia est odiosum. num. 5.

Statu-

Statutum ordinatorium, si non doceatur perpetuo fuisse adimpletum in forma specifica, non probat. nu.6.
Solutio facta, vt censeatur facta ad obseruationem Statuti, debet esse facta coacte, & non sponte. nu.7.

DECISIO DCLX.

1 CVm D. Bartholomæus Ruspolus, vti hæres D. Alexandri Ruspoli Florentini in Vrbe commorantis, fuerit conuentus à Consulatu Nationis Florentinæ, coram illius Consule, ad soluendum quartam partem, quam dictum Alexandrum retinere, ac retentam soluere debuisse Consulatui dicebatur, secundum formam Statuti editi, ac confirmati à felic. record. Leone X. Paulo III. & Pio IV. habito recursu ad Signaturam Sanctissimi obtinuit committi causam Consuli d. Nationis, terminandam tamen de voto Rotæ.

2 Vnde proposito per me, ad id electo, dubio, an cõstaret de tali Statuto confirmato, quod suffragetur Consulatui in in casu, & ad effectum, de quo agebatur, Domini responderunt, non posse reuocari in dubium ad esse statuta à Sede Apostolica confirmata illa tamen non posse Consulatui suffragari ad effectũ cogendi dictum Bartholomæum Ruspolum hæredẽ ratio præcipua decisionis fuit, quia Statuta huiusmodi obligant solummodo Florentinos negotia in Vrbe exercentes ad retinendum dictam quartam partem, quibus dicta Statuta fuerunt intimata, eorumque obseruantiam iurauerunt, sub certa forma præscrita *in c.3. & 15.* dicti Statuti, & ita non possunt illa suffragari Consultaui, qui non docuit, vt debebat, concludenter Dominum Alexandrum retinuisse dictam quartam partem, notitiam habuisse contentorum in dicto Statuto, ac iurasse iuxta illorum dispositionem. *Bart. in l.1. §. quod ait Prætor, ff. ne quid in flumin. public. Dec. conf.520. num.11. Gozzad. conf.35. nu.16. Cephal. conf.256. nu.68. in fin. Surd. conf.248. nu.19.* maxime cum simus in Statuto exorbitanti à iure communi. *gl. in Clem. fin. de rescript. Crauet. conf.313. sub nu.1. Becc. conf.53. nu.9. in fin.*

3 Vltra quod, dictum Statutum cap.20. alijsque locis imponit certam pœnam nolenti obseruare in eo contenta, iusiurandumq; præstitum, vnde sequitur actionem solummodo Consulatui competere ad pœnam, non autem ad integram summam dispositam in Statuto, *argum. l. obligationum, fere. §. fin. ff. de oblig. & actio. l.1. §. item si ita. ff. ad legem Falcidiam. Bart. in l. si stipulatus num. 27. de verborum obligat. Bald. in l. si quando, §. fin. num.2. de legat.1.* solutio si quidem pœnæ liberat à contrauentione, vt in terminis similis Statuti decidit Rota in vna Romana horti, 27. Iunij 1607. coram R. P. D. Caualerio, regulariter enim solutio pœnæ æquipollet obseruantiæ Statuti, seu contractus, *Rota diuers. dec.15. nu.6. par.1.*

4 Quinimo neminem cogi præcisæ ad soluendum, nec etiam ratione pęnæ pecuniariæ, quæ in pluribus capituli exigi mandatur, patet ex cap. 44. vbi contra eum, qui recusat soluere pœnam statutariam, imponitur pœna dupli. & tertia vice mandatur procedi, prout contra nolentem iurare obseruantiam Statutorum, quibus in c.15. certa imponitur pœna priuationis, commercij, similiumq; ex quibus collegerunt Domini Statuta hæc proprie dici posse inuitatoria tantum, respectu eorum, qui volunt gaudere priuilegijs, auxilijs, & fauoribus vniuersitatis Nationis Florentinæ in dicto Statuto concessis, non autem præcise coactiua dici posse.

5 Considerarunt denique Domini in omnem euentum dictum Consulatum non posse compellere dictum Bartholomæum heredem ad solutionem dictę quartæ partis, ex quo in casu dictus Alexander retinere noluit dictam quartam partem. Statutũ enim non disponit illum teneri ad soluendum de proprio, quod autem Statutum non dicit, nec nos dicere debemus, *arg. l. si seruum. §. non dixit dixit, ff. de acquiren. hærcd. Surd. conf.340. num.2, latè Becc. conf.53. nu. 4.* cum dictum Statutum, vt dixi exorbitans, sit odiosum, & stricti iuris, intelligendumq; ad literam, vt verba sonant. *Bart. in l. omnes populi, nu.62. de iustitia, & iur. Menoch. conf.187. nu.1.*

6 Ex his tollitur fundamentũ, quod pro parte Consulatus fiebat super obseruantia subsecuta, per solutiones factas à pluribus mercatoribus, quidquid enim sit, si libri dicti Consulatus probent contra tertium, & si habeant omnia à iure requisita, ad hoc vt integram fidem faciant, in hoc omnes Domini conuenerunt per solutiones in illis libris descriptas, non probari obseruantiam sufficientem statuti, quia vltra quod sunt ab anno 1586 citra, & sic post 70. annos à die editi Statuti, non in illis exprimitur mercatores de proprio soluisse, nec coacte soluisse, prout in casu de quo agitur requiritur. *Roland. conf.40. num.10. vol.1. Surd. conf.354. num.26.* nec ostenditur, mercatores quolibet anno iuxta formam cap.31. reddidisse rationem dictæ partis, ac illam soluisse, imo contrarium constat ex monitorio facto de anno 1606. in quo mãdatur reddi rationem, ab anno 1590. quinimo ex illis solutionibus potius contrarium arguitur, quia si omnes soluissent iuxta formam dicti Statuti, maiores deberent adesse solutiones, & licet aliqui fortasse pro manutentione Consulatus soluerint, seu ad satisfaciendum iuramento per eos præstito, seu ad euitandas pœnas in dicto Statuto 44. cap. contentas, tamen non potest eorum solutio adduci ad cogendos alios, qui longo temporis spacio non soluerunt, nec vnquam iurasse probantur.

7 Et solutio aliquarum Summarum facta à D. Alexandro si verificaretur parum obstaret, cum & ipse, sicut alii, sponte soluere voluerit, non autem coactè vt constat ex lite desuper mota. Ex quibus ita vtraq; parte informante fuit decisum.

R. P. D. MANZANEDO.

Leodien. Parochialis Veneris 20. Martij 1615.

ARGVMENTVM.

Plures dantur casus, in quibus remissoria est concedenda, & in specie an remissoria concedatur, vbi articuli continent obiectus.

SVMMARIVM.

Remissoria est concedenda, vbi articuli sunt releuantes, numero 1.
Testes nulliter examinati faciunt præsumptionem nu.1.
Fumus sufficiens pro remissoria oritur ex testibus, licet nulliter examinatis, nu.1.
Remissoria est danda, vbi pars obliget se de stando vnica sententia, nu.1.
Articuli criminosi non sunt admittendi, nu.2.
Dementia non est crimen, sed infortunium, nu.2.
Articuli licet concernant obiectus, tamen vbi sunt de iure dantis, sunt admittendi. nu. 2.
Obiectus excludentes partem non dicuntur obiectus, sed potius ius ipsius dantis. nu.2.
Instrumenti fides non tollitur ex depositione testium instrumentariorum, & Notarij, quod non fuit factum tale instrumentum, nu.3.
Instrumentum semper præsumitur verum, nu.3. & nu.4. Vbi quod admittit probati onem in contrarium.
Probatio probationem non excludit, nu.4.
Remissoria, vt concedatur sufficit releuantia vnius articuli numero 4.

In possessorio admittuntur leuiores probationes, quæ non sufficiunt in petitorio. nu. 5.

DECISIO DCLXI.

1 Domini censuerunt, remissoriam esse concedendam Ioanni Vypion, quia articuli concernunt iustificationem gratiæ si neutri, per eum obtentæ, tam circa narrata, quam circa probationem non iuris Ordinarij, venientis ex resignatione, contra quam plures defectus in articulis contenti opponuntur, & sic videntur releuantes. *Cassad. decis. 3. de dilat. Caputaq. dec. 56. par. 3.* maxime stante fumo, qui elicitur ex depositionibus plurium testium. *Caputaq. dec. 60. & 62. par. 3. Put. dec. 366. nu. 7. lib. 2.* Et licet dicti testes fuerint nulliter examinati, attamen faciunt saltem præsumptionem. *Ruin. cons. 46. nu. 10. lib. 4. Dec. cons. 54. nu. 2. versic. postremo. & pro fumo sufficiunt. Cassad. dec. 3. de testibus.* Et concurrente obligatione de stando vnicæ sententiæ, quam pars dare offert. *Caputaq. decisio. 56. & 57. par. 3. Achil. dec. 4. de dilat.*

2 Non obstat, quod tertius articulus continens Ægidium de tempore resignationis fuisse dementem, sit criminosus, & ideo non admittendus. *Caputaq. dec. 63. num. 3. part. 3.* prout & quartus quod resignatio fuerit facta coram Ordinario collatore, & non ab ipso Ægidio, sed ab eius consanguineis. Item & quintus concernens falsitatem mandati procuræ, dati ad resignandum, quia vltra, quod dementia non est crimen, sed infortunium, dicebatur, quod cum dicti articuli tendant ad iustificandam gratiam si neutri, materia desinit esse obiectiua, & efficitur de iure ipsius articulantis. Vnde videntur admittendi. *Rot. decis. 1. de sequestr. possess. & fruct. in nouis. & dec. 14. nu. 5. de testib. & dec. 18. de except. in antiq.* Tale enim ius aliam partem impediens licet sit obiectus, non tamen recipitur vt obiectus, sed vt ius partis. *Rot. d. dec. 1. in fin. de sequestr. poss. & fructuum.*

3 Minus obstat, quod dictus articulus circa falsitatem mandati sit irreleuans, cum falsitas prætendatur probari per Notarium, & testes instrumentarios dicentes nunquam factum fuisse tale mandatum, quod tamen non sufficit ad auferendam fidem instrumento, ex adductis in vna Spoletana beneficii 26. Iunii 1587. coram bon. mem. Cardinali Blanchetto, maxime quia præsumptio semper stat pro instrumento.

4 Nam respondetur, quod Vypion forsan vltra testes instrumentarios adhibebit alios testes, qui melius cõcludant dictam falsitatem, & præsumptio licet sit pro instrumento, non tamen inde sequitur, vt non possit contrarium probari, cum probatio probationem nõ excludat. *Rot dec. 785. num. 1. par. 1.* Et in omnem euentum, cum ceteri articuli sint releuantes non videtur posse denegari remissoria, cum ad istum effectum vnius releuantia sufficiat. *Cassad. dec. 5. de sequestr. possess. & fruct. Scraph. dec. 1364. num. 3.* Et fuit dictum in vna Neapolitana Illegitimitatis. 18. Maii 1607. coram bo. mem. Penia, & alias sæpe.

5 Nec facit, quod septimus articulus continens, quod Ægidius ex pensione 24. Ducat. auri reseruata super Parochiali, de qua agitur, non poterat commode viuere, & quod aliunde non habebat, sit contra id, quod in partibus coram Exequutore fuit probatum per testes pro parte Arnoldi inductos. Quia, vt supra dictum est, probatio probationem non excludit, maxime quia probatio prædicta fuit facta in iudicio possessorio immissionis, in quo admittũtur leuiores probationes, quę alias non sufficerent in petitorio in quo hodie versamur. Et ita conclusum, &c.

REVERENDISSIMO P. DOMINO DAMASCENO.

Romana de Marescottis. Veneris 20. Martij 1615.

ARGVMENTVM.

Filius patris testamentum, in quo ipse erat preteritus vel exhæredatus, licet in eo mater esset instituta, non intelligitur approbasse, nisi ipsius testamenti specificam, & indiuiduam cognitionem habuerit, quamuis matrem tanquam hæredem cognouerit, si tamen ipse non declarauit se non esse hæredem.

SVMMARIVM.

Approbatio actus non datur sine scientia approbantis. num. 1. & 2.

Relatio, quæ potest ad plura fieri, non enunciat præcisam approbationem vnius. nu. 2.

Faciens per alium, per se ipsum facere intelligitur. nu. 2.

Credere non tenetur alteri, qui scribit eo dictante. nu. 2.

Enunciatum ab vno ex contrahentibus non probat contra alium contrahentem, quando principaliter agitur de enunciato. nu. 2.

Filio obediente, & non contradicente matri ob reuerentiam non imputatur. nu. 2.

Testamentum tale fuisse conditum, non sufficit scire, ad effectum illud approbandi, nisi probatur scientia explicita, & indiuidua omnium contentorum in illo. nu. 3.

Præiudicialia, vt intelligantur approbata requirunt scientiam explicitam, & indiuiduam omnium qualitatum in approbante. nu. 3.

Testamentum in quo matre instituta filius est præteritus, nõ censetur approbatum à filio, qui matri tanquam hæredi morem gerit, nisi præcise sciat se esse exhæredem. nu. 4.

Scientia explicita qualitatum testamenti non præsumitur, quando in vita eius qui debuit scire, testamentum non fuit leuatum de manu Notarij. nu. 5.

Notarij non solent esse faciles ad ostendenda testamenta, de quibus sunt rogati. nu. 5.

Actus nullus, vt dicatur approbatus, oportet vt approbans sciat nullitatem. nu. 6.

Testamentum nullum, vt dicatur approbatum, necesse est vt approbans sciat testamenti nullitatem. nu. 6.

Ignorantia iuris regulariter non præsumitur. nu. 7.

Fallit in iure valde dubio. nu. 7.

Ignorantia iuris dubij ad euitandum damnum admittitur, sicut ignorantia facti. nu. 7.

Dubietas iuris potest colligi ex facto iudicis, qui etiam super eo dubitauit. nu. 7.

Institutio filij etiam in modico sustinet testamentum. numero septimo.

Ignorantia iuris vt suffragetur necesse est, vt ignorans probat se fuisse motum ad faciendum propter ignorantiam. num. 8.

Impeditus, vt excusetur à non facto, necesse est probare se fuisse paratum facere, & impedimentum fuisse causam non faciendi. nu. 8.

Præsumptio, quod nemo velit iactare suum, anteponitur cuicumque alteri præsumptioni. nu. 8.

Præsumitur potius fatuitas, quam donatio. nu. 8.

Filius potius præsumitur nolle impugnare testamentum paternum, quia credidit sibi non licere, quam quod voluerit iactare opulentissimam hæreditatem testamento annullato sibi deferendam. nu. 8.

Approbatio tacita patris, quia non contradixit in vita nocet filijs. nu. 9.

Approbatio expressa in qua requiritur specifica, & indiuidua scientia, non suppletur per tacitam. nu. 9.

Tacita

Taciti semper minor est virtus, quam expressi, num. 9.
Transmissio non impeditur, quando pater in vita fuit impeditus dare d. nullitate, nu. 9.
Ignorans, & impeditus æquiparantur, nu. 9.

DECISIO DCLXII.

1 Rota, inhærendo alijs decisionibus in hac eadem causa factis, censuit non constare quod M. Antonius approbauerit testamentum Alphonsi patris patris, conditum sub die 20. Septembr. 1602. ad effectum de quo agitur. Primo, quia non apparet, quod M. Antonius sciuerit fuisse conditum dictum testamentum, & sine scientia certum est non dari approbationem, vt de se patet, & ex infra dicendis apparebit.

2 Non obstant plures actus dati pro parte DD. de Balleonibus, ex quibus apparet, M. Antonium sciuisse Iuliam matrem scriptam hæredem ab Alphonso patre. Vnde elicitur scientia d. testamenti de anno 1602. in quo mater fuit scripta hæres, quia (vno actu excepto, de quo infra dicetur) alij actus non enunciant annum conditi testamenti, vnde possunt referri ad aliud testamentum conditum per eundem Alphonsum de anno 1592. in quo eandem Iuliam hæredem scripserat, substituendo tamen M. Antoniū in omnibus, quod non fecit in hoc vltimo testamento, stante autem possibilitate relationis ad aliud testamentum probatio DD. de Balleonibus non concludit, ad not. in l. duo sunt Titij, ff. de testam. tutor. quantum ad actum enunciantem testamentum de anno 1602. illa est quædam apocha, manu prædicti M. Antonij transcripta, in qua Iulia Balleona, tamquam hæres, vigore dicti testamenti de anno 1602. fatetur, se recepisse quasdam pecunias à Roberto Primo, sed neq; ex ista induci per necesse scientiam saltem indubitatam, vt requiritur ex infra allegandis, censuerunt DD. nam aut ex hac apocha prætenditur assertio, seu confessio M. Antonij, quod fuerit conditum dictum testamentum, & hoc non potest dici, quia apocha non cantat nomine M. Antonij, sed ipsius Iuliæ. Incipt enim, Io Giulia Balleona ho riceuuto &c. & est subscripta à sola Iulia, vnde est confessio ipsius Iuliæ non M. Antonij, ad regulam qui per alium facit, de qua *in leg. si per alium, ff. ne quis in ius voc. vi exem. l. ad eam. ff. de reg. iur. leg. liber homo, la seconda, ff. ad leg. Aquil. & etiam Bart. in leg. sed et si vnus, §. si seruus, per tot. ff. de iniur.* aut vero prætenditur indubitata scientia, ex quo M. Antonius ita scripsit, & minus hoc potest dici, quia non tenetur scribens credere dictanti. Vnde videmus in fortioribus quod enunciatum ab uno ex contrahentibus minime probat contra alium contrahentem quando principaliter agitur de enunciato, *Dec. in cap. per tuas, num. 38. de probat. Alex. cons. 21. num. 4. lib. 1. Ruin. consil. 167. num. 23. vol. 1. Butr. in c. illud. numer. 3. vers. not. quæro enunciatum, Abb. nu. 6. Felin. num. 3. de præscript. Purpur. consil. 282. nu. 1. lib. 1.* & quicquid dicendum foret; si M. Antonius prædicta scripsisset de extraneo, cum scripserit de matre, & de illa, quæ in alio testamento fuerat scripta hæres, non est in inuerisimilis, vel taxanda illius incuriositas, aut illi imputandum, si forte matri ob reuerentiam non contradixit, *Bal. cons. 366. nu. 6. vers. idem est lib. 2.*

3 Secundo principaliter fuit dictum, quod etiam si probaretur, M. Antonium habuisse scientiam, quod de anno 1602. fuerit conditum testamentum, adhuc non sufficere hoc pro illius approbationē in omni sui parte, nisi probetur sciētia explicita, & indiuidua omnium contentorum in illo, *Roman. cons. 403. num. 17. in vers. 2. quia quicquid. Crauett. cons. 193. n. 8. & cons. 423. nu. 6. lib. 3. Corn. cons. 153. num. 3. & 4. lib. 4. & facit. l. de his, ibi inspectis cognitisq; verbis testamenti, ff. de transaction. cum ibi plene notat. per Scriben.* & est regulare in omni materia præiudiciali, quod requiratur sciētia explicita, & indiuidua omnium qualitatum, *Menoch. cons. 389. nu. 21. & 22. Surd. cons. 329. nu. 27. & 28. dec. 265. nu. 18. & 19.* Rota in Romana de Arroniis 10. Nouembr. 1614. coram R. P. D. meo Vbaldo.

4 Non obstat, quod ex actibus, qui dantur, appareat ipsum sciuisse Iuliam matrem scriptam hæredem, quia ad effectum, de quo agitur, oportet, quod sciuerit nihil sibi fuisse relictum, forte enim existimauit se generaliter fuisse substitutum, prout erat in primo testamento, uel fuisse cohæredem, quod satis fit uerisimile, ex quo ipsamet mater exegit credita hæreditaria, etiam nomine, & tanquam procuratrix M. Antonij filij, ut ex datis in Summario Marescottorum, *nu. 18.*

5 Et quod M. Antonius non habuerit scientiam explicitam omnium contentorum in testamento de anno 1602. suadetur, quia prædictum testamentum non fuit leuatum in uita ipsius M. Antonijs, & Notarii rogati, qui captant emolumenta leuationis, non solent esse faciles ad ostendenda testamenta, de quib. sunt rogati, quod in proposito satis comprobat quædam protestatio facta per Vitellescos contra eandem Iuliam, in qua conqueruntur Notarium rogatum ea de causa noluisse ostendere dictum testamentum. Nō obstat actus, in quo se fundant DD. de Balleonibus nempe quædam protestatio facta per Marcum Antonium contra Paulum Vrbanum debitorem hæreditatis Alphonsi, in qua dicitur non fuisse citandam Iuliam Balleonam, quia in illa causa nullum habebat interesse, sed ipsum M. Antonium, & filios tanquam hæredes in hoc Alphonsi, propter quæ uerba, ibi, in hoc &c. infertur, quod Marcus Antonius sciuerit, se solum institutum hæredem in Castris, stāte quod illud creditum, ut prætenditur extat de rebus pertinentibus ad Castra, quia immo ex hoc uisum fuit colligi expressam ignorantiam M. Antonii de contētis in testamento Alphonsi, quia nullibi leguntur relicta credita hæreditatis ipsis M. Antonio, sed omnia credita indistincte sunt relicta ipsi Iuliæ.

6 Tertio uisum fuit tollere omnem difficultatem, quia, ut quis censeatur approbare actum nullū oportet, ut sciat nullitatem, ut in specie de approbatione testamenti nulli est *tex. in l. mater. §. ceterum ff. de inoffic. testam. gl. in l. non dubium in verbo agnouerit. C. de testam. Corn. cons. 207. per tot. lib. 3. Pedemont. dec. 179. Gabr. cons. 36. n. 59. & seq. lib. 1. & cons. 62. n. 27. lib. 2.* & fuit dictum in Anconitana Censuum coram R. P. D. Vbaldo.

7 In proposito autem casu, non apparet M. Antoniū habuisse scientia m nullitatis dicti testamenti, & licet regulariter non præsumatur ignorantia iuris, *Abb. in c. pastoralis, circa fin. de fide instrum. Bart. in l. omnes populi nu. 67. ff. de iust. iur.* & in istis terminis sensit *gl. in d. §. ceterum,* uerbo competere, attamen Domini existimauerunt, hoc non procedere in iure ualde dubio quia ad euitandum damnum admittitur ignorantia iuris dubii, sicut ignorantia facti, *Felin. in c. de quarta, num. 27. de præscript. gloss. vltim. in leg. si vir, vbi Bar. nu. 1. ff. pro donat. Capic. dec. 10. num. 19. & seq. & Rota. diuers. dec. 214. nu. 5. & dec. 561. p. 1. & dec. 132. num. 7. p. 2.* quod autem ius in proposito esset ualde dubium, ex illo facile deprehenditur, quod Rota in hac eadem causa coram Illustrissimo Cardinali Lancellotto semel resoluit testamentum fuisse ualidum, & institutionem M. Antonii sustineri in æstimatione Castrorum unde non est imputandum M. Antonio, si credidit illud, quod Rota censuit, & quod M. Antonius crediderit se institutum in aliquo à patre, quæ institutio in modico sufficit pro ualiditate testamenti, ad *tex. in l. omnimodo, Cod. de inof. testam. gloss. in §. aliud quoque capitulum, in verbo, aliud quoque authent. vt cum de appellat. cognosc. Bald. in leg. hac edictali, numero 8 C. de*

C. de secund. nupt. Iason. in authent. nouissima. numer. 15. C. de inoff. testam. Dec. consil. 407. numer. 16. Clar. in §. testamentum quæstio. 38. in versicul. sed numquid tota deprehenditur ex protestatione contra Vrbanum supra ponderata, in qua dixit se hæredem Alphonsi patris in illo credito, & tamen, vt postea resoluit Rota, non fuit relictus hæres in aliquo.

8 Non obstat, quod vt ignorantia iuris suffragetur probari deberet, quod quis fuerit motus ad faciendum propter dictam ignorantiam, sicut diximus de impedito qui vt excusetur à non facto, debet probare, quod esset paratus facere, & quod impedimentum fuerit causa, quod non fecerit, *Bart. in l. qui commeatus. ff. de re milit. Afflict. decis. 29. Boer. decisione 40. num. quarto*, quia respondetur, tantam esse præsumptionem, quod nemo voluerit iactare suum *ad not. in leg. cum de indebito. ff. de probat.* vt omnis alia præsumptio sit prius admittenda, *l. cum aurum, & ibi Bart. ff. de solut. Ancharan. consil. 32. num. 4. Natt. consil. 73. numer. 9. lib. 1. Curt. iun. 46. num. 5. libro primo, Becc. consil. 90. sub numero* 18. hinc dicunt Doctores, potius præsumi fatuitatem, quam donationem, *Bald. in leg. generaliter. num. 14. Cod. de non numer. pecun. Aymon. Crauet. consil. 142. num. 26. Becc. in dicto consil. 90. numer. 18. Paris. consil. 88. num. 13. libro tertio, cum alijs per Mascard. de probat. conclusione 554. numer. 7. lib. 1.* & proinde existimauerunt Domini, præsumendum, quod M. Antonius magis fuerit motus ad approbandum testamentum paternum (quatenus de approbatione constaret) ex eo quod crediderit, sibi non licuisse illud impugnare, quam quod voluerit iactare opulentissimam hereditatem sibi annullato testamento deferendam.

9 Ex quibus cessat fundamentum deductum ex tacita approbatione, ex quo M. Antonius non contradixit in vita, vnde nec possint contrauenire eius filii, ex *Bald. in l. si ille. §. quod si quando. num. 2. C. de decur. lib. 10.* cum aliis allegatis in causa Sutrina Successionis. 15. Martii 1604. coram me, quia si non constat de tali scientia, per quam sufficiat expressa approbatio, vt patet ex prædictis, multo minus sufficiet tacita, quia taciti est semper minor virtus, quam expressi, *l. maritus. C. de procur. l. cum ex filio. §. fin. ff. de vulg. Oldrad. consil. 126. num. 8. Crauet. cons. 92. num. 3. Dec. consil. 416. nu. 10. & sicut Bald. in d. l. si ille*, & alii allegati in prædicta Sutrina Successionis coram me, admittunt, quod non impediatur transmissio, si pater in vita fuit impeditus dare de nullitate, idem videtur dicendum, quando ignorauit, quia ignorans, & impeditus æquiparantur, *ad trad. in l. fin. ff. pro suo, l. qui in alterius. ff. de reg. iur. Crau. cons. 56. nu. 9. Oldr. cons. 270. nu. 5.* Et ita conclusum &c.

R. P. D. DVNOZETTO.

Bononien. de Monterentijs, Venris 20. Martij. 1615.

ARGVMENTVM.

Institutus in vsufructu quando alio instituto in proprietate solũ post mortem vsufructuarii efficiatur hæres in totum, cum onere restituendi hæreditatem vsufructu finito hæredi scripto, per fideicommissum, in hac decisione plures enumerantur coniecturæ.

SVMMARIVM.

Testatoris mens in interpretandis vltimis voluntatibus potius attendenda est, quam nimia iuris subtilitas. nu. 1.

Testatoris voluntas ex coniecturis elicitur. numero primo. in fine.

Relinquit verbum non adiectum vniuersitati bonorum non importat institutionẽ, maxime quando res certa non relinquitur personæ necessario instituendæ. nu. 2.

Dispositio testatoris facta, & limitata ad certum tempus, vltra illud non debet extendi contra mentem ipsius testatoris. nu. 3.

Vsufructuarius relictus, & liberatus à præstatione fideiussionis, & confectione inuentarii, non censetur institutus in proprietate. nu 4. Declara, vt nu. 8.

Vsufructuarius in proprietate institutus non tenetur conficere inuentarium, nec præstare cautionem. nu. 4.

Vsufructuarius non censetur institutus in proprietate, quando testator alium nominat hæredem. nu. 5.

Obseruantia subsequuta est magnæ considerationis, in interpretatione vltimarum voluntatum. nu. 6. Declara, vt numer. nono.

Conditio significatur per ablatiuum absolutum. nu. 7.

Conditione non purificata conditionalis dispositio non habet locum. nu. 7.

Hæres, vt cohæredem vniuersalem habere dicatur, sufficit habere spem, quod quis ex testamento hæreditatem vniuersam quandoque adire possit. numer. 7. vers. Huic enim obiectioni.

DECISIO DCLXIII.

1 CVm D. Sebastianus de Monterentiis vti filius, & hæres quon. Lucretiæ de Comitibus egerint contra hæredes Francisci de Comitibus super rescissione plurimorum contractuum factarum interd. Lucretiam, & quondam Iulium de Comitibus fratrem d. Lucretiæ ad elidendam actoris intentionem oppositum fuit, D. Sebastianum à limine iudicii repellendum, quia ipse hæreditatem matris adiuit, quæ fuerat hæres d. Iulij fratris, & ita sicut d. Lucretia non potuit contra Iulium cui successerat agere, quia omnes fuerant confusæ actiones, ita nec poterit d. Sebastianus hæres matris impugnare d. contractus, vnde de ordine Rote dubitaui stricte, an Lucretia, cui relictus fuerat vsusfructus alio non dato hærede, quamdiu durabat vsusfructus, fuerit hæres dicti Iulii, quo dubio proposito DD. negatiue respondendum esse censuerunt, quicquid enim sit de illa toties disceptata iuris quæstio. in qua tot grauissimorum Iurisconsultorum inter se dissentientium sententiæ leguntur, vtrũ institutus in vsufructu quando alius instituitur in proprietate solum post mortem vsufructuariæ efficiatur hæres in totum cum onere tamen restituendi hæreditatem vsufructu finito hæredi scripto per fideicommissum, cum in interpretandis vltimis volunatibus mentem potius testatoris, quam nimiam iuris subtilitatem attendere debeamus. *in conditionibus ff. de condit. & demonstr. l. cum quæstio. C. de leg.* & voluntas testatoris post eius obitum necessario elicienda sit ex coniecturis. *l. licet Imperator. ff. de legat. 1. l. cum iurium C. de fideicom.* cum similibus. ideo DD. existimarunt, hanc quæstionem esse decidendam ex præsumptionibus, quæ magis in hoc casu vrgere, & incalescere visæ sunt, ad effectum, vt d. Iulius non censeatur voluisse Lucretiam sororem hæredem vniuersalem in proprietate pro medietate scribere.

2 Prima, & maxima coniectura elicitur ex verbis ipsiusmet testamenti. Non enim testator dum vsufructuariam sororem reliquit vsus est verbis directis generalem hæredis institutionem importantibus, sed his verbis iure legati, institutione, & alias omni meliori modo reliquit. Vnde potius videtur legatum voluisse facere, aut hæredis particularem institutionẽ hoc vsufructu, quam hæredem vniuersalem, etiam in proprietate, verbum siquidem, reliquit, cum non adiicitur vniuersitati bonorum, vel quod non importat institutionem, maxime quando res certa nõ relinquitur personæ necessario instituendæ. *l. cogi. §. & generaliter. ff. ad Trebell. Benedictus in cap. Rainutius. vers. in eod. test. nu. 57. Imol. nu. 8. Couar. ibidem. §. 1. nu. 50.*

3 Quod

3 Quod eo magis dicendum est, quia quando testator Franciscum de Comitibus ex fratre nepotem voluit hæredem scribere, vsus est verbis directis, scilicet instituit, nominauit, & elegit. Vnde colligitur testatorem illum voluisse instituere in proprietate, etiam de viuente sorore, ne alias potius ipsius hæreditas deueniret ad hæredes sororis minus dilectos, quod ex eo probatur, quia liberalitatem suam semper restrinxit ad vitam sororis, vnde dispositio facta, & limitata ad certum tempus, vltra illud non debet extendi contra mentem testatoris. *l. statuliberum. §. Stichum. de legat. 2. l. 2. §. si mulier. ff. de liber. agnosc. Dec. cons. 61. num. 2. Paris. cons. 20. nu. 7. & sequentib. lib. 3.* cum multis alijs adductis in vna Romana de Vaninnis. 17. Februarij 1606. coram Reuerendissimo Lugdunen.

4 Secundam præsumptionem in eo consistere iudicarunt DD. quod testator, postquam sorori vsumfructum reliquit, eandem liberauit à confectione inuentarij, & à præstatione fideiussionis, quæ præstari solet, & debet per vsumfructuarium solummodo, non autem per heredem in proprietate. Si enim soror habuisset proprietatem cum vsufructu, nullo modo potuisset cogi ad confectionem inuentarij, quam rationem ponderauit *Dec. consil. 277. num. 50. Ruin. consil. 165. num. 1. lib. 3. Cephal. consil. 37. num. 24. Menoch. de præsumpt. lib. 4. præsumpt. 134. num. 16.* quibus accedit, quod dum testator liberat à fideiussore sororem, grauat hæredem quatenus sit locus fideiussioni, ad præstandam cautionem pro ipsa sicque noluit per hæredem molestari. Ex quo infertur, non fuisse Dominam bonorum in proprietate, quia nullo tempore potuisset ei molestia inferri. *Roman. consil. 206. Dec. d. consil. 277. Mantic. de coniect. vltim. volunt. lib. 4. tit. 5. art. 15. num. 6. & seq.* Rot. coram R.P.D. meo Vbando in vna N. Apotheçę die 9. Martij 1613. hodie denuo confirmata.

5 Oritur, & ex ijsdem verbis tertia coniectura ex eo, quod grauat hæredem suum Franciscum testator ad fideiubendum pro sorore vsufructuaria. Vnde non censetur ipsam voluisse grauare, nisi illum honorando titulo institutionis. Nominat enim illum hæredē viuente ipsa sorore, quę ideo dicenda est vsufructuaria, vt ex illis concludit *Dec. d. cons. 277. num. 6. Simon. de Pretis, de interpr. vltim. volun. solut. 1. nu. 39. & 41. lib. 3.*

6 Considerarunt quarto loco DD. cum in testamento relictus fuisset vsusfructus tam iure legati, quam omni alio meliori modo, etiam vsufructuaria haberet æqualiter titulum legati, vel in subsidium titulum instit. interpretationem huius quæstionis plurimum dependere ex obseruantia, quæ alias pro interpretat. *vltim. volunt. magnæ est considerationis. Abb. in cap. cum dilectus. nu. 22. de consuetudine. Put. dec. 12. in fin. lib. 3.* Vnde cum ex pluribus actis etiam iudicialibus adductis per Informantes pro Sebastiano constet statim post obitum Iulii testatoris sorores, quibus vsusfructus redditus erat, gessisse se tanquam vsufructuarias tantum, nepotem vero hæredem scriptum declarasse se hæredem in proprietate, collegerunt DD. nunqum Lucretiam fuisse hæredem in proprietate bonorum Iulii, sed solum vsumfructuariam.

7 Nec obstare visum fuit, quod dicitur, nepotem non fuisse institutum hæredem pure, & simpliciter, sed solummodo finito per mortem sororum, & extincto vsufructu, & cum proprietate consolidato, quo casu cum incertum sit tempus mortis vsufructuariæ illa verba finito vsufructu important conditionem. *l. 1. l. dies incœptus. ff. de condit. & demonstrat.* & ideo nondum purificata conditione, seu tempore præscripto in institutione, non potest dici cohæres, sed solum mere *substitutus. argumento l. ciuilibus. l. 2. in fin. & leg. hæres meus. in principio. ff. de condit. & demonstrat.* & sic aut in incerto, quod dici non potest, hæreditas permanebit, aut ante purificationem conditionis proprietas debuit residere penes sorores hæredes in vsufructu. *Ruin. consil. 36. volum. 2. Cephal. consil. 472. numer. 55. libr. 4.* cum multis aliis per Informantes allegatis. Huic enim obiectioni responsum fuit, vt quis dicatur habere cohæredem vniuersalem sufficere spem adesse, etiam quod quis ex testamento hæreditatem vniuersam adire quandoque possit, vt post *Alexand. & infinitos quos citat Bero. consil. 58. num. 6. lib. 2.* respondit Rot. in Romana hæreditatis, coram Reuerendissimo D. Lugdunen. stantibus præcipue responsionibus supra declaratis, quæ non aderant in consiliis. *Ruin. & Cephal. supra alleg.*

8 Nec etiam obstat coniectura allegata per hæredes quondam Francisci de Comitibus inde colligi Lucretiam fuisse hæredem in proprietate, quia testator eam ab omni fideiussione, & confectione inuentarii liberare voluit, quia si non fuisset hæres proprietaria de iure non poterat à dicta cautione liberari. *l. 1. C. de vsufructu. Bart. in l. nemo potest. num. 3. ff. de leg. prima, vbi Rip. num. 39. cum alijs per Gabriel. de vsufructu. conclus. 1. num. 20.* Placuit enim responsio, testatorem hoc sciuisse, vnde vlterius proceden. declarauit velle, vt si cogeretur soror ad talem fideiussionem in frascriptus hæres ad fideiuben. pro ea grauaretur sicque patet testatorem intellexisse Lucretiam sororem posse cogi ad fideiubendum, sicque remanere simplicem hæredem vsufructuariam, quæ proprie cogitur ad cauendum, & non proprietarius.

9 Non obstant denique, quæ dicuntur contra obser. uantiam eam non esse attendendam, quia hæredes scripti nullo iure possunt ex eorum confectione, aut obseruantia immutare voluntatem defuncti. Vnde sequitur, nec Lucretiam sororem restringendo se ad vsumfructum, nec dictam Franciscam nepotem declarando se hęredem ante extinctionem vsusfructus, potuisse mutare naturam testamenti, quatenus sorores fuissent hæredes grauatę, & dictus Franciscus nepos substitutus. Huic enim obiectioni responderunt, regulam esse veram, quando constat de voluntate testatoris clara, & certa, non autem in hoc casu applicari, vbi voluntas illa est multum incerta, & dubia, sicque multum deferen. est pro interpretatione vltime voluntatis obseruantię ex supradictis. Et ita decisum, & cęter.

R. P. D. PIROVANO.

Clusina Postæ. Veneris 20. Martij 1615.

ARGVMENTVM.

Magistralis est decisio, pluraque continet notanda, de quibus in Summario, & agitur pręcipue de secunda inuestitura feudi, Principe ignorante, quod alius in eodem feudo ius habebat, an, & quando talis concessio dicatur subreptitia ex eo, quod in illa non fuit derogatum Regulę de iure quęsito non tollendo.

SVMMARIVM.

Gratia, seu inuestitura dicitur subreptitia defectu intentionis quando Papa illam concessit ignorans alium in ea habere ius ex titulo oneroso, & ex benemeritis. nu. 1.

Gratia, seu inuestitura subreptitia defectu intentionis remanet nulla, & non præiudicat habentibus in ea ius. nu. 2.

Princeps non præsumitur velle tertio præiudicare, sed potius illius iura reseruare. nu. 2.

Princeps in contractu feudali non habet largas habenas, & propterea quælibet inuestitura semper intelligitur sine præiudicio tertij. nu. 2.

Iuri in spe existenti, quando habet causam à præterito non censetur a Principe derogatum absque derogatione Regulæ de iure quæsito non tollendo. n. 3. Declara, vt n. 4. & 5.

Gratia euentualis præiudicat etiam tertio habenti ius, quæsitum, quando Papa præuenit illum euentum, & impedit, ne contingat vacatio. Declara, vt nu. 4. & seq.
Ius secundarium, & in consequentiam non subiacet Regulæ de iure quæsito non tollendo. Declara, vt nu. 6.
Inuestitura feudi finita generatione reuocari debet cum proximiore, si Dominus feudum pro se retinere nolit. num. 7. Declara, vt nu. 8. & seqq.
Papa Superiorem non habet. nu. 9.
Papa potest durante generatione inuestiti in feudo alijs inuestituram concedere in casum deuolutionis, cum tunc non dicatur agi de præiudicio inuestiti. nu. 11.
Derogare Regulæ de iure quæsito non tollendo an sit necesse quando vacatio contigit non viuo concedente, sed eo mortuo. nu. 12. & seqq.
Prælatus successor dignitatis, quando teneatur obseruare concessionem factam à suo antecessore defuncto. numero 12. & sequentibus. Vbi etiam quid in Papa, aut Imperatore.
Princeps concedendo feudum generaliter quando etiam concessisse videatur accessiones, & incrementa ipsius feudi. nu. 14. & 15.
Feudi deuolutio, quando pertineat ad vsufructuarium, & non ad Dominum directum. nu. 16.
Feudi concessio, & inuestitura quid comprehendat, attenditur valor feudi. Declara, vt nu. 17.
Vendita re duobus præfertur secundus emptor, cui Res tradita fuit. Declara, vt nu. 18. & seqq.
Dominium ex contractu Principis transfertur etiam sine traditione. nu. 18.
Titulus lucratiuus non est sufficiens ad excludendam Prælationem anterioris concessionis. nu. 19.
Feudorum concessiones, pro quibus Camera non recepit sufficientem recompensam inualidantur à Bulla Pij IV. Declara, vt nu. 20.

DECISIO DCLXIV.

1 SEquendo ordinem reseruatæ disputationis propo- sui dubium super releuantia Breuis Gregorij XIII. Et Domini censuerunt illud non obstare Dom. Marchioni à Cornea. Quia in narratiua Breuis præsupponitur facta concessio de huiusmodi Posta Alexandro, & Paulo de Sfortijs, vsque ad tertiam eorundem generationem, & quod in eo sit data facultas nominandi Ioan Baptistam, & Alexandrum eorundem ex fratre nepotes, vsque ad tertiam illorum generationem tantum, qua finita Posta ipsa ad Cameram Apostolicam reuertatur eo ipso, vnde cum non ad Cameram, sed ad DD. à Cornea positos in locum Cameræ hæc Posta deuolui deberet, ex hoc falso præsupposito bene intrat defectus intentionis, vt considerat *Seraphin. dec. 965. num. 12. par. 1.* Nam si Gregorius sciuisset concessiones DD. à Cornea non concessisset DD. de Sfortijs facultatem nominandi per alias generationes, vel saltem attenta earum qualitate, quia sub titulo oneroso, canone releuanti, & benemeritis emanarunt, difficilius concessisset, prout in similibus terminis responderunt *Paris. cons. 11. num. 133. & 137. lib. 1. Roman. cons. 298. nu. 1. vers. 2. Decian. cons. 18. num. 385. vol. 1. Menoch. cons. 294. nu. 20.*

2 Et exinde cessante intentione concedentis inuestitura DD. de Sfortijs remanet nulla, & subreptitia, vel saltem non præiudicialis DD. à Cornea habentibus titulum à Principe, *Ioan. Andr. in cap. si motu proprio. de præben. in 6. Abb. in cap. cum olim. num. 15. de re iudic. Bero. consil. 146. num. 37. lib. 3.* neque enim præsumitur Principem voluisse tertio præiudicare, *cap. quamuis. in fine. de rescript. lib. 6. leg. 2. § merito. & §. si quis à Principe. ff. ne quid in loc. publ. fiat. l. impuberi. ff. de admin. tut.* sed potius eorum iura reseruare. *Bald. in leg. 1. num. 5. ff. de constitut. Princip. Paris. cons. 23. num. 153. lib. 1. Honded. cons. 39. num. 45. volum. 2. Surd. cons. 42. num. 20.* præsertim quia versamur in contractu feudali, in quo Principes non habent largas habenas, vt dicit *Paris. d. cons. 23. num. 153. lib. 1.* & ea ratione quælibet inuestitura semper intelligitur sine præiudicio alterius, *cap. 1. in princ. per quos fiat inuestit. Afflict. in cap. 2. num. 2. de feud. dat. in vicem. leg. Commiss. Natta consil. 509. num. 7. & 9. & ex alijs latissime comprobat Card. Mantic. de tacit. conuent. lib. 23. titul. 19. num. 20.*

3 Et quamuis ius DD. à Cornea de tempore concessionis Breuis dici posset adhuc in spe ex verbis ibi, quibuscumque alijs concessionibus cessantibus, nihilominus quia tale ius habebat causam de præterito, de eo erat facienda mentio, & necessaria erat derogatio regulæ de iure quæsito non tollendo. *Sarnen. ad dictam regul. q. 4. num. 12. vers. secundus est casus. Rota dec. 614. num. 9. par. 1. diuers. Cæs. de Graff. dec. 1. de verborum signific. Seraphin. dec. 1082. par. 2.* habet enim hoc ius, inquit Sarnen. certam, & probabilem spem de præsenti quod inducit quoddam ius ad rem, quo priuari videtur præiudiciale, vt dicit *Bart. in l. post emancipationem, §. 1. ff. de liberat. legat.*

4 Nec placuit Dominis responsio data, quod in huiusmodi gratijs euentualibus non dicatur fieri præiudicium considerabile ad effectum regulæ, quando Papa præuenit illum euentum, & impedit ne contingat vacatio, cum semper remaneat gratia in suo robore, licet expectet euentum, vt per *Put. dec. 347. lib. 1. secundum nouam impress. Rota dec. 21. num. 5. de præbend. in nouis. & coram bon. mem. Cardinale Seraphino dec. 1410. nu. 18. & sequentib.* in quibus locis videtur probari, quod etiam absque derogatione regulę de iure quęsito &c. Papa præuenit vacationes in præiudicium vnionum admittendo resignationes, & promotis ad Episcopatum concedit retentionem beneficiorum de iure patronatus, impediendo vacationes absque eo, quod dicatur lædere ius patronorum, vel etiam concedendo vniones beneficiorum non dicatur tollere ius Capitulo habenti ius exigendi medias Annatas, cum semper impediatur vacatio, ne contingat, quæ omnia dicebantur præsenti casui applicari, dum Breue Gregorij fuit expeditum ante huius Postę vacationem.

5 Prædicta enim dixerunt procedere in suspensione ad modicum tempus, non adimente spem gratię euentualis, secus vero vbi adest quasi certitudo extinctionis gratiæ propter admissionem trium generationum Ioan. Baptistæ & Alexandri, ob quarum dilationem vnica generatio superexistens DD. à Cornea in totum tollebatur, & ius perimebatur, idem *Put. in terminis regulæ. dec. 288. nu. 88.* secundum nouam impress. lib. 3. quod etiam fuit firmatum in Eugubina S. Stephani 15. Martij 1599. coram bon. memor. Cardinali Pamphilio vltra quod conclusio supra allegata videbatur etiam restringenda in beneficialibus, in quibus Papa habet plenitudinem potestatis, prout eam restringit, *Roman. cons. 298. num. 2. vers. & sic hæc vera sunt.* Quod idem dicendum non videtur in contractibus feudalibus, in quibus Papa non solet ius alteri quæsitum sine causa auferre, *Paris. consil. 11. num. 79. lib. 1. latissime Gabriel. de iur. quæsito non tollend. conclusione 5. in 1. ampliat.*

6 Et addebatur, quod ex verbis Breuis non suspenditur, sed penitus tollitur ius DD. à Cornea, cum ibi expresse dicatur, quod finita generatione Ioan. Baptistæ, & Alexandri Posta reuertatur ad Cameram eo ipso, quod de directo contrariatur inuestituræ DD. à Cornea, dum cessantibus concessionibus admittitur fructus, & emolumenta accrescere ad D. Iacobæ, & eius hæredum vtilitatem, sicuti accrescerent ad vtilitatem Cameræ, & hac ratione attenta cessant, quæ dicuntur de iure, quod tollitur secundario, & in consequentia, vt non subiaceat regulæ, vt per *Curt. iun. consil. primo, num. 22. & Seraphin. dec. 1445.* quia dum Posta reuerti debet ad Cameram, principaliter læduntur

DD. a Cornea, non autem in consequentiam, cum directe priuentur iure sibi ipsis ex antiquis inuestituris competenti.

7 Nec etiam visa sunt obstare, quæ dicebantur ad demonstrandū cessare effectū intētionis, nec esse necessariam regulæ derogationem, dum DD. a Cornea nullum ius habent in casum renouationis, cum finita generatione Domino nolente feudum pro se retinere, D. Dux vti proximior deberet in renouatione præferri, *Bar. in l. 1. §. permittitur. ff. de aqua quotid. & æstiu.* & ex alijs allegatis per *Gabr. de iur. emphyt. concl. 1. nume. 14. & plenius per Rosenthal de feud. tom. 1. cap. 7. concl. 24.* per totam, quod idem etiam sequuta inuestitura dicebatur hodie fieri debere in præiudicium secundo loco inuestitorum ex *Bald. consilio 82. lib. 1. relato per Gozad. consil. 20. num. 10. Mandos. ad Roman. consil. 22. in litera K. limit. 1. versic. sed ego credo, quod &c.*

8 Doctrina enim *Bart. in leg. 1. §. permittitur. ff. de aq. quotid.* & æstiu. quæ fuit originalis, non ita indistincte recipitur in hac materia feudali, cum multi tenuerunt eam non esse veram, nec practicabilem, prout respondet *Roman. consilio 70. num. 3. vers. non obstant.* dicens veram non esse, *Andr. Gail. pract. obser. lib. 2. obseru. 148. num. 3. versic. sed verior,* &c. post alios affirmans veriorem opinionem, quod Dominus non teneatur consanguineos præferre extraneis, & ita in practica obseruari, nisi aliter de consuetudine receptum sit, & *Clar. in §. feudum, quest. 87.* testatur, contrarium numquam vidisse in feudis obseruari, & quod durum esset obtinere, & illum sequitur *Menoch. consil. 400. num. 31. vers. respondetur. 1.* & *Rosenthal. de feud. in allegat. concl. 24. num. 21. & Pistor. in lib. 2. quæst. 44. num. 10.* dicunt aduersari ex diametro omnibus iuris feudalis rationibus, cum concessiones ita factæ intelligantur, vt feudo finito id ad dominum libere redeat. *cap. 1. si de feud. defunct. cap. 1. de succes. fratr.* neque vasallus de feudo aliquid statuere possit, quo se defuncto ipsum dominum obliget, *cap. 1. §. & si clientulus. de alienat. feud. cap. 1. §. è contrario. de inuest. de re alien. fact.*

9 Præterea in supremo Principe, prout est Papa, vel Imperator, dicta Bart. non videntur procedere, vt affirmant *Paris. consil. 23. numer. 250. lib. 1. Gabr. de iur. emphy. conclu. 1. num. 22. Rosenthal de feud. d. cap. 7. quæst. 24. num. 20. & videtur probari ex eisdem Bart.* propositionibus, dum ad repellendam iniuriam denegatæ renouationis subdit, posse appellari de iure canonico ad superiorem, vt cogat, quod fiat refirmatio, quod non conuenit Papæ non habenti superiorem, *Bartol. in leg. omnes populi. numero 53. versic. præterea speciale. ff. de iusti. & iur. Bald. in proœm. ff. num. 23.* & sunt *textus aperti. in leg. 1. ff. à quibus appellari non licet, leg. 1. C. de sent. præfe. præt.* qui in terminis allegantur à *Paris. consil. 118. num. 1. vol. 1.* vbi latissime firmat hanc conclusionem, quod indubitabile etiam redditur, quando mouentur supremi Principes ex iusta causa, nempe ob benemerita, vt considerant supra relati *Paris. & Gabr.* & quæ maxima fuisse in familia de Cornea recensentur in antiquis eorum inuestituris.

10 Alia etiam ratione euitatur doctrina *Bart.* cum non versemur in concessione facta de aliqua re particulari, sed in fructu, & emolumento succedente ex qualitate vniuersalitatis huius feudi, cuius alienationem sicuti DD. de Sfortijs non poterant in totum impedire, ita nec pro parte respectu Poste id potuerunt, quia hoc est de natura vniuersalis concessionis, vt transferatur omne ius concedentis, etiam si illud particulariter cedi, vel alienari non possit, vt considerant *Schrader. de feud. p. 3. cap. 4. num. 41. & 42.* & alij allegati in prima decisione in hac causa facta.

11 Ex quibus patet bene subsistere durante etiam generatione inuestiti potuisse Papam concedere inuestituram in casum deuolutionis, cum non agatur de præiudicio inuestiti, *Afflict. decis. 292. per totam, Clar. in §. feudum. quæstio. 14. per tex. in princip. qui success. feud. dar. teneant. cap. 1. qui succed. ten. capit. 1. §. moribus. si de feud. defunct.* & latissime comprobat *Paris. consil. 22. nu. 41. & 23. num. 76. lib. 1. Schrader. de feud. part. 3. cap. 2 numer. 17.* & præiudicium, quod prætenditur præseruari in inuestitura de vacaturo per *text. in cap. 1. §. si quis inuestierit. de feudo dato in vicem Leg. Commiss. & in cap. si quis in fine, qui succe. tenean.* cum alijs ponderatis per *Hartman. Pistor. quæst. iur. lib. 2. part. 2. quæst. 20. & in consilijs post eadem quæst. impress. in 1. numer. 22. & in 2. num. 39.* est intelligendum respectu iuris quæsiti ex ipsa inuestitura, puta ex pacto, vel quia inuestitura sit perpetua, & non temporalis ad certas generationes, vt ideo non impediatur feudi venditio cum consensu Domini, vel de alio interesse habente causam de præterito, non autem de præiudicio petendi renouationem, quod non est considerabile, antequam extincta sit generatio. *Cald. de renouat. emphyt. lib. 1. quæst. 9. ad finem.* vel si in aliqua parte est considerabile, tollitur ex natura ipsius concesionis de vacaturo, dum supremo Principi id licuit, vt iam dictum est, alias numquam daretur inuestitura de vacaturo propter vinculum, & necessitatem in Principe admittendi renouationem.

12 Non obstat secundo, quod principaliter ad eundem finem euitandi derogationem regulæ dicebatur, eam scilicet non esse necessariam, quia ex inuestitura de vacaturo nullum ius erat quæsitum DD. à Cornea, dum viuo concedente vacatio non contigit, sed eo mortuo, de quo tempore successor dignitatis non tenetur eam obseruare. *cap. 1. qui succes. feud. dar. ten. cap. 1. §. moribus, si de feud. defunct. Capic. decis. 162. num. 5. & 6. Schrader. de feud. part. 3. cap. 2. numer. 25. Rosenthal de feud. cap. 6. conclu. 16. in princip. & num. 13. Pistor. q. iur. 27. num. 1. part. 2.*

13 Datæ enim fuerunt duæ responsiones. Primo, quod *c. 1. qui successor. feud. dar. ten. & alij text. allegat.* loquuntur in Prælato inferiori à Papa, nempe in Archiepiscopo, Episcopo, Abbate, & alijs, qui cum præsentium tantum rerum, non etiam post mortem suam gerendarum habeant administrationem *cap. fin. 12. q. 1. cap. 2. de donat.* successoribus suis præiudicare non possunt, cum non iure successionis, sed vel postulationis, vel electionis, & sic nouo titulo ad dignitatem ascendant, & in his terminis loquuntur Aluarott. *Afflict. & alij in d. cap. 1. qui successores teneantu.* quorum auctoritate nituntur, *Capic. Schrader. & alij supra allegati,* & ita loquitur *Gabriel. consilio 83. num. 23. & 53. libro 1.* Et quamuis ratio *glos. in dicto cap. 1. in verb. compellunt. Qui successor. feud. dar. ten.* videatur etiam conuenire Papæ, & Imperatori, qui nihil habent à prædecessore, & per eam ad Imperatorem extendunt *Isern. & Præposit. in dicto cap. 1. colum. 2. vers. in glos. fin. & Afflict. ibid. num. 94. Mart. Laud. num. 15.* & eos simpliciter refert *Schrader. d. cap. 2. num. 25.* tamen de ratione diuersitatis non quærunt, quæ maxima est inter casum, & casum, cum in Prælato inferiori causa alienandi feudū nondū apertū non præsumatur, secus autem in Papa, aut Imperatore, vt declarat idem *Gabr. dicto consil. 83. numer. 22. & 53. libro 1.* per quam successores, etiam non hæredes, possunt obligari, *cap. Abbate sane. de re iud. in 6. Bal. cons. 159. vol. 3. Ias. cons. 9. num. 13. & 14. volum. 3.* ideo si præsumptioni addatur etiam iustificatio causæ, de potestate non erit dubitandum. In præsenti autem constat de meritis huius familiæ erga Sedem Apostolicam, de solutione notabilis summæ pecuniarum, & de canone Scutorum duorum millium conuento, quæ omnia probant versionem contractus in vtilitatem Sedis Apostolicæ, quæ numquam moritur, *cap. si gratiose. de rescr. in 6. Bald. cons. 331. nu. 7. lib. 1.* & obligat successorem in dignitate ad obseruandum contractum cum præ-

decessore factum. *Dyn. & Bald.in l.digna vox.C.de legibus latissime Gabr.de iure quæsit.concl.5. num.2.* Præterea Glossa prædicta videtur intelligenda, & contrarium tenentes, de gratiosa infeudatione, secus si sapiat contractum, & concurrant benemerita, vt declarat idem *Afflict.in d. cap.1. num.52. & Bursat. cons.30. num. 50. vol.1. Socin.iun. cons.91.nu.18. lib.2.Schrader.de feud. par.3. c.2. nu.38.*

14 Secundo fuit responsum, quod quidquid posset considerari in feudo particulari, separato de vacaturo, cessare tamen videretur in feudo dato in consequentiam alterius vniuersalis feudi iam aperti, prout contigit de huiusmodi Posta, quę est intra fines Marchionatus Clusij, & pars illius dicitur, & ex sui natura cessante inuestitura consolidatur, & redintegratur cum principali feudo, vt fuit ponderatum, & probatum in prima decisione huius causæ, ita vt concessio de vacaturo non abstrahatur totaliter à præsenti, sed comprehendat actum iam factum respectu inuestituræ huius Marchionatus, vt considerat idem *Bursat. d. cons.30. nu.51.* nec res difficilis videtur assignare rationem diuersitatis inter concessionem rei particularis, & separatæ, & alterius rei sub generali feudo in consequentiam comprehensæ, quamuis cadat sub eadem ratione, quod prędecessor non possit disponere de rebus, quæ non cadunt in tempore sue administrationis. Quia hic est effectus causæ vniuersalis, vt remoto impedimento concessionum trahat ad se omnes partes sub se comprehensas tanquam incrementa, & accessiones, *Decian. consil.123.num.28.libr. 3,* etiam quod particulariter alienari prohiberentur *Paris. consil.23. numer.103. libr.primo. Gabr.de iur. quæs. cons.8. nu.10.*

15 Et si dicatur, quod consequentia feudi vniuersalis magis deducitur ex dispositione, *c.1.§.si quis de manso.tit. si de inuestit. feud. controu.* quam ex tenore inuestituræ, & eo casu, quia si Dominus directus in concessione feudi vniuersalis aliquid sibi reseruauit, & est in possessione illius, quod sibi reseruauit, tunc nō veniunt accessiones, & incrementa, vt colligi videtur ex eodem *§. si quis de manso. & in specie notant ibid. Afflict. num.3. & 19. Decian.cons.123.num.57.in 2.membr. suæ distinctionis, lib.3.* quod in præsenti dicitur concurrere dum Iulius Tertius in concessione Clusij DD. à Cornea sibi retinuit recognitionem directi dominij dictę Postæ, quæ recognitio consistens in censu vnius libræ ceræ albæ semper per DD. de Sfortijs, fuit persoluta, non autem ab ipsis de Cornea. Obiectum remouetur ex eodem, *text. §. si quis de manso.* dum loquitur de reseruatione certæ partis fundi, & in præsenti agitur de reseruatione census, qui præstatur tantummodo in recognitionem supremi dominij, participiat de vtili dominio rei feudalis, vt respondit *Menoch.cons.330. num.6. & seqq.lib.4.* quinimo in concessione DD. à Cornea Papa nihil sibi reseruauit, sed totum Clusum concessit, cum sola præseruatione habentium inuestituras, quibus cessantibus voluit, quod DD. à Cornea accrescerent, prout Cameræ Apostolicæ accreuissent, ideo pacto etiam interueniente admittitur *in d.§.si quis de manso*, vt accessiones, & incrementa debeantur inuestito.

16 Et hinc cessant, quæ dicebantur esse animaduertenda contra *Honded.cons.86. num.21. lib. 2.* qui in hac causa respondit, & asserebat deuolutiones pertinere ad vsufructuarium, non autem ad Dominum directū vt scilicet procedat si Iulius Tertius concessisset vsūfructum huius Postæ DD. à Cornea, cuius vigore exegissent censum à DD. de Sfortijs, quia tunc cessante linea soluentis censum, deuolutio pertineret ad vsufructuarium, secus autem, quando Cameræ soluitur, cum ad illum, qui pro se censum retinuit pariter, deuolutio pertineat, vt per *Ioan. Andr. in addition. ad Speculator. tit.de locato.§. nunc aliqua. q.93. in verb. qui tabernas, litera Z,* nam Camera nihil pro se retinuit, quod participet de vtili dominio feudi, sed totum Clusum cum iurisdictione concessit, Io. Andr. loquitur de eo, cui concessum est in feudum ius percipiendi pensiones alicuius feudi, non autem in recognitionem, quæ soluitur Domino directo in signum superioritatis, quę non facit Cameram vsufructuariam.

17 Minus obstat præsumptio, quæ deducitur ex valore huius feudi ad arguendum, quod Papa noluerit comprehendi hanc Postam sub generalitate Clusi. *Ioan. Andr.ad Speculator.in d.§.nunc aliqua. q. 43. versic. qui tabernas,* cum alijs allegatis, quia satis cessat præsumptio vbi de aperta voluntate concedentis constat; Concessio enim facta per Iulium Tertium comprehendit emolumenta, & fructus etiam in maxima quantitate, & quantumlibet excrescentibus. Vltra quod in pretio concessionis intrat benemerita DD. à Cornea, quæ possunt ęquipollere valori huius Postæ quamuis notabili.

18 Et his stantibus dispositio *l.quoties. C.de rei vendit.* deseruire non potest, quæ etsi locum haberet in feudis, vt tenuerunt *Ias. ibidem nu.30. Bald. Aluarott. Affl. in c.1.§. si facta. si de feud.defunct. Rosenthal.post alios, de feud.c.6. conclus.9. nu.1.* tamen cum non agatur de feudo duobus ab eodem Domino vendito, neque à diuersis Dominis, quia secunda concessio DD. de Sfortijs facta non dicitur concessio, si defectu intentionis corruit, vt supra dictum est, & vbi possent applicari obstarent multæ limitationes, quę passim à Scribentibus solent admitti, nempe quia versamur supremo Principe, ex cuius contractu transfertur dominium sine traditione. *Socin.iun. cons.65. num.6. volum.1. Paris.in cons.11. num.58. & 108. lib.1. Gabr. de communi. de empt. & vendit. concl.2. num.39.* ideo statim dicitur ius quæsitum DD. à Cornea, in quorum præiudicium Dominis de feudo concesso vlterius disponere non potest.

19 Præterea agitur de feudo deuoluto in consequentiam iuris vniuersalis, & sicuti DD. de Sfortiis non præferuntur in Cluso, ita nec etiam in Posta, quæ est pars illius, debent prę ferri, ac demum, quia concurrunt habentes titulum onerosum, vt in præsenti, ex parte D. à Cornea, cum DD. de Sfortijs habentibus titulum lucratiuum, qui titulus sufficiens non est ad excludendam prælationem anterioris concessionis, vt affirmant *Ias. in d.l. quoties, nu.27. Couar. variar. libr.2. cap.19. numer.5. Pistor. de feud. libr.2.q.29. Rosental. cap.6. conclus.12.num.10. Gabr. de empt. & vendit. concl. 2. numer.32.*

20 Postremo non obstat Bulla Pij IV. in ordine 125. in qua annullantur omnes infeudatione, pro quibus Camera non recepit sufficiētem recompensam, quia hæc qualitas non deficit in concessione DD. à Cornea, in qua interuenit pretium, canon releuans, & benemerita, quæ equippollent sufficienti recompensæ. Et ita fuit resolutum.

R. P. D. ANDREA.

Elboren. Fructuum. Veneris 20. Martij 1615.

ARGVMENTVM.

Decretum, quod institutus in beneficio debeat petere confirmationem à Sede Apostolica infra sex menses, operatur, vt si non petat, beneficium vacet ipso iure, & fructus post sex menses perceptos debet restituere.

SVM-

SVMMARIVM.

Clausula alioquin, &c. est comminatoria, & inducit nullitatem ipso iure. num. 2.
Hæredes eius, qui fructus beneficij suos non fecit, tenentur restituere. num. 3.
Fructus præbendæ vacantis de iure communi debentur interessentibus. num. 3.
Gratia in forma dignum, & commissaria ante executionem nihil operatur. num. 4.
Gratia in forma dignum, & commissaria ad effectum valide impetrandi post incursum in pœnam est nulla, si veritas in supplicatione fuit occultata. num. 5.
Fructus suos facit habens titulum sufficientem, & bonam fidem. num. 6.
Rebuff. in reg. de subrogat. glo. 4. numer. 23. declaratur. numero. 7.
Fructus suos, vt faciat quis, non requiritur titulus, sed sufficit qualis occasio possidendi. num. 8.
Beneficium secundum Rota consuetudinem vocat, quando moritur ille, qui habet supplicationem signatam, etiam si literæ non sint expeditæ. num. 8.
Distributiones accrescunt interescentibus. num. 9.
Fructus beneficij, qui proprie sunt fructus non accrescunt interessentibus, sed Ecclesiæ. num. 10.
Compositio cum Camera Apostolica solet fieri pro fructibus male perceptis. num. 10.

DECISIO DCLXV.

1 CVm olim Didacus Vaz. Pereira Canonicus Doctoralis Ecclesiç Elboren. iuxta formam Indulti fel. rec. Pij Papç IV. post electionem de se factam per concursum, & institutionem Ordinarij ad Regiam præsentationem teneretur infra sex menses nouam prouisionem à Sede Apostolica obtinere, & iura Cameræ soluere, alias dictis sex mensibus elapsis Canonicatus, & præbenda eo ipso vacarent, & ipse de prædictis obseruasset, & obijsset, postquam per tres annos possederat Canonicatus, & fructus præbendæ similiter percepisset, Capitulum contra hæredes egit vigore statuti confirmitati pro fructibus male perceptis coram Ordinario Elboren. qui illos condemnauit pro fructibus perceptis per totum tempus, exceptis primis sex mensibus, datis ad expedien. pro quibus eos absoluit. Causa introducta in Rota coram me, & proposito dubio in contumaciam hæredum, an sententia de partibus esset confirmanda. Rota in omnibus eam confirmandam censuit.

2 Ratio decisionis fuit, quia in Indulto concesso Serenissimo Regi Portugalliæ adest expressa clausula Decreti obligans eos, qui præsentati fuerint à Rege ad huiusmodi præbendam petere confirmationem Apostolicam infra sex menses à die institutionis cum clausula, alioquin dictis sex mensibus elapsis, &c. Cum igitur Didacus non expediuerit literas infra sex menses, incidit sine dubio in pœnam contentam in dicto decreto, quod non solum est comminatorium, sed inducit nullitatem ipso iure, iuxta *decis. Crescen. 18. de præbend.* vbi aliæ referuntur, & nouissime fuit dictum in Colimbricen. pensionis quinta Nouembris 1614. coram Reuerendo Patre domino meo Manzanedo, & in terminis collationis à legato vigore Indulti cum simili clausula expedien. infra sex menses tenuit Rota in vna Vlixbonen. beneficij quarta Decembris 1600. coram bonæ memoriæ Cardinale Pamphilio.

3 Quo fit vt à die priuationis Didacus non fecerit fructus suos, & consequenter illius hæredes eos teneantur restituere, vt post *Angel. in l. prædonis loco ff. de pet. hæred. trad. Castren. ibi, numer. 2.* dicens tenendum menti singulariter, cum alijs allegatis per Moder. Hispan. *ad reg. 8. glos. 56. numer. 125.* Neque ad hunc effectum respectu fructuum opus erat alia declaratoria. *Felin. in cap. Rodulphus. num. 38. de rescript.* Et iure merito dicti fructus adiudicati fuerunt Capitulo, quia interessentibus accrescebant tam de iure communi, iuxta *cap. 1. de cleric. non resid. in 6. glos. in clem. 2. verbo pars dimidia. de ætat. & qualit.* quam vigore statuti confirmati, de cuius obseruantia deponunt septem testes pro parte Capituli examinati super 8. articulo, *Summario. nu. 6. & latius in processu à fol. 104. vsque ad fol. 132.*

4 Neque mouebat in contrarium noua gratia obtenta per Didacum, quia cum esset in forma Dignum, & commissaria ante exequutionem, quę nunquam facta fuit, nihil posuit in esse, & ideo non potuit Didaco suffragari. *clem. 1. vbi Card. num. 7. & 8. Vitalin. num. 15. de concess. præb. Mandos. in reg. de annal. quæst. 55. num. 3. Card. Seraph. decis. 1446. num. 3.* & fuit dictum in Burgen. Canonicatus 28. Aprilis 1593. coram bon. mem. Cardin. Pamphilio, & in Calaguritana beneficij de Ocon 30. Ianuarij 1603. coram Reuerendiss. Lugdunen. & in alia Calaguritana de Branteuilla 7. Nouemb. 1614. coram R. P. D. meo Pirouano.

5 Quæ gratia ex alio non poterat Didaco esse vtilis, quia falso narrauerat se nullos in dictis sex mensibus fructus percepisse, & nihilominus contrarium probatur ex testibus in *Summario. numer. 3.* Cum tamen ad effectum valide impetrandi post incursam pœnam priuationis esset necessaria huiusmodi expressio fructuum, quos perceperat *Rebuf. in reg. de subrog. glos. 4. nu. 23. in fin. Cassad. decis. 6. num. 1. & seq. de præben. Put. decis. 13. eod. tit. & decis. 26. & 131. lib. 1.*

6 Quo vero ad sex menses datos ad expedien. Didacus pro illo tempore fecit fructus suos, cum fuerit institutus ab Ordinario etiam vigore Indulti, & sic habuit titulum sufficientem, & bonam fidem ad eos acquirendos c. ex frequentibus. vbi not. *Abb. num. 2. de instit. idem Abb. in c. grauis. num. 4. vers. si vero habuit. de restit. spol.*

7 Et non obst. *Rebuf. vbi supra, num. 23.* quia loquitur in recipiente fructus ex simplici nominatione, nō autem vbi præcessit institutio, prout in casu isto. Et tanto magis, quia ad effectum, vt quis fecerit fructus suos, non requiritur titulus, sed sufficit qualis occasio possidendi. *Surd. decis. 25. num. 5. & decis. 211. num. 7.* & fuit dictum in Romana Vineæ 7. Iunij 1610. coram Illustrissimo Lancellotto, & sat est malam fidem abesse. *l. sed etsi lege. §. scire. vbi not. Bartol. numer. 2. ff. de petit. hæred. Surd. consilio 115. num. 7. Cassad. dicta decis. 6. nume. 9. vers. quia procedit. de preben.* & tenuit Rota in dicta Romana Vineę, & in Pampilonen. de Ianzi. 26. Octobris 1607. coram R. P. D. meo Decano.

8 Non obstat, quod per illius obitum, qui literas non expediuit, beneficium vacare non dicatur, sed eo modo, quo prius. *Simonett. de reseru. quæst. 55. cum alijs alleg.* Quia licet ita teneat Cancellaria, tamen contrarium seruat Rota, quod nimirum per illius obitum, qui solam habet supplicationem signatam literis non expeditis beneficium vacare censeatur. *Rot. decisione vltima, numer. 4. de rescript. in antiqu.* quæ est in practica firma in Palatio, vt ait *Cassad. decisione 8. nume. 8. de restit. spoliat. & idem traditur in decis. 40. part. 3. lib. 2. & decis. 1919. part. 3. lib. 3. diuers.* Et quamuis indultum Pij IV. nouam vacationem literis non expeditis, hoc tamen intelligitur post sex menses datos ad expedien. vt sunt verba clara, ibi alioquin dictis ex mensibus elapsis Canonicatus, & præbenda eo ipso vacare censeatur, prout in similibus terminis firmat *Nauarr. in cap. accepta in oppositione 8. solut. num. 37. de restit. spoliat.* & fuit allegata decisio in Hispalen. beneficij de Xezez 12. Maij 1603. coram bon. mem. Litta. Ex quibus ita conclusum vnanimiter sententiam de partibus esse confirmandam.

9 In extensione tamen præsentis decisionis quo ad fructus

fructus Capituli scrupulum mihi iniecit exceptio, de qua in ventre statuti, ibi exceptis pœnis, quæ statim ad certum locum applicatur. Vt enim omittam distributiones, quæ interessentibus accrescunt *d. c. vnico. de cleric. non residen. in 6. & glos. in clem. 2. de æta. & qualit. in verbo. pars dimidia.* cuius naturæ etiam est communis massa, grossa ad hoc destinata, vt inter residentes certo anni tempore diuidatur. *Couarru. li. 3. var. cap. 3. num. 7. post med. vers. & sane in fallor. Guttier. canon. quæst. libro 1. c. 1. num. 107. & seq. Nauarr. consil. 20. Canonicus Cathedralis. nu. 2. de celebrat. Missar.* vbi iuncto num. 1. expresse tenet eos non deberi Cameræ Apostolicæ, quod etiam patet ex *Cassad. d. decis. 6. num. 6. vers. aut inspicimus. de præbend.*

10 Alij tamen fructus, qui proprie fructus sunt, in casum amissionis non accrescunt interessentibus, sed cedunt Ecclesie, iuxta distinctionem *glos. in clem. 2. verbo suspensus. de vit. & honest. cleric. Felin. in c. Apostolicæ. nu. 12. vers. durante autem. de excep. Couarr. vbi sup. num. 7. post princ. vers. in ipsis vero fructibus.* Et solet fieri compositio cum Camera Apostolica pro eis male perceptis. *Cassad. decis. num. 2. de præben.* Addo quod statutum, in quo se fundant Canonici, loquitur de pœnis, quæ per statuta Ecclesiæ infliguntur. Giusmodi autem pena priuationis aliunde prouenit ex Constitutione scilicet Pij IV. Nisi in omnem euentum probet Capitulum, huiusmodi fructus esse de distributionibus quotidianis, ex quo inter ipsos inter essentes diuiduntur, vt per *Couarr. d. cap. 13. num. 7. vers. & sane. ni fallor. Guttier. & Nauarr. vbi supra* quod tamen non probauit. Vnde super hoc vellem stricte partes iterum audire, & DD. meorum vota expectare.

REVER. P. D. ANDREA.

Cremonen. Pensionis. Lunæ 23. Martii 1615.

ARGVMENTVM.

Gratia conseruationis pensionis nulla est, quando in ea non exprimitur altera pensio, quam beneficium prius grauatum erat, quod quando verum sit, bene in hac decisione declaratur.

SVMMARIVM.

Solutio pensionis retardari non potest, donec non constet de non iure illius, qui reseruationi pensionis consensit. num. 1.

Pensionis reseruatio non valet, quando est facta super beneficio grauato de alia pensione, non facta mentione illius alterius pensionis, qua benefitium grauatum est. nu. 2. Declara, vt nu. 3.

Confessio vnius alteri non præiudicat. nu. 2.

Instrumentum publicum ab Archiuista extractum plene probat. num. 4.

Gratia non est necesse, quod iustificetur in his, quæ sunt narrata a Papa, & non a parte. Item nec in his quæ sunt superflua, & non necessaria. nu. 5.

DECISIO DCLXVI.

1 Domini steterunt in decisis sub die 5. Decembris anni præteriti, dummodo iustficetur valor beneficij Sanctæ Vrsulæ per Annibalem possessi, & valor obtenti, de quo erit particulariter videndum. Non obstat, quod pensio fuerit reseruata de consensu Baldi Catanei, quem dicitur non constare habuisse ius in beneficio, & sic pensio remanet nulla, ex defectu consensus, quia placuit responsio, quod Schitus, per cuius obitum fuit prouisus Annibal, obtinuit sibi cedi ius a d. Baldo, & per consequens, cum ipse magnifecerit illius ius, nec Annibal eius successor potest illud impugnare, vel saltem, donec non docetur de notorio non iure Baldi, non potest interim retardari solutio. *Achill. deci. 1. & 9. de pension.* & fuit dictum in Reatina Pensionis 28. Ianuarij 1613. coram R. P. D. meo Vbaldo.

2 Prout non obstat, quod in reseruatione huius pensionis non fuit facta mentio de alia pensione, qua erat grauata ista Cappellania, de qua erat facienda mentio. *Cassad. decisi. 3. de pension. Crescen. decis. 1. in principio. de rebus eccles. non alienan. Verall. decis. 77. lib. 2. in manuscript. & 301. part. 2. in impress. Accoramb. decis. 16.* & fuit dictum in Valentina Pensionis 25. Maij 1601. coram Illustrissimo Mellino, & in alijs. Quia fuit responsum, quod non constat de tali pensione, nisi ex narratiua ipsius Annibalis in eius gratia, quæ non præiudicat D. Scipioni ab illo causam non habenti. *l. certum. §. sed an & ipsos. ff. de confess. Achill. decisi. 4. numero 2. eod. titulo,* nec percutit tempus reseruationis suæ pensionis, prout requiritur. *Crescen. vbi sup. nu. 1.*

3 Illa etiam conclusio, quod de prima pensione est facienda mentio in secunda, intelligitur de valide reseruata, alias de pensione nulla non requiritur mentio. *Verall. decis. 301. part. secunda.* Et propterea qui dat de nullitate secundæ pensionis, ob non factam mentionem primæ, tenetur probare illius validitatem, vt sæpius fuit resolutum, & in specie in Senogallien. pensionis. 23. Iunij 1586. coram Cardinali Platto, & in Valentina pensionis 25. Iunij 1601. coram Illustrissimo Mellino, & in eadem 4. Decembris 1602. coram Reuerendissimo Bononien.

4 Ad illud vero, quod non iustificabatur clericatus D. Scipionis, cum non exhibeantur literę patentes, sed sumptum informe, in quo etiam adest diuersitas in diœcesi, cum in eo legatur nomen Scipionis Rotę Ciuitatis Castelli. Reseruatio autem pensionis cantet ad fauorem Scipionis Rotæ Feretran. dioec. placuit responsio, Clericatum iustificari ex instrumento publico extracto ab Arrchiuista, quod facit fidem, vt fuit dictum in Syracusana Quartæ, 24. Maij 1606. coram Litta, & in Hispalen. Decimarum de Aiamonte. 12. Maii 1614. coram R. P. D. meo Pamphilio, & vlterius est subscriptum ab Episcopo Callieu. ad trad. per *Doct. in c. post cessionem. de probation.*

5 Expressio autem Feretran. diœces. de qua in literis pensionis non indiget aliqua iustificatione, tum quia fuit facta à Papa, non à parte. *Seraph. decis. 330. numer. 3.* Tum quia est superflua, & minime necessaria. *Ægid. decisio. 4* cum aliis adductis in Conchen. beneficij. 11. Maij 1609. & 10. Maii 1610. coram Reuerendiss. Domino meo Damasceno. Ex quibus, & alijs in decisione adductis, & hic per Informantes, quę DD. placuerũt, & per quę tolluntur omnia in contrarium deducta, fuit conclusum, esse standum in decisis.

R. P. D. DVNOZETTO.

Ariminen. Fideicommissi. Lunæ 23. Martij 1615.

ARGVMENTVM.

Filiorum appellatione non veniunt nepotes, & quamplures examinantur coniecturę pro exclusione, & inclusione nepotum, & quando testator dicatur considerasse rationem conseruandę agnationis.

SVMMARIVM.

Filiorum appellatione non veniunt nepotes, aut pronepotes. num. 1.

Hæres grauatus ad fauorem filij, non dicitur grauatus ad fauorem nepotis. num. 1.

Filiorum appellatione veniunt nepotes, vbi agitur de exclusione substitutorum in fauorem hæredis instituti. num. 2.

Secus

Secus vbi agitur de inducendo fideicommisso.num.2.& num. 3. Vbi declaratur l. Lucius 85. de hæred.instit. num. 13.
Fideicommissum tanquam onus non debet temere induci. num. 2.
Hæres debet grauari minus quam fieri potest. nu. 2.
Filii positi in conditione non censentur vocati. nu. 3.
Filiorum appellatione ex coniecturis ueniunt nepotes dummodo coniecturæ sint plures, & violentæ. nu. 4.
Filiorum appellatione non veniunt nepotes, vbi testator discretiue loquutus fuit de filijs, & nepotibus. num.5.
Filiorum appellatione non veniunt nepotes vbi testator vocauit filios cum dictione suos. num.6.
Verbum dicti est repetitiuum supra vocatorum. nu.6.
Verbum suorum de sui natura est personalissimum. num.6.
Filiorum appellatione non veniunt nepotes, quando testator reciproce substituit filios nec ad vlteriorem substitutionis gradum processit. nu.7.
Verbum superstitem habet vim expressionis proprij nominis. num.7.
Filiorum appellatione non veniunt nepotes, nec testator censetur illorum habuisse rationem, quando vsus fuit verbo singulari, & nepotes plures poterant nasci. nu.7.
Numerus singularis non extenditur ad pluralem.nu.7.
Filij in conditione positi vbi sunt vocati, censentur vocati ad portionem patris, non autem patrui. nu.8.
Filiorum appellatione nepotes, ac pronepotes veniunt vbi testator habuit rationem conseruandæ agnationis, etiam si sint solum in conditione positi. numero 9. contrarium. num 11.
Agnationis ratio censetur contemplata, vbi testator sæpius repetijt qualitatem masculinitatis. nu.9.
Contrarium vero quia differunt consideratio masculinitatis, & agnationis. num.10.
Agnationis conseruationem excludit feminarum vocatio. num.10.
Agnationis conseruandæ ratio non censetur considerata, quando testator illam non expressit. nu.10.
Filijs & nepotibus est magis debita hæreditas patris, vel aui, quam hæreditas transuersalium. nu.10.
Agnationis conseruandæ ratio intelligenda est iuxta terminos præcedentes substitutionis, ita vt non fiat intentio de casu ad casum, nec de persona ad personam, vel de gradu ad gradum. num.11.
Filij in conditione positi ex sola ratione conseruandæ agnationis non censentur vocati. nu.12.
Dispositio l.cum auus. ff. de condit. & demon.habet locum in quolibet descendente. num. 13.
Præsumptiones, & specialia non sunt multiplicanda num.14.

DECISIO DCLXVII.

1 CVm anno præterito die 2.Maij proposuissem dubium, vtrum factus fuisset locus fideicommisso in fauorem Dominici, & Thomæ pronepotum ex Antonio filio Marini testatoris in præiudicium Clementiæ, & Gaudentiæ neptum ex Balthasare filio dicti Masini, quæ hæreditatem paternam adierant, Domini tunc inclinabant in fauorem dicti Dominici, & Thomæ masculorum ex coniecturis tunc examinatis, sed postea re maturius discussa, hodierna die communi omnium suffragio responderunt, non fuisse purificatum fideicommissum. Præcipuum fundamentum decisionis illud fuit, quia si verba testamenti perpendantur, apparebit nepotes, multo minus pronepotes non fuisse in conditione positos, tantum abest, vt sint vocati, sed solum filios, certum est autem regulariter nepotes, aut pronepotes sub nomine filiorum non contineri. *l. quod si nepotes. sexta. ff. de testament. tut. §. fin. instit. qui testam. tut. da. poss.* & propterea receptior Dominorum opinio est, grauatum hæredem ad fauorem filij, non posse dici grauatum ad fauorem nepotis. *Bart. in l. alimenta. in princ. ff. de alimen. & cibar. legat. Bald. in l. Gallus. §. instituens. num.6. & ibi Aret. numer.40. ff. de liber. & posthum. Roman. consi. 438. numer. 15. Alex. consi. 1. num. 12. & seqq. lib. 1. Dec. consi. 95. num. 5. & sequ. Curt. sen. consil. 45. num. 19. Cuiac. consult. 42. incipien.* filij appellatione cum multis alijs per Informantes congestis, & hanc communem esse opinionem testantur *Honded. consil. 60. num. 61. & 71. lib. 1. Eman. Suarez communium opinionum litera F. verbo filiorum appellatione. in fin. Alciat. consil. 479. num. 34. & 47. Dec. consil. 95. num. 6. & 9. Marcabr. consi. 61. num. 95. & 96. Cephal. consil. 707. numer. 56. & 58. Menoch. consil. 215. num. 95. & 97. & 105. Rub. Alex. consi. 144. num. 4. Socin. sen. cons. 104. in princ. lib. 3. Socin. iun. consi. 30. num. 26. lib. 3. Rimin. iun. consi. 358. num 228. & præcipue, num. 232. Thessaur. quæst. forens. lib. 1. quæst. 91. num. 8.* cui sententiæ subscripsit Rota coram *Seraph. decis. 1486. num. 9.* coram Illustrissimo Mellino, in Romana Fideicommissi 21. Aprilis 1603. & nuper coram Reuerendo Patre Domino meo Verospio, in vna Ariminen. Fideicommissi. 31. Ianuarij 1614. & alias sæpe.

2 In hanc sententiam eo libentius iuerunt Domini, quia in hoc casu non agitur ad exclusionem substitutorum in fauorem hæredis instituti, quia tunc sub nomine filiorum posset dici nepotes comprehendi. Verum dicti pronepotes pretendunt inducere ex presumptionibus fideicommissum, & grauare dictas Clementiam, & Gaudentiam filias ad restitutionem hæreditatis paternæ, quo casu cũ agant de lucro captando, & dictæ feminæ hæredes patris de damno vitando, appellatione filiorum in conditione positorum nullo iure veniunt nepotes, aut pronepotes, vt bene distinguit *Cephal. dicto consil. 107. num. 16. & 17.* vbi respondet omnibus rationibus, & auctoritatibus in contrarium adductis. *Rolan. consil. 43. num. 27. lib. 4. Menoch. consil. 215. numer. 22. & 32. Tiraq. qui plura refert de primogen. quæst. 40. num. 55. & 56.* certum enim est in dubio non debere temere induci fideicommissum, tum ratione oneris, quod continet. *l. cohæredi. §. cum filiæ. ff. de vulgar. & pupill.* tum quia minus, quam fieri potest, grauandus est hæres. *leg. vnum ex familia. §. si rem. l. Titia cum testamento. ff. de legat. 2.*

3 Neque huic receptiori Dominorum sententię obstat *tex. in l. Lucius. 85. de hæred. instit.* Fundamentum eorum, qui contrariam sententiam amplectuntur, quia si mens Iurisconsulti accurate perpendatur, non inde colligitur, appellatione filiorum regulariter venire nepotes, quærebatur enim solum, An conditiones adiectæ substitutioni factæ Sticho, & Pamphilo seruis testatoris essent positæ copulatiue, vel alternatiue. Et licet decisa quæstione subiungatur liberos fratris testatoris præferri seruis sustitutis, non ideo infertur adfuisse nepotes, cum bene possit verificari in filijs primi gradus, & in omnem euentum tunc demum sequeretur venire nepotes, quando quæstio agitaretur ad excludendum fideicommissum. Secus in hoc casu ad includendum iux. dictam distinctionem *Cephali. Roland. consil. 43. num. 23. volum. 4.* qui testatur de magis communi. *Oddo consi. 90. numer. 1. in fine.* Tertio respondetur, *l. Lucius.* procedere, vbi alias sequeretur absurdum extraneos penitus, vt erant serui, de quibus Iurisconsultus in *d.l. Lucius.* loquitur, præferri coniunctis testatoris, vt superius citati Doctores respondent, & inter alios *Dec. consil. 95. numer. 9. Bero. consil. 122. numer. 2. lib. 2. Alexan. dict. consi. 1. num. 12. vers. & respondet. lib. 1.* & quod *d. lex Lucius.* sit intelligenda cum prædictis distinctionibus patet, quia alias stabiliret regulam indistincte filios positos in conditione censeri vocatos, licet contraria sit verior. *iux. glos. in d.l. Lucius. ff. de hæred. institu. quam Rota sequitur inter diuers. impress. Dec. 1485. lib. 3. par. 3. Verall. decis. 101. par. 1.* in manuscript. in Recanaten. Hæreditatis. 24. Maij 1607. coram Penia, & alias sæpe.

4 Et licet aliquando ex coniecturis ab hac communiori opinione Rota recesserit, nihilominus debent concur-

concurrere coniecturæ, non solum plures, sed etiam violentæ, ex quibus clare, & non æquiuoce testatoris voluntas possit necessario induci ad hoc, vt à proprietate verborum recedatur. In proposita autem facti specie tantum abest, vt afferantur coniecturæ pro inclusione nepotum, prout afferri deberent, stante regula in contrarium ex allegatis, quinimo preualere visæ fuerunt illæ, quæ pro non vocatione nepotum deducuntur.

5 Quarum prima, & maxima ea est, quod testator quãdo voluit vocare filios filiorum, & sic nepotes illos expresse vocauit, vt in substitutione de filijs filiorum Bernardini, & ita si illos vocare voluisset in substitutione Andreæ, & Balthasaris illos voccasset, aut saltem in conditione potuisset. *arg. l. vnicæ. §. sin autem. C. de caduc. tollend. c. ad audientiam. de decim.* dum enim testator loquitur discretiue de filijs, & filiorum filijs, sub appellatione filiorum nunquam comprehenduntur nepotes, *Ruin. consil. 121. num. 4. lib. 2. Gozadin. consil. 29. num. 16. & in terminis. Soc. consil. 73. numer. 21. vers. hæc pars. lib. 4. Socin. iun. consil. 163. num. 77. lib. 2. Gabr. de verborum signif. conclus. 1. num. 83. & 93. Surd. consil. 164. num. 9. Menoch. d. consil. 215. num. 69. Peregr. consi. 65. num. 20. lib. 1.* qui hanc esse regulam in iure receptam absque difficultate dicit, & eam amplexa fuit Rota apud *Seraphin. decisi. 1486. num. 12.* in causa Auenion. 6. Iunij 1578. coram Bubalo in Romana fideicommissi. 21. Aprilis 1603. coram Illustriss. Mellino, & nuper in dicta Ariminen. fideicommissi coram R.P.D. meo Verospio.

6 Secunda coniectura deducitur ex verbis substitutionis, quæ in testamento leguntur, si quis dictorum suorum filiorum decesserit sine filij, partem præmorientis ad superstitem deuenire voluit ex quibus clare colligitur, testatorem solum respexisse ad filios primi gradus ponderando illud verbum dictorũ, quod est repetitiuum ad supra vocatos, quasi nominasset Andream, & Balthasarem. *Paris. cons. 86. num. 36. lib. 2. Rot. decis. 49. par. 1. diuers.* idque tanto magis, quia adest illud verbum suorum, quod de sui natura est personalissimum. *Thes. decis. 64. ante fin. Seraph. decis. 1337. num. 4.* Nepotes enim aut prenepotes non dicuntur filij testatoris, vt bene ad exclusionem nepotum considerabit Rota in dicta Ariminen. coram Reuer. P. D. meo Verospio.

7 Tertiam coniecturam eliciebant Domini ex illis verbis, pars præmorientis ad superstitem perueniat, quasi in hoc testamento solum tacta fuerit reciproca substitutio inter Bartholomæum, & Andream, quatenus alter eorum sine filijs naturalibus, & legitimis decessisset cum nec ad vlteriorem substitutionis gradum processerit, illa siquidem dictio ad supreстitem habet vim proprij nominis, ac si testator dixisset deueniat ad Bartholemæum, & Andream quicunque alteri superuixerit. *Paris. cons. 9. nu. 24. & consil. 37. nu. 53. lib. 2. Curt. iun. cons. 57. nu. 9. cum aliis alleg. per Simon de Pretis, lib. 3. solut. 1. nu. 15.* tanto magis quia testator vsus est verbo singulari, vocat enim superstitem ad partem præmorientis, non autem præmorientium, & nihilominus si habuisset rationem nepotum, aut pronepotum, ex quo plures vltra duos poterant nasci, debebat vti verbo plurali superstitũ, & præmorientium, cum numerus singularis ex sui natura, & significatione non extendatur ad pluralem, vt post alios *Surd. cons. 369. num. 3.*

8 Considerarunt denique Domini, licet ex coniecturis possit dici aliquando filios filiorum, aut pronepotes testatoris esse vocatos, cum sunt in conditione positi, contra communiter receptam *glos. in l. Lucius. ff. de vulg. & pupill.* quam sæpe Rota sequuta est, nihilominus hoc est intelligendum respectu portionis eorum Patris, non autem ratione portionis patrui, de qua nunc controuertitur. Ita Rot. in causa Senogallien. fideicommissi. 14 Maij 1601. coram Penia in causa Roman. Fideicommissi 12. Nouemb. 1607. coram Reuerendissimo Domino Bononien. & nuper in Prenestina bonorum. 11. Iunij 1613. coram Reuerendiss. Sacrato.

9 Quibus positis non obstant coniecturæ alias ponderatæ in fauorem pronepotum, quarum maxima ea est, quod testator habuerit rationem conseruandæ agnationis, quo casu non defuerunt grauissimorum Doctorum sententiæ, qui sub nomine filiorum nepotes, pronepotesque, per quos conseruatur agnatio comprehendi existimarunt, licet solummodo reperirentur in conditione positi. *Decian. consi. 31. numer. 128. lib. 1. & consil. 28. num. 10. lib. 2. Honded. consil. 61. num. 28. lib. 1.* cum multis allegat. per Informantes, quæ ratio contemplata agnationis elicitur ex septies repetita qualitate masculinitatis in omnibus testamenti partibus. Vnde colligitur testatoris voluntas, vt agnationi suæ prouideret. *Molin. de primog. Hispan. lib. 1. c. 5. nu. 35.* cum multis adductis per *Peregr. art. 25. num. 47. de fideicommissis.*

10 Huic obiectioni pluribus modis responderunt Domini, & primo ex repetitione masculinitatis non induci necessario rationem contemplatæ agnationis, magna enim differentia est inter consideratam masculinitatem, & agnationem, licet enim testator prædilexerit masculos, non ideo sequitur testatorem legem agnationi suæ dixisse. *Corn. in l. 1. C. de condit. insert. num. 20. Paris. cons. 41. num. 83. lib. 3. Grattan. cons. 3. num. 18. lib. 1. Seraph. decis. 1216. num. 6.* maxime cum vocauerit in eisdem tabulis in certum casum feminas, que vocatio excludit conseruationem agnationis, vt ex multis rationibus, & auctoritatibus respondit Rota in vna Viterbien. Fideicommissi. 10. Maii 1613. coram Reuerendo Patre Domino meo Manzanedo, confirmata die 16. Februarii, & 26. Maij 1614. coram eodem, & prius in Amerina successionis. 2. Maii 1592. coram bonæ memorie Penia, & 16. Nouembris 1607. coram Illustrissimo Lancellotto. Si enim testator in istis pronepotibus voluisset conseruare agnationem, sine dubio patrem, & auum, ad eorum fauorem grauasset, vt in simili argumentatur *Gabriel. consil. 88. num. 8. part. 2. & consil. 97. num. 7. part. 1.* quia istis nepotibus magis erat debita hæreditas eorum patris, vel auis, quam transuersalium. *argu. l. in suis. vbi Bald. Castr. & Alberic. ff. de liber. & posthu. leg. cum ratio. ff. de bon. damnator. §. sin autem. Institut. de hæred. instituen. & ibi glos. in verb. existimantur.*

11 Et licet sine veri preiudicio præsupponeretur testatorem de conseruatione agnationis suę cogitasse, non ideo sequeretur purificatum fuisse fideicommissum in fauorem pronepotum, nec ideo appellatione filiorum nepotes, & pronepotes comprehenderentur. *Dec. consilio 286. numero 9. versic. non obstat, & nume. 10. Decian. consi. 26. numero 86. Ferret. consilio 384. num. 15. Menoch. consil. 328. numero 36. quos citat, & refert Pedroc. consil. 28. num. 3. & sequentibus Rota apud Seraph. decis. 1486. numer. 17. & 18.* ad inducendum enim fideicommissum in præiudicium grauati, ratio conseruãdę agnationis intelligenda est iuxta terminos pręcedentis substitutionis, ita vt non fiat extensio de casu ad casum. Late *Cephal. consilio 26. numer. 11. Hondedæus consilio 78. num. 49. lib. 1. Surd. decis. 9. num. 16.* multoque minus de persona ad personam, vel de gradu ad gradum, *iux. consi. Dec. 286. num. 8. & 9.* toties à Rota canonizatum, cum multis alijs per *Mant. de coniect. vlt. volunt. lib. 6. tit. 15. num. 6.* etiam si dicta ratio conseruandæ agnationis legeretur expressa. *Pedroch. consil. 38. nom. 3. vers. ex qua re infero. & num. 4.* & ex multis conclusit Rota apud *Seraphin. decisione 1426. numer. 10. & 18.*

12 Consideratum quoque fuit, etiamsi positi essent in conditione dicti nepotes ex solo agnationis respectu non

non necessario dici vocatos, vt ex pluribus auctoritatibus DD. qui de communi testantur, firmauit Rota in dicta Viterbien. fideicommissi, & precipue quia, vt superius fuit dictum, non agitur de portione paterna, sed de successione patrui, ad tollendam filiabus paternam successionem, quæ vocatio difficilius inducitur ex rationibus adductis in decisionibus supra allegatis.

13 Nec obstat testatorem exclusisse propriam filiam, & ita ex identitate rationis censeri nepotes exclusisse. Termini enim non sunt pares, dum illam exclusit consideratione filiorum, qui erant ipsius fratres, quæ ratio non æque militat, quando agitur de exclusione neptis in fauorem non nominatorum pronepotum, vt in specie respondit Rota apud *Seraphin. dicta decis.* 1216. Nec denique obstat absurdum consideratum pro parte pronepotum fore, si fideicommissum non sustineretur, vt ipsi remanerent exclusi per Alexandrum, vel filios masculos fratum testatoris, cum Andreas decesserit sine finijs masculis. Placuit enim responsio deducta in consil. *Cephali* 107. *nu.* 17. nepotes autem & pronepotes venire posse appellatione filiorum ad euitandum fideicommissum, sed non ad inducendum grauamen, & vinculum fideicommissi, vltra quod nepotes se possent tueri dispositione *l. cum auus. ff. de condit. & demonstrat.* quæ habet locum in quocumque descendente. *Gabr. de fideicom. conclus. 2. num. 5.*

14 Et in omnem euentum existimauit Rota in concursu præsumptionum præualere illas, quæ superius ad exclusionem fideicommissi fuerũt ponderatæ. Hec enim, quæ pro parte Dominici adducuntur, si releuarent, non deberent tamen extendi contra vniuersas ex regul. de non multiplicandis specialibus, & præsumptionibus, de qua per Scribentes in *l. 1. C. de dot. promiss.* Et ita vtraque parte informante fuit decisum.

DECISIO DCLXVIII.

Leodien. Domus Claustralis. Lunæ 23. Martij 1615.

Impressa Apud Caualerio.

DECISIO 343.

R. P. D. VEROSPIO.

Romana Restitutionis Dotis. Lunæ 23. Martij 1615.

ARGVMENTVM.

Vtile Saluianum interdictum competit ei, qui habebat obligatum auctorem aduersarij tempore quo possidebat rem, de qua agitur, quæ litis tempore ab eodem aduersario possidetur.

SVMMARIVM.

Instrumentum crediti dicitur probatio probata. nu. 1.
Instrumentum fideiussionis ostendit obligationem fideiubentis. num. 2.
Testes deponentes de possessione tempore obligationis sufficiunt pro Saluiano interdicto intentando. num. 2.
Possessio aduersarij probatur ex litis sustentatione, quam ipse facit. nu. 3.
Possessio aduersarij probatur etiam per testes. num. 3.
Hæres succedit in iuribus, & actionibus defuncti. numero 3.
Saluianum competit, quando concurrunt qualitates illius, nempe quod tempore obligationis possideret auctor aduersarij, & quod tempore litis possideat eandem rem aduersarius. num. 3.

DECISIO DCLXIX.

1 IOannes Curtus pro recuperatione dotis Alexandre Gucchiæ, cuius heres extiterat, vtili Saluiano interdicto conuenit Archiconfraternitatem Sanctissime Trinitatis tanquam illa domum possideret olim possessam à Ioan. Baptista de Sanis, qui pro huius dotis restitutione fideiusserat, & causa in secunda instantia mihi commissa, dubitaui, an dicto Ioanni Saluianum, seu via exequutiua competeret, & Rota censuit illi competere Saluianum. Constat enim de illius credito per instrumentum dotis Alexandræ, quod facit probationem probatam. *Bal. in leg. Imperator. num. 13. ff. de statu homi. Ias. in leg. 1. num. 10. ff. de nou. oper. nunc. Verall. decis. 421. num. 1. part. 2. Franc. Marc. decis. 511. num. 12. part. 2.*

2 De obligatione dicti Io. Baptistę vna cum omnib. ipsius bonis constat pariter ex instrumẽto fideiussionis. Rota in causa Cesenaten. Bonorum. 17. Iunij 1596. coram Card. Seraphino, & in Romana Saluiani interdicti 22. Maij 1589. coram bo. me. Penia. Quod autem idem Ioan. Baptista domum, de qua agitur, obligationis tempore possideret, apparet ex testibus, qui bene ad hunc effectum probant. *Castr. cons. 168. nu. 1. lib. 2. Menoch. de adipis. remed. 3. num. 161.*

3 Patet vlterius Archiconfraternitatem domum istam hodie possidere tum ex litis sustentatione, vt fuit resolutum in causa Regien. Bonorum. 21. Maij 1576. coram bon. mem. Cardin. Blanchetto, & in Romana domorum in Burgo. 24. Maij 1602. coram Illustris. Lancellotto. Tum ex depositione testium qui dictam possessionem expresse concludunt. Vnde cum per testamentum Alexandræ constet, Ioan. Curtum fuisse illius hæredem, & per consequens omnia defunctæ iura, & actiones in eum fuisse translatas. *leg. hæredem, & leg. hæreditas. ff. de reg. iur. Castrens. cons. 91. numer. 3. lib. 1. Ruin. consil. 200. num. 4. vers. quia ex persona hæredis. lib. 1. Franch. decis. 83. num. 5. part. 1.* benedictum fuit, eidem Ioanni competere Saluianum, cum omnia concurrant ad hunc effectum necessaria. Verum quia pro parte Archiconfraternitatis excipiebatur de prescriptione, Domini voluerunt de illa paticulariter videre, &c.

REVER. P. D. ANDREA.

Anconitana. Computorum. Vener. 27. Martij 1615.

ARGVMENTVM.

Attentata dicuntur, quæ fiunt tam appellatione pendente, quam inspretum inhibitionis Rotalis.

SVMMARIVM.

Appellatione pendente nil nouandum. nu. 1.
Inhibitio Rotalis, siue iusta, siue iniusta est timenda. num. 1.
Iudices inferiores non debent iudicare de viribus iudicum superiorum. num. 2.
Obligatio Cameralis vulneratur per consensum in iurisdictionem alterius iudicis. nu. 3.

DECISIO DCLXX.

1 DOmini omissis alijs circa nullitatem, & iniustitiam sententiæ, quæ non percutiebant dubium principale, constare de attentatis censuerunt. Cum enim sententia Illustriss. Legati ad fauorem Comitis lata fuisset die 20. Februarij 1612.

& eadem die interposita appellatio, causaque commissa in Rota sub die 21. Martij eiusdem anni, & exinde relaxata citatio cum inhibitione in forma, & in partibus exequuta sub die 18. Martij 1613. nulli dubium est, quod attentata excusari non possunt, tum ratione generalis regulæ, nil nouari, appellatione pendente, quam tritam, & quasi pro adagio vsurpatam firmat *Lancel. de attentat. 2. par. cap. 12. in præfat. num. 83. & seq.* Quam etiam vigore inhibitionis, quæ cum fuerit Rotalis, siue iusta, siue iniusta est timenda. *Rot. dec. 26. in fin. de appellat. in antiqu. Put. decisione 395. lib. secundo. Verall. dec. 23. part. 2. Cæs. de Graff. decisione 3. num. 10. eod. titul. Lancellot. vbi supra 2. part. cap. 20. ampliat. 11. num. 2.* cum alijs adductis in vna Romana iuris nominandi 5. Nouembris. 1613. coram Reuer. P. Dom. meo Dunozetto.

2 Et ratio est, quia si sumus in Curia duo sunt remedia in promptu, videlicet reformatio commissionis adeundo signaturam, vel moderatio inhibitionis ab ipsomet Auditore facta. Si vero in partibus, tunc non est aperienda via inferioribus iudicibus, vt de inhibitionibus superiorum iudicent, & eas facile negligunt. *Achill. dec. 29. num. 6. de appellat. Put. dicta dec. 395. in fine lib. 2. Lancellot. dicta 2. part. cap. 12. limitatione 1. num. 110. & latius ampliat. 11. nu. 4. in fin. & num. 5.* & sæpius fuit in Rota resolutum.

3 Neque obstare, quod videretur agi de obligatione Camerali, quia omisso, quod etiam in casibus, in quibus non datur appellatio stante inhibitione Rotali procedit dicta Regula, vt plures cumulat *Lancellot. d. ampliat. 11. num. 9. & seq.* fuit responsum, quod per sententiam Vicarij Ariminen. in quem Comes consenserat, dicta obligatio Camerali fuerat vulnerata. *Rota dec. 132. ante nu. 1. par. 2. diuers. cum alijs per Modern. super reg. 8. gl. 6. nu. 202.*

R. P. D. REMBOLDO.

Bononien. de Scappis. Lunæ 30. Martij 1615.

ARGVMENTVM.

Cedens omnia iura, & actiones contra aliquem, debet dare cessionario omnia iura, & instrumenta, quibus contra illum agere possunt, alias præstare interesse.

SVMMARIVM.

Obligatus in cessione iurium contra aliquem debet etiam apochas illi consignare. nu. 1.

Promissio de consignando dubia interpretatur, vt consignatio fiat eo modo, quo de iure consignatio fieri debet. nu. 1.

Promittens factum non obligatur præcise, sed præstando interesse liberatur. nu. 2.

Præscriptio non venit agere non valente. nu. 3.

Instrumentum, seu apocham non subscribens, non potest conueniri. nu. 4.

DECISIO DCLXXI.

1 Domini censuerunt, non esse receden. à resolutis in hac causa sub die 15. Decembris præteriti. Nam quod Scappi teneantur consignare Luchino apocham ab ipso petitam, vel saltem damna, & interesse, per dictum Luchinum ob defectum apochæ passa, præstare, satis clare demonstratum fuit rationibus in eademmet decisione deductis, & apparet etiam plus quam manifeste ex lectura ipsiusmet instrumenti transactionis, dum in eo ipso faciliori releuatione dicti Luchini, & verba instrumenti sonant, Scappi eidem cesserunt omnia, & quæcumque iura, & actiones contra Balzanum, & alios eiusdem Luchini confideiussores, ipsis quomodolibet competentia, promittentes insuper se esse veros, & legitimos creditores, atque ad hunc effectum omnes, & singulas scripturas necessarias, & opportunas consignari. Sicuti enim tergiuersari non potest, quin apocha, de qua agitur, vere necessaria, & opportuna sit Luchino pro faciliori eiusdem releuatione cum vltra obligationem, vt prætenditur dicti Balzani principalis debitoris contineat etiam obligationem aliorum confideiussorum cum hypotheca omnium iurium, & bonorum ipsorum. Ita certum esse videtur, quod promissio consignandi d. apocham nedum resultat ex generali cessione omnium iurium, & actionum, ad *not. per Bald. in l. si nomen. ff. de hæred. vel act. vend. & Alex in l. sciendum. nu. 10 ff. de verb. oblig.* Sed etiam ex claris verbis instrumenti, quæ Dominis visa sunt includere scripturas necessarias, non solum ad effectum docendi de credito dd. de Scappis, sed parandi etiam actionem Luchino, & quatenus essemus in dubio ista interpretatio accipienda esset, vt scilicet promissio facta intelligatur eo modo quo de iure fieri debebat consignatio, iuxta fusius in alia decisione deducta.

2 Et stante hac promissione procul dubio Scappi tenentur præstare factum, vel saltem in subsidium ad interesse. *leg. stipulationes non diuiduntur. §. Celsus. ff. de verb. obligat. l. si quis ab alio. & ibi Alex. Iason. & alij. ff. de re iud. cum alijs per Surd. cons. 52. nu. 8.* Interesse autem Luchini ascendere videbatur ad lib. 5063. Tum quia ad illarum computationem non exhibita ipsi apocha nullatenus cogi poterat, tum quia quatenus etiam nunc ipsi dicta apocha exhiberetur, posset mediante illa dictas libras solutas recuperare.

3 Neque obstat, quod dicta apocha per lapsum multorum annorum sit præscripta, atque ideo illius exhibitio Luchino prodesse non possit, quia vltra alias responsiones, in alia decisione latas, dictum etiam fuit, quod cum vigore dictæ apochæ nulla fuisset quæsita actio Luchino, nec aduersus principalem debitorem, neque aduersus alios eiusdem Luchini confideiussores ante solutionem ab ipso factam, non potuit nisi à dicta die anni scilicet 1612. currere præscriptio ad regul. vulg. quod non valenti agere, non currit præscriptio. Et si tempus à die quo apocha confecta fuit computandũ esset, vtique etiam eadem præscriptio Scappis impedimento fuisset, quo minus creditum dd. lib. 5063. compensare potuisset.

4 Ceterum, quia aliquibus ex Dominis visum fuit satis concludenter probari prædictam apocham non fuisse à Balzano subscriptam. Et quod consequenter Luchinus illius vigore non potuisset conuenire Balzanum, sed tantum alios confideiussores dempta eius rata, *ad gl. in l. Modestinus. in verb. actionum. vbi Bart. nu. 8. in fin. Paul. de Castr. nu. 3. ff. de solut.* Ideo mandarunt, vt de hoc particulariter videretur, &c.

REVERENDISSIMO P. DOM. COCCINO DECANO.

Argentina Commendæ. Lunæ 30. Martij 1615.

ARGVMENTVM.

Concessio quando dicatur commenda, & quando oppignoratio, & quando confirmatio importet nouã concessionem, & an vnio probetur per immemorabilem, aut quadragenariam cum titulo.

SVMMARIVM.

Restitutio in integrum datur aduersus rem iudicatam, vbi constat de illius iniustitia. nu. 1.

Commenda, & vnio temporalis fraternizant inter se. num. 2.

Con-

Contractus talis iudicatur, qualis à partibus denominatur. num.2.
Donatio, & non feudum dicitur, quando concedens vsus fuit verbis demus, & donamus. num.2.
Verba regere, & manutenere, conueniunt potius commendæ, quam pignori. num.3.
Commenda æquiparatur deposito, non tamen in omnibus, quia depositarius non facit fructus suos, sed commendatarius potest sumere alimenta, & expensas ex fructibus beneficij. num.3.
Commenda in dubio potius præsumitur, quam pignus. nu.4.
Verba habere in potestatem non conueniunt pignori. nu.4.
Pignus dicitur esse in potestate debitoris, non eutem creditoris illud, recipientis. nu.4.
Pignoris fructus non spectant ad creditorem, sed cum sorte principali computantur. num.4.
Commenda, seu beneficium commendatum potest impetrari. num.4.
Confirmatio vnionis cum clausula vnimus, annectimus, &c. facit, quod confirmatio valeat in vim nouæ concessionis. num.5.
Confirmatio valet in vim noue concessionis, quando confirmans intendit plus dare, quam in confirmato contineatur. num.5.
Vnio potest probari per immemorabilem, aut quadragenariam cum titulo. num.6.
Pignus non præscribitur de iure Canonico, nec de iure ciuili data scientia, quod sit vere pignus. num.6.
Titulus inualidus, dummodo sit iusto errore causatus, sufficit ad præscribendum. num.6.

DECISIO DCLXXII.

1 DOmini negotio mature discusso censuerunt, constare de causis restitutionis in integrum, quia sententia Rotalis est iniusta. Iniustitia autem est potissima causa restitutionis, quia indubitate continet læsionem. *Innoc. in cap. cum ex literis. num.7. vers. quod si probauerit. de restit. in integ. Odd. de restit. in integ. q.34. art. 7. numer.37. & q.36. num.10.* Prædicta autem iniuestitia satis demonstratur, quia Rota habuit sensum hanc esse oppignorationem, & tamen constat fuisse commendam, nedum si incipiamus primam concessionem, sed etiam confirmationem Magni Magistri, quæ etiam ampliat primam concessionem, vt statim dicetur.

2 Et pro resolutione est aduertendum, quod commẽda, & vnio temporis fraternizant inter se. *Cassad. decis. 2. num.8. de vnio.* quod multum inseruit pro intelligentia huius materiæ, quare cum Prior in concessione per tres vices vtatur verbo commendamus, & cõmendatis, nunquam autem vtitur verbo oppignorationis, & in dubio talis contractus iudicatur, qualis à partibus nominatur. *Bart. in l. cotem. §. qui maximos. q.5.* Vbi etiam *Castren. ff. de publican. Barbat. in c. ad quæstionem. de rer. permut. Anchar. & Imol. in cap. propter sterilitatem. ad fin. de locat. Ang. consil.2. numer.9. Rip. in l.2. in prin. col. pen. ff. si cer. pet. cum alijs per Tiraq. de retract. consang. §.30. gl.1. num.7. Becc. consil.35. numer.9. Surd. decis. 326. num.8. Crau. consil.20. num.1. & 2. & per tot.* Et hinc fit, quod si dubitetur, an aliqua concessio sit feudum, vel donatio simplex, verba quibus vsus fuit concedens, inspicienda sunt, vt si dixerit damus, & donamus, sit donatio, & non feudum. *Alber. in rubr. C. de donat. Dec. post alios cons.468. num.12. & seqq. Tiraq. loc. cit. n.8. Crauet. d. cons.20. num.4.*

3 Et prædicta comprobantur ex alijs verbis ibi, vt illa regere, manutenere, & custodire, quæ magis conueniunt commendę, quam pignori. Commenda enim, & vnio ad tempus fraternizant, vt dixi, inter se. *Cassad. alleg. decis.2. num.8. de vnio.* & ideo magis illa verba videntur conuenire commendæ, vel vnioni ad tempus, quia verbum regere, non proprie conuenit pignori. Eoque magis, quia commendæ proprium est habequodammodo in depositum. *cap. nemo. de elect. in 6. leg. commendare. ff. de verb. signif. vbi Rebuff. & idem in prax. in tit. de commend. num.2. & 3.* vbi subdit, non per omnia commendam comparari deposito, cum depositarius non faciat fructus suos, sed ex commenda liceat sumere alimenta, & expensas facere ex redditibus beneficij commendati. Vnde commendæ bene conueniunt alia verba regere, & gubernare, & tollitur, quod possint conueniri etiam pignori, ex quo percipiuntur fructus, quod repugnat pignori, vt statim dicetur.

4 Accedat prædictis, quod in his terminis in dubio pignus non præsumitur. *Rot. decis. 168. numer.1. part.1. Menoch. de præsump. lib.2. præsumpt.193. nu.4.* quod eo magis procedit in casu isto stante pacto, quod domus sit in potestate fratrum, quod verbum habere in potestate non conuenit pignori, quod dicitur esse in potestate debitoris, non autem creditoris recipientis pignus. *Menoc. loc. prox. alleg. num.4.5. & vsque ad finem,* & stante alio pacto, quod concessio censeretur facta vsque quo de illa prouisum fuerit, quocirca voluerunt, quod prouisus teneatur dare, & persoluere domui Viridis, cui fuit facta Vnio floren.310. quasi voluerint, quod domus vnita possideretur vsque ad illam prouisionem, & interim domus, cui fuit facta commẽda, vel vnio, faceret fructus suos, & adueniente tempore dissolutionis, recuperaret capitale, quod secus fuisset, si pignus constitutum esset, cum in illo, quis non faciat fructus suos, imo tenetur cum sorte principali illos computare, vt vsura euitetur. *c. cum contra. de pignor. l.1. Cod. de distr. pign. Couar. var. resol. lib.3. cap.18. num.14.* Neque hoc pactum vllo modo repugnat commendę, immo consonat ex alio capite, cum beneficia commendata possint impetrari. *Put. decis.25. lib.1.* Immo si fuisset pignus concedentis, vsi fuissent verbo puta luitionis, vel simili.

5 Et quod tollit omnem difficultatem est concessio Magni Magistri, licet enim confirmationes Magni Magistri, & Capituli, & Eugenij IV. istam videantur vocare vnionem in perpetuum, & tamen fuit commenda, vel vnio temporalis. Est tamen aduertendum, quod literæ confirmationis eiusdem Magni Magistri, qui postea per Capitulum Generale, & vltimo loco per Eugenium IV. confirmantur, duo continent. Primo confirmationem dictæ commendæ per Priorem Alemaniæ factum, quam vnionem, seu adiunctionem vocat simpliciter, & absque declaratione, quod fuerit facta in perpetuum, vel ad tempus. Secundo post dictam confirmationem procedit vlterius in his verbis, ex vlteriori gratia de voluntate, & assensu præfatis dictam domum cum suis iuribus, & pertinentijs vniuersis eidem domui Argentinæ, tenore præsentium perpetuo vnimus, adiungimus, annectimus, & incorporamus, quæ verba indicant vltra confirmationem præcedentem, quæ erat de vnione ad tempus voluisse magnum Magistrum ad vlteriorem gratiam concedere vnionem perpetuam, quod dicitur noua gratia. In vim cuius ista vnio perpetua valet. *Dec. cons.341. nu.7. Ruin. cons.31. num.1. & cons.35. num.31. lib.... Seraph. decis.143 2. num.1.* quod magis procedit, quando superior confirmans intelligit plus dare, quam in confirmato continebatur, *ad not. per Felin. in c. inter dilectos. n.6. de fid. instr.* Vnde etiam cum ista noua gratia Magni Magistri fuerit ex post facto per Capitulum Generale confirmata, & pariter per Eugen. IV. in forma commissaria cum sententia exequutoris absque dubio dicendum est, nos versari in vnione perpetua.

6 Vltimo loco fuit consideratum, quod vnio potest probari per immemorabilem, aut quadragenariam cum titulo. *Rot. decis. 10. de reb. eccl. non alien. in antiq. Felin. cons. 2. nu. 2. Mil. in verbo,* vnio potest probari per testes Et fuit dictum coram me, in causa Feltren. præbendæ. Hic autem prædictæ concessiones possunt inser-

inseruire pro titulo. Tempus vero adest. Et quamuis diceretur pignori non præscribi de iure Canonico, neque de iure ciuili data scientia, quod sit vere pignus, vt per *Castr.cons.70. num.9. lib.1.* quia pignus non est titulus habilis ad transferendum dominum, attamen pro responsione considerabatur, quod ex tot confirmationibus fratres potuerunt credere iustum titulum, qui sufficit dummodo iusto errore sit causatus, *iux.notat.in l.Celsus.ff.de vsucap.* negari etenim non potest, quin confirmatio Magni Magistri, & Capituli, excedant terminos pignoris. Vnde adest titulus sufficiens ad præscribendum, maxime si etiam iungatur confirmatio Apostolica. Et ita conclusum, &c.

R. P. D. PIROVANO.

Mediolanen. Decimarum de Varisio. Lunæ 30. Martij 1615.

ARGVMENTVM.

Plura reperies notanda, de quibus in Summario.

SVMMARIVM.

Sententia antiqua probat etiam sine actis. num.1.
Iudex laicus est incapax iurisdictionis in materia decimarum. Eius tamen sententiæ productæ coram iudice Ecclesiastico fidem faciunt. num.2.
Decimarum iurisdictio, & cognitio non spectat ad iudicem laicum. Declara, vt num.3.
Dominium non probatur, nec per sententiam, nec per confessiones, non sequuta traditione. num.4.
Dominium Ecclesiæ acquiritur sine traditione. num.4.
Status præsens quando faciat præsumere eundem statum in præteritum. num.5.
Enunciatiuæ antiquissimæ habent vim famæ. num.6.
Decimandi ius alicui Ecclesiæ competens numquid probetur per antiquissimas descriptiones bonorum, & iurium illius Ecclesiæ. num.7.
Decimandi ius non acquiritur sine vsu. num.8.
Decimandi ius probatur per instrumenta locationum decimarum. num.9.

DECISIO DCLXXIII.

1 CVm Ecclesia Collegiata Varisien. ad firmandum ius suum, quo ad pertinentiam vniuersalis, & integralis decimæ totius plebis obtinuisset formari dubium. An decimæ vniuersalis, & integralis locorum, de quibus agitur, ab anno 1218. vsque ad annum 1396. spectauerit ad Præpositum, & Canonicos d.Ecclesiæ, & illo hodie proposito, responderunt Domini pro Collegiata sola informante, negligentibus tamen Rectoribus pluries citatis, informare, & per annum, & vltra ad eorumdem instantiam dilata dubii propositione. Primo enim dantur sententiæ vsque de anno 1218. late inter homines diuersarum terrarum, & locorum plebis, & Syndicum eiusdem Collegiatæ super iure vniuersali decimandi, quæ omnia in eis contenta bene probant etiam sine actis. *Put. decis.528. in nou. impress. lib. 2. Rot. decis. 143. numer. 8. & 11. part. 2. diuers.* ac etiam contra tertium, vt dicit *Ruin.cons.28. num.16. lib.4. Menoc.cons.612. nu.10. lib.7. Cassad.decis.3. nu. 1.2. & 3. de procurat.*

2 Quæ sententiæ, etsi latæ fuerint à iudice laico, qui videtur incapax iurisdictionis in hac materia decimarum. *Rebuff. de decim. quæst. 10. numer. 37. & 38. Couar. pract. quæst. cap.35. num.2.* Nihilominus productæ coram iudice Ecclesiastico fidem faciunt. *cap. fin. de exception. in 6. Ang. in authent. de sanc. Epis. §. si vero. in fin. Abb. in cap. at si clerici. num.12. de iud. Fel. in cap. causam, quæ. nu.4. de testibus. Cappell. Tolos. decis.199.* saltem quo ad *indicandum factum respectu tertij. Bart. in l.2. num.12. C. de edendo. Couarr. pract. quæst. c.20. num.9. Menoch. lib.6. præsumpt.18. nu.6. & in proximis terminis Seraphin. decis.1047. num.4.*

3 Ex prædictis autem sententiis duo in facto notificantur. Primum confessio, & recognitio incolarum, quod integre decima eorumdem locorum deberetur d. Collegiatæ dum allegarunt minutas decimas sibi ipsis fuisse à Capitulo remissas, & donatas, quod arguit in necessarium antecedens. Ius originarium decimandi fuisse penes Canonicos eiusdem Ecclesię, secundum vero quodam non obstante articulata donatione, seu remissione fuerunt condemnati ad soluendum decimas de exceptuatis.

4 Non obstat, quod neque sententia, neque confessiones probent dominium non sequuta traditione, de qua hic non apparet, vt per *Alex. consi.1. num.4. lib.5. & Dec. cons.564. num.3. Cassad. decis.7. de caus. poss. & propr.* Quia cum ex parte hominum istorum locorum nihil esset transferendum, dum apud eos ius decimæ esse non posset, tanquam incapaces. *cap. fin.16. q.1. c. ad hæc. de decimis. Rebuff. q.10. num.16. eod. tit. Crescent. decis.1. eod. tit. Seraph. decis.1387. nu.1.* neque id prætenderent. Non repugnat quin dominium decimarum penes Capitulum vere recognoscere possent absque probatione traditionis, cum hoc sit priuilegium Ecclesiæ, vt illi dominium acquiratur sine traditione. *l. fi. C. de sacros. eccl. Bal. cons.337. num.5. lib.1. Oldr. consil.278. num.6. Abb. cons.53. num.1. lib.1.* & de iure deberi credere potuerunt propter signa Matricis totius plebis, quę ponderantur in decis.20. Decembris 1610. coram Archiepiscopo Lugdunen.

5 Nec refert, quod ad effectum illius disputationis non releuarent, quia ideo fuit, quia non probatur Collegiata anterior aliis Ecclesiis in Parochiales erectis, quod in præsenti necessarium non est, sed sufficit excludere ius Parochialitatis per negatiuam probationem, quod de eo tempore Ecclesię, quę nunc se opponunt, non probentur fuisse in statu Parochialitatis, & ratio est, quia ex statu præsentis Parochialitatis non licet eis arguere in preteritum propter repugnantiam status de præterito. *Alciat. de præsumpt. reg. 2. præsumption.21. num.15. Menoch. lib.6. præsumpt.65. per tot.* qui status de præterito non præsumitur de Ecclesiasticis Curatis. *Ægid. decis.675. Staphil. de qualitat. & stat. benefic. numer.2. Rebuff. in prax. tit. sæculare beneficium quotuplex. num.11.*

6 Et bene confirmatur ex Bulla Gregorii IX. anno 1224. quæ datur, in qua inter Ecclesias ab ista Collegiata possessas illæ recensentur nuncupatæ Cappellæ signum comprehensionis, & subiectionis earum, vt considerauit Rot. in Theatina Iurisdictionis. 4. Maii 1612. coram Reuerendissimo D. Decano, quod etiam magis visum est iustificare, dum Canonici, & Prepositus soluerunt pro Cappellis prædictis collectam impositam de anno 1326. *Clem.1. de Iure patronat. & cap. 1. de eccl. ædific.* Fuit resolutum in Massanen. Iurisdictionis. 24. Nouembris 1610. coram Reuerendissimo Archiepiscopo Lugdunen. & in Vlixbonen. iuris conferendi. 2. Decembris 1605. coram bon.mem. Litta. quibus accedunt enunciatiuę, quod predictæ essent Cappellæ succursus ipsius Collegiatæ, quæ deducuntur ex literis S. Anselmi Archiepiscopi Mediolanen. de anno 1098. & ex instrumentis anni 1199. 1338. 1385. 1478. quæ dantur, sub num. 6. quæ cum sint antiquissimæ, & supra centum annos, habent vim famæ, & valde stringunt hanc negatiuam probationem. *cap. cum olim. de censib. Put. decis.204. nu.4. in fin. secundum nou. impress. lib.2. Rot. decis.462. num.3. part.1. diuers.* & late fuit firmatum in causa Tuden. Parochialis. 7. Nouembris 1611. coram R.P.D. Vbaldo.

7 Secundo principaliter dantur publica documenta pro locis Dauerii Bobiati Bodii Auiati de anno 1369. & Gros-

& Grossij,& Galliati, de anno 1270. & loci de Lemnago, & de Bugugiate, de anno 1270. & 1280. ac loci de Brunello de anno 1233. in quibus de ordine, & mandato Vicarij Archiepiscopalis Mediolanen. & Consulum iustitiæ eiusdem Ciuitatis, & de anno 1356. ex ordine Galleatij Vicecomitis Ducis Mediolani apparent factæ diuersæ consignationes, descriptiones bonorum,& iurium prædictæ Collegiatæ,& inter cetera Consules Terrarum electi ad talem descriptionem, & consignationem dixerunt,& protestati fuerunt, quod decima, & ius decimandi dd. locorum vniuersaliter, & integraliter spectat, & pertinet ad Præpositum, & Canonicos d. Collegiatæ ex quibus pertinentia sufficienter videtur probari etiam contra tertium cum huiusmodi descriptio, quę non differt ab inuentario, non deducatur principaliter in pręiudicium tertij, sed ad probandum ius competens Collegiatæ, vt declarat *Afflict. decis. 324. nu. 14. Peregr. de fideic. art. 44. nu. 12. Ruin. cons. 168. num. 1. & 2. lib. 4.*

8 Nec obstat, quod consignatio, & descriptio sufficere non videatur, nisi etiã probetur vsus pro parte Collegiatæ istius iuris decimandi, cum patientia eorumdem, de quorum interesse agebatur, sine quo vsu non videtur acquiri ius decimandi, ex tradit. per *Innoc. in cap. in literis. num. 12. de restit. spol.* Quia huiusmodi interesse pro parte laicorum cessat, cum sint incapaces iuris decimarũ,& Rectores de eorum iure Parochialitatis de eo tempore non doceant, vt supra dictum est.

9 Postremo dantur etiam instrumenta locationum totius decimæ loci de Malnate de anno 1352. & 5. partis decimæ locorum Galliati, Rodij, & Lemnagi de anno 1377. & aliud instrumentum quietantiæ, pro sexta parte decimæ Galliati factæ per Canonicum eiusdem Collegiatæ, de anno 1270. quæ omnia cum sint antiquissima præsumuntur effectuata saltem ad effectum adminiculandi alias probationes. *Gabr. conclu. 4. num. 16. de locat. Cæs. de Grass. de caus. possess. & propriet. decis. 10. num. 7. & ita fuit resolutum, &c.*

R. P. D. PIROVANO.

Mediolanen. Iuris patronatus. Ven. 3. Aprilis 1615.

ARGVMENTVM.

Ponuntur plura, ex quibus probatur Ius patronatus, & consensus Ordinarij, in illius constructione.

SVMMARIVM.

Ius patronatus acquiritur ex constructione beneficij cum consensu Ordinarij, etiam absque reseruatione. nu. 1.

Consensus Ordinarij in constructione Iuris patronatus præsumitur ex lapsu multi temporis, ac continuatis præsentationibus. num. 2.

Ius patronatus probatur ex præsentationibus continuatis excedentibus centum annos. num. 2. Vbi etiam attento Concilio Tridentino.

Enunciatiuæ supra centum annos habent vim famæ. nu. 2.

Ordinarij præsumuntur difficiles in admittendis præsentationibus, nisi de Iuris patronatus subsistentia appareat. numero 3.

Ordinarij attestationi circa probationem Iuris patronatus multum defertur. num. 4.

DECISIO DCLXXIV.

Dum causa reproponeretur super resolutis die 23. Aprilis 1613. Domini voluerunt particulariter videre, an constaret de iure præsentandi ad Canonicatus, & dubio super hac parte proposito, fuit resolutum, constare de Iure patronatus quo ad Canonicatus.

1 Fundamentum decisionis fuit visum clarum, quia de fundatione apparet vsque de anno 1031. per chartam iudicati Rozo nuncupati, in qua enunciatur Ecclesiam in proprio illius fundo esse ædificatam, & quod statuit, vt omni tempore in eadem Ecclesia esset Monasterium,& Canonica, Monasterium secundum regulam S. Benedicti, Canonici vero essent numero quatuor, quod idem Benedictus confirmauit in codicillis anni 1036. quibus, & status præsens videtur se conformare, cum ex præsentationibus, quæ dantur, adsint tres Canonicatus,& aliud beneficium curatum loco quarti suffectum pro maiori populi commoditate, & eo ipso quod quis construit beneficium cum auctoritate Ordinarij, nulli dubium est, quod acquirit Ius patronatus in illo etiam, quod expresse sibi non reseruauerit Ius patronatus, vt affirmant *Io. And. Card. Butr. & alij relati per Felin. in cap. significauit. num. 2. de testib. Rot. decis. 5. de Iure patr. in antiq. reprobata contraria opinione Lambert. eod. tit. lib. 1. part. 1. q. 2. art. 4. num. 14. Rota decis. 167. num. 4. part. 2. diuer.* Et sæpa in alijs causis Rota sequuta est hanc opinionem.

2 Neque de consensu Ordinarij videbatur posse dubitari, quia ex multiplicatis præsentationibus effectũ sortitis, quæ dantur ab anno 1285. vsque ad annum 1475. interpollatis temporibus, & a dicto anno 1475. vsque ad vltimam præsentationem continuatis, inde præsumitur nedum consensus Ordinarij spacio tanti temporis, prout firmauit Rota in causa Firmana Iuris patronatus. 10. Decembris 1584. coram Orano, & in Lunen. Sarzanen. Cappellaniæ. 9. Iunij 1600. coram Reuerendiss. Archiepiscopo Damasceno, in qua aliæ decisiones allegantur. Sed concludens probatio Iuris patronatus ex fundatione,& dotatione deduci potest, cum ab anno 1475. citra continuatæ præsentationes, & effectuatæ excedant cursum centum annorum, quod sufficit, cum in hac parte *Concil. Trid. sess. 25. c. 9. de reform.* non immutauerit probationem de iure communi suffragantem, prout fuit firmatum in causa Barchinonen. Vnionis. 5. Decembris 1597. coram Gipsio, & in Firmana Iuris patron. 8. Maij 1591. coram Orano, maxime iunctis enunciatiuis aliarum, quę præcesserant dictum annorum 1475. in quibus enunciantur Cortesellæ patroni ex fundatione, & dotatione, quæ cum sint supra centum annos, habent vim famæ, & probant Ius patronatus. *Ferret. cons. 293. num. 6. Achil. decis. 7. num. 1. de Iure patr.* & sæpe Rota tenuit, vt in Bobien. Cappellæ. 17. Febr. 1612. coram bon. mem. Penia,& in Tuden. Parochialis. 7. Nouemb. 1611. coram R.P.D. Vbaldo, & cum enunciatiuæ prædictæ, vt plurimum emanauerit in institutionibus Ordinarii, eo magis adminiculantur, quia Ordinarij semper præsumuntur difficiles in admittendis præsentationibus, nisi de illorum subsistentia bene appareat. Rota de Iure patron. in nouis. *Put. decis. 237. lib. 2. Seraphin. decis. 1232. num. 2.* Sed præterea consensus Ordinarij vere etiam probari videtur ex sententia Milonis de anno 1188. lata, in qua Ius patronatus approbatur ab eodem Archiepiscopo Milone tanquam ex fundatione,& dotatione, & non simpliciter, sed visis instrumentis, priuilegiis, & testibus,& matura discussione, cui multum esse tribuendum firmauit Rota coram bon. mem. Seraph. *decis. 1141. num. 8.* Super qualitate autem huius Iuris patronatus nihil voluerunt resoluere, cum de ea super respositione dubii resoluti sit particulariter agendum, si pro parte Marliani fuerit petitum, &c.

R. P. D. DVNOZETTO.

Romana Casalis. Veneris 3. Aprilis. 1615.

ARGVMENTVM.

Bona minoris an possint alienari, quando vsuræ superant fructus bonorum hæreditariorum, & quando maritus cui fuit ipsa minor nupta, non vult recipere dotem in bonis stabilibus.

SVMMARIVM.

Decretum iudicis validum præsumitur, & alleganti contrarium incumbit onus probandi. num. 1.
Alienatio bonorum minoris valida est, quando fœnus, & vsuræ superant fructus bonorum hæreditariorum. n. 2.
Census nullitas eo, quia non interuenit actualis numeratio pecuniæ, potest in Signatura Sanctissimi sanari. nu. 3.
Fraus regulariter, & maxime in matre tutrice non præsumitur. num. 4.
Locatio non probat verum valorem, quia potuit fieri ex affectu. num. 5.
Alienatio bonorum minoris pro paranda dote ipsi minori valida est, quando maritus non vult recipere bona stabilia in dotem. num. 6.
Res minus valere dicitur, quando super ea adest lis, & venditur absque cautione de euictione. num. 7.

DECISIO DCLXXV.

1 CVm sub die 23. Maij 1614. fuerit resolutum, informante solum D. Octauia de Maximis, constare de nullitate alienationis Casalis, venditi q. D. Francisco Scapuccio, a q. D. Brigida de Magistris, & D. Modesta eius matre, & curatrice. Hodie eius filii, & heredes, examinatis de nouo testibus, obtinuerunt denuo super dicta resolutione audiri, & dubio bis proposito, causa diligenter examinata, Domini recesserunt à decisis, ea maxime ratione, quia cum regulariter præsumatur pro validitate decreti iudicis, & d. D. Octauiæ incumbat onus concludenter probandi contrarium, vt ex multis allegatis fuit in hac causa decisum, die Vener. 26. Nouembris 1610. coram bonæ mem. Penia, tota facti serie perspecta, non solum omnia, quæ pro parte D. Octauiæ adducuntur, non concludunt ex falsa causa iudicem huic alienationi Casalis decretum suum interposuisse, quin potius probationes adductę pro parte DD. de Scapucciis magis incalescunt ad iustificandam necessitatem causæ dictæ alienationis.

2 Indubitati enim iuris est, licitum esse alienare bona stabilia minorum, quando fœnus, & vsuræ superant fructus bonorum hæreditariorum, per *text. expressum in l. magis puto. §. non passim. ff. de reb. eorum qui sub. Imol. consi. 98. nu. 4. Ang. Aret. cons. 128. num. 25. & 26. Nat. cons. 631. num. 27. vers. ex præmissis igitur.* quodam fundamentum in iure verissimum iustificatur in facto, nã si ratio habeatur solius calculi dati pro parte D. Octauiæ, apparebit vsuras superare fructus Casalis, quod solum quondam D. Brigidę in partem hæreditatis obuenerat, fructus siquidem dotis promissæ ascendebat singulis annis ad Scuta 180. fructus censuum non controuersorum ad Scut. 84. vltra censum debitum Canonicis Sanctę Mariæ Maioris, quod erat Scutorum 40. sicque comprehenso canone Scut. 66. omne illud fœnus constituebat summam Scut. 370. fructus vero Casalis, de tempore contractus, vt constat ex locatione ad nouennium, facta ante per quinquenniũ, non excedebat Scuta 293. Vnde ad sensum patet, interusuria longe excedere fructus Casalis, non comprehensis, quæ annuatim ad resarciendam domum, aut meliorandum Casale fundi dominus, etiam parcissimus impendit.

3 Nec obstare visa fuerunt ea, quæ contra partitam Scut. 40. debitam singulis annis dictis Canonicis adducuntur, s. non esse habendam rationem dictæ summe in hoc calculo, quia census erat nullus ex Constit. sanctis. mem. Pij V. cum non fuisset facta actualis pecunię numeratio. Placuit enim Dominis responsio, cum debitum pro Canonibus decursis, & ad euitandam caducitatem nullo iure posset controuerti, potuisse in Signatura Sanctissimi obtineri sanationem huiusmodi nullitatis, & in omnem euentum cum necessario soluenda esset sors principalis, eadem summa erat recipienda sub vsuris, vel vendendum Casale, & ideo æquitas suadet habendam esse rationem huius partitæ ad istum effectum.

4 Prout non obstare visum fuit, quod dicebatur verisimile esse locationem istam vltimam Scut. 293. factam à d. D. Modestia, fuisse in fraudem minorum, vt postea viliori pretio dictum Casale ad manus Scapuccij ex primo matrimonio filii perueniret. Responsum enim fuit, vltra quod fraus regulariter, & præcipue in matre tutrice non præsumitur, cessare omnem doli præsumptionem, ex eo, quod per quinquennium antea reperiebatur facta huiusmodi locatio, & verisimile non est matrem in fauorem conductoris penitus extranei, tanto tempore voluisse hoc præiudicium filiabus inferre, locando Casale pro minori pretio, si valor d. Scuta 293. excederet, tum etiam quia d. Casale, vt deponunt testes fuit exhibitum pro eodem pretio marito Brigidę, qui illud in solutum accipere recusauit.

5 Nec etiam satis concludenter probatus videtur verus valor fructuum d. Casalis, ex eo quod ex anteriori locatione facta ad rationem Scut. trium pro quolibet rubro, vel ex posteriori facta pro Scut. 500. Nam quo ad primam cum facta pro Scut. tribus pro quolibet rubro, & Casale solummodo consistat in rubris 90. euidenter patet pretium esse multo minus, & non ascendere nisi ad summam Scut. 270. & licet adesset pactum facultatiuum seminandi quo casu conductor tenebatur soluere Scut. quinque pro quolibet rubro seminato, tamen nec ex hoc necessario colligitur dictum Casale fuisse tunc locatum pro maiori affictu, cum nec totum Casale posset seminari quolibet anno, quo vero ad locationem posteriorem attinet, nec etiam illa probat verum valorem redditus d. Casalis, tum quia non est locatio, sed reconductio facta potius ex affectu, quam ex vero valore, vt euentus docuit, cum subconductor fuerit coactus deserere locationem, & fugam arripere, tum etiam, quia medio tempore potuit d. Casale meliorari à d. D. de Scapuccijs emptore, & in omnem euentum non sufficit d. D. Octauię probare per possibile fructus Casalis ad eam summam ascendere, quę sufficeret ad omnia alia debita hereditaria soluenda, sed cum ex supradictis impugnet decretum iudicis, clara & euidens incumbit probatio, quę in hoc casu non videtur adesse.

6 Placuit & Dominis aliud fundamentum adductum ad sustinendam d. alienationem marito. s. recusante recipere bona stabilia in dotem, tunc licitum esse tutori illa alienare, vt dos detur in pecunia, & hanc iustam alienationis minorum causam esse iuridicam tradit Iurisconsultus in *l. siue generalis. ff. de iur. dot. l. lex, quæ tutores. & ibi gl. Cod. de administ. tut. gl. in leg. ob æs. Cod. de præd. minor. cum simil.* quod huic casui applicatur Cum. n. Brigida esset nubilis, & D. Pacificus nunquam potuerit adduci, vt Casale in dotem acciperet, sed vellet pecunias, & hac de causa matrimonii tractatu pęne fuerit dissolutus, necessario inferendum est sufficientem adfuisse causam alienandi, & quamuis dicatur in decisione præcedenti, istam causam nõ amplius fuisse vrgentem, quia matrimonium iam erat contractum

ctum sub promissione solutionis dotis, infra triennium, & ita remanebant pecuniæ dotales sub vsuris, placuit tamen responsio, quod Scapuccius pro tali do te fideiusserat,& lapso triennio cogebatur soluere in pecunia Scut. 3. mill. & ideo bene potuit durante adhuc triennio vendere Casale, vt adueniente tempore pecuniæ essent paratæ, nec enim qui veniale exponit Casale debet spectare vltimam horam termini, quia subesset periculum, vtrum emptor tunc reperiretur, qui legitimo pretio emere vellet, tum maxime, quia ex supradictis apparet vsuras superasse fructus,& omnis dilatio semper fuisset nociua minori.

7 Considerarunt etiam Domini non ita facile potuisse vendi extraneo, & ignoto istud Casale, cum super eo antiqua lis extitisset, & prætensa deuolutio,& emptum fuisse sine vllo fideiussore de euictione, quod facit partem pretij, ad *l. fundi partem. ff. de contrab. empt. Couar. var. resol. lib. 2. cap. 3. num. 4. vers. 5. infertur. Rota decis. 148. num. 5. part. 2.* Quibus non obstare visum fuit, quod dicitur pro parte D. Octauię ad fuisse bona mobilia, quo casu non poterat ad stabilium alienationem deueniri, nam cum hoc non probetur nisi ex inuentario facto, multo ante tempus dictæ alienationis, & illa potuerint esse alienata pro soluendis alijs debitis hæreditarijs, non venit ex hoc capite rescindendus contractus celebratus cum solennitatibus, tam ex dispositione iuris, quam statuti requisitis. Quod autem dicitur consanguineos, qui huiusmodi alienationi consensum præbuerunt, prout requirit statutum, habuisse in hoc contractu considerabile interesse, hoc in facto non subsistit, aut saltem non est probatum, vt debet, satis concludenter, ideo Domini de eo nullam rationem habuerunt. Ex quibus ita vtraque parte informante fuit decisum.

DECISIO DCLXXVI.

Segnina Castrorum. Veneris 3. Aprilis 1615.

Impressa Apud Buratto.

DECISIO 106.

REVERENDISSIMO P. DOM. DAMASCENO.

Romana officij Notariatus. Veneris 3. Aprilis. 1615.

ARGVMENTVM.

Dominium rei emptæ spectat ad eum, cuius nomine fuit facta emptio, & pecunias erogauit, neque ad effectum impediendi remedium possessorium sufficerent coniecturæ simulationis, quia hæ respiciunt petitorium.

SVMMARIVM.

Dominium rei emptæ spectat ad illum, qui emit, & pretium erogauit. nu. 1.

Dominij reseruatio probat dominium esse apud illum, cui fit reseruatio. nu. 1.

Possessorium non impeditur ab eo, qui in administratione rei habet causam ab eo, qui remedium intentat. numero primo.

Possessorium remedium non impeditur per exceptionem simulationis. nu. 1.

Simulationis exceptio respicit petitorium. nu. 2.

Simulatio, quæ delictum includit, requirit plenissimam probationem. nu. 3.

Testis vnus nihil probat. nu. 3.

Testis deponens per verbum mihi videtur, non probat. num. tertio.

Tractantur multa, quæ postea non fiunt. nu. 3.

Expressio eius, quod tacite inest, nihil operatur. nu. 4.

Coniecturæ alijs coniecturis contrarijs tolluntur. nu. 4.

Coniecturæ illæ in dubio sunt præferendæ, quæ magis sunt conformes publicis scripturis. nu. 4.

Coniecturarum numerus non est attendendus, sed ponderositas. nu. 4.

Commodum qui sentit, debet sentire etiam incommodum. numero 5.

Simulationis probatio non attenditur, vbi non ostenditur causa simulandi. nu. 5.

Electa in dubio semper debet censeri illa via, per quam excluditur pœna. nu. 6.

Possidere non dicitur, qui nomine alterius administrat. nu. septimo.

Possidens habet vtrumq. remedium, manutenendæ, & redintegrandæ. nu. 7.

DECISIO DCLXXVII.

1 FVit tentum dominium officij, de quo agitur, spectare ad Ioannem Baptistam, qui habet fundatam intentionem super dicto dominio ex venditione sibi facta per Demosthenem prædicti officij Dominum, cum erogatione pretij à se facta, ad l. cum res. ibi pretiumque numeratum. C. de probat. & signanter ex eo quod quando Demosthenes resignauit Ioanni Augustino aduersario Ioannis Baptistæ, reseruauit sibi dominium quæ reseruatio probat dominium apud illũ, cui fit talis reseruatio, vt dicit Rota in causa Roman. montium coram fel. rec. Clemente VIII. tunc Rotæ Auditore, relata inter diuersas impressas decisiones. 262. numero 3. & 6. part. 3. & In causa Romana officij scriptorię prima. Aprilis 1588. coram Cardinale Pamphilio, & in alia Romana officiorum Plumbi, 4. Iulij 1601. coram eodem, & in Romana census. 22. Iunij 1609. coram Domino Decano, & alias sæpe, & vltra prædicta probatur Dominium respectu ipsius Ioannis Augustini, ex eo quod passus fuit se deputari a Ioanne Baptista in administrationem prædicti officij, promisitque illi bonum, & fidelem computum reddere. Vnde non potest refricare dominij quæstionem contra Ioannem Baptistam, à quo causam habet, saltem ad effectum impediendi remedium possessorium quo nunc agitur. *l. si quis conductoris. C. locati,* cuius dispositio habet locum contra quemcunq; ab alio prætorio nomine possidentem, *vt per glos. & scribentes ibidem, & præcipue salic. prope fin. vers. quæro secundo, an non solum Angelus in fin. Neuiz. cons. 33. num. 22. Rom. cons. 94. nu. 6. lib. 1. & late prosequitur Menoch. de recuper. remed. 11. n. 35. & seq.* & fuit dictum in causa Romana pecudum die 4. Nouembris. 1611. coram Reuerendo Patre Domino Caualerio.

2 Non obstat prætentio Ioannis Augustini, quod prædicta omnia fuerint simulata, & quod in effectu ipse Ioannes Augustinus voluerit emere officium, & Ioannes Baptista sibi mutuare pecunias cum responsione 8. vel 7. pro centenario. Nam præter quod exceptio simulationis non impedit remedium possessorium, quo nunc agitur cum illa concernet petitorium. *Abb. in cons. 73. nu. 5. & 6. lib. 2. Paris. cons. 54. nu. 18. lib. 1.* Rota in Romana census. 26. Nouembr. 1604. coram Ludouisio, & In esina Saluiani 22. Martii 1615. coram me. Item quod nulla simulatio prætenditur cum Papa, à quo pendebat translatio dominii, & ex quo Papa voluerit illud transferre in Ioannem Baptistam, non autem in Ioannem Augustinum, vt patet ex decre-

decreto super resignatione officij, visum fuit non constare de aliqua simulatione, neque etiam cum Augustino.

3 Et in primis fuit præsuppositum, quod quicquid sit in alijs simulationibus à iure non improbatis de quibus *tot.tit.C.plus valere quod agitur.* in istis, quæ includunt delictum, requiritur plenissima probatio. *leg. sed si maritus.§.fin.ff.qui,& à quibus.Castr.cons.161.sub nu. 1.lib.2.Dec.cons.464.num.8.Grammat.dec.76.num.29.Verall. dec.563.par.3.* Rota in Romana fructuum dotis de Vellis.23. Februarij 1598. coram Reuerendissimo Lugdunen. efficere autem talis probatio visa fuit in prædicto casu. Nam prætensus antecedens tractatus non probatur nisi per vnum testem, licet qui nihil probet tum quia sit vnicus. licet. *cap. veniens. de testib. l. maritus. ff. de quæst.* Rota in Romana nullitatis contractus. 9. Iulij. 1604. coram Reuerendissimo Ludouisio, tum quia deponit per verbum mihi videtur, & sic dubitatiue. *Dec.cons.256.num.4. Signol.cons.241. num.6. Afflict. dec. 38. num. 7.* Vltra quod multa tractantur, quæ postea non fiunt. *l. si voluntate. C.de rescind. vendit. Natt. cons.31. nu.12. lib.1.*

4 Quo ad prætensam confessionem deductam ex depositionibus habitis pro confessatis, negatur adesse tale decretum, quia iudex Capitolinus non illud fecit simpliciter, sed nisi Ioannes Baptista infra certum tẽpus magis præcise respondisset, & Ioannes Baptista infra tempus præfixum dicitur respondisse, quod Ioannes August. proprius emisset hoc officium absque implicatione Ioannis Baptistæ, non concludit, quin ex post, vel quia Ioannes Augustinus non inuenit pecunias promissas pro pretio, vel alias non potuerit libere emi per Dominum Ioannem Baptistam, quod Ioannes Augustinus exercuerit libere officium absq; implicatione Ioannis Baptistæ, nihil est, quia nec qualitas personæ Ioannis Baptistæ viri nobilis, nec scientia professionis Notariatus quærebant, vt se implicaret in hoc officij exercitio, quod ex istis fiat verisimile voluisse emere pro se proprio, nihil etiam facit, quia via infertur ad exercitium, non autem ad dominium, cuius est capax quilibet nobilis, & non aptus ad illud exercendum. Quod officium fuerit emptum in capite Ioannis Augustini, cum quo minime apparet, Ioannem Baptistam habuisse coniunctionem sanguinis, vel amicitiæ, pariter non obstat, quia cum Ioannes Baptista reseruauerit sibi liberam dispositionẽ, non intererat sua ponere officium magis super capite vnius, quam quod in deputatione Ioannis Augustini in administrationem non sit illi constitutum certum salarium, vel actum de expensis deseruientium, & pensione apothecæ in exercendo officium, non concludit simulationem, quia prouisio super istis remanebat in dispositione iuris, *ad l. commodissime.ff.de liber. & posthum.* & de hoc est agendum in redditione rationis. Receptatio vniformis scutor. 25. singulis mensibus non probatur in facto, & probata non releuaret, cum ita potuerit taxari post officium emptum quod Ioannes Augustinus promiserit releuare indẽnem Ioannem Baptistam ab omni damno, quod occasione fideiussionum, & rogituum per Ioannem Augustinum rogandorum, & respectiue recipiendorum quam ex alia causa ratione dicti officij, non concludit, quando minium fuerit penes Ioannem Baptistam quia sunt damna contingentia ratione malæ administrationis, quæ propterea pertinent ad administrationem, non non autem ad Dominum conuenti ad rationem 8. pro centenario, non probatur in facto, quod non fuerit reddita ratio, nihil est, quia hinc orta est controuersia. Cetera etiam magis leuia fuerunt bene sublata per Informantes per Ioannem Baptistam, cũ quibus Domini transiuerunt, & quatenus prætensæ coniecturæ per se possent facere aliquem scrupulum visæ fuerunt elidi, & conquassari ex alijs contrarijs coniecturis, certum est enim, quod coniecturæ contrarijs tolluntur. *l. Diuus. & ibi gl. in verb. æstimari ff. de restit. in integrum. Surd. d. cons. 80. n.21.* Rota in Parmen. status. 10. Aprilis 1606. coram Ludouisio, & quod in dubio illæ sunt præferendæ, quæ sunt magis conformes publicis scripturis. Facit *text. in leg.2. ff. de transaction. Gozad. consil. primo, num.26. Menoch. lib.6. præsumpt. 2. per totum,* & quæ sunt exclusiuæ delicti *Bartol. in leg. si procurator tuus ibi, venit eidem notab. ff. de condict. indebiti. Angel. Aret. cons.51. num. 25. Alciat. in tract. de præsumpt. regul.3. præsumpt. vbi supra. num. primo,* & non est attendendus numerus illarum, sed ponderositas. *Paris. cons.20. nu.25. & cons. 11. nu.26. lib.2. Menoch. cons. 30. nu.5. lib. 1.*

5 Prima igitur coniectura est, quod cum Ioannes Augustinus expendisset scuta 91. cum dimidio, in expeditione huius officij, obtinuit hanc expensam sibi refici per dictum Ioannem Baptistam, vt patet ex quietantia facta per ipsum Ioannem Augustinum, signum, euidens, quod officium fuerat expeditum ad fauorem Ioannis Baptistæ, quia alias dicta expensa non pertinuisset ad illum, sed ad ipsum Ioannem Augustinum, *ad reg. qui sentit commodum, &c. qui sentit. de reg. iur. in 6. l. naturaliter, cum seq. &c. ff. eodem.* Secunda est, quod Ioannes Augustinus confidebat de simplici verbo Ioannis Baptistæ, & è conuerso Ioannes Baptista de verbo Ioannis Augustini, aut non confidebat alter de altero, si confidebat non erat opus facere, quod contractus emptionis cantaret in persona Ioannis Baptistæ, sed satis fuisset, quod Ioannes Baptista mutuasset Ioanni Augustino pecunias pro exerceudo officio obligando illud, si opus fuisset pro securitate restitutionis pecuniarum, quod Ioannes Augustinus promisisset soluere 8. pro centenario. Si vero non confidebat alter de altero, nil egerunt contra hæredem sub hac forma, quia Ioannes Augustinus sic agendo non assecurauit pro se dominium officii, vt modo doceat experientia, nec minus Ioannes Baptista assecurauit suum capitale, vel 8. pro centenario, nam quantum ad capitale, si pretium officii decresceret, vel officium facto Papæ extingueretur, non haberet Ioannes Baptista aliquam scripturam, cum qua se posset releuare contra Ioannem Augustinum petentem similiter restitutionem suarum pecuniarum, nec minus posset Ioannes Baptista, durante officio, petere certum quid per centum à Ioanne Augustino, cum semper hic nulla reperiatur scriptura confecta. Vnde applicatur conclusio, quod non admittitur probatio simulationis, vbi non ostenditur causa simulandi. *Bald. in l. ab Anastasio. nu.2. l. mandati. Castr. in l. iuris gentium. §. dolo l. ff. de pact. Bart. in cons.65. nu.5. Matt. cons.628. nu.17. cum alijs per Mascard. de probat. concl. 448. num. 1.* Rota in Hispalen. præeminentiarum. 20. Nouembris 1591. coram bon. mem. Gipsio, & in Romana de Ceulis 28. Aprilis 1595. coram bon. memor. Penia, & in Bonon. pecuniaria. 5. Decembr. 1603. coram Reuerendo Patre Domino Caualerio. Tertio facit, quia vtraque pars poterat consequi secum via recta, & licita, vnde non est verisimile, quod elegerint hanc viam illicitam, & subiectam pœnæ spirituali, & temporali, cum minime vtraque pars sit bene versata in materiis contractuum, etenim potuisset Ioannes Baptista emere, prout emit, pro se ipso, & postea facere pactum de quandocumque, vel infra certum tempus resignandi Ioanni Augustino, & interim potuisset Ioannes Baptista tanquam Dominus officii percipere fructus illius, quos etiam potuisset taxare ad certam competentem summam, vt indies fit in societatibus officiorum, & sic Ioannes Augustinus tutus de habendo officio, & Ioannes Baptista de habendis fructibus, donec rehaberet pecunias suas, quod est in effectu illud, quod prætendit Ioannes Augustinus fuisse de intentione partium.

Stan-

7 Stantibus autem prædictis, quod scilicet Ioannes Baptista vere sit Dominus officij, & agatur contra illum, qui pro tali illum recognouit, nulla visa fuit dubitatio, qui sit annuncian. ad illud, cum Ioannes Augustinus non dicatur sibi possedisse, sed Ioannes Baptista, cuius nomine administrabat officium, *l.3.§ fin. de acquir. vel amit. poss. l. non solum. §. quod vulgo gestis, de vsucap. Ang. cons. 12. vers. 2. quia. Alex. cons. 121. in princ. libr. 5. Ioan. de Imola cons. 68. num. 7. vers. videndum est ergo*, & consequenter possidendo competit sibi vtrumque remedium, siue manutentionis ratione ciuili, siue recuperando ratione naturali, in qua per suam administrationem tuebatur, *Bald. cons. 131. nu. 3. lib. 1.* & ex his etiam sequitur ipsum non teneri recipere pretium à se erogatum, quod offertur per Ioannem Augustinum. Et ita conclusum &c.

R. P. D. VEROSPIO.

Ferrarien. Bonorum, veneris 3. Aprilis 1615.

ARGVMENTVM.

Iustificatur sententia ex multis, quæ latius in decisione continentur.

SVMMARIVM.

Sententia, quæ seruatis seruandis est lata, debet exequi. numer. 1.
Sententiæ iustitia suadetur ex pluribus decisionibus in ea factis, num. 1.
Clausula quatenus villis, bonis, &c. in literis Apostolicis quomodo sit intelligenda, nu. 2.
Forma data actu omitti non debet, n. 2.
Literæ cum clausula si in euidentem non executis iterum possunt executioni demandari. Fallit quando iurisdictio fuit consumpta. nu. 3.

DECISIO DCLXXVIII.

1 Visum Dominis fuit, sententiam Rotalem esse confirmandam, cum illius validitas, & iniustitia controuerti non possit. Validitas probatur ex reuolutione Processus in quo legitur specialis causæ commissio, citatio ad sententiam adsunt mandata procuræ, & omnia constat seruata fuisse de iure seruanda. *Caputacq. dec. 262. par. 2.* Iustitia pariter innotescit ex decisionibus in hac eadem causa factis coram R.P.D. meo Dunozet. ex quibus apparet malè fuisse pronunciatum in partibus in vim rescripti, si in euidentem super inuestitura bonorum, de quibus agitur ad fauorem D. Marchionis Gualenghi facta per Episcopum Ferrarien. Illustrissimi Cardinalis Leni Prędecessorē, & sic bene fuit ad eiusdē Cardinalis Instantiā dicta sententia de partibus reuocata, præsertim quia non seruata forma rescripti, si in euidentem emanauit, capite cum dilecta vbi Doctores, de rescr. *Abb. cons. 41. numer. 23. lib. 1. Dec. in cap. prudentiam in 4. notab. de off. deleg. Paris. consil. 41. numer. 15. libr. 4. Gozzad. consil. 73. & 2. Tiraquell. de retract. lignag. §. primo, gl. 21. numer. 11.* & fuit dictum in vna Cortonen. rescissionis locationis 26. Ianuar. 1590. coram Orano.

2 Quæ forma tanto magis veniebat seruanda stante in literis Apostolicis clausula, quatenus villis, rebus bonis, & iuribus prædictis prius coram vobis specificatis &c. *Caputaq. decision. 150. num. 5.* parte prima, & fuit dictum in allegata Cortonen. rescissionis. Nec releuat fuisse factam expressionem in genere, quia cum certa data esset forma specificandi, Vtique illa debebat ad vnguem seruari. *c. Pisanis & ibi gl. in verb. irritum, de restitut. spol.* & habetur in allegata decisione Cortonen.

3 Nec valet dicere, literas si in euidentem nulliter exequutas, iterum exequutioni posse demandari. Nam iurisdictio in vim dictæ commissionis tributa in primo actu etiam nullo fuit consumpta. *Alexand. cons. 81. num. 7. lib. 3. Ias. cons. 36. num. 22. lib. 3. Tiraquell. in leg. boues, §. hoc sermone, num. 220. de verb. signific.* & fuit dictum in Cortonen. bonorum 3. Iulij 1589. coram Cardinale. Platto. Ex quibus, & alijs per Reuerendum Patrem Dominum meum Dunozettum latius deductis Rot. censuit illius sententiam esse confirmandam, cum præsertim nihil de nouo pro parte Domini Marchionis deductum fuerit, imò nec informatum, & cetera.

R. P. D. ANDREA.

Tirasonen. Pensionis, Veneris 3. Aprilis 1615.

ARGVMENTVM.

De extractione, & publicatione instrumentorum, quando dicantur legitime factæ.

SVMMARIVM.

Notarius potest absque literis compulsorialibus, & aliæ solennitate extrahere, & publicare dicta testium ab ipso examinatorum, num. 1. & 2.
Instrumenta possunt extrahi à successore in officio absque alia solennitate, numer. 4. Vbi præsertim quando fuerunt extracta vigore compulsorialium, & illarum seruata forma.
Instrumenta, & aliæ scripturæ dicuntur legitimè extracta, & publicata, quando fuerunt extracta vigore compulsorialium, num. 5.

DECISIO DCLXXIX.

1 In causa Tirasonen. pensionis, die 13. Martij proximè præteriti cum dubitaretur An constaret de vnione Ecclesiæ Parochialis loci de Ablitas ad Collegiatam oppidi de Tudela, ad effectum, vt pensio super fructibus dictæ Parochialis ad, fauorem Petri Fernandez sine consensu Capituli reseruata esset valida, vel inualida, Rota pro faciliori directione causæ voluit particulariter videre, An iura Capitulli essent in forma probanti. Quo dubio proposito hodie 3. Aprilis solo Capitulo informante, quia procedebatur per contradictas, illa esse bene extracta respondit circumscripto, an probarent, de quo postea erat videndum.

2 Quantum enim ad examen 13. Testium summar. *num. 3.* & aliud 8. testium eodem summar. *num. 4.* si illud, prout dicitur, fuit extractum ab eodem Notario actuario per quem dicti testes fuerunt examinati, res carebat difficultate cum ipse bene potuerit eorū exēplum authenticum dare absque literis compusorialibus, & alia solennitate in extractione requisita, *Rota dec. 1. de fide instrum. in nou. & dec. 4. eo. tit. in antiq. Verall. dec. 170. num. 1. part. 1. & decis. 351. in princ. part. 2.* & fuit sæpissime resolutum, & in specie in Hispalen. legitimitatis 12. Decembris 1611. & in Tuden. Parochialis 9. Aprilis 1612. coram Reuerendo Patre Domino meo Vbaldo, & in Mediolanen. Decimarum 4. Iulij 1614. coram me.

3 Sed est aduertendum, vt vnus ex Dominis dicebat, quod ex attestatione, quæ datur in nouo summario, *nu. 1.* non colligitur, quod dicti testes fuerint examinati coram illo Notario, sed tantum quod ille fecit extrahere, & extraxit dictum examen ex processu in causa Tirasonen. Parochialis de Ablitas, qui erat in officio penes ipsum.

4 Quo vero ad sententiam antiquam ordinarij testes exa-

examinati super decimarum perceptione, & assignatione congruæ pro Vicario, & instrumenta præsentationum, & institutionum, de quibus in eodem nouo summario. num. 2. non videbatur posse dubitari de illorum legitima extractione, tum quia fuit facta à successore in offic. *Dec. in auth. si quis in aliquo. num. 26. C. de eden. Veral. dec. 244. num. 3. part. 2.* & fuit dictum in Illerden. Visitationis 14. Nouemb. 1611. coram Reuerendissimo Domino meo Decano, & in Mediolanen. Decimarum 23. Ianuarij 1612. coram Reuerend. Patre Domino meo Pirouano, & in d. Mediolanen. Decimarum 4. Iulii 1614. coram me. Tum quia ex suprabundanti fuerunt extracta vigore compulsorialium, à Rota emanatarum seruata illarum forma, & citato Valentino de Gratia legitimo contradictore. *Rota. d. dec. 1. & 2. de fid. instrum. in nou. & 4. eod. tit. in antiq.* Vnde haberi debent pro legitime extractis etiam respectu Petri, qui non interuenit in illo iudicio *Veral. dec. 351. nu. 6. par. 2.*

5 Eadem ratio legitimæ extractionis fuit habita quo ad alia duo instrumenta videlicet cuiusdam præsentationis à Capitulo factæ de Vicaria de Ablitas, 15. Nouembris 1498. & sententiæ de anno 1519. super iure percipiendi omnes decimas per d. Capitulum in præfato oppido de Ablitas, quæ fuerunt extracta per Christophorum de Reus Notarium ex suis protocollis, & originalibus, penes se existentibus, & etiam vigore dictarum literarum compulsorialium, eodem summario nu. 2. prout etiam literæ Apostolicæ Alex. III. & aliæ legati Apostolici sub Cęlestino III. instrumentum concordiæ cum Episcopo Donatio Regia, eiusque confirmationes factæ per Adrianum IV. & d. Cælestinum, quæ fuerunt extracta de suis originalib. existentibus in Archiuo d. Ecclesiæ vigore compulsorialium d. nu. 2. visa fuerunt bene extracta, ex supra dictis. Et ita conclusum.

R. P. D. ANDREA.

Toletana Decimarum de Capilla. Lunæ 6. Aprilis 1615.

ARGVMENTVM.

Procuratores si fuerint insimul constituti, vel substituti, quando vnus alium præoccupare dicatur, per productionem mandati, seu alios actus, & quando etiam nullitas defectu præsertim mandati possit reijci à Rota habente Arbitrium.

SVMMARIVM.

Procuratores duo quando simul sunt substituti, vnus alium præoccupat per productionem mandati, & per alios actus. num. 1.

Declara, vt talis præoccupatio non inducat nullitatem actorum gestorum à procuratore præoccupato ipso iure, sed parte opponente. nu. 4.

Mandatum procuræ restrictum ad lites in vna ciuitate non extenditur ad lites vertentes in alia. nu. 1. Declara, vt nu. 5. & nu. 9.

Testes nulliter examinati possunt sanari arbitrio Rotæ, quando fuerunt examinati cum interrogatorijs a parte datis. nu. 2. & 3.

Nullitas defectu citationis, vel iurisdictionis, seu etiam mandati sanari potest, quando causa est commissa arbitrio Rotæ, quando nullitas non est totalis. nu. 4.

Dictio & ampliat dispositionem. nu. 5.

Dictio quibuscunque includit etiam maiora expressis. numer. quinto.

Interpretatio semper fieri debet, vt verborum superfluitas euitetur. nu. 6.

Obseruantia subsequens declarat Verba contractus, quatenus essent dubia numero septimo.

Citatus tanquam procurator censetur approbatus à citante, etiam quod non sit procurator. nu. 8.

Nullitas non obstat, vel saltem sanatur à Rota, habente arbitrium, quando est turbida. nu. 9.

DECISIO DCLXXX.

1 Fverat resolutum in hac causa 10. Maii 1604. coram bon. mem. Cardinale Pamphilio, testes, qui iurarunt citato Nicolao fuisse nulliter examinatos ob defectum mandati, quia licet ipse fuerit in solidum substitutus simul cum Gabriele, tamen Gabriel per productionem mandati, & alios actus illum in officio præoccupauerat *cap. si duo. de procur. in 6. & c. non iniuste, & vtrobique gloss. & Doct. extra eo. tit.* Nec suffragari aliud mandatum eidem Nicolao datum, quia fuit restrictum pro Ciuitate Toletana, & sic non erat sufficiens pro Ciuitate Abulen. vbi testes iurarunt. *Veral. dec. 335. par. 2.* Cum autem pro parte moderni Excellentissimi Ducis fuisset obtenta sanatoria, cum clausula Arbitrio Rotæ, & proposito de more Dubio An intraret arbitrium sub die 11. Martii 1615. nec liqueret, hodie 6. Aprilis illo reproposito Domini vnanimiter affirmatiue responderunt.

2 Ratio Dominorum fuit, quia testes examinati citato Nicolao vti Procuratore Domini Archiepiscopi fuerunt examinati cum eisdem interrogatorijs productis à Gabriele indubitato procuratore, vt constat ex lectura interrogatoriorum, de quibus in prima p. processus remissorialis, fol. 1276. & ex lectura depositionis testium, vt supra examinatorum. fol. 1468. quo casu, cum nihil aliud potuisset circa illos testes releuans adduci, quod non fuisset adductum in eisdem interrogatoriis, quæ plene fuerunt euacuata, ideo intrat arbitrium ad sanandum huiusmodi defectum, ex *dec. Put. 301. lib. 3.* sæpius canonizata. Et in indiuiduo consimilis defectus in Calaguritana Iuris Votan. 19. Ianuarii 1590. coram bo. mem. Orano, & in Treueren. Decimarum 20. Martii proxime præteriti, coram Reuerendo Patre Domino meo Dunozet.

3 Alia etiam ratio adducitur à Puteo vbi supra, quia pars dando interrogatoria videatur præhibuisse consensum, vt in absentia eius examen fieret, quod efficit illud validum. *Bald. in l. si quando nu. 14. C. de test. Felin. in cap. 2. nu. 13. in 8. limitatione, extra eo. Gabr. de citat. concl. 1. nu. 346. Cæs. de Grass. dec. 9. nu. 6. vers. 3. Nam pars de sen. & re iud. Rot. dec. 415. nu. fin. par. 1. & 217. nu. 2. par. 3. lib. 3. diuers.* Vnde licet Gabriel verus procurator fuerit absens, & Nicolaus ab eo præoccupatus interfuerit examini, sufficit illud factum fuisse cum interrogatoriis à Gabriele productis, vt propter illius consensum possit examen sustineri. Et in hoc fundamento dationis interrogatoriorum per Gabrielem, vt dixi, fuit concors Dominorum sententia. Illa autem decisio coram bon. mem. Cardinale Pamphilio fuit facta cum præsupposito, quod interrogatoria fuerint data per Nicolaum.

4 Aliud etiam motiuum placuit maiori parti Dominorum, quod hic non adest totalis defectus mandati, quo casu acquisitas suadet intrare Arbitrium pro illius sanatoria, quemadmodum intrare solet in defectu citationis, vel iurisdictionis quando non est totalis. *Vestr. in prax. lib. 5. c. 13. nu. 2. & lib. 7. cap. 1. nu. 6. Cæs. de Grass. dec. 4. in fin. de rescript.* & de Stylo attestatur Reuerendus P. D. *Marchesanus in tract. de commiss. par. 2. cap. 1. nu. 63. & cap. 3. nu. 35.* Quod autem hic non adfuerit totalis defectus mandati patet, quia aut volumus attendere substitutionem Nicolai simul cum Gabriele, & cum ambo fuerint substituti in solidum, licet absque clausula, quod nō sit melior conditio pręoccupatis, vel quod vnus possit perficere quod alius inchoauit, illa

præ-

præoccupatio Gabrielis non excludebat Nicolaum ipso iure sed tantum ope exceptionis, & vbi is, qui præoccupauit instaret ne alius admitteretur. Vnde validum fuit examen hoc non opposito, *Aret. in leg. si pluribus, num. 4. vers. illa tamen præoccupatio. ff. de leg. 1.* & fuit dictum in Pampilonen-Matrimonij 4. Februarij 1585. coram bon. mem. Orano, & in Iuden. Parochialis 20. Maij 1611. coram Reuerendissimo Domino meo Damasceno.

5 Aut vero consideremus aliud mandatum Archiepiscopi, datum eidem Nicolao, & negari non potest quin sit aptum comprehendere, etiam alia loca præter ibidem expressa, quia licet in eo fuerint specificatæ Regiæ Audientiæ, & Cancellarie Vallisoleti, & Granaten. & Ciuitas Toletana, & oppidum de Alcala, & Nicolaus fuerit deputatus pro Ciuitate Toletana, sicut pro alijs tribus locis expressis certi sunt procuratores constituti, Attamen post loca expressa sequitur, & in alijs quibuscumque tribunalibus Ecclesiasticis, & sæcularibus, quibus oportuerit, & fuerit necesse, quæ dictio & ampliat mandatum vltra loca, & casus specificatos *Put. Dec. 230. libr. 2. Crescent. dec. 3. de procurat. & est doctr. Bald. in rubr. num. 17. Cod. de contrahen. empt.* quod contractus ampliatur per ampliatiuas dictiones, & copulas attenta etiam generalitate verborum. In alijs quibuscumq: tribunalibus, &c. quæ includit non solũ alia, verũ etiã maiora expressis vt latè per *Felin. in c. sedes, nu. 5. in 2. & 5. declaratione, de rescript.* Vbi in specie loquitur in mandatis procuratorum.

6 Hinc cessat interpretatio ex aduerso data ad illa verba, & in alijs quibuscumque Tribunalibus, vt intelligantur de Tribunalibus earumdem ciuitatum, pro quibus procuratores præfati respectiue fuerunt constituti. Quia cum superius fuissent nominata ciuitas Toletana, & oppidum de Alcala non erat necesse expresso continente exprimere contenta, quæ eo ipso veniebant, *l. 2. & l. qui in continentibus, ff. de verbo signific. l. cum tabernam, ff. de pignor.* Ideo vt vitetur superfluitas, pro qua euitanda omnis possibilis interpretatio fieri debet, *l. si stipulatus, ff. de vsur. Gozad. cons. 74. num. 8. Gabr. consil. 154. num. 10. lib. 1.* etiam iuri contraria, vt pluribus firmat *Cephal. consil. 257. numer. 28. & seq.* & fuit dictum in Romana Vineæ 14. Martij 1608. coram Illustrissimo Lancellotto, verba subsequentia, & in alijs quibuscumque tribunalibus necessario debent intelligi de alijs tribunalibum aliarum ciuitatum.

7 Et hunc intellectum probauit obseruantia subsequuta dum in ciuitate Abulen. Nicolaus se gessit pro procuratore, qui propterea tale mandatum habuisse præsumitur. *Dec. consil. 77. num. 3. in fin. vers.* & ad hoc bene facit, & pro tali vero, & legitimo procuratore, etiam ille fuit habitus, & receptus à Iudice, & à parte Ducis, quæ obseruantia declarat verba contractus & mandati, quatenus illa essent dubia. *Castrens. consil. 347. num. 4. lib. 1. Crauet. cons. 101. nu. 3. Gabr. cons. 53. nu. 15. & consil. 66. nu. 14. lib. 2. Rot. dec. 571. nu. 3. par. 1. Surd. dec. 134. nu. 9.*

8 Attento etiam quod Nicolaus erat incola Ciuitatis Toletanæ, vt enunciatur in mandatis, & venit, & diu commoratus fuit in Ciuitate abulen. pro hoc examine. Vnde præsumitur mandatum, cum hæc non soleant fieri gratis & præsertim, quia vt dixi illius persona fuit per partem aduersam Ducis approbata, cũ fuerint tanquam procurator Archiepiscopi citatus, vt in terminis est decisione *Seraphin. 1407. num. 1.* & in specie de duobus Procuratoribus in solidum datis dicitur fuisse resolutum in Bononien. fideicommissi de Mauris 24. Nouembris 1606. coram Illustrissimo Lancellotto, & in Romana Dotis, seu testamenti, 4. Decembris eodem anno coram Reuerendissimo Bononien.

9 Addebat vnus ex Dominis circa intellectum capitis duo illum textum loqui de præoccupatione iudiciali, quæ fit per litis contestationem, qualis non fuit ista ad examen faciendum vt in terminis fuit responsum in Iuden. Parochialis de Robodera 20. Maij 1611. coram Reuerendissimo Domino meo Damasceno. Ex quibus vel est dicendum huiusmodi nullitatem non obstare vel saltem negari non potest, quin sit turbida, quo casu intrat arbitrium pro sanatoria, etiam si sit nullitas mandati. *Crescen. dec. 8. in fin. de re iud.* & fuit dictum in Elboren. iuris conferen. 18. Martij 1611. coram Reuerendo Patre Domino meo Manzanedo. Et ita conclusum.

DECISIO DCLXXXI.

Fauentina fideicommissi de Castellanis. Lunæ 6. Aprilis 1615.

Impressa Apud Buratto.

DECISIO 107.

REVERENDISSIMO P. DOM.

COCCINO DECANO.

Romana fideicommissi, de Sancto Petro. Lunæ 4. Maij 1615.

ARGVMENTVM.

Fructus quando veniant in restitutione fideicommissi, & an inuestimentum ex ijs factum de ordine testatoris censeatur factum gratia hæredis, vel potius fideicommissarij, & quando remedium l. fin. C. de edic. Diu. Adr. toll. competat pro fructibus, & inuestimento ex illis facto de ordine Testatoris.

SVMMARIVM.

Fructus regulariter non veniunt in restitutione fideicommissi, etiam si testator vsus sit verbis generalibus, & amplis, nu. 1. & 2.

Fallit 1. quando tempus restitutionis est adiectum gratia substituti num. 3.

Fallit 2. vbi hæres est rogatus fructus restituere, nu. 3.

Fallit 3. quando coniecturis constare potest testatorem voluisse etiam fructus restitui. nu. 3.

Remedium l. fin. Cod. de edic. Diui Adr. toll. non competit nisi pro rebus, quæ erant testatoris tempore mortis, numero 1.

Fallit in instrumento facto de ordine Testatoris, de quo ad effectum vt competat remedium l. fin. proinde iudicatur, ac si fuisset in bonis Testatoris, nu. 8.

Remedium l. fin. C. de edi. Diui. Adr. soll. non competit pro fructibus, nu. 1.

Declara procedere in fructibus maturatis post purificatum fideicommissum, secus in fructibus inuestitis ante purificatam conditionem de mandato Testatoris in augumentum fideicommissi. nu. 8.

Declara 2. procedere vbi agitur contra singularem successorem possidentem rem singularem secus, vero quando agitur aduersus possessorem pro hærede, nu. 9.

Fructus spectant ad fideicommissarium seu primogenitum, non autem ad hæredem, quando dilatio ad capiendum fideicommissum seu primogenituram non fuit data fauore hæredis, sed fauore primogeniti seu fideicommissarij, numer. 2.

Dilatio

Dilatio ad capiendam primogenituram dicitur data fauore vocati, non autem hæredis, quando in ea hæres nihil habet agere, nu.2.
Fructus percepti antequam monasterium construatur debentur monasterio, vbi fuit legatum prædium pro monasterio construendo, nu.2.
Dilatio ad capiendam primogenituram dicitur data fauore vocati, quando testator voluit fructus inuestiri in augumentum sortis primogenituræ, nu.2.
Substitutus in hæreditate censetur substitutus etiam in augumento proueniente ex inuestimento fructuum hæreditatis quod Testator voluit fieri in augumentum portionis hæreditariæ, nu.4.
Augumentum iisdem regulis iudicatur quibus principale, & idem ius statuitur in augumento quod in principali aucto, nu.4. & nu.7.
Augumentum hæreditatis à Testatore ordinatum censetur non solum in gratiam hæredis, sed etiam in gratiam substituti, & fideicommissi quando Testator considerauit decus & honorem familiæ, nu. 5.
Familiarum nobilitas honestas diuitiis conseruantur, & ob inopiam pereunt, nu.5.
Consequens qui vult, necessario etiam vult antecedens, numer.5.
Voluntas Testatoris interpretari debet secundum naturam cum ex naturali ratione quid testator senserit percipiatur, numer.5.
Augumentum hæreditatis quod debet fieri ex fructibus, debet censeri potius ordinatum gratia hæredis, quam fideicommissarii. nu.6. Vbi declara.
Tempus restitutionis censetur magis inductum gratia hæredis, quam fideicommissarij. num.6.
Fructus vbi ex mandato testatoris inuestiuntur in augumentum hæreditatis, non dicuntur amplius fructus sed portio hæreditaria, nu.7.

DECISIO DCLXXXII.

IO. Antonius de S. Petro instituit Primogenituram in certis bonis ad fauorem filiorum Aloysij Iunioris, quibus, & eorum descendentibus deficientibus, vel non existentibus vocauit Io. Baptistam de S. Petro, & interim donec Primogenitus nascatur, & perueniat ad ætatem 14. annorum, vel donec purificetur vocatio Io. Baptistæ per non existentiam filiorum Aloysij, voluit fructus bonorum dictæ primogenituræ inuestiri in augumentum sortis prędictæ primogenituræ. Insuper in aliis bonis æquis portionibus instituit Aloysium, & Io. Baptistam prædictos & voluit quod Aloysius non possec, percipere fructus suæ portionis donec susciperet prolem legitimam, & interim voluit ipsos inuestiri in augumentũ dictæ portionis hereditariæ, quam dispositionem in codicillis temperauit, concedẽdo, vt Aloysius ex portione sua posset percipere Scuta 500. & non vltra, residuum verò deponeretur, prout in d. testamento, & etiam voluit in d. testamento, quod Io. Baptista non fruatur sua portione hæreditaria, nisi cum vxorem duxerit, duxerit, & interim eius redditus voluit inuestiri in augumentum sortis d. portionis, & immediatè post istas dispositiones testator vsus fuit his, verbis; Prædictos Aloysium, & Io. Baptistam, vt pręfertur, institutos, eorumque filios, & descendentes in infinitum masculos legitimos, &c. ad inuicem vulgariter, pupillariter, reciprocè, & per fideicommissum substituit, & sibi heredes & successores vocauit ac fore voluit, & tandem, vt decus, & honor domus & familiæ, memoriaq; ipsius testatoris diutius conseruetur prohibuit alienationem bonorum primogenituræ, & fideicommisso subiectorum.

1 Stan. hac serie facti, cum sit factus locus primogenituræ, & fideicommisso ad fauorem ipsius Io. Baptistæ, resolutionem factam 13. Februarii præteriti, dubitaui, an ei esset danda immissio in bonis emptis ex fructibus, & ex fructibus fructuum, & hoc tam respectu primogenituræ, quam fideicommissi, quod dubium habet duas difficultates principales, Prima est, An istud augumentum comprehendatur in primogenitura, & fideicommisso, quia fructus regulariter non veniunt in restitutione fideicommissi, etiã si testator vsus sit verbis generalibus, & amplis, vt probat tex, in lege in fideicommissariam, *vbi Doctor. ff. ad Trebell. l. quod his verbis in princ. ff. de leg. 3. l. scribit Celsus, l. deducta. §. fin. ff. ad Trebel. Peregr. de fideicomm. artic. 49. num. 23. Card. Mant. coniect. vltim. volunt. libr. 7. tit. 10.* Secunda difficultas est, quatenus istud augumentum comprehendatur in primogenitura, & fidei. commisso, an pro illo competat remedium *l. fin.* quod non competit nisi pro rebus, quæ erant Testatoris tempore mortis, *vt est text. in verbis in l. fin. C. de edict. Diu. Adr. toll. & in specie.* quod hoc remedium non competat pro fructibus dicit Spec. & alii Doctores, quos allegat *Peregr. de fideicomm. art. 48. num. 61.*

2 Quantum attinet ad primam difficultatem, & quo ad fructus, & fructus fructuum primogenituræ, res videtur carere omni prorsus difficultate, quia dilatio ad capien. primogenituram non fuit facta fauore hæredis, sed fauore primogeniti, & Ioan. Baptistæ, quare fructus ad ipsum Io. Baptistam spectant, vt est *text. apertus, in l. si ita relictum, §. Pegasus, de l. 2. l. in fi. deicommissi. §. cum Pollidius, ff. de vsur. l. Lucius Titius, §. hæredes, ff. ad Trebell. vbi Bart. Angel. cons. 331. num. 1. vers. 4. Card. Mant. de coniect. vltim. volunt. lib. 7. tit. 10.* quod autem dilatio ad capien. primogenituram esset data fauore primogeniti ex Aloysio, & fauore Ioan. Baptistæ dubitari non potest, quia nihil in ea habebat agere hæres, quare fructus ad ipsos absque dubio spectant, vt in iuribus supra alleg. & in fortioribus terminis, sed bene ad propositum dicunt quam plures Doct. quos allegat Card. Mant. dict. loco, vers. & ex hoc deducitur, inquiũt enim, quod si legatur prædium pro monasterio construendo fructus percepti antequam monasterium construatur, debentur monasterio, & sic fructus collecti, antequam esset purificata vocatio ad primogenituram, spectant ad ipsũ Io. Baptistam, & cessat omnis difficultas, quia cũ testator voluerit fructus inuestiri in augumentũ sortis primogenituræ, vtiq: dicen. est dilationem fuisse factam gratia vocatorum ad primogenituram, quia alias non esset in augumentum primogenituræ, & propterea dispositio Testatoris ita est intelligenda. *Old. cons. 9. vers. item cum iura, nu. 3. Gemin. cons. 67. per tot.* & pro resolutione huius articuli optime etiam faciunt rationes infra ponderandę.

3 Quantũ attinet ad fructus portionis relictæ Aloysio iuniori idem dicendum est, nam licet verum sit, quod fructus non veniant in restitutione fideicommissi, hęc tamen regula fallit, quando tempus restitutionis est adiectum gratia substituti, *vt in d. l. si ita relictum. §. Pegasus, ff. de leg. 2. cum aliis supra allegat.* & sic regula in casu nostro non procedit, si apparebit augumentum fuisse factum, ne dum gratia hæredis, sed etiam gratia substituti, & fideicommissi. Limitatur etiam prædicta regula, quando quis est rogatus fructus restituere, & sic in casu nostro limitabitur, si apparebit Aloysium fuisse rogatum fructus restituere, *d. l. in fideicommissariam, in princ. ff. ad Trebell. & in d. leg. si ita relictum, §. Pegasus, ibi,* cum incremento. Et etiam limitatur, quando coniecturis constare potest testatorem voluisse fructus etiam restitui, *Angel. dict. consil. 331. num. 1. versic. 4. fallit Cardin. Mantic. de coniect. vltim. volunt. loco allegat. num. 9.* vbi alias fallentias adducit, quæ quidem tres fallentiæ hic optimè applicantur.

4 Nam quod testator voluerit fieri augumentum, ne dum gratia hæredis, sed etiam gratia substituti, & fidei-

deicommissi satis patet, cum voluerit inuestimentũ fieri in augumentum portionis hæreditariȩ, & Ioan. Baptista simpliciter sit substitutus Aloysio; Vnde satis patet substitutum fuisse etiam in d. augumeñto, vt benè ad propositum declarando communem intellectum, *l. centurio. ff. de vulgar. & pupil. dicit Ripa ibi. nu.* 41. qui licet non loquatur in nostris terminis, eius tamen rationes optimè faciunt ad præsentem casum quæ etiam coadiuuantur, ex eo, quod idem iudicandum est de ipso augumento, ac de ipso principali, *Calder. consil. 32. de constitut. & consil. 32. de testam. Bald. consil.* 407. *num. 3. lib.* 1. vbi quod idem ius statuitur in augumento, quod in principali aucto, bene *Surd. dec. 78. nu.* 11.

5 Et prædicta optimè comprobantur, nam testator considerauit decus, & honorem suæ familiæ, & quod memoria, eius conseruaretur, & hæc voluit facere tã mediante primogenitura, quàm fideicommisso prædictis, vt patet ex verbis supra relatis. Vnde manifestissime colligitur, quod augumentum debebat fieri nedum in gratiam hæredis, sed etiam in gratiam substituti, & sic fideicommissi, vt illo magis aucto melius familia, & memoria conseruaretur, diuitiæ enim operantur quod conseruaretur honestas, & nobilitas familiarum, quæ ob inopiam perire solent, *auth. de test. §. sancimus, Roman. consil.* 411. *versic. constat autem, vbi apostilla in versic. dignitas,* quod etiam eodem modo voluit circa portionem Ioan. Baptistæ, interim quod vxorem duceret, vnde cũ ambo fuerint ęquis portionibu s instituti, & æquè prohibiti de recipien. fructibus suȩ portionis alter donec filios procreasset alter vero donec vxorem duceret, & vterq; alter alteri fuerit reciprocè substitutus immediatè post ordinationem d. augumenti vtriusq; portionis, & vterq; fuerit prohibitus alienare ratione expressa conseruationis memoriæ testatoris, & honoris familiȩ, videtur per necesse dicendum, quod augumentum fuerit ordinatum in fauorem fideicommissi, & subsistitutorum ex regula, quod qui vult consequens, necessario etiam vult antecedens, *l. illud. de acq. hæred. Anchar. cons.* 161. *in princ.* & hec eo magis procedere debent, quia cum indubitatum sit augumentum primogenituræ spectare ad substitutum, ita dicen. est de augumento portionis fideicommissi cum in vtroque casu militet eadem ratio voluntatis testatoris, scilicet decus & honor familiæ. In interpretanda enim voluntate testatoris debemus naturam sequi, quæ nos dirigit ad intellectum verum, vt inquit *Bald. in consil.* 40. *num. 2. versic. & quia debemus volum.* 3. quod nihil aliud est dicere, nisi vt perquiramus naturalem rationem, ex qua quod testator senserit percipi possit, *Card. Mant. de coniect. vltim. volunt. lib. 6. tit. 14. numer. 6.* ex quibus ne dum constat testatorem voluisse fieri augumentum in gratiam fideicommissi, sed etiam colligitur quod grauauit hæredem, ad ipsum restituendi, cum voluerit fieri in augumentum portionis hæreditariæ, maxime cum concurrant plures coniecturæ supra ponderatæ.

6 Non obstat, quod cũ augumentum proueniat ex fructibus debet censeri magis inductum fauore hæredis, quam fideicommissi, prout tempus restitutionis censetur magis inductum gratia hæredis, quam fideicommissarij, ex alleg. per *Card. Mantic. loco superius allegato nu.* 11. quia hoc est verum in dubio, secus autem, quando sumus in claris, prout sumus in casu isto, vt patet ex prędictis, quo casu absque dubio augumentum censetur inductum, ne dum fauore hęredis, sed etiam fideicommissi, vt in *d. l. si ita relictum, §. Pegasus, ff. de l. 2. cum alijs per Cardin. Mant. loco superius allegato, num.* 10.

7 Minus obstat, quod in omnem euentum prædicta procederent quo ad fructus, nõ autem quoad fructus fructuum. Nam ista distinctio in casu isto inter fructus, & fructus fructuum est verbalis, quia cum testator voluerit fructus inuestiri in augumentũ sortis primogenituræ, & portionis hæreditariȩ post inuestimentum cum fructus augeant primogenituram, & portionem hæreditariam, non est agendum amplius de fructus fructuum, sed de fructibus primogenituræ, & portionis hæreditariæ, quia tales sunt effecti isti fructus de mãdato testatoris, qui ita potuit disponere, *§. dispon at, auth. de nupt.* maxime cũ augumẽtum recipiat naturam principalis aucti, vt notant *Doct. præcitati, & bene Brun. de argum. q. 5. & q. 9.*

8 Quantum attinet ad secundum principalem difficultatem, an pro augumento competat remedium *l. fin. C. de edict. Diu. Adr. toll.* licet verum sit, quod non competit nisi pro rebus, quæ erant testatoris tempore obitus, & sic non competat pro fructibus. Pro responsione tamen est aduertendum, quod iste non est propriè casus noster, quia Doct. allegati in obiecto loquuntur de fructibus maturatis post purificatum fideicommissum, qui non est casus noster, cũ agamus de fructibus inuestitis ante purificatam conditionẽ de mandato testatoris in augumentum primogenituræ & fideicommissi, & propterea inuestimentum factum de mandato testatoris proinde iudicandum est ad effectum, vt competat remedium *l. fin.* ac si fuisset in bonis testatoris, vt post *Socin. Alciat. Siluan. & alios dicit Surd. in decis. 15. num. 21. in fin. & seq. qui Doct.* licet loquantur, quando bona emuntur ex pecunia testatoris, attamen mouentur ea ratione, quia bona de mandato testatoris fuerunt empta, quæ ratio militat in casu isto, quia licet fuerunt empta de fructibus tamen de mandato testatoris, & illi non spectabant ad hæredem, vti fructus sunt, cum testator voluerit illos inuestiri in augumentum primogeniturȩ & fideicommissi.

9 Vlterius aliqui ex Dominis considerabant, quod quo ad fructus non potest agi remedio *l. fin.* quando agitur contra singularem successorem possidentem rem singularem, secus vero quando agitur aduersus possessorem pro hærede prout in casu isto, *Peregr. de fideicom. art. 48. nu. 61.* Circa tamen hoc vltimũ respõsum per alios Dominos nihil fuit firmatum. Ex quib. resolutũ fuit Ioanni Baptistæ dandam esse immissionem, etiam quo ad augumentum primogenituræ, & augumentum portionis relictæ Aloysio iuniori, &c.

DECISIO DCLXXXIII.

Ferrarien. Dotis. Lunæ 4. Maij 1615.

Impressa Apud Buratto.

DECISIO 108.

R. P. D. DVNOZETTO.

Meleuitana Emphyteusis. Lunæ 11. Maij 1615.

ARGVMENTVM.

Alienatio rei Ecclesiæ, quæ fuit confirmata per sententiam iudicis, vigore Breuis Apostolici, præsutur valida, & vtilis, & plura deducuntur ad huiusmodi materiam.

SVMMARIVM.

Sententia iudicis præsumitur iusta, & valida. num. 1.

Alienatio rei Ecclesiæ, quæ fuit a Papa confirmata, præsumitur vtilis, & valida, numero 1. Vbi maxime stante obser-

obseruantia plurium annorum, & nu. 2. Vbi quod damnum & inualiditas debet per allegantem plene probari.
Capituli consensus in alienatione rei Ecclesiæ non requiritur quando administratio rei alienandæ residet penes particulares personas, nu. 3.
Consensus alicuius requisitus in alienatione rei Ecclesiæ probatur ex petitione confirmationis per ipsum facta. num. tertio.
Producens scripturam videtur omnia in eis contenta fateri. num. 3.
Negatiua citationis vt dicatur probata ex inspectione processus, processus debet produci integr. nu. 4.
Solennitas extrinseca, quæ non solet semper in actu interponi, præsumitur ex lapsu multi temporis, etiam si non sit enunciata. nu. 4.
In locatione rei Ecclesiæ in perpetuum potest fieri diminutio sextæ partis valoris rei. nu. 5.
Læsio debet probari de tempore alienationis. nu. 6.
Læsio vt probetur non debet haberi respectus ad melioramenta per emptorem facta. nu. 6.
Alienatio rei Ecclesiæ vt dicatur damnosa, debet haberi etiam ratio eorum, quæ possunt verisimiliter contingere in diminutionem valoris, & fructuum ipsius rei. numer. septimo.
Alienatio rei Ecclesiæ præsumitur vtilis, & valida, ex obseruantia plurium annorum. nu. 8.
Affrancandi facultas spacio multi temporis præscribitur, nu. octauo.

DECISIO DCLXXXIV.

1 DOmini censuerunt, non constare de bono iure Capituli. Nam cum alienatio Viridarij facta de anno 1547. vigore Breuis Apostolici fuerit confirmata per Iudices Commissarios, pro quorum sententiæ validitate, & iustitia stat omnis iuris præsumptio. *l. 2. vers. quod non arbitramur. & ibi Baldus. Cod. de offic. iudic. ciuil. leg. Herennius. § Caia. ff. de euict. l. ab emptore. 2. resp. ff. de probat. Gabriel. de sentent. conclus. prima. numer. primo, & seqq. Surd. consil. trigesimo nono, num. septimo*, & fuit dictum in vna Romana Casalis Vener. 26. Nouembr. 1610. coram bon. memor. Penia, & in eadem coram me, Vener. 3. Aprilis. proximi præteriti, & in terminis pro vtilitate, & validitate alienationis rei Ecclesiæ præsumendum esse tradidit *Baldus in cap. primo, numer. septimo, qui feud. dare poss. Abb. consilio quadragesimo primo, numero secundo, libro primo. Alexand. consilio septuagesimo nono, numero sexto, circ. fin. lib. 1. Paris. consilio vigesimo quarto, numero quinto, libro quarto, Menoch. consilio 287. numero trigesimo quinto, & seq. libro tertio, Seraph. dec. 1125. numero primo, Rot. diuers. decis. 479. numero 1. par. 1.* & fuit sæpissime decisum maxime vero scuta 50. annorum obseruantia. *gloss. in cap. peruenit, & ibi Imol. numero decimo, de empt. & vendit. Felin in cap. illud. numero 6. de testibus Alex. consilio decimo septimo, numero octauo, libro 4. Put. decisio. 365. num. secundo, libro secundo. Seraph. dicta dec. 1125. nu. 3. decis. 1307. num. septimo*, fuit dictum in Leodien. Bonorum Mercur. 3. Decemb. 1607. coram Illustrissimo Bononien. & alias sæpe.

2 Vnde dicendum est ad Capitulum spectare onus concludenter, & non per possibile probandi inualiditatem, & damnum euidens Ecclesiæ, *Baldus loc. alleg. Socin. cons. 15. numer. 27. lib. 1. Corn. consil. 181. numer. vigesimo septimo, lib. primo, Couar. var. resolut. libr. 2. cap. 17. num. 2. Rot. diuers. decis. 78. num. 4. par. 2.* Fuit dictum in vna Rauenaten. Pineti, Vener. 23. Martij 1607. coram R. P. D. meo Pamphilio, & in Bononien. Bonorum de Manzumatico Lunæ 26. Decemb. 1607. coram R. P. D. meo Decano, & in alijs causis.

3 Ex deductis autem pro Capitulo non visa fuit satis probata dicta inualiditas, aut læsio. Nam quo ad inualiditatem, quæ deducebatur ex defectu citationis Capituli iuxta resolutionem formatam coram me in Ferrarien. Bonorum Lunæ 16. Iunij 1614. placuit responsio, non fuisse citandum Capitulum, ea ratione quia horum bonorum administratio penes Vicariũ, Oeconomum, & Iuratos Ciuitatis residebat, quorum interuentus in productione dicti Breuis ex petita ab eis alienationis confirmatione sufficiens fuit, *ex decis. 636. par. 1. diuers.* idque magis in hoc casu procedere visum fuit, quia per talem productionem non solum resultabat scientia, sed etiam approbatio, respectu rescripti, & illius formæ, & oriebatur confessio eorum, quæ in scripturis productis continebantur. *Crau. cons. 201. num. 5. Paris. cons. 125. nu. 20. lib. 1. & cons. 79. nu. 3. lib. 3.*

3 Accedebat etiam hoc casu non fuisse productum integrum processum, vt possit dici probata ex illius inspectione negatiua citationis. *Seraph. in his terminis dec. 1307. num. 2. & 3. Rota d. dec. 636. num. 5.* quam citationem ex obseruantia tot annorum præsumi etiã si non sit enunciata, cum simus in solennitate extrinseca, quæ non solet semper in ipso actu interponi, tradit *Felin. in cap. Alber. numer. 4. versic. si autem in instrumento, de testibus, Rota diuers. decis. 193. nu. 11. & 14.* & hanc sententiam inuiolabiliter, & perpetuo Rotam obseruasse testatur *Seraphin. decis. 1402. nu. 3.* Quo vero ad læsionem deductam ex quo hæc locatio in perpetuum facta fuit pro eodem canone vnciarum octo, pro quo prius facta extiterat, Domini dixerunt ex eo non probari læsionem, quia prior erat ad tempus, hæc vero in perpetuum in qua posset dici esse detrahendum sextam partem, ex auth. præterea, *C. de sacrosanct. Eccles. Ias. dict. consil. 54. sub numer. 25. Anchar. consil. 112. num. 1. Seraphin. d. decis. 1125. num. 4. Rota diuers. decis. 78. num. 5. par. 2. fuit dictum in d. Leodien.* & alias sæpe, quod tantum abest vt factum fuit, vt vltra Canonem Emphyteuta singulis annis in dicto instrumento teneatur ad onus vnius Missæ celebrandæ in die festiuitatis Sanctæ Luciæ, & ad solutionem aliquarum decimarum, vt ex depositionibus testium comprobatur.

4 Et licet conductor ad tempus teneretur in dicto viridario, arbores ad certum numerum, & certam quantitatem apponere, tamen vltra quod non constat arbores appositas fuisse, ille idem conductor pro executione Breuis examinatus deposuit, responsionem annuam fuisse excessiuam, & in posterum eo pretio amplius voluisse conducere, ad sunt etiam alij testes, tunc temporis in partibus, & in hoc iudicio examinati concludenter deponentes, hanc alienationem in euidentem Ecclesiæ vtilitatem cessisse. Quas quidem rationes, & depositiones tanto magis Dominis vrgere visæ sunt, quia nullus alius conductor reperiebatur, & dictum Viridarium indigebat multis expensis pro refectione, & manutentione murorum, tum etiam, quia positum in loco decliui quotidianis aquarum iniurijs, & Turcarum incursionibus, & deuastationibus obnoxium erat. Vnde cum dictam alienationem in euidentem Ecclesiæ vtilitatem cessisse iudices pronunciauerint, eorum omnium habuisse rationem præsumendum est.

5 Non obstant testes examinati pro Capitulo in hoc iudicio dum de ampliori redditu dicti Viridarij deponunt. Nam non solum non percutiunt tempus dictæ alienationis prout requiritur ad probandam læsionem, *leg. si de voluntate, in fin. Cod. de rescinden. venditio. Cagnol. post alios, in leg. 2. numer. 213. in fin. & ducentesimo decimo octauo, cum seqq. Cod. eodem Cald. consil. quinto, post medium, de rer. permut. Seraph. dicta decisione 1125. numero quinto*, & fuit sæpissime decisum. Quinimo multo minus probant læsionem, deponunt enim

enim de melioramentis factis Emphyteuta, propter quæ vberiores fructus ex Viridario percipiuntur, *gl. in cap. ad aures in verb. nisi tunc, & DD. de reb. Ecclesiæ non alienandis, & in cap. cum dilecti, in verb. tunc valentem de emptio. & venditio. Calder. d. conf. 5. versic. nec obstat. Guido Papæ dec. 157. Paris. conf. 24. nu. 7. lib. 4. Rot. diuers. dec. 8. sub nu. 4. p. 1.* Ad præcipuum vero fundamentum Capituli, quod deducitur adesse læsionem ex pacto affrancandi quod Emphyteutæ concessum est, quandocunq; tradere vna, vel duabus vicibus terra eiusdem redditus vnciarum octo, quod pactum seu ius affrancandi vocant, ex decisionibus Lucanis coram Illustrissimo Lancellotto, & Reuerendo Patre D. meo Pamphilio. & R.P.D. meo Vbaldo.

7 Placuit responsio hunc casum esse multum diuersum. Nam in illis decisionibus Lucanis agebatur de permutatione, in qua Ecclesia rei traditæ dominium amiserat, & solum actionem ad pretium, vel ad rem habebat, quo casu Ecclesiam læsam fuisse meritò iure fuit resolutum, cum melius sit incumbere rei, quā actioni. Hic vero alienatio facta fuit in Emphyteusim, cum pacto tamen affrancandi, quo casu Ecclesia amittere nunquam poterat dominium Viridarij nisi traditis terris, & licet læsio posset pretendi, ex quo pro eodem redditu affrancatio fuit concessa, tamen cum non sit probatum concludenter Viridarium fuisse perpetui redditus vnciarum octo, sed potius contrarium ex testibus tunc temporis examinatis, non potest dici probata læsio, eoque minus, quia terræ erant dandę præuia æstimatione facienda à communibus amicis pro eodem redditu perpetuo, & fieri potuit, vt iudices diligenter informati repererint terras dandas quocunque loco non potuisse dari, nisi vtiliores Capitulo, & quæ non ita periculo incursionis Turcarum subiectæ sint, ob nimiam vicinitatem mœnium Vrbis vt postea docuit experientiā, nec quæ tot expensis, ad euitandam aquarum iniuriam indigeant, aut pro illarum cura, & manutentione, pro vt in simili locatione considerauit *Rota Diuersor. dec. 78. nu. 4. par. 2.*

8 Et quicquid esset dicendum, vbi essemus in ecenti alienatione, tamen in hac ob secutam obseruantiam quinquaginta annorum omnes probationes in contrarium elisæ remanent. vt respondit *Rota cor. Seraphino d. dec. 1307. num. 6.* & præsertim, quia affrancatio non fuit facta tot annorum spacio, visa fuit Dominis facultas illa affrancandi præscripta, iuxta magis receptam opinionem *Gabriel. de præscript. conclusione 5. Rol. conf. 21. num. 44. & 45. lib. 2. Decian. resp. 10. num. 52. & seq. lib. 1. & resp. 13. num. 45. lib. 3. Menoch. conf. 143. num. 17. & seq. lib. 2. & conf. 201. num. 85. lib. 3.* Et his simul iunctis vtraque parte informante bonum ius Capilum non fouere ad petendam reuocationem alienationis Domini responderunt.

DECISIO DCLXXXV.

Veneta Donationis, Lunæ 11. Maij 1615.

Impressa Apud Buratto.

DECISIO 109.

R. P. D. ANDREA.

Senogalien, Prædij. Lunæ 11. Maij 1615.

ARGVMENTVM.

Executio Cameris obligationis non impeditur per exceptionem non implementi, aut aliam requirentem altiorem indaginem.

SVMMARIVM.

Executio Cameralis obligationi retardari non potest, numero 1.

Exceptio non adimplementi, quando requirit altiorem indaginem non impedit executionem Cameralis obligationis numer. 2.

Exceptio super qua lis pendet dicitur requirere altiorem, indaginem, & non impedit executionem obligationis Cameralis, nu. 2.

Fructus prædij empti ex promissione emptoris debiti solui debent eo ipso, quod emptor est in possessione rei emptæ, licet res non sit libera, vel non fuerit adimpletum, numero 3.

Emptor retinere non debet rem, & pretium, num. 4. in fine.

Emptor possidens rem emptam, & ex ea fructus percipiens tenetur ad onera rei, ex qua fructus percipiuntur, numero 5.

DECISIO DCLXXXVI.

1 DVbitaui, an Domini de Fidelibus teneantur ad fructus censuum ab ipsis accollatorum, & pro quo tempore, & Domini indistincte Bernardinum teneri ad solutionem fructuum censuum, vel creditoribus anterioribus pro eadem quantitate voluerūt. Quantum enim ad fructus ante sententiam Reuerendi Patris Domini Zambeccarij, nō erat dubium, quin pro illis ipse teneretur, cum prædium sibi esset traditum, & constaret de ipsius obligatione Camerali ex publico instrumento non vulnerato, cuius exequutio quemadmodum sententię, & rei iudicatę propterea retardari non poterat. *Angel. in l. 4. §. condemnatum, num. 4. ff. de re iudicat. Castr. in l. post rem iudicatam, in fin. vbi attestatur de pract. Romanæ Curiæ. ff. eod. Cephal. consil. 439. num. 16. Gabr. conf. 67. num. 8 lib. 1. Menoch. de arbitr. cas. 17. nu. 5. Galles. ad form. Cam. oblig. par. 1. q. 2. nu. 11. & 18. Thessaur. dec. 26. num. 11. Seraph. dec. 736. in princ. & dec. 1437. num. 1. Rota decis. 741. num. 1. part. 1. diuers. & alias sæpe.*

2 Nec releuare videbatur exceptio non adimplemēti pro parte Barnabei venditoris, tum, quia illa ex deductis in alia positione erat valde turbida, & requirebat altiorem indaginem, ita vt illa non possit retardare solutionem vigore huius obligationis Cameralis liquidæ, & claræ. *Rom. conf. 76. nu. 3. & seq. Galles. vbi supra 4. par. q. 1. num. 17. Canar. de exequu. instr. q. 51. Io. Paul. dec. 65. Seraph. decis. 1107. nu. 4. & dictum fuit in Calaguritana, seu Hispalen, pensionis,* 28. Iunij 1605. coram bonę memoriæ Penia, & in Romana Census 23. Februarij 1609. coram Reuerendissimo Bononien. & in Romana exequutionis Laudi, 12. Decembr. 1613. coram Reuerendo Patre Domino meo Vbaldo, & in specie de exceptione, super qua lis pendebat, quæ ideo dicebatur requirere altiorem indaginem, fuit decisum in vna Romana de Anguillaria, 6. Martij 1592. coram Orano.

3 Tum quia fructus cum ex promissione, emptoris debeantur solum inspicitur, quod emptor sit in possessione, licet res non sit libera, vel non fuerit adimpletum. *Bald. in l. 2. nu. 7. Vbi etiam Castr. nu. 1. C. de vsur. Alex. conf. 147. num. 3. lib. 5. cum alijs per Gabr. de empt. & vendit. concl. 4. nu. 9. & latius per Surd. consil. 101. numer. & decis. 117. num. 7.* & fuit dictum in vna Beneuentana pecuniarię 15. Iunij 1607. coram Reuerendissimo Domino meo Damasceno, & in terminis accollatio-

nis census in vna Asculana pecuniariæ.11.Decembris 1606. coram R. P. D. meo Decano.

4 Minus quoque dicta solutio retardari poterat ob sequestra exequuta, & molestias illatas emptori super hac possessione ab alijs creditoribus, quia facilis, & expedita videbatur prouisio iuxta conuenta in instrumento, in quo emptor suscepit onus censuum Scutorum 4270. & omne commodum, & incommodum illorum promittens fructus ab illo die in posterum decurrendos soluere, &c. cum pacto expresso, quod in euentum, in quem insurgerent alij creditores anteriores, qui molestarent dictum emptorem, ipse posset anteriorib. satisfacere dictis censib. omissis, & pro illa rata remaneret liberatus à dicto onere. Si enim isti creditores sunt anteriores potest eis satisfieri, & hoc modo emptor erit liberatus aduersus posteriores, si vero sunt posteriores soluendo census accollatos poterit illos repellere ex iuribus sibi cessis, nec interim sub isto prætextu debet retinere rem, & pretium aduersus æquitatem. *l.curabit.C.de act.empt.l. Iulianus.§. ex vendito.ff. eod. cum simil.*

5 Quo vero ad fructus post sententiam super rescissione huius venditionis quicquid sit an hodie possit exequutiue agi contra emptorem ob assertam vulnerationem, cum dicta sententia esset suspensa per appellationem, non poterat ipse interim se eximere à dicto onere soluendi fructus, ne hoc modo per indirectum habeatur exequutio sententiæ, quæ reperitur suspensa per appellationem. Et licet esset via exequutiua, non tamen cessat æquitas scripta, de qua in *d.l.curabit.& in d.§. ex vendito.* Quinimo de rigore iuris, cum ipse rem possideat, & fructus percipiat, tenetur ad onera rei, ex qua fructus percipiuntur. *l. hactenus.& l.si pendentes.§.si quid cloacarij.ff.de vsufruct.l.neque stipendium.ff.de impens.in reb.dotal.fact.l. quæro. ff. de vsufruct.legat.Card.in Clem.1. notab.3. de cens. Valesch. de iure emphyt.q.17.nu.1.& seq. Molin.de Hisp. primog. lib.1. cap.27.nu.8.Pinel.in l.1.2.par.nu.72.C.de bon. matern. plene etiam Gaz.de expens. cap.11.nu.45. & seq.* & fuit dictum in Romana restitutionis fructuum.23. Iunij 1603.coram Reuerendissimo Attrebaten. Vbi consequenter fuit facta illatio ad solutionem censuum, & ita conclusum.

REVERENDISSIMO P. DOM.

MANZANEDO.

Hispalen. Legitimitatis. 11. *Maij* 1615.

ARGVMENTVM.

Peregrina est materia huius decisionis, sed mirabili ordine, & eruditione digesta, quando scilicet Papa matrimonium nulliter contractum inter consanguineos in radice dispensasse censeatur, etiam in tertij præiudicium.

SVMMARIVM.

Origo status controuersiæ, & historia decisionis recensetur. nu.1.& 2.

Dispensationis gratia iustificari debet in substantialibus, & in his in quibus dispensatio fundata est. nu.3.

Præsumendum est pro validitate actus, quem quis ex onere sibi iniuncto facere tenetur. nu. 3.

Matrimonium inter consanguineos à Papa dispensatum, quando dispensatum in eius radice censeatur. num. 4. & seqq.& per totam decisionem.

Matrimonium inter consanguineos, vt dispensatum dicatur in radice, debet concurrere petitio, voluntas, & desideriũ supplicantium, & non voluntas, & intentio Pontificis concedentis, & quando hæc duo requisita interuenisse dicantur. nu.4. & seqq. & per tot. decisionem.

Diuortium præsupponit matrimonium præcedens. nu. 5.

Vbi etiam quod proprie dicitur diuortium, vbi adest matrimonium.

Concessio gratiæ refertur ad petita, & Principis responsio intelligitur secundum supplicata. nu.6.

Matrimonium solo consensu contrahitur. nu.7.

Matrimonium inter consanguineos de iure ciuili permissum est, secus de iure Canonico. nu. 7.

Pontifex matrimonium inter consanguineos de iure positiuo nullum potest dispensando verum, & validum reddere, prout ex tunc ac si dispensatio illud præcessisset. nu.8. Vbi etiam quod prolem susceptam ante dispensationem potest legitimare, ac si ab initio legitime nata fuisset.

Papa ea, quæ sunt de iure positiuo, potest reuocare, & ex tunc. nu. 8.

Princeps potest facere, vt res factæ habeantur pro infectis, num. 8.

Remanere verbum significat continuationem actus præcedentis cum perseuerantia. nu.9.

Matrimonium inter consanguineos in radice dispensatum censetur ex solo verbo remanere, posito in dispensatione. num. 9.

Dictio, sic est repetitiua omnium qualitatum præcedentium. num. 9.

Illud relatiuum verbum est repetitiuum antecedentium in eadem oratione immediate. nu.10.

Verba sunt semper interpretanda, vt superfluitas euitetur. num. 11.

Matrimonium nulliter contractum inter consanguineos, vbi à Papa est dispensatum in radice, non requiritur nouus consensus, sed sufficit ille primus cum affectu maritali præstitus. nu.12. & 13.

Papa potest dispensare in radice matrimonij etiam post mortem alterius, ex coniugibus, si tamen dispensatio per parentes in vita petita fuerit. nu.13.

Matrimonium inter consanguineos nulliter contractum censetur à Papa dispensatum in radice, quando ipse Papa declarat legitimos filios natos ante dispensationem, & postea nasci turos. nu. 14. & 15.

Exinde dictio refertur ad factum proxime præcedens in oratione positum. nu.15.

Matrimonium inter consanguineos vbi est dispensatum in radice, operatur etiam in præiudicium tertij ad successionem vocati. num.16. & 17. & 18. Vbi præsertim quando dispensatio fuit à parentibus petita.

Directe quod non licet, quando per consequentiã liceat. n.17.

Papa potest dispensare in matrimonio nulliter contracto inter consanguineos etiam in præiudicium tertij. nu. 19.

Indefinita oratio non æquipollet vniuersali in testibus, & probationibus. nu.20.

Probatio per testes præualet probationi per scripturam. n.20

Veritas præponenda est communi reputationi. nu. 20.

Pater loquendo non potest filiis præiudicare. nu. 21.

Concilio derogatum an censeatur propter clausulas derogatorias, non obstantibus derogationibus, &c. appositis in gratia, & dispensatione. n. 24.

DECISIO DCLXXXVII.

1 CVm ista causa fuerit per duas instantias acriter in hoc Sacro Tribunali ventilata, & factæ plures decisiones, in quarum prima coram D. meo Vbaldo iudice primę instantię.11.Maii 1612.fuit dictum, literas dispensationis fel.record. Gregorii XIII. obtentas de anno 1573.præsumi iustificatas, quæ decisio fuit confirmata 5.Nouẽb. eiusdem anni, & illa supposita fuit 4.Febr.1613.præcipuus titulus istius causæ, nẽpe an dispensatio fuisset in radice matrimonii discussus, & nemine discrepante pro affirmatiua resolutus, & sic lata sent. pro validitate literarum d. dispensationis, & quod continebãt dispensationẽ in radice matrimonii de

de facto, & nulliter contracti illud approbando, prout ex tunc declarando D. Annam Ceron. legitimam, & naturalem filiam DD. Martini de Ceron, & D. Annæ Emanuel quo ad vtrumque forum, & quo ad capacitatem successionis, etiam in præiudicium tertij. A qua sentẽtia fuit appellatio interposita pro parte D. Don Francisci Duarte, & causa in secunda instantia commissa Reuerendissimo Archiepiscopo Damasceno, fuerunt coram ipso pro parte D. Annæ quædam acta de nouo producta, ex quibus iunctis alijs primæ instantiæ fuit petita confirmatio primę sententię, attamen quia concessæ fuerant D. Don Francisco literæ remissoriales ad proban. in partibus, illarumque dilatio pendebat interim non videbatur posse deueniri ad sententiam fuit habitus recursus ad Signaturam Sanctissimi, qui eidem Domino Archiepiscopo commisit, vt arbitrio Rotæ procederer ad secundæ sententię prolationem non obstante dilatione remissoriæ pendente, & stantibus nouiter deductis pro parte D. Annæ, & dato dubio, an dictum arbitrium intraret fuit resolutum affirmatiue 28. Aprilis 1614. ex rationibus in decisione tunc facta late adductis. Vnde secunda sententia in confirmationem primæ fuit lata à qua denuo pro parte D. Don Francisci fuit prouocatum, & causa in hac tertia instantia mihi cõmissa, & productis testibus hinc inde vigore remissoriæ in partibus examinatis, & hodie proposito dubio, An dictæ duæ primæ sententiæ venirent confirman. & vtraq; parte accerrime informante, & conclusiones in primis decisionibus firmatæ, quia valide pro parte Domini Don Francisci impugnabantur, fuerunt per DD. denuo omni maturitate, & diligentia discussæ, & omnibus in hinc inde deductis bene perpensis, & consideratis nemine contradicente fuit resolutum, sententias præfatas fore confirmandas ex iuribus, & rationibus optime in prædictis decisionibus deductis, & exequentibus.

2 Et primo quia licet in prima decisione fuerit dictum prædictas literas dispensationis præsumi iustificatas hodie tamen ex nouiter deductis pro parte D. Annæ visum fuit non solum præsumi, sed clare probari iustificationem dictarũ literarum apparet enim de productione dispensationis coram Ordinario Hispalen. ipsumq; in mandatis dedisse Rectori S. Magdalenæ, vt dd. literas videret, contentaque in illis adimpleret, & ad denunciationes iux-formam Concil. Trident. procederet, & non reperto alio Canonico impedimento vltra deducta in dd. literis Apostolicis d. Martinum Ceron, & D. Annam Emanuel in matrimonium in facie Ecclesię coniungeret, dum tamen d. Rectori constaret ipsos confessos fuisse sua peccata, & pœnitentiam sibi impositam adimpleuissent. Item & apparet postea Ordinarium eidem Parocho licentiã impartitum fuisse de isto matrimonio celebrando in Hospitale Sancti Gregorij eisdem Parochiæ Sanctæ Magdalenæ præceden. duabus tantum denunciationibus, vltima tamen post contractum matrimonium facienda, fuit etiam data fides Confessarij eorundem coniugum, qualiter ipsi sua peccata confessi fuerant & pœnitentiam impositam adimpleuerant 18. Iulij 1573. & sic ante contractum matrimonium, quod fuit 20. Iulij eiusdem anni. Et ne posset dubitari dictum Franciscum de Medina esse Parochum prædictæ Ecclesiæ fuit producta licentia Ordinarij eidem Francisco concessa exercendi curam animarum, ministrandique Sacramenta in dictæ Ecclesiæ S. Magdalenæ 21. Ianuarij dicti anni 1573. Ex quibus per legitima documenta apparuit de dicto matrimonio in facie Ecclesiæ contracto, & de exhibitione dd. literarum Apostolicarum coram ordinario, & circa illarum exequutionem de obseruatione dispositionis Sacri Concil. Trid. sess. 22. cap. 5. de reform. Vnde iam amplius non potest dici, literas prefatas præsumi tantum iustificatas, verum intrepide firmatur hodie clare, & plene illarum iustificationem probari.

3 Ex quibus resultat responsio ad motiuum hodie in contrarium excitatum contra dictam iustificationem nempe, quod narratiua, quod Martinus Ceron, & D. Anna Emanuel contraxissent ab initio matrimonium clandestine per verba de præsenti non appareat iustificata, cum tamen sit quid substantiale, & fundamentum dispensationis in radice, & in qua D. Anna Ceron fundat suam intentionem, vnde necessario erat ab ipsa iustificandum. *Put. decision. 266. libr. 3. Rot. diuers. 268. num. 4. par. 1.* Respondebatur enim quod cum Concil. Trid. *in d. c. 5.* circa iustificationem similium literarum dispensationis gratiose concessæ iniunxerit tantummodo Ordinario, quod summarie & extraiudicialiter se informet, & cõstet ex superius adductis exhibitas sibi fuisse istas literas Gregorij XIII. & ipsum illas Parocho exequẽdas dedisse, quin & Parochum in vim d. mandati Ordinarij, & dictarũ literarum ad matrimonij contractum in facie Ecclesię deuenisse necessario est dicendum de illarum iustificatione quo ad istud caput, & reliqua necessaria Ordinario constitisse saltem extraiudicialiter, prout Conc. Trid. exposcit, sicq; præsumendum esse, cũ sit actus spectans ad onus sibi iniunctũ. *Innoc. in c. innotuit, nu. 4. vers. de solennitatib. autem de eo qui furt. ordin. suscept. Ferret. cons. 362. nu. 5. lib. 2.* & tenuit Rota in supra relata prima decisione, 11. Maij 1612.

4 Quo vero ad conclusionem principalem firmatũ in d. decisione 4. Februarij 1613. nempe dispensationem istam fuisse in radice, quam informantes pro D. Don Francisco hodie enixe curarunt subuertere, & persuadere contrarium, nempe non fuisse in radice, quasi non fuisset concessa super primo matrimonio de facto contracto, sed super secundo in facie Ecclesiæ, & iuxt. Trid. contrahendo, ad quẽ effectũ cõtrahentes tanquã inter se consanguinei in gradibus prohibitis egebant dispensatione Apostolica. Nihilominus prædicta decisio, & cõclusio in illa firmata DD. placuit, illamq; ex plurib. comprobarunt. Primo, quia ex literarũ serie apparet, supplicantes potissime petijsse à Sanctiss. istã dispensationem in radice, & Pontificẽ eandem illis concessisse, ita quod habemus petitionem, voluntatem, & desiderium supplicantium & voluntatem, & intentionem Pontificis concedẽtis & vtramq; versari circa istã dispensationẽ in radice.

5 Quo ad voluntatẽ, petitionem, & desiderium supplicantium ex illorum narratiua clare desumitur, quatenus narrant, quod partes ipsorũ desiderantes quidã ipsi matrimonium contraherent, sperantes dispensationem super dd. impedimentis à Sede Apostolica obtinere, tractarunt de d. matrimonio inter supplicãtes contrahendo, quibus tractatibus pręcedentibus supplicãtes spõsalia inter se per verba de futuro, seu matrimonium per verba de pręsenti clandestine cõtraxerunt, & se carnaliter cognouerunt. Cũ autem in sic per ipsos contracto præsumpto matrimonio remare non possent, stantib. impedimentis prędictis, absq; Sedis Apostolicæ dispensatione, quæ verba satis notant matrimonium de facto contractum, & quod supplicantes in illo remanere volebãt, sed nõ posse absq; Apostolica dispensatione, & prosequuntur, & si diuortium fieret inter ipsos, grauia ex inde scandala inter suos parentes, & consanguineos, seu affines oriri possent, quæ verba bene cõprobant, quod supplicantes volebant, & petebant dispensationem ad permanendum in d. matrimonio nulliter contracto, cũ fugiant diuortiũ fieri inter ipsos propter scandala, quę exinde subsequerentur diuortium enim faciendum supponit matrimonium præcedens, ad *tex. in l. inter stuprum. 181. §. diuortium,* ibi diuortium inter virum, & vxorem

vxorem fieri dicitur. *& l. inter diuortium. 191. ff. de verb. sign. Alber. in suo dictio. in liter. D, vers. diuortium proprie dicitur*, vbi est matrimonium, &c. & DD. in rub. de diuortijs in decretalib. vnde qui diuortium vitare cupit clare desiderat in matrimonio præcedente perseuerare, idemque continet supplicatio subsequens ibi, propterea nobis humiliter supplicari fecistis, vt vobis in præmissis de opportunæ absolutionis beneficio, & dispensationis gratia prouidere dignaremur, ponderando verbum in præmissis, quod refertur ad prius narrata, & sic ad dispensationem super perseuerantia in matrimonio nulliter contracto, & quod diuortiũ non permitteretur fieri, ne scandala orirentur.

6 De voluntate autem, & intentione Summi Pontificis, & quod voluerit supplicationi prædictæ annuere & sic super dicto matrimonio nulliter contracto in illius radice dispensare, & illud approbare, & supplicantes de permanendo in illo facultatem concedere satis ex eisdem literis Apostolicis desumitur, cum post supradictam narratiuam, & supplicationem Pontifex dicat: Nos igitur huiusmodi supplicationibus inclinati, &c. quæ denotant intentionem Pontificis annuendi dictis supplicationibus, & ad illas se referentis. Concessio enim refertur ad petita. *cap. inter in fine. de fide instrumentorum. l. si defensor. §. 1. ff. de interrog. actio.* vbi quod Principis responsio intelligitur secundum supplicationem petentis. ad idem est *text. in §. præterea Institut. de inutil. stipulat. Alex. cons. 75. num. 12. lib. 5. Paris. consil. 3. num. 56. lib. 4. Menochius consil. 33. num. 14. Surdus consil. 49. num. 24. & consil. 357. num. 34.* & prosequitur Pontifex in hæc verba, vobiscum, quod impedimentis consanguinitatis non obstan. in vestro sic contracto matrimonio remanere, seu illud inter eos publice seruata forma Concil. Trident. de nouo contrahere, illudque in facie Ecclesiæ solennizare, & in eo postmodum similiter remanere libere, & licite valeatis authoritate Apostolica tenore præsentium dispensamus. Distantiam vero secundi respectu tertij, & quarti, & quinti graduum prædictorum vobis non obstare declaramus. Prolem susceptam (si qua sit) & suscipiendam exinde legitimam decernendo, non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus. Quibus verbis Pontifex duo potissima concessit alterum approbationem matrimonij de facto contracti, & dispensationem in illius radice. Alterum vero, prolem ex illo matrimonio susceptam, prout ex tunc legitimam decreuit.

7 Quo ad primum cum in sic contracto matrimonio supplicantes remanere concesserit, satis illud approbasse videtur. Cum alias nullatenus coniuges tali peccato cohabitationis implicatos permitteret, *ad text. in cap. quod nobis. qui filij sint legitimi.*

Nec fas est de Summo Pontifice dicere, quidquam tale promisisse sine prædicti matrimonij approbatione vlterius, quia nullitas dicti matrimonij de facto contracti procedebat ab impedimentis consanguinitatis inductis à iure positiuo, nempe *tex. in cap. non debet. de consanguinitat. & affinitat.* cuius prohibitione cessante, & dato affectu maritali expresso verbis inducentibus consensum ad matrimonium illud resultabat validum, cum solo consensu matrimonium contrahatur. *cap. cum locum. cap. cum apud. cap. tuæ. de sponsal. cap. sufficiat. 27. q. 2.* & cum de iure ciuili tale matrimonium inter consanguineos sit permissum. *l. 3. ff. de ritu nup. l. 2. C. de institut. & substitut. l. celebrandis. C. de nuptijs. §. duor. Institut. eodem tit.*

8 Vnde Pontifex, qui potest tollere impedimentum à iure positiuo procedens, potest etiam illo sublato dispensare in radice illius, & relinquere matrimonium in terminis priorum consensuum, & sic verum & validum, prout ex tunc, ac si dispensatio illud præcessisset, idem *Ancharanus consil. 409. num. 5. iuxta Ioan. Andr. in cap. per venerabilem. num. 30. Abbas num. 22. Card. num. 9. Ancharanus nu. 21. & seq. Alex. de Neuo. numer. 18. qui filij sint legitimi.* & ex eodem tempore potest prolem susceptam legitimare quasi ab initio legitime nata fuisset, & ad ius ciuile reducere primæuum ius naturæ quo omnes legitimi nascebantur, vt in *authent. quibus mod. natur. effic. legit. post princip. Couarruu. in 4. secunda par. cap. 8. §. 8. num. 13. Molin. de primogenit. Hispan. libr. 3. cap. 2. num. 12. Anton. de Rosell. de legitimat. lib. 2. in principio. num. 19. & 20. Mart. Laud. eodem tractat. num. 85. & 92. Guglielm. Benedict. in cap. Raynutius verb. & Vxorem nomine Adelasiam. in præludijs, num. 202 & seq. Nauar. consil. 1. & 2. num. 12. & per totum. lib. 4. titul. qui filij sint legitimi. Eugen. consil. 53. num. 52. & seq. Maiol. de irregular. libr. 1. cap. 4. num. 20. Cels. Vgo consil. 31. num. 7. & 10. Peregr. de fideicommiss. articul. 24. num. 80. Henriquez de matrimon. lib. 11. cap. 20. num. 2 Ludouicus Lopez 2. par. Instructor. cap. vltim. concl. 3.* & sic sublato per Pontificem dicto impedimento, intrat prædicti matrimonij approbatio, prout ex tunc, & ac si ab initio validum fuisset, intratque illius dispensatio in radice ex communi deducta ex Doctoribus superius citatis, qui pro hac parte ponderant glossam in verb. pro infectis, iuncto *text. in Clement. prima, de immunitat. Eccles.* quæ gloss. dicit in hæc verba per hoc puto, quod excommunicatus ex viribus illius Constitutionis absolutione non egeat, & prosequitur dicens & vide quanta est Papalis potestas circa ea, quæ simpliciter sunt de iure positiuo, quia reuocat illa, vt ex tunc, quam gloss. sequuntur ibi *Cardin. numero sexto, oppositione prima. Ancharan. numero quarto. Imol. numero sexto. Tiraquell. de iur. constitut. secunda part. limitatione septima. numero quadragesimo septimo.* ibi ex quo poteris notare posse Principem facere, vt res factæ habeantur pro infectis, etiam quo ad effectus præteritos, & est bonus *text. in leg. qui in prouincia. §. 1. ff. de ritu nuptiarum.* ibi confirmamus statum liberorum vestrorum in eo matrimonio quæsitorum, quod ante annos 40. contractum est perinde, ac si legitime concepti fuissent, & *tex. in cap. quia circa de consang. & affinit.* Quod autem dicta impedimenta iuris positiui Papa in suis literis remouere voluerit, bene denotant verba ibi, distantiam vero secundi respectu tertij, & quarti, & quinti graduum prædictorum, vobis non obstare declaramus.

9 Quæ confirmantur ex illis verbis in vestro sic contracto matrimonio remanere valeatis, ponderando verbum, remanere, significans continuationem actus præcedentis cum perseuerantia. *leg. sed si manente. ff. de precar. leg. in amissionem. ff. de capit. diminut.* quia & ex hoc solo verbo, remanere, tenent Doctor. induci dispensationem in radice, vt tradit *Anton. de Rosell. vbi supra. dicto libro secundo. numero decimo nono. Cels. Vgo Consil. 31. numero sexto. & septimo. Molin. loco supra citato. Boerius decisione 264. numero vigesimo sexto, & sequent. Rota diuers. 207. parte prima. Peregrin. dict. articul. vigesimo quarto. numero septuagesimo nono.* & pro hac sententia est *text. in capitul. quia circa. de consanguinit. & affinit.* ibi, vt remaneant in copula sic contracta. Ad idem ponderantur illa verba, in vestro, iuncta dictione, sic contracto, quæ dictio, sic, est repetitiua omnium qualitatum præcedentium. *capitul. veniens. in fin. de iureiurand. Menochius consilio 232. numero vigesimo primo.* quin, & ista dictio, sic, est idem, quod sicut. *Authentic. de nupt. §. si vero solum. iuncta gloss. in verb. sic,* Vnde idem est ac si dixisset in vestro matrimonio sicut est contractum remanere valeatis, & hac eadem dictione, sic, vsus fuit Pontifex ad concedendam dispositionem in radice in d. cap. quia circa. ibi, vt remaneant in copula sic contractu. Vnde apparet Pontificem concessisse facultatẽ remanendi in prius sic contracto matrimonio

nio de facto, & per consequens illud approbasse,& in illius radice dispensasse.

10 Quibus non obstat subsequentia verba continuatiue à Pontifice prolata ibi, seu illud inter vos publice seruata forma Concilij Tridentini de nouo contrahere illud in facie Ecclesiæ solennizare,&c.ex quibus ex aduerso prætenditur Pontificem dispensasse non in primo de facto contracto, sed in secundo postea in facie Ecclesiæ contrahendo, prout supplicantes post dispensationem illud de nouo contraxerunt, quod non fecissent,si dispensatio fuisset in radice matrimonij prius contracti de facto. Respondetur enim primo,quod Pontifex in prima parte istius concessionis non dixit in contrahendo, sed in contracto remanere valeatis,Tum etiam,quia ista concessio Pōtificis non est,quod possent nouum matrimonium in facie Ecclesiæ contrahere, sed potius, quod possent in primo remanere, aut illudmet de nouo publice, & in facie Ecclesiæ solennizare pro euitando scandalo, quod posset oriri inter ignorantes primum matrimonium de facto contractum fuisse, & videntes publice insimul supplicantes cohabitare, & hoc denotat relatiuum illud, inter vos publice, &c. iuncto alio relatiuo sequenti, ibi, & in eo postmodum ramanere, quæ relatiua illud,& in eo sunt repetitiua primi matrimonij in eadem oratione immediate ante à Pontifice relati *ad text. in l.pluribus.in princip.de verborum obligation.* & ibi Doctores. *Bartol. in l. si quis seruum.§.final.num.5. de leg.2. & bene Ruin. consil.101. num.9. versic.quia autem filij.lib.2.Cephal.consil.269.num.28. lib.2.Gabriel.consil.127. num.5.lib.2. Peregr.vbi supra art.16.num.25.*

11 Quæ confirmantur ex facultate supplicantibus concessa remanendi in isto de nouo in facie Ecclesiæ solennizando, nam cum in matrimonio contracto inter consanguineos mediante dispensatione Apostolica liberum sit perseuerare,& cohabitare quin, & ad hoc ratione matrimonij tales coniuges omni iure teneantur, superflua erat facultas remanendi in tali matrimonio, vt autem illa euitetur, iuxta *text. in l. si quando.de legat.1.cap.si Papa.de priuileg.in 6.Cephal.consil. 149. num.3. lib.2. Gabriel.consil.108.num.24. & 34. libro 2.* dicendum est, Pontificem in prædictis verbis intellexisse de primo matrimonio nulliter contracto, quod illud possent de nouo solennizare in facie Ecclesiæ, & in illo remanere. Primum namque, vt in narratiua dicitur, fuit clandestine contractum, vnde Pontifex voluit illudmet clandestine factum, & sine solennitatibus postea de nouo posse solennizare publice, & in facie Ecclesiæ, vt scandala euitarentur. Ad idem ponderatur, Pontificem non dixisse,seu nouum matrimonium contrahere, sed potius dixisse, illud de nouo contrahere, si nouitas non cadat super nouo matrimonio contrahendo, sed super de nouo illud prius factum contrahendo, & solennizando, & non quia stante approbatione Apostolica primi matrimonij de facto contracti, & illius dispensatione in radice esset opus de nouo illud publice, & in facie Ecclesiæ solennizare, sed ad hoc, vt scandala, vt supra dixi, euitarentur.

12 Quibus non obstant *Couar.super 4. 2. part. cap.8.§.8. num.13.* quem sequitur *Sanchez de matrimonio. lib.8. disputatione 7. num.25.* qui videtur tenere, quod tunc intelligatur remanere in matrimonio prius contracto de facto, quando nouus consensus, vel tacitus resultans ex cohabitatione, vel expressus resultans ex solennizatione in facie Ecclesiæ accesserit, & quod ab isto consensu de nouo præstito assumat vires istud matrimonium. Attamen si inspiciantur DD. adducti per *Couarr. pro hac opinione dict.num.12. nempe Bart.Bald. Alberic. & Guglielm.* omnes isti loquuntur, quando duo consanguinei in gradu prohibito sine dispensatione contraxerunt, & prolem susceperunt,& postea obtinuerunt dispensationem simpliciter ad contrahendum, quæ dispensatio cum non dicatur in radice, dicend. est prædictos DD. non loqui in casu nostro, *& Boer. & Anton. Rosell. etiam adducti à Couarru.* totum contrarium asserunt. Vnde contraria sententia videtur tenenda, quod imm[o] in præsenti casu ad validitatem primi matrimonij contracti de facto stante dispensatione in radice non requiratur nouus consensus, sed sufficiat ille primus cum effectu maritali præstitus, ex quo solo cessante prohibitione iuris positiui matrimonium verum,& validum inducitur, vt supra diximus per *text.in cap.cum locum,& in cap.cum apud, & cap. tuæ. de sponsal. not. Ancharan.consi.409.nu.5. & probatur in gl.in verb.de cetero. in d.c.non debet.communiter recepta, teste Abb. ibidem. num.fin.post Ioan.Andr. & Anchar.vbi supra, & Boer. d.264.nu.26.& Peregr.d.artic. 24.num.79.*

13 Quæ comprobantur,quia si in casu nostro opus esset nouo consensu ad validitatem primi matrimonij contracti de facto illud validaretur ex nouo consensu, non vero ex primo, & sic non daretur dispensatio in radice, nec quod Pontifex posset in illa dispensare, quod stantibus supradictis,& communi omnium sententia nefas est dicere, nullitas enim istius primi matrimonij procedens ex prohibitione canonica, non operatur mutationem animi voluntatis, & mutui cōsensus ab initio per contrahentes præstiti, sed influit in actum nempe matrimonium producendum à tali consensu illud impediendo, ne producatur, vnde dicta prohibitione semota de medio remanet ille primus consensus quo ad sui essentiam integer, & habilis ad talem productionem,taliter quod accedente dispensatione in radice resultat matrimonium in vim illius primi consensus validum ex tunc, non vero ex alio consensu de nouo præstando. Quæ confirmantur ex communi Scribentium sententia, & *Anchar. in dicto consil. 409. & Put. decis.483. num.3. lib.2. & Rota d. decis.207. part.1.* quod Papa potest dispensare in radice matrimonij, etiam post mortem alterius ex coniugibus, si tamen dispensatio per parentes in vita fuerit petita. Ergo bene infertur, quod ex solo primo consensu tale matrimonium remanet validum, cum post mortem alterius ex coniugibus non valeat nouus consensus adhiberi.

14 Eadem conclusio, quod ista dispensatio fuerit in radice,probatur ex eisdem literis Apostolicis,ibi Prolem susceptam si qua sit, & suscipiendam exinde legitimam decernendo, &c. vbi Pontifex declarat legitimos filios natos ante dispensationem,& postea nascituros, quod non sit nisi dispensando in radice, iuxta *tex.in dicto c.per venerabilem.& ibi Doctor.*quorum multi affirmant, quod ex sola ista clausula censeatur dispensatio in radice, *Vgo de Celso in dicto conf. 31. num. 6. Nauar.dicto consil.1.Cephal.consi.307. à num.52. vsque ad 63.& præcipue. num.55. Molin.qui de communi,dicto cap.2. numer.12.versic. atque quando Roman. Pontifex.Rosell.vbi supra,lib.2. in princip. num.19. versicul.alio,* & quamuis Couarr. & Sanchez aliquo modo se opponant supradictis, verum tamen est, illos etiam affirmare, quod si legitimatio filiorum fiat ratione matrimonij dispensati tunc iudicabitur dispensatio in radice, sic *Couar. vbi supra, dicto §. 8. num.13. ad fin.* ibi cum ratione matrimonij facta non fuerit,& *Sanchez dicta disput.7.n.21.* ibi, quia non facta est in ratione matrimonij præcedentis. *& in num. 29.* ibi, secus tamen esset, vbi nulla matrimonij irriti dispensati permitteretur, &c. itaque omnes concordant, quod si fit legitimatio prolis susceptæ, facta prius mentione matrimonij de facto in ordine ad dispensationem super illo, quod inducatur dispensatio in radice, & hic est noster casus.

15 Quod clarius desumitur ex eadem clausula, ibi exinde legitimam decernendo, ponderando dictionem, exinde, quæ refertur ad factum Pontificis proxime præcedens, *vt in c.1. ad finem. de testib.libro 6.& in l.Fiscus.*

scus.ff.de iur.fisc.Bartol.in l.non dubium num.23. C.de legib. & ibi Bald.num.2. nempe ad dispensationem præcedentem de remanendo in vestro sic contracto matrimonio, & sic exinde nempe ex dicta dispensatione proxime præcedenti decernit Pontifex prolem susceptã legitimam, & in idem incidit, si dictio, exinde, refeatur ad primum principium istius facti, nempe ad primum consensum clandestine præstitum per supplicantes, quasi voluerit Pontifex, quod exinde, id est à dicto tempore primi consensus proles suscepta legitima censeretur, prout in *tex.in §.ab hostibus. vers. si vero*, ibi decesserit, exinde ex quo captus fuit pater, filius sui iuris esse videtur. *inst. quibus mod. Ius patr. pot.sol. Brison.de verb. signific. lib.5.verb.exinde fol.202.*

16 Quæ dispensatio in radice est tantæ potentiæ, vt operetur etiam in præiudicium tertij alias vocati ad successionem, prout fuit firmatum in dicta decisione 4.Februarij 1613. ea ratione, quia istud præiudicium venit consequutiue, quod non attenditur sublato impedimento inter contrahentes per dispensationem. *Ruin.consil.189.nu.16. lib.2.Ancharan.dicto consi.409.nu.5. versic.canonica* igitur constitutio, cum alijs in dicta decisione congestis, vltra quos hanc sententiam tenent etiam *Boer.dicta decis.264. numer.33. & Molin. dicto lib.3. cap.2.num.10. & seq. & Peregr.dicto artic.24.num.fin.Ludouic.Lopez in 2.parte instructor.cap.fin. §.de dispensatione petenda.versic.præterea notandum est, quod legitimatio.*

17 Quæ confirmantur ex *Bart. in l.1.num.1. ff.de auctor. tutor.* dicenti, quod quando aliquid per se separatim ab alio est prohibitum, sed illud necessario sequitur ad positionem alterius permissi, quod non licet directo, licet per consequentiam, vt in eadem *l.1. & in l. si vnus. §. illud.ff.de pact. l.si is qui duos. in fin.ff. de liberat. legat.leg. non solum. de in integr. restit. & Bartol.sequuntur Paul.de Castr. in l.quoties. numero 9. & ibi Iason.post Cyn. & Salicet.num.10.C.de iudic.Vincent.Caroc.in cap.cum quid. p.1. limitat.6. num.3. & seq. de reg.iur.in 6.* & sic plenissima potestas Pontificis super matrimonio in radice dispensando extenditur etiam ad effectus exinde consequutiue resultantes, & etiam quo ad præiudicium tertij alias successuri, & nimirum cum ex dicta dispensatione in radice matrimonium de facto reponatur in tali statu validitatis in quo fuisset, si illud legitima dispensatio præcessisset, & ad eundem statum reducitur proles ex illo suscepta. Vnde prout si talis proles esset procreata ex vero & legitimo matrimonio præcedente legitima dispensatione, succederet patri, nec illius successio diceretur in præiudicium tertij cum ille tertius non esset vocatus ad successionem, nisi in casu deficientię prolis legitimæ, vnde illa existente verum esset dicere nulli præiudicium ex successione similis prolis inferri, ergo eodem modo est dicendum de filio nato ex matrimonio contracto de facto, superueniente super illo, dispensatione in radice, quæ matrimonium reddit validum ex tunc, & filios ex illo susceptos legitimos ex eodem tempore, & ab initio suæ conceptionis, vt superius late probauimus, quin & tali casu non potest dici præiudicium alicui tertio illatum, cum nunquam huic tertio ius succedendi competierit stante tali prole ab initio suæ conceptionis legitima per dispensationem in radice, & quamuis dum ista dispensatio non obtinebatur, haberet ille tertius aliquam spem succedendi, illa euanuit per dispensationem in radice subsequutam ex superius adductis.

18 Quod eo magis procedit in nostro casu, cum Patres Dominæ Annæ de Ceron, dum viuerent, dispensationem istam petierint, & obtinuerint, quo casu verum est talem dispensationem in radice prolisque susceptæ legitimationem valere in præiudicium tertij, teste *Put.dicta decisi.483.num.2.lib.2. Peregrin. dicto artic. 24.num.83. Sanchez dicta disput.7.num.6.versic. sed dic dupliciter ex doctrina Bart. in l. Gallus. §. & quod si tantum. num.14. in princ.& in vers.respondeo quandoque.ff.de lib.& posthum.*

19 Quibus non obstat, quod Princeps secularis habens plenam potestatem legitimandi in terris suæ ditioni subiectis non possit tamen illud facere in præiudicium tertii habentis ius ad succedendum in aliqua primogenitura, quantumcumque talis legitimatio operetur quo ad alios effectus. Respondetur enim militare diuersam rationem in Summo Pontifice, qui habet potestatem disponendi super matrimonio, & qui præcipue illud legitimat, & approbat, & super illo de facto contracto in radice dispensat, ex quo sequitur proles ex tali matrimonio suscepta legitima ab initio, & ex his in necessariam consequentiam venit effectus talis dispensationis, etiam in preiudicium tertii, quæ potestas dispensandi super matrimonio, cum deficiat in Principe sæculari, nimirum si illius legitimatio non operetur in præiudicium tertij. Et ex supradictis fuit responsum ad obiectum, quod D.Anna Ceron fuisset nata de anno 1568. & ante dispensationem, quæ fuit obtenta de anno 1573. nam cum dispensatio fuerit in radice, prout ex tunc, & legitimatio prolis susceptæ ex eodem tempore sequitur obiectum non obesse.

20 Minus obstare videbantur testes super communi reputatione illegitimitatis D.Annę deponentes, quia, cum non tenstentur de tempore, debent intelligi de tempore ante dispensationem in radice obtentam, maxime cum licet loquantur indefinite talis locutio in testibus, & probationibus non ęquipolleat vniuersali. Cum debeant per necesse concludere. *Felin.in cap. auditis.num.24. de præscript. Cæsar.de Graff. decisi.13.num. 13. de test.* Vltra quod veritas resultat ex ipsa dispensatione in radice effectum sortita, quæ probatio per scripturas præualet probationi per testes. *Bald. consil. 109.in princip. lib.4. Aymon.consil.54.num.15.Seraph.decis. 339.nu.7.* Et potest esse, quod isti testes ignorauerint dispensationem in radice, vnde nihil concludere videntur, & veritas debet anteponi reputationi, & illa cedere veritati *Mant. de coniect. vltim.volunt. lib.12. tit.vlt.num.4. per tex.in c.cum Bertoldus. §. licet. de re iudic.cap. consuetudo, & cap. veritate. 80. distinct.*

21 Minus faciunt testes de auditu à Martino Patre D. Annæ, quod ipsa tanquam illegitima non poterat in suo maioricatu succedere, quia respondetur eundem Martinum in suo vltimo testamento Dominam Annam suam filiam legitimam, & naturalem vocasse, & tanquam talem ad successionem sui maioricatus illam inuitasse, & videtur magis standum factis, quam verbis. Vltra quod nec pater poterat sic loquendo filiæ præiudicare. *Bald.in leg. filium. in prima lectura. numer.15. ff.de his qui sunt sui, vel alien.iur. Abbas in cap. transmissæ. num.4.& 10. in fin. qui fil.sint.legitim.*

22 Nec etiam facit, quod huiusmodi dispensatio fuisset eisdem Oratoribus denegata per Sanct. memoriæ Pium V. vt testes remissoriales declarant, vnde prætenditur, quod hoc fuisset narrandum Gregorio XIII in ista dispensatione obtenta. Negatur enim opus fuisse mentionem facere de tali denegatione, cum Pius V. moueri potuerit ad denegandum ex aliqua causa, quæ non placuit successori, quinimo illi placuerint aliæ rationes, puta ad euitanda scandala, & ne Domina Anna Emanuel perpetuo innupta, & diffamata remaneret, vt in gratia dicitur, vltra quod, & aliæ causæ animum Gregorii XIII. mouere potuerunt, quæ semper in supremo Principe præsumuntur.

23 Tandem ad obiectum, quod istud matrimonium de facto contractum cum copula fuerit post Concil. Trident. quod fuit publicatum de anno 1564. & Martinus Ceron vnus ex coniugibus fuit natus de anno 1551. vt ex fide baptismi producta apparet, & sic de tempore publicati Concilii Martinus esset in ætate inha-

inhabili ad copulam, vnde pro Domino Don Francisco dicebatur hanc qualitatem temporis celebrationis istius matrimonij clandestini non fuisse narratam Pontifici qui difficilior redderetur ad dispensandum. Tum quia matrimonia clandestina prohibentur in eodem *Concil. in cap. 1. sess. 24. de reformat.* Tum quia stante impedimento consanguinitatis in secundo gradu subsequuta copula idem *Concil. d. sess. 24. c. 5.* disponit non concedendas esse dispensationes, nisi inter magnos Principes, & ob publicam causam, & ex his istam dispensationem fuisse subreptitiam.

34 Fuit responsum non fuisse necessariam expressionem prædictæ qualitatis temporis, cum ex narratis de facili Pontifex illud scire potuisset, maxime quia stante clausula derogatoria non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, &c. videtur satis Concilio derogatum, propter decretum eiusdem *Concilij sess. 25. cap. 21.* quod in omnibus in Concilio contentis voluit saluam semper esse authoritatem Sedis Apostolicæ, *iux. not. in c. atsi Clerici. §. de adulterio, vbi Felin. num. 2. de iudic. Iacobac. de Concil. libro 5. art. 18. vers. istud tamen posset limitari. fol. 315.* & tenuti Rota in vna Sancti Angeli Pensionis. 16. Decembris 1594. coram bonæ memoriæ Cardinali Pampilio, tunc Rotæ Auditore, & in alia Segobien. Tertiæ partis fructuum. 25. Maij 1612. coram me quicquid secus dicendum esset, & conciliari dispositioni expresse derogandum regulariter esse non stante prædicta reseruatione ab beneplacitum Sedis Apostolicæ facta, iuxta Iacobac. vbi supra, & *Oldrad. consil. 326. num. 1. vers. præsumi non potest.* & tenuit Rota in vna Granaten. quartæ funeralis. 21. Maij 1610. coram R. P. D. meo Caualerio, tum etiam, quia nec dicta copula etiã subsequuta post Concilium difficiliorem reddidisset Pontificem ad dispensandum quin faciliorem, ne mulier nobilis perpetuo innupta, & diffamata ramaneret, vt in eadem gratia dicitur, & tunc redditur Pontifex difficilior, quando constat copulam interuenisse ad facilius impetrandam dispensationem, & sic procedit *text. Concil. in d. c. 5. sess. 24. de reformat. vt notat Nauar. cons. 8. num. 5. lib. 4. sub titu. de consanguinit. & affinit. tom. 2. nouæ impress. Guttierez canonic. quæst. lib. 2. c. 15. num. 135.* quod autem ad hunc effectum copula interuenerit in nostro casu nullibi constat.

R. P. D. ANDREA.

Romana Dotis. Lunæ 11. Maij 1615.

ARGVMENTVM.

De testibus plura notanda, de quibus in Summario.

SVMMARIVM.

Testis vnius defectus suppletur integritate alterius. num. 2.
Testis mediator non est omni exceptione maior, etiam ad probandam promissionem dotis. num. 2.
Soluens partem debiti censetur approbare totum debitum num. 3.
Dos intelligitur promissa ne dum verbis expressis, sed etiam ambiguis. num. 4.
Assecurare verbum idem est, quod promittere, & se obligare numero 4.
Testes contrarij in tempore reducendi sunt ad concordiam quantum fieri potest, etiam ad effectum probandi. nu. 5.
Testes non dicuntur contrarij, sed contestes, si vnus deponit præcise de vno loco, & tempore, alter vero dubitatiue. num. 6.
Testis in vno iudico examinatus ad vnum finem non probat in alio ad diuersum finem. num. 7.

DECISIO DCLXXXVIII.

1 DVbitaui, an Dominus Moranzanus teneretur ad soluendum Hippolyto Scuta 500. de proprio, & 20. Martij præteriti resolutio fuit dilata. Cum autem die 3. Aprilis inter Dominos non liqueret, hodie fuit capta resolutio, Dominum Moranzanum teneri Fundamentum fuit, quia per duos testes contestes, scilicet Horatium Maglionum I. V. D. & familiarem Sanctissimi ab Hippolyto, & Darium de la Penna, ab eodem Moranzano inductos, vna cum alijs adminiculis, satis sufficienter fuerat probat promissio dotis Scut. 1500. facta per Moranzanum, videlicet Scut. mille in tot locis montium, & aliorum Scut. 500. quæ Moranzanus promisit soluere de proprio.

2 Nec obstat, quod Horatius primus testis esset mediator, ac propterea non idoneus, nec omni exceptione maior, etiam ad probandum dictam promissionẽ dotis, vt contra *Ruin. cons. 34. num. 5. lib. 4. Menoch. cons. 92. num. 87. Beninten. decis. 61. num. 3. versicu. sed in promissione dotis*, tenet Dominus *Farinac. de test. quæst. 60. illatione 16. limitatione 17. num. 447.* & quod hæc negatiua opinio est verior, & magis communis tradit *Ioseph. Ludouic. decis. Perus. 95. num. 32.* Quia cum eius dicto concurrit depositio Darij de la Penna à Moranzano approbati, quo casu defectus vnius testis suppletur integritate alterius, vt declarat idem *Ioseph. Ludouic. vbi sup. num. 35. cum duobus seqq.* & pro regula firmat *Gabr. de test. conclus. 5. num. 1.*

3 Et tanto magis, quia dicti testes adminiculantur ex depositione Francisci Catalani, qui deponit de auditu, & confessione eiusdem Moranzani, & in exequutionem istius promissionis fuerunt ab eodem Moranzano soluta Scuta 92. & in tot iocalibus expensa alia Scuta 210. vt constat ex duabus apochis ab ipso scriptis, & subscriptis, & ex depositione eorumdem testium, ex quibus satis videtur comprobari veritas huius promissionis Scut. 500. cum non constet de alia causa. *Aym. cons. 158. num. 13. Ruin. cons. 61. num. 9. lib. 1. Osasch. decis. 58. nume. 18. Rot. decis. 751. num. 6. vers. prima fuit. par. 1.* & in terminis fuit dictum in vna Romana dotis, seu pecuniariæ. 17. Iunij 1602. coram Reuerendissimo Bononien.

4 Non obstat, quod Darius de la Penna declarauerit suam depositionem, quod illa verba, *e gl'altri 500. scudi assicuraua esso Signor Gio. Mattheo*, dixerat, quod assecurabat de suis propriis pecuniis, quia huiusmodi assecuratio idem importat, ac si Dominus Moranzanus soluere se obligasset, adeo quod statim conueniri poterat *Ruin. cons. 19. num. 3. vers. plus autem dico, & num. seq. lib. 4. Stracc. siue Petr. Santer. de assecurat. par. 3. num. 57. vers. in quæstione tamen.* Vltra quod dos nedum intelligitur promissa verbis expressis, sed etiam verbis ambiguis, & interpretatione indigentibus. *Card. Mantic. de tacit. & ambig. lib. 2. tit. 10. num. 23.*

5 Neque refert, quod depositiones Horatij, & Darij, sint contrariæ, dum Horatius dicit fuisse præsentem conclusioni tractatus matrimonij, & Darium pariter fuisse præsentem subdens, & la conclusione se ben mi ricordo fù a Monte Cauallo. Darius vero in sua depositione dicit fuisse apud Sanctum Petrum dando in contestem, & præsentem eundem Horatium, quæ depositiones tanquam contrariè operantur, vt neutri sit credendum ex allegatis. Quia si bene distinguantur tempora, nulla resultat contrarietas inter hos testes Nam Horatius dicit, conclusionem matrimonij fuisse factam a Monte Cauallo, & all' hora fù promessa vna dote al detto Hippolito in questo mod &c. Darius autem dicit, dopò piu volte hanno parlato insieme fin che detto matrimonio seguì, & de tempore cõclusionis nihil deponit de tractatu dotis, quinimo subdit, & se all' hora fusse trattato di dote non me ne ricordo,

cordo, ma dopo in San Pietro si trattò &c. & sic aliud est tempus conclusionis matrimonij, & aliud post conclusum matrimonium, quod sufficit ne depositiones inter se sint contrariæ, sed bene conueniant, & ad concordiam reducantur, prout fieri debet, etiam vt probent. *Felin. in cap. cum tu. num. 6. versic. quarta conclusio. de test. Ruin. cons. 5. num. 17. lib. 4. Cæs. de Graff. decis. 5. num. 23, de sponsal.* & dicta testium non sunt cauillanda, sed iuuanda. *Bal. in l. de quibus. num. 135. ff. de legib. Alexand. consi. 185. num. 5. lib. 7.*

6 Imo cum locus non esset de substantia tractatus super constitutione dotis, ex quo non resultabat diuersus effectus, si fuisset celebratus vno loco magis, quã in alio, testes satis dicuntur contestes super dicto tractatu, ex quo ambo in eo concordant, etiam si vnus deponat præcise, che fù in San Pietro, alter vero dubitatiue per verba, *se ben mi ricordo, che fù à Monte Cauallo*, iuxta tradita per *Alexand. consil. 156. num. 10. in fi. vers. non obstat etiam, & numer. sequen. lib. 5. Crauet. consil. 78. num. 9. vers. Amplius si vnus testis.*

7 Vltimo non obstat, quod Darius non fuit examinatus in hoc iudicio, sed in alio, & ad alium finem, scilicet pro recuperatione nonnullorum bonorum, quæ Moranzanus prætendebat esse sua, ac propterea non probet etiam inter easdem personas *iux. dec. Veral. 419. lib. 1. in manuscrip.* Vltra enim quod non poterat dici omnino diuersum iudicium, ex quo Hippolytus prætendebat illa habuisse ad computum horum Scutorum 500. cessat difficultas ex alijs duobus testibus, & adminiculis.

R. P. D. PAMPHILIO.

Romana Domus. Veneris 15. Maij 1615.

ARGVMENTVM.

Læsus vltra dimidiam, vel tertiam partem iusti pretij non dicitur, qui dominium vtile cessit proprietario, si excessus potest esse ex affectione conducentis, habita ratione ad tempora quibus res non est fructifera, & ad alia, de quibus in decisione.

SVMMARIVM.

Nemo plus iuris in alium transfert, quàm ipse habeat. num. 1.
Iuramentum de non contraueniendo actui antea facto impedit litis ingressum. nu. 1.
Cessio non dicitur læsiua ex eo, quod res lite pendente fuerit plurimi locata, cum hoc potuerit esse ex affectione conductoris. nu. 2.
Verba enunciatiua extra tertium non probant. nu. 3.
Læsio vt non inducatur ex cessione facta proprietario, quæ debeant considerari. nu. 3.

DECISIO DCLXXXIX.

1 Domini pro Capitulo, & Canonicis informantibus dixerunt, cessionem per Ioannem Dominicum vltimo loco factam Gineure suffragari non posse, quia idem Ioannes Dominicus antea vtile dominium cum directo reconsolidauit ad fauorem Canonicorum, quibus etiam cessit omnia, & singula iura super domo, de qua agitur, sibi competentia. Ideo cum nullum amplius ius in ea haberet, non potuit per posteriorem cessionem in Gineuram aliquid transferre *l. nemo plus iuris. ff. de reg. iur.* stante præsertim iuramento per eundem Ioannem Dominicum in priori cessione præstito, de illi non contraueniendo, iuxta not. per *Gabr. de iureiuran. conclus. 1. num. 1.* & tenuit Rota in causa Romana Emphyteusis 19. Februarij 1601. coram Cardinali Lancellotto, & 12. Februarij 1612. coram Caualerio.

2 Nec obstaret, quod prior cessio fuerit facta læsiua cum fuerit facta pro annua responsione Scutorum 30. & tamen pro pensione domus longe maior summa percipiatur, quia fuit responsum, quod locatio pro Scutis 120. est facta lite pendente, & de ea non constat in actis, nec apparet quod fuerit effectuata, & vlterius potuit fieri ex particulari affectione conductoris, quæ propterea ad istum effectum non est attendenda. *Alex. cons. 181. num. 1. vers. præterea non probat. lib. 2.* cum alijs allegatis in decisione in hac causa facta, sub die 16. Iunij præteriti.

3 Aliæ vero locationes, quæ prætenduntur factę pro Scutis 90. in tribus partitis non verificantur respectu partitæ Scutorum 40. nisi ex quadam enunciatiua, quæ contra terium non probat. *c. si Papa. de priuile. in 6. Alex. cons. 94. num. 5. lib. 7.* & in omnem euentum fuit consideratum, quod ex pensionibus huius domus vltra Scuta 30. quæ singulis annis Canonici soluere debent Ioanni Dominico cedenti, sunt etiam deducen. annua Scuta pro Canone eiusdem domus, debito ipsis Canonicis, nec non expensæ pro reparatione domus, & viarum prout etiam est deducendum tempus, quo domus remanere potest dislocata, quibus omnibus cumulatis, visa fuit cessare omnis læsio non solum vltra dimidiam iuxta dispositionem iuris communis, sed etiam vltra tertiam ex dispositione statuti Vrbis *lib. 1. cap. 354.* vt fuit deductum in alia decisione in hac causa facta, & comprobant Informantes pro Canonicis, quorum rationes Dominis placuerunt, & ita decisum.

R. P. D. REMBOLDO.

Anconitana Bonorum. Veneris 15. Maij 1615.

ARGVMENTVM.

Iudex vt priuet aliquem sua possessione ciuili, & naturali debet rite, & recte processisse, alias spoliat.

SVMMARIVM.

Instrumentum publicum dicitur probatio probata. num. 1.
Retinendæ possessionis remedium competit possidenti. numero 1.
Possidet iuste qui authore Prætore possidet. nu. 1.
Iudex suo decreto priuat possidentem tam naturali, quam ciuili possessione. num. 2.
Fallit quando non rite, & recte processit. num. 2.
Attentatum quando committatur per executionem mandati. num. 3.
Attentata resoluunt executionem, cum omnibus inde sequutis. num. 3.
Iniustitia mandati facit, executio dicatur attentata, & ideo reuocanda. num. 4.

DECISIO DCXC.

1 Qvoniam non controuertebatur possessio fratrum de Leonissa in vim mandati Rotalis rite, & recte relaxati, capta, & de ea plene constabat per publicum instrumentum, quod facit probationem probatam. *leg. cum precibus. Cod. de probat. Bald. in l. Imperator. num. 8. ff. de stat. hom.* Domini absque difficultate censuerunt ipsis dandum mandatum de manutenendo. Certum enim est remedium hoc possidenti competere. *§. retinendæ. Instit. de interd.* & iuste possidet, qui authore Prætore possidet. *l. iuste possidet. ff. de acq. posses.*

2 Neque obstare visum fuit posterior Lazari possessio præuia subhastatione, & deliberatione vigore mandati Auditoris Cameræ, vt prætenditur capta, quia

quia cum ex resolutionibus in hac eadem causa coram Reuerendissimo Bononien. & subsequenter coram Reuerendo Patre Domino meo Pirouano factis, appareat dictum mandatum fuisse non minus nulliter, quam iniuste, atque in spretum litis pendentiæ in Rota relaxatum, non potuit Leonios sua possessione priuare, nam quod iudex suo decreto possidentem, tam ciuili, quam naturali possessione priuet, ad trad. per *Ang. in l. clam possidere. §. qui ad nundinas. num. 2. Imol. num. 1. in fi. Ias. numer. 20. ff. de acq. poss.* tum demum locum habet, quando rite, & recte procedit, secus autem, si nulliter, & iniuste, ad *l. improba, & ibi not. C. de acquiren. possess. Roc. decis. 802. sub nu. 7. vers. quia pro responsione par. 1. diuers.* & fuit nuper dictum in vna Regien. Beneficij 15. Nouembris 1613. coram Reuer. Patre Domino meo Dunozetto.

3 Nec attentatum euitari posse videbatur ex eo, quod prius quam dictum mandatum executioni demandatum fuerit per sententiam Reueredi Patris Domini mei Pirouani, super spolio lis esset finita, tum quia adhuc remanebant reliquæ iudicij pro fructibus, & expensis *Sarnen. in reg. de annali q. 44. num. 7.* tum quia licet lata fuerit sententia in spolio, non tamen dici poterat finitum iudicium Canonum, multo ante relexationem mandati in Rota commissum, ad *Socin. consi. 18. num. 41. & seq. lib. 1.* & denique, quia cum dictum mandatum esset attentatum, executio, & omnia alia inde secuta pariter censeri debent attentata, & consequenter reuocanda. *cap. Ecclesia Sanctæ Mariæ, vt lit. pend. cum ibi not.*

4 Præterea remanet etiam iniustitia dicti mandati, & subsecutæ executionis clara, ex quo fuit relaxatum contra minores indefessos non bene liquidato credito, & pro maiori summa cum deberentur solum Salme 165. & tamen fuit relaxatum pro Salmis 175. Nec responsio pro Lazaro data, quod scilicet excessus errori Scribentis imputari debeat, visa fuit aliqua consideratione digna, cum talis error non sit verisimilis, ex quo executio etiam eiusdem mandati à Iacchello facta fuit pro Salmis 175. & in omnem euentum iniustitia ratione excessus euitari non posset, quia ante omnia deducendi erant fructus à Rectore percepti, vt prædicta omnia latius fuerunt in decisionibus in hac causa coram Reuerendo Patre Domino meo Pirouano factis comprobata, &c.

R. P. D. MANZANEDO.

Triuentin. Mocasterij. Veneris 17. Maij 1615.

ARGVMENTVM.

Breue iustificatur ex sola verificatione clausulæ, constito, & ex quibus dicta clausula dicatur verificata, & plura circa iustificationem narratorum in gratia deducuntur.

SVMMARIVM.

Breue vt iustificatum dicatur sufficit verificatio clausulæ constito. num. 1.

Clausula constito iustificata dicitur eo ipso, quod aduersarius venit ex eadem vacatione. nu. 1.

Possessio probatur ex fructuum perceptione. nu. 2.

Possessio ante obitum præsumitur vsque ad obitum continuata. num. 2.

Beneficium præsumitur potius sæculare, quam regulare. num. 3.

Verba testis enunciatiua non probant. nu. 4.

Testis vnicus non probat. nu. 4.

Vacatio consumitur per prouisionem de beneficio factam. numero 3.

Clausula vt asseritur operatur, vt narratiua non dicatur partis. num. 6.

DECISIO DCXCI.

1 FVit resolutum Breue esse iustificatum, gratiam vero non, & quo ad Breue mouebantur Domini, quia cum in eo adsit clausula constito, illam sufficit verificare absque alterius narratiuæ iustificatione. *Anchar. consil. 297. numer. 8. Rota diuers. decis. 45. num. 1. part. 2.* & fuit dictum in vna Papien. Præpositura 10. Decembris 1610. & 30. Maij 1611. coram Reuerendiss. Attrebaten. quæ clausula in casu nostro cum contineat Episcopum Cassanen. huiusmodi monasterium in commendam obtinuisse, & in illius possessionem obijt, & satis iustificata videbatur primo ex literis Gregorij XIII. qui d. monasterium dedit commendam dicto Episcopo, secundo quia Spinellus venit ex eadem vacatione mediante presentatione de eo facta à Principe S. Boni. propter mortem dicti Episcopi Cassanen. *Put. decis. 171. nu. 1. lib. 3. Ægid. decis. 268.* & fuit dictum in Eugubina Canonicatus 4. Februarii huius anni coram me, & alias sæpe, tertio ex confessione ipsius Spinelli, qui obtenta d. præsentatione constituit procuratorem ad capiendam possessionem dicti Monasterii asserendo illud vacasse per obitum dicti Episcopi Cassanen. quarto ex testibus deponentibus de pacifica Episcopi possessione vsque ad mortem.

2 Quibus accedebat dictum Episcopum percepisse fructus dicti Monasterij, vt constat ex testibus ex qua fructuum perceptione illius possessio probatur *Bart. & alij in l. penult. ff de condit. & demonstra. Bald. in l. 3. num. 3. C. fin. regund. Socin. cons. 131. num. 2. lib. 1. Dec. consil. 400. num. 3.* quæ præsumitur continuata vsque ad ipsius mortem. *Rot. decis. 4. de prob. in nou. Natt. consi. 400. num. 6. Menoch. lib. 6. præsump. 64. num. 17.* quæ præsumptio roboratur ex compositione quam post mortem Episcopi illius hæres fecit cum Camera ratione istius Monasterii.

3 Quo vero ad iustificationem gratiæ mouebantur Domini, quia Pompeius non probauit hoc beneficium esse regulare prout narrauit, & de iure potius præsumitur sæculare. *Rota decis. 2. num. 2. versi. facit secundum, de præbend. in nou. Prob. ad Monach. in c. super eo. num. 17. ad fin. de præbend. in 6. Rebuff. in prax. par. 1. §. quotuplex sit beneficium. num. 3.* præsertim, quia vacauit per obitum Episcopi qui erat sæcularis. *c. super eo. de regular. Clem. 1. de supple. neglig. prælat.*

4 Nec facit, quod vnus testis enunciet istud beneficium Monastericum, seu Abbatiam, quia verba testis enunciatiua non probant. *Bart. consi. 113. numer. 5. lib. 1. Ias. in l. ex his verbis num. 5. C. de testam. militar.* Vlterius fuit narratum, dictum Monasterium cura, & conuentu carere, & tamen vnus tantum testis deponit, de tempore sui recordatus, in monasterio S. Mariæ non adfuisse monachos, qui tanquam vnicus nihil probat. *cap. licet vniuersis. cap. veniens. de testibus. l. iurisiurandi. C. eodem. Gabr. de testibus. concl. 1. num. 1.*

5 Præterea non iustificatur narratiua, quod cessante commenda Ecclesia vacaret eo modo, quo prius, cum de contrario constat, ex quo Papa per mortem Episcopi illam contulit Spinello, & Ordinarius Gipsio, vnde vacatio videbatur consumpta, & non adesse de tempore impetrationis factæ per Pompeium. *Rota decis. vltim. num. 4. de rescript. & decis. 24. de præben. in antiq. Cass. ad. decis. 4. nu. 4. de causa poss. & propriet. Put. decis. 146. num. 2. lib. 2. Lap. alleg. 127. num. 6. vers. ad quintam, & ibi Adden. litera O. Franc. in c. statutum. num. 7. de præb. in 6. & Sarnen. in reg. d. ann. q. 5. num. 21. Simonet. de reseruat. q. 55. Æneas de Falcon. de reseruat. 5. q. princip.*

6 Quod autem dicebatur, fuisse narratum, quod beneficium Sanctæ Mariæ sit de Iure patron. quod tamen

men non adesset in hac Ecclesia, fuit coram me resolutum in hac causa 17. Decembris 1612. quod non videbatur attendendum, cum fuerit narratum esse de Iure patronatus laicorum, prout asseritur, quæ clausula vt asseritur operatur, quod narratiua non dicatur partis, nec impetrans quicquam videatur affirmare, nec teneatur ad illius iustificationem. *Rot. dec. 60. de rescript. in antiq. Bisignet. decis. 6. de præben. Cassador. decis. 7. num. 8. vers. 2. vero casu. de Iure patronatus. decis. 447. num. 1. p. 1. inter impressas.*

REVERENDISSIMO P. DOMINO PIROVANO.

Bononien. Parochialis. Lunæ 18. Maij 1615.

ARGVMENTVM.

Mandatum generale ad lites, & causas cum amplissimis clausulis extenditur ad lites, & causas futuras, & connexas, & de mandato facto ab vniuersitate, quod sustineatur si præcedente sono Campanæ in congregatione interuenerint duæ tertiæ partes vniuersitatis, & quod interuenerint, statur assertioni Notarij, donec fuerit contrarium probatum.

SVMMARIVM.

Procurator substitutus dicitur habere mandatum à principali, qui Procuratorem constituit. num. 2.

Procurator ad causam vnam potest comparere in omni causa connexa, & consequutiua ad causam, in qua fuit constitutus procurator. num. 2.

Procurator constitutus cum amplissimis clausulis trahitur etiam ad lites futuras. num. 3.

Lis non dicitur finita, non consummata exequutione, iuxta formam sententiæ. num. 3.

Transactio facta à procuratore non habente speciale mandatum, non valet. num. 4.

Mandatum generale ad præsentandum non extenditur ad præsentationem personæ odiosæ ipsi constituenti. num. 5.

Mandatum procuræ ab vniuersitate factum sustinetur, quando interuenerunt sono campanæ præcedente duæ ex tribus partibus vniuersitatis. num. 6.

Fides non facit aliquem gradum probationis. num. 7.

DECISIO DCXCII.

1 MAlisardus, contra quem ad instantiam Procuratoris hominum Terræ Molinellæ, & vigore sententiæ Rotalis fuerat relaxatum mandatum de expellen. obtinuit de nouo præsentari ad Cappellam, de qua agitur, per Paridem Farinam procuratorem ab eadem vniuersitate constitutum, sub die 14. Maij 1612. cum facultate præsentandi, aut præsentari faciendi vnum Cappellanum, & exinde fuit ab Ordinario Bononien. institutus, & cum à Procuratore vniuersitatis in processu executionis sententiæ Rotalis de inualiditate præsentationis opponeretur, fuit contra eum exceptum de insufficienti mandato ad prosequendum hoc nouum iudicium contra Malisardum. Vnde dubium proposui. An mandata asserti Procuratoris hominum Molinellæ suffragentur ad infirmandam præsentationem Malisardi, quod fuit per Dominos affirmatiue resolutum.

2 Constat enim mandatum datum ab vniuersitate sub die 26. Aprilis in Paridem, & petrum, ac Camillum, & Peregrinum fuisse amplissimum, & cum facultate substituendi procuratores in Vrbe, & ideo cum Dominus Riuanus fuerit substitutus a Paride vno ex prænominatis, & cum iisdem facultatibus, ab ipsamet vniuersitate dicitur procurator constitutus *gl. in c. 1. verb. substituendi. de procur. in 6. Rota in nouis. eod. tit. decis. 8. & 38. in fin.* & consequenter sufficiens est ad prosequendam hanc causam in isto iudicio connexo, & consequutiuo contra Malisardum tanquam connexo, & consequutiuo primi iudicij. *Bar. in l. damni. §. si is, qui. nu. 2. ff. de damno infect. Ballam. in c. non iuste post med. de procur.*

3 Neque obstat, quod primum iudicium per relaxationem mandati fuerit extinctum, & finitum, ita vt ad hoc iudicium cum Malisardo super infirmanda præsentatione ex nouo rescripto introductum ratione connexitatis non sit inferen. Quia mandatum, & substitutio ne dum comprehendunt lites futuras, & mouendas propter amplissimas clausulas, vt per *Specul. de procur. §. ratione autem formæ. num. 9. Rota in nouis. decis. 5. & 32. eod. tit. de procur.* sed etiam durat, quia exceptio inualiditatis præsentationis Malisardi pertinet ad perfectionem executionis sententiæ Rotalis, qua adhuc non consummata, prima lis non dicitur finita. *Sarnen. de Annali. q. 44. Mohed. decis. 3. in fin. vt lit. pend. Achill. decis. 1. eod. tit. Caput. decis. 172. num. 5. & 6. par. 2.*

4 Nec dicatur super præsentatione Malisardi nō posse dubitari cum fuerit legitime facta nempe a Paride Farina Procuratore specialiter constituto ad præsentandum, & post primam emanatam sententiam, die 14 Maij eiusdem anni. Quia & si videretur huiusmodi indagatio extra dubium, fuit nihilominus dupliciter responsum. Primo, quod mandatum Paridis legitur ad præsentandum, vel præsentari faciendum vnū Cappellanum perpetuum. Præsentatio autem, de qua agitur, sonat in transactionem, pro qua requiritur speciale mandatum. *l. transactionis. C. de transact. l. mandato generali. ff. de procur. Berous cons. 76. nume. 17. libro 1. Roland. cons. 26. nume. 11. lib. 2.* & tamen de eo non constat.

5 Secundo si adhuc versaremur in puris terminis præsentationis mandatum non esset sufficiens, quia persona Malisardi non poterat præsentari, tanquam odiosa vniuersitati propter impetrationem Iuri patronatus vniuersitatis contrariam, & propter impensas occasione huius litis pessas. Vnde similes personæ numquam comprehenduntur in generali mandato, prout nec in generali dispositione *l. Lucius. 90. §. Lucius Titius Damam. ff. de leg. 2. Surd. post alios decis. 41. per totam.* Nec euitabitur præ suptio odij ex eo quodam præsentetio fuerit vtilis vniuersitati, cum ex ea cessabat lis, & constituebatur in possessionem præsentandi vigore ipsius præsentationis factæ a Paride de æquiuoca possessione propter præcedentem possessionem, quæ non releuuaret vniuersitatem, vt sæpius fuit resolutum.

6 Concurrit & secundo loco aliud speciale mandatum in personam eiusdem Domini Riuani posterius mandato Paridis ad præsentandum, in quo in indiuiduo exprimitur ad obtinendam reuocationem omnium conuentionum, & pactorum initorum inter Paridem, & Malisardum, & cum in eo interuenerint 53. homines eiusdem Terræ constitues duas partes ex tribus, ac sono campanæ præcedente congregati fuerint, vt legitur in instrumento mandati, de validitate eius non videtur dubitandum, saltem donec contrarium non probetur. *Capic. decis. 4. num. 1. Seraph. decis. 1247. num. 1. par. 2.*

7 Nec visum est Dominis obstare, quæ per Malisardum opposita fuerunt contra mandatum supradictū, quod isti homines non faciant vniuersitatem, quod isti 53. non constituant duas partes ex tribus partibus, quod non interuenerit mandatum superioris in concordando consilio. Quia omnia mandata emanata ab eadem vniuersitate apparent data sub eadem forma, & dum non probatur falsitas naratorum in hoc mandato posteriori, interim standum est assertio-

tioni Notarij, & hominum, qui interuenerunt in eo, nec contraria probatio ex fide particularium data, aliquid releuare visa fuit, cum fuerit simplex fides, quæ non solet facere gradum probationis. authen. si quis in aliquo. *C. de edendo Alex. cons. 33. nu. 3. li. 6. Cephal. consil. 384. nu. 21. Et ita fuit decisum.*

R. P. D. PIROVANO.

Bononien. Fideicummissi de Cataneis. Veneris 12. Iuny 1615.

ARGVMENTVM.

Proximiores, qui dicantur, quomodo hoc probetur, & vocati in fideicommisso numquid intelligantur de Proximioribus Testatoris, vel ipsius grauati filiorum appellatione in fideicommissis, quando veniant nepotes testamentique, Antiqui recognitio quomodo fieri debeat.

SVMMARIVM.

Proximior quis præsumitur eo ipso, quod quis se coniunctum probat. nu. 1.

Proximiores dicuntur quando nemo superest, qui eos præcedat. num. 2.

Proximus, & proximior verba idem sonant. numero 2. in fine.

Proximiores quando sunt vocati in fideicommisso numquid intelligatur de Proximioribus Testatori, an vero de Proximioribus grauati. Distingue, vt nu. 3. & 4.

Filiorum appellatione non veniunt nepotes, quando agitur de extendendo fideicommisso inter transuersales. num. 4.

Filiorum appellatione veniunt nepotes in fideicommisso, quando sic colligitur ex coniecturis fuisse mentem testatoris. nu. 4. vbi etiam ponitur vnica coniectura excludens hanc testatoris mentem.

Filiorum appellatione in fideicommisso numquid veniant nepotes, quando testator prohibita bonorum alienatione voluit bona sua perpetuo manere in familia. nu. 5.

Ius ciuile, & non canonicum attenditur in computatione graduum, quando agitur de successione hæreditatis. num. 6.

Filijs a iure prima succedendi causa tributa est. numero 6.

Recognitio instrumenti, seu testamenti, cuius vigore agitur, & in actis productis omnino necessaria est, vt eadem scriptura probet, vbi tamen scriptura est antiqua, sufficiunt adminicula ad illius recognitionem numero. 7. & 8. vbi ponuntur aliqua huius recognitionis adminicula.

DECISIO DCXCIII.

1 IN disputatione diei 9. Februarij preteriti supererat videndum de vocationi Isotę, & filiorum Ludouicę, ac de recognitione scripturæ testamenti, hodie vero vtroque discusso, DD. responderunt testamentum suffragari etiam absque alia recognitione. Nam de vocatione visum est aperte constare ex verbis testamenti ipsius Andreæ, dum institutis hæredibus Cæsare, & aliis filijs suis masculis nascituris, & constituta inter eos, & descendentes eorum masculos reciproca, & perpetua substitutione, voluit, si contigeret lineam masculinam descendentium testatoris deficere, quod tunc succederent Camillus, & Nicolaus filii Sixti eiusdem testatoris fratris, & eorum descendentes masculi, in infinitum, & linea masculina Sixti deficiente, succederent Franciscus alumnus testatoris, & Alexander filius naturalis Sixti, & filii Antonii tunc demortui, & testatoris fratris, & Marcus Antonius viuens similiter testatoris frater ęquis portionibus, additis verbis formalibus, intelligendo si erunt superstites, quo in casu adimplementi huiusmodi substitutionis, si iam præmortui essent, vel aliquis eorum prę- mortuus esset, voluit tunc iure substitutionis bona ipsius testatoris, vel partes, & ratas iam præmortui, vel præmortuorum peruenire ad proximiores, & ad eos, qui alias ab intestato succederent.

2 Ideo cum iam fuerit firmata descendentia Isotæ, & filiorum Ludouicæ a Curtio filio Cæsaris ab Andrea testatore primo loco instituti, & obitus prędictorum, qui præcedebant eas in vocatione, ex duobus remanet probata qualitas proximitatis requisita a testatore de tēpore euenientis conditionis. Primo, quia probando se certo gradu coniunctas, tunc præsumūtur proximiores, & qui vult dicere contrarium, tenetur probare, Cum. & *Alex. in l. is potest ff. de aequir. hæredit. Dec. consil. 321. col. fin. Alciat. de præsumpt. reg. 1. præsup. 28. num. 9. Tiraq. de retract. consang. §. 11. glos. 1. num. 9. Surd. cons. 241. num. 26. & decis. 106. num. 8.* Secundo, quia per mortem aliorum vocatorum nemo superest, qui præcedet eas, & inde dicuntur proximiores *l. 2. §. hæreditas eis legitima ff. de suis & legitimis l. 1. §. proximus. C. vnde cogn. l. proximus. l. proximi ff. de verb. signific. Bal. cons. 146. in fin. lib. 2.* dicens idem significare proximus, quod proximiore, cum neutrum admittat medium interpositum, sequitur *Tiraquell. de retract. consang. §. 11. gloss. 1. num. 1. & Surd. decis. 189. num. 7. & decis. 203. num. 11.*

3 Neque persona Iacobi adhuc superstes videbatur afferre difficultatem, quamuis, sit pronepos Antonii, & prætendat se proximiorem inspecta persona Camilli grauati, qui nouissimus decessit, ac se vocatum, & comprehensum sub generalitate Antonij, quorum appellatione veniunt nepotes, vel saltem in paritate gradus cum Isota. Quia proximitas grauati in præsenti non videtur considerabilis, cum Iacobus non veniat continuando successionem ex persona suorum ascendentium, vt inde concurrere possit ratio prædilectionis deducta ex *l. cum auus. de condit. & demonstrat.* sed fit transitus inter transuersales de vna linea vocatorum ad aliam lineam propter mortem grauati, quo casu non considerantur personæ grauato attinentes propter nouum statum personarum, sed sola persona testatoris grauantis, & quos ipse prędilexerit in admissione noui status. *Cephal.* ita distinguens, conciliando opiniones descendentium in hoc articulo, *consil. 493. in fin. lib. 4. Petr. de fideicomm. quæst. 11. num. 5. Peregr. de fideicom. art. 20. num. 9. Card. Mantic. de coniect. lib. 8. titu. 12. num. 31. Vas. de success. §. 26. lim. 31. verb. iuxta superiora. num. 15.* quamuis etiam non defuerint, qui absolute, & simpliciter magis communem dixerint proximitatem grauantis esse attendendam reprobatis aliorum rationibus, & auctoritatibus, vt videre licet ex *Menoch. consil. 124. nume. 51. & sequen.* & fusius in *consil. 904. num. 32. lib. 10.* quæ opinio magis etiam procederet in casu, de quo agitur stantibus indicijs, & præsumptionibus voluntatis testatoris, vt sibi, non autem grauato succederetur, quibus regulariter standum est ad exclusionem proximiorum grauati, vt firmatum fuit in Bononien. de Muletis 26. Iunij 1602. coram bonæ memoriæ Cardinali Pamphilio, & in alijs sæpe, vocauit enim proximiores, & in casum in quem substituti superstites non essent, & ad suam ipsius hæreditatem, quę relatio ad propriam hæreditatem sufficit ad distinguendum proximitatem grauantis, *Dec. consi. 21. n. 2. vol. 3. Ias. consil. 159. num. 1. lib. 4.*

4 Vocauit etiam filios Antonii, à quibus descendit Iacobus in quarta parte solum, ideo cum agatur de succedendo in tota hęreditate, non videntur filij prędicti, nec ab eis descendentes contemplati tanquam proximiores, quia si superextarent, nō deficeret conditio, sub qua vocati sunt proximiores, nempe in casum, in quem substituti superstites non essent. De vocatione autem comprehensa sub generalitate verbi filiorum Antonii, vt per eam nepotes, qualis est Iacobus

bus comprehendantur, dictum fuit regulam firmari in contrarium in *l. quod si nepotes. ff. de testam. tutel. §. fin. Institu. qui testam. tutor. dar. poss.* & vbi agitur de inducendo, vel extendendo fideicommisso inter transuersales, prout in præsenti, communis, & receptior est opinio negatiua, quam Domini agnouerunt in causis Ariminen. primo coram Reueren. P. Domino Verospio, 31. Ianuarij 1614. & postea coram Reueren. P. Domino Dunozett. 30. Maij 1615. in quibus plene referuntur DD. auctoritates, & argumenta, quorum repetitio non est necessaria, & quamuis ex coniecturis aliquando à supradicta regula recedendum sit, vt admittunt relati in dictis decisionibus, & bene distinguit *Cephal. consil. 107. num. 17. lib. 1.* Tamen in casu præsenti magis præponderant contrariæ, dum testator restrinxit vocationem ad filios Antonij superstites, & in casum non super existentiæ alios proximiores vocauit, ex quibus verbis satis constare videtur testatorem contemplasse tantum filios viuentes, non autem eorum descendentes, *Gabr. concl. 1. num. 97. de verb. sign. Card. Mantic. de coniectu. vltim. voluntat. lib. 8. tit. 8. num. 8.*

5 Non obstat coniectura conseruandæ agnationis ex mente testatoris deducta, dum hæredibus suis prohibuit alienationem bonorum suæ hæreditatis, addito vt bona hereditaria ipsius testatoris perpetuo sint inalienabilia, quia voluit ipse testator bona sua perpetuo remanere in familia sua, & dictorum suorum descendentium, & ad eos, & alios supra nominatos peruenire ordine successiuo, vt supra dictum est, quam coniecturam valde potentem pro comprehensione nepotum existimarunt *Decian. consilio 31. num. 128. lib. 1. Hondcd. consil. 61. num. 28. lib. 1.* Testator enim in ratione suæ dispositionis sufficienter se declarauit, dum voluit bona remanere in familia sua, & suorum descendentium, cuius effectus non capit alios, quam descendentes, in quorum numero non sunt filij Antonij, descendentia autem finita non repetijt familiam, sed simpliciter voluit peruenire ad alios supra nominatos, inter quos erat alumnus testatoris, cui non conueniebat nomen familiæ testatoris, & per consequens testator omisit familiam suam in personis aliorum contemplare, ne difformis determinatio in pari vocatione quo ad alios sequeretur *leg. iam hoc iure. ff. de vulg. Menoch. consil. 26. num. 13. & consil. 106. num. 337. consi. 129. num. 32.*

6 Demum contentio paritatis gradus cessare videtur, quia Iacobus tanquam pronepos Antonij fratris Andreæ dicitur in quinto gradu respectiue ad ipsum Andream secundum iuris ciuilis supputationem *§. 5. gradu. Instit. de gradibus cognat.* quod ius ciuile in successionibus, & non ius canonicum attenditur. *cap. ad Sedem. 35. quæst. 5. glos. in §. hactenus, in verb. generata. Instit. de gradib. cognat. Bartol. in l. fi. C. de successor. edict. Dec. consil. 334. num. 1.* Isota autem tanquam pronepos Andreæ sui ascendentis dicitur in tertio gradu. §. 3. gradu, Institu. de gradibus cognat. & filij Ludouicæ consequenter in quarto gradu, & sic Iacobus à persona, de cuius successione agitur, videtur longius per duos gradus distare, qui tamen etiam in paritate videbatur non posse concurrere cum Isota, nam testator voluit quidem bona peruenire ad proximiores, sed non simpliciter dum addidit, & ad eos qui alias ab intestato succederent, quæ qualitas non conuenit Iacobo transuersali, donec extant Isota, & filii Ludoicæ de descendentibus Andreæ, quorum prima causa succedendi à lege tributa est *§. primo. Institu. de hæredit quæ ab intestat. defer. §. primo, versi. si quis. authen. eod. tit. & in authen. in succes. Cod. de suis, & legitimis.*

7 Quo ad recognitionem, quæ respicit secundam partem dubii visum est Dominus eam non esse necessariam cum responderint testamentum suffragari etiam absque alia recognitione. Nam & si regulariter recognitio Scripturæ productæ sit necessaria, vt certi simus cuius manu fuerit munita, & à quo prouenerit, ne legalitas personæ publicæ ab alijs simili auctoritate carentibus abutatur. *Oldrad. consil. 227. num. 6.* & resolutum fuit in causa Iacen. Portionis 12. Ianuarii 1604. coram Illustrissimo Mellino, in Carthaginen. translationis pensionis 19. Iunii 1606. coram Reuerendo Patre Domino Manzanedo, & in Perusina bonorum 22. Iunii 1605. coram Archiepiscopo Lugdunen. & in aliis sæpe, tamen vbi agitur de scriptura, prout est de qua agitur antiqua annorum 80. non requiritur formalis recognitio, sed pro ea sufficiunt adminicula propter antiquitatem temporis, de quo testes non reperiuntur, *Caputaqu. decis. 5. part. 3. Seraph. decis. 1481. nu. 2.*

8 Adminicula autem plura adducebantur, & præcipue instrumentum anni 1550. in quo Cæsar filius testatoris soluit Hippolyto de Gambalonghis partem dotis, quam dixit soluere in computum dotis relictæ per Andream patrem in testamento rogato per Dominicum Fortinum de anno 1527. prout concordat istud, de quo agitur, aliud instrumentum datur continens solutionem legati relicti in hoc ipso testamento Monialibus Sanctæ Marthæ, & Bernardini, & aliud de venditione quorundam bonorum vsque de anno 1568. in quo timore fideicommissi emptor voluit consensum tam filiorum testatoris, quam Sixti substitutorum, & in eo fuit registratus tenor huius testamenti, quæ identitas scripturæ, & obseruantia sufficiunt fidem dare Scripturæ fidem etiam non merenti. *Crau. consilio 101. num. 4. & 227. numero 7. Ioseph. Ludou. conclu. 38. vers. infertur quarto. Becc. consi. 104. num. 26. lib. 1.*

9 Quæ autem opposita fuerunt de approbatione venditionum bonorum factarum per Curtium patrem Isotæ, & Ludouicæ, & per Cæsarem earum auum, ex eo, quod hæreditatem dicti earum patris adiuerunt, existimarunt Domini non pertinere ad præsentem disputationem.

DECISIO DCXCIV.

Auriacen. Iuris nominandi. Lunæ 18. Maij 1615.

Impressa Apud Buratto.

DECISIO III.

R. P. D. PAMPHILIO.

Romana Pecuniariæ. Lunæ. 18. Maij 1615.

ARGVMENTVM.

Debitor ex pluribus causis, quarum altera sit leuior, altera grauior, si soluat aliquam quantitatem simpliciter, intelligitur soluisse in causam grauiorem.

SVMMARIVM.

Solutio in dubio censetur facta in causam duriorem. num. 1.
Causa durior dicitur, quæ potest celerius executione demandari, & habet faciliorem exactionem. nu. 1.
Obligatio Cameralis habet executionem paratam. nu. 2.
Fideiussio accedens obligationi facit debitum grauius. nu. 2.
Mandatum vero relaxatum reddit causam grauiorem, ex quo tunc non est deueniendum, nisi ad executionem. nu. 2.

Debi-

Debitum magis graue est illud, pro quo est relaxatum mandatum, quam pro quo est datus fideiussor. nu 2.
Exactio pecuniarum facta ab ijs, contra quos prius fuit relaxatum mandatum executiuum, debet censeri facta in causam necessariam præcedentem mandati relaxati, & executionis imminentis. nu.3.
Debitoris intentio in materia extinctionis debitorum debet attendi. nu.4.
Causa durior dicitur illa, quæ habet promptiorem, & magis rigidam executionem. nu.4.
Debitor potest declarare in quam causam velit pecunias exactas cedere, si simpliciter in libro creditoris sunt positæ ad debitoris creditum. nu.5.
Fallit quando esset debitor ex pluribus causis, quarum vna sit grauior, altera leuior, quia tunc non posset declarare, sed intelligeretur facta solutio ex causa grauiori. nu.5.
Debitor non contradicens creditori respondenti positionibus, & dicenti se in talem causam recepisse pecunias, intelligitur consensisse. nu.6.

DECISIO DCXCV.

1 Fvit resolutum, pecunias D. Guicciardini exactas per DD. de Sacchettis, & Altouitis credere in extinctionem partitæ Scutor. 2500. auri in auro, & illius cambiorum, pro qua solutio in dubio censetur facta in causam grauiorem, & duriorem. *l.3. & sequ. & l. in his ff. de solut. Ang. in l.1. nu.4. C. eo. tit. Paris. cons.122. num.9. lib.4. Menoc. de arbitr. iud lib.2. cas.493. num.4. Surd. decis.186. n.4.* In casu autem, de quo agitur, licet ijdem Sacchetti, & Altouiti essent creditores Guicciardini in duabus alijs partitis, altera scilicet Scut. 3000. altera vero 2000. pro supradicta tamen partita Scut. 2500. fuerat per A.C. ante illius exactionem relaxatum andatum exequutiuum, tam pro sorte principali, quam pro cambijs, quę propterea ad istum effectum durior causa esse dicitur, cum possit celerius exequutioni demandari. *Imol. in l. si quidem ex famosa. num.2. ff. de solut.* Rota in Anconitana Pecuniariæ. 27. Iunij 1590. coram Cardinale Pamphilio, & faciliorem habeat exactionem. *Menoch. de arbitr. iud. d. cas. 493. num. 14.*

2 Et ex his cessat, quodam pro duabus alijs partitis Scut. 3000. & 2000. Guicciardinus esset obligatus in forma Cameræ, quę habet exequutionem paratam, & vlterius pro illis esset da ta fideiussio, per quam debitum grauius esse dicitur, iux. *l. & magis. & l. in his. ff. de sol.* Nam quo ad obligationem Cameralem placuit responsio, quod etiam pro ista partita Scutor. 2500. Guicciardinus erat in forma Cameræ obligatus, & cum vlterius fuisset iam pro ea relaxatum mandatum exequutiuum illa dicitur causa grauior, ex quo tunc non est deuenien. nisi ad exequutionem facti, & sic habet exequutionem magis paratam, vt dixit *Corn. cons.295. sub numer.22. post med. vers. nam loquitur. lib.3.* Quo vero ad fideiussionem præstita pro dd. duabus partitis tamen, fuit responsum, quod huiusmodi qualitas fideiussionis habeatur in consideratione, quando cetera sunt paria, in concursu autem ad istū effectum, quodam debitum grauius esse dicatur, attenditur potius qualitas exequutionis magis paratę, quam fideiussionis. Idem *Corn. d. cons.195. sub n.2. in fin.* & faciunt not. per *Imol. in d. l.1. sub num.5. vers. sed hic posset esse dubium. ff. de solut.*

3 Quod etiam suadetur in hoc casu, quia mandatum exequutiuum pro dicta partita Scut. 2500. & illius cambijs fuit relaxatum, & expeditum sub die 1. Iunij 1607. & de mense Iulij, & Septembris subsequen. procurauit Guicciardinus, quod Sacchetti, & Altouiti dd. pecunias ab illius de debitoribus exigerent, quæ propterea eo facilius cedere debent in causam necessariam præcedentem mandati relaxati, & exequutionis imminentis cum qua bene correspondent etiam in tempore. *Rim. sen. cons.348. num.5. cum seq. lib.2. Socin. iun. cons.85. sub num. 6. lib.2.* & tenuit Rota in d. Anconitana Pecuniariæ. Maxime quia partitæ pecuniarum exactarum per eosdem Sacchettos, & Altouitos fuerunt positæ in eorum libris ad creditum Guicciardini, & oppositæ supradictæ partitæ Scutor. 2500. pro qua fuerat relaxatum mandatum. *Bar. in l. creditor. §. penult. ff. de solut. Alexand. consil.85. nu. 5. lib.3. Socin. consi.65. col.2. versic. nam ex tali descriptione. lib.4.*

4 Vltra, quod attenta etiam intentione Guicciardini debitoris, quæ in hac materia attendi solet. *d. l.1. cum plur. seqq. ff. de solut. d. l.1. Cod. eo. tit.* & tenuit Rota in Romana Pecuniaria de Bandinis de anno 1586. coram Bubalo, & in d. Anconitana Pecuniariæ, coram bon. mem. Pamphilio, est magis verisimile quod voluerit dd. pecunias cedere in extinctionem suprascriptæ partitæ, pro qua erat relaxatum mandatum etiam contra personam, quam aliarum partitarum pro quibus erat data fideiussio. *Corn. d. cons.195. num.2. in prin. lib.3. præsertim*, quia tunc erat mercator præcipuus Vrbis, qui propterea nullo modo credendus est, quod pro dicto debito voluerit carceribus includi. *Menoch. d. cas.493. nu.17. in fin.* & faciunt trad. per *Imol. in d. l.1. sub nu.5. vers.4. modo. ff. de solut.* vbi dicit, quod durior causa esse dicitur illa, quæ habet promptiorem, & magis rigidam exequutionem, vt quia debitor poterat pro ea etiam personaliter capi.

5 Cessat etiam quod pecunię exactę per Sacchettos, & Altouitos positæ fuerint ad creditum Guicciardini, & ad ipsorum proprium debitum, non autem in solutionem alicuius debiti, quo casu erat in facultate Guicciardini debitoris declarare, in quam causam vellet pecunias exactas cedere, ex adductis per *Surd. d. decis.186. n.7.* quia ex contrapositione partitarum cum alijs supra deductis, magis placuit DD. in casu isto non esse locum alicui declarationi, sed pecunias censeri receptas in causam grauiorem, in quam de iure recipi debebant, & sic in extinctionem dicti crediti Scut. 2500. auri in auro cum cambijs cui fuerant contrapositæ, & ipsimet creditores soluissent si fuissent debitores. *Barto. in d. l.1. num.2. & in l. cum ex pluribus. ff. de solut. Bal. in d. l.1. C. eod. tit.*

6 Tanto magis, quia ijdem Sacchetti, & Altouiti respondendo positionibus datis per eundē Guicciardinum dixerunt, se exegisse in istā causam, & Guicciardinus non contradixit, qui propterea censetur consēsisse, vt post *Cephal. cons.110. sub numer.12. circa finem*, & alios alleg. tradit *Surd. decis.47. nu.9.* Et ita decisum.

R. P. D. VBALDO.

Bononien. Census de Pepulis, Veneris 2. Maij 1615.

ARGVMENTVM.

Remissoria in prophanis, debet concedi, quando articuli sunt releuantes, & præcipue quando fuit concessa collitiganti.

SVMMARIVM.

Remissoria in prophanis non denegatur, maxime posita releuantia articulorum. nu.2.
Remissoria concessa Reo facit, vt non debeat denegari actori, num.2.
Reus quo ad probationes non est magis fauorabilis, quam actor. num.2.
Testium examen factum in iudicio executiuo, non impedit postea posse examinari in iudicio ordinario. nu.3.
Mandatum quantumuis generale non intelligitur tribuere facultatem donandi, & remittendi. nu.4.
Procurator ius clarum sui principalis remittere non potest. num.4.

Iuramentum sequitur naturam principalis dispositionis.n.4.
Iuramentum procuratoris non extenditur, insi quousque in mandato sibi concessum est. nu. 5.
Mandatum speciale, & indiuiduum ad iurandum requiritur ad faciendum incidere dominum in periurium. numero.6.
Procurator quomodo iurat in animam constituentis. numero 6.
Clausula iuramantis &c. in mandato apposita, restringitur ad iuramentum proprium ex formulario Bononiæ.num.6.

DECISIO DCXCVI.

1 IN hac causa fuit resolutum, die 26. Aprilis 1613. obstare transactionem Comiti Iulio, nisi adsit læsio, de qua Domini voluerunt, vt particulariter videretur quo dubio læsionis proposito, & non resoluto, pars petijt, & obtinuit remissoriam, sed cum illa peteretur etiam a Comite Iulio, fuit oppositum de periurio, quasi ipse veniret contra prædictam transactionem iuratam, ideo de ordine Dominorum dedi dubium, an ei sit denda remissoria, vel potius obstet priurium.

2 Et circa primam partem modica videbatur adesse difficultas, quia articuli in actis dati sine dubio sunt releuantes, cum tendant ad probandum generalem inundationem in territorio Bononien. & in specie in bonis censuatis, & quod mandatum a Comite Iulio factum Dominę Elisabeth ad trāsigendum, fuerit reuocatum ante celebrationem instrumēti, & quod ipsa non sponte, & libere transegit, sed metu cominato subhastationis, & deliberationis bonorum, ex quibus remanebit probata lesio reseruata per Rotam. Posita autem releuantia articu lorum, certum est, remissoriam non dengari præsertim in prophanis. *l. de die. §. iubetur. vbi Angel. ff. qui satisd. cogant. Castr. in l. iudices. C. de fid. instrument. Cassad. decis. 3. de leg. Caputaq. decis. 59. & decis. 68. par. 3. Rot. decis. 102. num. 1. par. 1. diuers.* & fuit sepissime decisum, quod eo magis placebat, cum fuerit diebus præteritis concessa remissoria parti aduersæ, vt dixi. Vnde non videbatur posse denegari Comiti Iulio, quamuis actori, l. prima, & per totum. ff. quod quisque iuris. cum quo ad probationes non sit fauorabilior reus, quam actor *l. vlt. C. de fruct. & lit. expens. glos. in c. cum ad sedem. in ver. & pertinentiis. vers. sed qualiter procedatur. de restitut. spoliat Alexand. consilio 68. numero quinto, libro terio.*

3 Non obstare visum fuit, quod alias fuerint examinati testes super peremptione census, de quo agitur, quia illud examen fuit per viam exceptionis iniudicio execut iuo, quod iam fuit finitū per sentētiam, & mandatum relaxatum. Et cum nūc agatur de iudicio ordinario non sunt coangustandæ probationes actori, præsertim cum eadem ratio militaret contra partem, quæ & ipsa examinauit in dicto iudicio executiuo pro exclusione presumptionis, & tamen fuit sibi concessa remissoria. Vnde ratione dictæ æqualitatis seruandæ, debet etiam concedi Comiti Iulio ex supradictis.

4 Quo vero ad secundam partem Domini mature discusso negotio, censuerunt non obstare exceptionem periurij, & in primis certum est, Comitem Iulium nō iurasse, sed tantum vidisse mandatum ad transigendū, in quo quantum vis generali non venit facultas donandi, & remittendi. *l. contra iuris. §. fin. ff. de pact. & l. filiusfam. §. 1. ff. de donat. Alex. cons. 22. nu. 8. lib. 1.* & in hoc casu cessat difficultas, quia in mandato fuit expresse excepta donatio, quam hodie Comes intendit probare, ex quo eius procuratrix remisit ius clarum ipsius, vt late per *Surd. cons. 431. num. 37. & seq. lib. 3.* Vnde non videtur Comiti obstare iuramentum quatenus à procuratrice sit præstitum, cum sequatur naturam principalis dispositionis. *l. vlt. C. de non num. pecu. Dec. cons. 239. num. 3. & 493. num. 26.*

5 Secundo mouebantur Domini, quia in mandato non legitur data facultas iurandi, nisi in duobus tantum casibus, videlicet, quod bona censui supponenda fuerunt, & sunt libera, & quod in præsentationibus occurrentibus non interuenit dolus, & fraus, aut simoniæ labes. Vnde istis duobus casibus exceptis facultas iurandi in alijs non continetur, per reg. *leg. quæsitum. §. denique. vbi Bart. ff. de fund. instruct. l. generali. §. vxori. ff. de vsufruct. legat. Surd. cons. 321. num. 17. lib. 3. Seraphin. decis. 964. num. 3. p. 1. & in terminis iuramenti. Dec. cons. 493. num. 25.*

6 Non obstat generalis facultas data ad faciendum ea, quæ faceret ipse constituens, quia ad istum effectum faciendum incidere Dominum in periurium, requiritur mandatum speciale, & in indiuiduo ad iurandum. *Couar. pract. quæst. cap. 20. sub num. 8. vers. est tamen, quem sequitur Seraph. de priuil. iuram. priuil. 111. nu. 9. Bero. cons. 25. num. 28. lib. 3.* Vltra quod non fuit data facultas iurandi in animam constituentis, nisi in casibus supra expressis, quæ concessio fuisset superflua, si veniret in clausulis generalibus contra *l. si quando. ff. de leg. 1. cum vulg.* & tamen ad hoc etiam requirebatur speciale mandatum, *vt in addit. ad decis. 1. in tit. de iuram. calum. in nou. & alios allegat Moder. Tibur. de iuramen. part. 2. art. 1. num. 19.* & dato, quod veniret, tamen per procuratores non fuit ita iuratum in animam constituentis, prout erat necessarium *Seraph. d. priuil. 111. num. 8. vers. & notan.* vbi plures allegat. & præter alios. *Alex. cons. 149. num. 14. lib. 5.*

7 Nec obstat clausula iurament is, &c. quia vt patet ex illius extensione desumpta ex formulario Notariorū Bononien. confirmato, illa est restricta ad iuramentū propriū, & ideo non potest à Notario rogato aliquo modo alterari, iuxta decretum Illustriss. Card. Legati, vt in *Summario Comitis. num. 4. & 5.* Ex quibus cum in omnem euentum negari non possit, rem fuisse dubiam, & potuisse credere Comitem Iulium, se non esse periurium, ideoque ad abundatiorem cautelam, absolutionem obtinuerit, licet lite pendente, Domini concluserunt, ei esse dandam remissoriam, & periurium non obstare.

REVERENDISSIMO P. DOM. DAMASCENO.

Romana de Rusconibus. Veneris 22. Maij 1615.

ARGVMENTVM.

Exceptio, quæ per replicantem perfecte non diluitur, retinet suam vim, & efficaciam.

SVMMARIVM.

Probare debet vnusquisque fundamentum suæ intentionis. num. 1.
Reus exceptionem suam bene fundans, si actor illum plene non diluit, exceptio remanet efficax. num. 1.
Hæres factum sui auctoris non potest impugnare. nu. 2.
Precarium est contractus reuocabilis ad libitum concedentis num. 3.
Inuestitura sola absque adminiculis non probat dominium. num. 3.
Remedium l. fin. C. de edicto Diui Adriani toll. quem effectum operetur. num. 4.

DECISIO DCXCVII.

1 NOn fuit recessum à decisione in hac causa facta sub die 24. Nouembris proximi, quia ex tunc deductis, visa fuit satis clare deducta exceptio fratrū de Rusconib. super inuestituris excludē. Angelā hæ re-

hæredem Baldasaris. Vnde fit, quod si ipsa Angela prætendit non istas, sed alias, in quibus ipsa tanquam extranea hæres possit comprehendi, esse attendendas, debeat hoc plene, & concludenter probare, tum quia hoc est regulare, in eo, vt qui aliquid asserit probet. *c. placuit. 2. q. 5. c. accusator. 6. q. 5. l. ei incumbit. l. verius. cum seq. ff. de probat. l. actor. C. eodem.* Tum quia quando actor plene fundauit suam exceptionem, tenetur reus & ipse plene deducere suam replicationem, alias remanet vis, & efficacia exceptionis, vt fuit dictum in alia decisione.

2 In casu autem plenę probationis fuit visum Dominis, non adesse Angelam, in primis, quia Ioannes, quo mediante hæres est Angela, & propterea factum impugnare non potest. *leg. cum à matre. C. de rei vendic.* magni fecit, & suum titulum restrinxit ad inuestituras Capituli Sancti Petri, in quibus non sunt comprehensi heredes extranei. Inuestituras vero Francisci del Nero, quib. modo nititur Angela, recepit sine prę-iudicio concessionis sibi factę à capitulo S. Petri ad cautelam, vt ponderatum fuit in alia decisione.

3 Secundo, quia neque exmodo deductis pro parte Angelæ, clare constat de iure illius Francisci del Nero, qui fuit inuestitus. Etenim motus proprius Pauli Papæ III. qui modo exhibetur in forma probanti, non continet contractum translatiuum directi, vel vtilis dominij in dictum Franciscum, sed nudum precarium, donec ipsi Francisco restituerentur pecuniæ in fabricando impensæ. *Valasc. de emphyt. quæst. 34. num. 1. & seq.* Nec minus dicta inuestitura absque adminiculis non probat dominium. *Curt. iun. consil. 432. num. 6. Menoch. consil. 252. num. 11. Put. decis. 454. num. 2. lib. 2.* Stantibus maxime inuestituris Capituli S. Petri, & aliis ponderatis in alia decisione, quæ reddunt rem obscuriorem.

4 Et quia ex articulis de illis vsque temporibus per Cameram Apostolicam datis apparet dominium Cameræ fuisse vndequaque controuersum. Vnde inferebatur ius Cameræ fuisse incertum, & magis incertũ, an dicta Camera illud qualecumque ius voluerit transferre in Franciscum del Nero, & propterea incertius remanere quale ius acquisiuerit Ioannes Rusconus per inuestituram sibi factam à dicto Francisco, & circa illud, quod constet de effectuatione ex quadam solutione facta dicto Francisco del Nero occasione canonum, dicebatur fuisse simplex depositum factum metu excommunicationis, etiam fluxisse quinquaginta anno sufficientes ad præscriptionem, & licet contra prædicta multa replicarentur pro parte Angelæ, attamen visa fuerunt non ponere replicationem Angelę fundatam in iure dicti Francisci del Nero, in tali statu, vt diceretur elisa exceptio fratrum de Rusconibus ad effectum, vt possit dari immissio Dominæ Angelæ ex testamento Balthasaris ex remedio *l. fin. C. de edict.* Diui Adriani tollen. qui est effectus, de quo agitur, &c.

R. P. D. MANZANEDO.

Ciuitatis Castelli vnionis. Lunæ 20. Maij 1615.

ARGVMENTVM.

Cumulatio petitorij cum possessorio non admittitur ex clausula arbitrio in iudicio manutentionis, vbi possessio est clara, nec aliqua subest causa. Item exceptio inualiditatis tituli exhibiti non admittitur in iudicio manutentionis, nisi quando de defectu tituli ex ipsius lectura apparet.

SVMMARIVM.

Cumulatio petitorij cum possessorio de iure non debet admitti. num. 1.

Arbitrium regulatur à iure. nu. 1.

Cognitio possessorij debet præcedere cognitionem petitorij. num. 1.

Cumulatio petitorij cum possessorio in iudicio manutentionis non admittitur. num. 2.

Cumulatio petitorij cum possessorio non admittitur, vbi possessio est clara nec aliqua habere causa. nu. 2.

Exceptio inualiditatis tituli, qui exhibetur, debet admitti in iudicio manutentionis. nu. 3. Vbi si defectus tituli appareat ex lectura ipsius tituli.

Vnio antiqua iuncta obseruantia præsumitur confirmata à Papa. num. 3.

Exceptio turbida non admittitur in iudicio manutentionis. num. 3.

DECISIO DCXCVIII.

1 FVit resolutum non intrare arbitrium ad effectum cumulandi petitorium cum possessorio, quoniam illud regulatur à iure. *Cæs. de Grass. decis. 7. numer. 7. de senten. & re iud.* & de iure præcedere debet cognitio possessorii cognitioni petitorii. *l. ordinarij. Cod. de rei vendicat. leg. inuiti. Cod. de interdict.* qui quidem ordo peruerti non debet in præiudicium possessoris quando priuaretur commodo possessionis, quod maximum est, & grauaretur onere probandi, à quo stante possessione releuatur, & ideo non videtur intrare arbitrium, vt fuit resolutum in vna Virdunen. Abbatiæ 20. Februarii prædicti coram Domino meo Buratto.

2 Et prædicta facilius procedunt, cum versemur in dicto Summario manutentionis, in quo cumulatio cõcedi non solet, vt testatur Rot. in causa Romana census coram Robusterio, quæ est inter impress. *decis. 59. num. 6. p. 1.* Et cum possessio Antonii sit clara ex deductis in decisione in ista causa facta 16. Martii prædicti, nec aliqua adducatur causa, quæ arbitrium suadeat, multo minus illi videtur esse locũ, vt in istis terminis fuit resolutum in causa Turritana bonorum. 27 Aprilis 1603. coram D. Vbaldo, & prius in alia Montis Falisci Cappellaniæ 13. Ianuarij 1606. coram Illustrissimo Lancellotto. Et quamuis Informantes pro Iosepho dixerunt, quod patroni de Bernardinis prę-sentarunt Antonium ad duo beneficia simplicia scilicet Sancti Rocchi, & S. Ioannis reseruato sibi iure super Parochiali S. Angeli, de qua agitur, & pręsentatus obtinuit de dictis duobus beneficijs institutionem, & possessionem etiam cum eorum iuribus, & pertinentiis. Vnde inferebant, quod quamuis alias capta possessione Ecclesię S. Rocchi censeatur etiam capta possessio Ecclesiæ Sancti Angeli, illi vnitæ, attamen secus esse stante dicta reseruatione, quæ videtur operari, quod eodem modo quo ipsa re illius præsentatio, prout visum, non extenditur ad Ecclesiam Sancti Angeli, ita nec possessio præsentationis vigore capta, nihilominus, quia de prædictis nihil constat in actis, Domini illa non habuerunt in consideratione.

3 Non obstat exceptio inualiditatis vnionis resultans in defectu potestatis qui vniuit, & ex eo quod Ecclesia Parochialis libera, & maioris valoris fuit vnita beneficio simplici iuris patronatus, & exigui valoris, & quod huiusmodi exceptio inualiditatis tituli qui exhibetur sit admittenda in hoc iudicio iux. Abb. in cap. audita in primo notab. de restit. spoliatorum. Quia hoc procederet si defectus tituli appareret ex lectura ipsius tituli. *Menochius de retin. remed. tertio, numero 683.* quod applicari non valet casui nostro, in quo ex scriptura vnionis non resul-

tant defectus contra eam oppositi, nec minus extrinsecus illi iustificantur, imo reddi videntur turbidi, ex quo versamur in vnione excedente metam 90. annorum, quæ propterea iuncta obseruantia subsequuta deducta ex pluribus præsentationibus, & institutionibus effectum sortitis, præsumetur à Sede Apostolica confirmata, vt fuit dictum in vna Firmana iuris patronatus prima Martij 1613. coram Domino meo Decano. Vnde cum huiusmodi exceptio inualiditatis reddatur ex prædictis admodum turbida, videtur ad petitionem reiicienda, iuxta decisionem Caputaquen. Vnionis. 20. Februarii 1589. coram Bubalo, & Oxonen. Cappellaniæ 10. Martii eiusdem anni coram bonæ memoriæ Cardinale Platto. Minus ob. Decisio Vicen. Parochialis. 8. Decembris 1608. coram me, quia ibi possessio erat turbida, hic vero est clara ex deductis in prædicta decisione in hac causa facta.

REVERENDISSIMO P. DOM. MANZANEDO.

Militen. Prioratus. Veneris 22. Maij 1615.

ARGVMENTVM.

Agitur de probatione narratorum in gratia si neutri.

SVMMARIVM.

Liber Baptismi probat, ex quo loco aliquis sit oriundus. num. 1.
Clericatus probatur ex literis patentibur ordinarij. nu. 1.
Lis ad effectum gratiæ si neutri probatur ex reuolutione processus. nu. 2.
Narratiua, quod neutri ius competat respectu impetrantis probatur ex eius confessione in impetratione gratiæ, si neutri. nu. 2.
Narratiua non iuris probatur, si ex reuolutione actorum appareat de titulo minus sufficienti. num. 2.
Confessio debet acceptari cum sua qualitate. nu. 2.
Beneficium de iure præsumitur simplex, & ideo talis narratiua non requiritur iustificationem. num. 3.
Verba vt asseritur, operantur, vt narratiua non dicatur narratiua partis, nec impetrans quicquam videatur affirmare. num. 4

DECISIO DCXCIX.

1 GRatiam si neutri esse iustificatam, præterquam quo ad valorem, Domini responderunt. Quod enim Gaspar sit oriundus ex diœcesi Toletana, probatur ex partita libri baptismi. *Sfort. Odd. de resti. in integ. q. 37. numer. 83. Seraph. dec. 1138. num. 2.* prout, & quod sit clericus ex literis patentibus ordinarij. *Rot. decis. 1. de prob. in nou. Gramm. dec. 81. num. 1.* Obitus Fabij vltimi possessoris in possessione probatur ex testibus, & confessione aduersariorum in adeptione possessionis, & constitutione procuratoris. Quod autem Gaspar fuerit antea prouisus de hoc beneficio per liberam resignationem Francisci Parauicini constat ex literis Apostolicis dictæ prouisionis.

2 De lite autem apparet ex reuolutione processus, & narratiua, quod neutri ius competat, satis iustificatur respectu Gasparis ex eius confessione in impetratione istius gratiæ si neutri *leg. cum precum. C. de liberali cau.* Respectu autem Abbatis, & monasterij visum fuit, etiam iustificari ex reuolutione actorum, in quibus non apparet adesse aliquem titulum, quod suffragetur, quod sufficit pro narratiua illius non iuris, vt fuit dictum in vna Clusina Prioratus 13. Febr. 1592. coram bon. mem. Orano, & in alia Aquinaten. Beneficij 21. Febr. 1603. coram Reuerendiss. Bonon. & in Pampilonen. parochialis de Aguero 7. Iunij 1610. coram Reuerendiss. Attrebaten. & licet dicatur Gasparem confessum fuisse quandam vnionem à Monasterio prætensam de hoc beneficio, tamen dicta confessio debet acceptari cum sua qualitate, quod scilicet fuerit facta nulliter. *Boer. decis. 243. numer. 5. Menoch. cons. 703. num. 3. lib. 8. Verall. decis. 191. num. 2. par. 1.* Et fuit dictum in vna Perusina pecuniariæ 28. Nouembris 1611. coram me.

3 Valor beneficij obtenti iustificatur ex testibus. Qualitas vero, quod scilicet sit simplex, & non requirens residentiam, non eget iustificatione, cum tale præsumatur de iure. *Staphil. de lit. grat. tit. de qualit. & stat. benef. num. 1. Ægid. decis. 675. Rot. diuers. decis. 17. par. 1.* & fuit dictum in allegata Aquinaten. Beneficii, & alias sæpe.

4 Prout nec pariter iustificanda est alia narratiua, quod collatio, seu prouisio Beneficij, de quo agitur, spectet ad Archimandritam, cum fuerit additum verbum, vt asseritur, quod operatur, vt narratiua non dicatur partis, nec impetrans quicquam videatur affirmare. *Rot. decis. 60. de rescri. in antiq. Bisignett. decis. 6. de præb. Cassad. decis. 7. num. 8. vers. 2. vero casu. de iure patron. & decis. 4. nu. 8. de prob. Rot. decis. 447. nu. 1. & 412. nu. 2. p. 1.* diuers. & fuit dictum in vna Trident. Monasterij 17. Maij 1603. coram me. Valor autem beneficii, de quo agitur, quod non excedat Ducatos 250. non videtur bene probatus, cum testes, aut deponant de suo iudicio, & publica voce, & fama, aut per ascensum ad 300. Ducatos, & per possibile. Cetera, quæ pro parte Monasterii adducuntur, vel sunt extra dubium, vel magis iustificant gratiam si neutri, cum tendant ad probandum non ius Gasparis.

DECISIO DCC.

Romana Laudi, seu prætensæ participationis. Veneris 22. Maij 1615.

Impressa Apud Buratto.

DECISIO 113.

R. P. D. VEROSPIO.

Brixien. Canonicatus. Veneris 21. Maij 1615.

ARGVMENTVM.

Sequestrum debet apponi, vbi possessio est attentata respectu vnius partis, & respectu alterius, est turbida.

SVMMARIVM.

Attentata dicitur possessio capta intra decem dies datos ad appellandum. num. 1.
Exequutor datus in forma dignum dicitur mixtus. num. 2.
Appellatio datur à sententia mixti exequutoris. num. 2.
Exequutor gratiæ certo modo impetratæ dicitur mixtus. num. 2.
Citatus in iudicio dicitur fuisse in causa. num. 3.
Attentata vt non purgentur propter bonum ius attentantis, bonum ius debet esse clarum per rem iudicatam, vel partis confessionem. num. 4.
Possessio Canonicatus non capta capitulariter non suffragatur. num. 5.

DE-

DECISIO DCCI.

1 CLaudius Barbisonus impetrauit à Sanctissimo Canonicatum, de quo agitur, vti deuolutum eo prætextu, quod Augustinus Francisci Coradellæ coadiutor in habitu clericali nō incederet,& presentatis à dicto Barbisono literis suæ prouisionis in forma dignum,& cum clausulis si ita est,ac dummodo non sit alteri ius quæsitum,Vicarius Brixien.pronunciauit illas esse mandandas exequutioni. Verum Constantinus Manerba, qui prætendebat in possessione dicti Canonicatus existere,tāquam ab Episcopo Brixien. per obitum Coradellæ prouisus, ab huiusmodi sententia infra legitimum tempus appellauit,sed appellatione non obstante Vicarius contulit Claudio Canonicatum,eiusque possessionem illi tradidit, Vnde cum instaret Constantius in Rota pro attentatorum reuocatione,Claudius obtinuit à Sanctissimo mihi rescribi,vt constito de ipsius bono iure procederem in causa reiectis arbitrio Rotę attentatis,quo stante proposui dubium, an intraret arbitrium,& Dominis placuit,vt Canonicatui sequestrū apponeretur. Nam quo ad Claudij possessionem,illa capta fuit infra decem dies ad appellandum, & propterea dicitur attentata, *c.non solum de appell.in 6.Clement.2.vt lit.pend.*

2 Nec potest controuerti quin daretur hic appellatio,cum Vicarius Brixien.esset mixtus exequutor vti datus in forma dignum, & per hoc ab eius sententia super literarum Apostolicarum exequutione poterat appellari. *Felin.in c.fin.num.17. & 33. ad fin. vers.quarto aduerte de præsumpt.Put.dec.202.par.1. diuers. Seraph.decis.817.in princ.par.1.*Cum præsertim ageretur de exequutione gratiæ certo modo impetratæ. *Seraph.dec. 1471.num.1.*

3 Non obstat Constantinum, qui non erat in causa, dare non potuisse de attentatis. Quia cum fuerit ille citatus ad instantiam Claudij, bene dicitur fuisse in causa. *Clement.2. vt lit.pendent. Rota decision.42. numero 22. part.2. Lancellott. de attentat. vt lit.pende.in præfatione, num.28.*

4 Nec valet dicere, sequestrum non esse decernendum ob prætensum bonum ius Claudij attentantis, cum eius prouisio tanquam de beneficio affecto sustineatur. Nam ad hunc effectum illius bonum ius debet per rem iudicatam, vel partis confessionem apparere. *Ægid. decis. 103. Rota decis. 3. de restit.spoliat. in nouis Lancell.de attent. par.3.c.24.q.1.nu.65.*de quibus in præsenti casu non constat.

5 Quo vero ad Constantini possessionem,illa pariter non suffragatur,tanquam non capta particulariter in Ecclesia Cathedrali,vt requirebatur.*Cassad.decis.8. de caus.possess. & propriet. Put.dec. 20. libr.2. Than. decis. 35.* Vltra quod ista possessio fuit visa Dominis etiam turbida, qui propterea sequestrum esse apponendum censuerunt.

R. P. D. PAMPHILIO.

Valentina Subsidij Veneris 22. Maij 1615.

ARGVMENTVM.

Subsidium an debeat solui ex fructibus exemptis, & qui dicantur fructus primitiales, & quæ onera primitialia.

SVMMARIVM.

Iudex non potest moueri ad iudicandum ex ijs, quæ sunt extra acta, nu.1.
Sententia lata per subdelegatum de cuius subdelegatione non constat, dicitur nulla ex defectu iurisdictionis, numero 1.
Subsidium debet solui ex fructibus, nu.2.
Fallit vbi fructus fuerunt applicati liberi, & exempti ab onere subsidij, nu.2.
Exceptio non refertur ad ea, de quibus fuit facta specialis mentio, nu.3.
Superfluitas est euitanda, num.3.
Verba sequentia non referuntur ad præcedentia vbi essent, inter se contraria, num.3.
Qualitas debet probari per allegantem, num.4.
Primitiæ soluuntur Parochiæ pro administratione Sacramentorum, & cura animarum, quæ illi imminet. nu.4.
Onera, quæ primitijs imminent, vti primitiæ sunt, illa sunt, quæ consistunt in sustentandis ministris Ecclesiæ, & in suppeditandis rebus ad curam animarum, & administrationem Sacramentorum necessarijs, num.4.
Subsidium dummodo integre Regi soluatur, nihil interest, a quo ei soluatur. nu.5.
Clausulæ derogatoriæ appositæ in concessione subsidij respiciunt tantum fauorem Regis, nec per eas censentur sublati contractus, ex quibus Regi nullum præiudicium infertur numer.6.

DECISIO DCCII.

1 FVit per Dominos resolutum sententiam esse infirmandam,quia fuit nulliter, & iniuste lata, & quo ad nullitatem, illa resultat ne dum quia sententia fundatur in concessionibus Apostolicis subsidij,quæ tamen non fueruut in actis productæ,prout requiritur,cum iudex ex ijs, quæ sunt extra acta ad iudicandum moueri non possit, *Cassad.dec.12.num. 8. super regul.* cum aliis adductis in causa Romana officii. 23. Ianuarij 1603. coram bonæ memoriæ Scotto sed etiam ex defectu iurisdictionis,quia fuit lata per iudices subdelegatos,de quorum tamen subdelegatione non constat, *cap.cum in iure. de offic.delegat. Rota decisione 4.eodem tit.in antiq.& decisione sexta, eodem tit. in nouis.*

2 Iniustitia vero clara colligitur ex eo,quia fuit in illa declaratum, Capitulum teneri contribuere ad solutionem subsidii,pro rata fructuum dismembratorū, & tamen in concordia ad preces Regis, de anno Millesimo quingentesimo nonagesimo septimo, auctoritate Apostolica confirmata expresse conuentum fuit inter Archidiaconum, & Capitulum, quod fructus primitiales dismembrati ab Archidiaconatu, & applicati mensæ Capitulari, & Decano,sint liberi, immunes,& exempti à solutione pensionum super fructib.Archidiaconatus reseruatarū,ac ab alijs omnib. & quibuscumq; oneribus tā perpetuis,quam temporalibus dicto Archidiaconatui incumbentibus,etiam quartæ decimæ, subsidii,& excusati, quæ omnia ad Archidiaconatum spectent. Ideoque licet alias Capitulum teneretur pro rata fructuum contribuere ad onus subsidii,quod fructibus solui debet,id tamē non procedit stantibus claris,& expressis verbis concordiæ,ex quibus fructus huiusmodi liberi, & exēpti à dicto onere Capitulo applicati fuerunt. *Gig.de pensio.q.38.n.3.q.59.n.6.* quo loquitur pensione reseruata, libera, & exempta ab huiusmodi onere subsidij Idem tradit *Remig.de Gonn.de charit.subsid. quæstion. 44. numer.3. & faciunt tradita per Rota in causa Monopolitan pensionis 15. Iunii de anno 1597.* coram bon. mem.Orano,& alias sæpe.

3 Non obstant verba,quæ in eadem concordia post exemptionem prædictam immediate subiiciuntur, exceptis videlicet oneribus illis tantummodo, quæ dictis fructibus primitialibus incumbunt, vti primitiales sunt,ad quæ Capitulum, & Canonici, non autem Archidiaconus teneatur, quia illa visa fuerunt referri non posse ad onus subsidii,nec ad alia onera, de

de quibus antea specifica, & expressa mentio facta fuerat. *Aymon.consil.808.num.4. Puteus dec.254.nu. 5. lib.3. Seraph.dec.1083.nu.4.* Maxime quia verba præcedentia, ex quibus supradicti fructus primitiales ab huiusmodi onere subsidij in specie, & nominatim eximuntur, si postea per alia verba immediate sequētia eodem onere grauarentur, essent superflua, contra *text. in cap.si Papa. de priuileg. in 6. cum alijs per Bal. in rubr.C.de contrah.empt.quæst.9. n.9.* vel potius essent inter se contraria, quo casu sequentia ad precedentia referri non debent, *Alex.consil.48. numer.6. lib.1. Alba cons.585. num.12.*

4 Præterea fuit responsum, quod hæc qualitas, quod onus subsidij incumbat istis fructibus primitialibus vti primitiales sunt, deberet probari ab Archidiacono, qui in ea se fundat. *Bart. in l. qui vxori, §. quid tamen. ff.de adulter. Geminian.cons.38. sub num.1. vers.numquid autem Baldus consil.162. volum.4.* quod non iustificatur, quinimo contrarium suadetur ex eo, quia primitiæ soluuntur Parochiæ pro administratione Sacramentorum, & cura animarum, quæ illi imminet, vt tenuit Rota coram bonæ memoriæ Cardinale Seraphino, *decis.780. num.4.* cum alijs adductis, coram me, in causa Hispalen. iuris nominandi, 4. Iulij de anno 1612. ideoque onera, quæ primitijs imminent, vti primitiæ sunt, illa dici debeat, quæ consistunt in sustentandis ministris Ecclesiæ, & in suppeditandis rebus ad curam animarum, & Sacramentorum administrationem necessarijs, *iuxta text. in cap. 1. 16. quæst.7.* Subsidium autem debetur regi ex indulto, quod habet exigendi certam portionem generaliter, super quibuscumq; fructibus Ecclesiasticis, sic non potest dici, quod debeatur ex dictis fructibus primitialibus vti primitiales sunt, stante supradicto indulto, quod omnes fructus generaliter comprehendit, *ad l.Iulianus, ff.de legat.3.*

5 Non obstat, quod supradictis concessionibus ad fauorem Regis per concordiam præiudicari non potuerit, quia in casu isto non agitur de preiudicio Regis, qui debet subsidiū omnino cōsequi super omnibus fructibus Archidiaconatus. *Seraphin.dec.1348. sub num.2.* Sed dicitur illud esse soluendum in totum ab Archidiacono de suis propriis fructibus, non autem à Capitulo, cui dicti fructus per concordiam exempti, & immunes à dicto onere applicati fuerunt, ex supradictis. Et ex hoc cessat, quod Archidiaconus modernus teneri non debeat ad onera pro rata fructuum, quos non percipit, quia id prouenit ex supradicta concordia auctoritate Apostolica confirmata, in qua expresse dicitur onus subsidij spectare debere ad Archidiaconum illius temporis, & qui pro tempore fuerit, & per consequens huiusmodi subsidium effectum fuit onus indiuiduum ipsius Archidiaconatus, & fructuum, qui ei remanserunt. Vnde Archidiaconus ad illud soluendum in totum tenetur ex supra alleg.

6 Nec demum refragantur aliæ concessiones subsidij, quæ superuenerunt post concordiam cum clausulis amplissimis derogatorijs exemptionum, & contractuum, &c. Quia placuit Dominis, quod illæ respiciant tantum fauorem Regis, ideoque per eas non censetur sublata particularis obligatio inter Capitulum, & Archidiaconum, quę Regi nullatenus preiudicat, *Seraph.d.dec.1348. in fine,* & fuit dictum in causa Valentina subsidij 4. Maij 1611. coram bo.mem. Penia. Et ita decisum, &c.

REVER. P. DOMINO DAMASCENO.

Romana bonorum de Columna. veneris 22. Maij 1615.

ARGVMENTVM.

Quæ requirantur, vt transumptatio dicatur valide facta, & de pluribus reddentibus instrumentum nullum.

SVMMARIVM.

Transumptio vt fieri possit, est necessaria causa, puta corrosio chartæ, & similia. nu.1.

Casus omissus à Statuto remanet in dispositione iuris communis, nu.2.

Citatio alicuius vbi est necessaria debet præcise apparere, quod ille fuerit citatus, nec sufficit in genere, quod iudex dicat fuisse citatum citandum, cum in hoc ipsi non credatur, num.2.

Recognitio manus Notarij requiritur, vbi scriptura non excedit centum annos, num.3.

Notariatus eius, qui de instrumento fuit rogatus debet probari, vt instrumentum probet, nu.4.

Rogitus in dubio non præsumitur, nu.5.

Probatio alternatiua non sufficit, vbi debet esse præcisa, numero 6.

Defectus nominis Pontificis vitiat instrumentum, numero 7.

Obseruantia dat fidem scripturæ alias informe, num.8.

Et è contra obseruantia contraria minuit de fide instrumenti, num.8.

DECISIO DCCIII.

1 Tenuerunt Domini, instrumentum non esse in forma probanti, quia originale, nec est, nec pretenditur esse, & tanquam transumptum non potest sustineri. Primo, quia non apparet causa deueniendi ad transumptionem, quæ in primis videtur necessaria, puta corrosio chartæ, & similia, de quibus in *c. vlt.de fide instrum. vbi gl. & notat in specie, Couar.pract. quæst.cap.21. num.4. circa principium, vers. 1.* est coniecturandum.

2 Nec facit statutum Vrbis antiquum, c.70. libro 1. quod licet det formam faciendi transumpta, nō propterea aliquid disponit circa illud, an & quando sint facienda transumpta, vnde remanet in depositione iuris, *ad l. commodissime, ff. de liber. & posthum.* & fuit dictum in simili in Romana cessionis iurium. 20. Decembris 1596. coram me, & in omnem euentum non videtur satisfactum dicto statuto circa citationē partis. Licet enim in transumptatione dicatur fuisse citatos citandos, hoc tamen visum fuit Dominis non sufficere, quia quando citatio alicuius est necessaria, debet precise apparere, quod ille fuerit citatus, nec sufficit in genere dicere fuisse citat ū, citādū nec hoc creditur iudici. *Abb.in c. Alberic.nu.6. vers.1. enim dico. de testibus, & faciunt tradita per eundem Abbat. in c. cum in iure, nu.6. de offic. deleg. Innoc. c. quoniam contra. nu.6.de testib.Castr.cons.38. nu.2. libr.2.Socin.cons. 29. sub num.2. lib.1.*

3 Secundo fuit dictum, non esse recognitam manum iudicis, & Notarij, qui transumptarunt, prout requiritur, cum scriptura, non excedat centum annos. *Crauett. cons.294. num.14. Put.dec.236.num.8. in fin.libr.2. in antiq. & in Epitom. de fid. instrum.decis.9.* Et fuit dictum in illa Farfern. Territorii. 29. Maii 1607. coram bon. mem. Penia.

4 Tertio, nec constare, quod ille cuius instrumentum dicitur exemplatū fuerit Notarius, & quod tanquam tali soleat præstari fides, prout probari deberet. *Alex. cons.112. sub nu.1 lib.4. Oldr.cons.227.n.6. vers.sed ad hoc respondetur, Gemin.cons.15.nu.16. & 17. Affl.dec.245.num. 4. vers. & ideo. Put.dec.536.in fin.lib.2. Boer.decis.36.numer.7. & 10.*

5 Quar-

5 Quarto, nec minus, quod dictus prætensus Notarius, nempe Andreas Carusius fuerit de hoc instrumento rogatus, & in dubio rogitus non præsumitur. *Bart. in l. hæredes palam. §. in testamento. num. 6. ff. de testament. & in l. sciendum. sub num. 11. cum duobus sequentib. ff. de verborum oblig. vbi Alex. num. 42. & 43. Innoc. in cap. fin. de fide instrumen. cum alijs por Modern. Ferrarien. tract. de clausulis. in proœmio, nu. 16.* vbi de communi, quod facilius admiserunt Domini, ex quo nec minus constat, quod D. Andreas prætensus Notarius se subscriserit asserto instrumento, seu Originali.

6 Et licet vterque defectus posset suppleri, si hoc sumptum probaretur extractum ex libro protocollorum ipsius Andreæ, & in hoc forte standum esset assertioni illorum qui extraxerunt: attamen considerarunt Domini, quod nemo ex illis ausus fuit hoc affirmare. Nam Ioan. Baptista filius, & prætensus successor dicti Andreæ dicit, se extraxisse ex libris protocollorum, siue scripturarum, quondam genitoris sui, & sic potest verificari extractio in scripturis eiusdem Andreæ, quæ non essent authenticæ, vt sunt exempla, & minutæ non stipulatæ, quibus abundant Notarij. Idem in substantia collationis concludit prędictus Notarius, dum in subscriptione dicit, extractum factum ex quodam folio, siue notula librorum siue protocollorum. Et idem dicit in auscultatione ibi cum dicta notula, siue folio. Bartholomæus vero de Franchis Corrector dicit, ex libris protocollorum siue scripturis. Felicinus alter Notarius de libris protocollis, siue scripturis, & sic omnes circa protocolla loquuntur alternatiue, quod non sufficit, vbi probatio debet esse præcisa. *Castr. consil. 33. num. 2. lib. 2. Alexand. consil. 46. sub num. 2. vers. sed præmissis non obstantibus. lib. 2.*

7 Faciebat etiam aliquibus ex Dominis difficultatem defectus nominis Pontificis, in dicto instrumento ex traditis per *Felin. in titulo 1. nume. 5. de fide instrument. cum alijs per Modern. Ferrarien. vbi supra, numer. 9.*

8 Et prædicta eo facilius amplexi fuerunt Domini propter multas inobseruantias contrarias prætenso instrumento ostensas, pro parte Dominæ Marchionissæ. Nam qua ratione propter obseruantiam datur fides scripturæ alias informi. *Crauet. de antiquit. temporum. num. 1. §. 4. limitatur. num. 16. consi. 101. num. 4. & 274. num. 7. Seraphinus dec. 928. num. 2.* & in Mediolanen. Iuris patronatus. 1. Iulij 1611. coram me. Eadem ratione videtur, quod inobseruantia minuat de fide instrumenti, vt contrariorum eadem sit disciplina, ad notata *in l. & si contra. ff. de vulg. & pupil. l. fin. ff. de leg. 3.* & consequenter, quod requiratur melior probatio in scriptura inobseruata, quam in illis, de quarum contraria obseruantia non constat.

DECISIO DCCIV.

Iacen. Vicariæ. Lunæ 25. Maij 1615.

Impressa Apud Buratto.

DECISIO 114.

R. P. D. VBALDO.

Toletana Professionis. Lunæ 25. Maij 1615.

ARGVMENTVM.

Metus illatus in emissione professionis, quando censeatur purgatus per susceptionem ordinum, & alios actus, & an professio ab initio nulla ex causa metus censeatur per actus liberos ratificata, quoties non cessauit causa metus.

SVMMARIVM.

Metus illatus in emissione professionis non censetur purgatus per ordinum susceptionem, & alios actus si durabat eadem causa metus. nu. 1.

Metus semel illatus, semper durare præsumitur, nisi per actus contrarios sublatus censeatur. nu. 2.

Vbi quod actus debent esse tales, ex quib. nulla alia capi possit interpretatio.

Metus illatus in emissione professionis non censetur purgatus per susceptionem ordinum, & alios actus stantibus protestationibus. nu. 3.

Vbi quod tales protestationes habent vim sufficientis reclamationis.

Scientia in ijs, quæ sunt facti, non præsumitur, sed potius ignorantia. nu. 3.

Præsumptio transfert onus probandi in aduersarium. num. tertio.

Monachorum testimonium in causa professionis alterius monachi propter interesse monasterii est suspectum. numer. quarto.

Professio ab initio nulla ex causa metus non censetur ratificata per actus liberos, vbi non cessauit causa metus. numer. 4.

Metus ab initio illatus influit in omnes actus subsequentes, & remouet consensum ab actu. nu. 4.

Professio tacita ex lapsu temporis, & gestatione habitus cessat, quoties ex protestationibus apparet de dissensu profitentis. nu. 5.

Professus pro inualidanda professione debet etiam vltra quinquennium audiri, dummodo intra d. tempus reclamauerit. nu. 6.

Verbum semper includit omne tempus. nu. 6.

DECISIO DCCV.

1 Proposito dubio die quarta Nouembris præteriti, an sententia de partibus esset confirmanda, vel infirmanda, & resoluto tantum constare de metu ab initio illato fratri Didaco Monacho professo supererat disputare dubium in decisione reseruatum, an scilicet metus ex subsecutis censeretur purgatus, quod vtraque parte informante fuit hodie negatiue resolutum. Nam de tempore, quo vixit vitricus, qui metum intulerat, videbatur indubitatum, metum non fuisse purgatum, & per perseuerantiam in Religione, & alios actus, etiam susceptionis Ordinum, ex quo durabat eadem causa metus. *Calder. cons. 1. num. 3. in tit. quod met. caus. Bart. in l. 2. num. 7. C. eodem tit. Roland. cons. 2. nu. 92. lib. 1. Honded. cons. 23. num. 41. lib. 1. Menoch. præsumpt. 4. num. 22. & seq. lib. 3. Osasc. dec. Pedem. 179. num. 12. vbi plures allegat, Rota apud Seraphinum in vna Toletana matrimonii, quæ est decisio 851. num. 1. & in alia Toletana professionis, quæ est decisio 1166. num. 1. & 1177. num. 1. par. 2. in impress. Nauar. cons. 6. sub num. 2. de his, qui vi met. caus. fiunt, vbi ver. 3.* quid per susceptionem, loquitur in terminis susceptionis ordinum, & aliorum actuum, & fuit plene discussum, & decisum in vna Conchen. nullitatis ordinum 10. Martij 1606. coram bon. mem. Penia.

2 Post mortem verò vitrici non existimabant Domini, metum fuisse purgatum, tum quia regula est pro Didaco, quod metus semel illatus semper durare præsumitur, nisi per actus contrarios sublatos doceatur.

Bart. in d. l. 2. num. 10. quod met. cauſ. Alex. conſil. 98. nu. 8. libr. 3. Decius in l. in omnibus cauſis. 39. num. 14. & ibi Cagnol. num. 14. ff. de reg. iur. Oſaſc. deciſion. 179. num. 11. Vbi quod actus debent eſſe tales, ex quibus nulla alia præſumptio capi poſſit, quam purgationis metus, & illam deciſionem ſecuta eſt Rota in vna Neapolitana profeſſionis. 26. Iunij 1598. coram Gipſio.

3 Quod eo magis procedit, quando, prout in hoc caſu interuenerunt proteſtationes, quod non habebat animum permanendi in Religione, quæ proteſtationes multum attenduntur in hac materia, vt in d. Neapolitana profeſſionis, & in alia deciſione huius cauſæ, coram me. Immò quod habeant in vim ſufficientis reclamationis, fuit dictum in eadem Neapolitana profeſſionis 26. Aprilis 1599. coram Gipſio, tum quia non conſtat Didacum habuiſſe ſcientiam obitus vitrici, & ſic ceſſaſſe cauſam metus, quæ ſciẽtia cum ſit facti, non præſumitur, ſed potius ignorantia. cap. præſumitur, de regul. iur. in 6. leg. verius, de probat. quæ præſumptio transfert onus probandi in aduerſarium, gl. in d. c. præſumitur, Seraph. dec. 916. n. 10.

4 Non obſtat, quod Didacus etiam poſt mortem vitrici remanſerit vltra annum in monaſterio, antequã reclamauerit, & vlterius quod dicitur procuraſſe, vt ſuperiores monaſterij cederent ipſius matri iura ſuper portione legitimæ Didaco competentia, receptis nonnullis pecunijs. Quia vltra, quod hæc probatio allata pro monaſterio redditur multum turbida, ex teſtibus per Didacum inductis, ex quibus apparet, quod immò ſemper reclamauit de dicto pacto, vt in Summario Didaci. nu. 7. 8. & 9. Et eſt etiam aliquantulum ſuſpecta propter monaſterij intereſſe, vt conſiderauit, Rota in d. dec. 1177. num. 7. apud Seraphinum. Reſpondebatur etiam, quod ſtante præcedenti metu & crebris reclamationibus, de quibus ſupra, & ſtante ignorantia mortis vitrici, & ſic non ceſſante cauſa metus, quo ad mentem ipſius Didaci, non poteſt per eiuſmodi actus cenſeri inducta ratificatio profeſſionis ab initiæ nullæ. Quia metus ab initio illatus influit in omnes actus ſubſequentes, & remouet conſenſum ab actu, vt in dict. deciſ. 1166. coram Seraph. in d. Neapolitana profeſſionis coram Gipſio. Nauar. d. conſ. 6. nu. 2. de his quæ vi, met. cauſ. fiunt. Rebuff. conſ. 68 nu. 22. qui loquitur etiam in terminis tranſactionis.

5 Nec viſæ ſunt obſtare declarationes Sacri Concilij Tridentini ex aduerſo allegatæ, quia præter id, quod videbatur extra preſens dubium, fuit reſponſum, quo ad primam illam non procedere, quoties ex proteſtationibus conſtat de diſſenſu profitentis, tunc enim ceſſat tacita profeſſio ex lapſu temporis, & geſtatione habitus, cum præſumptio cedat veritati, vt in indiuiduo fuit dictũ in dicta Neapolitana profeſſionis 26. Aprilis 1599. coram Gypſio, & in illa ratione fundatus diuiſio, non autem ex eo, quod proteſtationes fuerint iudiciales. Vltra quod ſi tales fuiſſent proteſtationes Didaci intra quinquennium, non fuiſſet opus impetrare reſtitutionem, de qua mox dicam, vt etiam conſideratur in d. Neapolitana 26. Aprilis.

6 Quo ad ſecundam vero, quæ emanauit à felic. record. Gregorio XIII. in qua dicitur, quod profeſſus etiam vltra quinquennium audiatur, dummodo reclamauerit intra quinquennium, illa non videbatur obſtare, quia ex teſtibus pro Didaco datis, apparet eum reclamaſſe etiam intra quinquennium, cum deponãt per verbum ſemper, quod includit omne tempus, l. 1. vbi gl. & Doct. ff. ſolut. matrim. Et ceſſat omnis difficultas ex reſtitutione per eum obtenta aduerſus lapſum quinquennii in actis exhibita. Ex quibus fuit concluſum, metum non fuiſſe purgatum, & conſequenter ſententiam de partibus eſſe infirmandã, &c.

R. P. D. PAMPHILIO.

Ferrarien. de Taſſonis. Lunæ 1. Iunij 1615.

ARGVMENTVM.

Identitas bonorum ex quibus probetur, & plures recenſentur modi probandi identitatem.

SVMMARIVM.

Inſtrumentum dicitur probatio probata, nu. 1.
Identitas bonorum probatur ex inſtrumento diuiſionis, numero 1.
Identitas probatur abſque confinibus ex donaminatione ſingulari, nu. 1.
Identitas probatur ex probatione, quod poſſeſſores ſunt ſucceſſores eorum, qui alias dd. bona poſſidebant, num. 2. Vbi maximè ſi vltra generalem demonſtrationem loci concurrit aliqua particularis demonſtratio, nu. 2.
Identitas probatur ex deſcriptione facta in Cataſtro, num. 2. numer. 3.
Identitas probatur ex verificatione duorum confinium, numero 4.
Poſſeſſio præſumitur continuata niſi contrarium probetur, numer. 5.
Poſſeſſio teſtatoris præſumitur continuata vſque ad eius obitum, quando fuit probata etiam poſſeſſio hæredum, numer. 5.
Liber Cataſtri ſiue Æſtimi probat tam contra eos, de quorum voluntate partita ibi fuerunt deſcriptæ, quam contra cauſam habentes ab eis, nu. 6.
Succeſſor in officio poteſt extrahere ſcripturas qui prædeceſſoris abſque aliqua ſolennitate. num. 6.

DECISIO DCCVI.

1 FVit reſolutum conſtare de indemnitate bonorũ fideicommiſſi Herculis Patriarchæ. Nam quo ad Decimas locorum Curli Corrigij Haibana, Haibanellæ, Madraicę, Santi Gilii, & delli Boſchi di Marrara datur inſtrumentum diuiſionis anno 1591. in quo nominatim decimæ ſupraſcriptæ, locorum Herculi teſtatori pro duabus tertiis partibus, & pro indiuiſo cum Comite Ferrante fratre aſſignato reperiuntur, quod quidem inſtrumentum dicitur probatio probata, l. cum precib. C. de probat. Peregr. in iſtis terminis de fideicomm. art. 44. ſub nu. 5. & ſatis releuare viſum ſuit ad effectum, vt decimæ in eo deſcriptę dicantur illæ eædem, quæ modo per DD. Claudiam, & Beatricem poſſidentur, vt conſtat ex inſtrumento poſſeſſionis per eas adeptę. Licèt enim in ſupraſcripta diuiſione non adſit alii fines, ſeu demonſtrationes, ex quo tam nomina Villuram ſunt ſingularia, & villæ certæ & indubitatæ cum certis, & determinatis finibus, ſatis ex hoc dicitur probata identitas iuris vniuerſalis decimandi in illis abſq; aliis finibus, & demonſtrationibus. Bart. in l. demonſtratio falſa. nu. 16. ff. de condit. & demonſtr.

2 Quo ad bona in villa Curli de quibus ſimiliter fit mentio in d. inſtrumento diuiſionis identitas probatur, Nam in Cataſtro, ſiue Æſtimo ciuitatis Ferrariæ reperiuntur deſcriptę in dicta Villa duę poſſeſſiones diuiſæ ex pluribus petiis Terrarum, quæ ibi deſcribuntur cum certis finibus. Ex inſtrumento autem poſſeſſionis captæ per DD. Claudiam, & Beatricem, & teſtib. examinatis conſtat eas poſſidere duas poſſeſſiones in dicta Villa, & cõueniũt in ea qualitate, quidã ſint diuiſæ in plurib. petiis, & vlterius ſeptimus teſtis iux. 29. cõuenit cũ inſtrumẽto poſſeſſionis, quod ſcilicet dictę poſſeſſiones ſint ſeminis modiorũ duodecim diſtinguen. inter poſſeſſionẽ magnam, quæ eſt modio-

modiorum 8. & paruam, quæ est modiorum quatuor. Præterea concurrit primus testis, qui super primo deponit, quod suprascripta bona quæ in Villa Curli possidebantur à Comite Bellisario Ferrante & Hercule testatore, post illorum mortem fuerunt possessa ab Hercule iuniore Patre dd. DD. Claudiæ & Beatricis, ex quibus satis visa fuit probata identitas contra dictas Dominas Claudiam, & Beatricem, quæ possessionem dictam bonorum adeptæ fuerunt, vti hæredes Com. Herculis Iunioris nepotis, & hæredis grauati Herculis Senioris fideicommittentis. Ex quo enim penes ipsas reperiuntur, satis est verisimile, quod sint illa eadem bona, quæ ex dicta diuisione, Catastro, & testibus testatorem possedisse constat. Nam licèt ista qualitas successionis non soleat per Rotam ad istum effectum simpliciter, & indistinctè attendi, iuxta opinionem *Fulgos. in cons. 145. sub num. 2. & sequitur Peregr. de fideicomm. d. art. 44. nu. 22.* tamen quando prout in casu isto, vltra eam, & generalem demonstrationem loci concurrit aliqua particularis & specialis demonstratio, Tunc ex omnibus simul iunctis satis dicitur probata identitas, vt fuit resolutum in causa Bonon. fideicommissi de Rubeis 28. Maij 1607. coram Card. Lancellotto.

3 Et ex hoc etiam visa fuit probata identitas respectu Palatij in d. Villa Curli, cum suis pertinentijs de quo in dicta diuisione & Catastro, in quo, palatium reperitur descriptum *cum vna Casa murata per vsu delli Fattori, Vn Fenile murato, Cortile, Horto, & Giardini* prout etiam cum eisdem pertinentijs, & demonstrationibus reperitur descriptum in instrumento possessionis captæ per dd. DD. Claudiam, & Beatricem. Vlterius in Catastro pro confini duarum petiarum terræ in dicto loco, assignatur Palatium, testes autem pro confinibus Palatij assignant ab vno latere viam communem, & ab alijs bona ipsorum DD. de Tassonis. Vnde satis remanet probata identitas ex supradictis.

4 Quo ad possessionem cum Pratis & pascuis in Villa Ruinæ, Catastrum conuenit cum testibus in quatuor confinibus, nempe *la via commune, la fossa, le Nezzola la Signora Comina, & hora gli suoi successori li Signori Mosti*, & in ea qualitate, quod sit diuisa in pluribus petijs terrarum, super quo concordat etiam instrumentum possessionis, & tamen ad istum effectum duo sufficiunt, *l. forma in princ. cum ibi not. per gl. verbo vicinos ff. de censibus. Bart. in d. l. demonstratio falsa. nu. 14. ff. de cond. & demonstr. Alexand. cons. 35. num. 2. lic. 5. Put. dec. 343. num. 4. lib. 2.* & fuit alias sæpe decisum. Tres possessiones in villa capitis fluminis in diuisione descriptas testes benè deponunt, fuisse possessas à testatore pro indiuiso cum alijs fratribus, & quo ad primam possessionem præter plures demonstrationes, nempe *vna possessione arborata vidata con vna Casa da lauoratore, dui feniletti, vna Prouana per mezzo piantata di Pioppe*, assignant etiam tres confines, nempe *la via commune. Romano de Boari, & altre possessioni d'essi Signori Tassoni*, quę omnes demonstrationes & confines conuenerunt cum instrumento possessionis. Quo ad secundam, vltra alias demonstrationes in instrumento possessionis, adsunt duo confines in quibus etiam conueniunt testes. Tertia vero possessio cum alijs suis pertinentijs, in instrumento nuncupatur possessio magna, & pro confinibus assignantur *la via commune, la Signora Giulia Forni, le valli fuor dell'Argini*, & aliæ demonstrationes in quibus testes bene concordant. Quo ad Casamentum, & alia bona in villa Madrariæ per testes illa describuntur hoc modo, videlicet, *Vn Casamento di pietra con vna colombara, & vn'vaso di sotto per seruigio di doi Molini della valle nel Pò*, & inter alios fines dantur à duobus bona ipsorum fratrum in Catastro eædem demonstrationes, & confines assignantur, in instrumento vero possessionis, licèt nondentur fines, concordat tam cum Catastro, & testibus in hac speciali qualitate scilicet. *che questa è vna casa grande murata con vn vaso di sotto doue viene l'acqua della valle per seruigio delli Molini & sbocca nel Pò*, & postea immediatè ibi describuntur duo Molendina, & nonnullæ petiæ terrarum, cum domo in altera ex illis existen. quarum respectu dantur plures confines, & demonstrationes, quæ benè conueniunt cum catastro, & testibus Insuper in instrumento possessionis adsunt *due Prese di Valle, & alcuni Cori da Camera* cum duobus confinibus, nempè *li hæredi di M. Alfonso Pisone, le Manache di S. Antonio*, super quibus concordat quintus testis iux. 23. cuius depositio simul cum qualitate terrarum, in qua concordat etiam tertius testis iux. 25. cum aliis supra deductis, visa fuit ad istum effectum satis suffragari. Bona Villæ Parasauli reperiuntur principaliter diuisa in tribus possessionibus, quarum altera nuncupatur *la possessione da pò, Altera la possessione di Mezzo*, Altera vero *la possessione della Cassina*, & quælibet possessio est subdiuisa in pluribus petiis terrarum, vt in instrumento possessionis DD. Claudiæ, & Beatricis, cum quo conueniũt testes, & Catastrum, an quo secunda nuncupatur della Cassina. tertia la possessione di mezo, & quod omnes sint diuisæ in pluribus petijs. Rursus dum testes dicunt, quod istæ tres possessiones sunt omnes contiguæ, conueniunt cum Catastro, in quo in singulis petiis dantur pro confinibus bona DD. fratrum, ac insuper plures confines, qui dantur in Catastro quo ad bona dictæ Villæ Parasauli, conueniunt cum testibus nempe *il Conte Giulio Tassone dicti Signori Fratelli, li Signori Conte Manfredi, le ragioni del Priorato di S. Romano, il Signor Giuliano della Riberta, l'Arginè del Pò, & li Signori Sacrati*, cum quibus concurrit existentia penes hæredes, & sic remanet probata identitas ex supra allegatis.

5 Non obstat, quod ex instrumento & testibus cum aliis supra deductis non probetur possessio testatoris de tempore obitus, quia in dubio præsumitur continuata, nisi in contrarium probetur. *DD. in l. fine possidetis. C. de probat. cum aliis adductis per Peregrin. de fideicom. d. art. 44. num. 16. Rot. dec. 4. de probat. in nou.* Maximè quia non constat, quod DD. Claudia, & Beatrix reperiantur in possessione dd. bonorum, alias quam vti filiæ & hæredes Herculis iunioris, qui vt dictum fuit hæres Herculis Senioris, ex quo bene præsumitur, quid testator etiam de tempore mortis possederit, & possessionem continuauerit. *Bar. in l. Pomponius. §. vlt. in fin. ff. de acqui. possess. Alber. cons. 6. nu. 8. Alciat. regul. 2. præsumpt. 21. nu. 3. vers. tu aduertè. Menoc. lib. 2. præsump. 64. nu. 17.*

6 Nec dubitarunt Domini, quin partitæ librorum Catastri, siue Æstimi ad istum effectum suffragentur tam contra DD. Fratres, de quorum voluntate descriptæ apparent. *l. censualis, & ibi Bald. C. de donat. Dec. cons. 146. sub nu. 13. vers. Nam sicut descriptio. Roland. cons. 4. nu. 16. & seq. lib. 2. Peregr. de fideicomm. d. art. 44. num. 9.* quam contra dd. DD. Claudiam, & Beatricem, habētes causam ab illis. *Bar. in l. si à te. §. fin. de except. rei iud. Aret. in cons. 36. nu. 3. vers. 2. dico, Ruin. cons. 40. num. 3. lib. 4.* & cum fuerint extractæ per Notarium successorem in Scribania Ciuitatis prædictæ in qua dicti libri publicè conseruantur, quę propterea dicuntur in forma probanti, absq; aliis solennitatibus, *Bart. in l. si quis ex argentariis. §. cogentur. sub nu. 3. ff. de eden. Dec in l. si quis in aliquo. nu. 26. Et ibi Ias. nu. 5. & in quinta fallentia. C. eod. tit.* Et tenuit Rota in causa Vicen. beneficii S. Martini 5. Iunii 1600. coram bonæ mem. Card. Pamphilio. Ex quibus ita fuit decisum, &c.

R.P.D.

R. P. D. PAMPHILIO.

Romana fideicommissi de Micinellis. Mercurii 17. Iunii 1615.

ARGVMENTVM.

Testator vocando familiam an censeatur intellexisse de familia contentiuè, vel potius effectiuè.

SVMMARIVM.

Exclusus a fideicommisso dicitur, de quo fideicommissum non loquitur. nu. 1.
Familiæ verbum potest accipi contentiuè, ita vt etiam comprehendantur transuersales. nu. 2.
Fallit quando constat testatorem sensisse de familia effectiuè: quia tunc veniunt soli ipsius descendentes. nu. 2.
Verbum seu pronomen eiusdem denotat personalitatem. num. tertio.
Familiæ verbum intelligitur effectiuè, vbi testator addidit pronomen ipsius, seù eiusdem. nu. 3.
Ex exclusione vnius vno casu arguitur ad exclusionem etiã in alio. nu. 4.
Vna pars testamenti aliam declarat. nu. 4.
Dispositio eadem non debet diuerso iure censeri, nisi adsit diuersa ratio. nu. 5. Vbi, quod ratio diuersitatis debet esse clara.
Testator non debet præsumi, quod voluerit excludere proprios descendentes intuitu transuersalium. nu. 6.
Vbi maxime, si descendentes fuerunt à testatore magis dilecti, quam transuersales.
Familiæ verbum in dubio debet accipi contentiuè, numero sexto.
Filii positi in conditione ex statuto Vrbis censentur vocati. num. 5.
Prohibitio alienationis debet intelligi iuxta terminos fideicommissi præcedentis. nu. 7.

DECISIO DCCVII.

1 PRoposui dubium, an sit recedendum à decisione facta coram bon. mem. Cardinale Seraphino, sub die 10. Iunii 1602. quæ est inter eius impressas 1438. & supradicta die Domini steterunt in decisis, quod scilicet Domina Propertia non esset vocata ad fideicommissum, de quo agitur, quia in illo non reperitur de ea facta mentio, & regula est clara, quod in hac materia pro alicuius exclusione sufficit dicere, fideicommissum de te non loquitur. *Soc. cons. 62. sub nu. 4. vers. & in primis lib. 3. Socin. iun. consil. 18. numer. 23. lib. primo.*

2 Non obstat, quod testator prohibuerit quamcumque alienationem huius casalis, vt quantum Deo placuerit in eius familia remanere deberet, per quam Informantes pro Domina Propertia dicebant, inductũ fuisse absolutum fideicommissum ad fauorem familiæ, sub qua comprehendebatur Domina Propertia soror testatoris, quia etiam admisso huiusmodi absoluto fideicommisso ad fauorem familiæ, placuit Dominis responsio, quod licèt verbum (familia) possit accipi contentiuè, ita vt comprehendat etiam agnatas transuersales, *vt in l. pronunciatio. §. familiæ, ff. de verb. signific. cum alleg.* tamen quando, pro vt in casu isto, constat, testatorem sensisse tamen de familia effectiuè, tunc sub ea comprehenduntur tamen descendentes ab ipso testatore, non autem transuersales. *Socin. iun. consil. 97. numer. 61. libro secundo. Peregrin. de fideicommiss. artic. 22. num. 26. Sim. de Pretis, de interpret. vlt. volunt. libr. 3. Interpret. 3. dubit. prima. solut. 11. nu. 26.*

3 Quod autem testator senserit tantum de sua familia effectiue, visum fuit colligi ex verbis testium, ibi sed quantum Deo placuerit Casale in eiusdem familia remanere debeat ponderando illud pronomen, eiusdẽ, quod de notat personalitatem, vt de pronomine ipsius trad. *Rip. in l. filiusfamilias. §. Diui num. 111. ff. de leg. 1. Tiraq. de retract. conuent. §. 1. gl. 6. num. 25. Rota cor. Seraphino, dec. 11. 49. nu. 3.* cum alijs adductis coram me, in causa Placentina Antifati. 6. Iunij 1614. ita vt verbum familia, intelligatur effectiuè de descendentibus proprie, & præcise ab ipso testatore, vt arguit *Menoc. cons. 233. nu. 20. & seq.* Et hanc opinionem tenent *Ruin. cons. 153. num. 11. lib. 2. Socin. iun. d. cons. 97. num. 62. & alij plures relat. per Addent. ad dictum decis. bon. mem. Cardinalis Seraphini*, 1438. *nu.* 11. nec eam improbant *Gabr. consil. 132. num. 60. lib. 1. & Mant. de coniect. vlt. volunt. lib. 8. titul. 12. nu. 20. in fin.*

4 Idemque clarius suadetur ex eo, quod testator masculis quemcumque descendentibus sine filijs legitimis, & naturalibus substituit filias, & nunquam in toto testator Propertiam, vel alios transuersales expresse ad successionem vocauit, quinimo in casu delicti disposuit, quod si quis filiorum delictum committeret, propter quod venirent bona publicanda, alij filij masculi, si superuixerint, succedant, alioquin filiæ alias Domina Faustina vxor ipsius. Vnde sicut in his casibus nullam rationem habuit testator de Propertia sorore, vel alijs transuersalibus, sed solum de familia effectiuè, imò magis dilexit vxorem quam transuersales. Idem est dicendum in casu, de quo agitur, quia vna pars testamenti aliam declarat. *l. 3. §. Sed etiam inter duos. ff. de liber. & posthum.*

5 Præterea considerabant Domini, quod testator post prohibitionem alienationis Casalis sub vna, & eadem verborum conceptione prohibuit etiam alienationem aliorum bonorum stabilium. Vnde sicut respectu aliorum bonorum non possunt dici vocati transuersales, idem est dicendum respectu Casalis per *l. iam hoc iure. ff. de vulg. & pupil.* quæ licet non procedat, vbi adest diuersa ratio, *iuxta l. 2. ff. de offic. procons.* in casu tamen, de quo agitur, prohibitio alienationis respectu Casalis est magis stricta, quod scilicet non possit alienari, nec etiam pro dotibus dandis, vel recipiẽdis, vt semper in eiusdem familia remanere debeat, sed ex his non inducitur clara diuersitas dispositionis ex adductis cor. *Seraph. dicta dec. 1438. n. 10.* cum etiam illud verbum familia intelligi possit de descendentibus tantum ab ipso testatore, vt colligitur ex alijs coniecturis supra deductis.

6 Quæ omnia eo magis visa fuerunt admitten. quia non est verisimile testatorem voluisse excludere proprios descendentes ex filia intuitu sororis, quæ est transuersalis, vt per *l. cum auus. ff. de cond. & demonstr. & l. cum acutissimi. C. de fideicom. tenet Mant. d. lib. 8. tit. 12. nu. 14. 15. & seq. secundum nou. impress.* Vbi dicit, quod licet coniectura d. l. cum actus non admittatur, vbi constat de contraria voluntate testatoris, in casu tamen dubio non est ab ea recedendum, *per §. item vetustas. vers. nostra autem constitutio. Instit. de hæred. quæ ab intest. deferuntur.* & multo minus in casu, de quo agitur, in quo, vt per eundem *Mant. d. nu. 15.* ponderatum fuit, ex concurrentibus coniecturis, satis constat, quod nepotes ex filia magis dilecti fuerunt à testatore, quã soror, & faciunt deducta *in d. dec. 1438. nu. 9.* Vbi quod limitationes, quę dentur ad dictam l. cum auus in hoc casu non applicantur, & ex his cessat, quid verbum familia in dubio accipi debeat conuentiuè ex adduct. *in dec. 1438. num. 4. cum alijs trad. per Simon. de Pret. vltim. vol. lib. 3. interpr. 3. dub. 1. dicta solut. 11. nu. 26.* quia de voluntate testatoris satis visum fuit constare ex plurib. supra ponderatis cum alijs per Informantes adductis quæ Dominis placuerunt.

7 Vlterius fuit etiam ponderatum, quod testator in supradicto casu deficientiæ masculorum sine filijs legi-

legitims, & naturalib. substituit in vniuersa hæreditate vulgariter, pupillariter, & per fideicõmissũ filias natas, & nascituras pro æquali portione, & deinde filiabus morientibus sine filijs legitimis, & naturalibus eisdem substituit filios masculos superuiuentes, non autem alias filias superuiuentes. Vnde licet filij Orithiæ non fuerint expressè vocati, tamen cum fuerint positi in conditione, censentur vocati per *statutum Vrbis lib. 1. cap. 142.* & cum post huiusmodi fideicommissum immediate sequatur prohibitio alienationis, tam respectu Casalis, quam aliorum bonorum immobilium, illa saltem in dubio intelligi debet iuxta terminos fideicommissi procedentis. *ad consil. Dec. 636.* pluries in Rota canonizatum, & ita decisum, &c.

R. P. D. ANDREA.

Calciaten. Coniudicum. Lunæ 1. Iunij 1615.

ARGVMENTVM.

Portionarij quando dicantur de Capitulo.

SVMMARIVM.

Sententia vt valida dicatur, quæ requirantur. nu. 1.

Portionarij possunt eligi in coniudices quando sunt de Capitulo. nu. 1.

Portionarij non dicuntur de Capitulo. num. 2.

Vbi nisi statuto, vel consuetudine contrarium caueatur, & n. 3. Idem dicitur de Decano, & dignitatibus.

Ecclesia vnita dissoluta vnione retinet suos honores, statuta, & priuilegia, sicut antea. nu. 4.

Portionarij dicuntur de Capitulo, quando probatur fuisse per Canonicos admissos actiuè, & passiuè ad quamplures actus, qui solis Capitularibus competunt. nu. 5.

Portionarii non dicuntur de Capitulo ex eo, quod in quibusdam, vel in omnibus actibus habeant votum in Capitulo. nu. 5. Nisi tamen adsit statutum, vel consuetudo, quod ipsi sint de Capitulo. nu. 6.

DECISIO DCCVIII.

1 PRo confirmatione sententiæ Rotalis fuit vnanimiter resolutum. Constabat enim de iurisdictione per Commissionem de mandatis Procuratorum hinc inde comparentium, de citatione ad audien. sententiã personaliter exequuta, fuerunt seruati termini substantiales, quæ sunt illa, quæ reperiuntur pro validitate sententiæ, vt fuit dictum in Meliten. Nauis 12. Ianuarii præteriti coram R. P. D. meo Vbaldo. Quo verò ad iustitiam, illa videbatur esse patens ex deductis in vlt. Dec. Reuerendiss. Attrebaten. in qua fuit firmatum, Portionarios esse de Capitulo, & dicta Dec. præsupposita Cong. Illustr. Cardinalium Sac. Concilii Interpretum illos in coniudices posse eligi declarauit.

2 Etsi enim de iure communi soli Canonici, & non Portionarii constituant Capitulum, *iuxta doctrinam Compostel. in cap. 1. nu. 4. vers. numquid Portionarii. de elect.* Vbi dicit Rom. Curiam ita seruare, quam opinionem Doct. communiter sequuntur, & Rota sæpius approbauit, *vt in decis. Verall. 84. part. 1.* cum aliis adductis in Abulen. Iurisdictionis 6. Februarii, & 17. Aprilis 1589. cor. bon. mem. Card. Pamphilio, & in Gerunden. iuris interessendi in Capitulo, 11. Decemb. 1609. cor. Reuerendiss. D. meo Decano, & in Hispal. Preeminen. 4. Iunii 1612. cor. R. P. D. meo Pamphilio. Et in hac causa 25. Febr. 1611. cor. Reuerendiss. Attrebaten. Illa tamen communiter limitatur, vbi statuto, vel consuetudine aliter cauet, scilicet Portionarios esse de Capitulo, vt tradit *Compost. vbi sup. vers.* Et hoc est verum, & authoritatib. Doct. & Rotæ resolutionibus fuit firmatum in d. Dec. Reuerendiss. Attrebaten.

3 Prout etiam videmus, quod licet Decanus, & aliæ Dignitates non sint de Capitulo, tamen secus, vbi statutum, vel consuetudo Ecclesiæ disponit, quod censeatur esse de Capitulo. *Abb. in cap. cum inter vniuersas. not. 1. in cap. auditis. num. 3. notab. 3. de elect. Gemi. in cap. fin. vers. aut quærimus. de præben. in 6. Fel. in Proœm. Decret. in ver. Gregorius. n. 16. vers. Hæc fallentia, & in cap. cum olim. nu. 4. post Abbat. ibi nu. 8. de re iud. Rip. in cap. eam te. nu. 14. de rescript. Franc. Marc. dec. 1029. nu. 2. par. 1.* Et fuit dictũ in Calaguritana Iuris Votandi. 27. Februarii 1595. coram Orano, Et in alia Calaguritana Iurisdictionis 8. Decemb. 1599. coram Iusto.

4 Ex statuto autem fundamentali Ecclesiæ Calaguritan. Et Calciaten. olim inter se inuicem vnitarum de anno 1235. apparet, Canonicos, & Portionarios esse de Capitulo, cum fuerit constitutum, quod in prædictis Ecclesijs essent 40. Canonici, & 20. Portionarij integri, ita quod omnes isti vnum Capitulum, & vnum Collegium esse censeantur, quod statutum fundamẽtale suffragatur etiam facta dissolutione vnionis, cum quælibet Ecclesia retineat suos honores & sua statuta, & priuilegia sicut antea. *Ad tex. in l. 1. in fin.* ibi, & vtraque dignitate simili perfruatur. *C. de metro. Berit. lib. 11. cum not. ibi per Gl. & Doct. & latè per Tiraq. in tract. cessante causa. limit. 15.* præsertim, quia in Ecclesia Calaguritana post d. dissolutionem Portionarij remanserunt prout hodie sunt de Capitulo, vt ex Decisionibus & sententiis Rotalib. exequutioni demandatis fuit alias firmatum in causa Calaguritana iurisdictionis. Vnde videtur idem iuris esse in Ecclesia Calciaten. Cum eadem sit ratio in vtraque. *Ad text. in l. iam hoc iure. ff. de vulgar. & in cap. in causis, de re iud.*

5 Accedat quod dissoluta vnione, factum fuit aliud statutum, videlicet quod in Ecclesia Calciat. 8. Portionarii eandem habeant obligationem, quam Canonici & quod habeant votum in Capitulo, & in electionibus, & in omnib. aliis rebus, quod statutum fuit sem. per obseruatum, vt patet tum ex testibus qui deponunt de huiusmodi obseruantia, quæ quamplurimis actibus Capitularibus, ad quos actiuè, & passiuè per Canonicos fuerũt admissi dicti Portionarii, qui actus sicuti solis Capitularibus competunt, ita ex eisdem satis cognosci potest, quo iure interfuerint. *Anch. cons. 422. nu. 2. Rip. in cap. cum Ecclesia. num. 52. de caus. possess. & propr. Ruin. cons. 155. nu. 10. lib. 4.* Et dixit Rota in Calaguritana iurisdictionis. 25. Maii 1598. cor. Corduba. Et in hac causa cor. R. Attrebaten. Et tanto magis, quia d. testes subiungunt, quod Portionarii fuerunt semper, & sunt habiti pro Capitularibus, & personis de Capitulo, & in dictis actibus recensentur Canonici, & Portionarii, cum assertione, quod faciunt vnum Capitulum.

6 Vnde licet ad effectum essendi de Capitulo non sufficiat, quod Portionarii in quibusdam, vel in omnib. actib. habuerint votum in Capitulo, *iuxt. doctr. Gemi. in d. cap. fin. de præb. in 6.* & ita declarauit Sacr. Cong. Concilii Interpret. in causa Abulen. Iurisdictionis, & sequuta est Rota in eadem, & aliis mox allegan. Vbi tamen vt supra dictum fuit, statuto, vel consuetudine expressè cauetur, quod Portionarii sint de Capitulo, nulla dubitatio est, quin ipsi de Capitulo censeri debeant, vt trad. Gemi. vbi supr. & cens. ead. Sacr. Cong. & Rota in d. Abulen. Iurisdictionis in integros Portionarios 17. April. 1589. cor. bon. me. Card. Pamph. Vbi quod antea fuerat tentum in vna Calaguritana fructuum cor. Bubalo, & fuit quoque dictum in causa Corduben. Iurisdictionis, 17. Iunii 1596. cor. Orano. Ex quibus, solis Portionariis informantibus ita fuit conclusum, &c.

DECISIO DCCIX.

Tudertina, seu Romana Nullitatis obligationum Lunæ 1. Iunij 1615.

Impressa Apud Buratto.

DECISIO 116.

R. P. D. REMBOLDO.

Vlisbonen. Concursus. Lunæ 1. Iunij 1615.

ARGVMENTVM.

Constitutio Pij V. super concursu parochialium, quando habeat locum in parochialibus vnitis, quarum cura exercetur per Vicarios, & quando cura beneficij vniti dicatur residere totaliter penes Vicarium, & quando penes Rectorem beneficij, cui fuit facta vnio.

SVMMARIVM.

Constit. Pij V. & Conc. Trid. sess. 24. c. 14. super concursu parochialium habent locum etiam in cura, quæ exercetur per Vicarium, quotiescumque in Vicarium transfertur totalis cura, quo ad exercitium, & habitum, nu. 1. & nu. 5. quod nihil referat ad hunc effectum, an Vicarius sit perpetuus, vel ad nutum amouibilis.

Vnio operatur, vt Ecclesia vnita remaneat suppressa, & efficiatur prædium Ecclesiæ, cui fuit facta vnio, ita vt Rector Ecclesiæ cui fuit facta vnio sit Rector, & prælatus etiam vnitæ. num. 2.

Cura beneficii vniti remanet habitu penes Rectorem beneficii, cui fuit facta vnio, licet exerceatur actu per Vicarium, nu. 2.

Cura beneficii vniti dicitur esse habitu penes Rectorem beneficii, cui fuit facta vnio, quando Vicario perpetuo, qui illam exercet, non fuit assignata certa portio fructuum numer. 3.

Cura totalis beneficii vniti tunc dicitur esse penes Vicarium quando ipse percipit omnes fructus beneficii certa portione Rectori Ecclesiæ, cui fuit facta vnio, assignata. n. 3. Vbi tamen quod id repugnat vnioni.

Vicarii Ecclesiarum vnitarum debent esse perpetui, siue vni fiat monasterio, siue alteri beneficio, nu. 4.

Mentio facienda non est de cura imminenti beneficio in illius impetratione, vbicumque beneficium est alteri annexum, nu. 5.

Status beneficii non potest probari ex collatione nulla, & erronea, nu. 6.

DECISIO DCCX.

1 Licet alias coram Reuerendiss. D. meo Decano resolutum fuisset, non constare de vnione, quæ non impediat concursum, nihilominus causa mihi postea commissa, & tertio in Rota proposita; Domini ab illa decisione recedendam duxerunt, non quod controuerterent, quod quotiescunque transfertur in vicarium totalis cura quo ad exercitium scilicet, & habitum, locus non sit constitutioni Sanctæ me. Pij V. in ord. 32. Nec non dispositioni sac. sanct. Triden. Conc. sess. 24. c. 14. & eiusdem Illustriss. Interpretum declarationib. vt alias dictum fuit, in vna Vlisbonen. iuris conferendi 2. Decemb. 1605. coram bo. me. Litta & in ead. 13. Iunij 1607. coram Illustriss. D. Card. Lancellotto, & in supradicta Reuerendiss. D. mei Decani dec. alleg. Sed quia non subsistere videbatur, quod in proposito totalis cura, etiam quo ad habitum vt dixi in Vicarium translata esse probetur.

2 Nam dicebant eum esse effectum vnionis, vt Ecclesia siue simplici beneficio, siue alteri Ecclesiæ curatæ accessorie vnita sit, penitus remaneat suppressa, & efficiatur prædium Ecclesiæ, cui facta fuit vnio, *Rota decision. 11. de rebus eccles. non alien. in antiq. Caccialup. de vnion. art. 8 n. 8. Sarnen. in reg. de infirm. q. 15. & de Trien. q. 8.* Ita quod Rector Ecclesiæ, cui facta fuit vnio, sit Rector & Prælatus etiam vnitæ. *Rebuff. de vnio. nu. 49.* & cura beneficij vniti resideat habitu penes ipsum licet exerceatur actu per Vicarium, *gl. in c. super eo. in verbo annexæ iuncta gl. marginali, & ibi Franc. num. 2. de præbend. in 6. Ioan. Andr. Host. & alii, & in c. exposuisti, de præbend. Abb. in c. extirpandæ. in repet. §. qui vero. num. 15. eod. tit. Fel. in c. postulasti. vers. sed Abb. de rescript. Mohed. dec. 5. de decimis.* Vnde cum tam ex literis Clementis VI. quam etiam Sixti IV. Summ. Pontif. euidenter appareat beneficium, de quo agitur, fuisse Canonicatui Vlixbonen. Ecclesię perpetuo vnitum, necessario sequi videbatur, quod omne ius tam spirituale, quam temporale eiusdemmet beneficii, fuerit in Canonicatum translatum.

3 Nec obstare credebant, quod in ipsamet vnione fuerit non modo cura actualis, verum etiam habitualis Vicario ad regendum curam beneficij vniti deputato præseruata, quia neq; hoc expresse in d. Vnione vllo modo legitur, neq; etiam ex eo colligi potest quod certa portio Vicario perpetuo, per quem cura d. beneficii exercenda erat, assignata fuit, cum imò id ipsum manifestum signum sit, quod habitualis cura non penes Vicarium, sed penes Canonicum, vel Prælatum beneficii, cui facta fuit vnio, residet, & tunc demum totalis cura penes Vicariũ esse dicatur, quando ipse omnes fructus beneficii percipit, certa portione Canonico assignata, quod tamen repugnaret vnioni, sed potius mediante fructuum dismẽbratione ad terminos, *c. auaritiæ. de præb. fieri contingeret, vt bene distinguit Fran. in alleg. c. super eo. n. 2. eod. tit. de præb. in 6. Card. in Clem. 1. nu. 10. de offic. Vic. cum aliis adductis Caputaq. dec. 33. num. 3. p. 3.*

4 Minus admittendum putabãt, quod prędicta tunc demum procedere dicantur, quãdo vel vnio fit Monasterio, non autẽ Ecclesiæ sæculari, vel Vicarius ad nutũ amouibilis, & non perpetuus ad regendã curã beneficij vniti deputatus. Tũ quia alleg. iura & DD. in specie loquũtur de Canonicatib. & aliis secularib. beneficiis nec vlla concludens diuersitatis ratio assignari potest, tũ quia cũ de iure omnes Vicarii Ecclesiarũ vnitarũ debeat esse perpetui, siue vnio fiat Monasterio siue alteri beneficio sæculari, vt notant omnes *in c. extirpandæ. §. qui verò de præb. & in c. super eo. vbi gl. eo. tit. lib. 6. Rot. dec. 758. p. 1. diuers. latè Gonzal. gl. 5. §. 3. nu. 10.* tam trad. à DD. de Vicarijs, quod scilicet in ipsos cura non transferatur, quam Constit. Sanctæ me. Pii V. supra relata redderetur superflua.

5 Et quod ad hoc vt locus sit concursu non inspiciatur, an Vicarius sit perpetuus, vel ad nutũ amouibilis fuit in terminis decisum in allegat. Vlisbonen. Iuris conferendi 2. Decembr. 1605. corã bo. me. Litta Ideq; firmat *Card. in d. clem. 1. sub eo. nu. 10. de offic. Vic.* dum in specie inquit, etiam quod Ecclesia vnita per Vicariũ perpetuũ regatur. Nihilominus cura per modum cuiusdã iuris, & in habitu est apud principalẽ, ita quod, quod satis patet omnes alios DD. qui in cõtrariũ adduci posset intelligi debere de cura actuali, vel de qua sit mentio facienda, *iux. trad. per Menoch. de arbitrar. cas. 201. num. 67.*

Nec denique visus fuit aliqua consideratione dignus vltimus status beneficii de quo agitur cũ prouisio tũc facta manifeste detegatur erronea eo quod facta

facta fuit vti de beneficio iuris patronatus Ecclesiastici, cum tamen facienda esset ad formam constitutionis Pii V. quæ etiam continet decretum irritans. Ideoque inficit titulum, & possessionem; ita quod ex huiusmodi prouisione nullo modo desumi possit ob seruantia talis, quæ veritati rei præiudicare possit, *ad decis. Crescen. 4. in fin. de priuil.* Vltra quod collatio, quę causam præsenti liti dedit, non est conformis d. prouisioni, &c.

DECISIO DCCXI.

Auinionen. Archidiaconatus Veneris 5. Iunii 1615.

Impressa Apud Buratto.

DECISIO 117.

R. P. D. PIROVANO.

Bononien. Laudi. Veneris 5. Iulij 1615.

ARGVMENTVM.

Libri sociales licet sint scripti, seu tenti contra formam statuti, tamen non possunt ab vno socio impugnari contra tertium, quando fuerunt scripti dicto socio sciente, & patiente.

SVMMARIVM.

Statutum potest dare fidem libris mercatorum sub certa forma retentis. nu. 1.
Socius non potest impugnare contra tertium scripta ab altero socio in libris societatis ipso sciente, & patiente, nu. 1. & num. 5.
Scientia scripturæ, seu contentorum in libris desumitur ex vsu scripturæ, seu librorum, nu. 1.
Allegans aliud non extare præter descripta, habet intentionem fundatam, num. 2. Vbi quod id solum procedit in inuentario hæredis propter præsumptionem, quam habet pro se, alias secus.
Legatarius contra affirmatiuam inuentarii excipere non potest, sed negatiuam probare tenetur, nu. 3.
Culpa tenet solum auctores. nu. 4.

DECISIO DCCXII.

PLacuit Dominis decisio die 16. Februarii præteriti in hac causa facta, & hodie ex iisdem fundamentis eam confirmarunt. Quibus visum est non obstare statutum fori mercatorum Ciuitatis Bononiæ, sub titulo, In che modo si debba dar fede alli libri, rubr. 19. in quo videtur expresse data certa forma retinendi libros etiam memoriales, & de recordi nempe, quod debeant intitulari, affoliari, signari cum declaratione, ad quē finem dictus liber teneatur, & cum deputatione personæ, quæ in eo scribere debeat, quibus non seruatis, libri fidem non habeant ideo cum prædicta in præsenti deficiant, sufficere dicebatur ad conquassandam omnem fidem ex libris præsumptam, licereque Dominis de Sancto Petro, & Scappis libros impugnare.

1 Nam sensum dicti statuti Domini intellexerunt, quando agendum esset de fide danda libris in fauore scribentis contra tertium, vt eo casu non obstante *l. instrumenta, l. exemplo. C. de probat.* possit statutum dare fidem libris mercatorum sub certa forma retentis secundum veriorem opinionem, de qua per *Salic. in d. l. exemplo. C. de probat. Bald. in l. cunctos populos, nu. 16. C. de summ. Trinit. & fid. Cath. & in l. quidam, §. nummularios, ff de edend. vbi Castr. nu. 3. Alex. nu. 1. Ias. num. 2. & plenius idem Ias. in l. admonendi, numer. 120. ff. de iureiur. Crau. de antiq. temp. §. 4. limitatur, nu. 81.* secus vero, vt in pręsenti, Vbi non agitur de interesse tertii, sed ipsorum tantum sociorum, neque de scriptura ab ipsomet Christophoro conscripta, sed ab aliis sociis, aut ministris apothecæ sociis scientibus, & videntibus pertinentia ad negotium scribere, quæ propterea ab ipsis non videtur posse impugnari propter præsuppositum mandatum, vt ponderat in istis terminis *Bald. cons. 98. in fin. lib. 2. & eum sequitur Crauet. consil. 73. in princ. de antiq. temp. p. 1. §. quæritur etiam in hac materia, num. 77. Abb. in cap. 2. num. 12. de fid. instrum. Stracha. tract. de mercat. part. 2. num. 65.* neque de pręsentia, & scientia sociorum videbatur posse dubitari tam ex qualitate negotii, quod per multos annos absque reclamatione continuauit, quàm etiam propter eorumdemmet librorum vsum imponendis, & solidādis calculis cum hæredibus Rogerii alterius ex sociis ex quo desumitur librorum scientia, & approbatio, *Dec. cons. 297. nu. 2. Bellon. cons. 15. nu. 11. Surd post alios decis. 229. nu. 6.*

2 Statuto igitur Dominis de Santo Petro, & Scappis non suffragante deducta contra primum caput decisionis videbantur non obstare, nempe quod Grimaldus per affirmatiuam partis serici empti ex libris, vel propria confessione resultantem reuelari non possit à probatione vera, & concludenti, ad quam tenetur ratione susceptæ administrationis, cum ratio *text. leg. cum dc lege. & gl.* sit fundata in præsumptione inuentarii legitime confecti, propter quam legatarii asserentes contrarium tenentur probare, vt declarant *Gabr. de probat. conclus. 7. nu. 12. & Couar. var. resol. libr. 2. c. 6. num. 4.* quam non posse considerari dicebatur in huiusmodi libris male tentis, & regulatis.

3 Nam præsuppositum, quod male sint tenti, & regulati libri non accommodatur effecti, de quo agitur, cum Christophorus non deducat affirmatiuam ex libris à se ipso conscriptis, contra quos possit dari de imperfectione scripturę, sed nititur scriptura ministrorum societatis, & etiam sociorum ad regendam scrip turam in capitulis electorū, quæ non potest impugnari per socios, vt iam fuit firmatum, ideo sicuti legatarii contra affirmatiuam inuentarii excipere nō possunt, sed negatiuam probare tenentur, ita & socii contra affirmatiuum librorum, qui impugnationi non subiacent, onus assumere tenentur, quatenus contrarium probare velint.

4 Non obstat, quod partitę librorum, de quibus agitur, non sint vere, contineant multos errores, & lacerationes foliorū, & dolosæ conuincantur: Quia vltra quod prædicta Christophoro nō videntur posse imputari, qui libros nō scripsit, cū culpa suos tantū auctores tenere debeat. *l. sancim. C. de pœn.* videtur in prima decisione reseruatū ipsis de Sancto Petro, & Scapis, vt quoquomodo de errore prædictorum diceręt.

5 Demum obstat, quod quamuis ex natura, & qualitate negotii neque partitæ in 2. & 3. capite decisionis tanquā minutæ non essent referendæ in libris Societatis lib. Giornali, scilicet, & Magistro, seu principali, nihilominus negotio perfecto ex dispositione eiusdem statuti Bononien. vers. *Ma questo vogliamo habbi luogo &c.* adnotari debebāt, vt fides præstanda sit. Eadem enim responsione tollitur obiectū, quod in præsenti non agitur de fide librorū coadiuuanda, ad hoc, vt cōtra regula iuris credatur scripturæ scribētis ad eius commodū, sed de scriptura tertii, & inter ipsos socios qui passi sūt sciēter per ministros apothecę eā cōfici quæ propterea nō potest impugnari, vt dicebā, propter præsumptū mādatū etiā si statuto caueretur, vt

fides non adhiberetur tali scripturæ ex *Bald. d. consil. 98. cum alijs allegatis, &c.*

REVERENDISSIMO P. DOMINO COCCINO DECANO.

Romana Census, siue Executionis. Veneris 5. Iunij 1615.

ARGVMENTVM.

Minore prohibito à statuto contrahere sine consensu proximiorum quis debeat probare ipsum minorem proximiores non habuisse vel si habuit illum fuisse impeditum contractui interuenire, & de quo tempore, est decisio notabilis, & Magistralis.

SVMMARIVM.

Minore prohibito contrahere sine consensu proximiorum, & proximiore non adhibito, qui dicit proximiorem adfuisse, & tempore contractus in loco contractus extitisse probare debet, nu. 1. & nu. 3. & seqq. Vbi etiam quis debeat probare d. proximiorem in die contractus potuisse interuenire, & nullum habuisse impedimentum, & an sufficiat probare impedimenti cessationem in die contractus an verò etiam requiratur probatio de hora contractus.

Sanitatis probatio licèt sit difficilis, probari tamen potest sanitas ex circumstantijs sanitatem inferentibus. nu. 1.

Testium consanguinitatis defectus suppletur per alios. num. secundo.

Infirmitas non præsumitur, sed sanitas, & ideò qui infirmitatem allegat, probare debet. nu. 2.

Præsumptio iuris an, & quando transferat in aduersarium onus probandi contrarium. nu. 2.

Impedimentum accidentale non diu durat, & ideo expectandum est, quod cesset. nu. 4.

Minoris assertio, quod proximiores non habeat, qui possint contractui interuenire, non probat hanc negatiuam. num. quinto.

DECISIO DCCXIII.

1 EXcellentissimus D. Princeps Vrsinus, tunc minor fideiussit pro alijs Dominis de Vrsinis absque interuentu clar. mem. Henrici Caetani S. R. E. Card. Camerarij eius proximioris, & cum propter hoc daret de nullitate dictæ fideiussionis ex statuto *Vrbis libro primo, capit.* 151. cumque probauerit eadem die contractus Cardin. prædictum fuisse in Vrbe iuxta resolutionem factam 15. Nouembris 1610. coram Reuerendissimo Dom. Archiepiscopo, Bononien. ideo dubitaui sub die 11. Martij 1613. an vltra præsentiam Cardin. Excell. Princeps teneretur probare aliquam habilitatem, & quatenus, sic vt esset probata, & Rota ad primam partem affirmatiue respondit. Ad secundam vero negatiue. Hodie autem recessit à dicta resolutione quo ad secundam partem, & respondit affirmatiue, scilicet Principem probare habilitates Cardinalis nedum naturales, sed etiam non adfuisse inhabilitates accidentales. Nam quantum ad naturales deponunt testes quod eam die contractus Cardinalis erat sanus. Et quamuis ista probatio videatur difficilis, tamen cum hoc deponant cum circumstantijs memorabilibus, vtique probant sanitatem de die contractus, per ea quæ tradit *Ioan. Andr. in addit. ad Spec. in tit. de teste. §. 1. nu. 35. lit. K. versi ego saluo Igneus in leg. excipiuntur. numer. 36. versic. sed vltra. & num. 38. ff. ad Syllan. Farinacc. de testibus, quæstio. 58. numer. 88. & seqq.*

2 Qui quidem testes, licet dicantur nulliter examinati tamen hoc non subsistit in facto. Et etiam quod dicatur, quod vnus sit consanguineus, non refert, cum suppleatur per alios. *Farinac. de testibus, quæst. 54. reg. prima, nu. 67. & seqq.* & dicta istorum testium coadiuuantur ex præsumptione iuris, secundum quam quilibet præsumitur sanus, cum infirmitas sit habitus contra naturam. *l. 1. §. sed sciendum ff. de ædilitio edicto. l. semel. C. de re militari. lib. 10. Bart. in l. quæsitum. num. 5. ff. de re iudic. Ripa in tract. de peste tit. de præscrip. remed. contra pestem. part. 2. num. 260.* & quamuis Rota non admittat simpliciter illam conclusionem, quod qui habet præsumptionem iuris pro se, transferat vnus probandi in aduersarium, nisi præsumptio legis de iure habeatur pro concludenti probatione, *Seraphinus dec. 1422. num. 10. & seqq.* tamen fuit responsum, quod hic non deducitur ista probatio præsumptiua ad effectum transferendi onus probandi in aduersariam, sed adminiculatiue, ad depositionem testium, vt magis firmentur eorum dicta.

3 Neque est verum, quod retento isto intellectu testes non probant, quod in hora ipsius contractus Cardinalis esset sanus, prout probare tenerentur ex *Ancharano, in cons. 388. num. 8. versicul. nec obstat, & num. 12. versicul. constat autem. Verall. decis. 218. part. 1. Angel. consil. 194. num. 2. vers. porro licet. Alexand. cons. 97. num. 5. vers. vnde qui se fundat. lib. 7.* Nam in casu, de quo agitur, in contrarium est veritas, quia Doctores, qui volunt minorem, vel mulierem teneri probare habilitates consanguineorum, de tempore contractus sunt intelligendi, prout Rota illos intelligebat, de die contractus, quia nimis stricte loquerentur si essent intelligendi, quod habilitates deberent probari in hora ipsius contractus, & ideo cum Doctores requirant probari habilitatem de die contractus, satis dicitur probatio liquida, & certa, si probetur sanitas de die contractus, licet non probetur in hora ipsius contractus, vt bene ad propositum *Felinus in cap. pastoralis. num. quinto, post medium. versic similiter. de rescript.* & sic cessat dictum Anchar. quia loquitur in diuersis terminis nempe ad euitandam falsitatem instrumenti, vel testium, & in similibus terminis loquuntur *Verall. & alii Doctores sup. allegati.* In istis enim casibus debet probari qualitas de certa hora, at in casu nostro sufficit probare de die, non de hora, quia nimis restringeretur ista materia, & reduceretur ad improbabilitatem.

4 Quantum vero attinet ad inhabilitatem accidentalem ex occupationibus, quod non adfuerit, dicebant Domini, satis esse probatum in casu isto, cum non constet de affirmatiua, ea ratione, quia si impedimentum accidentales adfuisset, non diu duraturum, erat expectandum, quod cessaret. *Tiraquell. in legibus connub. gloss. 8. num. 6. & seqq. Castrens. in leg. cum antiquitas. num. 5. Alexand. num. 6. C. de testament. Modernus de clausulis Instrum. in clausula 7. gloss. 10. nu. primo.* ergo cum impedimenta accidentalia regulariter non sint diu duratura, satis probatur negatiua, cum non probetur affirmatiua, quia etiam quod adfuisset impedimentum accidentale, cum diu non esset duraturum, erat expectandum.

5 Non obstat assertio Principis, quod consanguinei non poterant interuenire, quia si hoc admitteretur, de facili fieret fraus statuto. *Iason in l. si donatione. num. 4. C. de collat. Aymon consil. 175. nu. 2. et 4.* Et ad id, quod Princeps semper fuit magni ingenii, & ideo non est verisimile, quod prædicta expressisset, si non fuissent vera, fuit responsum in hoc casu applicari illud vulgatum, quandoque bonus dormitat Homerus, quod satis probatur, quia fideiusserit sine releuatore, quod alii fideiussores non fecerunt, & etiam asseruit, quod cupiebat fideiubere in censu, & tamen ista res non videtur concupiscibilis, & in minore sola fideiussio sufficit, vt dicatur læsus. *leg. prima. C. de fil. fam. minore.* Et tamen qui interuenerunt in contractu, affir-

affirmarunt nullum posse fieri præiudicium D.Principi ex ista fideiussione,& tamen contrarium est verius ex natura rei,& ex euentu subsecuto.Ex quibus Domini recesserunt à secunda parte decisionis sub die 11. Martij 1613. & ita conclusum, &c.

R. P. D. REMBOLDO.

Viterbien. Bonorum. Mercurij 10. Iunij 1615.

ARGVMENTVM.

Renunciatio facta per volentem, ingredi religionem, quando ex verborum generalitate extendatur ad bona debita renuncianti ex fideicommisso.

SVMMARIVM.

Renunciatio concepta per verba generalissima comprehendit omnia bona, nu.1.

Renunciatio fideicommissi inducitur vbicumq; quis renunciauit cuicumque successioni ex testamento prouenienti, nu.1. Vbi maximè, quando verba renunciationis habent tractum successiuum,nec aliud adest testamentum, in quo verificari possint.

Renunciatio comprehendit omnia bona,quando causa finalis fuit ingressus religionis,& contemptus omnium bonorum præter sibi reseruata,num.2.

Renunciatio generalis præiudicat renuncianti, & porrigitur ad omnia iura renunciantis, etiam si de ijs cogitatum non fuisset. nu.3. & nu.7.

Verba quantumuis generalia restringuuntur ad rem,vel causam expressam,nisi causa expressa sit generalis.nu.4.

Restrictio fieri non potest,vbi non patitur ratio recti sermonis,nu.4.

Verba generalia post certam specificationem non possunt verificari,nisi in diuersis à contentis in specificatione, nu.5.

Dictio alijs licet sit nota similitudinis, tamen includit diuersa ab expensis, nu.5.

Renunciatio vbi est directa in hæreditatem comprehendit omnes modos,quibus hæreditas posset acquiri,nu.6.

Renunciatio generalis comprehendit vltra expressa, quando alias esset superflua,num.6.

Renunciatio generalis comprehendit vlt ra expressa,quando alias esset superflua, nu.6.

Scientia contentorum in Testamento non est necesse probanda ad effectum validitatis renunciationis iuris ex testamento competentis,vbi fuit expressè renunciatum l. de his,ff.de transact.nu.7.

Scientia in dubio præsumitur, vbi adsunt verba generalia, numer.7.

Renunciatio quantumcumque generalis non comprehendit ea,quæ ex testamento pendent, cum non præsumatur de iis cogitatum,nec potuisse cogitari,n.8.

Fallit vbi aliunde quam ex generalitate verborum constat de mente renunciantis,nu.8.

Fideicommissum, vt censeatur remissum, necesse est, quod sit reciprocum, & tempore remissionis purificatum, numer.9.

Fallit vbi agitur de renunciatione fideicommissi facta à volente ingredi religionem,nu.9.

In renunciatione quæ fit à volente ingredi, religionem ex verisimili mente renunciantis, lata fieri debet interpretatio,nu.9.

In renunciatione,quæ fit à volente ingredi religionem, non consideratur læsio,etiam quod renuncians modico accepto multum reliquat,num. 9.

DECISIO DCCXIV.

CVm dubium proposuissem,vtrum sentētia Rotalis esset confirmanda,vel infirmanda, nec inter partes circa validitatem dictæ sententiæ controuersia esset, punctus ad id reduci videbatur, an renunciatio Portię comprehendat bona fideicommisso quondam Iacobi subiecta. Et DD. illa comprehendi censuerunt.

1 Considerarunt enim in primis, quod non solum verba d. renunciationis sunt generalissima,& consequenter ex sui natura apta comprehendere quęcumque bona,ad notat. per Bart. & communiter *DD. in l.sub prætextu. C. de transact. & in l.generaliter,§.vxor.ff. de vsufruc.l.* & in terminis renunciationis fideicommisso *Dec.cons.345.num.3. Crauett.cons.24.sub nu.11.vers. amplius dico,cum aliis per Menoch.cons.87.n.27.* sed quod vlterius etiam Portia, posteaquam omnibus bonis Paternis, Maternis,& Fraternis renunciasset,renunciauit aliis successionibus, & iuribus, & in specie etiam ex testamento quomodolibet ipsi obueniendis & deuoluendis, atq; ideo merito dicendum erit renunciasse etiam successioni, & bonis fideicommisso Iacobi patrui subiectis, vti ex testamento dicti Iacobi ipsi deuoluendis,non minus,ac si testamentū dicti Iacobi nominatim expressum fuisset. *Bar.in l.qui Romæ,§. duo fratres,nu.18. ff. de verb.oblig.* cum præsertim dicta verba habeant tractum ad futurum tempus *l.si ita scripsisset,& ibi DD.ff. de l.2.Bart.in l.1. nu.11.vers. potest. C.de pactis. Surd. cons.308.nu.28.*& nullum aliud adesset testamētū in quo verificari posset *Bar.d.l.qui Romæ. §. duo fratres n.19.vers.nunc ad propositum* & fuit latè in hac causa cor. R. P.Dmeo Mãzanedo firmatū.

2 Deinde dixerunt etiā satis clare cunstare de mente Portię,quod scilicet prędictis bonis renūciare voluerit,tum eo ipso,quod vt dixi,vsu fuit verbis generalibus, & in specie renunciauit,successionib. ex testamento deuoluēdis *ad l.Labeo.§.id Tubero,ff.de supel. leg.*tum & pręcipue,quia causa finalis dictæ renūciationis, vt ex eo proæmio colligitur, fuit, quod Portia Religionem ingressura, spretis omnibus aliis temporandis bonis,& nullo præter dotem, atq; annuam pensionem scut.30.iure sibi retento,perpetuam Deo paupertatem vouere in animo habebat.

3 Quibus concurrentib.indubitanter tenuerunt locum esse regulæ, quod renunciatio generalis præiudicat renuncianti, & porrigitur propter apertā verborum generaliū naturā, ad omnia iura renuncianti competentia,etiam si de iis cogitatum non fuisset, *l. plurib.ff.de acceptil.gl.in l.emptor. §. Lucius in verb. in sua causa.ff.de pact. Bart. in l.si de certa, nu.1.Ias.sub nu.4.C.de transact. Bald.in l.tres fratres. nu.4.ff. de pactis, & in d. l. sub prætextu. sub n.2.vers. tu dic.C.de transact.* vbi quod sibi imputare debet qui non cogitauit sub verbis generalibus omnia comprehendi. *Alex.cons.42.nu.8.l.1. & cons.11.n.12.l.2.cum pluri b.cum ul.per Crauet.cons.638. nu.14.Gabr.de reg.iur.concl.4. nu.5.*

4 Neque visum fuit hic applicari posse limitationes, quæ ad dictam regulam afferri solent, & præsertim, quod verba quantumuis generalia restringuntur ad rem,vel causam expressam,quia cum vt dixi causa expressā in dicta renunciatione sit generalis,& apta cōprehendere etiam bona fideicommisso subiecta,non minus,quam alia cessat ratio restrictionis. *Bald. in d.l. sub prætextu, nu.8.* Præterea, & ex abundanti DD. dixerunt,quod restrictio fieri non potest quotiescumque ratio recti sermonis non patitur. *Bart. in d. l. si de certa. & ibi Ang.Castr.& alij. C.de transact.Paris.cons.20. nu.77. & seq.vol.1.cum aliis adduc.per Gabr.d.concl.4.sub nu.22.vers. sublimita nisi ratio.*

5 Quod autem ratio recti sermonis in proposito nō patiatur restrictionē ad expressā, aperte demonstrari putabant ex ipso verborum contextu, dum specificatis successionibus Paternis, Maternis, & Fraternis Portia renunciauit etiam aliis successionib. ipsi quomodolibet deuoluendis, quæ verba ex sui propria natura ampliant, & non restringūt dispositiones,nec possunt

possunt verificari, nisi in iuribus diuersis à iure competente super bonis enunciatis. *l. ea tamen adiectio. & ibi DD. ff. de leg. 3. Castr. cons. 333. sub nu. 2. vers. nam verba illa prope fin. Surd. cons. 303. num. 35. & seq. Rot. diuers. dec. 149. nu. 3. par. 1.* ponderando presertim dictionem alijs quæ licet sit nota similitudinis, includit diuersa ab expressis, vt in terminis nostris not. *Soc. cons. 300. sub nu. 2. vers. 3. principaliter Nat. cons. 546. nu. 2. & seq. Menoc. cons. 335. nu. 18. & seq.*

6 Neque vlla ratione subsistere videbatur, quod verba, & alijs successionibus, ampliant quidem modos succedendi personis super expressis, sed non augent numerum personarum, quibus succedendum erat. Quia cum verba, quibus Portia renunciauit hæreditati Paternæ, Maternæ, & Fraternæ directa sint in ipsam hæreditatem censetur per illam renunciasse omnibus modis, quib. dictis personis succedere potuisset, etiam si mille adfuissent, *iuxt. trad. per Ang. in l. cum quæ. C. de iud. delib. cum alijs per Paris. cons. 26. num. 44. l. 3.* ac propterea verba subsequentia, & alijs successionibus, non possunt augere modos succedendi, quibus iam fuit renunciatum, sed necesse est ad euitandam superfluitatem, quod importent renunciationem succeden. alijs personis, vltra specificatas, ad not. per *Menoch. d. cons. 335. nu. 16.*

7 Vlterius, etiam visum fuit non releuare, quod dicitur sup. deducta non procedere non probata scientia fideicommissi in Portia, quia vltra quod eadem Portia expresse, & cum iuramento renunciauit. *l. de his. ff. de transact.* ac propterea non est necesse, vt probetur, quod habuerit specificam scientiam contentorum in dicto testamento, & generalis, ac presumpta scientia satis probetur ex deduc. in d. dec. R. P. D. mei Manzanedi, & præsertim, quia verba renunciationis in alio testamento verificari non poterant, vt dixi, stante etiam dicta generalitate verborum sufficit quod in genere cogitare potuerit, posse aliquando fideicommissum ad sui fauorem inductum purificari, ad trad. per *Bar. & alios in d. l. sub prætextu. C. de transact. Ang. in l. tres fratres, num. 4. ff. de pactis.* vbi quod in dub. præsumitur scientia propter generalitatem verborũ & sequitur *Alex. d. cons. 42. sub nu. 8. vers. 4. quia l. 1. cum alijs supr. relatis.*

8 Nec dicatur, quod sub quacunque verborum generalitate non comprehenduntur ea, quę ex testamẽto pendent, cum non præsumatur fuisse de ijs cogitatum, nec minus potuisse cogitari, vt not. *gloss. in ver. posse. & ibid. DD. in d. l. tres fratres. ff. de pactis.* Quia præterquam quod obiectum cessat ex eo, quod vt sępius dixi, hic facta fuit expressa mentio testamenti, atque ideo dici non potest, quod non fuerit saltem in genere cogitatum de iuribus, & bonis ex testamento deuoluendis, fallit etiam quando aliunde, quam ex generalitate verborum constat de mente renunciantis, prout in hoc casu constare dixi, quod omnibus bonis quomodocunque, & qualitercunq; tam ab intestato, quam ex testamento obueniendis renunciare voluerit vt multis probat *Ruin. cons. 156. num. 5. & 6. l. 3. & faciunt deduc. per Natt. d. cons. 546. nu. 20. & seq. Menoch. d. cons. 335. nu. 52. & seq.*

9 Similiter applicari non potest, quod dicitur necesse esse ad hoc, vt fideicommissum censeatur remissum, quod sit reciprocum, & tempore remissionis purificatum; quia predicta prout fere omnia alia in contrarium adducta ponderari solent à Doctoribus ad effectum excludendi præsumptionem remissionis fideicommissi inter diuidentes bona fideicommisso subiecta in quibus terminis omnes ex aduerso citati loquuntur, & non militant in renunciatione facta verbis adeo amplius, à muliere volente omnia, à se bona abdicare, & perpetuam paupertatem profiteri; quo casu ad hoc, vt dicatur renunciatum fideicommisso, non solum sufficiunt verba generalia, & quæ tempus futurum respiciat, vt supra probaui, sed solet etiam ex verisimili mente renunciantis fieri latior interpretatio, atq. hinc in similibus renunciantibus non consideratur læsio, etiam quod renuncians modico accepto spem opulentissimæ hæreditatis nec non ingens patrimonium præsens remiserit, vt inquit *Couar. in cap. quamuis §. 2. nu. 5. de pactis. post Dec. cons. 31. nu. 5. vers. non obstat. Aym. cons. 160. nu. 1.* Non facit etiam, quod renunciatio amplissimis verbis supra relatis facta, restringi videatur per aliam clausulam subsequentem, in qua Portia quatenus opus sit totam suam portionem bonorum Paternorum, Maternorum, & Fraternorum, etiam ratione legitimæ, & Trebellianicæ donauit, quia fuit responsum, quod dicta secunda clausula non derogat generalitati primę, sed stat de per se & comprehendit particularem titulum donationis, scilicet qui differt à renunciatione vnde non potest inde inferri, quod restringat successiones supr. renũciatas: sed quod magis declaret animum Portię, quod dictas portiones, quatenus opus esset, etiam ratione legitimæ, & Trebellianicæ donare intendit fratrib. & causam ab eis habentibus, vt fusè deducit D. de Vignate in sua responsione ad allegationes partis aduersæ. Deniq. DD. pro indubitato habuerunt, quod renunciatio Portię per mortem fratrum non expirauerit, cum non ex sola causa conseruandæ agnationis facta fuerit, sed quia Portia Monasterium ingredi, & in perpetua paupertate Deo seruire in animo habebat & quod conquęter etiam Monasterio obstet, vt multis in decis. R. P. D. mei Manzanedi, sub die 2. Maij 1614. in hac causa facta firmatum fuit, in qua etiam omnibus in contrarium adductis respondetur. Atque ex his, & aliis ab Informantibus deductis, sententiam Rotalem confirmandam esse dixerunt.

R. P. D. VBALDO.

Romana Domorum. Mercurij 10. Iunij 1615.

ARGVMENTVM.

Transactio vt rescindatur prætextu læsionis, debet probari læsio, habito respectu ad dubiũ ditis euentum omnium prætensionum, super quibus erat lis vel futura timebatur, qui dubius litis euentus debet æstimari per peritos iuris, & plura considerantur ad excludendam læsionem.

SVMMARIVM.

Remedium l. 2. C. de rescin. vend. habet locum etiam in transactione, vbi læsio est enormissima, vel excessus magnus vltra dimidiam. nu. 1.

Læsio ad effectum rescindendi transactionem, debet per allegantem probari de tempore transactionis, & habito respectu ad dubium litis euentum nu. 2. & nu. 4.

Transactio dicitur fauorabilis, tanquam imponens finem litibus. nu. 2.

Dubius litis euentus ad effectum rescindendi transactionem difficilis est probationis, nec potest probari nisi per peritos iuris, qui sciant æstimare dubium litis euentum. nu. 3.

Transactio vt sustineatur, sufficit litem aliquo modo fuisse introductam, immo sufficit etiam suspicio litis futuræ. num. 5.

Læsio difficilius consideratur in transactione facta inter consanguineos. nu. 6. Vbi maxime, si causa expressa sit pro bono pacis, & causa amicabiliter, vt consanguineos decet, viuendi.

Transactio per plures annos obseruata difficilius rescinditur num. 6.

DE-

DECISIO DCCXV.

1 DOmini dixerunt non constare de lesione D. Marcelli in casu, & ad effectum de quo agitur, & effectus erat ad rescindendam transactionem, alias factam de anno 1583. inter ipsum Marcellum ex vna, & quondam Cynthiam, & eius filios de Magdalenis ex altera parte, cuius transactionis vigore fuerunt cessæ per Marcellum Cynthiæ, & eius filijs Domus, de quibus agitur, & in primis admittebatur illa opinio, quod in transactione habeat locum *remed. leg. 2. Cod. de rescindend. vendition. de qua per Bart. in dict. leg. 2. num. 7. & in l. si quis cum aliter, num. 50. ff. de verb. oblig.* quæ licet sit controuersa, vt constat ex allegatis per *Alex. cons. 42. num. 11. & ibi Add. libr. 1.* Tamen recipitur, quando lesio est enormissima, vel est magnus excessus vltra dimidiam, iuxta distinctionem *Corn. cons. 166. num. 5. lib. 1. & Cons. 27. sub n. 11. lib. 4. quem sequitur Dec. cons. 216. col. 2. & cons. 479. num. 11. & cons. 551. nu. 6. & in l. cum te. sub num. 1. vers. sed fœdere distinctionis, C. de trans. Grat. cons. 88. nu. 3. lib. 1. Tiraq. de retract. consang. §. 24. gl. 1. nu. 4. Cagn. in d. l. 2. nu. 80. Add. ad Affl. dec. 220. in 1. dubio, Menoch. cons. 401. nu. 159. lib. 5. Molin. de Hisp. primog. lib. 4. c. 9. nu. 36. Card. Mant. de tac. & ambig. lib. 26. tit. 9. nu. 29. & sequitur Rota vt in Tirasonen. decimarum, cor. Robusterio, quæ est dec. 102. p. 1. diuers. & dec. 732. num. 2. eadem par. 1. Put. dec. 223. in fin. libr. 1.* secundum Romanam impressionem, Et fuit dictum in Romana Domus 3. Decembr. 1601. coram R. D. meo Damasceno, & in alia Romana Rescissionis instrumenti 26. Nouembris 1612. coram me.

2 Et dicta læsio debet per allegantem probari, *ad l. ei incumbit. ff. de probat. & l. actor. C. eod. tit. & in specie not. Abb. cons. 64. nu. 3. p. 1.* & fuit dictum in dicta Romana Domus, & quidem concludenter, & clarè, cum alias transactio sit valdè fauorabilis, quæ imponit finem litib. *l. fratris, C. de trans. Apostill. ad Alex. d. cons. 42. nu. 11. in verb. communem, in fin. Card. Seraph. dec. 638. nu. 4. & 5. & dec. 1462. nu. 1. p. 2.* Et hæc læsio consideranda est de tempore factæ transactionis, *l. si voluntate in fin. C. de resc. vend. Aym. cons. 151. nu. 7. Surd. cons. 251. num. 36. lib. 3.* & fuit dictum in vna Romana deuolutionis Domorum. 26. Martij 1590. coram bon. mem. Card. Pamphilio, & est probanda habito respectu ad dubium litis euentum. *Bart. in d. l. si quis aliter, num. 5. ff. de verb. oblig. Aym. d. cons. 151. nu. 27. Abb. cons. 64. num. 3. p. 1. Menoc. d. cons. 401. nu. 156. Honded. cons. 34. nu. 55. lib. 2. Seraph. d. dec. 638. nu. 9. & dec. 865. nu. 1. p. 1.* Et fuit dictum in dicta Romana deuolutionis coram Card. Pamph. & in dicta Romana Domus, corā Reuerendiss. Damasc.

3 His igitur præmissis in casu nostro non videbatur constare de læsione, quia in primis dubius litis euentus non solum non fuit probatus, sed nec articulatus, & aliàs difficilis esse probationis dixit *Seraph. in allegata dec. 638. in fin. par. 1. Menoch. post alios cons. 603. sub nu. 27. vers. & rectè,* & non posse probari nisi per peritos iuris, qui sciant æstimare dubium litis euētum. *Aym. cons. 430. nu. 5. lib. 3. Purp. cons. 232. nu. 3. lib. 1.* sed tota ius læsionis pro Domino Marcello deducitur ex eo, quod clarum videretur Domos, de quibus agitur, nō spectasse ad D. Cynthiam, vel eius filios, quibus, fuerunt cessæ per Marcellum, cum illæ essent assignatæ fratri Thomæ ad eius vitam, tātum à M. Antonio Patre Marcelli per concordiam inter ipsos initā de anno 1550. Vnde mortuo Thoma illa assignatio fuerat penitus resoluta ad fauorem Hæredum M. Antonij, & proinde Marcellus eius filius, & heres cedendo dictas Domo ad fauorem Cynthiæ, videtur fuisse læsus in totum, nec videbatur Cynthia potuisse iuuari ex iure cesso sibi à R. Cam. Apostolica, quæ successit in iuribus fratris Thomæ, ratione eius Apostariæ, quia cessio fuit cum clausula, dummodo Domus ad Cameram pertineant, & certum esset non pertinere assignationem Thomę, factam ad eius vitam tantum vt dictum est. Ideoq; fuerat etiam lata sententia contra Cameram ad fauorem Marcelli.

4 Verum his non obstantibus non probari læsionē Domini sentiebant, non solum ex prædictis, sed etiā quia transactio de qua agitur, nō fuit restricta ad cessionem Cynthiæ, & filijs factam à Camera, sed fuit etiā facta pro creditis Io. Baptistæ, & Marci de Magdalenis vti Hæredum Patris sui, cum D. Marcello vti Hærede M. Antonij sui Patris, & aliter quomodolibet, & de omnibus alijs rebus, & prætensionibus sibi & Fratri, & Matri in, & super Hæreditate, & bonis dd. Marci Antonij, & Pauli non solum virtute dictæ cessionis Cameræ, sed alia quauis occasione, & causa etiam cogitata, & incognitata competentibus, & cōpetituris, & cum amplissima cessione iurium ad fauorē D. Marcelli, & cū amplissima & generali quietantia, & absolutione respectu D. Marcelli, etiam quo ad administrationem bonorum dicti q. Pauli, aliàs fratris Thomæ, vt latius continetur in dicto instrumento. Vnde ad hoc, vt constaret de læsione, præsertim enormissima, vt requiritur ex predictis deberet ostendi quantitas, & valor istarum prætensionum de tempore transactionis habito respectu ad futurū euentum, *Alex. cons. 42. num. 12. lib. 1. Seraph. dec. 742. in fin. p. 1. cum alijs allegat.*

5 Vltra quod stante pacto apposito concordia de anno 1550. inter M. Antonium, & fratrem Thomam, vt M. Antonio alienante bona ibi expressā ea deuoluentur ad dictum Thomam, & quod M. Antonius alienauerit dicta bona poterat Camera prætendere illa bona vigore, dictæ Apostariæ, fratris Thomæ, tanquam ad ipsum iam deuoluta, & sic cessio facta à D. Cynthia, etiam ratione iurium cessorū sibi à Camera fuit considerabilis, & licet non fuisset sufficienter doctum de alienatione. Tamen satis est, litem fuisse aliquo modo introductam ad sustinendam transactionem, immo sufficit etiam suspicio litis futuræ, *l. 2. vbi Doct. C. de trans.*

6 Accedit etiam ad excludendam læsionem qualitas personarum transigentium, quæ erant, & sunt consanguineæ. *Menoch. cons. 401. num. 184. Decian. d. resp. 39. nu. 99. vers. 9. lib. 2.* & causa ibi expressā, videlicet pro bono pacis, & causā amicabiliter viuendi, & consanguineos decet, vt per *Honded. cons. 34. num. 46. libr. 2.* & demum facit etiam obseruantia dictæ transactiones per plures annos, propter quam difficilius rescinditur transactio. *Decian. resp. 28. nu. 11. lib. 3. cum alijs per Card. Mant. de tac. & ambig. lib. 26. tit. 9. num. 47.* Ex quibus ita fuit decisum &c.

DECISIO DCCXVI.

Meliten. Conseruæ. Mercurij 10. Iunij 1615.

Impressa Apud Buratto.

DECISIO 118.

DECISIO DCCXVII.

Imolen. Census. Mercurij 10. Iunij 1615.

Impressa apud Buratto.

DECISIO 119.

RE-

REVERENDISSIMO P. DOM.

MANZANEDO.

Romana Casalis Palazzetti. Mercurij 10. Iunij 1615.

ARGVMENTVM.

Testatore vocante filios legitimos, & naturales in infinitum ad fideicommissum, intelligitur etiam vocasse nepotes.

SVMMARIVM.

Filijs in infinitum ad fideicommissum vocatis, intelliguntur etiam vocati nepotes. num.2.

Filiorum appellatione regulariter non veniunt nepotes. num.2.

Filiorum appellatione veniunt etiam nepotes, quando disponens non restinxit suam dispositionem ad certos, & determinatos filios, sed retulit in incertum, futurum, & perpetuum euentum. nu.2.

Verba, ne vllo vnquam tempore bona alienari possint importent prohibitionem alienationis inperpetuum. nu.3.

Alienatione prohibita an perpetuum debet capi illa interpretatio ex qua perpetuitas in omnes descendentes conseruetur. num.3.

Testator vocando filios in infinitum, frustra addidisset in infinitum, si voluisset fideicommissum expirare in filijs primi gradus. num.3.

Testatoris verba non debent censeri apposita frustratorie. num.4.

Dominium probatur ex eo, quod quis possidebat. nu.5.

Possessio fideicommittentis probata per testes, & adminicula ex dicto eiusdem fideicommittentis, sufficit ad obtinendum in interdicto possessorio adipiscendi absque alia verificatione dominij. num.6.

Rescriptum Papæ subreptitium nihil operatur. nu.6.

Testamentum septem testes pro solennitate desiderat. nu.6.

DECISIO DCCXVIII.

1 ANtonius Paluzzellus instituto sibi hærede vniuersali Sabba fratre germano ei quandocumque decedenti substituit ipsius filios legitimos, & naturales masculos natos, & nascituros, absque aliqua diminutione, aut detractione quos filios masculos supradictos ad inuicem vulgariter, pupillariter, & per fideicommissum substituit, volens, & mandans, quod sua bona nullo vnquam tempore vendi, aut alienari possint, & quod filij masculi legitimi, & naturales vsque in infinitum in ijsdem absque aliqua diminutione, aut detractione succedant, seu succedere debeant. Decessit testator, & successiue Sabba illius frater & hæres, relictis post se Alexandro, & Paulo filijs, qui obtenta à bon.mem. Sixto V. derogatione fideicommissi, per particulare Breue Casale, de quo agitur, alienarunt. Et postmodum pariter decesserunt superstitibus tamen ex Alexandro duobus filijs masculis legitimis, & naturalibus, nempe Francisco, & Tiberio, qui prætenden. factum fuisse locum fideicommisso prædicto, ad eorum fauorem causam immissionis super medietate dicti Casalis per Antonium fideicommittentem possessa, A Signatura Sanctissimi mihi committi obtinuerunt cum clausula præuia oris aperitione aduersus d. Breue arbitrio Rotæ. Vnde dedi dubium, an esset locus d. arbitrio. Quod Domini die 24. Nouemb. præteriti affirmatiue resoluerunt, & hodie prosequen. disputationem dubitaui, an de dicto fideicommisso constaret in casu, & ad effectum, de quo agitur, & Domini vtraque parte informante affirmatiue pariter responderunt.

2 Cum enim testator vocauerit filios legitimos, & naturales Sabbæ vsque in infinitum, videtur ad fideicommissum inuitasse non solum illius filios, sed etiã nepotes, & descendentes quales sunt dicti Franciscus & Tiberius. Nam licet appellatione filiorum regulariter non veniant nepotes. *l. filium eum definimus. ff. de his qui sunt sui, vel alieni iur. l. quid si nepotes. ff. de test. tut.* cum pluribus alijs adductis in Decisionibus Ariminen. fideicommissi. 31. Ianuarij 1614. & 23. Martij præteriti, coram DD. meis Verospio, & Dunozetto, tamen secus est in casu nostro, in quo cum testator vocauerit filios vsque in infinitum, eius dispositionem non videtur restrinxisse ad certos, & determinatos filios, sed illam in incertum futurum perpetuumque euentum contulisse, iuxta *Surd. cons. 336. nu. 9. & 10. Seraph. decis. 409. num. 11.*

3 Maxime stante prohibitione ne vllo vnquam tempore bona alienari possint, quæ verba important alienationis prohibitionem in perpetuum. *l. prouiden. vbi gl. C. de postul. Decian. resp. 44. nu. 36. lib. 3. Cephal. cons. 171. num. 15. & proinde etiam de nepotibus intellexisse dicen. est Gozad. cons. 36. num. 1. Cephal. cons. 194. nu. 21. Gabr. concl. 1. nu. 36. de verb. sign. Crass. in §. fideicommissum. q. 10. num. 6. Mant. de coniect. vlt. vol. lib. 8. tit. 8. nu. 20. Peregr. de fideicom. art. 22. nu. 50.* Ex quo enim perpetuitatem desiderauit, ea capien. est interpretatio, ex qua perpetuitas ipsa in omnes descenden. conseruetur. Non autem ea ex qua statim substitutiones in primo gradu filiorum firmantur. *Molin. de primog. Hisp. lib. 1. cap. 6. num. 28.* Vnd in terminis, quod sub vocatione filiorum in infinitum veniant nepotes, voluerunt *Ruin. cons. 115. num. 11. & cons. 139. nu. 21. lib. 3. Surd. d. cons. 336. num. 9. & cons. 403. num. 21. & Pereg. cons. 14. num. 2. lib. 1. & melius cons. 56. num. 3. lib. 4.* Vbi hanc dicit esse propositionem indubitatam, & alij relati in prima decisione in hac causa facta, & nimirum, quia frustra testator addidisset d. dictionem in infinitum si fideicommissum in filijs primi gradus expirare voluisset, vt inquit *Palacior ub. in rubr. de donat. int. vir. & vxor. §. 69. nu. 21. Seraph. decis. 409. num. 11.*

4 Quibus accedit, quod de filijs primi gradus Sabbæ fuerat expresse in prima substitutione dispositum, & ideo de illis ista secunda vocatio intelligi non potest de nepotibus, & alijs descenden. quia primum fideicommissum ad fauorem filiorum cum iam esset perfectum nullatenus indigebat prædicta secunda vocatione ad illius robur, & perfectionem. Vnde illa ad contentos in prima substitutione, & sic ad filios primi gradus non est referenda, quia tunc nihil adderet, & esset superflua, quod non debet admitti, & considerat. *Bal. cons. 334. nu. 7. lib. 3. Paris. cons. 90. num. 33. lib. 2. Berett. cons. 115. num. 4. vers. amplius. Surd. decis. 84. n. 14. Decian. cons. 33. nu. 93. lib. 1.* Quod autem Franciscus, & Tiberius sint nepotes, & descenden. dicti Sabbæ, probatur ex eo, quia ipsi sint filij legitimi, & naturales Alexandri, vt fuit in alia causa Romana fideicommissi de Paluzzellis. 9. Aprilis 1612. coram me resolutum, qui quidem Alexander erat filius pariter legitimus, & naturalis dicti Sabbæ, vt constat ex testibus in hac causa formiter examinatis.

5 Quod vero medietas Casalis, de quo agitur fuerit in bonis, & hæreditate Antonij fideicommittentis, probatur ex eo, quod totum Casale possidebatur pro indiuiso ab illo, & Sabba fratre, & Lucretia, & Iulia sororibus. Vnde cum Lucretia suam portionẽ vendiderit ipsi Antonio, ille duas partes habebat, nempe suam, & Lucretiæ, & sic medietatẽ, vt constat ex publico instrumento dictæ venditionis, cũ quo concurrit quædam impositio census facta per dictam Sabbam super quarta parte Casalis cum narratiua, quod illud possidebat pro indiuiso cum Antonio eius fratre, & Iulia sorore, & accedunt depositiones duorum testium

testium inductorum, coram Vicario per Alexandrum & Paulum authores aduersariorum, qui deponunt Antonium, & Sabbam possedisse pro in diuiso Casale cum quibus concordat alius testis in hac causa examinatus, qui deponit de auditu.

6 Ex quibus omnibus simul saltem iunctis negari nõ potest quin resultet clara probatio possessionis fideicommittentis, quæ sufficit ad obtinen. in hoc iudicio possessorio adipiscendo absque alia verificatione dominij. *Peregr. de fideicommiss. artic. 48. num. 21. Menoch. plures congerens. de adipiscend. remed. 4. num. 363. cum sequentib.* Quibus non obstat Breue fel. recordat. Sixti Quinti derogato rium dicti fideicommissi, quia suffragari, non potest cum sit subreptitium, & obreptitium ex adductis in prima decisione. Obiectum autẽ contra testamentum Antonij oppositum, quod haberet tantum sex testes cessat ex eiusdem testamenti lectura, ex qua apparet ipsum septem testibus munitum esse. Ex quibus &c.

REVERENDISSIMO P. DOM. DAMASCENO.

Lunen. Sarzanen. Mercurij 10. Iunij 1615.

ARGVMENTVM.

Ius patronatus, quod ad sui consequutionem requirit sacerdotium, potest exerceri, & haberi per eum qui Missas curat dici per alium, dummodo institutus sit sacerdos nisi in fundatione aliter sit cautum.

SVMMARIVM.

Beneficia simplicia de iure non requirunt sacerdotium, etiam si habeant annexam celebrationem Missarum, quia potest suppleri per alium, nisi aliter fuerit cautum in fundatione. num. 1.

Alternatiua satis est si adimpleatur pro vna parte. nu. 2.

Verbum dici, & celebrari facere in fundatione appositum, debet intelligi dummodo Rector sit legitime impeditus. num. 3.

Verba subsequentia semper intelliguntur retentis terminis antecedentium. num. 3.

Dictio alius est implicatiua similium. nu. 4.

Sacerdotium non facit quem deterioris conditionis, sed melioris, quia est dignitas superans regalem. num. 5.

Dictio alius non semper implicat omnimodam qualitatem. num. 5.

DECISIO DCCXIX.

1 QVidam Ser Andreas in omnibus suis bonis heredem sibi instituit Altare sub Inuocatione omnium Sanctorum erigendum per exequutores testamentarios in Ecclesia S. Mariæ Magdalenæ, & mandauit, quod si Ioan. Antonius suus ex fratre nepos vellet assumere habitum clericalem ipsum institui, & esse debere Rectorem dicti Altaris hac addita conditione, quod donec Io. Antonius venerit ad habitum sacerdotalem, & quod cantaret Missam nouellam exequutores tenerentur, & deberent officiari facere, & Missam dici semel in hebdomada sumptibus hæreditatis, & postquam d. Ioan. Antonius venisset ad habitum sacerdotalem, & suam Missam nouam cantasset, teneretur, & deberet dicere, & dici, & celebrari facere duas Missas pro anima, &c. Et quod donec Ioan. Antonius venisset ad habitum sacerdotalem nõ posset aliquo modo se intromittere in aditionem dictorum suorum bonorum, nisi ad recipiendum fructus per manus dd. suorum fideicommissariorum, quo habitu sacerdotali suscepto, & Missa sua cantata per ipsum Io. Antonium aditio dd. bonorum, & hæreditatis præfatæ statim deueniat, & deuenire debeat in manibus Io. Antonij, & in casu, quod d. Io. Antonius recusasset velle assummere habitum clericalem, statim eligatur vnus alius Rector d. Altaris per dd. suos fideicommissarios, idoneus, & sufficiens ad officiandum d. Altare, & Missam celebrandum, & dicendum, vel dici, & celebrari facien. bis in hebdomada. Fuit coram me dubitatum, an prædictum beneficium esset sacerdotale, & pro negatiua fuit resolutum, quia beneficia simplicia de iure non requirunt sacerdotium, etiam si habeant annexam celebrationem Missarum, quia potest suppleri per alium, nisi aliter expresse fuerit cautum in fundatione. *Lap. alleg. 35. num. 3. & 4.* quem sequuta fuit Rota in Romana Cappellaniæ. 23. Ianuarij 1589. coram bon. mem. Cardin. Pamphilio, & in Lucana Cappellaniæ. 17. Decemb. 1593. coram Gipsio, & in Tirasonen. Cappellaniæ. 9. Iulij 1603. coram me.

2 Fundatio autem de qua supra, nullatenus continet, quod beneficiũ sit sacerdotale, & quod illius Rector non nisi per se ipsum celebret Missã, quia potius dat expressam licẽtiam, quod possit celebrare per alium, ibi eligatur alius, &c. idoneus ad dicendum, & celebrandum, vel dici, & celebrari faciendum Cum igitur quilibet clericus sit idoneus ad dici, & celebrari faciendum, satisfactum est fundatori, quia sufficit vnã partem alternatiue adimplere *l. si hæredi plures ff. de condit & demonstr. l. si ita quis ff. de verbo. oblig. c. in alternatiuis. de regu. iur. in 6.* Et in specie ponderauit Rota in dicta Lucana Cappellaniæ, coram bonæ memoriæ Gipsio.

3 Non obstat, quod illa verba dici, & celebrari facere, possint, & debeant intelligi quando cumq; Rector esset impeditus legitime, & sic non tollat necessitatem sacerdotij vt in causa Placentina Canonicatus. 3. Iunij 1613. coram Pirouano quia fuit responsum in casu d. decisiones fundatorem expresse ordinasse, vt eligeretur sacerdos, vnde nil mirum, si facultas celebrari faciendum postea adiecta non sustulit qualitatem sacerdotij anterius expressam, quia verba subsequentia semper intelliguntur retentiis terminis antecedentium, & sic quod electus posset quidem celebrare per alium, dummodo tamen esset sacerdos, vt iam expresse fuerat dictum. In casu autem proposito non ordinauit, quod eligeretur sacerdos, sed quatenus necessitas sacerdotii deducitur ex onere celebrationis Missarum, Respondetur, quod ne dum fundator iniunxit onus, quod Rector deberet celebrare per se ipsum, vt esset necesse ad istum effectum, sed potius dedit facultatem celebrandi per alium.

4 Maior difficultas videbatur in alio, nempe, quia testator expresse voluit, quod Ioan. Antonius nepos suus primus præsentandus esset sacerdos, vnde infertur hoc idem voluisse facere melioris conditionis extraneum, quam proprium nepotem, Tum quia iussit præsentari alium, ibi eligatur vnus alius, &c. Dictio vero alius, est similium implicatiua. *glos. in l. si fugitiui. verb. alia. C. de seru. fugit. Felin. in c. sedes. sub num. 6. de rescript. Put. decis. 226. num. 8. lib. 3.* & sic videtur voluisse, quod omnes alii essent sacerdotes. Verum ad hoc fuit responsum dupliciter. Primo, quod, vt beneficium simplex sic sacerdotale, oportet, quod onus sacerdotii imponatur omnibus eligendis, nec sufficit, quod ista qualitas fuerit desiderata in primo, quia forte potuit testator in illo moueri ex particulari ratione, quæ non influat in omnes alios forte, quia tollitur, cognouerit nepotem suum nimis deditum rixis, vel negotiis sæcularibus, à quibus voluerit illum mediante sacerdotio retrahere. Et circa illud, quod fundator noluerit extraneos eligendos esse melioris conditionis, quam ipsum nepotem, respondetur, quod qualitas sacerdotij non faciebat nepotem peioris conditionis,

ditionis, sed melioris, cum ista sit dignitas superans Regalem. *cap. solitæ. de maiorit. & obed. gl. in c. duo sunt. in verb. fulgorem. 96. dist. Restaur. de Imperat. q. 50. num. 18.* Et potuit etiam fundator moueri ex particulari ratione, quæ non m litaret in alijs. Quo vero ad dictionem alius, respondetur, quod non semper implicat omnimodam qualitatem. *glos. in cap. deinde. verbo ceteris. 26. distinct. Gemin. ibidem. num. 6. Felin. in c. sedes. num. 6. de rescript. Lanc. in l. hæredes mei. §. cum ita. par. 4. num. 137. ff. ad Trebel. Surd. cons. 151. num. 92.*

5 Secundo principaliter fuit responsum, quod nepoti non fuit impedita acquisitio beneficij propter defectum sacerdotij, quinimo expresse permissa, sed tantum fuit impedita administratio donec cantaret suam primam Missam, ad quam etiam decantandam non fuit præfixus terminus aliquis, & ex forma testamenti apparet, quod neque Io. Antonius erat tunc temporis in habitu Clericali. Vnde multum temporis spacium erat necesse, antequam posset fieri sacerdos, ex quibus concludebatur ad summum esse in hoc beneficio necessarium sacerdotium pro habendo illius plena aditione, non autem pro illius acquisitione, qui est effectus, de quo agitur.

R. P. D. PIROVANO.

Carthaginen. Canonicatus. Mercurij 11. Iunij 1615.

ARGVMENTVM.

Plura adducuntur circa repetitionem examinis testium, & quomodo testis repetendus deponere debeat, & an testes, vbi fuerunt nulliter examinati, possint repeti absque timore subornationis.

SVMMARIVM.

Testes vbi sunt nulliter examinati, & eorum dictum est releuans, possunt denuo examinari. nu. 1.

Testium depositiones, quæ non tenent, pro non receptis haberi debent. num. 1.

Testis nulliter examinatus potest repeti absque timore subornationis, quia si in secundo examine dicat id, quod in primo, cessat timor subornationis. Si vero contrarium, illius dictum non releuat. num. 1.

Testis, qui repeti debet non potest, nec debet dicere in repetitione plus quam dixerit in primo dicto. num. 2.

Remissoria non debet concedi ad repetendos testes, quorum testimonium etiam validum non releuaret. num. 3.

Probatio, quando agitur de decisione causæ debet esse releuans. num. 3.

Probatio ad effectum concedendi remissoriam sufficit, quod sit apparens. num. 3.

Testis, qui repetitur, non debet se referre ad primum examen, sed debet explicite, & per extensum deponere absque relatione. Poterit tamen, si voluerit sibi legi, vel ostendi primum examen. num. 4.

DECISIO DCCXX.

1 Domini censuerunt, non esse denegandam remissoriam Doctori Caxæ pro repetendis testibus nulliter examinatis. Visum est enim posse firmari regulam, quod quando testes sunt nulliter examinati, & eorum dictum est releuans, posse eos de nouo examinari. *Gabr. de testib. concl. 21. num. 18. Rota decis. 11. num. 1. de probation. in nou. Caputaquen. decis. 266. num. 3. p. 3. Rot. in causa Tullen. Matrimonij inter impress. diuers. p. 3.* & huius conclusionis ratio est, quia depositiones testium, quæ non tenent pro non receptis debent haberi. *cap. cum causam. capit. clamor. de testibus. capit. in præsentia. de probation.* Vnde non debet, siue reus, siue actor remanere sine probationibus, neque subornationis periculo locus esse videtur, quia si testes repetendi dicant id quod primo, cessat timor subornationis. Si vero contrarium non releuabit eorum dictum, & consequenter remanet satisfactum. *Clement. 2. de testibus, & cap. fraternitatis. eodem titul.* Difficultas solum versatur super releuantia depositionis testium, sed eam non deficere fuit dictum, quia præsupposita validitate examinis, coram Illustrissimo Cardinali Lancellotto decima sexta Ianuarij 1609. fuit recessum ab aliis Decisionibus in hac causa factis, sub diebus 6. Februarii 1604. & 28. Maii de anno 1607. & firmatum, quod Thomas Garri Decanus dederit suum suffragium ad fauorem Doctoris Valdeuiesi.

2 Non obstat, quod si testes repetendi non possint, nec debeant dicere in repetitione plus, quam dixerint in primo dicto. *Innoc. in cap. cum Ioannes. in fine. in verbo, conclusio. de fide instrum. Bald. in cap. publicasti. nu. 1. in fine. cum alijs allegatis.* In dicto autem non probant id, quod supponitur in allegat. decisione Illustrissimi Lancellotti, vel si probarent, nihilominus obstarent exceptiones datæ contra personas testium, ac etiam nullitatis electionis ratione formæ votandi publice contra iuris dispositionem, & Sacri Concilij Tridentini. Ideo dicebatur adhuc frustra remissoriam concedi ad testes repetendo, quorum testimonium etiam validum non releuaret.

3 Ad prædicta enim fuit responsum, quod materia probationum diuersimode secundum diuersos effectus solet ponderari, ad effectum nempe decidendi totam causam probatio debet esse concludens, & per necesse determinare fundamenta actoris, vel rei secundum eorum respectiue petitiones, alias tanquam irreleuans non suffragatur, *vulgat. cap. in præsentia. de probation. vbi Dec. num. 12. l. non hoc. C. vnde legitimi.* Ad effectum vero remissoriæ concedendæ pro repetendis testibus sufficit, quod ex dictis testium probationes apparenter releuent, ne alias ordinem præposterando negotium principale decidatur, antequam sint factæ probationes. Hanc autem apparentiam colligebant Domini sufficientem ex allegata decisione Illustrissimi Lancellotti, cuius copia data fuit, & si pars de reuocatione talis decisionis confidit, poterit habere testes pro valide examinatis, & hoc modo euitabit disputationem, & expensas remissoriæ.

4 Aduerterunt tamen Domini, quod testes de nouo examinandi non debent se referre ad primum examen, sed explicite, & per extensum deponere absque relatione, prout fuit resolutum in Calaguritana Abbatiæ, seu Iuris patronatus. 21. Aprilis 1579. coram bonæ memoriæ Cardinale Pamphilio, & coram eodem in Hispalen. Iuris patronatus. 26. Iunii 1592. si tamen primum examen sibi legi, aut ostendi voluerint, non erit eis denegandum, prout fuit ordinatum in relationibus causarum, coram Reuerendissimo Archiepiscopo Damasceno, in causa Terulen. Vicariæ. 10. Iunii 1613. Et ita, &c.

R. P. D. PIROVANO.

Romana Hæreditatis. Veneris 12. Iunij 1615.

ARGVMENTVM.

Testamentum primum habens clausulam derogatoriam, nisi in secundo proferantur certa verba, reuocatum censetur nihilominus, quando in secundo fit mentio de primo per verba, ex quibus cognoscatur testatorem à prima voluntate, discessisse.

SVM-

SVMMARIVM.

Testamentum primum habens clausulam derogatoriam non tollitur per primum, nisi in eo sit facta specialis mentio primi. num.1.
Specialis mentio clausulæ derogatoriæ primi testamenti, quando facta intelligatur. num.2.
Verbum quomodocumque, & quibuscumque in secundo testamento designant testatorem à prima voluntate discessisse. num.3.
Testamentum ad pias causas, & intra liberos æquiparantur. num.4.
Pia causa in primo testamento instituta, non desinit esse hæres, nisi in secundo testamento fiat mentio de pia causa. n.4.
Decisiones speciales in iudicando magis attenduntur, quam generales. nu.5.
Piam causam liberis æquiparari in iure non reperitur. nu.5.
Verbum quibuscumque quamuis sit generale, habet tamen vim specialis expresse derogationis. num.6.
Dictio etiam solet implicare casus maiores, & distinctos ab expressis. num.6. & 7.
Voluntatis prioris mutatio, ex quibus coniecturis inducatur. num.8.
Personæ institutæ qualitas multum operatur, vt intelligatur mutata voluntas. num.9.
Præsumitur mutata voluntas, si noua causa superuenit. numero 9.
Mentio primi hæredis facta in secundo testamento, inducit vehementem præsumptionem mutationis volũtatis. n.10.
Falsitatis suspicio tollitur per ostensionem protocolli. nu.10.

DECISIO DCCXXI.

ALexander de Comitibus condidit duo Testamenta. In primo instituit suum hæredem vniuersalem Societatem B. Mariæ de Carmine, ea declaratione addita, quod si ei contingeret aliud Testamentum, vel Codicillos, vel quamlibet aliam vltimã dispositionem facere, quod illa inualida sit, & censeri debeat, nisi in ea apposita sint verba formalia, Salue Regina mater misericordiæ, ac etiam non obstantibus quibuscumque verbis generalibus, & derogatorijs, quæ in ipsis dispositionibus appositæ reperirentur. Secundum vero condidit, in quo hæredem instituit Dominum Ducem Camillum de Comitibus, cum clausula, cassans, & irritans, & annullans omne aliud Testamentum, ac donationem, ac aliam quamcunque vltimam voluntatem per eum Testatorem hactenus quomodocunque, seu quibuscunque verbis etiam derogatorijs factam. Vnde cum Societas prętenderet ex verbis huius secundi Testamenti non fuisse sufficienter derogatum primo Testamento, & consequenter primo standum esse. Dubitaui. Quod Testamentum præualeat, & pro secundo fuit resolutum.

1 In hoc enim omnes Domini conuenerunt, quod ad tollendum primum Testamẽtum derogatio generalis non sufficit, nec indiuidua est necessaria, sed requiritur specialis ad clausulam derogatoriam prioris testamenti sequendo communem opinionem, de qua per *Iason. in l. si mihi, & tibi. §. in legatis. num.12. ff. de legat. 1. Corn. consi.86. num.3. volum.3. Alexand. consi.134. num.2. lib.1. Castr. consi.284. num.2. vers.2. ad idem oppono. Couarr. de test. in rubr. p.2. num.19. vers.3. concl. Clar. in §. test. q.99. vers. & hæc quidem concl. omnes affirmantes communem esse contra Bartol. qui in l. si quis in princ. test. ff de leg.3.* visus est affirmare generalem derogationem sufficere, quam etiam contra Bart. alias sequuta est Rota, teste *Cæs. de Gras. decis.1. de testam.*

2 Concorditer etiam firmarunt, quod tunc dicitur fieri specialis mentio primi testamenti, quando Testator facit mentionem de clausula derogatoria in ipso testamento inserta, puta quia dictum sit non obstante alio testamento habente clausulam derogatoriam, vel si addatur clausula, cassans, & irritans omne aliud testamentum, etiam si contineat clausulam derogatoriam, & aliæ formulæ ponuntur per *Clar. in dicta q.99. vers. sed quæro, & per Cardin. Mantic. de coniectur. lib.12. titul.8. num.10* quæ per *Couar. de testam. d.p.2. nu.19. vers.4. constat. & Alex. consi.134. nu.4. lib.1.* reducuntur ad generalem Theoricam cognoscendi, quando Testator specialiter dicat se prioris voluntatis pænituisse nempe quando per verba specifica, vel etiam non specifica, sed etiam per relationem ad aliud, vel per expressionem alicuius qualitatis, vel circumstantiarum possumus reddi certi, quid voluerit enuncians.

3 In proposito autem huius posterioris Testamenti legitur nedum clausula generalis cassans, irritans, & annullans omne aliud testamentum hactenus factũ, sed adduntur verba quomodocunque, seu quibuscũque verbis factum etiam derogatorijs, quæ verba iudicantur specialia ex mente *glos. & Doctor. in l. si mihi, & tibi. § in legatis. ff. de legatis primo.* & vberrima sunt, ex quibus manifestum fit testatorem à priori voluntate discessisse, vt dicit *Couarru. eadem part.2. vers.4. constat.* alias si reuocatio prioris voluntatis sub clausula quibuscunque verbis etiam derogatorijs facta non sufficeret, necessario consequeretur requiri indiuiduam repetitionem, quod est contra communem, & per indirectum posset tolli facultas reuocandi testamentũ, si testator de verbis præcisis appositis facultati reuocandi non recordaretur, vt ponderant *Castr. consi.284. num.1. p.1. Baldus consi.280. lib.4. & in l. humanum. Cod. de leg. Angel. consi.375. per totum,* in quorum, casibus agebatur de repetenda formalitate verborum in signum pænitentiæ prioris voluntatis scilicet de Oratione Dominicali, Salutatione Angelica, & principio Psalmi Miserere.

4 Non obstat, quod etsi prædictæ conclusiones vere sint, nihilominus aliter videatur dicendum in casu prioris testamenti, in quo duplex derogatio reperitur posita ad secundam voluntatem, seu testamentum, prima namque à iure subintellecta in testamento ad pias causas, prout subintelligitur in testamento inter liberos, quæ inter se æquiparantur, *cap. relatum. il 2. de testam. l. hac consultissima. § ex imperfecto, Cod. eodem titul. de testam. Card. Mant. de coniectur. lib.12. titul.8. n.30.* secunda vero verbis expressa, & eo casu non sufficere mentionem generalem derogatoriæ, vt in secundo fuit factum, sed vlterius dicebatur necessariam esse expressionẽ non obstantiæ testamenti ad pias causas facti, vt determinat *Castr. in authen. inter liberos. n.5. C. de testam.* quem sequuntur alijs relatis. *Couarruu. de testament. p.2. in rubric. numer.19. versic. hinc scribit Paul. Cardin. Mantic. dicto titulo 8. num.11. Riminald. iun. consil. 742. num.18. & 19.*

5 Prædictis enim fuit responsum, quod in terminis prioris testamenti facti ad pias causas contrarium responderunt *Bartol. consilio 76. & Bald. consilio vigesimo secundo. numero primo. volumine primo.* in casu Bartol. fuerat instituta Confraternitas Sancti Bartholomæi, cum clausulis derogatorijs ad futura testamenta. In secundo vero fuit institutus frater patruelis cum clausula derogatoria in specie, in casu. Bald. fuerunt instituti Fratres Predicatores, in secundo filia ipsius Testatoris absque alia derogatione, & tamen nulla habita ratione piæ causæ contrarium determinarunt, ideo omissis argumentationibus placuerunt Dominis decisiones speciales, quæ in iudicando magis attenduntur. *Purpur. in rubric. in fin. ff. si certum petatur. Franc. decisione 266. num. 3. Marzar. in epitom. fideicomiss. quæstione octaua. numero decimo. Feli. in capit. cum ordinem. numero tertio versicul. accedit enim. de rescript.* Præterea argumentum ab æqui-

para-

paratis causis desumptum visum est non probari, quia iure cautum non reperitur, quod in materia successionis pia causa æquiparetur liberis, sed potius contrarium per plura fundamenta sustinuit. *Socin. iun. consilio 189. num. septuagesimo sexto. volumine. 2.* & qui allegantur per *Card. Mantic. dicto titul. octauo num. 30.* bene conueniunt data paritate terminorum, quãdo de pia causa, vel fauore librorum ageretur in sustinendo testamento posteriori, per quod ipso iure primum censetur reuocatum. §. *posteriore. institut.* quibus modis testament. infirm. *Alexand. consilio 134. num. 2. libro 1. Castr. consilio 284. num. 2. versicul. 2. ad. idem oppon. parte 1.* quia tunc sicuti causæ liberorum fauendum esset, ita & piæ causæ habenti fundatem intentionem, secus quando pia causa habet vltimam voluntatem Testatoris contra se, vt in præsenti, quia tunc fauor piæ causæ adeo præponderare non debet, vt alijs noceat. cap. ex tenore de foro competen. capit. nuper de donat. inter virum, & vxorem. *Decius consilio 564. num. 1.*

6 Nec dicatur, quod ad huc cessante derogatione à iure subintellecta pirmum testamentum continet duplicem derogationem verbis expressam, primum dũ noluit secundum testamentum valere, nisi facta mẽtione verborum Salue Regina mater misericordię insignum pænitentiæ prioris voluntatis. Secundum dũ voluit primũ valere etiam non obstantibus quibuscumque verbis generalibu setiam derogatorijs, quæ in eo expressa reperientur, ideo oportere, quod & secundum testamentum duplicem derogationem contineat, per ea, quæ tradunt *Castr. in allegat. consi. 284. num. 2. versi. 4. opponitur part. 1. Rub. Alexand. consi. 24. num 10. Couarruu. de testam. in rubr. d. p. 2. nu. 19. versic. 4. constat. Card. Mantic. dicto tit. 8. nu. 10. versic. sed est aduertendum*, & tamen dicebatur testamentum secundum vnicam continere derogationem comprehensam sub illis verbis quomodocunque, seu quibuscunque verbis etiam derogatorijs factum.

7 Quia respondebant Domini huiusmodi considerationem ex facto tolli etiam ex mente eiusdem Castr. & Rubric. nam cum dictum fuerit verbis extensis, & non ceteratis, cassans, irritans omne aliud testamentum per eum hactenus quomodocunque, seu quibuscunque verbis factum tolluntur verba primę derogationis tanquam comprehensa sub illa generali quibuscunque habente vim specialis expressionis. *Crauet. cons. 294. numer. 2. vers. sed magis lib. 2.* & per alia verba etiam derogatorijs tolluntur derogatoria derogatoriorum propter virtutem dictionis (Etiam) quę solet implicare casus maiores, & distinctos ab expressis. *l. 2. C. de test. Rebuff. in l. vnic. numer. 580. C. de sent.* quæ pro eo, quod inter *Surd. decis. 8. num. 12.*

8 Addebant præterea, quod cum à lege certa verborum formula non fuerit præscripta in tollendo derogatoria voluntatis in actu sequenti, quinimo sufficiant qualitates, circumstantiæ, & indicia, ex quibus de pænitentia prioris voluntatis constare possit. *Alex. dicto consi. 134. num. 4. lib. 1. Bald. in l. sancimus. C. de testam. Couar. d. part. 2. in rubr. num. 19. versic. 4. concl. Cardin. Mant. post alios d. lib. 8. num. 13.* videbantur concurrere tales coniecturæ pro D. Duce, quæ sufficerent pro remouenda priori voluntate saltem iunctis verbis derogatorijs.

9 Concurrit enim verisimilis dilectio testatoris erga fratrem de se optime meritum, qualitas vti æquipollens derogationi ponderata per *Roman. consi. 179. n. 21. & Couar. in d. rubr. numer. 19. vers. 8.* idem ius erit, item superuenientia reconciliationis inter testatorem, & D. Ducem per quam facilius præsumitur voluntatis mutatio vti ex noua causa procedentis, vt considerat idem *Card. Mant. d. tit. 8. num. 17. & Menoch. de præsumpt. lib. 4. præsumpt. 166. num. 37.* ac demum successio, quæ ab intestato eidem D. Duci instituto debebatur, quæ pariter releuans est ad hunc effectum. *Socin. iun. cons. 124. num. 5. volum. 1.*

10 Legatum etiam factum in secundo testamento eidem Congregat. B. Mariæ de apparatu di Damasco multum mouit Dominos, qua prouidendo Congregationi de aliquo videtur testator recessisse à toto, vt in terminis dicit *Bald. in allegat. cons. 22. in fin. lib. 1.* Quæ autem opponebantur de suspicione falsitatis contra secundum testamentum, fuerunt sublata per exhibitionem protocolli omnibus Dominis per me ostensi, dum hæc causa disputabatur. Et ita, &c.

DECISIO DCCXXII.

Calaguritana Decimarum. Veneris 12. Iunij 1615.

Impressa apud Caualerio.

DECISIO 356.

DECISIO DCCXXIII.

Romana Hæreditatis, & Paragij dotis. Veneris 12. Iunij 1615.

Impressa Apud Buratto.

DECISIO 120.

R. P. D. VBALDO.

Ferretrana Spolij. Veneris 12. Iunij 1615.

ARGVMENTVM.

Spolium inducitur per sententiam iudicis nulliter producentis, & debet purgari.

SVMMARIVM.

Vnio beneficiorum arguitur ex eo, quod vnus plura retinebat. num. 1.
Testes de communi reputatione, & publica voce, & fama sufficiunt ad probandum cessionem. num. 2.
Reputatio communis in casu vnionis probat titulum coloratum, cum nemo dicat, vel probet contrarium. nu. 2.
Enunciatiua antiqua probant vnionem. nu. 3.
Visitatio Episcopi probat vnionem. nu. 3.
Possessio rei conuenit super spolio probatur per sustentationem litis. nu. 4.
Exceptio respiciens petitorium non admittitur possessorio spolij. num. 5.
Concil. Trid. de refor. sess. 7. cap. 6. quomodo intelligatur. n. 5.
Spolium quantumuis iudiciale debet purgari, si iudicium fuit nulliter agitatum. num. 5.
Iudex nulliter procedens spoliat. num. 5.

DECISIO DCCXXIV.

1 FVit resolutum pro Informante videlicet intrare spolium ad fauorem Rectoris Ecclesiæ Parochialis, seu Plebaniæ Sancti Stephani Montis Gelli, pro recuperatione Ecclesiæ, seu beneficij Sancti Marini, de quo agitur. Nam de primo extremo, in spolio requisito, videlicet, quod dicta Ecclesia seu plebania Sancti Stephani possederit dictam Ecclesiam Sancti Marini, tanquam membrum sibi vnitum, vel annexum, satis videbantur constare ex testibus deponentibus, quod tres immediati Rectores Vespasianus, Scipio,

pio, & Hieronymus antecessores moderni Rectoris possederunt vtramque Ecclesiam, quod est signum, seu potius demonstratio vnitatis, cum alias duæ Ecclesiæ vni non fuissent committendæ personæ, vt in terminis arguit *Oldrad.cons.296.incipien. de iure D. Gulielmini. nu.1. & 2.*

2 Quod potius procedit in hoc casu, cum ijdem testes deponant, quod prædicti Rectores Sancti Stephani vti tales possederunt etiam Ecclesiam Sancti Marini. Accedunt testes de communi reputatione, & de publica voce, & fama, quod istæ duæ Ecclesiæ essent simul incorporatæ, & vnitæ, & quod vna esset membrum, & de pertinentijs alterius, qui etiam sufficerent ad probandum vnionem. *Fel.cons.20.num.16. & 21. Rebuff.in prax.in tit.de vnion.benefic.num.35. Verall. dec.347. num.4. par.3.* Et fuit dictum in Tirasonen. Parochialis.16. Iunij, anni prædicti, coram R. P. D. meo Andrea. Et hæc communis reputatio præbet titulum coloratum in hac materia, cum nemo sit qui dicat, vel probat contrarium, vt per *Fel.d.cons.2. nu.16.& 17. Bald.in l.indicia.in 4.q. nu.5. C.de rei vendicat.*

3 Concurrunt etiam enunciatiuæ duorum instrumentorum de anno 1551. & 1569. cum alijs enunciatiuis in commissione, & mandato de manutenendo per tunc Rectorem à Rota obtento de anno 1543. In quibus enunciantur dictæ Ecclesiæ ad inuicem vnitæ, & annexæ, ex quibus probari videtur vnio. *Put. dec.209.lib.2. Verall. decis.344. part.3. Scraph. dec.1272.in princip. par. 2.* Et fuit dictum in vna Tirasonen. Iuris præsentandi.22. Iunij 1588. coram Bubalo, & in dicta Tirasonen. Parochialis, coram D. Andrea, & demum difficultatem remouere videbatur visitatio Episcopi de anno 1566. In qua asseritur, istam Ecclesiam Sancti Marini esse annexam dictæ Ecclesiæ, seu Plabaniæ Sancti Stephani, prout huiusmodi visitationem ad hunc effectum considerauit Rota, coram *Seraphin. in d.dec. 1272. nu.3.* Quod autem Hippolytus sit modernus Plebanus Ecclesiæ Sancti Stephani, deponunt testes, qui fuerunt dati in *Summario. nu.7.*

4 De secundo vero extremo, nempe de possessione Iacobi aduersarij dictæ Ecclesiæ Sancti Marini constat, Tum ex sustentatione litis. *Caputaquen. decis.369. par.2.* Et fuit dictum pluries, & decisum, tum ex pluribus testibus hoc deponentibus, vt in *Summario. numer. octauo.*

5 Non obstat, quod Iacobus prætendat possideri Ecclesiam Sancti Marini vigore alterius vnionis factæ Ecclesiæ, cuius ipse est Rector, quia vltra quod de dicta vnione nihil constat in actis, & cuius discussio respicit petitorium, & ideo non admittenda in hoc iudicio. *Mohed. dec.10. in fine de restitutio. spoliator.* Respondebatur etiam, eam non potuisse fieri, nisi vocato Plebano dictæ Ecclesiæ Sancti Stephani, qui erat in possessione Ecclesiæ Sancti Marini, tanquam annexæ, vt per *Sac.Conc.Trid.de reform. sessione 7. cap.6.* Et ideo quantumuis spolium fuisset iudiciale, veniebat tamen ante omnia purgandum, ex quo iudex nulliter processerat non citato possessore. *Gabr. de restitutio. spoliator.concl.1.nu.125. Menochius de recuperand. remed. 8. nu.3. Aym.cons.140. sub nu.2. Roland. cons.6. nu.12. & seq.lib.2. Surd.cons. 168. nu.26. & cons.189. num.30. lib.2.* Et ita fuit decisum, &c.

DECISIO DCCXXV.

Romana Domorum de Roncionibus. Mercurij 14. Iunij 1615.

Impressa Apud Buratto.

DECISIO 124.

R. P. D. VBALDO.

Aurien. Parochialis de Breues. Lunæ 15. Iunij 1615.

ARGVMENTVM.

Gratia si neutri pro sui validitate quæ requirat, & ex quibus illius requisita probentur, & quando præscriptio per litem interrumpatur.

SVMMARIVM.

Gratia si neutri, vt suffragetur, debet vltra litem verificari per impetrantem, & gratiam producentem, duplex conditio, scilicet quod beneficium vacet, & neutri ius competat. nu.1.

Confessio facta in precibus probat. nu.2.

Gratia si neutri pondet à futuro litis euentu, & antequam operetur effectum suum, debet expectari dictus euentus. num. 3.

Præsentatus ab existenti in quasi possessione præsentandi dicitur valide præsentatus, nu.3.

Præsentatio acquirit ius considerabile ipsi præsentato. nu.3.

Ius patronatus probatur ex actibus per partem pendente lite gestis, quamuis attentatis. nu.4.

Ius patronatus probatio non inualidatur ex lite, quæ fuit super eo, quisnam ex præsentatis esset instituendus. nu. 5.

Præscriptio non interrumpitur per litem, quando litem intentans succubuit. nu.6.

Præscriptio non interrumpitur per oppositionem factam per viam exceptionis. nu. 6.

DECISIO DCCXXVI.

1 FVit dictum, gratiam si neutri nouissime à Petro Femanelez impetratam illi non suffragari, quia ad effectum, vt dicta gratia suffragetur, debet verificari vltra litem duplex conditio, videlicet, quod Beneficium vacet, & quod neutri ius competat. *Put.decis.48.nu.4.lib.1. Achill.dec.1. de præben.Rot.dec.24. & ibi additio.nu. 3. de rescr.& dec.1.de sequestr.poss. & fructu. in nou.Verall.dec.42.nu.3.par.2.* & fuit decisum in vna Bracaren. Parochialis.de Moreiza 8. Martii. 1602. coram bon.me.Iusto, & in Pampilonen.Parochialis de Ianzi 13. Iunii 1603. coram Reuerendo Patre Domino meo nunc Decano, quæ conditiones debent verificari per agentem, & gratiam producentem, vt fuit decisum in Mediolanen. Præpositurae 28. Iunii 1589. coram bon. mem. Cardinali Platto.

2 In proposito vero licet admittatur vacatio, & lis, & non ius Petri, qui gratiam impetrauit, sit clarum ex ipsius confessione, in impetratione gratiæ, *ad leg. cum præcum. C.de liber.caus.* tamen non ius Domini Lupi collitigantis videbatur Dominis non probari. Nam quatenus primo deducitur ex inualiditate ipsius nō probatur, immò potius constat de eius iure ex sententia Rotali præcedente decis. sub die 8. Nouembris 1613. coram Reuerendo Patre Domino meo Manzanedo, quæ sententia etiam transiit in iudicatum, quo ad ius Lupi, & contra Ioannem Condal aduersarium.

3 Et quamuis hodie reuocetur in dubium, tamen non ideo est locus gratię si neutri, quia cum illa pendeat à futuro litis euentu, *iuxta cons. Gemin. 79. num. 7. vers. ad dubium.* antequam operetur effectum suum, debet prius expectari dictus euentus. *Put.dec.433.nu. 1. lib.1.* Et cum Lupus fuerit præsentatus à Procuratore Antonii, qui erat in quasi possessione præsentandi vsque de anno 1586. in quo præsentauit Dominicum Sagaldo per cuius obitum nouissime vacauit Parochialis, de qua agitur, non potest dubitari de

validitate præſentationis iuxta trad.per Abb.& alios in c.conſultationibus de iure patr.Rot.in Baren. beneficii prima Iulij 1611.coram me,& alias ſæpe,adeo vt ex dicta præſentatione fuerit acquiſitū Lupo ius conſiderabile. *Hoſt.in c.cum Bertholdus,col.2. de re iud. Rota apud Seraphin.deciſ.1238. num. 4. & in eadem cauſa deciſ.1274. num.1. part. 2.* nec obſtant teſtes deponentes de morte Antonii, quia illis optime reſpondetur in dicta dec. Domini mei Manzanedi, quæ Dominis etiam hodie placuerunt.

4 Secundo deducitur non ius Lupi ex defectu iuris patronatus,quem tamen non obſtare Domini dixerunt. Quia immo donatio facta Antonio,& aliis,fuit confirmata authoritate Apoſtolica, & eius effectuatio probatur ex dicta præſentatione facta à Procuratore Antonii de Dominico Salgado cum inſtitutione ſubſecuta ab ordinario, vt in ſummario Lupi *n.5. & 6.* & in hac vltima vacatione nunquam fuit cõtrouerſum ius patronatus , immò ad præſentationem quorundam patronorum fuit ab ordinario inſtitutus Ioannes Condal , & ipſemet Petrus ſemper magnificauit dictum ius patronatus, obtinendo etiam ceſſionem iurium à dicto Ioanne , & ſententiam fauorabilem à Reuerendiſſimo Domin.Nuncio,& poſtea etiam ſubrogationem à Sede Apoſtolica. Quę licet fuerint attentata tanquam geſta,lite pendente, vt iam Rota reſoluit,tamen ſat eſt,quod ius patronatus ex prædictis controuerti non poteſt.

5 Nec ſubſiſtit,quod debeat deduci tempus litis,quę fuit de anno 1586.inter Dominicum Salgado,& Gartiam,quia dicta lis non fuit ſuper iure patronatus,ſed ſed tantum ſuper eo , quis nam ex præſentatis eſſet præferendus, & ideo dicta lis magis probat ſtatum iuris patronatus ex approbatione vtriuſq; partis, & contradictio ex alio capite,quàm de ſectus iuris patronatus magis illi fauet,quàm nocet.*Rot apud Seraph. dec.1432.nu.7. verſ.nec obſtat proteſtatio. p.2.*

6 Nec etiã ſubſiſtit,litem fuiſſe inter fiſcũ , & Lupũ poſt mortem Dominici Salgadi , & ideo eſſe ducẽdũ tempus dictæ litis,tum quia illa non interrupit aliquod tempus , ex quo fiſcus ſuccubit , & fuit pronunciatum pro iure patronatus canonizando donationem factam Antonio,& vocatis poſt illum , *Felyn. in c.illud nu.17.de præſcr.Rot.diuerſ.dec.534.n.6.p.1.*Tum quia lis non fuit conteſtata , & fiſcus nihil oppoſuit de libertate beneficii, & fuit ſolum citatus pro ſuo intereſſe, vt in ſimilibus caſibus fieri, ſolet , & vbi etiam aliquid oppoſuiſſet,lis huiuſmodi per viã acceptionis non interrupiſſet,d.temporis ſpacium,*Fel. in d.c.illud n.12.de præſcript. Innoc.in c.2.num.10. de ord. cogn.cum alleg.* per Informantes. Ex quibus fuit concluſum,gratiam ſi neutri Petro non ſuffragari.

DECISIO DCCXXVII.

Ciuitatis Caſtelli, ſeu Romana Sequeſtri. Lunæ 15. Iunij 1615.

Impreſſa Apud Buratto.

DECISIO 123.

DECISIO DCCXXVIII.

Valentina Canonicatus, & Sacriſtiæ. 15.Iunij 1615.

Impreſſa Apud Buratto.

DECISIO 122.

R. P. D. MANZANEDO.

Maceraten. Spolij. Lunæ 15. Iunij 1615.

ARGVMENTVM.

Remedium redintegrandæ intentans debet concludenter probare extrema,quod tempore commiſſi ſpolii poſſidebat , & quod nunc poſſident aduerſarij.

SVMMARIVM.

Spolium intentantes debent probare primum extremum quod ipſi poſſidebant tempore commiſſi ſpolii, nu.1.

Dictio ſolum denotat ſingularitatem, & videtur excludere poſſeſſionem,num.2.

Poſſeſſio vnius non probatur ex eo quod teſtes deponant , quod plures ſimul habitabant,& fructus ad domum communem portabantur,de quibus ambo diſponebant ad libitum,nam iſtud dictum eſt æquiuocum,nu.3.

Teſtium dicta quando conquaſſantur aliis contrariis non probant concludenter primum extremum ad effectum redintegrationis,n.4.

DECISIO DCCXXIX.

1 Viſum fuit Domini hæredes Seluaggiæ non eſſe redintegrandos,cum non probent primum extremum ad iſtum effectum neceſſarium , nẽpe quod Seluaggia ex cuius perſona ipſi veniunt poſſideret de tempore commiſſi ſpolii, *Doctor.in c.cum ad ſedem. de reſtit. ſpoliat.& c.fin. eod.tit. in 6. Rip. in c. cum Eccleſia. num.32.de cauſ.poſſeſſ. & propriet.Rol.conſ.50. num.4. lib.2. Gabr.conſ.31.nu.11. lib.2. Rot.dec.13. in fin.de reſtit. ſpoliat. in nouis Seraph.dec.1055. nu.2.*

2 Imo de contrario videtur apparere, ex quo de tẽpore,quo Dorothea fuit immiſſa authoritate ſac.Cõſultæ,poſſidebat fiſcus,qui bona occupauerat ob nõ nulla delicta,per Io.Baptiſtam commiſſa , quod cõprobatur ex teſtibus datis in ſummario Dorotheæ , quorum aliqui dicunt D.Io.Baptiſtam poſſediſſe omnia bona Equitis Ioannis, poſt illius mortem nulla facta mentione de Seluaggia,& alii illũ ſolum poſſediſſe dicta bona,Quæ dictio ſolum cum denotet ſingularitatẽ,videtur excludere poſſeſſionem Seluagiæ. *arg.l.ſi te ſolum.ff.de heredib.inſtituen. Mohed.deciſ.20.de reſt. ſpol.Achil.dec.21.nu.2.de probationib.*

3 Non obſtant alii teſtes deponentes Io.Baptiſtam, & Seluaggiã accepiſſe poſſeſſionem prædictorũ bonorum,& in illa per multos annos continuaſſe, nec non Io.Baptiſtam poſſediſſe tam nomine ſuo , quam dictæ Seluaggiæ Vxoris,quia ex ratione quam addu cũt apparet,quare ita depoſuerint nempe quia dicta Seluaggia, & Io. Baptiſta ſimul viuebant, & habitabant,& fructus ad domũ communem reportabantur de quib.ambo ad libitum diſponebant, quæ quidem ratio eſt æquiuoca,& non concludit per neceſſe,poſſeſſionem Seluaggiæ. Vltra quod ſaltem negari non poteſt,diſpoſitiones dictorum teſtium adeo cõquaſſari ex aliis cõtrariis,vt ex eis nõ poſſit dici reſultare illam plenam,& concludentem primi extremi probationem ad effectum redintegrationis requiſitum,*Sar. in reg.de infirm.q.36. Caputaq.dec.331.nu.5.& 6.& 371.& 373.par.2.Seraph.de c.31.*

R. P. D. VBALDO.

Ferrarien. Bonorum. Lunæ 15. Iunii 1615.

ARGVMENTVM.

Papæ rescriptum non dicitur alteratum per eius officiales, explicantes mentem ipsius Papæ, cuius sunt organum, & habent certas regulas, quibus eius mentem declarant.

SVMMARIVM.

Supplicatio potius debet attendi quam Breue, cum supplicatio dicatur matrix. nu. 1.
Bulla corrigitur, quando discordat à supplicatione. nu. 1.
Matricis tenor attenditur. nu. 1.
Officiales Papæ dicuntur eius organum, & habent certas regulas, quibus eius mentem declarant. nu. 2.
Ecclesiæ vtilitas tantum spectatur pro validitate alienationis. nu. 3.
Clausula si in euidentem in alienatione rei Ecclesiæ solet apponi de stylo. nu. 3.
Iudices non possunt iudicare nisi secundum literas, quæ tribuunt iurisdictionem. nu. 4.
Iudex ignorans fundamentum iurisdictionis, suæ non potest valide quicquam facere. nu. 4.
Officialis Papæ exprimens id, quod in substantia rescripti continetur, non dicitur alterare rescriptum. nu. 5.

DECISIO DCCXXX.

1 Contra sententias Rotales nihil aliud de nouo deducebatur, nisi quod cum illæ sint fundatæ in nullitate sententiæ de partibus, ex eo quod coram exequutoribus non fuerant specificatæ Villæ, res, bona, & iura in emphyteusim concessa contra formam Breuis, in quo expresse continebatur clausula specificationis coram Commissariis faciendę, vt patet ex decisionibus in causa factis coram RR. PP. DD. meis Dunozetto, & Verospio, eiusmodi fundamentum videbatur hodie cessare ex supplicatione signata manu fel. rec. Clementis VIII. in qua post narratum tenorem Instrumenti inuestiturę adest sola clausula quod maior specificatio possit fieri in literis, etiam per Breue expediendis in forma Commissaria, non autem adest vlla clausula, vel decretum. Vnde stante hac diuersitate inter Breue, & supplicatione videbatur potius attendenda supplicatio, quam forma Breuis, vt per *Veral. dec. 75. nu. 6. par. 1.* & resoluit Rota in Vrbeuetana Bonorum. 14. Iunii 1613. coram R. P. D. meo Caual. cum supplicatio dicatur matrix. *Veral. dec. 227. lib. 1. in manuscript.* cuius supplicationis Commissarii præsumuntur habuisse notitiam ad sustinen. eorum sententiam ex allegatis per Informantes pro D. Vallengho.

2 Quo obiecto non obstante Domini censuerunt sẽtentias esse confirmandas ex latè deductis in dec. supradictis, & obiecto fuit responsum discordiam inter supplicationem non esse considerabilem, vel substantialem, quia cum Papa voluit, vt maior specificatio posset fieri in literis, etiam per Breue expediendis, vt in supplicatione, cuius copia data fuit in seruitio D. Vallenghi, bene potuit per officiales addi alia clausula specificatis coram vobis &c. cum dicantur organum Papæ, & habeant certas regulas, quibus eius mentem declarant *Cæs. de Graff. dec. 1. nu. 8. de probat.*

3 Quod eo magis dicẽdum est, quia d. clausula de specificandis bonis, & iuribus coram Commissariis erat necessaria, quia vtilitas ecclesiæ, quæ sola spectatur pro validitate alienationis vix dignosci poterat, sine tali specificatione, nec Ecclesia scire poterat, quę bona essent ad eam deuoluenda post finitam lineam filiorum masculorum inuestiti, vt fuit consideratum in decisionibus huius causæ 16. Iun. & 10. Nou. 1614. coram D. meo Dunozetto. Et ideo cum supplicatio esset signata sub conditione euidentis vtilitatis Ecclesiæ, obiectio officialium de facienda specificatione ex qua melius dignosci poterat Ecclesiæ vtilitas non solum non fuit diuersa saltem in substantia, sed potius videbatur tacite inesse supplicationi maximè cum in supplicatione ipsa daretur facultas specificandi, & cum talis clausula dicatur de stylo apponi solita in literis si in euidentem, & certum sit posse addi clausulas ex stylo. *Ægid. dec. 609. Cæs. de Graff. d. dec. 1. de probat. nu. 4. de probat. Butr. cons. 49. nu. 5.*

4 Nec dicatur, potuisse iudices se extraiudicialiter informare de tenore originalis supplicationis, quia dato quod potuerint eius habere notitiam, non tamẽ debebant iudicare nisi secundum literas, quę sibi tribuebant iurisdictionem ex reg. 26. de non iud. secundum formam supplicationis, & ibi *Sarnen. q. 1. colum. 3. vers. redeundo igitur. Cæs. de Graff. d. dec. 1. nu. 7. de probat.* aut aliàs curare, vt prætensa diuersitas in literis corrigeretur, alioquin non dicebantur esse certi de sua iurisdictione, & ideo eorum sententia non valuit, quamuis vere aliter procedere potuissent. *Bar. in l. nullum. nu. 2. ff. de cond. & demon. Fel. in cap. si clericus laicum. nu. 3. vers. & pro communi. de for. compet. Aym. cons. 134. nu. 4. art. 1. posito. Vant. de nullit. ex defect. iurisd. nu. 167.*

5 Atque ex prædictis constat, decisionem in Vrbeuetana Bonorum coram D. meo Caualerio non applicari, quia ibi gratia restitutionis erat libere in supplicatione concessa, & postea fuerat per officiales, qui literas extenderunt per additionem clausulę conditionalis, dummodo Franciscus pacem obtineat, & interim exulet, merito Rota censuit attendendam esse supplicationem, secus est in casu nostro, in quo clausula specificatis &c. non alterat in substantia gratiam contentam in supplicatione, vt patet ex supradictis. Immo cum esset in forma solita Commissaria Iudicibus qui deberent se diligenter informare, an concessio de qua agebatur cederet in euidentem Ecclesiæ vtilitatem non poterant iudices cognoscere, an adesset talis euidens vtilitas, nisi facta dicta specificatione, ideo officiales in expeditione Breuis addentes illam clausulam, non alterarunt formam aut substantiam gratię sed expresserunt illud, quod tacitè in supplicatione inerat, vt supra etiam deductum est. Ex quibus DD. concluserunt sententias Rotales esse confirmandas.

R. P. D. VBALDO.

Pacen. Canonicatus. Mercurij. 17. Iunij 1615.

ARGVMENTVM.

Sententia quæ dicatur definitiua, & quando interloquutoria habeat vim definitiuæ.

SVMMARIVM.

Restitutio in integrum aduersus rem iudicatam non datur, vbi constat de illius iustitia. nu. 1.
Restitutio in integrum non competit absque læsione. nu. 1.
Remedio extraordinario restitutionis in integrum locus non est, vbi potest agi remedio ordinario. nu. 2.
Sententiæ definitiuæ, & absolutoriæ vim habere dicitur decretum, in quo Iudex pronunciat non esse probatum. nu. 3.
Sententia lata in possessorio dicitur definitiua. nu. 3.
Sententia interloquutoria, habens vim definitiuæ, confirmari potest vt definitiua. nu. 3.
Sententia definitiua debet ferri in scriptis, vel per schedulam vel recitari à Iudice. nu. 4.
Declara, quia etiamsi supradicta omittantur, tamen sententia non ideo minus potest dici definitiua, vel saltem mixta, quæ participet de definitiua. nu. 4.
Clausula quam, et quas operatur, quod sententia lata in gradu appellationis sustineatur tanquam in prima. nu. 5.

DECISIO DCCXXXI.

1 Fuit responsum pro Informante, videlicet non constare de causis restitutionis in integrum, quia de iustitia sententiarum constat ex decisionibus Rotalibus in causa factis tam coram bo. me. Penia, quam coram Reuerendo Patre Domino meo Pirouano, & sine iniustitia non censetur læsio, sine qua non competit restitutio. *Rot. dec. 1. de restit. in integr. in nou. Abb. in cap. ex literis. nu. 5. in fine extra eod. tit. Put. dec. 16. eod. tit. Card. Seraph. dec. 1238. nu. 1. par. 2.*

2 Nec etiam videbatur posse competere restitutio ex capite nullitatis sententiæ Rotalis, tum quia quatenus nulla esset, videretur remedio ordinario nullitatis agendum, & non extraordinario, & subsidiario restitutionis in integrum *l. in causæ. 2. in princip. & ibi Bart. & alij ff. de minor. l. in prouinciali. §. 1. vbi Bart. & Doct. ff. de nou. oper. nunc. Rolan. cons. 59. nu. 2. lib. 1. Odd. de restit. in integr. par. 1. q. 17. art. 2. nu. 1. & art. 5. nu. 48. & in puncto idem Odd. d. q. 17. art. 7. nu. 62. & 70.*

3 Tum quia prætensa nullitas non subsistit. Licet enim ordinarius Pacen. pronunciauerit in hac causa, quod ipse non mandabat exequi literas Apostolicas à Petro ipsi præsentatas, quia ipse non verificauit narratiuam suæ gratiæ. Tamen in effectu istud decretum habuit vim sententię diffinitiuæ, & absolutoriæ. *Bald. in l. 3. nu. 1. C. de calumniat.* quia saltem declarauit non esse locum iudicio exequutiuo, & cessare possessorium adipiscendę, quod competit vigore literarum Apostolicarum, & sententia lata in possessorio dicitur diffinitiua. *Rota dec. 606. nu. 3. par. 1. diuers.* & fuit resolutum in vna Ispalen. & Corduben. præstimoniorum 19. Nouembris 1601. coram Illustrissimo Cardinale Lancellotto, & ideò tanquam diffinitiua bene potuit confirmari, *ad glos. in cap. fin. in verb. inanes, de elect. in 6. Alex. cons. 182. nu. 1. lib. 1.*

4 Nec obstare visum fuit, quod fuerunt seruatæ solennitates sententiæ diffinitiuæ, vt quia non fuerit lata in scriptis, & per schedulam, sed per decretum, vel non recitata à iudice, iuxta te. *in l. 1. C. de sent. ex breuic. rec.* Quia non ideo minus dici potest diffinitiua, vel saltem mixta, quæ magis participet de diffinitiua, vt late explicat *Butr. cons. 6. nu. 3. & seqq. Ang. cons. 115. sub nu. 2. vers. concludo igitur. Et idem Angel. in l. qui restituere. nu. 6. ff. de rei vend. Capic. dec. A. nu. 21. Surd. dec. 231. nu. 22.* Quod eo magis procedit in hoc casu, in quo Petrus à prędicto decreto Ordinarii appellauit, causamque appellationis tanquam à sententia diffinitiua in Rota committi obtinuit, qua stante partis confessione, & concurrente stylo illarum partium, in quibus Iudices solent pronunciare vnam partem probasse, vel non probasse intentionem suam, Dominis non videbatur dubitandum, quin prædictum decretum vim habuerit sententiæ diffinitiuæ.

5 Et videbatur cessare difficultas, quia sententia Rotalis, quæ transitum fecit in iudicatum vigore clausulæ quam, & quas, sustineretur tanquam in prima, *Achil. dec. 14. de reseru. Cæsar de Graff. dec. 5. num. 5. eod. tit. Sarn. in reg. de infirm. quæst. 34. nu. 5. vers. & hoc vlterius. Seraph. dec. 1241. nu. 2. & 1327. num. 3. par. 1.* & fuit sæpissime decisum. Et ita fuit conclusum pro Alphonso informante in maxima Petri contumacia, post plurimas illi factas citationes.

R. P. D. PIROVANO.

Romana liberationis à fideiussione. Mercurij. 17. Iunij 1615.

ARGVMENTVM.

Fideiussor, qui se obligauit contemplatione eius, cuius commodum contractus concernit non potest agere, vt releuetur ab eo, qui in contractu nudum habeat nomen, etiam si fideiusserit illo sciente, & patiente.

SVMMARIVM.

Obligati, vbi plures existunt, si vnus est principalis, ceteri dicuntur fideiussores. nu. 1.

Obligatio, vt alter ab altero releuetur non cadit inter fideiussores. nu. 1.

Obligationes de sui natura sunt stricti iuris. nu. 1.

Mandatum dedisse dicitur, qui patitur rem aliquam ad sui commodum fieri, & tenetur actione mandati. nu. 2.

Fallit vbi non agitur de negotio spectante ad eum, de cuius mandato non constat. nu. 3. Vbi quod ideo id non procedit in eo, qui habet nudum nomen.

Verba pro me sunt demonstratiua personæ interesse habentis. num. 3.

Negotiorum gestorum actio cessat cessante vtilitate. nu. 3.

Negotiorum gestorum actio compatitur se cum actione mandati. nu. 2.

DECISIO DCCXXXII.

Vsque de Anno 1600. bon. mem. Horatius Oricellarius super casale ipsius constituit censum, & illum vendidit pretio Scutorum 2500. cum obligatione ad maiorem cautelam emptorum dandi in fideiussores principaliter, ac in solidum obligatos Comitem Albertum Bentiuolum & D. Io. Baptistam Pasiũ exinde D. Comes Albertus accessit, & vlterius eodem actu recognouit bonam fidẽ ipsum nempe esse principalem, & pretium recepisse, ac promisit indemnem præstare Oricellarium, & Io. Baptistam Pasium asserentem se intuitu, & contemplatione Comitis Alberti accessisse, & cum ex obligatione Oricellarij dandi in fideiussorem Pasium, prætenderet ipse Pasius ex eo, quod se obligauit, releuari ab Oricellario, & à fideiussione liberari. Dubio super vtraque parte proposito, quod negatiuè in omnibus fuit resolutum, scilicet D. Oricellarium non teneri.

1 Apparet enim ex instrumentis datis, Pasium accessisse contemplatione & intuitu Comitis Alberti, ac præsente eodem Pasio Comitem Albertum recognouisse bonam fidem, ipsum scilicet esse principalem, & pretium recepisse, & tam Horatium absentem, quàm Pasium præsentem indemnes promisisse. Ideò si Albertus fuit principalis, Pasius, & Horatius fuerunt fideiussores. *Gl. in auth. de fideiuss. in princip. Bar. in l. hoc ita num. 29. C. de duobus reis. Marf. sing. 2. Gabr. cons. 63. nu. 8. lib. 2. Seraph. dec. 558.* & inter fideiussores clarum est, quod non cadit obligatio, vt alteri ab altero releuetur, cum de sui natura obligationes sint stricti iuris *l. quidquid adstringendæ. ff. de verborum obligation. Cephal. cons. 626. num. 11. Surd. dec. 202. num. 11. Menoch. consil. 32. num. 51. lib. 1.* Vnde cum Pasius non doceat de præcisa obligatione fideiussoris, caret per consequens omni iure agendi pro indemnitate, vel liberatione suę obligationis.

2 Non obstat, quod si de præcisa obligatione non apparet, sufficit tamen tacita, vt teneatur Horatius de præsumpto mandato, dum se obligauit dare Pasium in fideiussorem, & passus est illum accedere. *l. si remunerandi. §. si passus. l. qui patitur. leg. cum mandato. l. qui fide alterius. ff. mandati.* vel saltem actione negotiorũ gestorum poterit experiri, cum se compatiatur cum mandato Comitis Alberti. *l. 3. §. fin. vbi gl. in verb. si cum pro. posuissent, & Abb. nu. 15. & Bal. in fin. not. ff. de neg. gestis.*

3 Quia

3 Quia fuit responsum, Horatium quidem promisisse dare Pasium in fideiussorem, sed passum non esse, vt pro se obligaret, dum Comes Albertus declarauit præsente Pasio Horatium habere tantummodo nudum nomen, & Pasium id egisse non contemplatione Horatij, neque Pasius sequutus fuerit fidem Horatij, merito non intrat præsumptum mandatum vt declarat *Bart. in l. mandasti. num.1. ff. de negot. gest.* & hoc ipsum videtur probare, *in d. §. passus sim aliquem pro me fideiubere.* Præsupponitur enim quod agatur de negotio spectante ad eum, de cuius mandato non constat vt innuant verba pro me, quæ sunt demonstratiua personæ interesse habentis. *Bald. cons. 304. libro 3.* quod verificari non potest in eo, qui nudum tantum nomen retinet, & clarius exprimitur in allegata lege cum mandato, ibi, sed si non vtique vnius sed vtriusque mandatum intuitus id fecerim, & tamen Pasius non contemplatione vtriusq; sed solius Comitis Alberti se obligauit, *& in l. qui fide eodem tit.* præsupponitur, quod si quis ex alieno mandato se obligat, pro vltero præsente, & non recusante, & vtrosque obliget vt in præsenti legitur implicita recusato Horatij, dum declaratur negotium ad eum non spectare, & cessante vtilitate, tollitur, & actio negotiorum gestorum, quia satis patet nunquam fuisse in Animo Pasii gerere negotia Horatii vtiliter dum sciebat ad Com. Albertum omnia pertinere, Et ita &c.

DECISIO DCCXXXIII.

Romana pensionis extra Rotam. Veneris 19. Iunij 1615.

Impressa Apud Buratto.

DECISIO 12.

R. P. D. REMBOLDO.

Interamnen. Aquarum Lunæ 22. Iunij 1615.

ARGVMENTVM.

Mandatum de manutenendo, quando detur in quasi possessione aquæ ducendæ.

SVMMARIVM.

Mandatum de manutenendo datur existenti in quasi possessione de tempore motæ litis, nu.1.
Interdictum de aqua quotidiana, & æstiua, vt detur, sufficit quod eo anno quis aquam duxerit, nu.1.
Mandatum de manutenendo debet dari habenti possessionem anteriorem, & melius probatam, nu.2.

DECISIO DCCXXXIV.

1 QVamuis alias Domini censuissent, DD. de Ciancherottis dandum esse mandatum de manutenendo in quasi possessione vsus aquarum, de quibus agebatur, visis nihilominus, & perpensis depositionibus testium pro parte Angeli Portæ, post dictam diuisionem examinatorum, dixerunt sufficienter inde probari, dictum Angelum extitisse in quasi possessione vsus dictarum aquarum, nedum de tempore motæ litis, quod ad effectum manutentionis sufficeret, *§. hodie. Instit. de interdict.* verum etiam per annum ante, *iuxt. text. in leg. 1. in princ. ff. de acquir. quotid. & æstiu. Ruin. cons. 191. nu. 3. in fin. & seq. lib. 1.* & pluribus insuper annis antecedentibus.

2 Et quia hæc probatio multum adminiculata videbatur, tam confessione Antonij de Rusticis authoris dictorum de Ciancherottis, in quibusdam querelis contra dictum Angelũ porrectis, & ex eo, quod ibidem extare dicitur aquæductus ad hoc, vt inde aqua pro vsu dicti Angeli deuiari possit fenestratus, quam etiam statuto Ciuitatis Interamnæ, quo cautum reperitur, quod Vicino possidenti fundum inferiorem, liceat ducere aquam per fundum superiorem, merito censuerunt præponderare probationi DD. de Ciãcherottis ac proinde manutentionem dicto Angelo competere, idque eo magis, quia possessio ipsius vltra prædicta appareat, etiam antiquior, & est probata per plures testes, meliores scientiæ rationes reddentes, quæ singula in hoc iudicio perpendi solent. *l. ob carmen. §. si testes, ff. de testibus, Bartol. l. si duo. sub num. 4. vers. quandoque vterque. ff. vti possidet. Felin. in cap. in nostra nostra. num. 11. de testibus, & bonæ mem. Cardin. Seraph. dec. 551. num. 2.* Nec in contrarium faciunt, quæ in alia decisione deducta facere, quia omnia videbantur sublata eo ipso, quod DD. suppositum fuit adesse in eodem agro alias aquas, quę molendino Dominorum de Ciancherottis inseruirẽt, & quod aquę super quibus controuersia vertitur, ex alieno agro in viam publicam defluunt, quo fit, vt non possint censeri propriè dictorum de Ciancherottis, sed permittẽte statuto bene potuerint inde ab Angelo siue eius authorib. per fundos superiores in subiacentem fundum duci. Et rebus sic stantibus, cessare videtur omnis difficultas, præterquam quod dubium esse posset vtrum mandatum Angelo concedendum sit cumulatiuè potius, quam priuatiuè, quo ad Ciancherottos cum statutum non minus vni, quam alteri faueat, & hac ratione testes ambarum partium ad concordiam reduci possent vnde vellem super hoc particulariter partes audiri, &c.

R. P. D. CAVALERIO.

Calaguritana quatuor quartarum. Lunæ 22. Iunij 1615.

ARGVMENTVM.

Attentata non reijciuntur per commissionem, quod procedatur in causa reiectis nullitatibus arbitrio vbi sunt clara.

SVMMARIVM.

Clausula, contradictores quoscumque appellatione postposita compescendo, intelligitur de contradictoribus de facto, num.1.
Attentata non reijciuntur ex clausula arbitrio, vbi sunt clara, num. 1.
Attentata dicuntur, quæ fuerunt facta post interpositam appellationem, & subsequutam inhibitionem, num.3.
Contradictor de iure non autem de facto dicitur, qui agit coram iudice, nu.4.

DECISIO DCCXXXV.

1 QVamuis sub die 24. Ianuarii 1614. resolutum fuisset, mandatum de presentando, & præsentatione, & prouisionẽ factam per prouisorẽ Calaguritanũ in fauorem filiorũ patrimonialiũ loci de Nauarette, non obstãte appellatione interposita pro parte illorũ de Fuẽmagor nõ esse attentata, & potissimũ ratione, quia prouisor ea omnia fecisse videbatur in execu-

tionem Breuis felic. record. Clementis VIIJ. in quo aderat clausula, contradictores quoscunque appellatione postposita compescendo, &c. & illi de Fuenmagor venientes contra formam sententiæ Rotalis, & exequutorialium eius vigore alias relaxatarum videbantur contradictores de facto, contra quos dicta clausula operatur, vt in Calaguritana de Alegria, 9. Iunij 1610. coram Reuerendissimo Domino meo Decano.

2 Tamen causa deinde pluries proposita super ijsdem Domini semper dubitarunt, ita vt aliqua resolutio capi non potuerit. Cum autem postea illi de Nauarette adiuissent Signaturam Sanctissimi pro reiectione prætensorum attentatorum emanauit commune cum clausula reiectis attentatis arbitrio Rotæ Vnde proposui dubium, an esset locus arbitrio, & Domini negatiue responderunt, nam dicebantur attentata esse satis clara, quo casu cessat arbitrium, vt dictum fuit in Parmen. status 30. Aprilis 1610. corã Reuerendissimo Bononien. in casu autem præsenti satis dicebant, esse clara attentata, nec placuit decisio, alias facta, à qua recedendum putauerunt, cessantib. fundamentis, quibus innitebatur.

3 Nam occurrente hac vacatione, illa de Fuenmagor insteterunt coram Ordinario Calaguritano, vt iuxta dispositionem literarum exequutorialium Ordinaret, Capitulo fieri augumentum Clericorum deseruientium in dicto loco de Fuenmagor, & ijs prouidere de dictis quartis, stante augumento Populi huius loci, & deminutione Populi loci de Nauarette super qua petitione, & prætensione fuerunt admissæ, & factæ probationes, & demum lata sententia diffinitiua, per quam fuit præfixus Capitulo terminus, sex dierum ad faciendum tale augumentum, & interim suspensa prouisio dictorum quartorum. Vnde cum capitulares non fuissent concordes, intrabat alia pars exequutorialium, vt nimirum dictum augumentum, & deputatio inseruientium pertineret ad Ordinarium pro tempore, ipse autem remisit ad Rotam, sed interim processit ad vlteriorem exequutionem, & collationem huiusmodi quartarum filijs patrimonialibus loci de Nauarette, non obstante appellatione interposita per illos de Fuenmagor, & inhibitione Domini Nuncii Apostolici præsentata eidem Ordinario. Vnde non videntur posse excusari attentata capitulo, non solum, de appellation. in sexto, Rubr. & toto titulo, vt lite pendent. Lancello. de attentat. capitulo quarto, ampliat. decima, numero secundo, & tertio, & fuit dictum Mediolanen. Sancti Ambrosii 14. Ianuarii 1613. coram Reuerendo Patre Domino meo Vbaldo.

4 Nec poterant isti de Fuenmagor dici Contradictores de facto, quia cum agerent coram iudice, & per eum fuissent admissi ad probandum, & obtinuissent sententiam ad ipsorum fauore, esse locum augumento, clarè apparebat esse contradictores de iure, non autem de facto. Vnde in necessariam consequentiam resultant attentata satis clarà. Quibus stantibus, Domini non censuerunt esse locum arbitrio, vt in dicta Parmen. coram Reuerendissimo Bononien. &c.

R. P. D. VEROSPIO.

Ciuitatis Castelli Parochialium. Lunæ 22. Iunij 1615.

ARGVMENTVM.

Gratia si neutri, & narrata in ea ex quibus iustificentur.

SVMMARIVM.

Vis probatur ex citatione executa, nu. 1.

Citatio dicitur executa, quando procurator post citationem comparuit, etiam quod procurator haberet generale mandatum, num. 1.

Vnio probatur per testes deponentes, de immemorabili, numero 2.

Valor quando fuit expressus per non excessum probatur per duos testes de fama, & alium de certa scientia, nu. 2.

Valor beneficii non probatur per testes, qui nesciunt onera, numer. 3.

Testes de publica voce, & fama, & certa scientia præferuntur testibus de auditu, nu. 3.

Obitus in possessione beneficii de certo tempore probatur per vnum testem de visu, & alios de publica voce, & fama, numer. 4.

Clericatus, & qualitates impetrantis probantur per testes de communi reputatione.

Narratiua non iuris collitigantis ex actorum reuolutione dum affirmatiua non iustificata non apparet probatur, numer. 5.

Ius patronatus non potest cedi absque consensu Episcopi, numer. 6.

Narratiua non iuris proprii ad effectum gratiæ si neutri probatur ex propria impetrantis confessione, & ex non iustificatione prioris gratiæ, nu. 6.

DECISIO DCCXXXVI.

Reuerendus Pater Dominus Vitellius duas Parochiales Ecclesias, vti vacantes de mense Nouembri per obitum Pyrrhi Mazzoni vltimi possessoris a Sede Apostolica impetrauit; exprimendo illas de iure patronatus familiæ Vitelliorum, & ipsum 1
esse à medietate patronorum præsentatum, cui patronatui fuit pro altera dimidia parte derogatum. Verum quia Flaminius Parus tanquam à maiori parte, similiter præsentatus in possessionem dictarum Ecclesiarum immissus reperiebatur, Dominus Vitellius contra illum in Rota litem instituit, & cum suæ impetrationis narratiuam iustificare non valeret, gratiam obtinuit si neutri. Quam, dubio per me proposito, Domini iustificatam esse responderunt.

1 Et primo, quo ad litem expressam, illa satis ex citatione contra dictum Flaminium executa iustificatur *Clem. 2. vt lite pend. auth. litigiosa, C. de litig.* Nec refert dictam executionem non apparere, quia cum Flaminii Procurator post citationem compar uerit, sufficit ad effectum, vt illa executa dicatur, etiam quod ipse procurator solum haberet generale. mandatum. *Seraph. dec. 1094. nu. 4. Caputaq. dec. 97. num. 5. & dec. 112. p. 1. Ægid. dec. 364. Rota dec. 422. nu. 5. p. 1. diuers.*

2 Vnio Parochialium narrata probatur ex testibus, qui de immemorabili deponunt, *Felin. cons. 2. nu. 2. & 3. Rebuff. in prax. tit. de Vnione, num. 35. Caputaq. dec. 344. & 347. p. 3.* Ex eisdem quoque testibus probatur beneficii valor, præsertim ex primo, & quarto de publica voce, & fama, nec non vno de certa scientia deponentibus, quod sufficit, cum valor per non excessum fuerit expressus, *Ægid. dec. 675. & 683. Put. dec. 29. lib. 1. Seraph. dec. 962. nu. 2.*

3 Non obstat, testes pro Flaminio examinatos de maiori valore deponere. Nam vltra, quod illi patiuntur multas exceptiones, vt per Informantes pro Domino Vitellio. Quia tamen de auditu ab aliis deponunt, nec quo ad beneficiorum onera bene concludunt; valorem per necesse non probant. *Rota decisione 189. in fine parte prima, diuersor. Put. decisione 44. numero sexto, libro secundo.* Nec sunt præferendi testibus pro eodem Domin. Vitellio examinatis

minatis, qui de publica voce, & fama, nec non etiam de certa scientia deponunt, *Felin. in capitulo, in nostra, nu.10. in fine.de testam. Seraph. dec.550.nu.2.*

4 Pyrrhi Mazzoni obitus de mense Nouembris in beneficiorum possessione iustificatur ex vno teste de visu,& alijs de publica voce,& fama, *Abb. in capitulo, cum causam. nu.2.vers.& hoc procedit de probat.Mohed.decis.1.eodem titulo. Rota dec.46.nu.1.& 2.par.2. diuers. Puteus dec.266. in fine lib.3.* Clericatus,& reliquæ Domini Vitellij qualitates in literis expressæ probantur similiter ex testibus, de communi reputatione deponentibus, *Card. Seraphin. dec.962. in princip.* & fuit coram me dictum in vna Litteren. Cappellaniæ 6. Apr. præteriti.

5 De non iure vero Flaminij constare dicitur ex actorum reuolutione ex quibus negatiua probatur, dum affirmatiua iustificata non apparet, vt fuit resolutum in vna Pampilonen. Parochialis 7. Iunij 1610. coram Reuerendissimo Attrebaten. & in Fesulana præceptoriæ 17. Ianuarij 1573. coram Oriolen. & in dicta Litteren.coram me. Nec valet dicere, satis constare de bono iure Flaminij, cum à maiori parte patronorum ipse fuerit præsentatus. Id enim ex actis non apparet, sicut nec pariter constat dicta beneficia esse de Iure patronatus. Nec de illorum pertinentia, qui Flaminium præsentarunt, vt requirebantur. *Innoc.in Rubr.de Iure patr.nu.4. Couar.var. resolut.lib.3. cap. 18. nu. 12.*

6 Controuertitur etiam Ius vnius Patroni, qui Flaminium præsentauit, tanquam Lucij Vitelij cessionarius, cum huiusmodi cessio ob non assensum Episcopi fuerit nulla. *Pute dec.16.lib.2.Decian.cons.541. num.2.* & fuit dictum in Valentina beneficij 15. Iunij 1603. coram Reuerendiss. Bonon. Non ius Domini Vitellij probatur ex illius confessione,& ex quo priorem gratiam ipse non iustificauit, vt fuit dictum in allega. Pampilonen. coram Reuerendiss. Attrebaten. & alibi sæpius.

REVERENDISSIMO P. DOM. COCCINO DECANO.

Marianen. seu Alerien. Vnionis. Lunæ 22. Iunij 1615.

ARGVMENTVM.

Status vltimus beneficij, quando attendatur in beneficialibus eleganter explicatur.

SVMMARIVM.

Sententia sine actis non probat. nu.1.

Sententia non nocet non citatio. nu.1.

Vnio facta per Papam non potest per inferiorem dissolui. num. 2.

Vnio facta per Papam non habita scientia alterius vnionis nulla est. nu.2.

Status vltimus beneficij attenditur in beneficialibus. num. tertio.

Declara, quod aut agitur de pertinentia collationis, & tunc collatio spectat ad eum, qui est in quasi possessione conficiendi bona fide, & attenditur vltimus status. nu. quinto.

Aut vero agitur de qualitate beneficij, & tunc vel ad effectum iustificationis gratiæ, & tunc sufficit probare vltimum statum. nu.5.

Vel agitur in præiudicium tertij impetrantis, qui probauit anteriorem statum, & sequens non est legitimè præscriptus, & isto casu, si propter anteriorem statum collatio vigore vltimi status est nulla, ipso iure non attenditur vltimus status. nu. 6.

Status vltimis beneficii attenditur in dubio, secus vbi constat de veritate. nu.6.

DECISIO DCCXXXVII.

1 Placuit Dominis decisio in hac causa facta, sub die 20. Decembris 1613. in qua fuit resolutum, constare de vnione facta per Paulum III. effectuata & iustificata, cui non obstant ea, quæ hodie opponuntur, scilicet, quod dicta vnio sit subreptitia, cum beneficium sit curatum, de quo in ea non fuit facta mentio nam de hoc non constat. Licet enim detur sententia Conseruatoris, tamen illa non probat, tum quia est sine actis, *Rot.dec.1146.nu.1.par.3.lib.3.* tum etiam, quia non nocet monasterio, cum illud non fuerit citatum nec auditum, de vnoquoque vbi *gl.ff. de re iud. Clem. sæpe. vbi etiam gl. de verb. significat.*

2 Minus etiam faciunt vniones allegatæ huius beneficii ad Ecclesiam Sancti Quirici. Non illa ordinarii quia cum prius Ecclesia fuisset vnita per Paulum III. non poterat per inferiorem dissolui, ad not. in cap. illud dilect. de fid. instrum. Non illa Clem. VIII. quia Papa non habuit scientiam de prima vnione. *Abbas cons.101.num.4.& 7.lib.1. Calder. consil.13. de reb. Eccles. non alien. Rot.dec.3.de rerum permut.in antiq.* Neque dici potest de illa habuisse scientiam, ex quo fuit narratum, prouisionem istius beneficii cessantibus reseruationibus Apostolicis antea spectasse, & pertinuisse ad istud monasterium. Nam ex ista narratiua non posset per necesse inferri ad vnionem, cum possit intelligi, quod collatio spectaret, vel iure ordinario, aut ex indulto.

3 Tandem non obstat, quod vltimus status beneficii est tanquam de collatiuo, non autem de vnito, qui vltimus status attenditur in beneficialibus. *cap. querelam.de electionibus.cap.consultat.de iure patr. capit. cum olim.de caus.poss.& propr.Feder.de Sen.cons.234.nu.3.vers. sed in casu proposito.Calder.consil.vltimo. de iure patronat. Put.dec.200. num.1. in nou. Bald. qui loquitur in terminis collationis.cons.437.Incip. Ex quo. Abb. Sancti Viti, libr.2. Rot.pariter in terminis decis. 14. de Iure patron.in antiq.* & fuit resolutum in causa Calaguritana Canonicatus. 20. Iunii 1605. coram Illustriss. Domino Card. Lancellotto, & in causa Asculana Prioratus 1. Iulii 1587. coram bo.mem. Cardinale Seraphino,& in causa Foro Sempronien. seu nullius iurisdictionis, 14. Iunii 1594. coram bon. mem. Cardinale Pamphilio, & in causa Pampilonen. Parochialis, de Sicur. Maior. 11. Aprilis 1603. coram eodem Illustriss. Lancellotto, & in causa Lunen.Sarzanen.Cappellaniæ 1. Martii 1602. coram Reuerendissimo Domino meo Archiepiscopo Damasceno, & prædicta adeo vera sunt, vt postmodum prouisus non sit amouendus. *Abb.in cap. ex literis.nu.... versic.sed tu dic.Et in cap.consultat nu.3. vers. sed ratio decisionis.de Iure patronat.Rot.dec. 7. de Iure patronat.in nou.Rot.dec.14.eod.tit.in antiq. Bald. dicto consil. 437. lib.2.*

4 Nam huic motiuo fuit responsum, quod aut agitur de pertinentia collationis, & tunc collatio spectat ad eum, qui est in quasi possessione conferendi bona fide,& ita loquuntur omnia iura,& authoritates supra alleg. & isto casu prouisus non est amouendus,& ratio est, quia conferre est fructus conferendi ergo spectat ad possessorem bonæ fidei. Ita dicunt omnes Doctores præcitati,& præsertim *Rot.alleg.dec. 14. de iur. patron.in antiq.* cuius verba transcribere placuit, sed iste non est casus noster,& propterea non est curandum de prædictis.

5 Aut agitur de qualitate beneficii, & tunc vel ad effectum iustificationis gratiæ, & isto casu sufficit probare vltimum statum. *Verall. decis. 60. alias 65. lib. 2. de manuscrip. Aegid. decis. 116. in fin.* Et fuit dictum in causa Hostonen. Cappellæ. 16. Maii 1597. coram bon.

bon. mem. Card. Seraphino. Et in causa Capuana, Rectoriæ 15. Aprilis, 1611. coram bon. mem. Penia. Et ratio est, quia in dubio in probanda qualitate beneficij attenditur vltimus status. *c. cum de bonficio. de præben. in 6. Decian. consil. 126. num. 1. Rota decis. 2. de præben. in nou.* & fuit sæpissimè resolutum.

6 Vel agitur in præiudicium tertij impetrantis, qui probauit anteriorem statum, & sequens non est legitimè præscriptus, & isto casu si propter anteriorem statum collatio vigore vltimi status est nulla, ipso iure non attenditur vltimus status. *c. cum de beneficio. de præben. in 6. Ponderando illam dictionem & post, & ibi glos. Gemin. numer. 8. versic. ne constat Franc. num. 5. & 6. Decian. cons. 126. num. 4. vers. alleg. supra in contrarium*, & hæc fuit distinctio Bellam. quæ placuit *Rot. vt habetur in decis. 2. n. 2. de præben. in nou. Rot. decis. 22. de probat. in antiq.* Milis in repertorio in verbo beneficium si est impetratum, tanquam sæculare, *Felyn. in c. in nostra. nu. 43. de stip. Bellam. decis. 172. incip. collatio facta. Rebuf. in tit. de pacifi. possess. num. 159. versic. 20.* procedit, & fuit dictum in causa Ferrarien. Prioratus 21. Martij 1609. coram bon. mem. Penia, & ratio huius dicti est, quia in dubio attenditur vltimus status, secus autem quando constat de veritate in contrarium. Nam in isto casu non militat eadem ratio, quæ militat in pertinentia collationis, quia qualitas beneficij non est fructus iuris conferendi, qui spectat ad possessorem bonæ fidei, sed respicit substantiam beneficij, quæ non est in fructu collationis, vt bene colligitur ex Doctoribus prædictis. Applicando prædicta ad propositum, cum istud beneficium sit vnitum, licet vltimus status fuerit vti de libero, attamen collatio fuit nulla ipso iure, quia cum per vnionem titulus beneficij esset extinctus, non erat, quod posset conferri, & ideo vltimus status non est attendendus, sed anterior, tanquam de vnito, per supradicta, &c.

R. P. D. PIROVANO.

Mediolanen. Parochialis. Lunæ 22. Iunij 1615.

ARGVMENTVM.

Gratia non dicitur iustificata, non probata vacatione beneficij, & illius valore, & quando in beneficialibus confessio præiudicet confitenti in his, quę à confitentis potestate non dependent.

SVMMARIVM.

Beneficij vacationis narratiua expressè in gratia, etiamsi expressa non fuisset, subintelligitur, tanquam de natura substantiali ipsius gratiæ. num. 1.

Confessio indistinctè præiudicat confitenti in beneficialibus. num. 2.

Titulus beneficij non pendet à potestate confitentis, sed à potestate Papæ. Declara, vt nu. 3.

Negatiua dicitur perfectè probata per confessionem partis. num. 3.

Gratia non dicitur iustificata, non probato valore expresso in ea. num. 5.

DECISIO DCCXXXVIII.

1 Resolutum iam fuit, gratiam Zachariæ Philippo-rio non esse iustificatam, reseruando tamen videre, an ipse illam iustificare teneatur, hodie vero, omissa disputatione prædictæ reseruationis, ne contingeret grauari duriori onere probationis obtinuit idem Zaccharias, secundo loco gratiam si neutri, de cuius iustificatione nunc agitur. Verum adhuc eam non esse iustificatam Domini responderunt. Continet enim hæc gratia narratiuam vacationis beneficij, quæ alias etiamsi expressa non esset, subintelligeretur tanquam de natura illius substantiali. *Put. decis. 46. nu. 2. lib. 1. & decis. 272. nu. 40. in noua impress. lib. 2.* exprimitur etiam valor Ducatorum 24. per non excessum, quæ tamen non probantur.

2 Et respectu vacationis beneficij, potiùs contrarium probatur ex instrumento dato per moniales in earum summario, in quo apparet vsque de anno 1605. Zacchariæ fuisse concessam hanc Ecclesiam, non vti solitam conferri in titulum, sed tanquam ad nutum amouibilem per ipsas moniales, quæ confessio cum fuerit per Zacchariam acceptata, & per multos annos obseruata, inde resultat confessio narratæ manualitatis, quæ præiudicat acceptanti in iustificatione suæ gratię, prout nocet prouiso Apostolico narratiua iuris patronatus. *Pute. decis. 316. in nou. edict. lib. 2.* & indistinctè in beneficialibus, quod confessio præiudicet confitenti, fuit resolutum in Baren. beneficiorum. 15. Martij 1604. coram Illustriss. Cardinale Lancelloto, & coram me in Pacen. Canonicatus 11. Decembris 1613.

3 Nec visa est concludens responsio, quod titulus beneficij non pendeat à potestate confitentis. *Veral. decis. 185. num. 3. part. 1.* sed à potestate Papæ, & Canonica institutione. *c. beneficium de reg. iur. in 6. capitul.* ex frequentibus de institu. ideo Zaccharias per suum asserere, vel negare, non potuit mutare, qualitatem beneficij. Quia fuit responsum, quicquid sit ad effectum adiudicationis beneficij, in quibus terminis restringitur potestas confitentis, *vt dicitur in decis. 17. num. 1. de restitut. spoliat. in nouis, ac in eadem decis. 185. Verall.* tamen quoad præiudicium Zacchariæ interim nocet confessio, quamuis non præiudicet veritati, quia possit contrarium probari, vt fuit ponderatum in supradicta decisione Pacen. Canonicatus coram mem. Propterea stante confessione manualitatis non potest dici, quod ex reuolutione chartarum processus constet de non iure monialium, ita vt aliunde teneantur docere de earum iure, & non probato, remaneat iustificata gratia in ea parte, quod ius non competat monialibus, quia negatiua prædicta per huiusmodi confessionem non remanet perfectè probata, prout necessarium est, vulgata *leg. in præsentia. de probat. l. non hoc. C. vnde legitim. cum similibus.*

4 Non obstat, quod confessio Zacchariæ adhuc detegeretur erronea, cum ex iuribus per eum productis aperte probatur, ad Parochialem esse collatiuam, quia quo ad instrumentum anni 1466. 1514. 1537. non fuit habita ratio, cum excedant tantum tempus, quo potuit mutari status Ecclesiæ. Ordinatio verò facta in visitatione eiusdem Ecclesiæ per gloriosæ memoriæ Sanctum Carolum, magis videtur conferre iuribus monialium, quam contrariari, tum ordinatum fuit de assumendis informationibus super statu Ecclesiæ, & nihilominus moniales continuarunt in opponendo Cappellano, & amouendo ad nutum earum, pro vt hodie prætendunt etiam eis literæ, collatio verò facta per Vicarium Archiepiscopalem vigore prouisionis Apostolicæ anni 1588. per obitum Mutelli Stefano de Panicettis, visa est non suffragari, cum non habuerit effectum, & quamuis dicatur, quod non effectuatio processit ex eo, quod prouisus repertus fuit, non habilis, tamen non etiam constat, si fuisset habilis, quod prouisio habuisset suum effectum.

5 De valore pariter nulla prorsus datur iustificatio, ideo tanto magis Zacchariam defecisse visum fuit, cum & narratiua valoris sit pars gratiæ, quæ ratio est iustificanda. *Verall. decis. 27. n. 1. p. 1. cum alijs vulg. &c.*

REVE-

REVERENDISSIMO P. DOM.
DAMASCENO.

Salutiarum Pensionis. Lunæ 22. Iunij 1615.

ARGVMENTVM.

Pensio secunda reseruata non facta mentione primæ pensionis super eodem beneficio reseruatę est nulla, & an ad dictum effectum, debeat probari validitas primæ pensionis, & quæ probatio requiratur, & quid operentur clausulæ exequutiuæ.

SVMMARIVM.

Pensio reseruata nulla facta mentione primæ pensionis reseruatæ super eodem beneficio nulla est. num.1. & 2. Vbi maximè, quando prima pensio capit medietatem fructuum.
Subreptio causatur ex taciturnitate eius, quod si expressum fuisset, Papa difficilius gratiam concessisset. num.1.
Beneficia non solent duplici onere grauari. num.1.
Beneficia non solent grauari vltra dimidiam, & ideo in reseruationibus pensionum solet opponi clausula, dummodo pensiones medietatem fructuum non excedant. num.2.
Pensio secunda vt annulletur ob non expressionem primæ, debet constare de validitate primæ. num. 3. Vbi quod non requiritur probatio ita exacta, quia de illa agitur incidenter. & num. 4. Vbi quod sufficit probatio oriens ex literis reseruationis, cum sequuta quasi possessione exigendi.
Nullum quod est, nullum parit iuris effectum. num. 3.
Probatio exacta non requiritur ad probandum id de quo incidenter quæritur. num.3.
Prouisio habita ab habente potestatem conferendi præbet titulum coloratum. num.4.
Iustificatio gratiæ præsumitur ex quasi possessione. nu.4.
Clausulæ exequutiuæ non tollunt defectum subreptionis, sed tollunt tantum ea, quæ possunt obstare expressis. num.5.
Clausulæ exequutiuæ non ampliant gratiam, sed præsupponunt illam iam factam. nu.5.
Successorium corruit sublato principali. nu.5.

DECISIO DCCXXXIX.

1 Resolutum fuit, sententiam de partibus esse confirmandam, de illius enim iustitia constare visum fuit, dum annullat pensionem, quæ fuerat reseruata, nulla facta mentione de prima pensione super eodem beneficio auctoritate Apostolica reseruata, quia si Papa sciuisset dictam pensionem, vel non concessisset secundam, cum non soleant duplici onere grauari beneficia, *ad not. in cap. mandatum. de rescript. Socin. consil. 260. nu. 2. lib. 2. Paris. consil. 5. nu. 134. lib. 4. Cassad. decis. 3. de pension. Mohed. decis. 11. de locat. & conduct.* Rota in Vicentina Pensionis. 12. Februarij. 1590. coram bon. mem. Cardinale Mantica, Veronen. Pensionis. 27. Iunij. eiusdem anni coram bon. mem. Cardin. Platto, Cęsaraugustana Dismembrationis 23. Iunij 1600. coram bon. mem. Cardinale Pamphilio, Valentina Pensionis 27. Iunij 1601. coram Illustrissimo Cardinale Mellino, & in alia Cæsaraugustana Fructuum 16. Iunij 1602. coram me, vel saltem difficilius concessisset, quod sufficit ad causandam subreptionem, atque inde nullitatem gratiæ, *Socin. d. consil. 260. num. 2. Corneus consi. 245. nu. 6. lib. 1. Crau. consil. 296. num. 3.* & in dicta Cæsaraugustana Fructuum. 16. Iunij 1602. coram me, proindè quod secunda pensio, non facta mētione de prima sit nulla, tenuit *Rota apud Cassad. decis. 3. de pension. Caputaquen. decis. 301. part. 2. Ferret. consi. 388. Crau. d. consil. 269. sub num. 3.* & in dictis Veronen. Pensionis 27. Iunij 1596. coram bon. mem. Cardinale Platto, Valentina Pensionis 25. Iunij coram Illustrissimo Cardinale Mellino.

2 Idque tanto magis hoc casu, quia prima pensio capit medietatem fructuum, vnde si prefatæ decisiones firmant regulam in qualibet pensione, fortiùs procedent, quando prima pensio capit medietatem fructuum, quia beneficia non solent grauari vltra medietatem fructuum, *Gig. de pens. q. 8. num 1. Mohed. decis. 11. de locat. & conduct.* Rota in Monopolitana Pensionis coram bon. mem. Orano, 9. Ianuarii 1598. vnde in supplicationibus apponitur clausula frequentissimè, dummodo pensiones medietatem fructuum non excedant.

3 Et licet, vt annulletur secunda, sit necesse probare validitatem primæ, quia alias pensio nulla, verè non posset dici pensio, *ad leg. 4. §. condemnatum. ff. de re iudic.* & non esset verum dicere, quod beneficium esset duplici onere grauatum, si primum onus esset nullum, quia, quod nullum est, nullum parit effectum. *l. non videtur. la 1. ff. de iudic.* & ita in istis terminis respondit Rota in Carpentoraten. Pensionis 10. Ianuarii 1603. coram Illustrissimo Cardinale Lancellotto, attamen ad probandam validitatem primæ cum de hoc agatur incidenter, non requiritur illa exacta probatio, quæ requireretur si ageretur principaliter de illius canonizatione, *Bart. in l. quidam in suo. num. 4. ff. de condit. institut. Imol. in Clemen. 1. numer. 3. vt lit. pend. Boer. decis. 72. num. 8. Rota diuers. decis. 34. num. 18. p. 2. Seraph. decis. 1287. num. 3.* & fuit dictum in Pampilonen. Beneficii 30. Ianuarii 1615. coram me.

4 Et proinde visa fuit sufficiens probatio, oriens ex literis reseruationis, cum subsequuta quasi possessione exigendi, vt in istis terminis tenuit Rota in causa Cęsaraugustana Dismembrationi 33. Iunii 1600. coram bon. mem. Cardin. Pamphilio, Nam literæ dant titulum coloratum, cum sint ab habente potestatem, *Rota decisi. 20. num. 5. in nouis, & decis. 190. lib. 3. numer. 3. diuers. Put. decis. 277. p. 1* Rota in Vlixbonen. Coadiutoriæ 22. Martij 1596. coram bon mem. Gipsio. Et quasi possessio facit præsumi iustificationem, *Gigas de pens. q. 47. num. 4. Rota decis. 534. num. 7. p. 1. diuers.* cum maximè non agatur principaliter de validitate pensionis ex prædictis.

5 Prædictus autem defectus, non factæ mentionis primę pensionis, visus fuit Dominis, non posse sanari ex clausulis literarum reseruationis secundæ pensionis nempè, ibi, non obstantibus quibuscumque ordinationibus, & constitutionibus, & qualibet alia d. Sedis Indulgentia, per quem effectum præsentium impediri posset, quia istę clausulæ, tanquam executiuæ, non tollunt defectum subreptionis, sed tollunt tantum ea, quæ possunt obstare expressis. *Gemi. cons. 86. num. 6. Corn. consi. 245. num. 6. lib. 1. Crauet. consi. 296. n. 3.* Rota, in causa Eugubina beneficij. 2. Decembris 1596. coram bon. mem. Cardinale Pamphilio, *& meritò*, quia clausulæ exequutiuæ præsupponunt gratiam iam factam; vnde communiter dici solet, quod huiusmodi clausulæ illam non ampliant, *Clem. 1. in fin. de præben. Verall. decis. 83. num. 3. p. 1. Surd. decis. 42. num. 17.* si igitur præsupponunt gratiam iam factam, ideo non poterunt supplere defectum subreptionis, quia antequam deueniatur ad clausulas non adest aliqua gratia propter dictum defectum; Vnde clausulę non reperiunt, cui accedant, vel quid exequantur, sed immo sublato principali, necesse est illas etiam corruere, iuxta not. in *l. cum principalis. ff. de reg. iur.*

DECISIO DCCXXXX.

Foroliuien. Cappellæ. Lunæ 16. Martij 1615.

Impressa Apud Buratto.

DECISIO 103.

DECISIO DCCXXXXI.

Virdunen. Abbatiæ. Lunæ 22. Iunij 1615.

Impressa Apud Buratto.

DECISIO 127.

R. P. D. MANZANEDO.

Nouarien. Canonicatus. Lunæ 22. Iunij 1615.

ARGVMENTVM.

Agitur de iustificatione gratię, & narratiuę vacationis propter sententiam priuationis, quę transitum fecit in iudicatum, & quomodo talis narratiua debeat probari.

SVMMARIVM.

Narratiua vacationis ob priuationis sententiam, quæ transitum fecit in iudicatum ob non interpositam appellationẽ, seu illius non prosequutionem, debet iustificari per exhibitionem sententiæ, vna cum processu. num. 1.
Appellatio quo ad effectum suspensiuum non datur a sententia priuationis ob non residentiam, nisi tamen iudex nulliter, & iniuste processerit. nu. 1.
Sententia lata contra mortuum est nulla. nu. 2.
Clasula præterquam per obitum solet opponi in odium inpetratum. nu. 2.
Possessor qui non produxit titulum, potest se iuuare possibilitate alterius tituli. nu. 3.
In beneficialibus datur multiplicatio titulorum. nu. 3.
Valor non probatur per arrendamenta. nu. 4.
Tertij de suo iudicio deponens non probat. nu. 4.

DECISIO DCCXLII.

1 PRo non iustificatione gratiæ Marchetti Domini responderunt. Primo, quia narrauit Cononicatum de quo agitur, vacare ob priuationem Benedicti Lũghi factam ab ordinario seruatis seruan. per sententiam diffinitiuam, quæ transiuit in iudicatum ob non interpositam appellationem, seu illius non prosequutionem, & tamen hæc vacatio, in qua illius gratia fundatur nullatenus apparet iustificata, cum non exhibeatur sententia, nec processus desuper fabricatus, ex quo apparere possit de prædictis, & presertim, quod non fuerit appellatum, *iux decis. Mohedan. 11. de præben.* Nam licet à sententia priuationis ob non residentiam non detur appellatio ad effectum suspensiuum. *c. relatum, & c. conquerente. de cler. non resid. Conc. Triden. sess. 24. cap. 1. de reform.* Tamen id intelligitur, quando fuit rite, & recte lata. *iux. decis. Seraph. 1346. per totum.* Qualis an sit illa ordinarii, discerni non potest, cum non detur processus, vt supra deductũ est.
2 Immo ex testibus examinatis datur maximus fumus, quod de tempore sententiæ priuationis latæ dictus Benedictus esset mortuus. Vnde sententia diceretur lata contra mortuum, & sic non posset excusari à vitio nullitatis. *l. 2. ff. quan. sent. sine app. rescin. l. de qua re. §. cum absentẽ. ff. de re iud. Caputaq. decis. 140. p. 3.* Ex qua morte Benedicti si de illo tẽpore certificaretur sequeretur etiã Canonicatum vacare per obitũ, non autem per priuationem, prout Marchettus narrauit, à qua vacatione per obitum fuit expresse ille exclusus propter clausulam præterquam per obitum apponi solitam in odium impetrantium. *Rot. decis. 624. num. 5. p. 3. lib. 3. Moder. Hisp. ad reg. 8. Glos. 32. n. 33. & seq.*
3 Secundo principaliter non iustificatur gratia in eo, quod narrauit Seram fuisse ab Episcopo prouisum nec alium legitimum titulum haberi, Cum enim Sera non produxerit aliquem titulum Episcopi, & sic reus, & possessor ad excludendum Marchettum actorem, potest se iuuare possibilitate alterius tituli, quia in beneficialibus datur multiplicatio titulorum, vt fuit dictum in vna Cæsaraugustana de Maella. 8. Nouemb. 1599. coram bon. mem. Cardinale Pamphilio, & in alia Casalen. Canonicatus. 29. Nouembris 1613. coram me, quia possibilitate stante, non potest dici iustificata narratiua, quod Sera alium titulum non haberet.
4 Vltimo visum fuit DD. non iustificari valorem Canonicatus narratum per non excessum 80. Ducat. cum testes aliqui se referant ad arrendamenta, quæ non probant. *Ruyn. cons. 35. num. 36. lib. 1. Ferret. cons. 354. num. 16.* & alij dicant nihil scire, alij vero loquantur de suo iudicio. *Curt. iun. cons. 144. nu. 3.*

DECISIO DCCXXXXIII.

Signina Castrorum. Lunæ 22. Iunij 1615.

Impressa apud Buratto.

DECISIO 126.

DECISIO DCCXXXXIV.

Romana Administrationis. Lunæ 22. Iunij 1615.

Impressa apud Buratto.

DECISIO 125.

REVERENDISSIMO P. DOMINO MANZANEDO.

Cæsaraugustana Domus. Lunæ 22. Iunij 1615.

ARGVMENTVM.

Monasterium, seu Collegium Mendicantium hodie potest erigi ab ordinario, seruatis tamen quibusdam solennitatibus a sacro Concilio Tridentino sess. 21. cap. 4. de refor. iniunctis.

SVMMARIVM.

Monasterium, seu Collegium regularium, olim non poterat erigi sine licentia Sedis Apostolicæ. nu. 1.
Monasterium regularium hodie potest erigi de licentia ordinarij. num. 1.
Monasterium, seu Collegium regularium, vt erigatur de licentia ordinarij, quæ debeant seruari. nu. 1.
Intellectus ad tex. in c. ad audientiam. il primo, de Eccles. ædif. num. 2.

Sepul-

Sepulturæ electio est de facultatiuis, & potest eligi vbilibet. num.2.

Præiudicium considerabile non est, quod Christi fideles possint relicta Ecclesia antiqua, sibi eligere sepulchrum in Ecclesia noua ad effectum impediendi tale ædificium. nu.4.

DECISIO DCCXLV.

1 FVit resolutum sententias de partibus esse confirmandas, cum approbent licentiam datam ab Ordinario Cæsaraugustano erigendi nouum Collegium Mendicantium Discalceatorum inibi Missas celebrãdi, & sanctiss. Eucharistiæ Sacramentum retinendi, quam quidem licentiam ille concedere potuit. Nam licet pro erigendo nouo Regularium Collegio, seu Monasterio, olim requireretur specialis Sedis Apostolicæ licentia. *c.1.de excess. prał. in 6.Clem.* cupientes de pen. Hodie tamen huiusmodi facultas fuit ordinaris attributa per *sac. Conc. Trid. sess.25. de regul.c.3.in fi.* renouatur per particularem Constitutionem fel. rec. Clem.8. In qua præscribitur forma ordinariis, circa huiusmodi licentias conceden. quæ fuit ad vnguen per ordinarium Cæsaraugustanum seruata, cum citauerit omnes. Conuentus Mendicantium, & sibi constiterit nullum eis posse ex noua Collegij erectione præiudicium inferri, ex quo redditus illi relicti per Vgonem de Vicis in pecunia numerata, & frumento sufficiunt ad congruam sustentationem Collegialiũ, qui propterea non cogentur mendicari, & consequenter non diminuent eleemosynas aliorum Mendicantium, nec aliquod eis damnum inferent.

2 Quibus non obstat pro erectione huiusmodi Collegij non concurrere requisita in *c. ad audientiam. il 1. de eccles.ædif.& in Conc.Triden.sess.21.c.4. de refor.* Quia prædicta iura loqquntur de erectione nouæ Parochialis intra limites alterius, non autem Collegij seu alterius ecclesiæ non parochialis.

3 Minus obstat, quod erecto isto Collegio Christi fideles poterunt in illius ecclesia eligere sepulturam, facere celebrari Missas, & anniuersaria, quod redundat in præiudicium ecclesiæ del Pilar. In qua prædicta hucusque facta fuerunt. Quia negatur huiusmodi preiudicium cum simus in facultatiuis ex quo quilibet potest ad libitum vbilibet pia opera facere, & sibi sepulturam eligere. *cap.1.de sepult.* Et in omnem euentum, tale præiudicium non esset considerabile ad effectum impediendi noui Collegii erectionem, iuxta *doctr.Bart.l.quo minus.nu.21. in fi.ff.de flum..Alex.cons. 194.num.11.lib.2..Aym.de antiq.p.4. in c.incip.circa præmissa.num.27.*

4 Vltra quod prædicta Constitutio Clementis considerauit tantummodo præiudicium, quod potest inferri Ecclesijs Fratrum Mendicantium, ne propterea eleemosynas erogandas in nouum Collegium, detrimentum patiantur, non autem alijs ecclesijs.&c.

DECISIO DCCXXXXVI.

Pistorien. Beneficij. Lunæ 23. Iunij 1615.

Impressa apud Caualerio.

DECISIO 317.

R. P. D. MANZANEDO.

Romana Pecuniariæ. Veneris 26.Iunij 1615.

ARGVMENTVM.

Actiones personale, quæ contra hæredem competunt, non dantur contra emptorem hæreditatis.

SVMMARIVM.

Actiones personales debent dirigi contra venditorem hæreditatis, non contra emptorem. nu.1.

Clausula non alios, aliter, nec alio modo quid operetur.nu.1.

Hæres adiens hæreditatem cum beneficio inuentarij non tenetur vltra vires hæreditarias. nu.2.

Inuentarij beneficium competens hæredi cedenti competit etiam cessionario. nu.2.

Inuentarium quid debeat continere. nu.3.

Inuentarij sola omissio non nocet sine dolo. nu.4.

Probare vnusquisque debet fundamentum suæ intentionis. num. 4.

Commissionis verba sunt attendenda. nu.5.

DECISIO DCCXLVII.

1 MOrtuo Paulo Massentio ab intestato, Dominicus, & Romulus illius fratres germani hæreditatem cum beneficio legis, & inuentarii adiuerunt, & illam postea cum omnibus suis iuribus cesserunt Ambrosio Roncallo, qui suscepit in se omne onus, ac commodum, & incommodum dictæ hæreditatis cum beneficio legis & inuentarij aditæ, & non alias aliter, nec alio modo. Iacobus Scaglia prætendens se creditorem dicti quon. Pauli in Scut. 500. sequestrari fecit quædam bona hæreditaria, seu illorum pretium penes Solarium existen.& deinde mouit iudicium coram A.C.seu illius deputato, contra Ambrosium hæreditatis prædictæ cessionarium, quem prętendebat de proprio, & vltra vires hereditarias teneri. In quo iudicio fuit dictus Ambrosius quo ad personam, & bona propria absolutus, reseruato iure agendi aduersario contra bona hæreditaria, & cum à dicta sentẽtia fuisset appellatum, & causa mihi commissa, Dubitaui an dicta sententia esset confirmanda, & DD. affirmatiue responderunt, Tum quia Iacobus contra Ambrosium nullam habebat actionem, quia hæreditate alicui vendita, creditores hæreditarij debent dirigere actiones contra venditorem, non autẽ contra emptorem hæreditatis, iuxta *text.in l.2.Cod.de hæreditatibus, vel actionib.vendit.l.2.C.de pac.* Tum etiam quia quatenus actionem aliquam haberet esset illa, quæ oritur ex dicto instrumento cessionis, in quo cum ille assumpserit in se onus dictæ hæreditatis cum beneficio legis, & inuentarij aditæ, & non alias aliter, nec alio modo, non tenetur vltra vires hæreditarias ex quo dicta clausula non alias &c. remouet consensum ab actu, ita vt non censeatur Ambrosius alias dictæ cessioni consensisse, nisi cum dicto beneficio legis, & inuentarij. *Osasc. decis.165.num.13.vers.immo sunt. Thesaur.decis.270. numer.23. Verall. decis.82.num.4.par.3. Rot.decis.650. in fin. p.1. diuers.Seraph. decis.420. num.6.& 724. num.2. & seq.*

2 Vlterius sicuti ipsi hæredes cedentes non tenebantur vltra vires stante aditione cum beneficio legis, & inuentarij. *l.fin. §.si præfatam, & ibi Docto. C. de iur.deliber.* Ita nec Ambrosius eorum cessionarius, cum certum sit omnia iura competentia cedentibus, competere, & cessionario, *l. Pomponius. §. cum quis. ff.de acquiren.possessio.l.qui in ius.ff.de regul. iur.* prout in terminis de beneficio inuentarii competenti hæredi cedenti, quod competat & cessionario, voluit *Bald. in authen. sed cum testator. nu.19. C.ad l.Falcidiam.Rol.de inuent.p.4. c.43. incip. vlterius.nu.4. & 5.*

3 Non obstat, quod inuentario per hæredes confecto fuerint omissa nomina debitorum, & libri, in quibus

bus illa descripta reperiebantur, & ideo non intret beneficium inuentarii. *Menoch.consf.89.num.146.* Et late *Honded. cons.34. per tot. lib.1.* quia huiusmodi omissio noceret ipsis hæredibus qui inuentarium confecerunt, non autem Ambrosio emptori, qui se limitate obligauit ex supradictis.

4 Vltra quod ad istum effectnm non sufficeret sola omissio, nisi etiam concurreret dolus. *Surd. decisione 222. num. 4. & 11.* qui quidem dolus cum non præsumatur. *leg. si creditor. C. de pignor. Alciat. regul. 3. præsump. 4. numer. 1.* deberet claris, & concludentibus coniecturis probari, alias præsumptio est in contrarium, quod scilicet hæres qui inuentarium confecerit ignorauerit dicta nomina debitorum, & bona fide omiserit, *Bellol. cons. 30. num. 6.* & fuit dictum in vna Romana Inuentarij de Massainis. 14. Maij 1604. coram Reuerendissimo Bononien. & in casu nostro non solum non fuit probatus aliquis dolus, sed potius excluditur ex declaratione per hæredē facta in ipsa inuentarij confectione, quod possit addi si quid forte est omissum. *Bald. in d. auth. sed cum testator. numer. 18. Thanuc. de inuent. par. 3. numer. 49. Surd. plures referens, vbi supra. num. 22.* & fuit dictum in dicta Romana Inuentarij. Et cessat omnis dolus, quia dicti hæredes habita notitia de dictis libris, & nominibus illa addiderunt in inuentario.

5 Minus obstant nullitates contra sententiam oppositæ. Nam omissio terminorum substantialium tollitur ex facto, prout & defectus iurisdictionis R.P.D. Mileti, qui licet fuerit per A.C. deputatus in causa sequestri verten. inter Iacobum, & Solarium emptorē, quarundam mercium hereditatis Pauli, & respectiue sequestratarium, tamen habebat etiam iurisdictionē in hoc iudicio postea per eundem Iacobum intentato contra Ambrosium, quia cum Solarius conueniretur vti sequestratarius pretij dd. mercium, quas emerat ab Ambrosio, interesse principale erat ipsius Ambrosij, cui dictum pretium erat debitum, & sic, cum commissio cantet contra Solarium, & socios, negari non potest quin comprehendat etiam Ambrosium qui ratione dicti interesse non solum erat socius, & consors litis, sed principalis. Quod facilius procedit, quia partes semper comparuerunt coram R.P.D. Mileto vsque ad sententiā inclusiue. Et ita cōclusum, &c.

R. P. D. VEROSPIO.

Placentina habitus. Veneris 26. Iunij 1615.

ARGVMENTVM.

Testes de illegitimitate deponentes quomodo debeant deponere.

SVMMARIVM.

Testes deponentes de negatiua, & de his, quæ non cadunt sub sensu corporis debent etiam non interrogati reddere scientiæ causam. nu. 1.

Matrimonia clandestina ante Concil. Trident. non prohibeantur, & per ea filij nascebantur legitimi. num. 1.

Filij dicuntur legitimi etiam si matrimonium subsequatur. num. 2.

Vxor potest de viri consensu constante matrimonio ingredi religionem. num. 3.

Probatio concludentissima requiritur in materia obiectiua. num. 4.

Testes de legitimitate deponentes præualent deponentibus de illegitimitate etiam si sine numero plures. num. 5.

Testes contra producentem plenius probant. num. 6.

Testes verisimilia deponentes præualent alijs. num. 6.

DECISIO DCCXLVII.

1 Consilium Religionis Hierosolymitanæ cum per diffinitiuam sententiam Aluaro Altamirano Religionis habitum denegasset, ob prætensam illius Auiæ paternæ illegitimitatem, fuit pro parte Don Aluari appellatum, & causa in Rota mihi commissa, dubitaui, an de iniusta habitus denegatione constaret. Quo dubio pluries per me proposito fuit tandem affirmatiue responsum. Et quicquid sit de hoc illegitimitatis impedimento respectu Auię, de quo multa per vtriusque partis Informantes, visum fuit Dominis in casu nostro talem illegitimitatem non probari. Licet enim ex testibus Religionis nonnulli deponant, Altamirani Auiam fuisse ex vtroque parente cælibe natam. Quia tamen sub sensu corporis dictus cœlibatus non cadit, & in mera negatiua consistit, videlicet, matrimonij non celebrati, debebant isti testes etiam non interrogati scientiæ causam reddere. *Ripa in cap. cum Ecclesia Sutr. numer. 88. de cauf. possess. Prob. ad Monach. in c. fin. nu. 34. de confess. in 6. Aym. cons. 2. numer. 3. vers. quinimo etiamsi ciuiliter.* Tanto magis quia tunc temporis tanquam ante Concilium Tridentinum clandestina matrimonia nū prohibebantur, & per ea filij nascebantur legiti. *c. 2. & ibi not. de clandest. despons.*

2 Præterea fieri potuit, vt tempore ortus ipsius Auię inter eius parentes matrimonium contractum non esset, & tamen postea fuerit subsecutum, quo casu proles etiam legitima efficiebatur. *cap. tanta est vis, qui fil. sint legit.* Et satis est hæc possibilitas ad reddendam in validiam Religionis probationem. *Castr. in l. penul. §. docere. num. 4. ff. ne quis eum. Dec. cons. 371. sub num. 9. post med.*

3 Nec refert eosdem testes deponere Agnetem dictæ Auiæ matrem fuisse monialem, quia non inde ad matrimonii exclusionem infertur, cum testes non deponant illam fuisse monialem viuente Aluaro viro. Quod nec etiam sufficeret, cum possibile sit matrimonium inter illos præcessisse, & Agnetem de Viri consensu postea fuisse Religionem ingressam. *c. 1. de conuers. coniugat.*

4 Et tanto minus hic releuant dicti testes, cum agatur de materia obiectiua, quæ concludentissimas requirit probationes, capite super his, de accusat. *cap. accedens de elect. Rota decis. 8. & 9. de except. in nou. Mohed. dec. 130. Parij. cons. 104. num. 2. & 67. lib. 4. Sarnen. in reg. de infirmit. quæst. 36.* & fuit dictum in Toletana canonicatus 10. Decembris 1608. coram Reuerendissimo Lugdunen.

5 Vlterius dictæ Auiæ illegitimitatis, excluditur à duobus testibus de eiusdem legitimitate deponentibus, quibus in concursu debet maior fides adhiberi, etiam quod alij contrarium deponentes sint numero plures. *Hoied. de incompatib. benef. par. 5. capit. 23. numer. 143. Gabr. de testibus qui plures cumul. conclus. 4 num. 24.* & fuit dictum in Toletana Cappellaniæ. 19. Ianuarij 1609. coram Reuerendissimo Domino meo Decano, & in allegata Toletana Canonicatus, coram Reuerendissimo Lugdunen.

6 Cum præsertim dicti testes fuerint à commissariis Religionis inducti, *l. si quis testibus, vbi Doct. C. de testibus, Aym. cons. 188. nu. 5. Roman. cons. 104. nu. 6. Surd. dec. 284. num. 19.* & fuit dictum in Toletana portionis, 2. Maii 1594. coram Cardinali Mantica. Et verisimilia deponant ob Agnetis nobilitatem, & ingressum in religionem, in qua fuit eadem Abbatissa cum maxima sui dignitate, & existimatione, vt reliqui testes vnanimiter deponunt, &c.

REVEREN. P. DOMINO DAMASCENO.

Anconitana Censuum. Veneris 26. Iunij 1615.

ARGVMENTVM.

Litiganti fouenti bonum ius, & pauperi, debentur à collitigante alimenta.

SVMMARIVM.

Litiganti vt debeantur alimenta, requiritur præsumptio boni iuris, & paupertas. num.1.
Sententia fauorabilis facit præsumptionem boni iuris pro eo, qui eam reportauit. num.2.
Duo vincula magis ligant, quam vnum. num.2.
Causæ longa discussio facit præsumptionem boni iuris in actore. num.3.
Paupertatis probatio vnde desumatur. num.4.
Alimenta collitiganti debentur etiam si agatur ad rem particularem. num.5.
Alimentorum quantitas desumitur ex valore petitorum. n.6.

DECISIO DCCXLIX.

1 FVit resolutum danda esse Leonibus Scuta 12. singulis mensibus pro alimentis, & sumptibus litis, quia ex deductis constare visum fuit de duobus requisitis, ad effectum, vt quis possit consequi alimenta, & sumptus litis à suo collitigante, nempe præsumptio boni iuris, & paupertas, de quibus, per *Couarr. pract. quæst. c.6. n.6. Ang. cons. 245. nu.4. in fin. vers. præterea. Riminal. iun. consil. 255. nu.2. vol.3. Crescent. decis. 8. de iudic. Afflict. decis. 10. num.2. Verall. decis. 20. num.2. lib.1. Seraph. decis. 1098. num.2.* Rota in Bonon. de Guidalottis. 19. Februarij 1607. coram bonæ memoriæ Penia, & in Firmana Altaris. 22. Maij 1608. coram bon. mem. Iusto.

2 Presumptio boni iuris fuit deducta ex duabus sententijs fauorabilibus obtentis per Leonios, quarum vltima est Rotalis, & licet Triumphi, & ipsi inter vtranque ex prædictis aliam sententiam fauorabilem reportauerint, Attamen ad effectum, de quo agitur, visum fuit Dominis preualere duas, quas habuerunt Leonij, quia ad istum effectum sufficit prima sententia. *l. si instituta. §. de inofficioso*, ibi egerat, & obtinuerat, sed scriptus hæres appellauerat. *ff. de inoffic. testamen. Lap. in c. per vestras. §.39. ampliat. 18. num.2. post med.* & quicquid dicendum foret si contra istam primam sententiam esset simpliciter lata secunda, attamen quando vt in proposito casu superuenit tertia reuocatoria secundæ, & confirmatoria primæ, videtur idem ac si non esset lata ista secunda, quia suspicio, quę posset oriri contra primam ex secunda sententia tollitur & per tertiam. Vnde remanet totalis effectus primæ, vel posset dici, quod prima, & tertia, tanquam duo funicula magis ligent, quam vnicum funiculum secundæ, *ad not. in c.1. de treg. & pace. cum alijs per Surd. cons. 31. num.6.*

3 Denique quod tertia debet attendi, tum propter præsumptionem, quę oritur ex longiori causę discussione, *l.2. C. de sent. ex breuiculo recit. ibi*, sed deliberatione habita. Clemen. Pastoralis. versic. dicite ergo sententiam ibi maturo iudicio. de sent. de re iudic. *Felin. in c. Ecclesia Sanctæ Mariæ. nu.19. vers. non habet in se aliqualem præsumptionem. de constit. Anchar. cons. 36. num.2. in fin. & num.3. Crauet. consil. 113. num.2. vers. virtus etiam.*

4 De paupertate satis constare visum fuit ex testibus datis pro paupertate Leoniorum, attento maxime numero personarum nempe viduę cum octo filij, qualitate familiæ, cum non liceat vilia quæque exercere, cum alijs circumstantijs.

5 Circa illud, quod non debeantur alimenta, & sumptus litis, nisi quando agatur ad vniuersitatem bonorum, secus si ad res particulares, vt agitur in proposito casu ex *Surd. tract. de aliment. tit.1. quæst.120. nume.14.* fuit dictum istam distinctionem nullo iure, aut ratione probari. Nam causa ob quam præstantur ista alimenta, & sumptus litis, non videtur consistere in eo, quod agatur magis ad vnam rem, quam ad aliam de cuius boni iuris presumptione constat, ne cogatur ob impotentiam litem deserere, Vnde videmus, quod in *c. ex parte, & in cap. olim. de accusat.* donantur alimenta ei, qui sine dubio non agit ad vniuersitatem bonorum, & Lopez per *Surd. allegatus in d. §.34. col.2.* non distinguit, an agatur ad vniuersa, vel ad particularia bona, sed an adsit, vel non adsit præsumptio boni iuris, vt patet ex *nu.3.* Vbi sæpe inculcat præsumptionem boni iuris, *tex. vero in d. l. si instituta. ff. de inoffic. testam.* licet ponat casum, in quo agebatur de vniuersitate bonorum, non tamen loquitur limitate, nec pro ratione decisionis ponderant hanc circumstantiam, quod ageretur ad vniuersitatem bonornm, sed tãtum inopiam actoris, vbi placuit propter inopiam pupilli, &c. Quam inopiam etiam ponderat *l. final. C. de ord. cogn. & tex. in c. ex parte. in c. olim supra alleg.*

6 Quo ad quantitatem Domini ita arbitrati sunt, attento valore petitorium, qui in primis solet haberi in consideratione ad istum effectum. *l. fina. C. de ordin. cognit. Pontan. de alimen. c.13. num.8. Molin. de primog. c.6. lib.2. num.27.* agitur enim de censu Scutorum quatuor millium, ex prædio considerabilis valoris, vnde summa Scutorum 12. singulis mensibus durante lite, visa fuit competens, &c.

R. P. D. VEROSPIO.

Romana Restitutionis Dotis. Mercurij 1. Iulij 1615.

ARGVMENTVM.

Possidens titulo vniuersali, non excipit de præscriptione contra agentem ex Saluiano interdicto.

SVMMARIVM.

Saluianum interdictum non excluditur per exceptionem præscriptionis, allegatam ab eo, qui possidet titulo vniuersali. num.1.
Dictio de residuo, in testamento importat titulum vniuersale. num.2.
Substitutus est successor vniuersalis, sicut institutus. nu.3.
Hæres hæredis dicitur hæres authoris illius hæredis. num.3.
Redimens rem titulo hæredis, dicitur possidere rem redemptam titulo hæreditario. num.4.

DECISIO DCCL.

1 FVit 13. Martij præteriti coram me decisum, Ioanni Curto pro recuperatione dotis Alexandræ Grucchiæ, cuius fuerat hæres, competere Saluianum contra Archiconfraternitatem Sanctissimæ Trinitatis, quæ domum retinebat olim possessam à Ioan. Baptista de Sanis huius dotis fideiussore. Verum quia dicta Archiconfraternitas ad excludendum Saluianum excipiebat de præscriptione, super ea, dubio per me proposito, quod fuerat in Decisione reseruatum, fuit responsum, illam non obstare. Cum enim Archiconfraternitas domum vniuersali titulo possideat, allegata præscriptio ad effectum impediendi Saluianũ illi non suffragatur. *l. cum notissimi. §.1. ff. de præscript. 30. ann. & ibi Bald. num.1. Ang. numer.2. Salic. numer.2. Gabr. consil. 144. num.76. lib.2. Curt. consilio 70. nu.2. lib. 2. Boer.*

2. *Boer. decis.* 328. *nu.* 2. Et fuit dictum in causa Imolen. Saluiani interdicti. 27. Iunij 1594. coram Cardinale Mantica.

2 Quod autem Archiconfraternitas vniuersali titulo successerit præter mandatum de immittendo, quod tanquam hæres obtinuit in bonis hereditarijs Syluię dicti Io. Baptistæ fideiussoris filiæ, & hæredis, probatur ex eiusdem Syluiæ testamento, in quo illa disposuit, vt post obitum Leonardi sui filij absque filijs nō. nulla ipsius bona ad certas personas deuenirent. De residuo vero hæreditatis voluit, vt per tutores, & curatores Leonardi filij construeretur, & dotaretur in Ecclesia Sanctissimæ Trinitatis, Cappella, que dispositio de residuo titulum vniuersalem importat *leg.* 2. *vbi Alex Castren. & ceteri. C. de hæred. instituen. Bar. in l. centurio num.* 42. *ff. de vulg. & pupil.*

3 Vnde cum factus fuerit substitutioni locus ad fauorem Archiconfraternitatis, satis apparet illam in domo, de qua agitur, vniuersali titulo successisse, cum per substitutionem vniuersaliter, sicut per institutionem succedatur. *Paris. cons.* 43. *num.* 48. *lib.* 3. *Doct. in rubr. de vulgar. & pupillari. Peregr. de fidecicomm. art.* 5. *num.* 6. Nec potest controuerti, quia Archiconfraternitas tanquam hæres Io. Baptistæ domum possideat, cum fuerit hæres Syluiæ illius hæredis. *l. fin. C. de hæred. instit. Ang. Aret. cons.* 93. *num.* 10. *Alexan. cons.* 172. *num.* 12. *lib.* 6.

4 Non obstat, quod per Archiconfraternitatem eadem domus postea fuerit redempta. Nam cum hoc illa vigore pacti de retrouendendo in hæreditate reperti præstiterit, satis apparet ipsam titulo hæreditario dictam domum possidere *Tiraq. de retract. lignag.* §. 19. *glo.* 2. *num.* 4. *& seq.* Et fuit dictum in Bononien. de Bonsignoribus. 3. Aprilis 1609. coram R. P. D. meo Caualerio, &c.

R. P. D. PIROVANO.

Pampilonen. Attentatorum. Mercurij 1. *Iulij* 1615.

ARGVMENTVM.

Attentata non reuocantur, nisi prius actis transportatis. Habentur tamen pro transportatis si transportationi fuit datum impedimentum per recursū ad Curiā sæcularem, & quid si recursus fuit factus à Procuratore, nō constito de mandato principalis.

SVMMARIVM.

Attentata lite pendente, & post factam inhibitionem reuocandam sunt. num. 1.

Attentata non sunt reuocanda sine transportatione actorum. num. 2.

Recurrens ad Curiam sæcularem impediendo transportationem actorum facit, vt acta censeantur transportata. num. 2.

Recurrens ad Curiam sæcularem numquid incurrat censuras, & pœnas, quando recursus fuit factum à Procuratore, de cuius mandato non constat. num. 3.

DECISIO DCCLI.

1 PRo Nicolao solo Informante fuit resolutum, nempe constare de attentatis, quæ veniant reuocanda, quia causa pendente in Rota, & post inhibitionem Rotalem transmissam iudex delegatus iam officio suo functus super exequutione literarum Apostolicarum in spretum iurisdictionis iudicis, ad quem reposuit Martinum ab omnibus decretis per eum factis, quod facere minime poterat, stante pendentia causæ, & inhibitione, quæ omnino erat timenda, *Achil. decisione* 19. *de appellationibus.* &. coram Accorambono inter impressas, post tractat. *Salu. D. Statilij decis.* 60.

2 Non obstat, quod ad prædictam attentatorum reuocationem deueniendum non sit, nisi prius transportatis actis ad Curiam, sine quibus iurisdictio non dicitur aperta iudici, iuxta Decreta Concilij Tridentini. Nam vltra quod adsunt sufficientia acta ad probandum attentata, nempe recursus ad Concilium, & sententia repositionis contra propriam sententiam iam latam pro Nicolao fuit etiam dictum, stante impedimento præstito per Concilium instante Procuratore Martini, ne acta possent transportare, solent in odium recurrentium habere pro transportatis. *Gabriel. de appellation. conclusione* 5. *numer.* 5. *&* 9. & in his terminis alias fuit resolutum in Calaguritana Beneficij. 11. Februarii 1608. coram R.P.D. Pamphilio.

3 Aduerterunt tamen Domini, quod omnia in Consilio Regio gesta fuerunt per Gabrielem de Eguillir Procuratorem Martini, de cuius mandato non constat, quæ etsi in Corduben. Archidiaconatus de Castro. 27. Octobris 1606. coram Reuerendissimo Archiepiscopo Damasceno, nihilominus ad declarationem censurarum maiorem probationem expectare voluerunt, prout etiam dixerunt in causa Ianuen. Census, coram me. 17. Iunii de anno 1603. Ideo quo ad censuras, vltra principalem pro reuocandis attentatis, nihil voluerunt determinare. Et ita fuit decisum.

DECISIO DCCLII.

Rauenaten. Notariatus. Mercurij 1. *Iulij* 1615.

Impressa Apud Buratto.

DECISIO 131.

DECISIO DCCLIII.

Lauden. Cappellaniæ. Mercurij 1. *Iulij* 1615.

Impressa Apud Caualerio.

DECISIO 362.

R. P. D. VBALDO.

Toletana Confraternitatum. Mercurij 1. *Iulij* 1615.

ARGVMENTVM.

Procurator habens mandatum cum clausulis amplissimis limitatum ad vnam causam, an possit in alia comparere.

SVMMARIVM.

Sententia lata pro eo, cui non competit actio, an sit ipso iure nulla non est absolutum. num. 1.

Procurator habens mandatum limitatum ad vnam causam, non potest in alia diuersa comparere. num. 1.

Sententia ex defectu mandati dicitur nulla. num. 1. *Vbi maxime parte opponente, & oppositione à iudice admissa.*

Clausula cum libera, & similes oppositæ in mandato procuræ, non ampliant mandatum ad alias causas, sed augent potestatem procuratoris super speciali causa in mandato expressa. num. 2.

Mandatum speciale contra certam personam, licet sequantur clausulæ generales ad omnes lites, & causas intelligitur contra illam personam tantum. num. 2.

Præ-

Præsumptiones, & coniecturæ cessant in claris. num. 3.
Mandatum postquam est semel in actis productum, non potest amplius de eius defectu opponi. num. 3. Vbi nisi tunc fuisset oppositum de eius insufficientia.

DECISIO DCCLIV.

1 DOmini dixerunt, sententias de partibus esse nullas, & quicquid esset dicendum circa caput nullitatis ex defectu interesse Capituli, cum non sit absolutum, quod sententia lata pro eo, cui non competit actio, sit ipso iure nulla. ad *Barto. in l. cum putarem. ff. famil. ercifcun. Gabriel. in titul. de sent. conclus. 8.* Rota amplectebatur nullitatem ex defectu mandati Gundisalui, qui licet sit vnus ex procuratoribus constitutis à capitulo cum clausula in solidum, tamen mandatum fuit limitatum ad prosequendam causam super bonis licentiati Diaz, & Catherinæ eius sororis spectan. ad capitulum vti eius hæredem, vt patet ex lectura mandati, & ideo non poterat pro capitulo interuenire in alia causa omnino diuersa inter capitulum, & Confratres. Certum est autem sententias, & processum ex defectu mandati esse nulla. *l. licet. vbi DD. C. de procur. capit. in nostram. ext. eod. tit. Vant. de nullit. ex defectu mandati. num. 59.* & fuit sæpe decisum, & hoc eo magis procedit parte opponente, prout in casu nostro fuit oppositum, & à iudice admissa oppositio. *Bald. consi. 122. nu. 1. versic. modo videamus. lib. 9. Aym. consi. 108. nu. 1. Gabriel. consi. 25. nu. 23. & 28. lib. 2.*

2 Non obstant clausulæ amplissimæ in mandato veluti cum libera, & similes ponderatę per Informantes pro capitulo, quia sunt clausulæ accessorię, quę non ampliant mandatum ad alias causas, sed augent potestatem Procuratoris super speciali causa in mandato expressa, vt in simili est doctrina *Bart. in l. quod dicitur. in princ. num. 1. ff. de tut.* vbi quod si pręcessit mandatum speciale contra certam personam, licet sequantur clausulę generales ad omnes lites, & causas, tamen intelliguntur contra illam personam tantum, & pro singulari dicto illud not. *Roman. sing. 156. incip. constituo Titium. Put. decis. 112. lib. 1.* & fuit resolutum in vna Imolen. Saluiani 27. Iunij 1594. coram bonę memorię Cardinali Mantica, vltra quod sunt relatiuę ad causam expressam, vt patet ibi, ac desuper facere quascumquem allegationes, &c.

3 Cessant etiam, quę dicuntur de mandato præsumpto, cum hic habeamus expressum, quo Procuratores sunt vsi, & quod non est sufficiens ex prędictis, & in claris non est opus presumptionibus, & coniecturis, *l. continuus. §. cum ita. ff. de verborum obligat.* Non obstat, quod postquam semel est mandatum productum in actis, non possit amplius de eius defectu opponi, ad *Rotam, decisione 105. num. 7. versicu. aduerte. parte 1.* quia id posset procedere, nisi pro parte confratre cum fuisset in actis iam oppositum de insufficientia mandati, & in his terminis loquitur. *Marsyl. in l. quis ne quæst. num. 84. ff. de quæst.* per Rotam allegat, sed in casu nostro fuit oppositum, vt supra dixi. Ex quibus Domini concluserunt pro nullitate sententiarum.

R. P. D. VBALDO.

Mediolanen. Pensionis. Mercurij 1. Iulij 1615.

ARGVMENTVM.

Transactio rei Ecclesię non confirmata à Papa, vel Episcopo, an sit nulla, & an transactio nulla impediat viam executiuam literarum Apostolicarum.

SVMMARIVM.

Literæ Apostolicæ habent exequutionem paratam. num. 1.
Transactio rei Ecclesiæ nulla est absque Confirmatione Apostolica. num. 2. Vbi quod saltem est locus penitentiæ. Beneplacitum Apostolicum si sit expresse reseruatum, antequam obtineatur, est locus pænitentiæ. num. 2.
Transactio rei Ecclesiæ facta absque consensu Ordinarij nulla est. num. 2.
Retificatio debet fierire integra. num. 3.
Remedium l. 2. C. de rescin. vendit. habet locum etiam in transactione læsiua. num. 4.
Consensus omnium de Collegio requiritur in negotio, quod non est necessarium, sed voluntarium. num. 4.
Executiua via non impeditur per titulum nullum num. 5. Vbi de transactione nulla, & maxime quando nullitas est ex defectu consensus.
Interdictum quorum bonorum non impeditur per titulum inualidum, vel putatiuum, sed requiritur titulus validus. num. 5.
Spolio agere potest nomine Ecclesiæ beneficiatus, etiam quod facto proprio ceciderit a possessione. num. 6.

DECISIO DCCLV.

1 INformantibus tantum Dominis Beneficiatis, Officialibus nuncupatis Ecclesiæ Cathedralis Mediolanen. Rota ad eorum fauorem respondit, nam ex decisionibus in hac causa factis, constat de ipsorum bono iure. In prima enim fuit firmatum, applicationem pensionis, de qua agitur, Fabricæ domorum Canonicalium, & ipsorum beneficiatorum factam per glor. memor. S. Carolum Archiepiscopum Mediolanen. de anno 1583. non fuisse perpetuam, sed restrictam ad quinque annos, vt in decisione 12. Maij anni præteriti coram me. In secunda vero die 20. Februarij præteriti fuit decisum, applicationem bonorũ de Besate, quorum loco Domini Canonici prætendebãt posse pro Fabrica retinere dictam pensionem, expirasse, vnde hodie non videbatur dubitandum, quin Beneficiati essent immittendi in quasi possessionẽ exigendi dictam pensionem. Quia ipsi habent intentionem fundatam in literis Apostolicis reseruationis pẽsionis, & in forma rationi congrui ta fel. recor. Gregorio XIII. expeditis, quæ habent executionem paratã. *c. literis. de rescript Gig. de pens. quest. 35. num. 9. & quæst. 85. num. 2. Cassad. decis. 10. num. 8. de rescrip. Sarnen. in compend. vtriusque Signat. num. 86. vers. sed in Papa. cum vulgar.*

2 Neque obstare videbantur transactiones initę inter Canonicos, & Beneficiatos. Quia fuit responsum in primis eas corruere ex defectu confirmationis Apostolicę, quę requiritur in transactionibus, sicut in alienationibus rerum Ecclesiasticarum. *Redoan. de reb. eccles. non alien. cap. 1. numer. 12. & seq. Caputaq. decis. 106. p. 1.* Et nisi obtineatur est saltem locus penitentię. *Put. decis. 2. de transact. Caputaq. decis. 12. num. 3. par. 3. Achil. decis. 2. num. 3. de pact* Et confirmatur exemplo ipsius S. Caroli, qui nunquam voluit de huiusmodi redditibus disponere absque speciali Sedis Apostolicæ facultate, *ad not. in cap. 1. de his quæ fiunt a prælat.* Et quatenus prædicta paterentur aliquam difficultatem, ex quo allegata videntur procedere in terminis Beneplaciti Apostolici, vel consensus expresse reseruati, vt etiam loquuntur *Caphal. consil. 118. lib. 1. Roland. c ons. 63. per tot. lib. 4. Surd. consi. 484. numer. 6. & 7. lib. 4.* allegati per Informantes. Respondebatur magis in specie quo ad primam transactionem, quę fuit facta de anno 1585. nullitatem esse claram ob defectum consensus Ordinarij, iuxta *text. in c. 2. ibi de assensu Episcopi, vel Archiepiscopi,* & ibi notant omnes Doct. extra. de transact.

3 Quo vero ad vltimam transactionem de anno 1602. 28. Au-

28. Augusti celebratum, nec etiam posse saluari videbatur à manifesta nullitate, quia fuerat adiecta conuentio de ratificando instrumentum intra quindecim dies, cum pacto resolutiuo, quæ tamen ratificatio nō fuit facta nisi post protestationē nullitatis, & acceptationem resolutionis, ex lapsu temporis, quę ratificatio nihil operatur, cum debeat fieri re integra. *l. bonorum ff. rem. rat. haberi. Paris. cons. 77. num. 39. lib. 1.*

4 Sed quo ad transactionem initam de anno 1591. cum arbitramento, seu laudo Archiepiscopi, & Vicarij, & cum acceptatione vtriusque partis, & in qua pēsio fuit assignata pro Scutis 600. fabricæ, tam Beneficiatorum, quam Canonicorum vsque ad eius perfectionem, videbatur adesse aliqua difficultas, ex quo ista transactio, vel compositio non videbatur posse impugnari, nisi ex capite læsionis, &, vt prætendunt Beneficiati, enormissimæ, cuius ratione competit remedium, *l. 2. C. de rescin. vendit. glos. in c. 1. in vers. redire. de in integr. restit. Bart. in d. l. 2. nu. 7. Cagnol. de communi. nu.* 80. Et læsio resultat, tum ex eo, quod pensio non erat applicata per S. Carolum, nisi per quinquennium inceptum ab anno 1583. vt iam Rota resoluit 12. Maij 1614. coram me, & tamen in hac transactione fuit applicata vsque ad perfectionem vtriusque fabricæ, quæ potest perdurare per longissimum tempus, tum quia fuit applicata pro fabrica, etiam Canonicorum, dicebatur tamen, nullitatem etiam huius transactionis resultare ex defectu consensus Beneficiatorum, qui præsupponuntur esse. *num.* 32. In transactione autem interuenerunt solum 13. Et tamen omnium consensus videbatur requiri, cum esset negotium voluntarium, non necessarium, iuxta *cap. final. vbi Innoc. nu. 3. ad fin. Butr. in quinto notab. Abb. in 6. notab. Card. in 7. oppos. Anchar. Anan. & Imol. circa principium. Host. nu. 18. vers. vel dic. Ægid. sub numero 6. versic. item. de maior. & obedient. Felin. in c. cum omnes. num. 17. ad fin. vers. & hanc. de constit.*

5 Quæ nullitas applicatur etiam alijs transactionibus, de quibus supra. Et stantibus nullitatibus transactionem, ex ijs non videtur impediri via executiua immissionis, sicut in simili ad impediendum remedium petitionis hæreditatis, vel interdictum quorum bonorum, requiritur titulus validus, nec sufficit inualidus, vel putatiuus, *leg. nec vllam. §. 1. ff. de pet. hær. Seraph. decis. 256. in princ.* Et alia similia congeruntur per Informantes, præsertim quando nullitas est ex defectu consensus, prout hic. *Put. decis. 277. num. 7. lib. 3. Seraph. decis. 638. num. 1. 2. & 3. part. 1.*

6 Quæ eo magis videbantur amplectenda, ex quo Beneficiati qui transegerunt, non potuerunt preiudicare successoribus sine confirmatione Apostolica, ita vt non possint venire via executiua immissionis, sicut possent venire remedio spolij, si fuissent spoliati, cum agant nomine Ecclesiæ. *Caputaq. decis. 170. & 181. par. 3.* Si tamen super hoc aderit aliqua difficultas circa modum causæ expediendæ, iterum consulam Dominos, cum Beneficiati acquiescant accipere expeditionem saltem via ordinaria per sententiam. Ex quibus fuit conclusum pro Informante, quo ad fructus tamen futuros, non autem antea decursos, & per Canonicos, seu Fabricerios perceptos, nisi à tempore motæ præsentis litis.

R. P. D. DVNOZETTO.

Eluen. Beneficij. Mercurij 1. Iulij 1615.

ARGVMENTVM.

In Iure patronatus hæreditario quid debeat per præsentatum probari, vt præsentatio suum sortiatur effectum, & an in Iurę patronatus hæreditario Ecclesia acquirat libertatem, vbi supra succedit patrono, & an clausula constito, quod beneficium spectet ad Episcopi collationem debeat iustificari.

SVMMARIVM.

In iure patronatus hæreditario debet probari præsentantem esse hæredem primi patroni. num. 1.

Ius patronatus de iure præsumitur hæreditarium. num. 1.

Ius patronatus hæreditarium extinguitur, & Ecclesia libertatem acquirit, quando ipsa succedit in hæreditate patroni, cum nemo possit esse patronus sui. num. 2.

Ius patronatus domini loci, vbi situm est beneficium, præsumitur ex dispositione Conc. Trid. vsurpatum. n. 3. Vbi quod in eo probando requiritur maior, & exactior probatio, non solum in petitorio, sed etiam in possessorio.

Clausula constito, quod beneficium spectet ad collationem Episcopi, non est iustificanda, quia dicitur iustificata ex præsumptione iuris. num. 4.

Collatio omnium beneficiorum inferiorum spectat de iure communi ad Episcopum. num. 4.

Breue de sui natura habet exequutionem paratam. num. 4.

DECISIO DCCLVI.

1 Licet ex iuribus productis Domini in alia positione huius dubij sub die 19. Decembris præteriti existimauerint, resultare magnum Iuris patronatus fumum, qui sufficeret ad effectum supersedendi in exequutione etiam si iura non sint in forma probanti, donec probationes afferrentur per Ioannem presentatum à D. Francisco Paci. Tamen cum à mense Augusti quo fuerunt concessæ literę compulsoriales generales effluxerint 11. vel circiter menses, & nō fuerunt producta alia iura, nec minus ostensa legitima aliqua causa, quare iura non fuerint transmissa, sæpiusque citatus fuerit Ioannes super propositione dubij. Tandem illo proposito, Dominis visum fuit, non intrare arbitrium ad effectum supersedendi amplius in exequutione, ea moti ratione, quia etiam si ex dd. iuribus productis informibus probaretur Ius patronatus, tamen non probatur dictum Franciscum esse hæredem Guglielmi primi Patroni, prout requiritur in Iure patronatus hæreditario quale est hoc, tam ex iuris præsumptione. Clem. plures, & ibi *Doct. de Iure patron. Seraph. decis. 456. num. 1.* quam ex obseruantia subsequuta.

2 Ex iuribus enim productis apparet hoc Ius patronatus peruenisse ad dictum Guglielmum vti Iacobi fundatoris heredem. Deinde ad Franciscam eius vxorem heredem relictam à marito, postmodū ad Agnetem filiam heredem D. Franciscę, cui cum vigore substitutionis factę ab eadem Francisca tota hereditas peruenisset ad hoc beneficium per dictam successionem remansit Ius patronatus extinctum, & beneficiū libertatem acquisiuit, quia nemo potest esse patronus sui ipsius. *Glos. in c. vnico. in ver. eidem. in fi. de Iure patr. Card. cons. 123. col. 2. vers. ad 3. Lambert. de Iure patronatus. lib. 1. cap. 2. art. 15. prim. quæst. princ. & l. 2. p. 3. art. 13. secunda q. princ.*

3 Immo & quatenus pretenderetur hoc Ius patronatus Gentilitium, tamen ex dictis iuribus non constat dictum Franciscum esse de descendentibus dicti Guglielmi. Consideratum etiam fuit in hac facti serie agi de Iure patronatus prætenso à laico Domino in temporalibus loci, vbi situm est beneficium in quo cadit pręsumptio vsurpationis inducta ex dispositione Sacri Concilii Tridentini. Vnde sequitur exactiorem, & magis concludentem probationem requiri, quam in alijs patronis, non solum in petitorio, sed etiam in possessorio, vt multoties fuit decisum, & signanter in vna Bononien. Parochialis de Gadio. 17. Iunij 1615. coram R. P. D. meo Andrea.

4 Nec obstare visum fuit, quod dicebatur, clausulam con-

constito in Breui appositam, ideo non esse iustificatã, quia non constat ex actis collationem huiusmodi spectasse ad Episcopum. Responderunt Domini, hanc clausulam satis esse probatam ex præsumptione iuris communis, que dicitur concludens, & liquidissima probatio. *Dec. in l. 1. num. 57. & 69. ff. si cert. petatur. Alex. in l. licet Imperator. num. 4. de leg. 1. Socin iun. in repet. l. 1. num. 57. vers. & ista. ff. solut. matrim.* De iure siquidem communi notum est, collationem omnium beneficiorum inferiorum, nisi adsit probatio incontrarium, spectare ad Episcopum. Can. omnes Basilicæ 16. q. 7. Late *Abb. in c. cum Ecclesia Vulterana. num. 8. in fin. de elect.* Vltra quod hodie ex ipsamet prouisione Ordinarij facti in fauorem Ioannis clara id satis iustificatur. Et ex his conclusum, non intrare arbitrium ad effectum, vt amplius sit superseden. in exequutione Breuis, quod de sui natura habet exequutionem paratam. Et ita conclusum.

R. P. D. VBALDO.

Vlixbonen. Tabernariorum, & Tenderiorum. Mercurij 1. Iulij 1615.

ARGVMENTVM.

Constitutio Episcopi, quod diebus festis, donec Sacræ conciones fiunt, abstineatur à commensationibus, vtrum sit obseruanda.

SVMMARIVM.

Episcopus potest in sua Diœcesi facere constitutiones. nu. 1. Vbi maxime in his, quæ spectant ad cultum diuinũ.
Constitutio, quæ per longum temporis spacium seruata fuit, seruanda est. nu. 1.
Constitutio Episcopi imponens pœnam excommunicationis, tanquam illaqueatoria animarum, non est seruanda, secus si imponat pœnam pecuniariam. num. 2.

DECISIO DCCLVII.

1 CAusa Tabernariorum in gradu appellationis mihi commissa, & vnita ex rescripto Sanctissimi cum causa Tenderiorum, quæ iam antea pendebat coram me, dubitaui, an Constitutio Synodalis, de qua agitur, sit seruanda, vel potius sit inhibendum, & Domini circa primam partem dubij affirmatiue responderunt, quia in primis de potestate Episcopi in concedendis huiusmodi constitutionibus non est dubitandum, ex traditis per *Doct. in leg. 5. in princ. ff. de verb. obligat. & in l. omnes populi. vbi Bar. num. 8. Bald. num. 29. ff. de iustit. & iure, & per Doctor. in cap. 2. vbi glos. de maior. & obed. & in cap. 2. de Constit. in 6. & in cap. vestra. de locat.* & ibi etiam gloss. & Doct. præsertim in his, quæ spectant ad cultum diuinum, ex late adductis in decisione huius causæ quo ad Tabernarios sub die 10. Martii 1614. coram Reuerendo Patre Domino meo Dunozetto. Vnde cum Constitutio tendat ad augendum diuinum cultum, vt homines diebus festis per breue spacium temporis, donec in Ciuitate Sacra Concio sit expleta, in Archiepiscopatu vero quousque fuerit in Missa maiori facta Sanctissimi Sacramenti eleuatio, abstineant à commessationibus, videtur tanquam summe pia, & iusta obseruanda, accedente præsertim longæua obseruantia ab anno 1536. vsque in præsentem diem, absque vlla reclamatione populi, sed solum de anno 1595. contradicentibus Tabernariis, & Tenderiis propter proprium quæstum, & interesse, non autem ratione publicæ necessitatis, vt ipsi prætendunt, sicuti fuit etiam consideratum in hac causa coram bon. memoriæ Penia 4. Maii 1611. & in dicta decisione coram Domino Dunozetto, quæ tamen necessitas non spernitur in ipsa Constitutione, vt constat ex ipsius lectura, & eam esse arbitrandam iuxta prudentiam, & iudicium Ordinarii, alias censuit Rota in hac causa 28. Maii 1612. coram bo. mem. Penia.

2 Nec visa sunt obstare decreta, & literæ sacræ Congregationis super ritibus, quę fuerunt datę, quia procedunt respectu decreti Vicarii Vlixbonen. qui mandauit seruari Constitutionem, sub pęna excõmunicationis, quæ nec etiam placuit Rotæ in dicta decisione 4. Maii, coram Penia, & colligitur aperte ex verbis sacræ Congregationis, quibus dicit dictum decretũ non posse seruari, tanquam illaqueatorium animarũ, quod non applicatur pœnæ pecuniarię, de qua in dicta constitutione, sed sententię excommunicationis, per Vicarium irrogatę, quare circa hoc decretum Vicarij Rota in totum detulit resolutioni dictæ Sacræ Congregationis, neq; de eo fit verbum in dubio proposito, sed tantum de Constitutione, quam seruãdam censuit ex prædictis. Ex quibus patet etiam resolutio ad secundam partem dubii, cum si constitutio est seruanda non sit opus vlla inhibitione. Et ita decisum.

DECISIO DCCLVIII.

Gerunden. Beneficij. Lunæ 26. Octobris 1615.

Impressa Apud Caualerio.

DECISIO 365.

R. P. D. CAVALERIO.

Romana Casalis Capicottæ Veneris 30. Octobris 1615.

ARGVMENTVM.

Pignus non potest vendi per creditorem, & illius alienatio facta per debitorem valida est. Item in actione hypothecaria non venit dominium, sed tantum possessio rei retinenda à creditore, donec sibi satisfiat de fructibus.

SVMMARIVM.

Sententia non nocet non citato.
Pignus potest vendi, & subhastari, vbicumque extraneo possessori, à quo fuit pignus per anteriorem creditorem abdicatum, fuit assignatus congruus terminus, infra quem possit, si velit rem sibi euictam liberare, soluta pecunia anteriori creditori, qui illam euicit, si intra d. terminum pecunia non fuit soluta. num. 2.
Contrarium vero, quia d. opinio est contraria conclusioni iuris, quod debitor possit etiam inuito creditore pignus vendere. num. 3. & 5.
Alienatio rei pignoratæ facta per debitorem valet, & tenet, nec dicitur contra legem. num. 3.
Actio hypothecaria non percutit dominium rei alienatæ, sed possessionem duntaxat, & per eam datur creditori retentio rei auocatæ à tertio emptore ad tempus, donec sibi satisfiat de fructibus. num. 3. & 4.

DECISIO DCCLIX.

REuerendi Canonici regulares congregationis Lateranen. possidentes vti creditores q. Ioannis Baptistę Luraghi in Scutis sex & triginta millibus medietatem Casalis Capicottæ, quia Luragus defecerat in extinctione tot censuum, iuxta formam suę obligationis, sub prætextu, quod paterentur maxima damna,

damna, & interesse, ea ratione, quia fructus Casalis vix ascendebant ad quinque pro quolibet centenario, & anno, fructus autem censuum soluebant ad rationem semptem. Adiuerunt Signaturam Sanctissimi & obtinuerunt rescribi mihi vti iudici deputato in causa discussionis bonorum de Luraghis per secundam partem hoc modo, vel si magis placet, committatur eidem Caualerio, qui præfixo Paulo, ac cui, vel quibus de iure competenti termino ad probandum quicquid volunt, & possunt, tam in petitorio, quam in possessorio, quo elapso, & nihil quod releuet docto, ad subhastationem, & deliberationem, seu adiudicationem, prout iuris fuerit, procedat omni, & quacunque appellatione remota.

1 Præfixo termino, proposui dubium in Rota, an sit locus subhastationi, seu adiudicationi partis Casalis Capicottæ assignatæ Congregationi Lateranen. Et Domini negatiue responderunt. Nam medietas fructus Casalis per biennium ante decoctionem fuerat per Luraghum vendita Antonio Maccarano, qui eā postea eidem Luragho locauerat, & hæc venditio, etiam quod pro parte creditorum Luraghi, impugnaretur vti simulata, & facta in ipsorum fraudem, nihilominus, Rota habuit illam pro vera, & reali, vt in decisione sub die 14. Maij 1601. coram bon. mem. Iusto, & talē locationem canonizauit pro bona in alia dec. Febr. sequentis, & ex ea iuncta clausula Constituti apposita in instrumento venditionis, cum constaret etiam de possessione Maccarano Domini non censebant, Congregationem posse prætendere subhastationem, seu adiudicationem tāquam non liquidato antea sufficienter suo credito. Nā licet Congregatio ostenderet sententiam graduatoriam eiusdem Iusti præcedentibus calculis ex relatione Peritorum latam, tamen dubitabant, an constaret de legitima, & sufficienti citatione, Maccarani possessoris, & ideo censebant talem sententiam sibi nullum inferre præiudicium. *l. de vnoquoque. vbi gl. & Doct. ff. de iud.* Nec dicebant sufficere, quod fuisset citatus procurator creditorum Luraghi. Nam inter eos non videbatur posse habere locum Maccaranus, qui potius erat aduersarius creditorum, qui controuertebant venditionem dictæ medietatis Casalis Maccarano factam: ad hoc, vt eo amplius reperiretur in bonis Luraghi. Et quamuis pro parte creditorum, & Congregationis ostenderetur citatio contra Luraghum, & Ruffettum procuratorem, & Dominum litis effectum ad videndum mandari exequi mandatum de immittendo in partem Casalis Capicottæ, contra bon. me. Cardinalē Comensem, D. Landrianum, & DD. Hæredes de Riccijs, nihilominus pro parte Maccarani respondebatur, non constare, quod fuerit ei us habita notitia, cū fuerit exequuta dicta citatio, prout etiam simili modo dicebatur fuisse exequuta intimatio facienda vigore decreti, relaxationis mandati, quod erat cum intimatione, & in omnem euentum respondebatur, nō constare, quod pars Casalis in cuius possessionē Congregatio immittebatur, esset illa vendita Maccarano potius, quam alia medietas, quam Luraghus sibimet reseruauerat, adeo quod ista possessio Congregationis reddebatur valde turbida.

2 Verum, quia fuit etiam decisum coram eodem Iusto sub die 21. Iunij 1602. quod stante dicta sentent. creditoribus licuerit retinere fructus Casalis perceptos ratione anterioris suæ hypothecæ etiam non obstāte dominio Antonij, super quo fuit etiam lata alia sētentia, quæ retentio fructuum non posset competere sine possessione, propterea etiā præsuppositis credito cum hypotheca, & possessione adepta per Congregationē dictæ medietatis Casalis venditæ per Luraghum Maccarano, non censebant Domini esse locū petitæ subhastationi, seu adiudicationi, nam licet pro Congregatione faciant tradita per *Couar. lib. 3. var. resol. cap. 18. n. 4.* dum tradit, se vidisse ita in praxi obseruari, vt assignato extraneo possessori, à quo fuerat abdicata res par anteriorem creditorem, congruo termino, intra quem possit, si velit, rem sibi euictam liberare soluua pecunia debita creditori, qui illam euicit, si intra eam diem non fuerit solutum, & liberatū pignus, tunc solenni, & iudiciali subhastatione vendatur ad satisfactionem creditoris.

3 Tamen hæc opinio Couarr. non placuit Dominis, tanquam contraria conclusioni iuris, quę elicitur ex *tex. in l. si creditor. ff. de distract. pignorum. & in l. distractis. C. de pignor.* vt scilicet debitor etiam inuito creditore possit pignus vendere, quod etiam clare tenuit *Rota apud Put. dec. 260. nu. 1. lib. 3.* vbi expresse dicitur, quod debitor, qui rem suam hypothecat, vel pignorat creditori, si illam alienet, valet alienatio, nec dicitur facere contra legem hypothecæ, vel pignoris, ex quo in contractu non promisit non alienare, vel vendere per *tex. in d. l. distractis.* Vbi omnes, & in specie Bal. vnde dominium est valide translatum, & actio hypothecaria nō percutit dominium rei alienatæ, sed possessionem duntaxat, prout expresse loquitur *text. in auth. hoc ita. C. de pign.* & in corpore, vnde desumitur, in auth. de litig. ibi, si autem hoc debitor non fecerit, damus licentiam creditori, qui rem venditam suppositam habet, eandem rem vendicare, donec ei satis pro debito fiat, & sic apparet, quod datur retentio rei auocatæ à tertio emptore ad tempus, donec creditori satisfiat, non autem facultas distrahendi, & sic intelligantur *leges 1. 2. 3. & 4. C. de distract. pign. quas Couar. pro sua opinione allegat*, nempe de facultate distrahendi pignus, cuius possessionem habet creditor cessante dominio tertij, vel quatenus penes debitorem reperitur, alias pugnaret de directo, quod alienatio facta per debitorem esset valida, & quod creditor rem alienatam posset vendere.

4 Et ideo concludebant DD. contra tertium possessorem, & Dominum rei effectum, eatenus prouisum esse à iure, vt creditor ratione anterioris hypothecæ possit tantummodo ab eo auocare possessionem eiusdem rei à se retinendam, donec de fructibus in sortē imputandis sibi de suo credito satisfiat, & ita procedere libellum in hypothecaria tradit *Neguz. de pign. par. vltim. memb. vlt. nu. 24. Menoch. cons. 361. nu. 7. vbi allegat Papien. in sua praxi, in form. libell. in actione hypothecaria, non autem eam distrahere.*

5 Minus visum fuit obstare aliud fundamentum, cui pro sua opinione Couar. innititur, quod scilicet creditor cogeretur ex fructib. rei euictæ minutas solutiones recipere in extinctionem sui crediti, contra *tex. in l. tutor. §. Lucius. ff. de vsur.* quia placebat responsio, quod absurdius esset emptorem sine facto suo priuari dominio rei suæ, contra *reg. l. id quod nostrum. ff. de reg. iur.* & creditori remanet saluum ius agendi contra principalem debitorem, & fideiussores, & sic euitare potest satisfactionem in minutis solutionib. Dum vero dicit Couar. non teneri creditorem sibi satisfacere de sorte ex fructib. pignoris, sed ex illius venditione, respondebatur id bene procedere inter debitorem, & creditorem, non autem, quando creditor agit contra tertium possessorem, & ita intelligi totum *tit. ff. & C. de distract. pign.* vt dictum est. Tandē dictum fuit non obstare, quod emptor habeat facultatem offerendi pretium, quia non inde sequitur, quod teneatur renunciare iuri suo, si non offert. Nec commissio noua mihi directa aliquid vltra ius tribuit Congregationi cum in ea adsit clausula, prout iuris fuerit, per quam apparet nihil Congregationi fuisse concessum vltra remedia ei de iure competentia. Ex quib. & aliis copiose deductis per D. Ludouicum de Vignate, quæ placuerunt, ita decisum fuit.

RE-

REVEREN. P. DOMINO COCCINO DECANO.

Florentina, seu Parisien. pecuniariæ. veneris 6. Nouembris 1615.

ARGVMENTVM.

Creditor quando possit agere contra debitorem, seu debitoris, & qua actione, quando etiam sub generali obligatione bonorum, & iurium veniant iura conditionalia, & in diem, & quid si nomen debitoris fuerit exactum ab hærede principalis debitoris.

SVMMARIVM.

Nomen debitoris venit sub generali bonorum obligatione, numer. 1.

Creditor potest agere vtili personali actione contra hæredes sui debitoris, qui exegerunt nomen debitoris ipsi creditori obligatum, nu. 1.

Creditor vt possit agere contra debitore debitoris tria requiruntur. Primo, quod talis debitor fateatur debitum Secundo, quod principalis debitor fuerit condemnatus. Tertio, quod idem principalis debitor fuerit excussus, & non sit soluendo. Declara, vt nu. 2.

Debitor in instrumento obligatus habetur pro condemnato, numer. 2.

Excussio non est necessaria in bonis debitoris decocti, numero 2.

Excussio non est necessaria, quando agitur vtili personali actione, vel vtili hypothecaria, vel etiam Saluiano, numer. 2.

Creditor habens obligatum nomen debitoris, potest in subsidium agere ad pecunias exactas, n. 3. Vbi tamen hæc conclusio declaratur duobus concurrentibus excusso, scilicet principali debitore, & quod pecuniæ exactæ retineantur, non ex causa onerosa, sed ex causa lucratiua.

Hæres exigens pecunias defuncto debitas dicitur illas retinere ex causa lucrosa, nu. 3. in fine.

Nomen debitoris an veniat in simplici obligatione bonorum, quando eadem obligatio non est pura, sed in diem, nu. 4.

Obligatio in diem an producat actionem ante diei euentum, nu. 4. Vbi etiam an veniat sub generali obligatione iurium, & num. 5.

Verba præsentis temporis non referuntur ad debita in diem, numer. 5.

Cedens omnia iura sua non videtur cedere nisi ea, quorum dies cessit, & venit, & propterea sub tali cessione non veniunt iura conditionalia, & in diem, nu. 5.

Legatum vbi non est conditionale conditio non retrotrahitur in præiudicium illorum, quibus medio tempore fuit ius quæsitum, Declara, vt nu. 6.

DECISIO DCCLX.

1 CReditum Regium pertinebat ad Horatium, qui fecit participem Nasium, qui etiam illud obligauit ad fauorem Norii ex generali obligatione omnium bonorum. Nomen enim debitoris venit sub simplici appellatione bonorum ex allegatis in decisione in hac causa facta 17. Nouembris superioris anni, & latè comprobat *Surd. in conf. 4. nu. 18. & seqq.* Quare cum filii dicti Horatij exegerint istud nomen hypothecatum Norio, & sic etiam fuerint effecti debitores Nasij, sequitur quod cum Norius habeat hypothecata omnia bona præsentia, & futura Nasij, per consequens habeat etiam hypothecatum istud nomen debitoris filiorum Horatij, cum fuerint effecti debitores ipsius Nasij, ex predicta exactione facta à Rege, ita vt possit agere vtili personali contra dictos filios, quæ fuisset directa penes Nasium, *l. nomen debitoris. ibi vtilibus, iuxta primam lecturam glossæ, C. quæ res pign. oblig. poss. vbi Bart. num. 4. & Bald. num. 1. Salyc. num. 3. & seqq. & latè deducit Surd. dict. consil. 4. num. 23.* vel potest agere contra bona hæreditaria filiorum Horatij, quæ erant hypothecata Nasio vtili hypothecaria, vel vtili Saluiano, quæ erant actiones directæ penes Nasium principalem creditorem, vt per *gl. in d. l. nomen in ver. vtilib. & in l. 2. in ver. conuenti,* quando fiscus, vel priuata persona, & bene declarat *Bart. in d. l. nomen. nu. 5.*

2 Et quamuis ad huc effectum, vt creditor possit agere contra debitorem debitoris, tria requirantur, nempe primo, quod talis debitor fateatur debitum, secundo quod principalis debitor fuerit condemnatus, tertio quod principalis debitor fuerit excussus, & non sit soluendo, *l. 2. cum duabus seqq. C. quando fisc. vel priuat. leg. à Diuo Pio. sic quoque. ff. de re iud. cum aliis per Surd. d. cons. 4. nu. 2.* tamen quatenus attinet ad primum requisitum, hodie Norius agit, vt liquidet debitum Horatij erga Nasium, & creditum suum, quod secundum requisitum erga Nasium, quod & iustificauit iuxta resolutiones factas, Nam licet Nasius non sit condemnatus, sufficit, quod ex instrumentis constet de eius debito, vt post alios dicit *Surdus sæpius allegato cons. 4. nu. 27.* & quo ad tertium requisitum de excussione, licet illa tunc requireretur, si iure directo vellet Norius agere contra filios Horatij, sed cum non agat iure directo, sed vel vtili personali aut vtili hypothecaria, vel Saluiano, excussio non est necessaria, vt voluit post alios *Surd. d. consil. 4. a numer. 32. vsq: ad num. 37* sed cum Syluia ipsa, quæ opponit huic exactioni probauerit Nasium obiisse decoctum, non requiritur alia excussio ex *Alexan. in cons. 17. nu. 6. vers. vnde perinde est lib. 1.* & fuit dictum in alia decisione.

3 Secundo principaliter fuit dictum, quod & alia actione potest agere Norius. Nam cum haberet nomen Regis hypothecatum, vel illud ius, & sic illud esset pignus, in subsidium ei competit actio ad pecunias exactas, *l. mater. C. de rei vendic. Vbi Bald. num. 14. vers. item quæro*, cum hodie non possit agere contra pignus, quia amplius nomen debitoris, nec illud ius exigendi extat *l. 1. C. de reb. alien. non alienan. vbi gloss. in ver. iubebit. Glos. fin. in l. 1. vers. & ideo pretium pignorum. ff. de distr. pign.* quam conclusionem, licet intelligant Doctores duobus concurrentibus, scilicet excusso principali debitore, & quod pretium retineatur ex causa lucratiua, non ex causa onerosa. *Bart. in d. l. 1. num. 1. & 2. Salicet. num. 2. ff. de distr. pign. Alexan. cons. 108. nu. 9. & 10. lib. 5.* tamen hic excussio non requiritur cum Syluia probauerit Nasium, obiisse decoctum, vt supra dictum est. Secundum requisitũ est clarum, quia cum Horatius participem fecerit Nasiũ de dicto credito Regio, quo ad partem spectantem ad Nasium, non potest dubitari quin filij Horatij illã teneant titulo lucratiuo, vt in puncto dicunt *Bart. in d. l. 1. nu. 2. & 3. Salicet. nu. 2. ff. de condict. indeb.* & hoc est quod dicit alia decisio, cuius fundamentum, vt patet ex prædictis solidum est.

4 Neque huic motiuo obstat, quod Nasius obligauit bona sua, quare non ideo sequitur quod nomen debitoris Regis veniret in ista obligatione bonorum, cum obligatio esset in diem, & sic nondum esset nata actio Nasio. *Bal. in cons. 234. sub num. 2. vers. in contrarium est veritas, lib. 2. Tiraq. in l. si vnquã in verb. bona sub num. 8 circa finem vers. vbi tamen.* Nam fuit responsum quod hoc fundamentum, Bald. non est verum, quia secundum magis communem opinionem Doctorum de qua testatur *Alexan. in l. si stipulatus, 76. §. cum stipulamur. num. 2.* & ante diem dicuntur competere iura, quia est orta obligatio, & actio ante diem, quod etiã sensit

sensit idem Bald. dum subdit, quod & si nata esset actio, est tamen non intentabilis, & ideo tunc non dicetur esse in bonis, sed in diem, quare interim non potest, agi quod est verum, sed adueniẽte die, & purificata conditione potest agi. *Dec, cons. 551. n. 7. & consil. 629. n. 4.* qui est casus noster, & quatenus esset verum dictum Baldi, quod non esset nata actio, erat tamen in bonis spes agendi, vt ipsemet dicit *d. n. 2.* quæ venit in obligatione generali iurium, vt dicit *Petr. de Bellapert. in d. l. si stipulatus, num. 7.* & ceteri Doctores mox allegandi, quę quidem spes transmitttitur etiam cõditione pendente, *§. ex conditionali. inst. de verb. oblig. §. cum quis sub aliqua institut. de inutil. stipul. cum aliis per Surd. dec. 151. n. 7. verſ. nam eo casu. qui loquitur in terminis.*

5 Neque prædictis resistit dispositio *text. in d. l. si stipulatus 76. §. cum stipulamur. ff. de verb. oblig. & in l. si ita scripsisset. 47. ff. de leg. 2.* Vbi verba præsentis temporis non referuntur ad debita in diem. Vnde notat *Bald. in d. l. si ita scripsisset per illum text. sub nu. 2.* quod qui cedit omnia iura sua, non videtur cedere nisi ea, quorum dies cessit, & venit, non conditionalia, vel in diem, quem sequitur *Alex. in consil. 106. nu. 8. lib. 5.* Nam fuit responsum, quod tex. prædicti non applicantur, quia in casib. illorum fuerat additum verbum dare oportet, quod necessitatem importat, & executionem denotat cum effectu, quare ista ve rba non possunt referri ad debitum in diem, vel sub conditione ita explicat in dicta *l. si stipulatus Petr. de Bellapert. n. 6. Alex. ibidem in §. cum stipulamur. nu. 2. Bald. sibi contrarius, in repet. l. & si post tres, num. 52. in fin. ff. si quis cautio. Alex. pariter sibi contrarius in d. §. cum stipulamur, nu. 2. & Ias. in eod. §. cum stipulamur. nu. 3. & Curt. in l. 1. nu. 78. ff. si certum pet. vbi meminit de cons. Alex. Natta in additio. ad dictum cons. Alexandri.*

6 Neque principaliter obstat, quod licet cessio facta per Nasium ad fauorem Norij sit anterior, tamen cũ sit conditionalis, non debet, preferri cessioni pure factæ patri Syluiæ. Nã fuit responsum, quod conditio ex eo deducitur, quia Horatius admisit Nasium ad creditum Regium, quatenus exigeretur, sed hoc nihil facit, quia licet in legatis conditio non retrotrahatur in præiudicium illorum, quibus medio tempore ius fuit acquisitum. *Neguſ. de pignor. 5. par. princ. 1. memb. num. 19. & seqq. Mant. de tacit. & ambig. conuent. lib. 14. tit. 46.* quod tamen est verum, quando quantitas legatur. *Castr. cons. 446. nu. 1. lib. 2.* secus autem, quãdo certa bona. quia ad effectum, vt possint recuperari à tertio, conditio retrotrahitur. *Bart. in . fin. §. sint autem. num. 3. C. com. de leg. Castr. d. loco.* tamen cum hic versemur in contractu, cessat omnis difficultas, quia conditio retrotrahitur ex allegatis per *Mant. & Neguſ. locis præcit. Rot. dec. 728. nu. 6. & 7. par. 1.*

7 Quæ dicuntur de satisfactione Norii non debuissent allegari, quia sunt bene sublata ex alia decisione, nam obtinuit possessionem prædii ex primo decreto loco pignoris ad effectũ percipiendi Scuta 5. pro centenario, iux. formam Statutorum Florentiæ, vt patet ex actis datis in alia positione, & qui modo etiam in hac positione dantur, Et quãuis hodie addatur, quod prædium fuit æstimatũ de anno 1592. ad instantiam Norii, tamen non propterea constat, quod fuerit datũ insolutum immo apparet ex fide Cathasti, quod quidam Io. Maria Largerius illud emit pro Scutis 1400. & quod nominauit Norium, & quod de anno 1599. fuit venditum Nicolao Bonacursio, quare nullo pacto probatur, quod prędium fuerit assignatum Norio in causam crediti.

8 Ad alia satisfacit decisio, sub die 17. Nouembris 1614. cum qua transierunt Domini, & ab ea non putarunt esse receden. Et ita conclusum.

REVERENDISSIMO P. DOMINO COCCINO DECANO.

Romana Palatij de Rusticucciis. Veneris 13. Nouembris 1615.

ARGVMENTVM.

De manutentione conceden. hæredi, qui aliis cohæredibus institutis possessionem hęreditatis accepit ex instrumento, plura notanda, de quibus in Summario.

SVMMARIVM.

Manutentio danda est probata possessione etiam instrumentali, alio non existente in possessione, nu. 1.

Possessio instrumentalis alio non existente in possessione valida est, & manutenibilis, nu. 1.

Possessio instrumentalis cum animo retineatur præsumitur continuata, nu. 1. in fine.

Possessio capta nomine alterius censetur ratificata ab eo, cuius nomine capta est, & remanet penes eum, qui possessionem cepit, nu. 2.

Possidens iure familiaritatis ex superueniente titulo causam possessionis sibi mutasse præsumitur possessionem accepisse pro sua tantum portione. Declara, vt nu. 3.

Possessio posterior præsumitur clandestina, & non nocet anteriori possessori, nu. 4. Vbi præsertim si posterior possessio sit iure familiaritatis.

Possessio capta nomine alterius ante ratificationem illius cuius nomine capta est, remanet penes eum, qui possessionem cepit, nu. 2.

DECISIO DCCLXI.

1 FVit resolutum D. Matthæo dandum esse mandatum de manutenendo in possessione totius palatii, de quo agitur; cum de eius possessione constet ex in strumento adeptionis, quod probat. *l. 1. §. si iusserim. & l. quod meo. §. si venditore. ff. de acquir. possess. Bar. in l. prædia. num. 1. ff. eod.* quæ possessio licet instrumentalis, tamen cum fuerit capta alio non existente in possessionem est considerabilis, & ad effectum manutentionis. *Cassador. de cis. 20. de præben. Put. decis. 350. numer. 4. & seqq. lib. 1. in nou. Verall. decision. 334. nu. 6. lib. 2.* ita vt interet, vt dictum est, interdictum retinendæ, de quo in *§. hodie. Instit. de interd.* etiam quod hodie petatur manutentio, quia presumitur continuata, cum animo retineatur. *l. licet. C. de acquir. possess. Abbas in c. cum. ad sedem. num. 15. de restit. spoliat. Put. decis. 19. lib. 2. in nou.*

2 Et quamuis Matthæus ceperit possessionem nomine proprio, & Equitis Iacobi fratris, pro quo de rato promisit, attamen cum postmodũ Eques Iacobus omnia bona donauerit Matthæo, & alios actus hæreditarios fecerit, censetur dictam possessionem ratificasse. *Castren. cons. 116. incip. viso compromisso. col. pen. in fine. Aym. cons. 237. num. 2.* & ante ratificationem remansit penes ipsum Matthæum. *Alex. in cons. 22. nu. 2. lib. 5.* & in puncto est decisio *Rotæ 641. nu. 1. & 6. par. 1.* quare purificata donatione per obitum Equitis Iacobi, cum Matthæus esset in possessione totius palatii, etiam quo ad partem spectantem ad Iacobum iure familiaritatis, censetur quo ad dictam portionẽ sibi mutasse causam possessionis. *Bald. in l. penult. sub nu. 1. C. de pignor. act.* sicuti sine alia declaratione censetur fecisse iuxta opinionem *Decii in cons. 400. num. 5.* quam reprobato Socino seniore, *in consil. 31. num. 1. lib. 1. seruat Rota, vt per Put. decis. 441. libr. 1. & 331. numer. 2. libr. 3. in nou. Achill. dec. 4. de cauſ. poſſ. & propriet.* & fuit resolutum in causa Maceraten. hæreditatis 11. Maii 1587.

coram bon. mem. Cardinale Pamphilio,& coram me in causa Asculana domus. 3. Iunij 1602.

3 Non obstat, quod D. Matthæus cepit possessionem in vim testamenti in quo cum scripti essent tres hæredes, videlicet Rusticuccius, Iacobus, & Matthæus præsumitur accepisse possessionem pro portione sua & Equitis Iacobi tantum, non autem pro portione Rusticuccij, *ad tex. in l. 2. C. de acquir. possess. & in l. quædam mulier. ff. de rei vendicat.* Nam fuit responsum, quod Matthæus non se restrinxit ad testamentum, cum dixerit, & alias omni meliori modo. *Soc. sen. cons. 51. num. 9. vol. 1.* Vlterius fuit responsum, quod cessat ista præsumptio ex subsecutis, nam Cardinalis instituit dictos fratres, vt dictum est, & postmodum linea subduxit nomen Rusticuccij, sub eadem linea, scribēdo, Che à Rusticuccio già s'è prouisto, & Matthæus putauit Rusticuccium fuisse exhæredatum, quod probatur, quia etiam reliquos actus hæreditarios fecit tantum nomine proprio, & Iacobi, vt patet ex solutione debitorum, diuisionem mobilium, & similiũ quare manifestissime arguitur, quod cepit possessionem totius palatij, cum putaret Rusticuccium fuisse exhæredatum, quod etiam clare ostenditur ex depositionibus testium, qui deponunt, nedum de actibus possessorijs priuatiue ad D. Rusticuccium, sed etiam quod dictus D. Rusticuccius hoc agnoscebat, contra quos testes, licet plura opponerentur, quæ non visa fuerunt Dominis consideratione digna, attamen etiam circumscriptis depositionibus istorum testium adhuc ex prædictis remanet decisio.

4 Non obstat possessio D. Abbatis Rusticuccij, quia aut tanquam posterior præsumitur clandestina, & non nocet Matthæo. cap. licet causam, & ibi Doctores de probat. *Bart. in l. si duo. in princip. sub num. 4. ff. vti possid. Verall. dec. 334. nu. 2. & 6. par. 2. Cæs. de Graff. dec. 5. nu. 2. de caus. possess. & propriet.* aut præsumitur iure familiaritatis, & non prodest. *l. qui iure familiaritatis. ff. de acquiren. poss. Menoch. de arbitr. cas. 160. nu. 12. & seqq.* prout vere fuit, quia Matthæus nedum cepit possessionem totius palatij, sed etiam diuisit mobilia, & soluit debita hæreditaria solo nomine proprio, & Iacobi fratris, ex quibus satis arguitur, quod Dominus Rusticuccius non habuit se pro hærede, ita vt dicendum sit, ex isto titulo non possedisse, sed iure familiaritatis, vt bene ad propositum *Surd. in cons. 261. nu. 18.* & quamuis Dominus Rusticuccius pluries dixerit requisitus, an vellet conducere domum, quod volebat inhabitare suum palatium, attamen hoc potest verificari inhabitatione, quam fratres patiebantur ipsum habere iure familiaritatis, & ita etiam tollitur, quod dicitur, quod Dominus Rusticuccius fecit melioramenta in palatio, quia hæc potuit facere ratione habitationis, & familiaritatis, prout inquilini etiam quotidie faciunt, & si standum esset testibus, bene declarant istam materiam, sed etiam eorum dictis circumscriptis ex prædictis visum fuit Matthæo non posse denegari manutentionem.

R. P. D. VBALDO.

Romana Tutelæ de Boncompagnis. Veneris 13. Nouembris 1615.

ARGVMENTVM.

Tutor non tenetur de furto rei pupillaris, dummodo furtum probetur, & absit illius culpa, & an furtum in casu decisionis probetur. Item an tutores, quorum vnus tantum administrauit, habeant inter se beneficium ordinis, vt scilicet primo conueniri debeat, qui administrauit.

SVMMARIVM.

Inuentarium plene probat contra conficientem. nu. 1.

Confessio facta in iudicio criminali præiudicat etiam in ciuili. nu. 1.

Confessio præualet alijs probationibus. nu. 1.

Existentia rei penes aliquem de vno tempore, præsumitur etiam de alio. nu. 1.

Tutor & similis custos non tenetur ad restitutionem rei furto subtractæ, dummodo absit culpa, vel dolus. nu. 2.

Furtum reputatur inter casus fortuitos. nu. 2.

Tutor non tenetur de casu fortuito. nu. 2. Vbi maxime si fuit à redditione rationis liberatus.

Tutor vt non teneatur de furto rei pupillaris, duo probare debet, scilicet furtum, & illud sine sua culpa commissum. num. 3.

Furtum tanquam difficilis probationis probatur ex coniecturis. nu. 3.

Furtum in eo qui ex officio tenetur ad custodiam, non probatur per eius querelam, ac acclamationem iuratam. num. 4. Vbi maxime, si agatur de furto notabili, quicquid secus in eo qui non tenetur ad custodiam.

Fallit concurrente bona fama furtum passi, nisi dicta fama elidatur ex contrarijs probationibus. nu. 5.

Testis de auditu à parte non magis probat, quam ipsa pars. num. 6.

Indicia purgantur ex sustentatione tormentorum. nu. 6.

Indicia conquassantur ex indicijs contrarijs, & inuerisimilitudine. nu. 7.

Liberatio à redditione rationis relicta tutori intelligitur de scrupulosa, non autem quod non teneatur restituere bona descripta in inuentario, & quæ describi debuerunt. nu. 8.

Tutoris culpa in furto rei pupillaris arguitur ex eo, quod tutor domum pupilli reliquerit sine custodia. nu. 9.

Tutores quorum vnus tantum administrauit habent inter se priuilegium ordinis, vt prius debeat excuti administrator. nu. 10.

Verbum possit est facultatiuum non autem perceptiuum. numer. 11.

DECISIO DCCLXII.

1 CVm Gregorius Boncompagnus dedisset tutricem filijs suis D. Lisam vxorem suam, & alios duos contutores, ipsique in inuentario inter cetera bona descripsissent nonnulla iocalia, agebant filii, & hæredes pro eorum restitutione. Ex aduerso vero pretendebatur, nonnulla fuisse furto subtracta. Quare proposito dubio in Rota, an tutores tenerentur ad eorum restitutionem, Domini censuerunt, D. Lisam quidam teneri, contutores vero pro nunc non teneri. Et pro fundamento primo resolutionis premittendum est, non fuisse controuersum de existentia dictorum iocalium penes Lisam de tempore obitus viri, quod probatur tum ex inuentario, quod plene probat contra tutorem illud conficientem, *l. fin. Cod. arbitr. tutel. Bart. in l. tutor qui repertorium, nu. 12. ff. de administ. tut. Paris. cons. 26. nu. 55. lib. 2. Rota dec. 71 nu. 3. p. 1.* tum ex querela per Lisam porrecta, quæ confessio in iudicio crimali ei preiudicat etiam in ciuili. *Ægid. dec. Cæs. de Graff. dec. 3. num. 3. de solut.* & fuit dictum in vna Bonon. Laudi. 28. Aprilis 1608. coram bo. me. Iusto, tum demum ex instrumento obligationis Scut. 200. pro releuatione prætensi furti, in qua asserit gēmas subtractas esse valoris Scut. 3. mill. qua confessione nulla melior probatio. *l. cum te. C. de transact. cum alys per Surd. cons. 60. in princ. lib. 1.* Et ex hoc sequitur, vt etiam hodie penes ipsam extare præsumantur. *Ias. in l. si quis. §. prætor. num. 12. ff. de edend. Affl. dec. 13. nu. 1. vers. cum ergo, &c.* & consequenter, quod teneatur ad earum restitutionem.

2 Quia tamen pro D. Lisa allegatur furtum dictorum ioca-

iocalium apud Dominos non dubitabatur, Quin si furtum probaretur, & nulla præcessisset culpa D.Lisæ, ipsa omnino venirent liberanda à prædicta restitutione, cum certum sit, tutores, & similes custodes non teneri ad rei restitutionem furto subtractæ, dũmodo absit culpa, vel dolus, *l. si vt certo. §. nunc videndum. ff. commod. §. præterea. cum ibi not. instit. quib. mod. re contr. oblig. l. quod Nerua. ff. depos. l. si duob. §. damna. & ibi gloss. in verb. surreptum. ff. pro soc. Grat. cons. 94. num. 37. & seqq. lib. 2. cum alijs per Honded. cons. 90. num. 11. lib. 2.* cum hoc casu furtum reputetur casus fortuitus, ad quem custodes non tenentur, *leg. 1. & ibi notat. Bald. Cod. depos. Bart. Iason. & alij. in l. si quando, C. vnde vi, & in l. si quis ex argentarijs, §. prætor ait. ff. de edend. Paris. consil. 156. num. 4. & 5. lib. 4. Menoch. consil. 353. num. 9. & 10. libr. 4. Honded. d. consil. 90. num. 10. lib. 2.* & in termini, tutoris, quod de casu fortuito non teneatur est, *text. in l. si res pupillaris, & ibi gl. & Bart. ff. de adminis. tut. l. 3. & 4. C. de peric. tut.* quod eo magis dicendum videtur in hoc casu, quo D. Lisa fuit liberata à redditione rationis, vt in his terminis tradit *Alex, consil. 45. nu. 1. & 2. libr. 1.*

3 Cum igitur duo probanda sint pro parte Lisæ videlicet casus, id est furtum esse commissum, & sine sua culpa, *vt per gloss. in §. fin. institut. quibus mod. contr. obl. & ibi Aret. glos. & Bart. in d. leg. si quis ex argentarijs, §. an nec hæredi, & ibi alii Doct. siue in §. prætor ait, vbi Angel. num. 7. Castr. num. 6. & 7. Alex. num. 6. & 10. Iacobin. num. 14. Ias. num. 11. & num. 29.* & in specie de tutore, & curatore, *Bald. ibidem num. 3. circa fin. versic. & idem est, & idem tradunt, Doctor. in leg. si creditor, vbi Bart. Alberic. Castr. & Salicet. C. de pign. act. Menoch. d. consil. 353. num. 2. Honded. d. cons. 90. numer. 2. & 3. lib. 2. & consil. 19. num. 17. & seq. lib. 1.* cum alijs allegatis in vna Perusina pecuniaria. 28. Nouembris 1612. coram R. P. Domino meo Manzanedo, Domini existimabant neutrum esse sufficienter probatum. Quia quo ad furtum, licet illud possit probari etiam coniecturis, cum sit difficilis probationis, vt per *Bart. in dict. §. an nec hæredi. numer. 5. cum alijs per Menoch. libr. 6. præsumpt. 61. numer. 20.* tamen coniecturæ adductæ pro D. Lisa videbantur leues, *& Bart. loco citato, & Doct. in dict. §. prætor ait.* exemplificant, quando ostium fuit ruptum, vt ibi per *Angel. numer. 7. Iason. numero 18. Bart. in leg. si creditor. num. 5. Cod. de pign. act.* Quod hic cessat.

4 Nec vis fieri potest in querela porrecta à D. Lisa, quia cum simus in tutrice, quæ ex officio tenetur ad custodiam bonorum pupilli non sufficit eius querela vel acclamatio, vel assertio ad probandum furtum, *Bart. in dict. l. si creditor. num. 5.* immo quod nec statur eius iuramento dicit *Alex. in d. §. prætor ait. num. 12. & ibi Ias. num. 17. bene facit Anchar. cons. 316. num. 4.* vbi loquitur in matre tutrice. Quicquid esset dicendum si non teneretur ad custodiam ex officio, & ita distinguit *Bursatt. consil. 285. numer. 12. quem sequitur Honded. consil. 43. num. 18. lib. 2. Grat. qui loquitur in tutore, consil. 23 numer. 19. lib. 1.* cum aliis adductis in vna Romana depositi, seu exhibitionis schedulæ. 9. Iunii 1595. coram bonæ memoriæ Cardin. Pamphilio, & apud Seraphinum *dec. 1224. num. 2.* Et hoc eo magis procedit in hoc casu, in quo tractatur de furto non modico, sed notabili, cum gemmæ præsupponantur magni valoris, vt per *Petransanct. sing. 8. sub num. 4.* quam refert, & sequitur eruditissimus *Farinac. de furt. q. 176. p. 1. nu. 8.* & agitur non contra furem, sed in præiudicium tertii qui non deliquit, nec fuit in dolo, iux. tradita per *Bart. in l. si quando, nu. 4. & ibi Ias de communi. nu. 38. & 43. C. vnde vi.*

5 Et licet concurrente bona fama, & legalitate furtum passi stetur interdum eius assertioni saltem iuratæ, vt per *Rimin. sen. cons. 95. num. 19. & 21. inter consil. Grat. libr. 2. cum aliis per Menoch. dict. cons. 353. num. 7. & dicta præsumpt. 61. num. 23. Honded. cons. 90. num. 26. libr. 2.* præsertim, quando agitur ciuiliter vt hic, *Farinac. de inquisit. 2. nu. 16.* Tamen in proposito probatio bonæ famę videbatur elidi, & debilitari ex contrariis præsumptionibus, & probationibus, cum constet non omnia bona fuisse descripta in inuentario, sed nonnulla occultata in Monasterio Sanctæ Annæ, eaque non nisi mediante comminatione excommunicationis fuisse detecta, & postea descripta, vt apparet ex datis in Summario Hæredum, *nu. 15. 16. & 17.* fuerunt etiam dati plures testes deponentes plura bona remansisse penes D. Lisam, vt vestes, & alia iocalia, præter descripta in inuentario, & de eis erit postea agendum, quæ specialis probatio preualet probationi bonæ famæ in genere. *Alex. cons. 77. nu. 5. & 6. lib. 1. cum aliis allegatis.*

6 Non obstant testes examinati in Curia Gubernatoris, quia deppount de auditu à D. Lisa circa pretensum furtum, ideoque non magis illi credendum est, quam ipsi Lisæ, *c. fraternitatis, de hæretic. Aym. cons. 112. n. 13. Verall. dec. 264. n. 7. p. 3.*

Quibus stantibus parum etiam releuant alię coniecturæ desumptæ ex carceratione mulierum, & aliorum de familia, & ex obligatione de soluendis Scutis ducentis ei, qui restituisset iocalia, quia hęc omnia potuerunt studiose agi ad effectum iustificandi prætensum furtum, vltra quod indicia contra familiares fuerunt purgata ex sustentatione tormentorum. *Farinac. in quæst. crimin. lib. 1. tit. 5. quæst. 40. num. 1. & seqq.* vbi alios cumulat, & licet Dianora vna ex famulis confessa fuerit in tormentis, commisisse furtum, tamen non ratificauit.

7 Accedit, quod hæc indicia conquassantur ex indiciis contrariis, tum quia D. Lisa fatetur furtum fuisse commissum sine fractione aliqua ianuarũ, & scrinii, & ideo non applicantur *Rimin. Grat. Angel. Menoch. & Honded. qui alios cumulat consil. 90. nu. 22. lib. 2.* Quia ibi vltra querelam concurrebat fractura cum aliis, de quib. ibi, tum quia in eodem scrinio erant aliæ gemmę valoris Scutoruum 2000. vt eadem Lisa deposuit & non est verisimile, quod idem fur istas eodem tempore non subtraxisset.

8 Non obstat liberatio à redditione rationis per testatorem facta, quia illa intelligitur scrupulosa redditione rationis, non autem, quod non teneatur restituere bona descripta in inuentario, vel quo describi omnino debuerunt, *leg. Aurelius. §. Titius de lib. legat. Dec. cons. 177. in causa. sub nu. 3. vers. modo,* & fuit dictum in vna Romana redditionis rationis 12. Maii 1603. coram Litta, & alias sæpe.

9 Quo vero furtum fuerit commissum absque culpa ipsius Lisæ nõ videtur necessarium inspicere, ex quo de furto ipso non constat ex supra deductis, sed ex abundanti dicebatur, aliquam posse argui ipsius culpam, ex quo licet non constet de die commissi furti. Tamen dubitatur accidisse die S. Michaelis de mense Septembris, quo die, testes deponũt eam iuisse ad vineam cum tota familia, & sic reliquisse domum sine custodia, vt in terminis considerat post *Castr. in l. videamus, nu. 2 ff. locat. Menoch. cons. 353. n. 16. lib. 4.* Ex quibus fuit conclusum D. Lisam teneri de his, quæ prætendebat furto subtracta, sicut non est dubium, eam etiam teneri de aliis iocalibus non subtractis, & in inuentario descriptis. Quia vero allegabantur alia iocalia relicta per Gregorium, quæ per dictos hæredes prætenduntur non fuisse inuentariata, Domini voluerunt, vt de his particulariter videretur.

10 Quo vero ad alios Contutores, Domini existimabant, eos pro nunc non teneri, donec soluendo sit D. Lisa. Quia constat ipsam solam retinuisse dicta iocalia, & alii tutores, licet teneantur in solidum, tamen quando vnus tantum administrauit, habet priuilegiũ ordinis, ne ipse prius conueniatur, quam excusso admini-

ministratore. *l.2.C.si tut.vel cur.non gesser.Ronchegall.in l.eadem.in princ.nu.219.ff.de duob.reis,late Surd.cons.170. num. 13. lib.2.*

11 Non obstat,quod non debuerint permittere,vt sola D. Lisa administraret,ex quo testator mandauit,vt duo saltem ex his coniunctim administrarent. Quia respondebatur,verba testamenti esse facultatiua, videlicet,quod possint duo ex eis coniunctim administrare, non autem præceptiua. *leg.fideicommissa. §. hæc verba. ff. de legat. 3. Doctor. in leg. Gallus in princip. vbi Bart.nu.4. ff.de liber. & posthum.* Et ita fuit decisum.

R. P. D. VEROSPIO.

Policastren. Congruæ, & iurisdictionis. Lunæ 16. Nouembris 1615.

ARGVMENTVM.

Congrua debita Episcopo an debeat prius detrahi, quam alia onera,& an iurisdictio temporalis competens Episcopo veniat in reseruatione fructuum alteri facta.

SVMMARIVM.

Congrua Scut. mille,quæ debetur Episcopo vigore Conc.Triden.debet in primis,& ante omnia alia onera Episcopatus Episcopo solui. nu.1. Vbi maxime si in impositione onerum fuit addita clausula demptis pro Episcopo Scutis mille.

Consentiens decreto reseruationis congruæ ad fauorem Episcopi tenetur illud obseruare,nu.2.

Iurisdictionis exercitium non venit appellatione fructuum, numer.3.

Iurisdictio non censetur concessa ex concessione rei,nu. 3.

Iurisdictio temporralis alicuius loci competens Episcopo non censetur reseruata in reseruatario fructuum Episcopatus, nisi Papa expresserit,licet secus sit in fructibus iurisdictionis,num.4.

DECISIO DCCLXIII.

1 PEr translationem Illustrissimi Cardinalis Spinelli ad Ecclesiam Auersanam de anno 1605. cum vacasset Ecclesia Policastren. fuit alius de ea prouisus cum omnium fructuum reseruatione ad fauorem dicti Cardinalis,demptis tamen pro ipso Titularis Scutis mille, pro quorum solutione, modo soluendi, nec non super exercitio iurisdictionis temporalis in Terra turis Orsariæ ad Ecclesiam spectan. orta inter ipsum Titularem, & Illustrissimum Reseruatarium controuersia, causa fuit in Rota commissa Illustrissimo Lancellotto. Verum mortuo dicto Titulari Reuerendissimus Santonius in eadem Ecclesia Policastren. successor post nonnullos annos, cum vellet huiusmodi litem prosequi,Ego in locum Illustrissimi Lancellotti subrogatus dubium in Rota proposui, quod ad fauorem Episcopi fuit resolutum, ipsum scilicet posse ante reseruatarium percipere Scuta mille, nec nō temporalem iurisdictionem Castri,de quo agitur, illi competere. Quo enim ad primam partem suffragatur Episcopo *Sacri Concilij Tridentini dispositio sess.24. c.13. §. adhæc. de reform. Mandos. in tract.de Sign. grat. sub tit.de fruct. reseruat. ad fin. Paris.de resignat.lib.2. quæst.1. num.36.* Vlterius in decreto Consistoriali fuerunt reseruati fructus cum clausula dēptis pro Titulari Scutis mille,per quam clausulam videtur Summus Pontifex dicta mille prius Episcopo reseruasse, quā alios fructus Cardinali. *Rebuff.in tract. de congrua, post num. 103.ad med.*

2 Non obstat, per Clementem Octauum de fructibus huius Ecclesiæ Policastrensis dismembrata fuisse Scuta quinque millia pro dote, nec non extinctione tot locorum montium,quæ ad fauorem dicti Cardinalis fuerunt erecta,cum clausula,quod de huiusmodi fructibus congrua demi nō possit. Nam vltra quod de tali iure Montistarum, qui non sunt in causa hodie,non agitur,cum tamen Cardinalis assensum præbuerit decreto consistoriali,vbi Scuta mille pro Episcopo reseruantur absque vlla exceptione,tenetur illud obseruare. *Surd.cons.42. num.6. lib. 1. & consil. 148. num.10.lib.2.*

3 Quo vero ad secundam partem, & sic ad iurisdictionem temporalem de qua agitur, Domini censuerunt illam ad Episcopum pertinere,cum appellatione fructuum iurisdictionis exercitium non veniat. *Bald. consil.293. num.1. lib.4. & cons.238. in princip.eodem libro.* Et regulariter re concessa, iurisdictio data non censetur,*c.1.§.item si quis,vbi Bald.tit.quib.mod.feud.amittat. vbi Aluarot.num.4. & 5. idem Bald.capit. 1. §. contrario, num.4. vers. contrarium, de inuestitura. de re alien. facta Oldrad.cons.122. num.6. Castr.cons.56. lib.2. Ruin.consil. 14. in princ.post vers.sed præmissis lib. 1. Boer.dec.227. numer. 14. Schraderus de feud.par.2. quæst.1. princip.sect.2.quæst. 5.numer.12.*

4 Quod tanto magis in casu nostro locum habet,cū in huiusmodi fructuum reseruatione de stylo soleat exprimi iurisdictio,quando Summus Pontifex illam intendit reseruare. *Mandos.in tract.de Signat. Grat.tit.de fruct.reseruat.in princ.Paris.d.lib.6. de resignatione,q.1.nu. 11. & seq.*Circa istius vero iurisdictionis emolumenta fuit dictum,illa non spectare ad Episcopum,sed Illustrissimo Reseruatario competere.

DECISIO DCCLXIV.

Veneta Donationis. Lunæ 16. Nouembris 1615.

Impressa apud Buratto.

DECISIO 133.

DECISIO DCCLXV.

Romana Hæreditatis de Alexijs, Mercurij 24. Februarij 1616.

Impressa apud Caualerio.

DECISIO 381.

DECISIO DCCLXVI.

Romana seu Perusina pecuniaria. Veneris 20. Nouembris 1615.

Impressa Apud Buratto.

DECISIO 135.

R. P. D. MANZANEDO.

Eugubina Canonicatus Veneris 20. Nouembr.1615.

ARGVMENTVM.

Clausulæ appositæ in reg.8. Cancellariæ an referantur ad alias regulas præcedentes, & an moderatio indultorum facta per Paulum V. comprehendat bene-

beneficia vacantia per obitum familiarium Cardinalium, quorum collatio ad inferiorem spectat, & an clausulæ generales derogatoriæ derogent reseruationibus in corpore iuris clausis.

SVMMARIVM.

Regulis Cancellariæ derogatum dicitur per dispositionem habentem derogatoriam derogatoriarum. nu. 1.
Derogatio post ius alteri quæsitum non attenditur. numero secundo.
Derogatio non facta mentione iuris alteri quæsiti dicitur subreptitia. nu. 2.
Clausulæ derogatoriæ contentæ in regula octaua, Cancellariæ referuntur ad omnes alias regulas præcedentes. numero 3.
Contrarium nu. 4. nu. 5. & nu. 6. Vbi declarantur authoritates contrariæ.
Clausulæ in medio positæ non referuntur ad præcedentia. num. 4.
Dictiones huiusmodi, & ea referuntur ad illa tantum, de quibus in dispositione fuit dictum. nu. 5.
Relatio debet fieri ad ea, ad quæ fieri potest salua ratione recti sermonis. nu. 5.
Clausula in fine posita non refertur ad præcedentia vbi militat diuersa ratio. nu. 5.
Moderatio indultorum edita per Papam Paulum V. de mense Octobris 1609. non comprehendit beneficia vacantia per obitum familiarium Cardinalium quorum collatio spectat ad inferiores collatores. nu. 7.
Clausulæ derogatoriæ generales non derogant reseruationibus in corpore iuris clausis, vt sunt reseruatio ex Extrauag. ad reprimen. & extrauag. ad Romani. nu. 8. & nu. 9. Vbi id non firmatur.
Extrauagans ad Romani. non inducit nouam reseruationem sed inductam in reg. 3. quæ alias morte Pontificij expirasset, perpetuat etiam post mortem Papæ. Et ideo viuente Papa reseruatio ex ea inducta debet tribui regulæ tertiæ, non autem Extrauag. nu. 9.

DECISIO DCCLXVII.

1 VAcante Canonicatu, de quo agitur, de mense Decembris 1613. per mortem Horatij Massarelli Capitulum ad illum elegit Dom. Attilium Benamatum vigore indulti fel. rec. Greg. XIII. sibi tribuentis huiusmodi electionem in Canonicatibus Ecclesiæ Eugubinæ in quibuscumque mensibus vacantibus quomodolibet affecti, vel reseruati existant Ceterum, quia dictus Horatius erat familiaris Cardinalis Alexandrini, Dominicus Baldellus de eodem Canonicatu tanquam reseruato per regulam tertiã Cancellariæ sibi à Sede Apostolica prouideri obtinuit, vnde inter ipsum, & Attilium orta lite, illiusq; cognitione mihi commissa proposui dubium, ad quẽ illorum dictus Canonicatus spectaret, & fuit ordinatum, quod omnes Domini causam viderent, sicque hodie iuxta dictum ordinem causa reproposita, & discussa ad Attilium spectare fuit resolutum, cum ipse habeat intentionem fundatam in dicta electione de se facta à Capitulo, & ab Episcopo confirmata iuxta formam dicti indulti habentis derogatorias regularum Cancellariæ editarum, & edendarum, & derogatorias derogatoriarum, per quas satis videtur fuisse derogatum dictæ regulæ tertiæ, qua Dominicus nititur ad trad. *per Sarn. in proœm. regularum quæstione quinta.*

2 Non obstat, quod in literis prouisionis Dominici fuerit specialiter derogatum dicto indulto, quia talis derogatio non est attendenda, cum fuerit longe post electionem, & confirmationem Attilii, & sic post ius illi quæsitum facta. *Rot. decisione 574. in fin. par. prima, diuers. Seraphin. decisione 1263. in fin.* & est subreptitia ob non facta mentionem dictæ electionis, & confirmationis. *Rota dec. 17. de præben. in nou. Caputaquen. decis. 37. par. 2.*

3 Minus obstat, quod d. indulto censeatur derogatum per amplissimas clausulas contrarias in regula 8. Cancellariæ, iuxta decisionem in Eugubina Præposituræ. 30. Maij 1606. coram Reuerendissimo Bononien. quæ clausulæ cum referantur ad omnes regulas præcedentes videntur etiam repetitæ in regula tertia, in qua versamur, *iuxta Cassad. decisione prima, in fin. de restitut. spoliat. Put. decisione 191. lib. 3. Mandos. super proœm. reg. Cancell. q. 2.* & fuit dictum in Spoletana beneficiorum. 3. Iulij 1606. coram Reuerendissimo Attrebaten.

4 Quia dictæ clausulæ regulæ octauæ respiciunt tantum reseruationem 8. mensium in ipsa regula contentam, & non extenduntur vltra eam, quod patet ex eo, quod antiquitus dicta regula non inserebatur inter alias communes Cancellariæ, sed seorsum cum suis specialibus clausulis, & decreto irritanti. Vnde dum Pontifices illam addiderunt alijs regulis, non est verisimile voluisse alterare, & immutare earum naturam, dictas clausulas, quæ vsque ab initio in regula octaua apponebantur referendo ad regulas præcedentes penitus distinctas, & separatas, & hoc clarius desumitur ex decreto irritanti in fine septimæ regulæ præcedentis apposito, quod superfluum fuisset ibi apponere si decretum irritans, & aliæ clausulæ in regula octaua positæ censerentur repetitæ in præcedentibus, & sic ad istam superfluitatem euitandam non est admittenda talis repetitio, cum præsertim non sint appositæ in finem, sed in medio regulæ, quo casu non est dicendum, Pontificem ad præcedentes illas referre voluisse. *Abb. consilio 75. numero secundo. libro secundo post Bar. in l. talis scriptura. §. hanc autem. numero tertio. ff. de legat. 1. Gabriel. de clauf. conclus. 9. nu. 14.*

5 Et omnis difficultas cessat ex verbis ipsius regulæ, quæ sunt restricta tantum ad disposita in illa, vt patet ibi, indulta Apostolica circa ea, & cæt. & ibi de huiusmodi beneficijs, & cæt. Quæ dictiones huiusmodi, & ea, sunt relatiua eorum tantum, de quibus in eadem regula fuit dictum *l. huiusmodi, de leg. 1. Bero. consilio 57. numero 48. libro tertio. Port. Imol. consilio decimo. numero 18. Surdus consilio 308. numero 16.* Et cum fuerint prolata in singulari ibi, aduersus reseruationem huiusmodi, & cæt. referuntur ad reseruationem 8. mensium tantum in eadem regula contentam, non autem ad ceteras alias, ad quas referri non potest salua ratione recti sermonis. *Iason. in leg. prima. numero octauo. C. de liber. præter. Gozzad. consilio 82. numero decimo quarto. Barbat. consilio trigesimo quarto. numero secundo. libro primo.* si enim hanc relationem voluisset fieri Summus Pontifex loquutus fuisset in numero plurali, non autem singulari, nec mirum, si regula octaua contineat clausulas prægnantiores alijs regulis, cum illa præiudicet in 8. mensibus tantum, & temporaliter ad beneplacitum Pontificis, aliæ vero perpetuo, & in omnibus mensibus, quo stante dictæ clausulæ, adeo ample, & prægnantes non debent ad alias regulas, in quibus militat diuersa ratio, extendi. *Bart. vbi sup. Abb. d. consl. 75. num. 4. vers. 2. facit. Aym. cons. 70. nu. 10. Gabr. vbi sup. nu. 3.*

6 Ad authoritates autem in contrarium adductas, volentes decretum irritans appositum in regula septima referri ad regulas præcedentes, fuit responsum huiusmodi opinionem semper dubiam fuisse in Rota, vt patet *ex dicta decis. Cassad.* quæ nihil firmat, sed tantum arguendo dicit videri, quod clausula illa referatur ad præcedentes, & statim subiungit quatuor Dominos tenere contra, & passum esse dubium, prout, & de tempore Putei Rotam dubitasse super hoc articulo, *apparet ex d. eius dec. 191.* in qua pariter nihil firma-

firmauit, ideoq; non est curandum de opinione Mãdosiique mouetur ex d.dec.Cassad.Decisio uerò Spoletana, corã Reuerendissimo Attrebaten. id dixit incidenter, non autem ex professo firmuit hunc articulum, in quo contrarium adest alia decisio in causa Licien. beneficiorum 4. Iulij 1607. coram Domin. meo Caualerio. Vltra quod licet decretum regulę septimæ extenderetur ad pręcedentes, non ex eo regula octaua ad illas veniret extendenda, cum habeat verba restitutiua excludentia dictam extensionem, vt supra probatum est.

7 Non obstat moderatio indultorum edita per Sanctiss. D. N. de mense Octobris 1609. quia loquitur de beneficiis vacantib. apud Sedem, quorum collatio pertinebat ad Cardinales, vt clare colligitur ex rubrica, procemio, & verbis illius, & licet faciat etiam mentionem beneficiorũ vacantiũ per obitũ familiarium Cardinalium, tamen quo ad illa etiam restringitur ad indulta ipsorum Cardinalium illa autem uerba in dicto indulto apposita, quam etiã aliorũ quorumcumq; inferiorum collatorum &c. intelliguntur de beneficiis, quæ alias competerent inferiorib. collatoribus, & ex indulto pertinebunt ad Cardinales.

8 Tandem visum fuit non obstare, quod licet indultum concessum capitulo contineat amplissimas clausulas derogatorias, tamen cum sint generales per illas non censetur derogatum reseruationibus in corpore iuris clausis *iuxt. Rebuff. super concord.at.tit.de reseru.§. volumus, vers. 3.* ratione beneficiorum, sicq; nec reseruationi ex familiaritate Cardinalium inductæ iux. Extrauagan. ad reprimend. & ad Romani, de præben.

9 Quia omissa pro nunc quæstione, an huiusmodi extrauagantes censeantur inclusæ in corpore iuris, de qua late per *Sarn. in reg. de trienn. quæstion. 31. a nu. 8.* Visum fuit sufficere pro responsione, quod illę Extrauagantes non contineant in se reseruationem, de qua agitur. Nam quo ad Extrauagantem ad regimen illa nullam facit mentionem de hac reseruatione, vt ex eius lectura apparet. Extrauagans autem ad Romani. non inducit nouam reseruationem, sed inductam in regula tertia, quæ alias per mortem Pontificis expirasset, perpetuat, & durare vult etiam Pontifice defuncto, & dispositione regulę cessante, vnde durante hodie vita Pontificis, (quam Deus dignetur prorogare ad plurimos, & felicissimos, annos reseruatio, de qua nunc agitur, est tribuenda regulę tertię, *Simonett. de reseru. q. 35. Gonzal. super regul. 8. gl. 41. num. 62.* non autem dictę constitutioni, cum nondum venerit tempus illius dispositionis. Ex quibus ita fuit resolutum, &c.

DECISIO DCCLXVIII.

Virdunen. Abbatiæ. Veneris 27. Nouembris 1615.

Impressa Apud Buratto.

DECISIO 136.

R. P. D. PIROVANO.

Romana Administrationis Fundaci. Lunæ 14. Decembris 1615.

ARGVMENTVM.

Socius tenetur alteri consocio reddere rationem de peruentis ad eius manus, & de erroribus, qui sunt in libro rationum per ipsum scripto.

SVMMARIVM.

Socius quamuis exemptus à redditione rationis nihilominus tenetur restituere res penes se existentes, nu. 1.
Dolus nunquam inter socius videtur remissus, num. 1.
Socius administrans tenetur de peruentis ad eius manus, consocio rationem reddere, nu. 1.
Asserenti incumbat onus probandi, nu. 2.
Error qui cedit commodo errantis præsumitur data opera commissus, nu. 2.
Præsumptio semper militat contra socium ad quem pertinet cura scribendi librum rationum si liber fuit minus fideliter scriptus, num. 3.
Vna & eadem res non potest diuerso iure censeri, nu. 4.

DECISIO DCCLXIX.

PEr duas Decisiones in hac causa factas apparet resolutum, Attilium non probari Capserium, & consequenter à generali redditione rationis eorum, quę Capsam intrauerunt exemptum esse. Verum, quia in prima Decisione pariter in hac causa facta resolutum fuit constare de erroribus, voluerunt fratres Albani videre, an saltem Attilius ad particularem rationis redditionem respectu errorum teneretur, & dato dubio de ordine DD. an Attilius teneatur reddere aliquam rationem, & quam, hodieque eo proposito, censuerunt Attilium tenere reddere rationem de errorib. de quibus in partitis manu eiusdem Attilij conscriptis.

1 Quia & si ex deductis non sit aperta uia fratribus Albanis agendi contra Attiliũ ratione tituli uniuersalis Capserij, & administatoris, nihilominus quando constat, quod penes socium administratorem vti socium peruenerunt, vel remanserunt res, vel pecuniæ communes, socius ille, quamuis alias exemptus, tenetur alijs sociis reddere rationem. l. dominus Sticho. §. seruus. ff. de pecul. l. vbi si testator iusserit seruos nõ debere scrutari, & esse sine inquisitione, non tamen remanent liberati a restitutione peculij, aut reliquarum rerum penes eos existentium, quasi non sine dolo prædicta retinere possint, vt innuit Alex. consi. 62. num. 6. libro. 4. declarando doctrinam Bart. in d. §. seruus. qui dolus nũquam inter socios videtur remissus, & ea propter socius administrans tenetur de peruentis ad eius manus consocio rationem redere. Gratian. consil. 15. num. 24. Paris. cons. 83. num. 6. & 8. Rota Ianuens. dec. 165. num. 6. & decis. 183. num. 6. & hoc ipsum tenuit Rota in Bononien Laudi 3. Iulij 1606. coram bonæ memoriæ Iusto. Constat autem ad Attilium peruenisse, & remansisse pecunias sociales quia dum esset Complementarius totius negotij pecunias recipiebat, & soluebat, ordines aliis ad soluendum dirigebat, & ipsi directos acceptabat, partitas eorum, quæ recipiebat, & dabat in libro introitus, & exitus Capsæ propria manu conscribebat, & hunc esse stylum, & consuetudinem illius negotii, quod recipiens pecunias scriberet eas in libro Capsæ fatetur idem Attilius in sua depositione, quę datur in Summario Albani, vnde cum certũ sit, quod partitæ tam debiti, quam crediti, in quibus detecti sunt errores, conscriptę sunt manu eiusdem Attilii, inde sequitur quod deficientia pecuniarum ab erroribus causata penes eundem Attilium remansisse presumendũ videatur. Nec obstare visum fuit, quod cum Attilius tanquam Capserius non teneatur, iuxta resolutiones in hac causa factas, si de receptis, vel datis adhuc teneretur reddere rationem, idem esset, ac si ab eo tanquam à Capserio essent reddendæ rationes, propterea dicebatur qua ratione Attilius non tenetur reddere rationem de iis, quæ immissa fuerunt, vel respectiue remanserunt in capsa, eadem non vide-

P tur

tur adstringendus emendare errores per quos appa ret pecunias diuersum finem habuisse.

2 Quia vltra quod non agitur de re inseparabili, sed de sui natura possibili, vt quis scribat se recepisse, nō tamen pecuniam ponat in Capsam, vel positam relinquat, vt patet ad sensum, quo casu id asserenti onus videtur iniunctum probandi. *Socinus conf.24.num.37. vers. & ideo cum suprascripta. volum.1.Rota Ianuens. decis.116. numer. 2.* Fuit etiam responsum plura contra eundem Attilium vrgere, quæ non permittunt à prædicta probatione posse subleuari, & primo errores, qui sunt manifesti, & præiudiciales partim consistentes in eo, quod Attilius aliquas partitas duplicauit ad exitum Capsæ, partim in eo, quod minus scripserit ad introitum, quæ receperit, & ad exitum plus, quæ exbursauerit. Et alias in credito Capsæ posuit, qui ad eius debitum adscribendæ erant, & similes erratæ sunt in notabili numero, ac omnes cedunt commodo Attilij, ideo contra eum semper vrget præsumptio, quod errores fuerint data opera commissi, *l.1. §. si quis instrumenta. C. de latin. liber. toll. Plot. in l. si quando. num.884. C. vnde vi. Menoch. de præsumpt. lib.5. præsumpt.31. nu.15.*

3 Secundo apud eundem Attilium residebat regimē & Administratio totius negotij, ne dum quia Complementarius erat, sed etiam quia solutiones, & pecuniarum receptiones magis per manus eiusdem Attilij, quam aliorum participum frequentabantur, vt patet ex numero partitarum, quæ ab eodem conscriptæ fuerunt, ideo contra Ministrum magis Principalem qui minus diligenter scribit librum rationum, & ad quem principaliter spectabat cura libri Magistralis, si minus diligenter scribit libros rationum, semper contra eundem præsumitur, *Soc. sen. consf.190. nu.2. & 4. vers. confirmatur etiam. lib.2.*

4 Tertio, multum mouit etiam Dominos, quod dū Quaderni de Capsa fuerunt reportati in libro Magistrali per eundem Attilium in fine cuiuslibet anni, de anno 1597. concordato introitu, & exitu, adhuc Capsa dicitur crescere Scutis 342. De anno 1598. augmentum nullum reperitur. De anno 1599. legitur augmentum primo in Scutis 2875. 21. Et secundo in alijs Scutis 1314.19. De anno 1600. augmentum scriptum est in Scutis 211. 32. De anno 1601. in quo terminauit societas ponitur augmentū Scutorum 255. 12. Et hæc ipsa augmenta in solidatione vniuersali in libro nuncupato il Bilancio, fuerunt posita ad creditum societatis. Dicebant igitur Domini si pecuniæ ab erroribus causatæ pro parte repertæ fuerunt in Capsa, residuum necesse est, quod in Manibus Attilij remanserit, alias si integre recepta eadem manu, & instanti fuissent, vel immissa, vel relicta in Capsa, eodem modo in ea reperirentur, prout certa pars fuit reperta, vel eodem modo de anno 1598. adesset simile augmentum, quod non legitur repertum. Vna igitur manus & immisit, & reliquit in Capsa, & eandem retinuisse deficientes pecunias videtur dicendum, ne vna, & eadem res, & factum diuersa iuris præsūptione terminentur, contra *text. l.2. ff. de vulgar.* Non obstat, quod errores detecti non legantur in libro nuncupato Quaderno di Cassa, cum in eo partitæ omnes veritati scripturæ respondeant, tam in recipiendo, quā in dando, dempta vnica partita, quæ duplicata reperitur, sed in libro principali nuncupato libro Mastro, dū partitæ Quaderni accepti, & dati in eo fuerūt reportatę, & verū est, quod in eo libro fuit erratū in scribendo minus receptum, & plus datum, sed nō propterea inferri dicebatur, quod Attilius ad redditionem rationis pecuniarum deficientiū teneatur, sed pati quod errores emendentur, propter inter esse tantum sociale, cum errores sint in copia, nō autem in matrice, quę copia non probat Attilium soluisse, vel recepisse in actu ipso scribendi. Fuit enim responsum, quod si non omnes errores colligantur in Quaderno de Cassa, idem tamen Dominis visum est in erroribus ex partitis exemplatis ex eodē libro, & manu Attilij reportatis in libro Magistro, cum super eo rationes essent ponendæ inter socios, non autem super Quaderno Capsæ, & quidquid sub erroribus tegebatur, id omne debebat in Capsa remanere, prout remansit augmentum, præsertim cum Attilio vti Ministro principali nō esset interdicta clauis eiusdem Capsæ, quod cū factum nō fuerit, vrget eadem præsumptio contra Attilium, quod superextantes penes se retinuerit. Non obstat, quod alij participes soluebant, & exigebant, & manus in Capsa ponebāt, & scribebant, à quibus residuum deficiens potuit leuari, & subtrahi, & pro quibus Attilius non tenetur. Quia visum est Dominis admodum inuerisimile, & difficile, quod eadem summa deficiens punctualiter subtraheretur, & quod de Anno 1597. 1599. 1600. 1601. pars tantum ab erroribus detecta deficiat, de Anno autem 1598. in quo nō datur augmentum Capsæ nihil deficere videatur, quæ omnia poterant esse nota, nisi Attilio Regulatori librorum. Et ita &c.

REVERENDISSIMO P. D.

DAMASCENO.

Romana de Marescottis. Lunæ 14. Decembris 1615.

ARGVMENTVM.

Hæres non debet immitti in possessionem bonorum defuncti, vbi testamentum est nullum preteritione filiæ, etiam stante statuto feminarum exclusiuo, quando in eodem testamento non fuerunt instituti masculi quorum fauore fit exclusiuo, & an hoc casu sufficiat institutio dd. masculorum in parte.

SVMMARIVM.

Hæres debet immitti in possessionem bonorum defuncti, vbi testamentum non est abolitum neque cancellatum. nu. 1.

Fallit vbi testamentum est nullum. nu. 1.

Limita fall. non procedere vbi vitium est inuisibile, nisi tamen in continenti probetur, & fiat visibile per euidentiam rei. nu.3.

Nullum quod est, non debet parere aliquem effectum. nu.1.

Exceptio quæ in continenti docet de non iure agentis admittitur in quolibet iudicio exequutiuo, & priuilegiato. n.1.

In dolo dicitur qui petit, quod statim restituturus est. nu.1.

Circuitus inanes lex abhorret. nu.1. Vbi maxime inter consanguineos.

Testamentum in quo filiæ fuerunt præteritæ est nullum. nu. secundo.

Vbi referuntur hinc inde tenentes circa id an requiratur ad hunc effectum, quod persona præterita det de nullitate.

Fallit stante statuto excludente feminas. nu.4.

Intellige procedere dummodo fuerint instituti illi quorum fauore statutum fœminas excludit. num.5. Vbi quod non sufficit, quod fuerint in aliquo tantum instituti.

Statutum Vrb. excludens feminas propter masculos non excludit illas simpliciter, sed causatiue, idest ad fauorem agnationis. nu.4

Statuentium mens ex modo loquendi dignoscitur. nu. 5.

DECISIO DCCLXX.

1 ROta censuit non esse dandam immissionem D. Pyrrho hæredi instituto à D. Iulia sorore sua, nam & si habeat regulam pro se, stante testamento dictæ Iuliæ non abolito, neque cancellato iuxta not. *in leg. finali. Cod. de edicto Diui Adrian. tollend.* attamen

attamen ab hac regula, visum fuit posse recedi ob euidentem nullitatem prædicti testamenti, quandoquidem quod euidenter est nullum, nõ debet aliquẽ posse parere effectum, *cap. non præstat. de reg. iur. in 6. cap. vides 10. distinctio. & in hac facti specie. Bero. consil. 118. num. 26. & 33. cum duobus seqq. libr. 2.* & in quolibet iudicio etiam exequutiuo, & priuilegiato obstat exceptio, quæ incontinenti docet de non iure agentis, & non videtur carere dolo, qui petit, quod statim restituturus est *l. dolo. ff. de dolo mal. & met. except. l. 1. in principio. ff. quorum legat. Bart. in l. si socer. §. Lucius, num. 2. ff. solut. matr. Et lex abhorret inanes circuitus. Clem. auditor, de rescript. Bald. consil. 100. vers. finem libr. 4. Tiraquel. de retract. conuent. ad finem titul. numer. 61. Afflict. decis. 8. num. 4. ad finem. Dec. cons. 408. num. 8.* maxime inter sanguine coniunctos, inter quos debet procedi de bono & æquo, plus quam inter alios. *Ancharan. cons. 159. incipit rationes, numer. 1. vers. 1. hoc colligitur Blanch. de compromiss. q. 1. sub nu. 3. vers. contraria opinio,* & inter illos debent, licet quanto citius terminari, vnde emanarunt tot statuta per vniuersam Italium de faciendis compromissis inter consanguineos.

2 Quod autem testamentum Iuliæ fuerit euidenter nullum, patet, quia ipsa (vt patet ex lectura testamenti) præteriit Beatricem, & Helenam filias suas legitimas & naturales, vnde testamentum remanet nullum *l. fin. ff. de lib. & posthum. §. aliud quoque Capitulum Authent. vt cum de appell. cognosc.* & licet aliqui Doctores voluerint, quod testamentum tali casu minime sit nullum, sed ita demum, si filius præteritus dederit de nullitate, ita *gloss. in leg. filio præterito. in verbo tuebitur. ff. de iniust. rup. testam. Ias. in l. posthumo, numer. 23. vbi de commune C. de bonorum possess. contr. tabul. Imol. in leg. filio præterito, num. 3. vers. item nota argumentum, ff. de iniusto rup. testam.* Rota in Sutrina Successionis 15. Maij 1604. coram me. Attamen non desunt contrarium sentientes, nempe, *Alex. in d. l. posthumo. numer. 16. in fine. qui de communi. Dec. ibidem, num. 9. vbi dicit hanc esse veram opinionem. Angel. in dict. l. filio præterito, num. 5, versic. prima,* est quod testamentum, vbi dicit hanc esse veram, & communem, *Gomez. variar. resol. tom. 1. cap. 11. vers. 1. est. vbi dicit communiter reprobari glossam in d. filio præterito, & alias, Imol. in dicta leg. filio præterito, num. 52. vers. 2. fuit opinio,* dicit contrariam opinionem non esse bonam *Gabriel. de Benedictis in in cap. Raynutius, par. 1. verb. in eod. testamento relinquens primo, numer. 93. cum tribus seqq. vbi de commuui Angel. Aret. consil. 103. nu. 33.* attestatur de communi. Sed cessare visa fuit omnis difficultas, quia Helena altera de dictis filiabus iam fuit admissa ad causam, & dat de huiusmodi nullitate.

3 Non obstat, quod hoc sit vitium inuisibile, quod non solet impedire imm issionem in remedio *leg. fin. C. de edicto Diui Adr. toll.* ex allegatis, quia fuit responsum, hoc posse habere locum, quotiescumque vitium eget altiori indagine, sed quando in continenti probatur hoc vitium etiam inuisibile debere admitti quia fit visibile per euidentiam rei, & in quolibet iudicio admittitur exceptio incontinenti probata, & vitatio inanis circuitus, & subitaneæ restitutionis ex supra allegat. Nec mouit Dominos quod de filiatione prædictarum mulierum non constet in actis, nam præter quod, stante testamento Alphonsi mariti prædictæ Iuliæ, quo nititur Do. Pyrrhus, testibus ob temporis angustiam ad perpetuam rei memoriam examinatis, & aliis circumstantiis, non deficit totalis probatio in actis, Domini in familia nobili habuerunt rem pro notoria, & crediderunt Do. Pyrrhum non esse negaturum filiationem propriarum nepotum.

4 Circa illud, quod prædictæ feminæ sint exclusæ per Statutum Vrbis *cap. 141. & 145. libr. 1.* vnde non possint allegare nullitate testamenti, ex allegatis, fuit recensum, statutum non excludere simpliciter feminas, sed causatiue, hoc est ad fauorem agnationis, vt patet ex dicto Statuto capite 141. ibi, nec possint aliquid petere ab hæredibus patris, vel aui de agnatione etiam transuersali, vt in Statuto dicto cap. 145. ibi, si quis decesserit intestatus relictis filiis masculis seu filio, vel nepote ex filio masculo sibi premortuo &c. & infra, ibi, dummodo frater germanus, siue patruus, &c. & quod statutum emanauerit ad fauorem tantum agnationis censuit Rota in decisione 142. *par. secunda, numero tertio, diuers.* cum aliis cumulatis in Romana Supplemento Legitimæ 28. Iunii 1613. coram me.

5 Cum igitur in proposito minime fuerint instituti illi, ad quorum fauorem emanauit statutum, debet cessare dispositio dicti statuti arguendo à cessante causa capite cum cessante in principio de appellat. plene not. *Tiraquell. in tract. cessante caus. in princ. numero 11. & 12. & tenuit in specie Rota apud Seraphin. dec. 885. num. 1.* & de magis commune, & veram post plures relatos testat. *Crass. in §. testamentũ. q. 36. n. 8.* quod cẽsuit Rota procedere etiã si filij masculi, prout in hoc casu fuerint in aliquo instituti, quia statuta nõ emanarunt pro conseruando in agnatione vnã tantũ partẽ bonorum. puta, legitimam, sed pro conseruandis omnibus bonis, quod probatur tam ex modo indistincto loquendi, quo vtitur statutum, quod denotat mentem statuentium indistinctam, ad *l. de pretio. ff. de public. l. secunda. §. conuenire. ff. de iudic. cum similibus.* quam ex ratione, quia non potest imaginari ratio, qua re Statuentes voluerunt excludere feminas propter extraneos non agnatos, vel etiam à parte bonorum paternorũ, & ita in puncto de testamento, in quo filij masculi fuerũt instituti in legitima, quod filia præterita potuerit rumpere testamentum tenuit Rota apud Seraph. in dicta decis. 885. nu. 1.

REVERENDISSIMO. P. D.

DAMASCENO.

Romana de Marescottis. Lunæ 14. Decembris 1615.

ARGVMENTVM.

Acquirens ex aliena pecunia non acquirit sibi, vbi erga dominum pecuniẽ recognouit bonam fidem, & quando declarauit in re acquisita habere nudum nomen. Item reseruatio dispositionis officiorum, & locorum montium emptorum in personam alterius denotat dominium apud reseruantem.

SVMMARIVM.

Instrumenta faciunt probationem probatam, & rem indubitatam. num. 1.

Reseruatio dispositionis in locis montium, seu officijs super vita alicuius emptis denotat dominium apud ipsum reseruantem. nu. 2.

Nequitia ex aliena pecunia sunt eius cuius est pecunia, quando acquirens erga ipsum recognouit bonam fidem. numero 3.

Prohibitus contrahere sine solennitatibus potest sine illis confiteri, quando pro confessione concurrunt adminicula. numero 4.

Mulier quicquid acquirit præsumitur acquirere ex bonis mariti, nu. 4.

Acquirens ex aliena pecunia sibi acquirit, nu. 5.

Fallit vbi acquirens declarauit se in re acquisita habere nudum nomen, nu. 5.

DECISIO DCCLXXI.

1 Stante mandato relaxato ad fauorem DD. de Marescottis pro immissione in bonis quondam Alphonsi: Dubitaui, quæ essent bona Alphonsi in quibus dictum mandatum esset exequutioni demandandum. Et in primis fuit dictum exequutionem esse faciendam super censibus creatis, & cantantibus in personam, & sub nomine prædicti Domini Alphonsi de quibus *in Summario DD. de Marescottis nu. 2.* Etenim super istis adsunt publica instrumenta quæ faciunt probationem probatam, & rem indubitatam *cap. cum dilecti. de fide instrum. Dec. cons. 682. nu. 2. & seq. Surd. dec. 177. num. 4.* & fuit dictum in Romana Affictus. 27. Ianuarij 1612. coram R. P. D. Caualerio.

2 Secundo fuit dictum faciendam esse exequutionem super Societatibus officiorum, & locis Montium, de quibus eodem Summario, nu. 3. licet enim cantent in personam Iuliæ vxoris dicti Alphonsi, attamen cum illorum dispositio reperiatur reseruata, vel ipsi Alphonso, vel M. Antonio patri, & auo, respectiue istorum de Marescottis non potest dici, quod fuerint in bonis Iuliæ, sed in bonis ipsorum reseruatariorum, quando quidem talis reseruatio denotat dominium apud ipsum reseruantem, vt sæpius tenuit *Rota nempe inter diuers. impress. dec. 262. par. 1. & apud Card. Seraph. dec. 1303. nu. 11. & alias.*

3 Tertio fuit dictum esse faciendam exequutionem in censibus, & societatibus officiorum, de quibus in *Summario DD. de Marescottis, n. 4.* nam & si cantent sub nomine D. Iuliæ, nihilominus ipsa cum solennitatib. statutarijs recognouit bonam fidem erga maritum, vt eodem *Summario, nu. 5. ad Bald. in l. multum interest, nu. 3. C. si quis alteri, vel sibi.*

4 Quarto fuit dictum esse faciendam exequutionem super alijs bonis contentis eodem Summario nu. 6. super quibus prędicta Iulia pariter recognouit bonam fidem, vt eodem *Summario, nu. 7.* licet enim prædicta recognitio minime facta fuerit cum solennitatibus requisitis per Statutum Vrbis in contract. mulier. nihilominus existimauerunt Domini hoc non afficere omissa enim quæstione, an prohibitus contrahere sine certis solennitatibus, possit sine illis confiteri, de quo per allegatos hinc inde, cessare visa fuit omnis difficultas, quin pro confessione concurrunt adminicula, tunc enim sine dubio probare confessionem sine solennitatibus dixerunt Domini ex *dec. Achil. 1. de confess. & Card. Seraph. 1643. bene Gabr. cons. 51. in fine lib. 2.* in proposito etiam casu concurrit maximum adminiculum pro dicta confessione continente, quod acquisitiones essent factę de pecunijs mariti, & quod ipsa habuerit tantum nudum nomen, nempe quia honestę mulieres, qualis erat Domina Iulia non prę sumuntur habere aliunde, quam ex bonis mariti iuxta plene notata per Scribentes *in l. Quintus Mutius. ff. de donat. & per Alciat. de præsumpt. reg. 3. præsumpt. 26. num. 1.*

5 Nec facit, quod etiam attenta hæc lectura nihilominus acquisitiones remanent ipsius Iuliæ existente ipsa solum debitrice pecuniarum erga maritum, & illius hæreditatem, cum acquirens ex aliena pecunia sibi acquirat. *l. si ex ea pecunia. C. de rei vendic. l. 1. C. si quis alteri, vel sibi.* Atq; hinc infertur non posse dari immissionem super prædictis bonis, cum remaneant in hæreditate Iuliæ non autem Domini Alphonsi, de qua nunc agitur, quia fuit responsum obiectum potuisse habere locum, si Iulia simpliciter declarasset se acquisiuisse de pecunijs mariti, sed cum vlterius dixerit, se in rebus acquisitis habuisse, & habere nudum nomen, satis apparet, ipsam non sibi, sed marito voluisse acquirere, siue acquiri, & eius nomen fuisse simulate appositum, *iux. Bal. d. l. multũ interest. n. 3. &c.*

DECISIO DCCLXXII.

Colimbricen. Matrimonij. Lunæ 14. Decembris 1615.

Impressa Apud Buratto.

DECISIO 143.

DECISIO DCCLXXIII.

Romana Fructuum. Veneris 18. Decembris 1615

Impressa Apud Buratto.

DECISIO 144.

REVEREN. P. DOMINO DAMASCENO.

Parmen. Status. Lunæ 11. Ianuarij 1616.

ARGVMENTVM.

Testis dubitatiue de tempore deponens, non probat tempus, & quicquid de eo postea dicat non probat, & quando deponit cum dictione in circa, vel simili, potest fieri diminutio sextæ partis. Item quando testis deponens de iudicio suo probet, & plura alia adducuntur circa concordiam testium.

SVMMARIVM.

Interpretatio, per quam destruitur, siue laceratur dictum testis appellatur destructiua, siue laceratiua probationum num. 1.

Testium dicta debent coadiuuari, benigne interpretari, & concordari cum alijs probationibus. nu. 1. Vbi maximè, quando concordant in dicto principali.

Testis contra inducentem dicitur omni exceptione maior, & debet contra eum late interpretari. nu. 2.

Testium verba impropriantur, vt probationes inter se concordent. nu. 3.

Testis, qui non recordatur de anno, dicitur non recordari de tempore. nu. 4.

Testis, quando ab initio dixit se non recordari de tempore, quicquid postea dicat circa tempus, attendi non debet. n. 4. & nu. 8.

Testis dictum recipit interpretationem à verisimilitudine. num. 4.

Obliuio præsumitur post decem, vel viginti annos in sene. num. 4.

Tempus facile excidit de memoria. nu. 4.

Testis, qui deponit de iudicio suo, non probat saltem ad effectum ne sit contestis cum alijs. nu. 5. Vbi de teste deponente de iudicio suo super tempore.

Contra vero, quod quando testis præmittit sensum corporis, & postea circa tempus deponit de iudicio suo probet. nu. quinto.

Dic verum ad effectum, vt testis probet, & non vitietur circa factum depositum per sensum corporis, sed non ad effectum, vt testis probet, etiam tempus, de quo deposuit de iudicio suo. nu. 5.

Testis, vt non probet, sufficit, quod vtatur verbis, quæ possit referri ad simplicem opinationem suam. nu. 5.

Dictio-

Dictiones in circa parum plus, vel minus, denotat incertitudinem, nu.6.
Dictio in circa operatur, vt possit fieri diminutio sextæ partis temporis expressi. nu.6.
Gratia saluatur ab obreptione etiam si sit erratum in sexta parte, num.6.
Dictio modicum aliquando verificatur in quarta parte, numero 6.
Quæ singula non prosunt, iuncta iuuant, nu.7.
Articuli nihil certi continere dicuntur quando habent clausulam, non se astringens, nu.8.
Articuli formati à procuratore non informato possunt per principalem, etiam non docto de errore, reuocari, numero 9.

DECISIO. DCCLXXIV.

PLacuit DD. ex magna benignitate iterum audire DD. de Rangonibus super depositione Presbyteri Baptistæ, & pro maiori parte steterunt in pluries decisis, quod scilicet prædictus testis non probet aliquod certum tempus, saltem quod excludat annum 1508. & pro fundamento fuit, sicut alias ponderatum, quod tantum est interpretari, quod prædictus testis, dum dicit, se fuisse præsentem in Castro Varani, vbi Bernardinus desponsauit Catherinam percutiat annum 1503. vel per duos, & tres annos ante, vel post vt prætendunt DD. de Rangonibus quantum dicere, hic testis nihil probat, etenim DD. de Rangonibus non admittunt fuisse contractum aliquod matrimonium de illo tempore, ita vt in eo possit verificari dictum testis, sed ideo petunt interpretari, quod testis percutiat illud tempus, ne alias possit coniugi cum mandato de dispensando de dispensando obtento de anno 1508. sicut illum alias coniunxit, Rota ad firmandum, quod fuerit contractum matrimonium inter prædictos Bernardinum, & Catherinam.

1 Hæc autem interpretatio, quæ appellatur destructiua, siue laceratiua probationum, vt per *Bald. consil. 25. num.2. lib.3. Crauett. consil.41. num.2. Roland. consilio 95. num.20. lib. 4.* habet contra se omnes iuris regulas per quas iubemur testes adiuuare, *Alex. consil.5. num. 12. lib.1. Decius consil. 100. num.3. Roland. à Vall. consil.33. num.14. lib.2. benigne interpretari. Bald. post Cyn. in l. ab hostibus, §. sed quod enim. 4. ff. ex quibus causis maior. supplere, vt probent. Alex. post Bart. cons.43. num.35. libr. 5.* & signanter concordare cum alijs probationibus, quantum fieri potest. *Cæsar. de Grassis decis.5. num.23. de sponsal.* maxime quando concordant in dicto principali, quia facilius reducuntur ad concordiam accessorio. *Alex. post Imol. in consil.149. num.10. versic. & talis est. libr.5.*

2 Vlterius ponderabatur, quod prædictus testis fuit examinatus per ipsomet Rangonos. Vnde respectu illorum est omni exceptione maior, & debet quanto latius fieri potest, contra eos interpretari. *Socin. sen. cons.243. sub num.3. versic. vnde d. testium lib. 2. Socin. iun. cons.69. num.11. & 12. lib.1. Alex. cons 143. num.10. lib.5.* Rota in Vercellen. Canonicatus 4. Maij 1598. coram bon. mem. Penia.

3 Ex prædictis inferebatur, quod si testis præcise, & per verba, quæ per necesse importent, non excludit annum 1508. esse assumendam omnem interpretationem, ne dictum annum excludat, & ad idem bene facere. *Verall. dec.247. num.9. & 10. par. 3.* quin amplius ad concordandas inter se probationes, datur pro regula, vt verba testis aliqualiter improprientur. *Abbas in c. cum tu. num.3. vers. & ex his habes. Imol. num.5. vers. quandoque. Felin. nu.11. vers. datur alius modus de testib.*

4 Difficultas igitur fuit restricta, vt videretur, an testis per necesse excludat annum 1508. & pro negatiua, sicut alias fuit tentum, quia interrogatus de anno 1533. mense Nouembris, an ipse testis interfuit, quando Domina Catherina fuit desponsata cum Domino Bernardino, & dicat in quo loco eam desponsauit, & quantum tempus est, quod illam desponsauit, & dicat præcise annum, si dixerit se non recordari de anno, quo fuit desponsata, dicat iudicio ipsius quantum tempus potest esse, & videat bene, ne dicat mendacium, & cuius ætatis esset ipse testis respondit, quod fuit præsens in Castro Varani, vbi Bernardinus desponsauit Catherinam, & duxit eam in vxorem, & testis non præcise recordatur de anno, tamen iudicio ipsius testis sunt triginta anni, vel circa, parum plus vel minus, & tunc testis fuit ætatis circa triginta annorum, in primis ex illis verbis, non præcise recordatur de anno, colligebatur, testem non fuisse recordatum de tempore in puncto de teste non recordante de anno arguit *Bart. in l. de ætate. num. 7. vers. interrogato de anno. ff. de minor. Natt. cons.53. num.3. vers. de anno præcise non recordatur.* Vnde quicquid dicat testis postea circa tempus, tanquam de anno non recordante minime esse attendendum. *Angel. cons.25. nu.3. in fin. Alex. cons.65. num.4. libr. 2. Surdus cons. 43. in fin. & licet Bart. in d. l. de ætate, nu.7. de minor.* saluet dictum testis, quod intelligitur, vt non recordetur de millesimo. Attamen Bartol. loquitur ad effectum saluandi testem, vt patet, ibi, in vers. nam dicta testium & proinde non recedit à superiori dicto, quando, vt in proposito casu, agitur de destruendo dicto testis, & illo separando ab alijs probationibus, quia tali casu sufficit, quod verba sint æquiuoca, & possint intelligi, quod testis non recordetur de initio temporis, per regula sup. in princip. firmatas, quibus adminiculatur magna verisimilitudo, à qua recipit interpretationem dictum testis. *Socin. sen. cons.253. in princ. vers. quod in casu nostro. Federic. de Sen. cons.185. in principio. Anchar. consil.385. num.6.* etenim maxime verisimilis est obliuio in teste sene post decem, & multo magis post viginti annos, *Socin. consil.39. num.17. vers. nam per decennium, lib.1. Castr. cons.285. sub num. 2. vers. non ergo censetur,* maxime circa tempus, quod facile excidit de memoria, latè *Card. cons.56. num.9. in princip.* ponderando etiam, quod testis non fuit locutus sponte, & per premeditatum sermonem, sed ex improuiso, & coactus per vim interrogatoriorum.

5 Secundo, fuit consideratum, quod testis circa tempus deponit de iudicio suo, ibi, iudicio suo sunt triginta anni, testis enim, qui iudicat, non probat, saltem ad effectum, ne sit contestis, cum aliis, vt in specie de teste deponente super tempore de iudicio, suo vel de suo videri. *Card. cons.56. num. 1. versic. tertius, autem testis. Alex. cons.156. num.11. & 12. libr.5. Crauett. cons.78. num.9. versic. amplius Natta. cons. 315. numer.9. vers. interrogatus de tempore Ruin. cons.12. num.14. libr. 5. Socin. iun. cons.31. num.31. lib.2. & licet Bart. in leg. quid tamen. §. si arbiter. num.3. ff. de recept. arbitr.* concludat, quod quando testis præmittit sensum corporis, licet postea deponat circa tempus de suo videri, probet, & in hoc casu testis præmittit sensum corporis, quia dixit, se fuisse præsentem, &c. postea circa tempus deposuit de iudicio suo. Attamen Bart. loquitur ad effectum, vt testis probet, & non vitietur circa factum depositum, per sensum corporis, sed non propterea dicit, quod testis, probet etiam tempus, de quo deposuit per verbum sibi videtur, vt animaduertit, *Cardin. dict. consilio quinquagesimo sexto, numero decimo, versicul. quod tamen dictum intelligo verum, &c. Aretin. in capite quoties, numero vigesimo quarto,* vbi allegat satis concludentem rationem, nempe quod vt testis non probet, sufficit, quod vtatur verbis, quæ possint referri ad simplicem opinationem suam, ad quam simplicem opinationem sine dubio possunt referri illa verba iudicio meo, sequitur

Aretin. Felin. num. 12. de restit. & vtcumque sit. Bartol. loquitur ad effectum saluandi dictum testis, & vt probet, non autem ad effectum illum destruendi reddendo illum singularem, vt est casus, de quo agitur inter quos effectus est magna differentia, vt supra demonstratum est.

6 Tertio, aduerterunt DD. alias dictiones dubitatiuas, quibus vtitur testis ibi 30. anni, vel circa, parum plus, vel minus, quæ omnes arguunt incertitudinem vt de dictione circa. *Natt. post Bart. consil. 53. num. 3. versic. præterea, libr. 1. Butr. in cap. final. in fin. de despon. impub. Corn. consil. 73. numer. 4. libr. 3. & de dictione plus, Bald. post Iacob. de Aret. in l. ab hostibus. §. sed quod num. 3, in fin. ff. de quibus ex causis maior. Cæsar. de Grassis decision. 7. num. 3. de præbend.* & quatenus reducatur ad aliquam certitudinem, hoc erit faciendum cum latitudine, vt de hac dictione circa, quod possit diminui sexta pars temporis expressi tenuit Rota in causa Meliten. Parochialis Sancti Nicolai de Visano 22. Iunij 1572. in Miscellaneis coram *Verall. sub num. 85. vel 86. Tricaricen.* Territorij. 8. Maij 1596. coram bonæ memoriæ Cardinale Pamphilio, & in Papien. Matrimonij 17. Maij 1596. coram bonæ memoriæ Cardinali Mantica, & videmus in simili, quod gratia saluatur ab obreptione, etiam si sit erratum in sexta parta parte. Rota in Calaguritana Archiepiscopatus 20. Maij 1584. & 17. Iunij 1585. coram bonæ memoriæ Gipsio, & in Casalen. Parochialis coram bonæ memor. Orano 17. Maij 1592. & de dictione, modicum, quæ videtur idem cum dictione parũ minus, quod aliquando verificetur, in quarta parte *per l. si quis in suo. C. de inofficioso testamento. gloss. in l. pupillum, ff. de reg. iur. & in §. pupillus. instit. de inutil. stipul. Corn. cons. 179. num. 4. & 5. lib. 3.* quæ interpretatio sufficit DD. de Pallauicinis, cum inter annum 1503. & annum 1508. non intrent nisi quinque anni, qui faciunt sextam partem 30. annorum, de quibus loquitur testis. Quarto loco, vltra præsumptionem obliuionis, & improuisæ interrogationis, de quibus supra, fuerunt considerata nonnulla adminicula, nempe, quia Stephanus de Caballis testis examinatus pro parte DD. de Rangonibus, deponit, testem, de quo agitur, sibi dixisse, quod Bernardinus antequam desponsaret Catherinam, obtinuit dispensationem à Sede Apostolica signum euidens, quod testis intellexit de matrimonio post dispensationem. Secundo fuit consideratus solitus modus loquendi istius testis, qui iux. 27. interrogatorium loquendo de conductione Catherinæ, dixit, se non recordari præcise de tempore, saluo quod iudicio suo sunt vltra quadraginta anni, & ipse testis, tunc poterat esse annorum 16. vel circa, & propterea, cum fuerit examinatus de anno 1533. ipse secundum hanc dinumerationem natus esset de anno 1477. quia tot remanent detrahendo annos 40. conductionis Catherinæ, & postea 16. suæ ætatis, & nihilominus testis natus fuit de anno 1472. vt ipse alias deposuit super tertio interrogatorio, & si erat, vel dilatantur eius dictiones dubitatiuæ, etiam super propria ætate, in quinque annis.

7 Postremo, quicquid dicendum esset de singulis dictionibus dubitatiuis, supra ponderatis, cum omnes tendant ad idem, videbatur ex omnibus simul iunctis posse concludi, quod testis non firmet certum tempus, saltem quod excludat annum 1508. arguendo à regula, quæ singula non prosunt cumulata iuuant, de qua latè per *Gabriel. titul. de probat. conclus. 1. numer. 1. per totum.*

8 Quantum ad illud, quod interpretatio, quod testis percutiat annum 1503. concordat cum ætate, quam tunc testis dicit se habuisse, nempe triginta annorum cum esset natus del 1472. vt supra dictum est, fuit responsum, in primis, quod attenta lectura, quod testes præmiserit se non recordari de tempore, quicquid postea dicit circa tempus, non attenditur ex *Angel. cons. 25. num. 3. cum aliis supra allegatis.*

Secundo, quod testis non deponit præcise se fuisse triginta annorum, sed cum dictione, circa, quæ de sui natura recipit latitudinem, vt supra dictum est, maxime arguendo à solito testis, qui alias in ista dictione in circa, errauit in quinque annis suæ ætatis, vt supra demonstratum est.

9 Quo vero ad aliud obiectum de articulis datis per Dominos de Pallauicinos concludentibus de diuerso tempore, fuit responsum, in primis hoc nihil habere commune cum teste, potest enim esse, quod testis cantet vno modo, & articulus Pallauicinorum, qui testem non induxerunt alio modo, secundo, articuli nihil certi continent, cum habeant clausulam non se astringens, &c. *Imol. consil. 102. nu. 1. Grammat. cons. crimin. 19. num. 1.* tertio demum quicquid dicant illi articuli, formati à procuratoribus non informatis tempore quo Pallauicini erant minores, potuisse à principalibus etiam non docto de errore reuocari. *Rot. dec. 19. de proc. in nouis*, & in Benuentana Census 16. Decembris 1594. coram bonæ memoriæ Cardin. Pamphilio prout in effectu fuerunt reuocati, &c.

R. P. D. MANZANEDO.

Romana Saluiani Interdicti. Lunæ 11. Ianuarij 1616.

ARGVMENTVM.

Plures enumerantur casus, in quibus obligatio mulieris valida est, non obstante authen. si qua mulier. C. ad Velleian.

SVMMARIVM.

Secundum extremum in Saluiano probatur ex sustentatione litis, nu. 1.

Saluianum habet locum probatis duobus extremis, n. 1.

Vxor vbi se obligat insimul cum viro, licet se principaliter obliget, censetur se obligare fideiussorio nomine, nisi manifeste probetur, quod pecuniæ in propriam ipsius mulieris vtilitatem conuersæ sint, nu. 2.

Declara id habere in locum in obligatione omnino voluntaria, quam facit vxor pro marito, non autem in obligatione facta ad subleuandum maritum magno ære alieno grauatum, & pro eum liberando à carceribus, ac pro alijs indigentijs domus, nu. 3. & nu. 4. Vbi quod idem est, si periculum carcerationis immineat.

Vxor de iure tenetur subuenire inopiæ mariti, nu. 3.

Vxoris obligatio super bonis dotalibus sustinetur, vbi ipsa non remanet penitus indotata, nu. 5.

Obligatio mulieris cum iuramento, valida est, nu. 6. Vbi maxime stante decreto iudicis, & consensu propinquorum.

Obligatio mulieris valida est, vbi cum iuramento renunciauit. authen. si qua mulier. C. ad Velleian. num. 7.

Renunciare iuri suo nemo præsumitur, nisi expresse. nu. 8.

DECISIO DCCLXXV.

1 DOmini censuerunt esse locum Saluiano. Nam de primo extremo, nempe de credito cum hypotheca Dominorum de Fabio, & Petronio constat ex impositione census facta per Domin. Olympiam super rebus propriis cum decreto iudicis, & alijs solennitatibus Stat. *Vrbis lib. 1. c. 151.* Et de secundo ex sustentatione litis. *Caputaq. dec. 372. p. 2. Quib. stantib. intrat Saluianum. Negusan. de pign. 1. membr. 8. p. n. 6. Rolan. cons. 14. nu. 13. lib. 1. cum alijs relatis à Contard. in leg. vnic. limit. 14. nu. 10. C. si de moment. poss. Put. decision. 207. numer. 2. lib. 1.*

2 Neque obstare videbatur, quod Olympia censum im-

imposuerit vna cum eius viro, quo casu licet se principaliter obligauerit, tamen censetur pro illo intercedere, & obligatio non sustinetur, nisi manifeste probetur, quod pecuniæ in propriam ipsius Mulieris vtilitatem expensæ, sint iuxt. *text. in Authen. si qua mulier, C. ad Velleian. Surd. decis. 164. num. 11. Honded. plures referens, cons. 45. num. 16. & seq. lib. 1.*

3 Fuit enim responsum, dictam Auth. non habere locum in casu nostro, quia procedit in obligatione omnino voluntaria, quam facit vxor pro marito, non autem in obligatione facta ad subleuandum maritum magno ære alieno grauatum, & pro eum liberando à carceribus, ac pro alijs indigentijs domus, *Rimindald. sen. consil. 77. num. 16. volum. 1. post Bald. consil. 20. in fin. volum. 2. Surd. consi. 367. num. 14. Franch. decis. 237. num. 3. Thesaur. decis. 223. nu. 15. Tiraquel. de legib. connubial. glos. 8. num. 285. Lamberteng. de contrac. mulier. glos. 10. num. 25.* & fuit dictum in vna Roman. Nullitatis obligationis 28. Februarij 1611. coram Reuerendiss. Attrebaten. Hanc enim obligationem videtur facere ex quadam necessitate, & lege permittente, cum de iure vxor teneatur subuenire inopiæ mariti, *l. 1. & Auth. præterea. C. vnde vir, & vxor. & l. si cum dotem. §. sin autem in sæuissimo. ff. solu. matrimon. Bald. cons. 478. circa fi. vol. 5. Natt. consil. 547. nu. 19. Decian. consi. 84. num. 29. vol. 4. Surd. decis. 86. num. 6. & seq.*

4 Et licet maritus de tempore obligationis non esset in carceribus detentus, tamen sat est ad hunc effectũ, quod immineret periculum carcerationis ob paratam executionem Cameralis obligationis, qua suis creditoribus adstrictus reperiebatur. *Rimin. dicto cons. 77. num. 16. & seq. Surd. dicto consi. 367. num. 18.*

5 Quæ facilius procedunt, quia D. Olympia censum imposuit super bonis non dotalibus, quo fit, vt eius obligatio sustineatur, cum non remaneat vllo modo indotata, *Thesaur. dicta decis. 223. num. 14. Seraphin. decis. 1187. numer. 2.* Et fuit dictum in Anconitan. dotis 28. Iunij 1602. coram Illustriss. Mellino, & in Roman. Saluiani interdicti 15. Decemb. 1614. coram D. meo Pamphilio.

6 Vlterius dicebatur obligationem D. Olympiæ esse iuramento vallatam, & sic saltem de iure canonico sustineri, non obstante dispositione dictæ Authem. si qua mulier. iuxta *Castr. consil. 8. per totum, lib. 2. Boer. decisione 23. num. 9. versic.* Nisi iurauerint *Alexand. consi. 146. per totum, lib. 7. Seraph. de priuil. iurament. priuil. 118.* & hanc esse communem, & in praxi receptam testantur. *Afflict. decisio. 311. num. 4. Thessaur. dicta decisi. 223. num. 10. Gutierez de iuram. confirm. part. 1. c. 55 nu. 6. Surd. d. consil. 367. num. 13.* & illam tenuit Rota in vna Interamnen. Mercium 4. Iunij 1597. coram bon. mem. Penia, & in allegatis Anconitan. dotis coram Illustrissimo Mellino, & Romana Saluiani interdicti coram Domino meo Pamphilio. Accedente præsertim decreto iudicis, & consensu propinquorum, ex quibus metus, & dolus excluditur. Surd. vbi supra.

7 Et tandem omnis difficultas videbatur cessare ex eo, quod Domina Olympia certiorata de beneficio dictę Authenticæ, illi expresse, & cum particulari iuramento renunciauit, quo casu valida est renunciatio, & impugnari non potest, vt tradunt *Bertrand. consilio 218. per totum. lib. 4. Surd. dicto consil. 367. numer. 12. Thessaur. vbi supra. num. 18. Tiraquell. in l. si vnquam. in præfat. numer. 136. C. de reuoc. donat. Gomez. variar. resol. Tom. 2. cap. 13. num. 17. in fine. Seraphin. de priuileg. iuram. priuileg. 63. numero tertio. & sequent.* Minus obstat defectus iurisdictionis Rotæ per Olympiam oppositus ex eo, quod debitor census sit etiam Marcus Antonius maritus, cuius creditorum causę omnes fuerunt commissæ R. P. D. Raymundo per particulare Breue Sanctissimi.

8 Quia hodie non agitur contra Marcum Antonium, sed contra ipsam, quę in dicto Breui non est nominata, & contra quam causa reperitur in Rota commissa per particulare rescritum Sanctissimi. Et licet Domini de Fabio, & Petronio coram dicto Raymundo curauerint se describi inter alios creditores dicti Marci Antonij fideiussoris census, non tamen propterea sibi præiudicarunt, quin coram alio iudice competenti agere possint, contra Dominam Olympiam principalem, cum nemo præsumatur renunciare iuri suo, nisi id expresse faciat.

R. P. D. PIROVANO.

Florentina Pecuniariæ. Merc. 27. Ianuarij 1616.

ARGVMENTVM.

Statutum potest restringere minorem ætatem de iure communi annorum 25. & per statutum speciale non derogatur statuto generali Nec statutariæ solennitates requiruntur in minore, se obligante non ex proprio contractu, sed tanquam hæres patris.

SVMMARIVM.

Minor ætas de iure communi 25. annorum potest a statuto restringi. num. 1.

Statutum speciale non derogat alteri statuto generali. num. 2.

Minor potest se obligare etiam absque solennitatibus statutarijs, quando obligat se non ex proprio contractu, sed tanquam hæres patris. num. 3.

Confessio relatiua ad sententias non dicitur continere læsionem., nisi de iniustitia sententiæ constet. num. 4.

DECISIO DCCLXXVI.

1 FVit resolutum exceptionem minoris ætatis non obstare respectu quantitatis, de qua in laudo reseruando particulariter de residuo. Ratio decisionis deducta fuit ex statuto Florentiæ sub rubric. 115. in quo disponitur, quod ætas decem, & octo annorum Completorum cuiussibet sit, & esse intelligatur legitima ætas. Vnde cum ex fide baptismatis ab eodem D. Antonio Soderino producta appareat natus de anno 1564. 19. Septembris, obligatio vero de qua in apocha, legatur sub die 6. Martij 1584. satis conuincitur de tempore obligationis fuisse maioris ætatis, quam annorum 18. neque de potestate statuentium dubitari potest in restringendo tempora legitimę ętatis, quia hoc literæ affirmant. *Castr. in l. 1. num. 3. C. de his, qui ven. ætat. impetr.* loquens de hoc eodem statuto Florentino. *Salic. in l. 7. & l. 1. n. 2. C. eod. tit. Aret. instit. de curatorib. in princ. n. 4. Carpan. in consimili statuto Ciuitatis Mediolani, statut. 452. num. 7.*

2 Nec visum est obstare aliud statutum eiusdem Ciuitatis Florentiæ sub rubr. 15. in quo cauetur, quod pupilli existentes sub cura Magistratus pupillorum non possint obligare propria bona, etiam quod sint maiores decem, & octo annorum, nisi fuerint in vigesimo secundo eorum ætatis anno, quod tempus vere D. Soderinus iuxta præcedentem calculationem non attigerat. Quia cum huiusmodi statutum non sit derogatorium alterius supradicti, dum illud est generale, & hoc postremum speciale, & limitatiuum, ita vt non prohibeatur vtrumque valere, speciale namque in suo casu, generale vero in alijs casibus, vt post *Felin. Alex. Berous firmat. Honded. cons. 9. num. 19. & 44. lib. 2.* & fuit dictum in causa Camerinen. transactionis. 24. Maij 1606. coram Reuerendissimo Bononien.

3 Fuit respõsum nos versari in dispositionę prima statuti, cum D. Soderinus per obligationẽ vsque ad summam in laudo contentam, non præsumatur potuisse lædi, quia non incidit in obligationem ex proprio cõtratu

tractu, sed tanquam hæres patris, & ea de causa potuisset etiam absque statuto,& solennitate se obligare. *l.1.in fin.C.quando decreto opus non est. l.fin.C. de reb. eorum.Put.dec.105.num.2.par.1.& decis.153.num.2. par. 3.* Cessante autem læsione ex proprio contractu incurrenda, minor non ligatur ex verbis postremi statuti, & per consequens, neque per illius dispositionem *leg.4.§.toties. ff. de damn. infect.cum alijs allegatis per Surd. dec.174. nu.8.*

Non obstat læsionem potuisse contingere in fatendo euenisse casum euictionis,& quod interuenerint requisita,quod videtur esse fundamentum crediti Michelini. Quia neque huiusmodi confessio est nuda,vt videatur sine causa Dominus Soderinus suscepisse in se onus euictionis,sed est fundata in sententia, quæ condemnat Alexandrum patrem D. Antonij Francisci,& Franciscum de Michelinis ad relaxandum bona, & in laudo præsupponente tenutam subsequutam ob euictionem præcedentem, vt fuit ponderatum in decisione diei 13. Iunij 1612.ideo cõfessio tanquam relata ad sententias,non videtur continere læsionem,nisi de iniustitia sententiæ, & laudi constet, de qua hic vsque pro parte Domini Soderini non fuit ostensum,& ita fuit decisum.

DECISIO DCCLXXVII.

Iacen. Vicariæ. Veneris 29. Ianuarij 1616.

Impressa apud Buratto.

DECISIO 150.

R. P. D. PIROVANO.

Mediolanen. Fabricæ. Veneris 29. Ianuarij 1616.

ARGVMENTVM.

Successor in beneficio non tenetur ad restitutionem fructuum indebite perceptorum per illius prædecessorem, sed hæres prædecessoris, nisi probetur versio in euidentem vtilitatem Ecclesiæ, vel in subuentionem necessitatum prædecessoris.

SVMMARIVM.

Papæ potestas in beneficialibus absoluta est. nu. 1.
Fructus indebite percepti sunt restituendi. nu. 1.
Defectus causæ finalis vitiat actum. nu.1.
Successio in beneficijs non admittitur. nu.2.
Successor & Ecclesia non tenetur ad debita prædecessoris nisi debita probentur conuersa in vtilitatem Ecclesiæ, vel facta ob eiusdem prædecessoris necessitatem subueniendam. nu.2.
Hæres prædecessoris in beneficio non autem successor tenetur ad debita per prædecessorem contracta. nu.2.

DECISIO DCCLXXVIII.

PEr duas decisiones coram R.P.D. Vbaldo,fuit firmatum fructus Prioratus Caluenzani mensæ residentiali Canonicorum Ecclesiæ maioris Mediolani vnitos,ac pensionem Scutorum mille super Prioratu Miramundi,& fructus bonorum de Besate,quæ mensæ beneficiatorum officialium pariter vnita fuerunt, eosdemmet omnes fabricæ domorum Canonicorum pro tempore secundi quinquennij applicatos remansisse, vlterius tamen applicationem non durare, quæ fuit ratio, vt pro Beneficiatis pronunciaretur. Causa postmodum in gradu appellationis ad me deuoluta fabricerij, qui ex particulari rescripto Sanctiss. ad causam venerant pro eorum interesse, prætenderunt,neque Canonicos Ordinarios ,neque Beneficiatos Officiales intra secundum quinquennium potuisse in præiudicium Fabricæ subtrahere fructus Caluenzani, & Besati. Ideo eis instantibus proposui dubium. An fructus Caluenzani, Besati, & aliorum percepti per Canonicos, & Officiales intra secundum quinquennium, sint restituendi Fabricæ Canonicæ.

1 Super quo placuit Dominis resolutionem affirmatiuam capere,quia de applicatione pro secundo quinquennio non dubitatur,dum illa legitur in instrumẽto anni 1583. & in decisionibus allegatis confirmatur, facultas applicandi non etiam potest impugnari, cum auctoritate Apostolica facta fuerit, quæ suprema,& absoluta est in beneficialibus. *capit. licet. de præbend. in 6.Clem.1.in fin.vt lit.penden. Paris.cons.5. nu. 84.& cons.82.nu.22. lib.4.* nec etiam potest in dubium reuocari,quod illa facultas fuerit consumpta per applicationem auctoritate Apostolica factam mensæ residentiali Canonicorum, & Officialium respectiue de eodem Prioratu Caluenzani, pensione, & bonis Besati, quia legitur cum reseruatione facultatis eidẽ Sancto Carolo conuertendi dictos fructus, & pensionem in vsus sibimet beneuisos, & præcipue pro vsu Fabricæ. Ideo cum tam Canonici, quam Beneficiati Officiales omni prorsus facultate carentes subtraxerint fructus de tempore secundi quinquennij Fabricæ applicatos,inde sequitur,quod ab eis tanquã indebite percepti eidem Fabricæ sunt restituendi, prout sunt *text.aperti in l.1. l.quod indebitum.l.eleganter. ff.de condict. indebit.* & si per errorem fuissent subtracti existimantes proprio iure facere potuisse, non etiam iuuarentur, quia nihilominus vitiatur actus defectu causæ finalis. *Castr.in l.final.§.item quæsitum est. ff.de condict.indebit. Decius cons.600. num.7.* Transactio quoque emanata inter Canonicos, & Beneficiatos Officiales, vsque de anno 1585. ad effectum concorditer subtrahendi fructus,non etiam visa est obstare, tanquam absentibus fabricerijs celebrata, quæ illis præiudicare non potuit, ita vt quo ad hanc obligationem restituendi fructus perceptos res transibat sine difficultate. Sed respectu personarum hæsitabatur,cum pauci,tam Canonici, quam Beneficiati Officiales hodie viuant ex eis, qui de tempore secundi quinquennij fructus predictos indebite perceperũt.

2 Et in hac parte Domini censuerunt modernos non teneri, quia antiquorum successores non sunt, neq; esse possunt, cum in beneficijs non admittatur successio. *cap.1.& ibi Abbas.nu.5. de præbend.Conc.Trident. sess.25. de reform.cap.7.Rebuff.in prax.tit.de dispens.super defect.natal.nu.20. Achil.dec.1. de filijs presbyter.* neque habent causam à præcessoribus suis, & per consequens, nec ius, ideo nimirum si non tenentur ad debita antecessorum, ex quo ad illa Ecclesia non censetur obligata. cap.1. de solut. nisi exacta probentur conuersa in vtilitatem Ecclesiæ,vel eiusdem necessitatem subueniendam, quia tunc per versionem cohærent beneficio, & simultaneæ transeunt, & obligant successorem. *cap.præsenti.cum ibi notat.de offic.ordin.in 6.cap.grauis.de depos.in fine. Rot.in antiq. de probat. dec.41.nu.2. Abb.in cap.ex præsentium. nu.5. de pign. Put. dec. 11. lib.3.* quod in præsenti non iustificatur,propterea antiqui, & hæredes eorum, qui fructus perceperunt, & locupletati præsumuntur, non autem successores teneri videntur, prout fuit resolutum in causa Ferrarien.bonorum.27.Ianuarij hoc ipso mense coram Reuerendo P. D. Pamphilio. Et ita, &c.

RE-

R. P. D. PIROVANO.

Mediolanen. Pensionis, Lunæ 8. Februarij 1616.

ARGVMENTVM.

Mandatum speciale, & indiuiduum requiritur ad ponendum, & respondendum positionibus, & plura de effectu positionum.

SVMMARIVM.

Positiones non sunt admittendæ vbi non constat de speciali mandato illius, qui eas in actis dat, & alias reus respondere non cogitur. num. 1.
Positionis effectus est, vt is, qui ponit, quod ponit, confiteri dicatur. num. 1.
Confessio procuratoris illa duntaxat, satisfacit, quæ potest habere iuris effectum obligando Dominum. num. 2.
Confessio procuratoris voluntaria dicitur, quando procurator nullo iure cogente dat in actis positiones. num. 2.
Confessio procuratoris voluntaria non præiudicat. num. 2.
Positiones sunt dandæ ab ipsismet principalibus, vel procurator debet habere mandatum indiuiduum ad sic ponendum. num. 3.
Amplia idem esse in responsione ad positiones. num. 3.
Amplia secundo, quod non sufficiat mandatum speciale ad ponendum, sed debet esse indiuiduum ad certas positiones. num. 4. & 5. vbi ponitur ratio.
Positionum effectus est, vt ponens releuetur per confessionem, & responsionem aduersarij ab onere probandi. nu. 5. vbi quod confessio debet esse de veritate, non autem de credulitate.
Procurator non informatus de conscientia Domini non potest iurare de veritate, sed de credulitate ad euitandam præsumptionem calumniæ. num. 5.

DECISIO DCCLXXIX.

1 FVit resolutum, positiones non esse admittendas, quia procurator, qui eas dedit in actis non assecurauit esse veras cum specialissimo, & indiuiduo mandato Canonicorum suorum principalium ad ponendum materias in actis specificatas, & iurandum de veritate earum, prout necessarium est, vt exinde reus cogi possit ad respondendum. *cap. præsentium. de testib. lib. 6. gloss. in l. vnic. in verb. soluere. in fin. C. de confess. Bald. in cap. petractandis. num. 2. de iuramen. calumn. Ias. in l. indices. num. 7. C. de iud. & in l. possideri. num. 24. ff. de acquir. possess.* Est enim effectus positionis, vt is, qui ponit, quod ponit, confiteri dicatur. *glos. in cap. 1. in verbo statuimus. in fin. de confess. in 6. Alex. consi. 83. numer. 3. versic. pondero. lib. 1. & consil. 71. num. 4. vers. venio ad merita. lib. 3.*

2 Quælibet autem confessio non satisfacit, sed illa duntaxat, quæ potest habere iuris effectum obligando Dominum. Cotta in memor. incipit actus nullus. *Osasc. decis. Pedemont. 172. num. 26. Surd. consil. 3. num. 30. & sequentibus. volumine 1.* Ideo cum confessio procuratoris voluntaria sit, dum offert se, & ponit nullo iure cogente materias specificatas. *Ægid. decis. 694. in principio,* neque apta est ad obligandum principalem, neque illi præiudicare. *Bald. in l. 1. num. 30. C. de confess. Paris. consilio 47. num. 92. lib. 1. volumine 1. Aufrer. in addit. ad Cappell. Tholos. decis. 392. Honded. consil. 66. num. 72. volum. 1.*

3 Inde sequitur, quod vel positiones ab ipsismet principalibus sunt dandæ, vel procurator habere debet mandatum indiuiduum ad sic ponendum, vt sequatur effectus confessionis irreuocabilis, a lege desideratus. *Neuizan. in his terminis, consi. 7. num. 12.* Nec dissentiunt *Ferrar. in prax. Pap. in forma positionum actoris. c. 3. & add. ad Vestr. lib. 5. cap. 14. num. 16.* qui hoc ipsum admittunt, sed parte opponente contra procuratorem non instructum, de qua oppositione in præsenti non dubitatur, & per easdem rationes excluditur procurator ad respondendum positionibus, nisi simile mandatum indiuiduum habeat. *Bal. in l. fin. nume. 3. vers. cum enim habet mandatum. C. de procurator. Socin. sen. cons. 55. num. 8. vol. 1. Menoch. cons. 84. num. 64. lib. 1. Honded. consi. 66. num. 72. vol. 1.* qui omnes loquuntur in procuratore, qui admittendus non est ad respondendum, nisi cum mandato ad sic respondendum.

4 Nec visum est, sufficere mandatum procuratoris Canonicorum cum clausula ad ponendum, & iurandum, quia & si sit speciale, vt tenuit *Dec. in consil. 60. num. 1.* tamen non est indiuiduum ad certas positiones, prout requiritur, vt de conscientia sui Domini plene instructus dici possit, vt considerat. *Bald. in dicta l. finali. num. 3. C. de procur. Neuizan. dicto consil. 7. num. 13.* Vnde cum possit dubitari, ne Dominus postea reuersus dicat, se de hoc non intellexisse, & altera pars damnificetur, ideo requiritur, vt exprimatur specialiter in indiuiduo, vt voluit. *Bart. in l. filiusfamilias. num. 11. ff. de donat. & Tiraquell. de legibus connubial. gloss. 7. num. 12.*

5 Præterea si mandatum speciale, non autem specialissimum sufficeret, non sequeretur effectus ex positionibus desideratus, nempe, vt ponens releuetur per responsionem, & confessionem aduersarij, ab onere probandi. *cap. 1. Vbi glos. in præambulo, vers. pro intellectu.* ibi, & fuerunt inuentæ, *& in versicul. statuimus. versicul. fiunt autem positiones. de confess. in 6.* Quia cum prædicto mandato non posset procurator iurare de veritate, tanquam non informatus plene de conscientia Domini, sed de credulitate, ad euitandam presumptionem calumniæ. *gloss. mag. in fin. l. vnica. C. de confess.* & respondens non teneretur respondere de veritate, sed & ipse de credulitate. *cap. 2. de testibus. in 6. gloss. 1. in dicto cap. 1. versicul. & sunt in scriptis. de confess. in 6.* & per consequens, confessio aduersarii non erit certa de veritate, sed possibilis de credulitate, quæ non releuat. *cap. in præsentia. de probation. l. non hoc. C. vnde ligitimi. cum similibus.*

DECISIO DCCLXXX.

Bononien. de Bonsignoribus Veneris 20. Nouembris 1615.

Impressa apud Caualerio.

DECISIO 367.

REVERENDISSIMO P. DOMINO COCCINO DECANO.

Pampilonen. Matrimonij. Veneris 11. Martij 1616.

ARGVMENTVM.

Breuis est decisio, sed notablis, & Magistralis, & bene docens, an deuenien. sit ad triennalem cohabitationem inter coniuges, quando petitur matrimonij dissolutio ex eo, quod mulier sit nimis arcta.

SVMMARIVM.

Matrimonium, quando dissolui petitur ex eo, quod mulier sit nimis arcta, numquid deuenien. sit ad triennalem cohabitationem. num. 1. & per tot.
Iudex redarguendus non est ex eo, quod superfluas probationes requirat in dissolutione matrimonij. num. 2. in fine.

Matri-

Matrimonium, quando dissoluatur ex eo, quod mulier sit nimis arcta, multum iudicis arbitrio relinquitur. numero 1.

DECISIO DCCLXXXI.

1 Placuit Dominis decisio in hac causa facta 11. Decembris superioris anni, in qua fuit resolutum deueniendum esse ad cohabitationem triennalem. Licet enim mulier petat dissolutionem matrimonij ob arctitudinem, & Medici retulerint, Franciscum non posse coire cum muliere valde arcta, & obstetrices, quod Maria est valde arcta, quo casu deuenitur ad separationem thori absque alia cohabitatione triennali, habito tamen prius iuramento coniugum asserentiũ, se nõ posse coire, & cũ septima manu propinquorum iurantium se credere eos verũ fateri, ex alleg. per Sanchez loco relato in alia decisione, attamen cum in casu isto liquido non appareat de arctitudine, & magnitudine respectiue inter isto coniuges, tutius fuit visum Dominis deuenire ad cohabitationem triennalem, cum in facti quęstionibus multa prudentiæ, & religioni iudicantium relinquantur, quæ nulla certa lege, aut regula in vniuersum definiri possunt, vt in his terminis dicit Antonius Gubertus Costanus de sponsalibus, & matrim. titulo de his, qui nuptias contrahere possunt. numero 66. versic. nec huius rei.

2 In casu autem, de quo agitur, considerabant Domini, non solum, quod ex dicta relatione nõ potest haberi certum iudicium, sed quod in hoc casu non est admittendum, quod probatio suppleatur ex iuramẽto, quia dum Maria esset teneræ ætatis, incœpit ista prætensio dissolutionis matrimonij propter arctitudinem, vnde istud iudicium incœpit de tempore, in quo propter ætatem super eo non poterat ferri certũ responsum, per ea, quæ notat *Sanchez de matrimonio, libro septimo. disputat. 104. numero 18.* Vnde cum hodie coniuges sint legitimæ ætatis postquam materia fuit effecta suspecta, maturius est agendum, quam in aliis casibus, cum in causa tam graui pro veritate habenda non sit reprehendendus iudex, si omnem diligentiam adhibeat, nec ei est imputandum, quod superfluas probationes exquirat. *Ioan. Andr. in cap. fraternitatis numero tertio. Butr. numero decimo octauo. Anchara. numero tertio. notab. 3. Præposit. numero primo. de frigidis & malefic.* Vnde omnino deueniendum est ad dictam cohabitationem triennalem ex prædictis, & ex aliis deductis in prima decisione.

REVERENDISSIMO P. DOM. DAMASCENO.

Leoden. Fideicommissi. Lunæ 12. Decembris 1611.

ARGVMENTVM.

Transactione nunquam fideicommisso renunciatum censetur, nisi expresse dicatur, & verba generalia non sufficiunt ad hanc renunciationem inducendam.

SVMMARIVM.

Renunciatum non censetur fideicommisso per transactionem, nisi expresse dicatur. num. 1. & 2.
Ius de futuro non venit sub generalibus verbis. numero 2.
Dispositio quælibet intelligitur rebus sic stantibus. numero 3.
Renunciatio est stricti iuris, & in ea debet intelligi, ut dicatur renunciatum quanto minus possibile sit. numero 5.
Proœmium transactionis denotat causam finalem. numero 6.
Generalitas verborum semper restringitur ad suam causam. num. 6. in fine.
Transactione vt sit renunciatum fideicommisso, tria requiruntur, de quibus num. 7.

DECISIO DCCLXXXII.

1 Censuerunt Domini per transactionem de anno 1577. non fuisse renunciatum fideicommisso, & pro negatiua sufficere, quod talis renunciatio non legatur in instrumento transactionis, ad *Bald. in cap. venerabilem. num. 21. de elect. Alexand. cons. 52. num. 13. lib. 4. Curt. sen. consil. 55. nume. 23. Roman. consilio 459. numero 14. & sequen. Bologn. consilio trigesimo secundo, numero 18. & seq. Afflict. decis. 403. num. 5.*

2 Et licet verba transactionis sint satis ampla, & generalia, attamen visum fuit Dominis, generalitatem verborum non posse operari renunciationẽ fideicõmissi, primo quia illud nõ erat adhuc purificatum, & sic erat ius de futuro, quod nõ venit sub generalibus verbis. *Bart. in l. qui Romæ. §. duo fratres. num. 17. & seq. Rip. numero 47. ff. de verb. oblig. Alex. cons. 208. num. 4. & 5. libro 6. Dec. cons. 86. num. 4. vers. sed his tamen non obstantibus. Curt. iun. consil. 23 nume. 1. cum pluribus sequen. Grat. cons. 173. numero 44. lib. primo. Rimin. iun. consil. 204. nume. 79. & sequ. Boer. decis. 147. num. 11.*

3 Etenim quælibet dispositio intelligitur rebus sic stantibus. *l. quod seruorum. vbi glos. fin. ff. de condit. caus. dat. Rom. consilio 137. num. 11. libro 2. Alexan. cons. 71. numer. 8. volum. 5. Paris. consil. 24. num. 72. volum. 2. Pedem. decis. 91. numero 2. late Tiraquell. in l. si vnquam. in præfatione. nu. 167. C. de reuocan. donation.*

4 Quod multo magis debet habere locum in renunciatione, quæ est stricti iuris, *l. quicquid adstringendæ. ff. de verb. oblig. Dec. cons. 452. numero 21 Socin. consilio 96. in fine, volum. primo. Paris. consil. 110. num. 96. lib. 1. Gabr. consi. 7. numero 7. volum. 1. Gabr. consilio 60. num. 6. volum. 1. Bolognet. cons. 32. num. 19. Rimin. iun. cons. 204. nu. 79. Becc. consil. 111. nu. 31. Pedem. decis. 112. nu. 5.*

5 Et debet intelligi, vt quãto minus dicatur renunciatum. *l. si domus. & ibi glos. ff. de seruit. vrban. præd. Dec. in l. postquam, numero 6. C. de pact. Grat. consil. 17. num. 4. lib. 1. Curt. iun. consil. 23. nume. 1. Becc. d. consil. 111. nu. 31.*

6 Secundo, quia in proœmio trãsactionis ex quo colligitur causa finalis. *l. fin. vbi Bart. ff. de hæred. instit. Alexand. consi. 7. num. 3. lib. 2. Socin. consil. 159. numero 20. lib. 2. Dec. cons. 606. num. 13. Crauet. cons. 192. num. 2.* apparet, quod transactio non fuit ex causa fideicommissi. Quandoquidem de hoc fideicommisso nulla fuit vnquam controuersia inter fratres transigentes, sed causa fuit ob defectum substantiæ paternę singuli non poterãt integre obtinere, quod sibi ex testamento paterno relictum erat, & proinde, vt singuli proportionabiliter sentirent diminutionem, fuit deueniendum ad transactionẽ, vt colligitur ex verbis proœmij ibi, viso, & bene intellecto statu domus mortuarię ipsorum partis, & quod ob multos defectus eiusdem non possent consequi, & habere singuli ipsorũ respectiue id quod per testamentum prę fati ipsorũ patris dispositum, & assignatum est, præuio &c. inierunt cõcordiam &c. cũ igitur habeamus causam expressam ad illã semper restringitur generalitas verborũ transactionis. *l. si de certa. vbi Bart. C. de transact. Alexan. consil. 11. num. 2. lib. 2. Paris. consi. 20. numer. 37. libro primo. cum aliis cumulatis per Gabriel de reg. iur. concl. 4. nu. 21.*

7 Tertio dicebatur ad effectum, vt per clausulas generales censeatur renunciatum fideicõmisso tria esse necessaria, de quibus per cumulatos à *Becc. consilio 111. num. 3.* scilicet notitia fideicommissi, quod sit reciprocum, & quod sit æquale primũ, saltem iuxta terminos. *l. de his. C. de transact.* non probatur non etiam secundũ, quia Renatus nihil poterat spectare ex personis fratrum suorum, non etiam tertium, quia inter transigentes nõ erat par, & æqualis causa remittendi fideicommissum, quod scilicet Gulielmus, & Federicus renunciarent amplissimo fideicõmisso pro summa Florenorum 7200. quæ nec propria ipsorum esse

debebat,

debebat, & hanc æqualitatem pro interpretatione transactionum præcipue ponderant Doctores, vt per *Alber.cons.29. num.15. Bero.consi.70. nu.49.lib.1.Beccius d. cons.111.num.32.*

8 Quarto admissa etiam explicita scientia fideicommissi poti us in transactione adsunt indicia, quod trāsigentes intellexerint, quod illi nō esse renunciatum, dum præfati Gulielmus, & Federicus promiserant sinere, vt Maria vxor Renati consequatur totum id, quod in tractatu nuptiali fuit sibi donatum, vel promissum, quæ quidem promissio Gulielmi & Renati circunscripto fideicommisso, erat omnino superflua, cum dicti fratres sublato dicto fideicommisso nullū haberent ius, quo possent impedire dictam Mariam agentem ad bona tenta per Renatum.

9 Circa illud, quod non fuerint impleta omnia capita testamenti Ioannis fideicommittentis, & proinde non suffragetur consensus præstitus per Renatum fideicommisso, visum fuit Dominis, quod hoc sit extra dubium firmatum in Rota, super renunciatione fideicommissi, & ideo si motiuum Dominis videbitur releuans, particulariter disputabitur. Et ita fuit decisum, &c.

REVERENDISS. D. BISCIA

VIARVM PRÆSIDE.

Romana Retractus Vineæ. Lunæ 22. Iunij 1615.

ARGVMENTVM.

Constitutio Gregorij XIII. super iure congrui non habet locum in prædiis metitis, nisi concurrant requisita dictæ Constitutionis, nec de iure communi, vel vigore alterius Constitutionis habet locum retractus in prædiis metitis.

SVMMARIVM.

Constitutio Gregorij XIII. super iure congrui quatenus concedit retractum vicino pro responte vendita non exorbitat a iure communi, & ideo comprehendit casum simplicis vicinitatis, absque requisitis in ipsa Constitutione. num.1. Contra. num.9.

Retractus competit vicino ex dispositione iuris communis, propter Constitutionem Federici de iure prothomiseos. n.2. Fallit in terris Ecclesiæ. nu.7.

Retractus in prædijs rusticis non potest prætendi, nisi vigore Constitutionis Gregorianæ §. in rusticis, quæ licet loquatur in venditione coactiua, habet tamen locum etiam in venditione voluntaria, dummodo concurrant requisita dicti §§. num.3.

Extensio dici non potest, vbi adest maioritas rationis, sed potius comprehensio, siue tacita dispositio. nu.3.

Retractus, vt habeat locum in prædijs rusticis vigore Constitutionis Gregorianæ inter cetera requiritur, quod prædium retrahentis sit maioris pretij, & mensuræ, ac ædificiorum structuris conspicuum, ita vt magna inter vtrumque adsit inæqualitas. nu.4.

Agens constitutione, vel statuto debet probari omnes qualitates à statuto requisitas. num.5.

Verbum obseruetur in constitutione positum importat diligenter aduertere, & custodire. nu.5.

Retractus non competit de iure diuino. nu.6.

Præcepta veteris testamenti alia sunt moralia, alia iudicialia, alia ceremonialia, quæ iudicialia apud nos non habent vim legis. nu.6.

Constitutio Leonis X. super retractu quatenus disponit de retractu in prædijs rusticis fuit in totum abrogata per constitutionem Gregorij XIII. nu.8.

Constitutio correctoria iuris communis prætextu publicæ vtilitatis non dicitur fauorabilis, sed odiosa. nu.9.

Tacitum non potest plus operari, quam expressum. num.10.

Comparatiuum præsupponit qualitatem positiui. nu.11.

Comparatiuum non verificatur, nisi relinquat etiam positiuum. num.11.

Citatio approbat personam citati, non autem causam. nu.12. Vbi maxime si citatio fuerit facta, quatenus sua putauerit interesse.

DECISIO DCCLXXXIII.

IN gradu appellationis, licet potuissem expedire causam extra Cameram, nihilominus, vt satisfacerem petitioni Dominorum Stephani, & fratrum de Rota, proposui dubium in Camera, An sententia Illustrissimi Domini Camerarij, siue eius D. Auditoris, & Dominorum Magistrorum Viarum esset confirmanda, vel infirmanda. Vendiderant hæredes Curtii Brogiæ vineam extra Portam Maiorem circa vnū milliare petiarum sex Perillustri Domino Tiberio Caualerio, & dicti fratres de Rota habentes vineam vicinam petiarum decem in circa, intimati à prefato Domino Caualerio, quatenus sua putaret interesse, prætendebant retrahere Vineam venditam, & ex infrascriptis à præfatis Dominis Iudicibus sententiam pro retractu obtinuerant.

1 Primo enim dicebatur Gregorianam concedentem retractum certo generi personarum pro re sponte vendita non exorbitare à iure communi, sed potius continere dispositionem statutam de iure diuino, communi, & consuetudinario; Ideo comprehendere casum simplicis vnitatis, & sic etiam si vinea Fratrum de Rota non haberet qualitates requisitas à Gregoriana in §. *in rusticis, quoque, &c.*

2 Vel quatenus iste casus in Gregoriana non comprehenderetur, & remaneret in dispositione iuris communis, prætendebatur in iure communi extare Constitutionem Federici, quæ incipit, sancimus de iure prothomiseos concedens retractum vicino. Vel etiā iuuari posse Bulla Leonis X. quæ, etsi abrogata fuerit per Constitutionem Gregorianam, tamen allegari posse sub prætextu, quod Gregoriana non correxerit Constitutionem Leonis in hoc puncto disponentem simpliciter, quod admittatur retractus in rusticis prædiis absque concursu qualitatum, quas requirit Gregoriana.

3 Vltimo dicebatur, quod ex abundanti concurrebant qualitates requisitæ à Gregoriana in dicto §. in rusticis quoque. Quibus, & alijs similibus in quodam decisiuo responsio congestis minime obstantibus, vnanimiter fuit resolutum sententiam prædictam esse infirmandam, nam retractus non potest prætendi, nisi vigore Gregorianæ *in dicto §. in rusticis*, & licet ex obseruantia Cameræ illa seruetur etiam in venditione voluntaria, quamuis loquatur solum in coactiua, & hoc ex maioritate rationis, quia sicut vicinus potest compellere dominum ante venditionem ad vendendum, sic, multo magis potest petere prelationem, quando Dominus vendit, & stante maioritate rationis non potest dici extensio, sed potius comprehensio, siue tacita dispositio. *Alex.cons.75.n.3. & ibi Add. lib.5.Crauett.cons.183. nu.3. Rol.cons.72.n.45. lib.1.Seraph. decis.496.nu.2.Tiraq.de retrac.lignag.§.20.n.2.* Hoc tamen procedit, cōcurrentibus requisitis *in dicto. §. expressis.*

4 Hic autem non concurrunt qualitates requisitæ, nam inter ceteras retrahentis vinea deberet esse maioris pretii, & mensuræ, ac ædificiorum structuris magis conspicua, hisque omnibus vineam retrahendam tantopere superare, vt magna inter vtramque adesset inæqualitas: vinea vero fratrum de Rota, licet sit maior quatuor petiarum, tamen non tantopere superat, vt magna dicatur inequalitas, & ex inspectione situs videtur quasi æqualis, non est ædificiorum structuris conspicua, sed habet solum vascam, & supra illam paruam mansionem quantum tenet vasca, quæ

ea, quæ male etiam potest deseruire pro vineario.

5 Ideo cum istæ duæ qualitates deficiant, etiam si vinea retrahenda esset solita locari, & non sit tam bene culta, & habeat vascam discoopertam, sufficiunt ad excludendum retractum, quia quando agitur ex Constitutione, vel statuto, debent ad vnguem obseruari, concurrere, & probari omnia, quæ à Constitutione requiruntur, quorum alterum si deficiat non intrat Constitutio. *Glo. in l. mancipia. verb. aduocandum, & ibi Butrig. Fulgos. & Castren. C. de seru. fugit. cum alijs per Tiraq. de retract. lignag. §. 8. gl. 7. nu. 1. & 2.* & ita sæpissime fuit decisum in alijs causis. Maxime, per illa verba Bullę, illud obseruetur, quod importat diligenter aduertere, & custodire. *l. obseruandum. ff. de offic. Præsid.*

6 Non obstat, quod Gregoriana non sit contra ius commune, sed contineat dispositionem de iure diuino. Nam licet ex legibus Mosaycis, relatis in dicto decisiuo responso, & à *Tiraq. de retract. in præfat. num. 7.* aliqui tentauerint istud asserere, tamen quod isti admodum fallantur fuse probat *Tiraq. ibidem. num. 8.* & tribus sequentibus, authoritate Theologorum, Canonistarum, & Iurisperitorum, nam vt probat ibidē *Tiraquell.* præcepta veteris testamenti alia sunt moralia, alia ceremonialia, & alia iudicialia, & iudicialia, vt est illud de redimendo agrum à propinquo, apud nos non habent vim legis.

7 Minus obstat Constitutio Federici, quia non habet locum in Terris Ecclesiæ. *Afflict. de iure Prothomis. in princ. num. 3. Nouel. eodem tractatu. in princ. num. 27. Benedellus in rubr. nu. 280. Bard. de iure Prothomis. in princ. Bullæ Sixtinæ. not. 2. num. 15.*

8 Nec potest iuuari Bulla Leonis, quia Gregoriana in §. 1. illam, & alias abrogauit, & penitus reuocauit, & sustulit, quatenus ad aliquod eorum, quæ in Gregoriana continentur, pertinent, deque aliqua eorum statuunt, aut disponunt. Vnde dum allegatur Leonina ad istum retractum, qui continetur in Gregoriana in §. in rusticis, non potest allegari, quia fuit penitus sublata, & abrogata, & correxit Leoninam in hoc puncto, cum Gregoriana requirat qualitates in illa expressas, & mandet ita obseruari.

9 Minus etiam obstat, quod Gregoriana dum concedit retractum certo generi personarum, non exorbitet à iure communi. Nam hoc in specie reprobatur à *Tiraquello de retractu in præfatione. nu. 29.* dicens admodum ineptum, etque ridiculum videri, quia non certas aliquas personas tantum comprehendit, sed omnes in vniuersum, ex ea enim nulli, licet extraneo nō vicino vendere, quin vicino liceat retrahere, & ideo esse odiosam, & contra ius, & stricte interpretandam, pluribus probat ibidem. *Tiraq. num. 60. & pluribus seqq.* *Rota diuers. part. 1. decis. 475.* & in alia iuris congrui. 5. Iulij 1600. coram R. P. D. Coccino, & in Tribunali Cameræ pluries resolutum, & hoc procedit etiamsi in procemio verbum aliquod de publica vtilitate adsit, quia nihilominus Constitutio correctoria iuris communis non dicitur fauorabilis, sed odiosa, vt late per *Sarmient. select. interpret. lib. 1. c. 12.*

10 Et Constitutiones Sixtina & Leonina, tanquam iuris communis correctorię à Pio V. fuerunt abrogatę, & sublatę, quia nimis late à iudicibus interpretatæ causam iniurię, quam pluribus pauperibus prębebāt, vt refertur etiam in principio Gregorianæ. Nec obstat, quod dicebatur coram me, quod isto casu non sumus in coactiua. Ideo Gregoriana sit largius interpretanda, quia cum casus iste veniat ex tacita dispositione a maioritate rationis, non potest plus operari tacitum, quam expressum. *l. qui ad certum. ff. locat. Bellamer. cons. 19. num. 2.* Ideo sicut in casu expresso requiritur concursus qualitatum, sic etiam in isto tacito.

11 Nec etiam obstat, quod concurrant qualitates. §. 12. ex eo, quia licet ædificium fratrum de Rota non sit conspicuum, tamen satis sit, cum adsit stantia habitabilis etiam nocturno tempore, qualis, qualis sit, cum in ista retrahenda, nec tectum aliquod reperiatur in casu superuenientis pluuiæ, quia Bulla dat formam, & non potest extendi cum sit odiosa, & correctoria iuris communis, ideo non sufficit, quod adsit vasca cooperta cum parua mansione, quia non potest propterea dici ædificiorum structuris magis conspicua, comparatiuum enim præsupponit qualitatem positiui. *Bald. in l. 2. nu. 3. C. de probat.* maxime in Constitutione correctoria iuris in qua cum verba sint proprie intelligenda comparatiuum seruat propriam naturam suam, & non verificatur, nisi relinquat etiam positiuum, vt post alios *Surd. decis. 65. n. 12.* & sic, quod vinea retrahenda sit conspicua ædificiorum structuris, & illa pro qua prætenditur retractus sit eisdem magis conspicua.

12 Vltimo non obstat intimatio facta à D. Caualerio de venditione vineæ, quia licet per citationem persona approbetur, non tamen admittitur, nisi probet de iure suo, quia approbatio huiusmodi respicit personam, non autem causam. *Dec in l. fin. nu. 45. C. de edict. Diu. Adrian. toll.* Maxime, quia intimatio fuit facta quatenus sua putauerit interesse, nam hæc verba nil aliud inferunt, quam dicere, quod sua interesse putant, licet falso, ideo de interesse illo docere debent, vt ex sententia *Felin. in c. cum inter. num. 12. in fin. de except. tenent Zuccar. in d. l. fin.* & alii quos refert, & sequitur *Menoch. de adipisc. remed. 4. nu. 615. & seqq. Rolan. cons. 29. nu. 8. & seq. lib. 2.*

GLORIA PATRI, ET FILIO, ET SPIRITVI SANCTO.

FINIS TOMI SECVNDI PARTIS SECVNDÆ.

INDEX

INDEX LOCVPLETISSIMVS RERVM, VERBORVM, AC SENTENTIARVM,

QVÆ IN HAC SECVNDA PARTE DECISIONVM SACRÆ ROMANÆ ROTÆ, A PROSPERO FARINACIO I.C. Romano collectarum, continentur,

ALPHABETICO ORDINE DISTRIBVTVS.

A



Agna-

Appel-

Index Summariorum.

Asser-

B

a non

Benc.

Bene-

C

Capi-

Causa

Com-

Confes-

Con-

Custos,

De-

E

Epi-

F

Fal-

Fallit

H

L

Le-

Index Summariorum.

Mer-

O

Præ-

Pri-

Q

Re-

S


Sen-

Sen-

Sta-

T

FINIS.



Decis-
Recēt
Pars. 2

